COLLEGIJ SALMANTICENSIS FF. DISCALCEATORUM B. MARIAE DE...

Carmelitani Scalzi : Collegio salmantino, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 — N
6

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

44.4.6.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLEGII SALMANTICENSIS FF. DISCALCEATORUM B. MARIÆ DE MONTE CARMELI Primitivæ Obſervantiæ,

CURSUS THEOLOGICUS JUXTA MIRAM DIVI THOMÆ Præceptoris Angelici Doctrinam.

TOMUS QUINTUS,

A QUÆSTIONE CIX. PRIMÆ SECUNDÆ uſque ad Quæſtionem CXI. complectens;

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT.



IESV*BIBL.SEC.COLL.ROM.SOC.
IHS

LUGDUNI,
Sumpt. JOANNIS ANTONII HUGUETAN, & Soc.
M. DC. LXXIX.
CUM SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANGELICO DOCTORI

DIVO THOMÆ AQUINATI,

ECCLESIÆ FULGENTISSIMO IUBARI, SACRÆ THEOLOGIÆ PRINCIPI

anteſignano, præclaro Veritatis Magiſtro,

COLLEGIUM SALMANTICENSE SANCTISSIMI VATIS Eliæ Carmelitarum Diſcalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

O. D. C.

FONTES luci ſacros, ſive Solis nomine inſignes ipſa oſtendunt eloquij ſancti verba divina. Adſit Ioſue cap. 15. ubi: Fons Solis *habetur. Adſit & Eſther.* 10. *ubi :* Parvus fons crevit in fluvium, & in lucem, Solemque converſus eſt. *Quibus teſtimoniis inter fontem & Solem nexus mirabilis aperitur, ac proditur ſympathia. Nec mirum ſanè, cum lucis fonte aquarum quoque originem maritari, quando ex cæleſtis luminis influentia liquidi humoris abundantia ſcaturit. Hinc jam merito apparet, qua ratione,* DOCTOR ANGELICE, *poſt de peccatis opus, opus de gratia, tibi iterata veneratione dicamus: dum enim te fulgentiſſimum ſolem ſapientiæ, lucidis undequaque radiis decorum ſupplicibus adoramus obſequiis, quid in gratiæ fontem perennem tuis altaribus litaremus? Eſt gratia fons aquæ ſalientis in vitam æternam, irriguuſque mentis latex fluido virtutum ſupernaturalium humore adeò cœlitibus ſe ſe ingerit, ut ad uſque divinitatis ſolem rores attentet ſpargere. Naſcitur à natura divina, cujus eſt indigenita portio, noſtrumque derivans ad pectus ſuperam affluentiam, ad eandem originem, à qua exivit, ſalientes cogit latices elevari. Gratiæ opus fontem gratiæ nuncupari decernimus, dum è tuis operibus fluenta ſacra libantes, ſuo manali, nimirum radiantibus tuis ſplendoribus ſol Aquinas, eadem reverti ſtatuimus ſine mora: ut unde manavere gurgites, ſuæ cognoſcant ſcaturiginis incrementum, & primum allaudent ebullitionis exordium. Vitalis hæc aqua eſt, quæ ex fonte dilabitur adeò puro. Fatemur equidem nos his laticibus ſic nutriri, ut quod ſenſibilis aqua corpori*

lib. 1. epiſt. 1. *præſtat, hoc & mentibus noſtris ſapientiæ Thomiſticæ fons præclarus.* Ut piſcis, *aiebat Ennodius*, aqua abſtractus vitalibus indumentis privatus extinguitur, ſic ego ſubductus eloquij veſtri fluentis interimor. *Ita ſquamoſa animalia vitales halitus mutuantur ab aqua, ut ſicco in littore exanimata devivant: ſic & nos ſubducti eloquij Thomiſtici fluentis interimimur. O quam verum eſt, te quà ſolem, quà fontem ſpiritus noſtris animis præſtitiſſe vitales, dum ex doctrina tuæ meditatione continua adeò efferimur, ut Angelico potius, quam humano clamemus animo vegetari. Iam diu per campos tuorum operum diſcurſaramus amœnos, jam odorantes mentis tuæ flores ore limpido legeramus, inque vernis paradiſi Thomiſtici floribus, quâ fas extitit, velut indefeſſæ apiculæ ta ſolicita diligentia, diligentique ſolicitudine ſuccos libaveramus nectareos. Deerat adhuc & quod emananti perenniter gratiæ fonti labra applicarentur ſitientia, ut ex inde epotis lymphis ſacris, nec tantalico experto ſupplicio ad ſolares radios phœbi Aquinatis ſuavi dulcedine deguſtandos majori attenderemus conatu. Quod & factum eſt, Deo auſpice. En, Doctor Angelice, gratiæ opus tibi dicamus, & in hoc puriſſimo fonte tua nobis ad vivum effulget imaginis claritudo. Quid mirum? cum etiam in vitrea limpiditate illibati fluxus aquarum inſpiciantur aſtrorum cœleſtium imagines perpolitæ.*

Statius 6. Theb.

Sic ubi tranquillo pellucent ſydera ponto
Vibraturque fretis cœli ſtellantis imago.

In Epigram. *Non ſemper eſt, ut aiebat Lucillus*, aquarum ſpeculum mendax; *eſt & aliquoties veriſſimum, maximè ſi in gratiæ fonte perenni ſtabilitate fluentis Aquinatis ſolis intueamur aſpectum, ubi expreſſiſſima ſe ſe nobis objicit ejus imago: habet enim nitida gratiæ cryſtallus altum cum virginitate commercium, & quia ſol Thomas virgo eſt, in puris laticibus vibrantem faciem immittit, ut inde vibratus ſplendor caracterem nobis imprimat tanti ſolis. Equidem jam in anteactis operibus te ſatis cognoverat noſter amor, & eo ipſo circumquaque redolebat tuæ venerationis odorem; aſt in gratiæ fonte pellucido tuæ ſimilitudinis ſigillum nobis inditur, & figura, utpote quæ excuſsis radiis vitreo ex latice lineata ad unguem refulget. Hinc ut ab origine naſcitur, quod cum hoc opere nexus habeat illud tuæ ſanctitatis elogium, pariter & doctrinæ:* Rigans montes de ſuperioribus tuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra. *Enimvero ſi ad aquarum fluidum illapſum mentis oculos torqueamus; pro comperto eſt tuam de gratia doctrinam quaſi imbribus ſacris ex imprægnanti cœlo diſruptis, ſeu torrentibus aquæ fœcundis, & per amœnantes campos cryſtallinis anfractibus huc, illuc diſperſis, orbem irrigaſſe univerſum, Deique irroraſſe ſanctam Eccleſiam. Attamen ſi attendamus ad fructus, qui de tot iniquis laticibus ſuccreverunt in dies, prius ad tenebras ſol rueret cubaturus, quàm vel minor ſufficiēti applauderetur eloquio. Utrumque eſt mirabile, utrumque unicum, utrumque indignum, quod adeò exilibus plauſibus celebretur. Scimus utique (& hoc fuit ſemper omnium noſtrum cor unanime, votumque conforme) te ſuæ gratiæ Deum elegiſſe vindicem ſingularem, ut inſolentem hæreſum turbam gratiæ inimicam funditus extirpares, & ad Eccleſiæ pedes colla traheres monſtruoſa, ſive limpidis roribus illuſtrando mentes fidelium, ſive ardentibus radiis excæcando corda proterva. En qualiter cum hoc opere nectatur illud elogium:* Rigans montes de ſuperioribus tuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra. *Quippe qui dum è gratiæ fonte ſpargis rivulos inundantes, & è cœlo ſancto irradias ſol luminoſus, catholicum viridarium amœnas, atque apoſtatas acies exturbas. Nec myſterio eget, quod ad ſex reduxeris quæſtiones gratiæ œconomiam: ſunt equidem ſex canales, quibus ad nos derivatur hujuſce fontis tota affluentia. Sexta hora erat, cum Salvator alloquens peccatrici,*

Samariæ

Samariæ fontis nomen indidit gratiæ Dei dicens, quod qui biberit ex illa aqua, fieret in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. *Quaſi Deus, ut nobis ſuæ gratiæ oſtenderet abundantiam in ætatibus ſex, ſex quoque eligeret tubulos, ſeu canales, quibus illaberetur ad pectora noſtra temporis plenitudo: & in hora ſexta, ideſt, ſub ardenti ſole perageret hoc myſterium, ut nec convenientia deeſſet fontis, & ſolis. Igitur cum & nos videamus in ſex quæſtionibus* 1. 2. *nempè à quæſtione* 109. *incluſivè uſque ad* 114. *omne peractum gratiæ negotium, quid inde ſacratius auſpicaremur, quàm per ſex rivulos ad nos effluxiſſe gratiæ myſterium ſub ardenti ſole Aquinatis: ut in primo rivulo libaremus gratiæ indigentiam, in ſecundo naturam, diviſionem in tertio, cauſam in quarto, in quinto, & ſexto effectum duplicem juſtificationis, & meriti, quibus ſapidè deguſtatis inter fontem gratiæ, Thomæque ſolem eructaremus myſticam cohærentiam. Hic eſt parvus fons, quem numini tuo, Doctor Angelice, provoluta reverentia ſacramus, cordatiſque, ac repetitis affectibus tua ſuſpendimus ad altaria. Parvus eſt fons quia noſter, magnus quia tuus, dum quia tuus* influvium, *immo* & in lucem, ſolemque converſus eſt, & in aqua plurimas redundavit. *Accipe ergo benevola fronte munuſculum, quod litamus. Debitum eſt, non gratia, licet gratiæ titulo coronetur: accipe debitum, quod eſt gratia, & repende gratiam pro debito, ut dum gratiæ lucidiſſimæ tanti ſolis gratiæ fontem ſacramus, verum ſit, quod alias:* Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur.

FACULTAS ORDINIS.

FR. SYLVESTER AB ASSUMPTIONE Generalis Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, Primitivæ Obſervantiæ, de conſenſu noſtri Diffinitoris Generalis, &c. ut liber cujus titulus eſt, *Curſus Theologicus, Tomus quintus de Gratia, Iuſtificatione, & Merito*, à noſtro Collegio Salmanticenſi elaboratus, atque à gravibus doctiſque viris noſtri Ordinis; (quibus ipſum videndum, & examinandum commiſimus,) recognitus, & approbatus, typis mandetur, & in lucem prodeat; tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus. Dat. Matriti die trigeſima Septembris, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto.

FR. SILVESTER AB ASSUMPTIONE,
Generalis.

FR. NICOLAUS A SANCTO ELIA, *Diffinitor, & Secretarius.*

APPROBATIO R.P. M.F. FRANCISCI RELVZ,
Ordinis Prædicatorum in Salmanticenſi Academia primariæ Theologiæ cathedræ ſapientiſſimi Moderatoris.

ILLUSTRISSIMI, & Reverendiſſimi D. D. D. FRANCISCI XEIXAS Epiſcopi Salmantini, Catholicæ Majeſtatis à conſiliis, vidi, & avida, diligenti, ac reverenti diligentia evolvi præclara commentaria ad Angelicum Magiſtrum (ſcopum, & felicem conſummationem 1. 2. à quæſt. 109. uſque ad 114.) non ſolum ſine macula, aut levi ruga, catholicæ doctrinæ, ſacris Eccleſiæ præſcriptionibus, & ſanctorum Patrum documentis minus conſona: verum fulgenti, & perpolito ſtylo, diſcurſibus ſolidis, firmis demonſtrationibus, ſententiarum gravitate, ampliſſimæ eruditionis ſanctorum Patrum non vulgari, ſed acri indagine, & denique eloquentiæ magiſtralis floribus univerſo operi reſperſis, referta, limata, enucleata; & (pro coronide) Angelici Magiſtri doctrinæ rigida intelligentia ſupra ſtuporem conformia: Auctore Religioſiſſimo, & cordiali affectu mihi colendiſſimo Collegio Patrum Diſcalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli Primitivæ Obſervantiæ. Cujus doctiſſimi Patres, & Magiſtri, tutrice aurora Maria, quoniam ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt, ut arbitror, tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates. Diſſeritur in hoc opere (præmiſſo jam de peccatorum tenebris tractatu) de gratiæ luce, id eſt de gratia, juſtificatione, & merito, ſub hac D. Thom. capitali inſcriptione: *Conſequenter conſiderandum eſt de exteriori principio humanorum actuum, ſcilicet de Deo, prout ab ipſo per gratiam adjuvamur ad recte agendum.* Congruus doctrinæ ordo, juxta illud Boetij.

Daniel. 12.

lib. 3. metro 1.

Gratius aſtra nitent, ubi Notus
Deſinit imbriferos dare ſonos,
Lucifer ut tenebras pepulerit,
Pulchra dies roſeos agit equos.

In lumine ergo cœleſtis gratiæ conſtituti prædicti Collegij Patres, & Magiſtri, illiſque amicabili fœdere uniti tam ſtrenuè certamen gerunt, ut pro gratiæ dignitate tuenda vitam agent: in quo ipſius gratiæ jura cuſtodiunt. Etenim ſi cunctis animantibus inſitum eſt, ut in vitæ diſcrimine utantur omnibus modis, ac viribus, quibus eam tueri poſſunt: qua cura, impetu, & ſpiritus vigore ſatagendum eſt viro catholico cum non illa vita impugnatur animalibus communis, ſed ſuperior, per quam ab hujus vitæ miſeriis liberandus eſt, & æternitate victurus? Quibus autem mediis, & armis uti oporteat ad vitalis gratiæ tutamen, optime noverunt hi ſapientiſſimi, & religioſiſſimi Magiſtri, dum ad inſtar Moyſis vocant omnem virum eruditum, cui Dominus dedit ſapientiam, ad opus ſanctuarij; videlicet cum juvamina petunt à ſanctis Eccleſiæ Doctoribus, quibus Dominus jam diu infuderat ſcientiam ſubtilem, ſolidam, & irrefragabilem ad controverſias de gratia dirimendas. Inter quos palmam tuliſſe magnum Auguſtinum, & Angelicum Thomam, docent Pontifices, & probat plauſus totius Eccleſiæ.

Digitized by Google

Eccleſia. Thomas vero, quæ Auguſtinus de gratia fuſiùs docuerat, ad eum ordinem in ſumma redegit, ut pie credatur Paulum gratiæ Doctorem ipſi revelaſſe, quidquid humana mente capi poteſt. Unde meritò graviſſima hæc Patrum Carmelitarum Congregatio Angelicum ſibi cum in aliis, cum præcipue in gratiæ controverſiis elegit Doctorem, dicens cum Propheta: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat.* Et, *os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam.* Ardet enim doctrinæ Thomiſticæ amore, & Thomæ ſpiritum vehementi ſpiritu attrahit. Petivit Eliſeus, ut fieret in eo duplex ſpiritus magni Eliæ. Cui parens: *Si videris*, inquit, *me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.* Quid meriti in viſione? Cur, ſi videat, duplicatum accipiet ſpiritum? Quia Eliſeus vel juſſus à magiſtro recedere non receſſit; ſed pie, religiosè, & reverenter ejus præſentiam requiſivit: & aſcendentem magiſtrum oculis ſaltem, & affectu proſequutus fuit: unde duplicem, hoc eſt, maximum ipſius ſpiritum meruit. Si ergo Eliſeo perſonalem magiſtri præſentiam ambienti proviſum abundanter eſt de ſpiritu patris: quas utriuſque filiis, & venerandi Collegij magiſtris, tot laboribus Angelici Doctoris honori, & mentis inveſtigationi incumbentibus, & tanti Præceptoris ſpiritum anhelo corde, & ore attrahere ſuſpirantibus, ejuſque diſciplinæ ardenti devotione conſecratis, & inter diſcipulos fideliſſimis; quas, inquam, pro tot obſequiis rependet gratias Angelicus ipſe Doctor? Omitto fulgentes gloriæ coronas, quas placidus debitor impetrabit. Proculdubio jam conceſſit duplicatum ſpiritum pro his commentariis, (quæ non ſatis admiramur) ad ſtrenuam gratiæ defenſionem, in illuſtratione intellectus, & purgatione affectus incluſum: quem duplicem ſpiritum magnum Eliam tranſtuliſſe in Eliſeum interpretatur D. Bernardus. Aut aliter exponamus hunc duplicem ſpiritum à D. Thoma ſapientiſſimis Carmelitis Diſcalceatis conceſſum. Prior eſt fidelis, ſincera, & vera litteræ D. Thomæ interpretatio. Alter eſt cenſoria vis, & aquilina acies ad diſcernendum inter veros, & fictos, falſos, ac larvatos D. Thomæ diſcipulos. Petrus Apoſtolorum princeps, quæ ſibi, & condiſcipulis occurrebant, tanquam alios doctutus Magiſtro ſtatim proponebat. Semel requiſivit de præmio. Cui Jeſus: *Vos qui ſequuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes judicantes duodecim tribus Iſrael.* Judiciariam poteſtatem in præmium Apoſtolis aſſignavit ſupra univerſos fideles: (infidelis enim jam judicatus eſt:) quia relictis omnibus, & ſemetipſos abnegantes Chriſto præceptori adhæſerant. Cur igitur huic perilluſtri Congregationi cordialiter Angelico Doctori adhærenti, aliorum dictamina relinquenti, & intellectum in tanti Præceptoris obſequium captivanti (quod redolet ſupremum paupertatis evangelicæ gradum) denegabimus diſcretoriam ſpirituum dignitatem inter veros, & falſos diſcipulos D. Thomæ? Habet profecto in omnibus, & in his præſertim de gratia controverſiis. Quare hoc mirabile opus non ſolum dignum exiſtimo, ut prælo mandetur; ſed quod univerſæ ſcholæ amplectantur, utpote legitimum doctrinæ Thomiſticæ partum, & quod verè mentem D. Thomæ ab univerſo orbe celebrandam continet. Sic ſentio in Conventu S. Stephani Salmanticenſis, die 28. Octobris, anni 1676.

Pſ. 118. 4. Reg. 2. Serm. de Aſcenſione Domini. Matth. 19.

FR. FRANCISCUS RELUZ.

FACULTAS ILLUSTRISSIMI, ac Reverendiſſimi Domini D. FRANCISCI DE SEIXAS, *&* LOSADA, *Epiſcopi Salmanticenſis, Regij Conſiliarij.*

NOS D. FRANCISCUS DE SEIXAS & LOSADA, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Salmantinus, Regiuſque Conſiliarius, &c. Cum ex præſcripto noſtro R. P. M. Fr. Franciſcus Reluz Ordinis Prædicatorum, & in hac Salmanticenſi Academia Primariæ ſacræ Theologicæ Cathedræ perpetuus anteceſſor viderit & approbaverit librum cui titulus eſt, *Collegij Salmanticenſis Fratrum Diſcalceatorum B. Mariæ de monte Carmeli Primitivæ Obſervantiæ Curſus Theologicus juxta miram A. D. D. D. Thomæ doctrinam, Tomus Quintus à quæſtione* 109. *primæ ſecundæ uſque ad finem complectens*; nihilque in eo ſit inventum, quod ſanctæ Eccleſiæ, & bonis moribus adverſetur. Tenore præſentium quantum ad

nos

Digitized by Google

nos attinet facultatem concedimus, ut typis mandetur In quorum fidem præſentes litteras manu noſtra & ſigillo munitas, ac per infraſcriptum Secretarium noſtrum refrendatas expediri juſſimus. Salmanticæ, die quinta menſis Novembris, Anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto.

FRANCISCUS, *Epiſcopus Salmantinus.*

De mandato Illuſtriſſimi Domini mei Epiſcopi.

JOAN. FERNANDEZ DE MOURILLON,
Secretarius.

Locus † *ſigilli.*

CONSENSVS PROCVRATORIS REGII.

PRo Rege aſſentio ut opus cui titulus eſt, *Curſus Salmanticenſis Theologicus & Moralis*, imprimatur à JOANNE ANTONIO HUGUETAN, & Soc. hujus civitatis Bibliop. cum inhibitionibus conſuetis per triennium duraturis. Datum Lugduni die 26. Julij 1677.

VAGINAY.

PERMISSIO.

FIat juxta concluſiones Procuratoris Regij anno & die ſupra dictis.

DESEVE.

Deſiit Prælum die 4. *Ianuarij,* 1679.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
TRACTATVVM, QVÆSTIONVM,
Diſputationum, & Dubiorum, quæ in hoc Tomo Quinto, Curſus Theologici Salmanticenſis continentur.

TRACTATVS XIV.
De Gratia Dei.

PROOEMIVM. *pag.* 1

QVÆST. 109. DE principio exteriori humanorum actuum, ſcilicet de gratia Dei in decem articulos diviſa. 1

DISPVT. 1. Prœmialis. ibid.

CAP. 1. De nomine, varijs acceptionibus, & diviſionibus gratiæ. ibid.

§. 1. Nomen, & acceptiones gratiæ exponuntur. ibid.

§. 2. Aliquæ gratiæ diviſiones recenſentur. 4

§. 3. Explicatur diviſio gratiæ in increatã,& creatam, necnon in temporalem, & æternam. 6

CAP. 2. De varijs ſtatibus naturæ humanæ, in quibus eget gratia. 9

§. 1. Naturæ humanæ ſtatus numerantur, & deſcribuntur. ibid.

§. 2. Objectiones adverſus traditam diviſionem, & ſolutiones earum. 12

§. 3. Incidens dubitatio deciditur. 15

CAP. 3. De erroribus Lutheri, Calvini, & aliorum contra libertatem arbitrij. 18

§. 1. Qui ante Lutherum, & Calvinum negarunt arbitrij libertatem. 19

§. 2. Refertur hæreſis Lutheri contra liberum arbitrium. 25

§. 3. Expenditur error Calvini contra libertatem arbitrij. 27

§. 4. Errores Michaëlis Baij, & Cornelij Janſenij circa liberum arbitrium. 29

CAP. 4. De hæreſi Pelagiana contra gratiã Dei. 32

§. 1. Quos habuerit Pelagius ſui dogmatis præcurſores. ibid.

§. 2. Hæreſis Pelagianæ brevis hiſtoria contexitur. 35

§. 3. Continuatio ejuſdem hiſtoriæ. 37

§. 4. De multiplici gratia tandem conceſſa à Pelagio. 42

§. 5. Exponitur, an Pelagius auxilium efficax aliquando admiſerit. 50

§. 6. Declaratur, quæ fuerit extrema controverſia inter Auguſtinum, & Pelagium. 52

CAP. 5. De erroribus Semipelagianorum circa gratiam, & liberum arbitrium. 56

§. 1. Quid ſenſerint Semipelagiani de prædeſtinatione, & præſcientia Dei. 57

§. 2. Quid Semipelagiani dixerint de bono perſeverantiæ, & gratia efficaci. 59

§. 3. Quid docuerint Semipelagiani de viribus arbitrij, & neceſſitate gratiæ ſufficientis. 60

§. 4. Qui fuerint principales duces, & fautores Semipelagianiſmi. 65

§. 5. Quid contra Semipelagianorum doctrinam Eccleſia decreverit. 69

CAP. 6. De duobus famoſis in hac materia Catholicorum ſententijs. 74

§. 1. Refertur opinio Thomiſtarum. 75

§. 2. Proponitur ſententia Molinæ. 77

§. 3. Qui tractaverint de hac materia, & modus in ea ſervandus. 79

CAP. 7. De auctoritate D. Auguſtini, & D. Tho. in hac præſertim materia. 82

§. 1. Landes D. Auguſtini, magnaque circa materiam auctoritas. 83

§. 2. Auctoritas D. Thomæ, & ſumma cum D. Auguſtino conſonantia. 85

§. 3. Quomodo poſſit in communi diſcerni, quinam vere, & ſincerè ſequantur D. Auguſtini, & D. Thomæ doctrinam: & quam fideliter id præſtent Dominicani. 88

ART. 1. Vtrùm homo ſine gratia aliquid verum cognoſcere poſſit? 89

ART. 2. Vtrùm homo poſſit velle, & facere bonum abſque gratia? 93

ART. 3. Vtrùm homo poſſit diligere Deum ſuper omnia ex ſolis naturalibus ſine gratia? 94

ART. 4. Vtrùm homo ſine gratia per ſua naturalia legis præcepta implere poſſit? 95

DISPVT. 2. De neceſſitate gratiæ pro operibus naturalis ordinis 97

DVB. 1. Vtrùm homo indigeat gratia ad cognoſcendas veritates naturales. ibid.

§. 1. Duplex aſſertio pro expeditione difficultatis. ibid.

§. 2. Plures ſententiæ primæ aſſertioni contrariæ. 100

§. 3. Alia opinio cõtrária ſecundæ aſſertioni. 102

DVB. 2. Vtrùm homo in natura lapſa poſſit abſque gratia efficere aliquod opus moraliter bonum. 104

§. 1. Obſervanda pro dubij reſolutione. ibid.

§. 2. Vera ſententia teſtimonijs ſacræ ſcripturæ, & Patrum communitur. 107

§. 3. Eadem communis ſententia ratione fulcitur. 110

§. 4. Eadem communis aſſertio alia via roboratur. 112

§. 5. Ex præſentis dubij reſolutione alia deducitur. 113

§. 6. Refertur oppoſita opinio cum principali ejus fundamento. 115

§. 7. Satisfit omnibus adductis teſtimoniis, eorum que legitimus ſenſus declaratur. 117

§. 8. Duo priora argumenta ex ratione pro eadem contraria ſententia. 120

§. 9 Cætera ejuſdem opinionis argumenta diſſolvuntur. 123

Dvb. 3. Vtrùm homo in natura pura conſtitutus, viribus ipſius naturæ poſſet diligere Deum ut finem, & auctorem naturalem amore abſoluto, efficaci, & ſuper omnia? 126

§. 1. Prælibantur aliqua ad tituli, & rei intelligentiam. ibid.

§. 2. Expenditur alia conditio amoris Dei naturalis, nempe quod ſit efficax. 129

§. 3. Aſſertio prior pro deciſione principalis difficultatis. 133

§. 4. Alia ratio pro firmanda aſſertione. 136

§. 5. Statuitur, & probatur ſecunda concluſio. 138

§. 6. Sententia adverſa primæ aſſertioni, & ejus argumenta. 141

Dvb. 4. Vtrùm homo lapſus ſolis naturæ viribus poſſit diligere Deum ſuper omnia, ut finem, & auctorem naturalem? 144

§. 1. Prima aſſertio ſuis fundamentis communitur. 145

§. 2. Aſſertio alia pro dubij abſolutione. 147

§. 3. Corollaria præcedentis doctrinæ. 151

§. 4. Duplex aliud ejuſdem doctrinæ conſectarium. 154

§. 5. Duplex ſententia duplici noſtræ aſſertioni oppoſita. 156

Dvb. 5. Vtrùm homo lapſus poſſit ſervare præcepta legis naturalis ſine concurſu gratiæ. ibid.

§. 1. Brevis elucidatio quæſiti. ibid.

§. 2. Aſſertio prior auctoritatibus comprobatur. 157

§. 3. Eadem aſſertio ratione communitur. 160

§. 4. Aſſertio alia pro dubij abſolutione. 163

§. 5. Nonnulla contra primam aſſertionem referuntur, & enervantur. 166

§. 6. Argumenta contra ſecundam aſſertionem proponuntur & diluuntur. 169

Dvb. 6. Quæ gratia neceſſaria ſit, & ſufficiat, ut poſſit homo longo tempore ſervare omnia divina præcepta? 174

§. 1. Vera D. Thomæ ſententia elucidatur. ibid.

§. 2. Duplex ſententia in contrarium. 179

Dvb. 7. Vtrùm ad vitanda omnia peccata venialia collectivè requiratur ſpeciale gratiæ privilegium, & cui fuerit conceſſum? 181

§. 1. Obſervantur aliqua ad dubij deciſionem neceſſaria. ibid.

§. 2. Statuitur prima concluſio reſpondens primæ parti quæſtionis. 182

§. 3. Alia concluſio, per quam reſolvitur ſecunda dubij pars. 186

§. 4. Proponuntur & reſolvuntur nonnullæ quæſtiunculæ incidentes. 189

§. 5. Referuntur ſententiæ adverſæ, & earum argumentis occurritur. 193

Dvb. 8. Vtrùm homo lapſus, vel in puris conſtitutus poſſit abſque gratia vincere graves tentationes? 198

§. 1. Præmittuntur aliqua notabilia. ibid.

§. 2. Præſolutio difficultatis quantum ad hominem conſideratum in puris. 201

§. 3. Deciſio dubij quantum ad hominem in ſtatu naturæ lapſæ auctoritate fulcitur. 206

§. 4. Eadem veritas ratione probatur. 210

§. 5. Objectiones contra dicta §. præcedenti, & earum ſolutio. 212

§. 6. Refertur contraria ſententia, & duo illius fundamenta convelluntur. 217

§. 7. Satisfit alijs ejuſdem opinionis argumentis. 221

Art. 5. Vtrùm homo poſſit mereri vitam æternam ſine gratia? 225

Art. 6. Vtrùm homo poſſit ſe ipſum ad gratiam præparare per ſe ipſum abſque exteriori auxilio gratiæ? 226

Art. 7. Vtrùm homo poſſit reſurgere à peccato ſine auxilio gratiæ? 227

Art. 8. Vtrùm homo ſine gratia poſſit non peccare? 228

Art. 9. Vtrùm ille, qui jam conſecutus eſt gratiam, per ſe ipſum poſſit operari bonum, & vitare peccatum abſque auxilio gratiæ? 229

Art. 10. Vtrùm homo in gratia conſtitutus indigeat auxilio gratiæ ad perſeverandum? 230

Dispvt. 3. De neceſſitate gratiæ ad ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis. 231

Dvb. 1. Vtrùm homo per proprias vires poſſit inveſtigare myſteria fidei? ibid.

§. 1. Statuitur vera, & communis ſententia. ibid.

§. 2. Convelluntur argumenta ſententiæ contrariæ. 234

Dvb. 2. Vtrùm homo per proprias vires poſſit aſſentire myſterijs fidei, ſicut oportet ad ſalutem. 239

§. 1. Veritas catholica ratione, & auctoritate firmatur. ibid.

§. 2. Refertur error contrarius. 241

Dvb. 3. Vtrùm ſit neceſſaria gratia ad eliciendum aſſenſum fidei ſecundum ſubſtantiam acceptum? 243

§. 1. Obſervationes aliquæ pro dubij deciſione. ibid.

§. 2. Statuitur ſententia D. Thomæ, & rationibus munitur. 245

§. 3. Difficili objectioni ſatisfit. 249

§. 4. Secunda concluſio ad completam dubij deciſionem. 252

§. 5. Reſpondetur argumentis primæ opinionis contrariæ. 257

§. 6 Diluuntur argumenta ſecundæ aſſertioni contraria. 262

Dvb. 4. Vtrùm ad affectum credendi ſit neceſſaria gratia? 266

§. 1. Præmittuntur aliqua ad dubij deciſionem. ibid.

§. 2. Proponitur vera ſententia, & expenditur præcipuum illius fundamentum. 268

§. 3. Probatur eadem veritas duplici ratione. 271

§. 4 Satisfit argumentis contrariæ ſententiæ. 275

§. 5. Corollaria præcedentis doctrinæ. 277

Dvb. 5. An homo poſſit proprijs viribus ſe ultimo diſponere ad gratiam ſanctificantem? 281

§. 1. Obſervationes aliquæ ad dubij reſolutionem. 282

§. 2. Aſſeritur veritas catholica, & auctoritate munitur. 283

§. 3. Probatur concluſio ratione D. Thomæ. 285

§. 4. Propugnatur eadem concluſio alio argumento. 288

§. 5. Refertur oppoſita ſententia, & illius fundamenta ab auctoritate eliduntur. 290

§. 6. Convelluntur rationes ejuſdem ſententiæ. 293

Dvb. 6. Vtrùm homo per proprias vires valeat conſequi gratiam auxiliantem, & ſe diſponere ſaltem remotè ad ſanctificantem. 295

§. 1. Statuitur concluſio, & firmatur præcipuo fundamento. 296

§. 2.

Digitized by Google

§. 2 Præcluditur alia evaſio. 298
§. 3. Refertur error Semipelagianorum, & eorum motivis occurritur. 301
Dub. 7. Vtrùm facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ, Deus infallibiliter conferat gratiam. 307
§. 1. ſententia negativa primo fundamento ſuadetur. 308
§. 2. Aliæ duæ evaſiones confutantur. 312
§. 3. Expenduntur alia duo argumenta contra opinionem Molinæ. 314
§. 4. Vltimum fundamentum veræ ſententiæ 316
§. 5. Satisfit argumentis opinionis adverſæ. 319
Dub. 8. Vtrùm homo, qui non ſe impedit per peccatum, infallibiliter conſequatur gratiam auxiliantem. 323
§. 1. Statuitur vera ſententia, & auctoritate, & rationibus fulcitur. 324
§. 2. Adverſariorum rationibus ſatisfit. 327
Dub. 9. An homini facienti, quod poteſt ex gratia naturali data per Chriſtum, Deus infallibiliter conferat gratiam ſupernaturalem? 330
§. 1. Eligitur negativa ſententia, & ex primo fundamento roboratur. ibid.
§. 2. Eadem veritas iterum communitur. 332
§. 3. Refertur ſententia contraria. 335
Dub. 10. Vtrùm exiſtens in gratia indigeat ulteriori auxilio ad bene operandum? ibid.
§. 1. Statuitur prior, & communis ſententia. 336
§. 2. Alia concluſio pro perfecta dubij reſolutione. 339
§. 3. Diluuntur argumenta contra ſecundam aſſertionem. 341
Dub. 11. Vtrùm juſtus indigeat ſpeciali gratia ad perſeverandum in bono? 343
§. 1. Præmittuntur quædam ſuppoſitiones. ibid.
§. 2. Statuitur vera, & communis ſententia. 346
§. 3. Refertur ſententia contraria, & tribus ejus argumentis occurritur. 349
§. 4. Diluitur quartum argumentum, & ſimul oſtenditur neceſſitas doni perſeverantiæ pro ſtatu juſtitiæ originalis. 352
§. 5. ſolvitur quintum argumentum, & ſimul explicatur differentia inter donum perſeverantiæ & donum confirmationis. 354
Quæst. 110. De gratia Dei quantum ad ejus eſſentiam in quatuor articulos diviſa. 356
Artic. 1. Vtrùm gratia ponat aliquid in anima? ibid.
Art. 2. Vtrùm gratia ſit qualitas animæ? 357
Art. 3. Vtrùm gratia ſit idem, quod virtus. 358
Art. 4. Vtrùm gratia ſit in eſſentia animæ ſicut in ſubjecto, an in aliqua potentiarum? 359
Disp. 4. De quidditate, & perfectione gratiæ habitualis? 360
Dub. 1. Utrùm gratia habitualis ſit aliquid creatum, & in anima intrinſece receptum? ibid.
§. 1. Obſervationes nonnullæ. ibid.
§. 2. Veritas catholica auctoritate munitur. 361
§. 3. Expenditur fundamentum D. Thomæ. 362
§. 4. Objectiones contra rationem D. Thomæ, & earum enodatio. 364
§. 5. Colliguntur aliqua ex dictis. 366
§. 6. Refertur hæreticorum ſententia. 368
Dub. 2. Vtrùm gratia habitualis per ſe, ex natura ſua reddat hominem Deo gratum? 369
§. 1. Prælibantur aliqua pro dubij reſolutione. ibid.
§. 2. Aliquibus aſſertionibus dirimitur dubij difficultas. 371
§. 3. Satisfit argumentis opinionis adverſæ. 373
Dub. 3. Vtrùm gratia habitualis ſit participatio formalis naturæ divinæ ſub conceptu naturæ. 375.
§. 1. Prænotantur aliqua ad deciſionem dubij. 376
§. 2. Statuitur vera ſententia, & auctoritate probatur. 377.
§. 3. Fulcitur eadem concluſio. 379
§. 4. Occurritur cuidam objectioni. 380
§. 5. Diluuntur fundamenta contraria. 382
Dub. 4. Vtrùm gratia ſanctificans ſit participatio formalis naturæ divinæ, ut eſt ens per eſſentiam, infinitum &c. 385
§. 1. Prima concluſio ex parte reſpondens quæſtioni. 386
§. 2. Alia concluſio pro perfecta dubij reſolutione. 387
§. 3. Roboratur amplius eadem aſſertio. 390
§. 4. Refertur opinio ſecundæ concluſioni contraria. 392
Dub. 5. Vtrùm gratia ſanctificans diſtinguatur à charitate? 393
§. 1. Præmittuntur aliquæ obſervationes. ibid.
§. 2. Præfertur, & auctoritate roboratur D. Thomæ ſententia. 395
§. 3. Probatur concluſio ratione D. Thomæ. ibid.
§. 4 Roboratur eadem doctrina alio argumento. 397
§. 5. Sententia negativa proponitur. 398
§. 6. Reliqua ejuſdem opinionis argumenta diluuntur. 399
Dub. 6. Vtrùm virtutes ſupernaturales dimanent phyſice à gratia. 402
§. 1. Reſolutio difficultatis juxta mentem Divi Thomæ. ibid.
§. 2. Probatur eadem concluſio ratione. 403
§. 3. Diluuntur objectiones contra fundamentum D. Thomæ. 404
§. 4. Refertur oppoſita ſententia, & illius motivis occurritur. 407
Dub. 7. Quanta ſit perfectio gratiæ ſanctificantis. 409
§. 1. Præſupponuntur aliqua, ad dubij deciſionem. ibid.
§. 2. Eligitur vera ſententia, & auctoritate munitur. 411
§. 3. Eadem aſſertio ratione probatur. 412
§. 4. Aliud fundamentum noſtræ ſententiæ. 413
§. 5. Difficilis objectio enodatur. 415
§. 6. Refertur oppoſita ſententia, & illius motivis occurritur. 417
Dub. 8. Vtrùm ſit poſſibilis alia gratia ſanctificans perfectior, & ſpecie diſtincta? 420
§. 1. Prælibanda pro reſolutione quæſtionis. ibid.
§. 2. Præfertur Negativa ſententia, & ratione probatur. 422
§. 3. Eadem veritas alio fundamento communitur. 424
§. 4. Satisfit motivis adverſæ opinionis. 425
Quæst. 111. De diviſione gratiæ, in quinque articulos diviſa. 430
Art. 1. Vtrùm gratia convenienter dividatur per gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam. ibid.
Art. 2. Vtrùm gratia convenienter dividatur per operantem, & cooperantem. 431
Art. 3. Vtrùm gratia convenienter dividatur in

Digitized by Google

prævenientem, & ſubſequentem. 432
Art. 4. Vtrùm gratia gratis data convenienter ab Apoſtolo dividatur. 433
Art. 5. Vtrùm gratia gratis data ſit dignior quam gratia gratum faciens. 434
Dispvt. 5. De gratia actuali, ſive auxiliante. 435
Dvb. 1. Vtrùm detur gratia ſupernaturalis actualis externa, & interna. ibid.
§. Vnic. Tribus concluſionibus ſtatuitur ſententia catholica. ibid.
Dvb. 2. Vtrùm primum auxilium gratiæ ſupernaturalis actualis intrinſecæ conſiſtat formaliter in aliqua operatione ſupernaturali. 438
§. 1. Eligitur pars negativa. ibid.
§. 2. Duo adverſariorũ effugia præcluduntur. 439
§. 3. Aliorum reſponſio confutatur. 441
§. 4. Refertur contraria ſententia, & præcipuum ejus fundamentum diruitur. 444
§. 5. Cætera ejuſdem opinionis argumenta diluuntur. 446
Dvb. 3. Vtrùm primum auxilium intrinſecum gratiæ actualis ſit formaliter ipſe Deus ut intime aſſiſtens intellectui; an vero quædam qualitas fluida ipſi inhærens. 448
§. 1. Prior aſſertio primo fundamento fulcitur. ibid.
§. 2. Eadem concluſio alia ratione munitur. 452
§. 3. Statuitur ſecunda concluſio, & auctoritate, atque ratione probatur. 454
§. 4. Proponitur opinio contraria, & aliqua ejus motiva diluuntur. 456
§. 5. Cætera ejuſdem opinionis fundamenta eliduntur. 460
Dvb. 4. An ad actus ſupernaturales voluntatis requiratur auxilium actuale ipſi voluntati inhærens, vel ſufficiat auxilium impreſſum intellectui? 462
§. 1. Deciſio dubij quo ad actus ſupernaturales voluntatis indeliberatos. ibid.
§. 2. Reſolvitur difficultas quantum ad actus ſupernaturales voluntatis deliberatos. 465
§. 3. Satisfit argumentis opinionis adverſæ. 468
Dvb. 5. Vtrùm in habentibus virtutes ſupernaturales requiratur aliud auxilium dans poſſe ad actus, qui prædictis virtutibus correſpondent. 470
§. 1. Eligitur pars affirmativa, & auctoritate, atque ratione probatur. ibid.
§. 2. Objectio contra præcedens fundamentum, & illius enodatio. 472
§. 3. Alteri objectioni emergenti ex dictis occurritur. 475
§. 4. Argumenta opinionis adverſæ convelluntur. 476
Dvb. 6. Vtrùm præter omnia auxilia dantia virtutem requiratur aliud auxilium prævium applicans ad agendum? 480
§. 1. Aperitur ſtatus quæſtionis. ibid.
§. 2. Vera & communior ſententia eligitur, & probatur. 481.
§. 3. Eadem veritas iterum communitur. 485
§. 4. Expenditur aliud fundamentum pro vera ſententia. 488
§. 5. Vltimum argumentum pro ſententia Divi Thomæ. 490
§. 6. Refertur opinio contraria, & aliquibus ejus argumentis occurritur. 492
§. 7. Aliud pro eadem opinione argumentum proponitur, & diſſolvitur. 494
§. 8. Reliqua ejuſdem opinionis argumenta diluuntur. 498
Dvb. 7. De varijs diviſionibus gratiæ actualis, 501
§. 1. Exponitur quid ſit gratia operans. ibid.
§. 2. Quid ſit gratia cooperans. 503
§. 3. Explicatur diviſio gratiæ actualis in excitantem, & adjuvantem. 504
§. 4 Declaratur diviſio gratiæ actualis in prævenientem, & ſubſequentem. 506
§. 5. Quid ſit gratia actualis generalis, & ſpecialis. 507
§. 6. Proponitur diviſio gratiæ actualis in ſufficientem, & efficacem. 508
Dispvt. 6. De gratia actuali ſufficienti. 511
Dvb. 1. An detur gratia actualis vere ſufficiens ſeparata ab efficaci? ibid.
§. 1 Præmittuntur aliquæ obſervationes. ibid.
§. 2. Concluſio affirmativa, & catholica ſtatuitur. 512
§. 3. Difficilis objectio, & ejus enodatio. 516
§. 4. Adverſariorum motivis occurritur. 519
§. 5. Conſectarium præcedentis doctrinæ. 524
Dvb. 2. Vtrùm Deus omnibus hominibus præparaverit, & offerat auxilia ſufficientia ad ſalutem. 527
§. 1. Præmittuntur aliqua notabilia. 528
§. 2. Vera ſententia primo fundamento munitur. ibid.
§. 3. Objectiones contra præcedentem rationem, & earum enodatio. 530
§. 4. Aliud argumentum expenditur pro communi ſententia. 531
§. 5. Cõvelluntur motiva cõtrariæ ſẽtentiæ. 533
Dvb. 3. Vtrùm Deus conferat reipſa omnibus, & ſingulis adultis auxilia gratiæ ſupernaturalis ſufficientia ad ſalutem? 535
§. 1. Eligitur pars affirmativa, & S. S. P. P. auctoritate fulcitur. ibid.
§. 2. Expenditur ſecundum argumentum ex ſacra ſcriptura deſumptum. 537
§. 3. Proponitur alia ratio deſumpta ex doctrina Divi Thomæ. 540
§. 4. Aliud argumentum pro vera ſententia. 542
§. 5. Roboratur ultimo noſtra concluſio. 546
§. 6. Refertur ſententia contraria, & ejus motiva eliduntur. 547
§. 7. Corollaria præcedentis doctrinæ. 553

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ, quæ in Tomo quinto & ſexto continentur.

Ubi prior nota arithmetica Tomum, poſterior paginam, poſtrema verò marginales numeros deſignant.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

CAP. 4. *SUB te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* tom. 5. pag. 19. num. 63.

50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati.* 5.54.174

Ex Exodo.

4. *Filius meus primogenitus Iſraël.* 5.421.141

Ex libro Numerorum.

30. *In arbitrio viri erit, ſive faciat, ſive non faciat.* 6.96.203

Ex Deuteronomio.

5. *Cuſtodite igitur, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis.* 5.168.182

6. *Præcepit nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc.* ibid.

8. *Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter, ut facias.* ibid.

30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum.* 5.166.179

30. *Ipſe eſt vita tua.* 6.233.41

Ex Joſue.

10. *Obediente Domino voci hominis.* 5.8.19

22. *An parum eſt vobis, quia peccatis in Beelphegor, & uſque in præſentem diem macula hujus ſceleris in vobis permanet?* 6.213.1

24. *Optio vobis datur, eligite.* 6.96.203

Ex libro 1. Regum.

1. 7. *Præparate corda veſtra Domino.* 5.283.99

Ex libro primo Paralipomenon.

1. 12. *Spiritus Domini induit Abiſai principem inter triginta, & dixit: Tui ſumus David.* 6.62.131

1. 29. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* 5.241.21

Ex libro Tobiæ.

4. *Multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato.* 5.194.244

41. *Quis poteſt reſiſtere vultui meo?* 5.54.173

Ex libro Eſther.

13. *Non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſraël.* 6.61.128

Ex libro Job.

14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu, qui ſolus es?* 6.187.1

Ex Pſalmis.

Pſalm. 20. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* 5.506.164

22. *Et miſericordia ejus ſubſequetur me.* ibid.

33. *Timete Dominum omnes ſancti ejus: quoniam non eſt inopia timentibus eum.* 5.512.4

36. *A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet.* 5.269.69

44. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* 5.3.3

50. *Aſperges me hyſopo, & mundabor.* 6.222.20

58. *Miſericordia ejus præveniet me.* 5.56.164

68. *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* 5.284.106

70. *Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adjutor fortis.* 5.507.169

87. *Manè oratio mea præveniet te.* ibid. 167

134. *Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, & in terra.* 6.75.159

Ex Proverbiis.

CAP. 31. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo.* 5.3.3

21. *Cor regis in manu Domini, ſicut diviſiones aquarum, quocumque voluerit, inclinabit illud:* 5.54.174

16. *Hominis eſt præparare animam.* 5.282.99

8. *Præparatur voluntas à Domino.* 5.284.106.

Ibid. *Per me reges regnant.* 6.235.41

5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* 6.222.20

Ex Eccleſiaſte.

1. *Qui addit ſcientiam, addit & laborem.* 5.100.6

Ex Sapientia.

3. *In paucis vexati, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* 6.506.10

2. *Hoc, quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* 5.98.2.

4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* 5.341.250

7. *Dedit mihi Deus horum, quæ ſunt, ſcientiam veram.* 5.101.8

8. *Scivi quoniam aliter non poſſum eſſe continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia ſcire, cujus eſſet hoc donum.* 5. 169. 185. & p. 206. num. 275

9. *Corpus, quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem.* 5. 10. 28. & p. 100. n. 6

11. *Virtuti brachij tui quis reſiſtet?* 5. 54. 173 & 6. 61. 128

Ibid. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* 5.370.26

Digitized by Google

14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.* 6.222.21

Ex Eccleſiaſtico.

6. *Lingua Eucharis in bono homine abundat.* 5.3.3
9. *Qui timetis Dominum ſperate in illo.* 6.388.13
15. *Deus dereliquit hominem in manu conſilij ſui: appoſuit ſibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porriges manum tuam: ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* 5.19.63
Ibid. *Adjecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te.* 5.166.179. & 6.478.7
18. *Senſati intellexerunt veritatem.* 5.101.8
19. *Qui citò credit, levis eſt corde.* 5.267.66
31. *Potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit.* 5.325.203
34. *Dona enim iniquorum non probat altiſſimus.* 6.502.11

Ex Iſaia.

1. *Venite, arguite me, ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* 5.180.206
Ibid. *Filios enutrivi.* 5.421.141
5. *Habitatores Hieruſalem, & viri Iuda, judicate inter me, & vineam meam, quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* 5. 509.174
Ibid. *Expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* 6.80.170
9. *Filius datus eſt nobis.* 5.6.14
14. *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* 6.61.128
26. *Omnia opera noſtra operatus eſt in nobis Dominus.* 5.480.109
30. *Propterea expectat Dominus, ut miſereatur noſtri.* 6.80.170
43. *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas: narra, ſi quid habes, ut juſtificeris.* 6.187.1
53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* 6.494.51

Ex Jeremia.

1. *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* 6.500.3
6. *Ecce incircumciſa aures eorum, & audire non poſſunt.* 5.552.102

Ex Ezechiele.

18. *Projicite iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum.* 5.282.99
Ibid. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* 6 226.27
Ibid. *In quacumque hora ingemuerit peccator.* 6. 454.18
36. *Faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis.* 5.54.173
Ibid. *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* 5.158.164. & 6.424.94
Ibid. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris.* 6.222. 20

Ex Daniele.

5. *Peccata tua eleemoſynis redime.* 5.105.21

Ex Oſea.

2. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* 6.160.319
13. *Salvator non eſt præter me.* 6.187.1

Ex Joële.

2. *Quod benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multa miſericordia, & præſtabilis ſuper malitia.* 6.223.22

Ex Michæa.

1. *Deſperata eſt plaga ejus.* 6.222.20
7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata veſtra.* ibid.

Ex Nahum.

1. *Non conſurget duplex tribulatio.* 6.226.27

Ex Zacharia.

1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* 5.498.151
13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris.* 5.529.43

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap. 5. *Qui ſolem oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos.* 5.328.209
6. *Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ.* 6.249.75
7. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.* 6.361.299
Ibid. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis.* 5.138.111
11. *Qui minor eſt in regno cœlorum, major eſt in illo.* 6.464.40
Ibid. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sydone facta eſſent virtutes, quæ in te factæ ſunt, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent.* 6.13.26
15. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* 6.524.33
Ibid. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* 5.421.141
16. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* 6.88.187
17. *Qui vult venire poſt me.* 6.96.203
19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* 6.492.46
26. *Hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis effundetur.* 5.530.46
Ibid. *Orate, ne intretis in tentationem.* 5.206.275
Ibid. *Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* 5.130.90

Ex Marco.

Ultim. *Domino cooperante.* 5.503.162

Ex Luca.

1. *Ave gratia plena.* 6.201.3
Ibid. *Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam ſcientiam populo ejus.* 5.437.4
6. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinu veſtro.* 6.509.19
11. *Beatus venter, qui te portavit.* 6.466.47
13. *Si pœnitentiam non feceritis, omnes ſimul peribitis.* 6.388.16
23. *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* 5.519.44

Ex Joanne.

1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* 6.233.41
Ibid. *Lex per Moyſem data eſt: gratia per Chriſtum facta eſt.* 5.238.15
3. *Et fiet in eo fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam.* 5.201.261
Ibid. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* 5.6.14
5. *Pater meus uſque modo operatur.* 5.480.109
6. *Omnis, qui audivit à patre, & didicit, venit ad me.* 5.54.174
Ibid. *Hoc opus Dei ut credatis.* 5.239.17
8. *Si vos filius liberavit, verè liberi eſtis.* 6.222.20

13. *Vos*

Digitized by Google

Cap. 13. *Vos mundi eſtis.* 6.201.3
14. *Qui diligit me, mandata mea ſervabit.* 5.129.90
Ibid. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* 5.6.14
Ibid. *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum* 5.237.12
15. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum.* 5.239.17.& p.284.n.106.& p.519.n.14
Ibid. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* 5.369.9
Ibid. *Sine me nihil poteſtis facere.* 5.53.173
Ibid. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis.* 6.503.1
17. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi.* 5.531.47

Ex Actis Apoſtolorum.

Cap. 2. *Factus eſt repentè de cælo ſonus advenientis ſpiritus vehementis.* 6.454.18
4. *Convenerunt in civitate iſta adverſus puerum tuum Ieſum Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſraël facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt facere.* 6.87.184
7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* 5.513.6
14. *Nos mortales ſumus annuntiantes vobis converti ad Deum, qui fecit cœlum, & terram, & quidem non ſine teſtimonio ſemet ipſum reliquit dans de cœlo pluvias.* 5.98.2

Ex Epiſtola ad Romanos.

Cap. 4. *Invincibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* ibid.& p.237.n.12
2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* 5.105.22. & 107. 28. & 166. 179.& 242.22
Ibid. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* 5.175.197
3. *Cauſati ſumus Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe.* 5.158.163
Ibid. *Qui diligit proximum, legem implevit.* 5.165.185
Ibid. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* 5.175.197
Ibid. *Unus eſt Deus, qui juſtificat.* 6.187.1
4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundum debitum.* 6.567.3
5. *Inimici cum eſſemus, reconciliati ſumus Deo.* 5.360.2
6. *Nunc verò liberati à peccato, ſervi facti eſtis Deo.* 6.222.20
Ibid. *Exiſtimate vos mortuos eſſe peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* ibid.
7. *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* 6.217.10
8. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* 5.6.14
Ibid. *Quia & ipſa natura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* 5.19.62
Ibid. *Qui ſpiritu Dei aguntur.* 5.54.173
Ibid. *Si filij Dei, & hæredes.* 5.371.28
Ibid. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* 5.437.5
Ibid. *Nihil damnationis eſt in his, qui ſunt renati in Chriſto Ieſu.* 6.217.10.& 222.20.& 249.75
Ibid. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* 5.529.43
Ibid. *Ipſe Spiritus teſtimonium reddidit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* 6.207.13
9. *Voluntati ejus quis reſiſtet?* 6.61.128
Ibid. *Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?* 5.305.150
10. *Non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* 5.297.135
11. *Si autem gratia jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* 5.2.1.& p.296.n.133
Ibid. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei.* 5.507.167

Ex Epiſtola ad Corinthios 1.

Cap. 2. *Quæ ſunt Dei, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* 5.102.12
3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* 5.362.6
Ibid. *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* 5.437.7
4. *Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me Dominus eſt.* 5.181.208
Ibid. *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 5.298.137.& 6.8.17
6. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* 6.222.20
7. *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis.* 5.19.62
Ibid. *Quod vult, faciat.* 6.96.203
9. *Si volens hoc ago, mercedem habeo.* 6.478.7
10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 6.549.107
Ibid. *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana: fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* 5.200.258.& p.206.n.275
12. *Unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, &c. Hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus dividens ſingulis prout vult.* 5.5.8
15. *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* 5.53.162
Ibid. *Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* 6.535.66

Ex Epiſtola ſecunda ad Corinthios.

Cap. 1. *Qui unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit nobis pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* 5.362.5
2. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* 6.524.33
3. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* 5.309.174
Ibid. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 5.53.172
4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris.* 6.227.30
Ibid. *Momentaneum hoc, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in cœlis.* 6.509.19
5. *Unus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* 5.529.43
Ibid. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit per Ieſum Chriſtum.* 5.360.2
6. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras.* 6.249.76

Ex Epiſtola ad Galatas.

Cap. 1. *Cùm placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit me per gratiam ſuam.* 6.17.35
3. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* 5.158.163
5. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, &c. ſed fides, quæ per charitatem operatur.* 6.503.1

Ex

Digitized by Google

Index Locorum Sacræ Scripturæ.

Ex Epiſtola ad Epheſios.

1. *Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem.* 5.8.21

2. *Gratis eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* 5.196.133

5. *Surge, qui dormis.* 5.505.168

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

1. *Omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* 6.318.216

2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere.* 5.269.69. & p.501.n.156

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

1. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* 6.222.20

4. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* 6.324.227

Ex Epiſtola ad Theſſalonicenſes.

2. *Voluimus venire ad vos ſemel, & iterum, ſed impedivit nos Satanas.* 5.274.79

Ex Epiſtola prima ad Timotheum.

2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* 5.532.40

Ex Epiſtola ſecunda ad Timotheum.

2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* 6.478.7

Ex Epiſtola ad Titum.

3. *Eramus aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, &c. ſed ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus ſancti, quem effudit in nobis abundè, ut juſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* 6.227.30

Ex Epiſtola ad Hebræos.

11. *Accedentem ad Deum oportet credere.* 5.239.17

12. *Habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo.* 5.361.5

13. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono.* 6.16.32

Ex Jacobi Epiſtola.

2. *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* 6.524.35

Ibid. *Quicumque totam legem ſervavit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* 6.226.27

Ex Epiſtola ſecunda Petri.

1. *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Jeſu Domini noſtri: quomodo omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria, & virtute: per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* 5.377.43. & 6.230.35

Ex Epiſtola prima Joannis.

1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato.* 6.222.20

2. *Hæc ſcribo vobis, ut non peccetis.* 5.168.182. & p.194. n.244

3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus.* 5.394.73

Ibid. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam.* 6.222.20

Ibid. *Omnis qui in Deo manet, non peccat.* 6.249.75

8. *Si vos filius liberavit, verè liberi eſtis.* 6.222.20

13. *Qui habet hanc ſpem, juſtificat ſe.* 6.388.14

Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet. 6.361.300

Ex Apocalypſi.

1. *Lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* 6.222.20

Ibid. *Memento, unde excideris, & age pœnitentiam.* 6.389.16

21. *Vidi Hieruſalem novam deſcendentem de cœlo quaſi ſponſam ornatam viro ſuo.* 5.421.138

22. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* 6.222.20

COLLEGIJ.

Digitized by Google

TRACTATUS XIV.

DE

GRATIA DEI.

PROOEMIVM.

POST peccatorum notitiam, quam Volumine præcedenti fusè tradidimus, ſuccedebat juxta methodum D. Thomæ Legum conſideratio, de quibus diſputat S. Doctor à *quæſt.* 90. uſque ad *quæſt.* 108. incluſivè. Sed hanc Theologiæ partem prætermittere nobis viſum eſt: Tum quia Moralis potiùs cenſetur, quàm Scholaſtica: Tum quia illi operam jam dederunt hujus Collegij Lectores in Curſu Theologiæ Moralis: Tum quia præcipuam notitiam, quæ in ea parte poſſet deſiderari, non parum ſubminiſtrat Tractatus de peccatis. Unde relictis legibus, ad Legem gratiæ, ſive ad gratiam, quæ eſt legum apex, conſummatio, & robur, progreſſum facere oportet. Diſſerit autem D. Thomas de hac materia, à *quæſt.* 109. uſque ad *quæſt.* 114. incluſivè, ubi partem primam ſecundæ partis Summæ Theologicæ abſolvit: cujus veſtigiis uſque ad eam metam hoc Volumine inſtare curabimus. In repræſentandis verò præſentis Tractatus nobilitate, utilitate,& difficultate ſupervacaneum eſt morari lectorem: nam quæ de Divina Gratia per totum opus, & præcipuè *diſp.* 1. *&* 4. proferemus, ejus excellentiam præconis inſtar commendant. Et licèt nos tantæ rei pares minimè cenſeamus, poſſemuſque horrorē difficultatum hîc, ſi alicubi, imminentium gradum referre; ipſius tamen adjutorio in ſpem ingentem erigimur, ut non formidemus hoc adoriri opus, & conſiderationi incumbere nobiliſſimæ. Gratia enim pauperes locupletat, cæcutientes illuminat, inermes armat, idiotas inſtruit, timidos roborat, & cunctos ad magna quæque vires, arteſque ſuperantia, ſolicitat, ac perducit. *Gratia*, aiebat D. Chryſoſtomus Hom. 40. in Joann. *cùm menti illapſa eſt, eamque irrigarit, omni fonte uberiùs ſcaturit, nunquam deficit, nunquam vacuatur, nunquam ſtat. Simul autem ejus indeficientem copiam, & incredibilem operationem, & fontes, & fluvios Dominus appellavit.* Et Joan. 4. *Salientis pro inundantis poſitum eſt. Quod facilè quivis deprehendere poterit, ſi Stephani ſapientiam, Petri linguam, Pauli vim conſideraverit. Quo pacto nihil eos extulit, nihil dejecit, non populorum furor, non tyrannorum perſecutiones, non dæmonum inſidiæ, non quotidianæ mortes: ſed more fluminis vehementi lapſu delati omnia trahentes evaſerunt. Igitur gratiæ auxiliis felicem progreſſum & finem fidenti animo concredentes, ejus notitiæ comparandæ incunctanter accingimur.*

QUÆSTIO CIX.

De exteriori Principio humanorum Actuum, ſcilicet de Gratia Dei, in decem Articulos diviſa.

Titulus quæſt. exponitur. CIRCA titulum hujus Quæſtionis dubitatum eſt ab aliquibus, cur Divus Thomas gratiam appellet principium exterius humanorum actuum, cum reverà ſit forma intrinſeca, & nobis inhærens? Ad quod breviter reſpondetur potuiſſe illam ita appellare, vel quia eſt extra, ſeu ſupra omne debitum, & exigentiam naturæ ſubjecti illam recipientis: vel quia loquebatur de gratia non ſecundùm ſe præcisè ſumpta, ſed unà cum ſuo principio operante per illam, quod eſt Deus, & ex hac parte potuit inter principia exteriora, ſeu quæ ab extrinſeco proveniunt, numerari. Et fortè ille *D. Thom.* titulus non fuit à D. Thom. ita diſpoſitus: ſed ut ſub eo ſtatim ſequitur: *De exteriori principio humanorum actuum, ſcilicet de Deo, prout ab ipſo per gratiam adjuvamur ad rectè agendum, &c.* Sub hac enim verborum forma promiſſus fuerat à S. Doctore præſens Tractatus de Gratia, unà cum tractatu de Legibus, ſuprà, initio quæſtionis 90. ubi ait: *Conſiderandum eſt de principiis exterioribus actuum.* Et ſtatim: *principium autem exterius movens ad bonum eſt Deus, qui & nos inſtruit per legem, & juvat per gratiam.* Satis ergo veroſimile eſt (id quod Vaſquez, Monteſinos, Lorca, & Joannes à S. Thoma jam obſervarunt) titulum præſentis quæſtionis non aliter quàm ut ſuperiùs promiſerat, adeóque juxta verba modò relata, fuiſſe à D. Thoma illi præfixum: Amanuenſium verò, aut alicujus alterius rem minùs capientis, errore, vel incuria, prout modò jacet, appanuiſſe in editionibus, quas habemus.

Vaſquez. Monteſinos. Lorca. Joann. à S. Thom.

Diviſio Materiæ. Circa diviſionem hujus materiæ, quam D. Th. præmittit nota, tertiam ejus partem de gratiæ effectibus conſtituere duos alios tractatus, ſcilicet, de Juſtificatione, & de Merito, qui ob proprias, & ſpeciales difficultates quibus abundant, ex Theologorum jam uſu à communi tractatu de Gratia diſtinguuntur, & ſeorſim agitatur. Reducti tamen fuerunt ad illum ab Angelico Doctore, quia tàm juſtificatio, quàm meritum ſunt effectus ipſius gratiæ: & ex hoc capite ad eandem doctrinam pertinent. Unde & omnibus deſervient principia quædam, quæ hîc, ante ſpeciales gratiæ quæſtiones in articulis D. Thomæ contentas, ad rectam, & facilem earum intelligentiam, neceſſe eſt præmittere: Pro quibus erit.

DISPUTATIO PRIMA PROOEMIALIS.

CUM in omnibus Theologiæ tractatibus utile eſſe ſoleat ante præcipuas eorum difficultates aliqua præmittere, quæ dicendorum intelligentiæ viam aperiant: in hoc de Divina gratia, id non modò utile, ſed & neceſſarium omninò viſum eſt: quia niſi multorum notitia præcedat, difficile erit in ſequentibus æquivocatione, vel obſcuritate ſæpè non laborare. Quas ne incurrerent graves Theologi, hoc ipſum opere obſervarunt Dominicus Soto *lib. de natura & gratia.* Didacus Alvarez *ad libros de Auxiliis*, & latius Franciſcus Suarez *tom. 1. de gratia per ſex Prolegomena diffuſa, & erudita.* Et ſanè quæ in aliis materiis pro acquirenda prævia iſta notitia brevi præludio comprehendi poſſunt, in hac de divina gratia integra, & non brevi egent diſputatione. Quam nos, omiſſis dubiorum titulis, quibus in cæteris utimur, in capita ſecabimus: quia quæ expedienda ſunt ſaltem majori ex parte, non litigio, aut diſceptatione, ſed vera, & ſimplici propoſitione, legitimaque declaratione opus habent. *Dominicus Soto. Alvarez. Suarez.*

CAPUT PRIMUM.

De nomine, variiſque acceptionibus, & diviſionibus Gratiæ.

§. I.

Nomen, & acceptiones Gratiæ exponuntur.

1. NEmo eſt qui neſciat gratiam inde dictam, quia gratis donatur: hoc eſt nullo præeunte titulo, jure, aut opere ex parte recipientis, pro quo ſit debita. Ob idque dixit Apoſtolus Romanor. 11. *Si autem gratia jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* Et cap. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non computatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Quia nimirum ita eſt de conceptu gratiæ abſque prædicto titulo, jure, aut opere, adeóque gratis & ſponte donari, ut eo ipſo quod aliter conferatur rationem gratiæ amittat. Quocirca D. Aug. Pſal. 144. relatis ex Apoſt. ad Roman. 10. verbis illis, *gratia ſalvi facti eſtis*, inquit: *Ubi audis gratiam, gratis intellige: ſi ergo gratis, nihil tu attuliſti, nihil meruiſti: nam ſi meritis aliquid redditum eſt, merces eſt, non gratia.* Ex hac autem gratiæ etymologia ortæ ſunt variæ ejus acceptiones, quas D. Thom. infra quæſt. 110. art. 1. enumerat, earúmque ordinem declarat his verbis: *Secundùm communem modum loquendi tripliciter gratia accipi conſuevit. Uno modo pro dilectione alicujus: ſicut conſuevimus dicere, quod iſte miles habet gratiam regis, id eſt, rex habet eum gratum. Secundò ſumitur pro aliquo dono gratis dato: ſicut conſuevimus dicere: Hanc gratiam facio tibi. Tertio modo ſumitur pro recompenſatione beneficij gratis dati, ſecundùm quod dicimus agere gratias beneficiorum. Quorum trium ſecundum dependet ex primo: ex amore enim, quo aliquis habet alium gratum, procedit, quod aliquid ei gratis impendat. Ex ſecundo autem procedit tertium: quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio conſurgit.*

Gratia nomen. Ad Rom. 11. D. Auguſt. D. Thom. Acceptiones.

2. Omnes iſtæ gratiæ acceptiones ſunt ſatis uſitatæ in Scriptura; nam juxta primam loquitur, quoties

Digitized by Google

ait aliquem inveniſſe gratiam apud Deum, ut de Noë Geneſ. *cap.* 6. de Abraham *cap.* 12. & *cap.* 18. 19. & 30. de Moyſe *Exod.* 33. & 34. *Numer.* 11. & 32. & *Deuter.* 24. & alibi de aliis. Secunda frequentius uſu venit in Novo Teſtamento: præſertim apud Paulum, in cujus Epiſtolis nihil ita repetitum invenies ſicut nomen gratiæ ſumptum pro dono, quod nobis à Deo gratis confertur. Sed & tertia ſcilicet pro gratitudine, ſeu gratiarum actione ita crebrò apud eum, & ſacros alios ſcriptores invenitur, ut ſuperfluum ſit loca adnotare. Cæterùm hæc tertia acceptio non ſervat gratiæ etymologiam: quia gratiarum actio non gratìs donatur; ſed redditur jam debita pro gratia, & beneficiis priùs acceptis. Et ideo reductivè duntaxat, & impropriè dicta eſt gratia; quatenus ex gratiæ collatione conſurgit: de qua eſt illud Sophoclis *Gratia gratiam parit*: quia collatio beneficij gratitudinem poſtulat.

Alia acceptio. 3. Atque hujuſmodi etiam eſt acceptio alia, non inſolens, neque in ſacris Litteris neque in humanis: ubi multoties dicitur gratia aliqua proprietas vel conditio perſonæ amatæ, qua placet, ſibique amorem & benevolentiam conciliat: ſicut oculorum pulchritudo, corporis venuſtas, ſermonis elegantia, & alia hujuſmodi. Quo ſenſu
Proverb. 31. dicitur Proverb. 31. *Fallax gratia, & vana eſt*
Eccleſ. 6. *pulchritudo.* Eccli. 6. *Lingua eucharis*, (hoc eſt,
Pſalm. 44. *bene grata, ſeu gratia*) in bono homine abundat, & Pſalm. 44. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*: & alibi ſimilia. Quia enim dona, quæ Deus gratìs confert, reddunt illi hominem gratum & acceptum; extenſum eſt gratiæ vocabulum ad ea omnia, per quæ objecta, quæ diligimus, grata & amabilia fiunt; quamvis ea ipſis neque gratìs, neque ſæpè ullo modo donemus. Ut
D. Thom. enim notavit D. Thomas *loco cit.* hoc verſatur diſcrimen inter amorem creatum, & divinum, quòd amor creatus non facit totum bonum, quod amat, ſed ſupponit ſaltem aliquid ejus in objecto: non enim eſt amor præcisè effectivus, ſed affectivus, qui ab objecto movetur. Amor verò divinus erga creaturas eſt tantùm effectivus, & non affectivus (ut nos alibi oſtendimus) ob idque nihil in eis ſupponit, quo afficiatur, & moveatur ad diligendum: ſed diligendo, & amando, tribuit totum quod amat. Hinc ergo, quia Deus amando gratìs tribuit id ipſum quod amat; & per id quod gratìs tribuit, reddit ſibi objectum, quod amat, gratum & amabile; ortum habuit, ut gratia dicatur quidquid objectis amabilitatem confert, ſive ſit donum gratuitum, ſive acquiſitum, vel naturale. Ex quo patet acceptionem hanc gratiæ, quamvis non parùm uſitatam, abuſivam etiam eſſe, & valde impropriam.

In qua acceptione gratia pertineat ad hunc tract. Quāvis autem in diſputationibus hujus Tractatus fiet non ſemel mentio gratiæ ſecundùm quamlibet prædictarum acceptionum; non tamen omnes directè, & per ſe ad illum pertinent. Nam prima potiùs ſpectat ad Tractatum de Prædeſtinatione, in quo multa quæruntur de amore, & dilectione Dei erga prædeſtinatos, & de eorum electione ad gloriam ante prævisa merita: quæ omnia *in prædicto Tract.* examinavimus. Tertia etiam habet proprium locum 2. 2. *q.* 106. quæ eſt de virtute gratitudinis, de qua diximus *in tract. de Virtutibus, in arbore prædicam. à numero* 81. Quarta autem nullam materiam determinat, ſed vagatur per omnes, & nullibi ſpecialem difficultatem ingerit. Sola ergo ſecunda accceptio, juxta quam gratia ſumitur pro dono ſeu beneficio gratìs à Deo nobis conceſſo pertinet per ſe ad præſentem tractatum, & ejus materiam conſtituit.

4. Sed obſerva hanc ipſam gratiæ acceptionem poſſe latiùs & ſtrictiùs uſurpari: nam beneficia à Deo nobis collata diverſa ſunt, & non æque in omnibus ratio doni gratuiti ſplendet. Si igitur latiùs prædicta acceptione utamur; comprehendit omnia bona, quæ Deus creaturis, præſer- *Gratia ſumpta pro quolibet beneficio.*
tim rationalibus tribuit, etiam ipſam ſubſtantiam, & naturam, naturaleſque ejus proprietates, accidentia & concurſus: quia cùm hæc omnia ſine aliquo merito noſtro, ſed ſola Dei voluntate, & liberalitate conferantur, non improbanda ratione gratia dici poſſunt. Atque hinc ortum habuit diſtinctio illa gratiæ penes naturalem & ſupernaturalem, qua antiquiores aliqui Theologi uſi
ſunt, Bonaventura *in* 2. *diſt.* 4. *art.* 1. *q.* 2. Ri- D. Bonav.
cardus *ibidem, art.* 1. *q.* 1. Gabriel *q.* 1. *art.* 1. & Richardus. Gabriel.
alij comprehendentes ſub membro naturam rerum creatarum, & naturalia omnia quæ ſuapte conditione exigit; ſub poſteriori verò dona ſupernaturalia, quæ omnino ſunt ſupra talem exi-
gentiam. Imò D. Auguſtinus diſtinxit non ſe- D. Auguſt.
mel prædictas gratias: & primam appellavit *gratiam creationis*; quia creatio eſt primum beneficium, cui cætera naturalia veluti adjiciuntur: ſecundam verò *gratiam Redemptionis, Prædeſtinationis*, aut *juſtificationis*: quia ad hæc beneficia omnia quæ ſunt ſupernaturalis ordinis, referuntur. Ita habet ſuper Pſ. 144. ubi inquit: *Diſcite gratiam, intelligite gratiam. Nos antequam eſſemus, omnino non eramus, & facti ſumus homines, cùm ante nihil eſſemus. Deinde jam ipſi homines ex traduce illius peccatoris & maligni eramus: attendamus ergo gratiam Dei, non ſolùm qua fecit nos, verùm etiam, qua refecit. Cui ergo debemus, quia ſumus, illi debemus, quia & juſtificati ſumus.* Et Epiſtola 95. quæ eſt ad Innocentium Papam, ſic ait: *Etſi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati ſumus, ut non nihil eſſemus, nec ita eſſemus aliquid, ut cadaver quod non vivit, & arbor quæ non ſentit, aut pecus, quod non intelligit, ſed homines, qui & eſſemus, & viveremus, & ſentiremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio creatori noſtro gratias agere debemus; unde merito, & iſta gratia dici poteſt, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt: alia eſt tamen, qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur; ut dicere poſſemus: Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et eodem modo
loquitur D. Hieronymus *epiſt.* 134. & *dialog.* 1. D. Hieron.
contra Pelagium, & loquuntur alij: de quo vi- Soto, Suar.
deri poteſt Soto *lib.* 1. *de natura, & gratia, c.* 2. & Suarez *tom.* 1. *Proleg.* 3. *cap.* 2.

5. Neque obeſt, ſi dicas Auguſtinum, & alios *Objectio ex Auguſtino.*
Patres qui pro Divina gratia contra Pelagium dimicarunt, reprehendiſſe illum, quòd eo nomine dona naturæ, & naturam ipſam, ejuſque naturalem libertatem, & arbitrium intelligebat, ut hac ſaltem via gratiam confiteri videretur: ergo juxta illorum doctrinam non rectè naturæ dona nomine gratiæ
inſigniuntur. Reſpondetur enim Pelagium non *Diluitur.*
ideò à Patribus reprehenſum, quòd dona naturæ gratiam nuncuparet, ſed quia ſub gratiæ nomine nihil præter prædicta naturalia dona agnoſcebat. Et quia cùm quæſtio eſſet de gratia ſupernaturali, quam Chriſtus omnino ſupra exigentiam naturæ nobis promeruit, & per quam homines ad vitam æternam vocantur, juſtificantur, & amici Dei atque hæredes ejuſdem vitæ æternæ conſtituuntur; Pelagius nullam hujuſmodi gratiam voluit confiteri putans naturam ipſam ſemel à Deo creatam, & conſervatam ſufficere ſibi ad peccata vitanda, & vitam æternam promerendam:

cúmque ab Auguſtino, & aliis ſacræ Scripturæ teſtimoniis regeretur verbo invidiam frangens confugiebat ad prædicta naturalia dona, & ea *gratiam* nuncupabat. Propter iſtum ergo errorem, non verò quia uteretur ſupradictâ diſtinctione, reprehenſus fuit. Ut conſtat ex eodem

D. Auguſt.

D. Auguſtino epiſt. cit. ubi poſt verba illa, quæ retulimus, *Alia eſt gratia, quâ prædeſtinati vocamur, juſtificamur, &c.* ſubdit: *De hac gratia quæſtio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius graviter offendebat, atque turbabat, dicebatur ei, quod eam ſuis diſputationibus oppugnaret, quibus aſſereret non ſolùm ad facienda, verùm etiam ad perficienda mandata divina per liberum arbitrium humanam ſibi ſufficere naturam. Hanc Apoſtolica doctrina gratiam iſto nomine appellat, quâ ſalvamur, & juſtificamur ex fide Chriſti. Cum itaque de hac gratia Chriſtianis fidelibus catholicíſque notiſſima illi objiceretur quæſtio, ut eam oppugnare deſineret, quid eſt quod cum hac ſibi in libro ſuo velut adverſante perſona idem ipſe objeciſſet, ut ſe reſpondendo purgaret, nihil aliud reſpondit, niſi naturam creati hominis referre gratiam creatori: atque ita ſe dicere ſine peccato implere poſſe juſtitiam per liberum arbitrium cum adjutorio divinæ gratiæ, quod Deus hoc dederit ipſa poſſibilitate naturæ?*

Gratia ſtat ſpecialiter pro ſolo dono ſupernaturali.

6. Ex quibus liquet conſultiùs nos agere non jam utendo prædictâ gratiæ diſtinctione, ſed ſoli ſupernaturali (niſi ſubjecta materia aliud poſtulet) nomen gratiæ tribuendo. Tum quia ita præſtitit ipſe D. Auguſtinus cujus veſtigiis per omnia nobis inhærendum eſt. Licèt enim aliquando prædictum nomen ad naturam & naturalia dona extenderit, non tamen ſimpliciter, ſed cum aliquo addito, & limitatione eam gratiam nuncupavit, ut conſtat ex illis verbis: *Etſi quadam non improbanda ratione dicitur gratia, &c.* gratiam verò abſolutè dictam ubique ſuorum operum contra naturam diſtinxit, præſertim *in lib. de naturâ & gratiâ, de lib. arbit. & aliis.* Conſultius ergo & nos ita loquemur. Præſertim cùm hic modus loquẽdi congruat multò magis S. Scripturæ: in qua cùm gratiæ nomen frequentiſſimum ſit pro gratia juſtificationis, & donis ſupernaturalibus; rariſſimè tamen, aut fortè nunquam accommodatur creationi, vel conſervationi rerum naturalium, aut perfectionibus debitis naturæ: ut obſervavit idem Auguſtinus epiſt. cit. ubi ſic ait: *Illam verò gratiam, quâ creati ſumus homines, etiamſi ita appellandam non immeritò intelligimus; mirum eſt tamen, ſi ita appellatã in ullis legitimis Propheticis Evangelicis, Apoſtolicíſque literis legimus.*

D. Auguſt.

Gratia diſtinguitur contra naturam.

Tum etiam quia cùm gratia in hac acceptione importet donum gratis alicui collatum; ex ipſa vocis proprietate excludit à ſua ſignificatione & naturam, cui confertur, & quidquid poteſt eſſe debitum tali naturæ. Naturam quidem excludit, quia donum cùm confertur, ſupponit rem cui fit donatio; cùm nihil donetur ſibiipſi, ſed alteri: & cùm natura ſit primum, quod in rebus ſupponitur, neceſſariò debet diſtingui à quovis dono illi collato, uti eſt gratia. Illa verò quæ naturæ debentur, ex ipſo debito excludũtur à conceptu gratiæ: quia ſi debentur non gratis conferuntur. Inter hæc autẽ numerari debent non ſolùm proprietates, & accidentia dimanantia ab ipſa natura; ſed etiam generales Dei concurſus, & auxilia communia naturalis ordinis, ſive ſufficientia, ſive efficacia, quæ Deus hominibus præſtat tanquã ipſis connaturalia, ſeu tanquam ex principiis, & inſtitutione naturæ, & naturalis providentiæ petita, & habenda, ſive in omnibus individuis, ſive ſolũ in aliquibus: ſufficit enim quod debeantur ſpeciei, ut rationẽ gratiæ amittant: de quo plura dicemus *diſp. ſeq. dub. 1. & 2.* Sub nomine ergo gratiæ in præſenti ea duntaxat intelligẽda relinquuntur, quæ important aliquod gratuitum Dei donum, & beneficium ſuperans ordinem, inſtitutionẽ, & exigẽtiam naturæ, proindeq; non illi debitũ, ſed gratis, & ex ſpeciali Dei benevolentia exhibitũ: qualia ſunt omnia dona ſupernaturalia. Ita enim utitur gratiæ nomine Eccleſia in ſuis determinationibus, & utuntur SS. Patres ſacra Concilia, & cõmuniter Theologi, ut Pelagij errorẽ rejiciant.

Specialior gratia acceptio.

7. Obſervant tamen poſſe adhuc diſtingui: nam aliquando prædicta dona excedunt totũ naturæ ordinem, eo quòd ſunt ſupra debitum, & exigentiam cujuſlibet naturæ creatæ, vel creabilis: & hæc ſola dicuntur abſolutè, & ſimpliciter dona ordinis gratiæ: ſuntque abſolutè & ſimpliciter ſupernaturalia, ſeu propria ſolius Dei, & divini ordinis. Aliquãdo verò ſunt ſupra hanc, vel illam naturam, cui conferuntur, non verò ſupra totã naturam, quia datur aliqua creata, vel creabilis ſupra cujus exigentiam non ſint: ſicut modus intelligendi ſine diſcurſu & corporis incorruptibilitas ſunt ſupra naturam hominis; & ideò reſpectu hujus poſſunt dici ſupernaturalia: non autem prædictus modus intelligẽdi eſt ſupra naturam Angeli, neque prædicta incorruptibilitas eſt ſupra naturam Cæli. Unde talis ſupernaturalitas ſolum eſt ſecundùm quid, & cum addito, nimirum reſpectu talis, vel talis naturæ, ſimpliciter verò ad naturalem ordinẽ ſpectat. Immò quædam ſunt, quæ adhuc ipſam naturã, cui tribuuntur, non excedunt, ſi conſiderentur quantum ad ſubſtantiã, & ſpeciem; ſunt tamen quantum ad modũ ſuæ effectionis ſupra ordinẽ naturæ, & ſupra communem, & generalem providentiam: ut ſanitas miraculosè reſtituta infirmo, viſus redditus cæco nato, & ſimilia miracula. Quæ proinde ſolum ſecundũ quid, ſeu quantũ ad modũ dicuntur ſupernaturalia: eodémq; pacto ſub gratiæ appellatione comprehenduntur.

§. II.

Aliquæ gratiæ diviſiones recenſentur.

Gratia dividitur in increatam, & creatam.

8. **P**Oſtquam aperuimus proprium gratiæ ſignificatum, ſub quo conſtituit objectum hujus materiæ, ſupereſt, ut ejus diviſiones, & mẽbra rudi Minerva explicemus: ex profeſſo enim id agẽdum eſt *infrà q. 111.* quam D. Th. pro hoc munere inſtituit. Prima ergo & generaliſſima diviſione bipartitur gratia in increatã, & creatam. Circa quam partitionẽ eſt nonnulla difficultas quoad primũ ejus membrum: quia non ita conſtat, an & quo pacto illud, quod eſt increatum importet rationem doni, & dati in ipſo gratiæ nomine incluſam; ac proinde vera & propria appellatione gratia nuncupetur: De quo agemus §. ſequenti.

D. Thom.

Diviſiones gratiæ creatæ.

Gratia verò creata communi, & celebriori diviſione ſubdividitur in gratiam ſanctificantẽ; ſeu gratum facientẽ, illam nimirùm quæ per ſe ordinatur ad ſanctificationem proprij ſuppoſiti: & in gratiam gratis datam, ſeu quæ per ſe tendit ad aliorum utilitatem. Quamvis enim de ratione omnis gratię ſit, ut gratis conferatur; ex uſu tamen hoc complexum applicatum eſt quibuſdã gratiis minoris excellentiæ, ut propria earũ nomenclatura (ſicut nomen generis applicari ſolet tanquam proprium ſpeciei imperfectiori) ut detur intelligi majorẽ rationem gratiæ in illis repertã in eo ſitam eſſe, quod gratis donentur. Sunt autem hujuſmodi perfectiones, & chariſmata quædam, quæ Deus in Eccleſia aliquibus perſonis communicat, non tam ut ipſæ juſtificentur, & perficiantur, quam ut aliis proficiant ad eorumque

Gratia gratis data.

juſtifi

Digitized by Google

juſtificationem,& perfectionem cooperentur. Ob idque ab Apoſt. 1.Cor.c. 12. vocantur *manifeſtationes ſpiritus ad utilitatem:* aſſignatúrque earum numerus his verbis: *Unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ:alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum:alteri fides in eodem ſpiritu:alij gratia ſanitatum in uno ſpiritu:alij operatio virtutũ:alij Prophetia:alij diſcretio ſpirituũ: alij genera linguarum:alij interpretatio ſermonum. Hæc autẽ omnia operatur unus atque idem ſpiritus dividẽs ſingulis prout vult.* Ex quo & aliis ſcripturæ locis D.Th.& cæteri Theologi dividunt genus gratiæ gratìs datæ in novem ſpecies,nempè Fidem, ſermonem ſapientiæ, ſermonem ſcientiæ,Gratiam miraculorum, Gratiam ſanitatum, Donum linguarum, Prophetiam, Diſcretionem ſpirituum, & interpretationem ſermonum : De quibus egimus *tom. 3. in arbore prædicamentali virtutum*, earúmque rationes, & munia explicuimus.

D. Thom.

9. Aliæ verò excellentiores gratiæ,etiamſi gratìs conferantur, non indè tamen,ſed ex proprij rationibus, & effectibus nomen accipiunt:& quia primariò tendũt ad proprium ſuppoſitũ ſanctificandũ, & gratum Deo reddendum gratiæ ſanctificãtis vocabulo inſigniuntur.Sed obſervãdum eſt hujuſmodi nomen ſive cõplexum gratię ſanctificantis ſumi multoties omnino ſtrictè:& tunc ſolũ deſignat illã formã,quæ immediatè,& formaliter expellit peccatum,ſanctificat animã,redditq; illam Deo gratã, & naturæ Divinæ participem; eſtque una ſimplex qualitas habitualis, & permanens in ſpecie atoma conſtituta,ut infra *diſp. 5*.conſtabit. Unde ſic accepta non eſt capax ulterioris diviſionis ſaltem eſſentialis:quãvis accidentaliter,ſeu penes diverſos modos, vel ſtatus diviſionem admittat, ut infra etiam declarabitur. Poteſt etiam ſumi largè,& minùs propriè pro qualibet perfectione ſupernaturali, quæ per ſe ordinatur ad perficiendum, & ſanctificandũ proprium ſuppoſitum,ſive formaliter,ſive diſpoſitivè,aut quovis alio modo ad id tendat. Et hoc pacto comprehendit plura,quorum non pauca ſpecie differunt;omnia autem breviter hìc recenſebimus.

Gratia ſanctificans, & ejus diviſiones.

10. Dividitur ergo primò prædicta gratia in illam,quæ immediatè,& per ſe ordinatur ad dandum eſſe ſupernaturale,& in eam quæ per ſe ordinatur ad operationẽ,vel receptionem. Primum membrũ coincidit cum ipſa forma ſanctificãte pro qua ſtant ipſa nomina gratiæ ſanctificantis,& gratiæ gratum facientis, & etiã nomen gratiæ habitualis quoties abſolutè,& ſine addito proferuntur. Cúmque hæc gratia ſit una in ſpecie athoma,ut dicebamus,conſequenter eſt incapax ulterioris diviſionis eſſentialis. Secundum verò membrum continet omnes habitus,diſpoſitiones,& ſimilia,quibus diſponimur, movemur, aut potentes reddimur ad agẽdũ ſupra vires naturæ vel etiam ad recipiendum. Partiturq; rurſus in gratiam,quæ eſt qualitas permanens(qua ratione poteſt dici gratia habitualis,vel ad eam reduci)ſub qua continentur dona Spiritus S. virtutes per ſe infuſæ,& characteres aliquorum ſacramentorum:dividitúrq; ultimatè,ſicut ipſa dona,& virtutes dividuntur,Et in illam,quæ ſe habet per modum auxilij,vel motionis citò tranſeuntis,ſoletque appellari gratia actualis,vel gratia per modum auxilij. Quæ virtus aliquãdo eſt qualitas impreſſa potentiæ operativæ,ut moveatur,vel moveri poſſit ad agendum:aliquando verò eſt operatio à nobis elicita virtute alterius prioris gratiæ : quia ſæpè per unum actũ movemur ad alium eliciendum:& tunc primus habet rationem gratiæ, & auxilij reſpectu ſecundi. Illa igitur gratia,ſive auxilium,quod conſiſtit in actuali operatione,dividetur, ſicut dividitur ipſa operatio , vel ſicut dividitur effectus pro quo exhibetur. Quæ autem ſita eſt in qualitate,vel motione potentiis impreſſa,alia ſe habet per modũ actus primi ſeparabilis(ſaltem quantum eſt ex hoc capite) ab actu ſecundo:& alia per modum prædeterminationis , & applicationis efficacis ad ipſum actum,eſtque ab eo inſeparabilis. Et rurſus utraque diviſionem accipiet uſque ad ſpecies atomas, juxta diviſionem operationem pro quibus exhibentur:reducuntur enim hujuſmodi auxilia,& motiones ad ſpecies actuum pro quibus conferuntur.

Gratia habitualis & actualis.

11. Præter has gratiæ diviſiones,quas Logicus, & Metaphyſicus appellabit eſſentiales , aſſignant Theologi aliquas alias,iiſque frequentius utuntur, quæ vel eſſentiales non ſunt, vel ad prædictas reducuntur. Ut cùm dividitur gratia in *operantem*,& *cooperantem*:in *excitantem*,& *adjuvantẽ*,in *ſanantem*,*elevantem*, & *auxiliantem*:in *ſufficientem*, & *efficacem*:in *præveniẽtem*,*concomitantem*,& *ſubſequentem*:in *moralem*,& *phyſicam*: in *internam*, & *externam*,& hujuſmodi. Quarum perfecta notitia infra *diſp. 5*.quærenda eſt,ubi etiam conſtabit, an & qualiter prædictæ diviſiones , & earum membra inter ſe differant : modò verò ſufficiet nomina,& rationes breviter exponere.

Aliæ gratiæ diviſiones explicantur.

Dicitur itaque gratia *operans* illa,per quã mens noſtra movetur à Deo,& non movet:*cooperans* verò illa per quam & movetur,& movet. Gratia *excitans* dicetur illa,quę hominem quaſi dormientem, ſeu non attendentem evigilare, & attendere facit, tangendo cor,aut ſaltẽ mentem illuminando. Gratia *adjuvans* prout diſtincta ab excitãte,explicatur eodem ferè modo, ſicut gratia *cooperans* : nam eſt quæ tribuit libero arbitrio,ut actu operetur,& in operatione perſiſtat. Gratia *præveniẽs* vocatur,quæ tempore, vel natura præcedit uſum liberi arbitrij movetque illud,vel diſponit,ut operetur. Et poteſt etiã dici gratia *præparans*,ut loquitur multoties D. Aug. Continentur autẽ ſub iſta gratia non tantùm auxilia ſufficiẽtia,per quæ agere poſſumus,ſed etiã præmotiones,& prædeterminationes, quibus efficaciter ad agendum applicamur. Gratia *concomitãs* dici poteſt concurſus Dei ſimultaneus in operationem noſtram,ſeu omnis illa quæ ſimul cum libero arbitrio in actũ ejus influit. Gratia *ſubſequens* dici poteſt quęcunque ſupponit aliam gratiã,vel alium gratiæ effectum,ad quẽ conſequitur,& dicitur *ſubſequens* reſpectivè ad gratiã,vel effectum quæ ſupponit:unde eadẽ gratia,quæ eſt conſequẽs reſpectu unius,poteſt dici *antecedẽs* reſpectu alterius:niſi ſit prima gratia,quæ eo ipſo ad nullã aliã cõſequitur, vel ultimus effectus,qui omnia alia præſupponit.

Gratia operans & cooperans.
Excitans.
Adjuvans.
Præveniens.
D. Auguſt.
Concomitans.
Subſequens.

Gratia *phyſica* dicitur,quæ phyſico modo influit in actum,vel quia eſt principiũ ejus elicitum, vel quia eſt forma,vel motio conſtituens,elevans, aut applicãs tale principium. *Moralis* verò gratia dicitur,quæ non ita,ſed morali modo,hoc eſt,incitãdo, alliciendo,vel ſuadendo movet nos ad benè operãdum. Unde ſicut ſub gratia phyſica cõtinentur omnes habitus,auxilia,& motiones,quæ intrinſecè afficiunt animã, & ejus potentias, & illis inhærent; ita ſub morali cõprehendũtur omnia,quæ per modũ objecti,vel ex parte ejus(licet ſint actus intrinſeci,& potentiis inhærẽtes)concurrunt ad movendas ipſas potẽtias in ordine ad actus ſupernaturales: quo pacto ſe habent doctrina , quam audivimus, miracula,quę cernimus,& multæ cauſæ,& occaſiones,quæ ſenſibus objiciuntur;& ipſi actus interni, quibus hæc objecta cognoſcimus, & penetramus.

Phyſica, & moralis.

12. Coincidit verò ferè & magna ex parte cum iſta diviſione illa,quam ultimo loco nominavimus,

Interna & externa.

Digitized by Google

ſcilicet in gratiam *internam*, & *externã*: nam gratia *interna* comprehendit omnes illas, quæ intrinſecè afficiunt animã, & ejus potentias, præſertim ſpirituales: ſicut afficiunt habitus, motiones, & auxilia, quæ gratiã *phyſicam* appellavimus. *Externa* autem cõplectitur quidquid aliud nobis à Deo confertur in ordine ad ſpiritualem ſalutem: ut eſt externa ejus protectio, Angelorum cuſtodia, ſacra doctrina, Divina Lex, & cætera quibus inſtruimur: nec non reliquæ cauſæ, & objecta externa, quæ ſenſibus ſpecies tribuunt, mediis, quibus ad res divinas, & ſupernaturales animus excitatur: nec non effectus omnes Divinæ providentiæ ad finem ſupernaturalẽ ordinati, ſivè in generali pro univerſitate hominũ, ſivè in ſpeciali pro alicujus privatæ perſonæ ſpirituali ſalute. Undè, ipſa Chriſti Domini paſſio, redemptio ejus activa, & etiam ſacramenta, quæ nobis operata eſt, ſub hoc genere gratiæ externæ comprehenduntur: quia licet effectus juſtificationis, & ſanctificationis, qui inde nobis proveniunt ſint intrinſeci; ipſa tamen paſſio, ſacramenta, & redemptio activa extra nos ſunt, & rectè à prædictis effectibus, & gratiis nobis inhærẽtibus condiſtinguntur. Diviſio enim gratiæ penes internam, & externam non attẽditur abſolutè, ſed reſpectivè ad hominẽ cui gratia fit. Et quamvis omnis gratia fiat in ordine ad aliquam internam hominis perfectionẽ, per quã ſanctificetur, vel ad ſanctificationẽ diſponatur; nihilominus non omnis talis gratia interne hominẽ afficit, ſed multæ habent eſſe extra ipſum: ſicut multæ cauſæ ſunt extra ſubjectum ubi ſuos effectus cauſant: & ideò rectè dividitur gratia in internã, & externam. Sed hanc diviſionem, ſicut & præcedentem fuſiùs explicabimus *diſp. 5. dub. 1.*

Advertendum eſt tamen, non omnem gratiam, etiam ſi inhæreat homini, & ejus potentiis, æquè internè afficere ipſum: nam quæ immediatè inhæret animæ, vel potentiis ſpiritualibus, aut intellectui, & voluntati, intimior eſt illa, quæ inhæret potentiis ſenſitivis, & ideo facta collatione ad illam priorem, poſſet hæc poſterior numerari inter gratias externas: ut fit ab aliquibus. Simpliciter autem nominanda eſt gratia interna: quia intrinſecè afficit hominem mediis potentiis internis.

§. III.

Explicatur diviſio gratiæ in increatam, & creatam, nec non in temporalem, & æternam.

An detur gratia increata.

13. MAjorem difficultatem continet diviſio illa gratiæ in increatã, & creatam, quam primo loco memoravimus: nam videtur eſſe de ratione omnis gratiæ, quod ſit aliquid creatũ. Quamvis enim gratia ſumpta pro dilectione juxta primã acceptionem *n. 2.* explicatam comprehendat actus increatos, & hi potiſſimè in eo ſenſu gratia appellentur: juxta ſecundam tamen acceptionem ibidem traditam ſc. pro dono gratis à Deo nobis collato, prout nunc de ea loquimur, videtur importare aliquid imperfectionis, ratione cujus nõ poſſit Deo, aut ejus increatis perfectionibus competere. Nam videtur includi in conceptu doni ſubjectionem ad conferentem, & diſtinctionẽ, atque dependentiam ab illo: aut ſaltem videtur exigere, ut is, à quo confertur, habeat auctoritatẽ, & dominium ſuprà tale donum: immo, & quod ſicut antequã cõferatur, debebat eſſe illius à quo cõfertur, & in ejus poteſtate conſtitutũ; ita poſtquam collatũ fuerit, fiat ejus, cui tribuitur, & remaneat ſub ejus dominio, & poteſtate. Quæ omnia involvere videntur non parum imperfectionis in re, quæ donatur, tùm reſpectu donantis, tum etiam reſpectu recipientis.

Partis negativæ moti...

14. Nihilominus communis Theologorum ſententia tenet gratiam ſumptam etiam pro dono gratis à Deo collato, comprehendere ipſas divinas perſonas, & earum increatam perfectionem: atque adeò non omnem gratiam creatam eſſe, ſed rectè dividi in increatam, & creatam. Conſtat ita ex ſacra Scriptura ubi tã perſona filij, quã Spiritus ſancti dicuntur donari, ſeu dari nobis ex amore, & dilectione Dei: juxta illud Iſai. c. 9. *Filius datus eſt nobis*: & Joan. c. 3. *Sic Deus dilexit mundũ, ut filium ſuum unigenitum daret.* & c. 14. ait Chriſtus Dñs: *Ego rogabo Patrẽ, & alium Paraclitũ dabit vobis.* Quibus verbis apertè ſupponit, ſe eſſe Paraclitum, ſeu conſolatorẽ a Patre nobis datum; & alium etiã Paraclitum, ſc. Spiritum ſanctũ dãdum repromittit. Et ad Rom. 8. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quocirca D. Aug. lib. 12. de Trinit. non ſolum ait dari nobis dona increata, ſed etiam ipſam perſonã Spiritus ſancti, qui *donum Dei* per excellentiam appellatur. Et ſerm. 61. de verb. Domini: *Gratia Dei* (inquit) *donum Dei eſt: donum autẽ maximum ipſe Spiritus ſanctus eſt, & ideò gratia dicitur.* & D. Iſidorus lib. 7. Etym. c. 3. de eodem divino Spiritu loquens ſic ait: *Ipſe eſt gratia, quæ quia non meritis noſtris, ſed volũtate Divina gratis datur, inde gratia nuncupatur.* Quinimmò cit. loco Joan. c. 14. de tota Trinitate reſpectu hominis juſti dicitur: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Tũ etiã id conſtat in incarnatione Verbi Divini: per quã ipſa Divina perſona ex ſummo totius Trinitatis amore data eſt humanitati, tanquam maximum, & ſupremum donum, quod potuit rei creatæ cõferri. Et in patria, Divina eſſentia unitur immediatè intellectibus Beatorum, ut ab illis habeatur, & poſſideatur. Non igitur eſt contra rationem Divinæ, & increatæ perfectionis donari hominibus ex amore, & benevolentia ipſius Dei, habereque proinde rationem gratiæ.

Perſona divina poſſunt eſſe donum gratis datum.

Iſai. 9.
Joan. 3. & 14.
Ad Rom. 8.
D. Auguſt.
D. Iſidor.

15. Ad ea, quæ in oppoſitum adduximus reſpondetur optimè ſalvari rationẽ doni, & dati ſine ſubjectione, aut dependentia ab aliquo: & etiam ſine diſtinctione, quæ ponat imperfectionẽ in re, quæ datur. Nam Pater æternus dat ſuam eſſentiam filio, & uterque Spiritui ſancto; & nihilominus à nullo diſtinguitur ipſa eſſentia. Neque ponitur in ea aliqua ſubjectio, dependentia, aut imperfectio, aut reſpectu dantis, aut reſpectu accipientis. Neque etiam requiritur auctoritas dantis ſupra rem, quæ datur, quãdo non diſtinguuntur: ut cùm quis dat ſe ipſum. Sed ſufficit, quod dans habeat ſe ipſum, ſeu ſit ſui ipſius per identitatẽ, ſitque liber & ſui juris ad ſe tribuendum. Et hac ratione in divinis non ſolùm Pater dat nobis filium, & Spiritum ſanctum, ſed ipſa Divina eſſentia, & tota Trinitas, & quælibet perſona dat ſe ipſam juxta citatum locum Joan. *Ad eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus.* Et quamvis ubi datur diſtinctio, adſit etiam auctoritas ex parte dantis; nulla tamen per hoc ponitur imperfectio, vel ſubjectio in re, vel perſona, quæ datur, ſed ſolus ordo originis à dante, vel donante.

Diluitur contrarium fundamentum.

Quod utrumque rectè explicuit D. Th. tum 1. p. q. 38. art. 1. ubi & nos diſp. 16. dub. 2. illam difficultatem vexavimus. *Utrum donum in Deo dicatur tam eſſentialiter, quàm notionaliter?* Tum etiam in 1. diſt. 18. art. 1. ubi ſic ait: *dare, vel donare dicitur dupliciter. Uno modo illud, quod habetur per modum dominij ut poſſeſſio. Alio modo illud, quod habetur, quaſi intrinſecum ſibi ſicut aliquis habet ſe ipſum, vel materiam ſuam, vel qualitatem. Quamvis autem in divinis perſonis non ſit dominium unius reſpectu alterius; tamen eſt ibi auctoritas principij. Dicendum igitur,*

D. Thom.

Digitized by Google

igitur, quod datio poteſt importare auctoritatem reſpectu dati: & ſic donum, vel datum eſt rationale. Poteſt etiam non importare auctoritatem, ſed tantum hoc, quod id, quod datur, liberè habeatur: & hoc modo ipſa eſſentia dicitur dari, vel donari. Et ſecundum hoc, donum, vel datum, non eſt perſonale, ſed eſſentiale, tamen ſemper importat diſtinctionem dantis ad eum, cui datur, quamvis non ad id, quod datur.

...ni an ...munis ...itati.

16. Ubi obiter nota, quod licèt nomen *Doni* ſub aliqua acceptione ſit nomen rationale, & proprium Spiritus ſancti; ſub alia eſt nomen eſſentiale toti Trinitati commune: & ſecundùm hanc poſteriorem non ſolùm Spiritui ſancto, ſed cuilibet perſonæ, & ipſi divinæ eſſentiæ competit munus gratiæ ſumptæ pro dono gratis conceſſo: ſpecialiſſimè tamen appropriatur Spiritui ſancto ad eumque peculiares omnes gratiæ, & omnia dona referuntur: quia de ratione doni quovis modo accepti eſt ut ſit conferendum ex amore. Donum enim juxta Philoſ. 4. Ethicorum c. 2. *eſt datio irreddibilis*, hoc eſt liberalis, non quæ recompenſari non valeat, ſed quæ recompenſationem non quærit: & ita fundari poſtulat in amore. Unde licèt eſſentia Divina à Patre detur Filio, non tamen donatur: quia non ex amore, ſed naturaliter datur. Sicut etiã quæ ab hominibus dantur, non omninò donantur: quia non ex ſolo amore, ſed propter quæſtum vel ex timore, ſaltem magna ex parte tribuuntur. Cùm ergo Spiritus ſanctus per voluntatem, & amorem procedat, ex ipſo modo proceſſionis competit, ſibi quod poſſit donari, & quod per eũ omnia alia donentur: de quo legendus D. Th. *diſt. cit. art. 2. & 3.*

D. Thom.

Ad illud, quod ultimò objectum fuit, nimirum quod donum poſtquam datum eſt, fit aliquid creaturæ, cui datur: Reſpondetur neque in hoc importari aliquem defectum: quia licèt fieri, vel eſſe creaturæ ad uſum ſimpliciter, dicat imperfectionem, quia dicit eſſe propriè ſub ejus dominio, & poteſtate; non tamen eſſe illius ad fruitionem, cognitionem, & amicabilem converſationem, prædictam imperfectionem importat. Et hoc modo, non verò illo priori eſſentia & Perſonæ Divinæ fiunt noſtræ, cùm ſe nobis donant.

Alia objectio.

17. Sed adhuc objicies contra prædictam diviſionem gratiæ, quia Spiritus ſanctus (idem eſt de aliis perſonis, & perfectionibus increatis) non aliter ſe nobis dat, niſi mediante habitu gratiæ ſanctificãtis, qui eſt ejus effectus, & aliquid creatum: & ideò ſolum datur juſtis talẽ habitum habẽtibus: ergo prædictus habitus, non verò ipſe ſpiritus increatus erit, qui immediatè nobis confertur, & cui formaliter convenit ratio doni, & munus gratiæ.

Confirmatio 1.

Confirmatur: nam Spiritus ſanctus ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam ſubſtantialem præſentiam ſemper eſt in nobis, etiam antequam gratia adveniat, ſicut ſemper eſt ubique immediatè per ſuam immenſitatem: ergò adveniente gratia, non adveniet de novo ſecundùm prædictam ſubſtantialem præſentiam, ſed dumtaxat ſecundùm novum effectum, qui eſt ipſa gratia.

Confirmatio 2.

Et confirmatur ſecundò: quia ſi Spiritus ſanctus, quando gratia animæ infunditur, infunderetur, & uniretur illi immediatè ſecundum ſe, & ſecundùm ſuam ſubſtantialem præſentiam, & non ſolùm mediante gratia; in ipſa ſua ſubſtantiali præſentia mutaretur: ſiquidem ſecundùm illam haberet ſe aliter ad nos, atque antea ſe habebat: ſed hoc eſt impoſſibile: ergo, &c.

18. Hæc objectio tangit illam difficultatem, quæ circa miſſionem inviſibilem divinarum perſonarum in materia de Trinitate agitari ſolet, & à nobis pertractata eſt eo loco *diſp. 19. dub. 5.* An ſcilicet in prædicta miſſione non ſolùm dentur juſtis dona creata gratiæ ſanctificantis, ſed etiam ipſæ divinæ perſonæ Spiritus ſancti, & Verbi: ita ut novo, & ſpeciali modo per intimam, veram, realem, & ſubſtantialem præſentiam, diſtinctamque ab ea, qua per illapſum, ſeu per eſſentiam, & immenſitatem ſunt in omnibus rebus, incipiant inhabitare animam ejus, ad quem mittuntur: adeò ut ſi per impoſſibile prædicta præſentia per immenſitatem non daretur; nihilominus ratione prædictæ miſſionis eſſent in illo ſubſtantialiter, & perſonaliter Divinæ perſonæ? In qua difficultate ſequuti ſumus loco cit. partem affirmativam: eandemque modò amplectimur: quia communem, & à Patribus præſertim verò à D. Th. ubique receptam videmus. Juxta quam doctrinam reſpõdetur ad objectionem, quod licèt Spiritus S. non detur hominibus abſque infuſione gratiæ ſanctificantis: quia per hanc, & non aliter diſponitur homo ad hoc, ut ipſe divinus Spiritus illi aſſiſtat, & ipſum inhabitet: non tamen ſola prædicta gratia, ſed etiam idem Spiritus ſanctus immediatè ſecundùm ſuam ſubſtantiam infunditur, & communicatur. Sicut inter ipſa dona creata licèt habitus charitatis non infundatur, niſi cum habitu gratiæ, uterque tamen habitus immediatè ſecũdum ſuam eſſentiam communicatur, & infunditur. Atque ideo ſicut in hoc exemplo utrique habitui competit formaliter, & immediatè munus gratiæ: ita in noſtro caſu ratio gratuiti doni immediatè competit tam perſonæ divinæ, quàm gratiæ creatæ, & de utraque formaliter prædicatur.

D. Thom.

Solvitur objectio.

Quam doctrinam tradit D. Tho. multis in locis quæ *diſp. cit.* adduximus: præſertim *1. p. q. 43. art. 3.* ubi poſtquam dixit, quod ſecundùm ſolam gratiam gratum facientem mittitur, & procedit temporaliter Perſona divina, ita ſubdit: *Sed tamen in ipſo dono gratiæ gratum facientis Spiritus ſanctus habetur, & inhabitat hominem: unde ipſemet Spiritus ſanctus datur, & mittitur.*

D. Thom.

Et cùm in primo argumento objeciſſet ſibi in hunc modum: *Divinam Perſonam mitti, eſt ipſam donari: ſi igitur divina Perſona mittitur ſolùm ſecundum dona gratiæ gratum facientis, non donabitur ipſa Perſona Divina, ſed ſolum dona ejus: quod eſt error dicentium Spiritum ſanctum non donari, ſed ejus dona.* Reſpondet ad 1. *dicendum, quod per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc, quod liberè non ſolùm ipſo dono creato utatur, ſed ut ipſa perſona divina fruatur. Et ideò miſſio inviſibilis fit ſecundùm donum gratiæ gratum facientis, & tamen ipſa perſona divina datur.* Idem docet *in 1. diſt. 14. q. 2. art. 1.* cujus verba inferiùs referemus, & eodem loco ad Anibal. art. 3. *Ille* (inquit) *qui juſtificatur, non ſolum habet donum Spiritus ſancti; ſed ipſum Spiritum ſanctum: & ſic non ſolum donum Spiritus ſancti datur, ſed ipſe Spiritus ſanctus.* Quã doctrinam ſumpſit ex Aug. ſerm. 43. de verbis Dom. ubi exponens illa ad Epheſ. 4. *Dedit dona hominibus,* &c. Quærit, *Quæ dona?* & reſpondet: *Spiritum ſanctum, quia tale dat donũ, qualis eſt ipſe. Magna eſt miſericordia Dei: donum dat æquale ſibi: quia donum ejus Spiritus ſanctus eſt.* Patet ergo ex his negandã eſſe conſequentiã objectionis propoſitæ.

D. Auguſt.

Occurritur 1. Confirmationi.

19. Ad primam confirmationẽ reſpondetur modum quo Spiritus ſanctus adeſt juſtis, & eſt in illis per gratiam, differre à modo, quo eſt in omnibus rebus per eſſentiã, ſeu immenſitatem. Nam ratione iſtius ſolùm aſſiſtit rebus ut cauſa eſſendi, ſive ut creans, vel conſervans illas *in ſuo eſſe*. Eſt tamen valdè intimus hic aſſiſtẽtiæ modus: ob idque dicitur

tur *per intimum illapſum* : quia *eſſe* eſt intimius, quod in qualibet re invenitur: & quia Deus non producit, vel conſervat illud mediante alio ſuppoſito, ſed immediatè per ſe ipſum, oportet quod immediatè per ſuam ſubſtantiam intimè reb⁹ illabatur. Et licet hoc etiam modo adſit Deus juſtis ratione gratiæ: quia non minùs quã alias res efficit, & conſervat immediatè iſtam gratiam: præſuppoſito tamen iſto modo, datur præterea alius ſpecialiſſimus omninóq; proprius exiſtentium in gratia. Qui conſiſtit in hoc quòd per ipſam gratiam trahitur Deus ad animã, & jungitur illi, ut ſit, & maneat in ea: ſicut hoſpes amicabilis manet in domo amici, & ut Deus in Templo ſibi cõſecrato, & ut cognitũ in cognoſcente, & amatum in amante, quo ipſe amans pro libito fruatur, & cũ quo familiariter colloquatur, & cui amicabiliter convivat, & converſetur. Et licèt non ſemper quoad actum cognitionis, amoris, fruitionis & converſationis; sẽper tamẽ quoad habitum & facultatẽ cognoſcendi, amandi, fruendi & converſandi. Imò quodammodo eſt ibi Deus, ut ſub ditione & poteſtate animæ juſtæ: & poteſt dici, quòd Deus ſit talis animæ: ſicut dicebatur eſſe Abrahami, Iſaaci, & Jacobi: quia juſti per gratiã habent Deum quaſi ſibi obtemperantem, paratúmq; eorum voluntatem adimplere: juxta illud Joſue 10. *Obediente Deo voci hominis.* Et habent veluti dominium ſupra eius bona: ſicut amicus habet ſuper bona amici, ut poſſit de ipſis pro libito diſponere. His terminis declaratur utcumq; proprius, & ſpecialis modus, quo Deus immediatè ſecundum ſe ipſum communicatur, & aſſiſtit omnibus juſtis ratione gratiæ & amicitiæ cum illo.

Deus quomodo ſit in juſtis.

Ioſue 10.

Reſp. ad 2.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd licèt requiratur aliqua nova & realis mutatio, ut intelligamus Deum eſſe in anima cui infundit gratiã novo & diſtincto modo ab illo, quo eſt in omnib⁹ rebus, non tamen hæc mutatio debet poni in Deo, ſed in anima gratiã recipiente. Nam eo ipſo quòd talis anima per gratiæ receptionẽ mutetur, & aliter referatur ad Deũ ac referebatur antea, intelligim⁹ Deum ſine ſui mutatione terminare prædictam relationem, & habere ſe aliter ad animam, ac antè ſe habebat. Et hic novus modus ſe habendi eſt illa ſpecialis aſſiſtẽtia, & præſentialitas de qua loquimur. Quod rectè explicuit D. Tho. *loc. cit. in* 1. *diſt.* 14. ubi cùm ſtatuiſſet pro concluſione: *quod ipſemet Spiritus S. procedit temporali proceſſione, vel datur, & non ſolùm dona eius*: probat illam ſequenti diſcurſu: *Si enim conſideremus proceſſionem Spiritus ſancti ex parte eius à quo procedit, non eſt dubiũ quin ſecundùm illum reſpectum ipſemet Spiritus S. procedat. Si autem conſideremus proceſſionem ſecundùm reſpectum ad id in quo procedit, tunc (ſicut dictũ eſt) reſpectus iſte in Spiritu S. ponitur, non quia ipſe realiter referatur, ſed quia alterum referatur ad ipſum. Cùm igitur in acceptione donorum ipſius non ſolùm relatio noſtra terminetur ad dona, ut ipſa tantùm habeamus, ſed etiam ad Spiritum S. quia aliter ipſum habemus, quam priùs, non tantùm dicentur dona ipſius, procedere in nos, ſed etiam ipſemet: ſecundùm hoc enim ipſe dicitur referri ad nos, ſecundùm quod nos referimur in ipſum. Et ideò procedit ipſe in nos, & dona ipſius, quia & dona eius recipimus, & per eadem ad ipſum nos aliter habemus, inquantum per dona ejus ipſi Spiritui ſancto conjungimur per donum nos ſibi aſſimilans.* Idem repetit in ſolutione ad 1.

Deus nõ mutatur, cùm incipit eſſe in juſto.

D. Thom.

Nota.

20. Notanda autem ſunt verba illa: *Cùm igitur in receptione donorũ ipſius non ſolum ratio noſtra terminetur ad dona, ut ipſa tantum habeamus, ſed etiã ad Spiritum ſanctum, &c.* Et ſimilia quæ habet *in ſolut. ad* 2. Nam illis optimè declaratur quod diximus, nẽpe Spiritum S. non ſolùm mediatè per habitum gratiæ, ſed immediatè ſecundùm ſuam ſubſtãtiã haberi ab anima juſti, & habitare in illa: quia ad hoc ſatis eſt, quòd relatio præſentiæ, ſeu poſſeſſionis tenẽs ſe ex parte animæ, pertingat immediatè ad ipſum Spiritum S. & non ſiſtat in prædicto habitu: ut reverà non ſiſtit. Imò talis habitus potiùs ſe habet ut fundamẽtum vel ratio fundandi prædictas relationes: terminus verò immediatus attactus, ſeu (ut ita dicamus) immediatè attractus, & qui ab illa relatione, vel ex ejus connotatione denominatur *præſens* & *unitus* eſt ipſe Spiritus S. Poteſtque hoc magis declarari animadvertendo, quod cùm Deus immediatè per ſuam eſſentiam ſit præſentiſſimus, & intimè illapſus in omnibus rebus ratione immenſitatis, eò ipſo quòd aliqua creatura novo modo ad eam ſe habeat, & novam relationem ad eũ fundet: ſicut ſe habet & fundat anima rationalis, dum accipit gratiã: jam Deus ipſe novo modo adeſt ipſi animæ, ita immediatè per ſuam ſubſtantiam, ſicut erat ratione immenſitatis, (altiori tamen, & nobiliori modo præſentiæ, & unionis) non enim remotius, aut minus immediatè intelligitur ſe habere Deus ad prædictam animam, ut attactus per illã relationem fundatam in gratia, quam intelligitur ſe habere ratione immenſitatis, & ut terminat relationem, quam quælibet creatura ratione ſuæ efficientiæ, & conſervationis ad eum fundat.

21. Supereſt explicanda ultima diviſio gratiæ, ſcilicet in temporalem & æternam: cujus ſolùm ſecundũ membrum cõtinet aliquid difficultatis. Quia ex una parte videtur dicendũ omnem gratiam eſſe temporalem: ſicut omnis creatura, cui confertur, facta eſt in tempore. Ex alia verò gratia increata, quã hucuſque adſtruximus, videtur eſſe æterna, cùm nihil increatum temporale ſit. Sanè, ſi ſermo eſſet de gratia juxtà primam acceptionem ſumpta pro actu divinæ voluntatis, quo homines elegit, & prædeſtinavit ad gloriam, vel ſaltem ad gratiam vocare decrevit, certum eſt talem gratiam, etiã formaliſſimè in ratione, & ſub munere gratiæ eſſe æternam: quia prædictus actus etiam cum terminatione illa ad creaturas, ſub qua denominatur *electio, prædeſtinatio*, &c. convenit Deo ab æterno: nam ex tunc reſpexit per illum eos, quos elegit, & prædeſtinavit: juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, &c.

Exponitur diviſio gratiæ in temporalem & æternam.

Ad Ephe. 1.

At verò, loquẽdo de gratia in ſecunda acceptione pro dono gratis collato, quo pacto ad hunc tractatũ pertinet, non eſt cur dicatur æterna formaliſſimè in ratione gratiæ, quia nullum eſt donum, quod Deus ab æterno contulerit: quãvis enim eſſentia & perſonæ divinæ ſecundùm ſe æternæ ſint; rationem tamen gratiæ non habent, niſi quatenùs nobis donãtur: unde quia non ab æterno, ſed in tempore donatę ſunt, non niſi ex tempore rationẽ & nomen gratiæ ſortiuntur. Itaque hæc gratia increata ſecundùm totam ſuam perfectionem, & quaſi in eſſe rei ſumpta ab æterno fuit, non tamẽ ab æterno fuit ſub denominatione gratiæ, aut munus gratiæ exercuit, quia non ex tunc collata eſt hominibus, ſub qua collatione, & non aliter gratiæ denominationẽ ſortitur. Quemadmodum licèt actio divina, quã Deus univerſum creavit ſecũdùm ſe, & in eſſe rei ſumpta ab æterno fuerit, non tamẽ ab æterno fuit formaliter creatio: quia nõ ex tunc fuit ſub munere & exercitio creandi. Circa hæc tamen vide, ſi placet, quæ diximus *to. 1. in tr. de ſciẽt. Dei, diſp.* 8. *n.* 105. *& to.* 4. *in tr. de pecc. diſp.* 17. *n.* 15. ubi explicuimus qualiter adveniant Deo in tempore aliquæ denominationes etiam intrinſecæ abſque ulla ſui

Deus non habuit ab æterno rationem gratiæ.

muta

mutatione, vel alicujus entitatis ſuperadditione. Ex quibus fit, prædictam diviſionem gratiæ, ſi admittenda ſit, debere exponi quoad ſecundum membrum vel de gratia ſumpta pro actibus divinis juxta primam acceptionem: vel quod dicatur æterna quaſi materialiter, & in eſſe rei, non verò ſub denominatione, & munere gratiæ.

D. Auguſt. & D. Thom. quadam ſententia explicatur.

22. Sed objicies, quod Spiritus ſanctus ab æterno habet quod ſit donum: ut ex D. Auguſt. docet cum Magiſtro D. Thoma *in 1. diſt.* 18. *qu.* 1. *art.* 2. ergo ab æterno habet quod ſit gratia.

¶ Reſpondetur negando conſequentiā. Nam licèt donum includatur in ratione gratiæ; non tamē ſola ratio doni gratiā conſtituit, ſed addendum eſt, quod ſit aliquid donatum. Eſt enim de ratione gratiæ, quod detur alicui, neq; habet gratiæ rationem, quo uſque intelligitur procedere in eū, cui ſit talis gratia. Cæterùm de ratione doni non eſt quod actu detur, ſed quod poſſit donari. Et ideo dicimus aliquē habere multa dona: quia habet multa, quæ donare poſſit, licèt actu nihil dederit. Quia ergo Spiritus ſanctus ab æterno ex modo ſuæ proceſſionis habet, quod donari poſſit, ex tunc competit illi formaliſſimè ratio doni: non tamen ab æterno eſt formaliter gratia, quia non ex tunc, ſed in tempore donatur. Et hoc eſt, quod aiunt D. Auguſt. Magiſter ſententiarum, & D. Thom. loco cit. Verba Auguſt. refert Magiſter in hunc modum: *Semper procedit Spiritus ſanctus, & non ex tempore, ſed ab æternitate procedit: & quia ſic procedebat, ut eſſet donabile, jam donum erat, antequam eſſet, cui daretur. Aliter enim intelligitur, cum dicitur donum; aliter cum dicitur donatum: nam donum poteſt eſſe etiam antequam detur: donatum autem, niſi datum fuerit, nullo modo dici poteſt. Sempiternè ergo Spiritus ſanctus eſt donum, temporaliter autem donatum.*

D. Auguſt. Magiſter ſent. Divus Thomas.

Ultima diviſio in gratiam ſolius Dei, & gratiam per Chriſtum.

23. Supra dictis addi poteſt alia diviſio gratiæ, ſcilicet in gratiam collatam per Chriſtum, & in gratiam ſolius Dei. Quamvis enim nulla detur gratia, quæ donum Dei, & ab eo gratis collata non ſit; immo & quæ non reſpiciat Chriſtum tanquam finem ob cujus gloriam collata eſt: non tamen adhuc certò conſtat an omnis gratia collata fuerit ex meritis Chriſti, vel potiùs aliqua ex ſola Dei liberalitate, & non propter prædicta merita ſicut de gratia collata Angelis, & etiam Adamo in primo ſtatu, quæ non fuit gratia redemptiva tetigimus *in tr. de prædeſt. diſp.* 5. *n.* 26. Ergò ſi teneatur hoc ſecundum, quod non eſt præſentis loci examinare, conſequenter admittenda erit prædicta diviſio. Dicitur enim gratia per Chriſtum ſola gratia redemptiva, & reparativa generis humani: quæ verò data eſt Angelis, & Adamo in primo ſtatu, dicetur gratia ſolius Dei. Si verò teneatur primum, erit locus tali diviſioni: quia omnis gratia erit gratia per Chriſtum. Tunc autem hæc ipſa gratia per Chriſtum ſubdividenda erit in redemptivam, & non redemptivam. De quo alibi.

CAPUT II.

De variis ſtatibus naturæ humanæ, in quibus eget gratia.

Qui accuratiùs eſſentiam, neceſſitatem, & effectus gratiæ nobis aperire geſtierunt, non pauca de ejus ſubjecto, quod eſt natura, admiſcere compulſi ſunt: quia illorum notitia ex hujus conſideratione juvatur: immò ab ea ſic dependet, ut nec gratiæ virtus, & efficacia, nec neceſſitas, & exiſtentia, ignota naturæ inſufficientia, & infirmitate, deprehendi valeant. Et hac de cauſa D. Aug. ubiquè ferè cum de gratia diſputavit, egit etiam de natura propter doctrinæ connexionem. Immò in ipſa librorum epigraphi non ſemel utramque conjunxit, ut conſtat in illo, cui titulus, *De natura, & gratia*: & in alio, *de gratia, & libero arbitrio*. Quod etiam præſtitit D. Bern. & alij præſtiterunt.

Porrò natura, quæ eſt gratiæ ſubjectum, ſolum poteſt eſſe natura rationalis, ſeu libera: quia hæc dumtaxat capax eſt ordinandi, & perveniendi ad ſupernaturalem beatitudinem, quæ eſt finis, & ſcopus gratiæ. Et quamvis ſub prædicta natura tam Angelica, quàm humana comprehendantur, ſermonem ad hanc poſteriorem reſtringemus: quia & noſtra nobis notior eſt, pluribuſque titulis gratia indiget: & quia cum de Angelica, & de ejus gratia plura *in ſuo tr. to.* 2. dixerimus, vix in præſenti occurret aliquid peculiare pro ea examinandum. De ipſa verò natura humana tractatur fusè ab aliquibus, tum an ſit libera, ſeu libero arbitrio prædita? Tum etiam in quo libertas ejus conſiſtat? & hoc titulo non pauca circa requiſita, & conditiones libertatis inferuntur: quæ nos *to.* 3. *in tr. de volunt. diſp.* 1. ex profeſſo examinavimus: & propterea id in præſenti facere ſuperſedebimus. Deſervietque totum hoc caput exponendis, & examinandis variis ſtatibus ejuſdem naturæ, in quibus diverſimodè ſe habet ad gratiam.

§. I.

Naturæ humanæ ſtatus numerantur, & deſcribuntur.

24. Nomen ſtatus (quod ex ſua ratione permanentiam, & firmitatem importat; nec aliis rebus quā humanis, ſeu rationalibus, præſertim naturæ, & perſonis cū proprietate tribuitur) multipliciter accipi ſolet. Primò pro ea perſonali cōditione, ſecundū quā aliquis eſſe dicitur ingenuus, vel ſervus, ſui juris, vel alieni. Qua acceptione utitur jus civile *l. omne jus. ff. de ſtatu hominum, & l. de jure perſonarum ff. de iis, qui ſunt ſui jur. vel alieni.* Et eſſe ſatis propriè docet D. Th. 2. 2. *q.* 183. *a.* 1. Secūdò ſumitur pro forma, ſeu ratione vivēdi cū aliqua obligatione firma, & ſtabili, quā homines eligūt, cū perveniūt ad congruentē ætatē; quo pacto alius eſt ſtatus Matrimonij, alius Monachatus, alius Clericatus, &c. Et ita ſumit nomē ſtatus, jus Canonicū multis titulis & ſumūt Theologi Morales, de quo D. Th. eadē 2. 2. *q.* 184. *& ſeq.* Tertiò accipi ſolet pro ordine, vel diſpoſitione, quā humana negotia cum aliqua immobilitate, vel quiete noſtro ſtudio aſſequūtur. Et hac ratione dum actu agitantur, dicimus, illa ſtatū non habere; quando verò terminū acquirunt, vel ad tēpus quieſcūt, dicimus eſſe in tali vel tali ſtatu. Nullo autē ex iſtis modis ſumimus ſtatū in præſenti, ſed pro cōditione ipſius naturæ humanæ, quæ dicat modum ſe habendi ad ultimū finem permanenter, & cū aliqua immobilitate, ſeu firmitate. Unde non quælibet diverſitas conditionis, aut modi ſe habendi ad prædictum finem, diverſificabit ſtatum naturæ: ſed illa dumtaxat quæ conſurgit ex forma, vel quaſi forma permanenti, & aliqualiter immobili ſaltem quantum eſt ex ſe.

Status quot modis dicatur.

D. Thom.

25. Sic autem acceptus ſtatus ex duplici capite poteſt ſortiri diviſionem, nēpè & ex parte finis, ad quē ſe habet natura per illum; & ex parte modi ſe habēdi. Et quia finis ultimus humanæ naturæ alius eſt naturalis, & alius ſupernaturalis, & reſpectu utriuſque diverſimodè ſe habere poteſt: nō immeritò ſumeretur hinc duplex diviſio quaſi generica prædicti ſtatus. Nempè ex parte finis in naturalem, & ſupernaturalem: ex parte verò modi habendi ſe ad illum, in ſtatum viæ, & ſtatum termini. Qui enim aſſequuti ſunt jam finem, ſicut

Generales ſtatus diviſiones.

Digitized by Google

ſicut Beati, & comprehenſores; vel carent omni ſpe, & poſſibilitate illum aſſequendi, ſicut carent damnati, dicuntur eſſe in termino: quia non habent ultra quò tendant. Qui vero (ut ſunt alij omnes) nec fine jam fruuntur, nec poſſibilitate fruendi illo privantur, dicuntur eſſe in via, & vocantur viatores: quia habent ſe ut peregrinantes, & tendentes ad finem. Cæterùm quia de ſtatu exiſtentium in termino per Beatitudinem ſive ſupernaturalem, ſive naturalem, agitur ex profeſſo in ipſo tractatu de Beatitudine; & de ſtatu damnatorum dictum eſt à nobis *in tract. de peccatis, diſp.* 18. illius dumtaxat ſtatus habenda eſt ratio in præſenti, & habetur ab omnibus, qui ſit ſtatus viatorum, ſeu qui competit, vel competere potuit naturæ humanæ prout in via.

Status viæ ulterius dividitur.

26. Hujus autem aſſignari ſolent ex Cajet. quinque quaſi ſpecies: nimirum ſtatus naturæ ſecundùm ſe, qui communiter vocatur *ſtatus naturæ puræ*, ſeu *in puris naturalibus*: ſtatus naturæ integræ integritate naturalis ordinis (quem Cajet. vocat *ſtatum rigoris rationis*) ſtatus juſtitiæ originalis, ſtatus naturæ lapſæ: & ſtatus naturæ reparatæ. Per primum & ſecundum ſe habet natura ut tendens ad naturalem finem: & ideo dici poſſunt *ſtatus naturales:* differuntque inter ſe ſicut perfectum, & imperfectum, & ſicut debitum, & non debitum intra ordinem naturæ. Per tertium, & per quintum tendit ad finem ſupernaturalem: & ideò uterque eſt ſtatus gratiæ: ſed differunt penes diverſum perfectionis modum & gradum. Quartus eſt ſtatus peccati per quem natura ab uno, vel altero, vel utroque fine avertitur: ob idque dici poteſt *ſtatus contra naturam*: quia cuilibet naturæ diſſonum & contrarium eſt à ſuo fine averti. Nota tamen non in omnibus hujuſmodi ſtatibus fuiſſe de facto naturam humanam, vel aliquod ejus ſuppoſitum; ſed in tribus dumtaxat poſterioribus: nam primus homo conditus fuit in ſtatu juſtitiæ originalis: inde verò per peccatum lapſus eſt, & tandem reparatus per Chriſti gratiam. Alij verò duo ſtatus ob id ſolum numerantur, quia potuit homo creari in illis, licet creatus non ſit.

Status naturæ puræ.

27. Ut igitur ſingulos deſcribamus: *Status naturæ puræ*, ſeu ſecundùm ſe eſt ille, in quo ea dumtaxat conſiderantur, quæ competunt naturæ humanæ ſibi relictæ: ſeu quæ ex ejus naturalibus principiis, quæ ſunt materia prima, & anima rationalis, abſque aliquo dono gratioſè ſuperaddito naturaliter oriuntur, vel exiguntur. Unde quia prædicta materia in nullo compoſito plenè ſatiatur per ſuam formam; ſed manet ubique famelica, & cum appetitu ad aliam, conſequenter dat locum contrariis qualitatibus, paſſionibuſque & alterationibus corruptivis, quibus ipſa compoſita ad interitum, & deſitionem tendunt. Accedit, quod ipſa humani corporis compoſitio (ita exigente anima ob ſuas operationes) fit ex elementis contrariis, contrariiſque qualitatibus inter ſe pugnantibus, ita ut ad cujuſlibet victoriam temperies prædicta pereat, & conſequenter humanum corpus corrumpatur. Ex hoc ergo principio omnis homo, utpote conſtans ex prædicta materia, prædictâque compoſitione, naturaliter eſt paſſibilis, corruptibilis, & mortalis.

28. Deinde quia anima rationalis ob ſui eminentiam, & eſt ſubſtantia ſpiritualis, & radix, atque origo ſpiritualium operationum intelligendi & volendi; & etiam eſt forma corporis ſic corruptibilis, dans ei vitam & ſenſum; quaſi conſtituit duas naturas valdè diſſimiles: videlicet rationalem, quæ appropinquat Angelis; & ſenſitivam, quæ communis eſt brutis: tribuitque homini proprietates &

Rebellio appetitus unde proveniat.

conditiones utriuſque naturæ. Ex hocq; principio originantur in illo inclinationes etiam valdè diſſimiles, & quaſi inter ſe oppoſitæ. Nam ad naturam rationalem per ſe conſequitur voluntas, quæ eſt inclinatio ad bonum rationi conſonũ, ſeu honeſtum. Ad ſenſitivam verò ſequitur appetitus ſenſitivus inclinans ad bonum eidem naturæ ſenſitivæ conſentaneum: quod eſt bonũ delectabile, & ſenſibile. Et quoniam hoc poſterius bonũ multoties rationis legibus prohibetur; atque ita illa priori repugnat: fit ut prædictæ inclinationes frequenter inter ſe diſſideant: ſæpéque appetitus ſenſitivus in id propendeat, quod eſt repugnãs voluntati, & è contra: ita exigente ipſa materialitate, & corruptibilitate humani corporis, cui appetitus ſenſitivus omninò eſt alligatus, & ſine cujus tranſmutatione paſſibili nequit operari. Ut enim dicitur Sapient. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit ſenſum.* Cum qua depreſſione, & aggravatione ſtare nequit plena ſubjectio partis ſenſitivæ ad rationalem. Atque hinc oritur rebellio carnis contra ſpiritum, & inobedientia appetitus ad rationem, quam in nobis ita manifeſte experimur. *Sapient. 9.*

Infirmitas naturæ puræ circa bonum.

Denique ex eiſdẽ principiis oritur, ut neque ipſa inclinatio partis rationalis ad bonum honeſtum ſit ex ſe omninò efficax, ſed ſatis debilis, & infirma: ita ut juxta valdè probabilem ſententiam non habeat ſufficientes vires ad diligendũ Deum etiam ut auctorẽ naturæ ſuper omnia amore abſoluto & efficaci. Et ſaltẽ id non poſſet per totã vitam ſine ſpeciali auxilio ſicut nec ſervare totã legem. Et hoc propter prædictam colligationem, & depreſſionem ad partem ſenſitivã: à qua ſi pars rationis libera, & ſeparata eſſet; nequaquã ex ſe haberet talem impotẽtiam. Hic eſt ſtatus, quem haberet humana natura, ſi ſibi relinqueretur, quiq; ex ejus naturalibus principiis oriretur, caſu quo neque Deus ſpeciali providentia ſuperadderet illi præſtantiora aliqua dona, quæ ipſi non debentur, neque ipſa natura per aliquod peccatum mortale in deteriori adhuc ſtatu ſe cõſtitueret. Et ideò prædictus ſtatus dictus eſt *ſtatus naturæ ſecundũ ſe, vel naturæ puræ, vel in puris naturalibus.*

Status naturæ integræ, ejuſque conditiones.

29. Secundus ſtatus, qui eſt *naturæ integræ*, ſeu vigoris rationis contingeret, ſi homo conderetur à Deo perfectus intra ſolum ordinem naturæ, & reſpectu ſolius finis naturalis; ita ut neque haberet donũ ullum abſolutè ſupernaturale; neque nuditatem illam præcedentis ſtatus, quã natura humana ex ſe affert: ſed per dona, & perfectiones naturalis ordinis (non tamen debita) intellectus perfectè illuminaretur circa objecta naturalia, & volũtas circa naturalem finem rectificaretur: ultra verò non tenderent. In ſimul & appetitus ſenſitivus ita ſubderetur rationi, ut vel ab ejus obediẽtia nunquã recederet, neque eam ſuis indeliberatis motibus præveniret: vel ſaltem facillimè in prædictis motibus compeſceretur. Quin etiam ex parte corporis ad futura videtur in illo caſu aliqua congrua diſpoſitio, & temperies, quæ licet non redderet illud impaſſibile, aut immortale; perficeret tamen, & cõtra nocivas qualitates muniret, ut non facilè infirmitati cederet. Satis enim neceſſaria videtur hujuſmodi diſpoſitio, & temperies ex parte corporis, ut ex parte animę & potẽtiarum adeſſet prædicta integritas, ſaltem permanenter, & in eſſe quieto. Neque negari poteſt poſſibilitas hujus integri & naturalis ſtatus: cùm omnes prædicti effectus præſtari poſſint ab habitibus, & qualitatibus, quæ naturalem ordinem omnino non ſuperent, licèt ſint ſupra exigentiam ipſius naturæ humanæ.

Vocamus autem hunc ſtatum naturæ integræ, ad diſtinctionem ſtatus naturæ puræ, non quod natura humana

Digitized by Google

humana in ſua illa nuditate relicta, eſſet vulnerata, vel fracta aut minus habens, quam ſibi deberetur: ſed quia eſſet diviſa, & quaſi partita in duas portiones ſibi invicem repugnantes, rationalem ſcilicet, & ſenſitivam: & quia in ſecundo ſtatu non maneret hæc diviſio, & repugnantia; ſed concordia & unio utriuſque appetitus facta per prædicta naturalia dona, vocatus eſt *ſtatus naturæ integræ*, ſecundùm quod integrum opponitur diviſo.

Status juſtitiæ originalis.

30. Status *juſtitiæ originalis* fuit ille, in quo Deus de facto primum hominem condidit, reparatis omnibus defectibus, qui ineſſent naturæ, ſi in ſua illa prima nuditate conderetur: tectaque, ut ſic dicamus, ea nuditate, nobilioribus donis, perfectiorique modo, quam per integritatem ſecundi ſtatus tegeretur. Quia prædicta integritas, & dona, à quibus oriretur, neque ſuperabant totum ordinem naturæ: ſicut ſuperabant ſaltem magna ex parte dona juſtitiæ originalis, neque ita perfectè rationem Deo, appetitum rationi, & corpus animæ ſubjicerent. Et quia ſtatum iſtum juſtitiæ originalis luculentiſſimè nobis depinxit D. Thom. *in compend. Theolog. cap.* 186. non aliis quam S. Doctoris verbis illum deſcribemus: quæ ſic ſe habent:

D. Thom.

Conditiones hujus ſtatus ex D. Thom.

Homo in ſui conditione taliter inſtitutus fuit à Deo, ut corpus omninò eſſet animæ ſubjectum. Rurſum inter partes animæ inferiores vires rationi abſque repugnantia ſubjicerentur, & ipſa ratio hominis eſſet Deo ſubjecta. Ex hoc autem, quod corpus erat animæ ſubjectum, contingebat, quod nulla paſſio in corpore poſſet accidere, quæ dominio animæ ſuper corpus repugnaret: unde nec mors, nec infirmitas in homine locum habebat. Ex ſubjectione verò inferiorum virium ad rationem erat in homine omnimoda mentis tranquillitas: quia ratio humana nullis inordinatis paſſionibus turbabatur. Ex hoc verò, quod voluntas hominis erat Deo ſubjecta, homo referebat omnia in Deum, ſicut in ultimum finem: in quo ejus juſtitia, & innocentia conſiſtebat. Horum autem trium ultimum erat cauſa aliorum. Non enim hoc erat ex natura corporis, ſi ejus componentia conſiderentur, quòd in eo diſſolutio, ſive quæcunque paſſio vitæ repugnans locum non haberet; cùm eſſet ex contrariis elementis compoſitum. Similiter etiam non erat ex natura animæ, quòd vires etiam ſenſibiles abſque repugnantia rationi ſubjicerentur: cùm vires ſenſibiles naturaliter moveantur in ea, quæ ſunt delectabilia ſecundùm ſenſum, quæ multoties rectæ rationi repugnant. Erat igitur hoc ex ratione ſuperiori, ſcilicet Deo, qui ſicut animam rationalem corpori conjunxit, omnem proportionem corporis, & corporearum virtutum, cujuſmodi ſunt vires ſenſibiles, tranſcendentem; ita dedit animæ rationali virtutem, ut ſupra conditionem corporis ipſum continere poſſet, & vires ſenſibiles, ſecundùm quod rationali animæ competebat. Vt igitur ratio inferiora ſub ſe firmiter contineret, oportebat quod ipſa firmiter ſub Deo contineretur, à quo virtutem prædictam habebat ſupra conditionem naturæ. Fuit ergo homo ſic inſtitutus ut niſi ratio ejus ſubduceretur à Deo, neque corpus ejus ſubduci poterat à nutu animæ, neque vires ſenſibiles à rectitudine rationis: unde quædam immortalis vita & impaſſibilis erat: quia ſcilicet nec mori, nec pati poterat, ſi non peccaret. Peccare verò poterat, voluntate ejus nondum confirmata per adeptionem ultimi finis; & ſub hoc eventu poterat mori & pati; & in hoc differt impaſſibilitas & immortalitas, quam primus homo habuit, ab ea quam in reſurrectione Sancti habebunt, qui nunquam poterunt nec pati, nec mori, voluntate eorum omnino confirmata in Deum, ſi ut ſuprà dictum eſt, &c.

Hic autem hominis tam ordinatus ſtatus (proſequitur capite ſequenti) *originalis juſtitia nominatur: per quam & ipſe ſuo ſuperiori ſubditus erat, & ei omnia inferiora ſubjiciebantur, ſecundùm quod de eo dictum eſt, ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli: & inter partes ejus etiam inferior abſque repugnantia ſuperiori ſubdebatur. Qui quidem ſtatus primo homini fuit conceſſus, non ut cuidam perſonæ ſingulari, ſed ut primo humanæ naturæ principio: ita quod per ipſum ſimul cum natura humana traduceretur in poſteros. Et quia unicuique debetur locus ſecundùm convenientiam ſuæ conditionis, homo ſic ordinatè inſtitutus poſitus fuit in loco temperatiſſimo & delitioſo, ut non ſolùm interiorum moleſtiarum, ſed & aliorum exteriorum omnis ei vexatio tolleretur.* Huc uſque tertij ſtatus elegans Angelici Doctoris deſcriptio: quam latiùs proſequuti ſumus *in tract. de peccat. diſp.* 16. *à num.* 5. ubi majorem prædicti ſtatus declarationem adduximus.

31. Quartus ſtatus eſt ille, in quem humana natura per primum peccatum devenit, & à celſitudine originalis juſtitiæ in primis parentibus lapſa fuit: ob idque dicitur *ſtatus naturæ lapſæ.* Conſideratur autem in eo, quid prædicta natura per peccatum illud amiſerit, & quid contraxit. Innoteſcetque non parùm ex præcedentium ſtatuum deſcriptione: quia neque in eo remanſit (ſaltem pro ipſa natura) aliquod illorum donorum, quæ præbebat originalis juſtitia, aut præberet integritas naturalis: neque etiam amiſſum fuit aliquid ejus perfectionis, ſaltem habitualis, & per modum paſſionis, quæ debetur naturæ ſecundùm ſe, & quæ in ſtatu naturæ puræ illi competeret. Et ideò dicunt communiter Theologi, quòd tam in homine, quàm in Angelo poſt peccatum naturalia manſerunt integra, & ſolùm gratuita amiſerunt.

Status naturæ lapſæ.

Et quia hunc etiam ſtatum declarat ſufficienter D. Thomas opuſc. cit. cap. 192. utemur ejus verbis, quæ ſic ſe habent: *Quia igitur dicti ſtatus* (ſcilicet juſtitiæ origo) *tam ordinata integritas tota cauſabatur ex ſubjectione humanæ voluntatis ad Deum, conſequens fuit ut ſubducta humana voluntate à ſubjectione divina, deperiret illa perfecta ſubjectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam. Vnde conſequutum eſt, ut homo ſentiret in inferiori appetitu ſenſibili concupiſcentiæ, & iræ, & cæterarum paſſionum inordinatos motus, non ſecundùm ordinem rationis; ſed magis ei repugnantes, eam plerumque obnubilantes, & quaſi perturbantes. Et hæc eſt repugnantia carnis ad ſpiritum, de qua Scriptura loquitur &c. Conſequutum eſt etiam* (ait cap. 193.) *Vt in corpore ſentiretur corruptionis defectus: ac per hoc homo incurreret neceſſitatem moriendi: quaſi anima jam non valente corpus in perpetuum continere, vitam ei præbendo: unde homo factus eſt paſſibilis, & mortalis; non ſolùm quaſi potens pati & mori ut antea, ſed quaſi neceſſitatem habens ad patiendum & moriendum.* Et cap. 194. *Conſequuti ſunt in homine per conſequens multi alij defectus: abundantibus enim in appetitu inferiori inordinatis motibus paſſionum, ſimul etiam & in ratione deficiente lumine ſapientiæ, quo divinitus illuſtrabatur voluntas, dum erat Deo ſubjecta, per conſequens affectum ſuum rebus ſenſibilibus*

Hujus ſtatus miſeria.
D. Thom.

Digitized by Google

*bilibus ſubdit, in quibus aberrans à Deo multi-
pliciter peccavit, &c.*

Status gratia.

32. Vltimus ſtatus eſt, qui communiter vo-
catur ſtatus gratiæ : quia eſt præſens ſtatus juſto-
rum, in quem nos reparat divina gratia per Chri-
ſtum : & ideò dictus eſt *ſtatus naturæ reparatæ.*
Hæc autem reparatio non fit perfectè dùm ſumus
in via : quia licèt per gratiam juſtificationis pec-
catum expellatur, & amicitia cum Deo, ſubje-
ctióque mentis ad ipſum reparetur ; illa tamen
dona originalis juſtitiæ, per quæ appetitus ſenſi-
tivus rationi, & corpus animæ plenè ſubjicieba-
tur, non reſtituuntur uſque ad ſtatum patriæ : ubi
gratia perfectiſſimè informabit animam, omni-
nóque ad plenum dominabitur natura : indéque
eveniet, ut & ipſa anima perfectiſſimè informet
corpus, & ex utraque gratia ſcilicet, & anima
ita plenè dominantibus procedent in corpore &
in appetitu qualitates & habitus, per quæ perfe-
ctiùs adhuc quàm in ſtatu originalis juſtitiæ, om-
ninoque immobiliter illis ſubordinentur. De quo
diximus non pauca in tractatu de Beatitudine,
agentes de dotibus Beatorum, & de aliis condi-
tionibus ſtatus comprehenſorum. De hoc verò
ſtatu naturæ reparatæ non plura hîc adjicimus :
deſervient enim pro ejus cognitione plurima eo-
rum, quæ toto hoc tractatu, & duobus ſequent.
dicemus circa effectûs & vires, quæ humanæ na-
turæ per gratiam conferuntur.

Aliqui cenſent præſentem gratiæ ſtatum non eſſe ſtatum naturæ reparatæ.

33. Adverte tamen non deeſſe Auctores, qui
præſentem gratiæ ſtatum renuunt appellare *ſta-
tum naturæ reparatæ* reſervantes hoc nomen ſoli
ſtatui gloriæ ; & omnem ſtatum viæ, ſive gratiæ,
ſive peccati ſub appellatione ſtatus naturæ lapſæ
comprehendentes, & non pluſquam accidentali-
ter prædictos ſtatus peccati & gratiæ viæ diſtin-
guentes : ob id fortè, quia natura non omnino
reparatur uſque ad patriam, & dum eſt in via,
licèt habeat gratiam, ſubjecta adhuc manet pœ-
nalitatibus & ærumnis, quas per lapſum Adami
incurrit : ita ſentire videntur Suares, Zumel, &
Gregorius Martinez.

Suares. Zumel. Gregor. Martinez.

Defenditur oppoſitum.

Verùm prædictum ſtatum non naturæ lapſæ,
ſed naturæ reparatæ, vel ſanatæ, vel gratiæ repa-
rantis, aut ſanantis appellandum eſſe tenent ſa-
tis communiter alij Theologi, ut videre eſt in
Cajet. Medina, Curiel, Lorca, Monteſ. Grana-
dos, Joannes à S. Thom. & aliis in præſenti. Et
meritò ita loquuntur, tùm quia negari non po-
teſt juſtos viatores per gratiam ipſis infuſam re-
parari, & reſurgere (quamvis non in omni per-
fectione) à lapſu in quo peccatum Adami om-
nes ejus poſteros reliquit ; igitur natura prædicta
gratia affecta non manet jam in lapſu, ſed re-
parata, & ſanata. Tùm etiam quia communiter
aſſeritur hominem in ſtatu naturæ lapſæ non ha-
bere majores vires ad operandum bonum mo-
rale, quàm habuiſſet in ſtatu naturæ puræ :
ſi autem ſtatus naturæ lapſæ etiam juſtificatos
comprehenderèt, non eſſet univerſaliter ve-
ra prædicta loqutio : quia homines juſtificati
per ipſam juſtificationis gratiam longè majores
vires ſortiuntur. Tùm denique quia ſtatus ho-
minis juſti, & ſtatus peccatoris nequeunt non
diſtingui eſſentialiter : cùm enim ratio ſtatus
(prout nunc de eo loquimur) non ſit aliud quàm
diſpoſitio naturæ, vel modus ſe habendi circa fi-
nem ultimum, tunc neceſſe eſt dari ſtatus eſſen-
tialiter differentes, quando modi ſe habendi ad
talem finem eſſentialiter differunt : conſtat au-
tem modum ſe habendi per gratiam differre eſ-
ſentialiter à modo ſe habendi per peccatum : ſicut

Cajetan. Medina. Curiel. Lorca. Monteſ. Granados. Joann. à S. Thoma.

differunt converſio, & averſio circa eundem finem :
ſemel autem conſtituta eſſentiali diſtinctione in-
ter prædictos ſtatus ; conſequenter dicendum eſt,
ſtatum gratiæ diverſum eſſe ab ſtatu naturæ la-
pſæ, à quo ſtatus peccati non differt.

Nec propterea negamus univerſam humanam
naturam, etiam cùm eſt in præſenti gratiæ ſtatu
poſſe utcumque vocari naturam lapſam, ſcilicet de
præterito, quia tota in Adamo lapſa fuit, & in
lapſu concipitur, quamvis adveniente gratia non
maneat ultra in illo, ſed reparata, & ſanata. Et
etiam poſſet utcumque dici lapſa, adhuc poſt re-
parationem : quatenus nondùm plenè reparata
eſt, neque ad priſtinum ſtatum integrè reſtituta.
Sed hoc non tollit, quod ſimpliciter ſit natura
reparata : neque facit quod ſimpliciter maneat
lapſa : aut quod abſolutè ita appellanda ſit. Opor-
tet autem pro præcedentium ſtatuum pleniori
cognitione nonnulla contra propoſitam diviſio-
nem objicere : & alia circa ſtatus ipſos dubitare.

§. II.

Objectiones adversùs traditam diviſionem, & ſolutiones earum.

34. EX duplici autem capite objici poteſt con-
tra prædictam diviſionem : quia ex uno 1.
videntur diſtinguendi plures ſtatus, quàm diſtin-
ximus : & ex alio non videntur poſſe tot aſſignari.
Pro prima ergo parte objici poteſt : quia inter pri-
mum, & ſecundum ſtatum poteſt aſſignari alius,
qui nec dicat ſolam nuditatem primi, nec pertin-
gat ad integritatem ſecundi : ſed retentis proprie-
tatibus, & conditionibus, quas natura humana
ſecundùm ſe importat, atque adeò diviſione, &
repugnantia, quæ eſt inter partem ſenſitivam, &
rationalem addatur dumtaxat, quod Deus provi-
deat prædictæ naturæ per aliqua ſpecialia auxilia
naturalis ordinis ipſi non debita, quibus facilius
poſſit regere appetitum ſenſitivum, & bonum ra-
tionis, ipſúmque Deum, ut ultimum finem natu-
ralem efficaciter diligere, & totam naturalem le-
gem etiam longo tempore obſervare. Hic enim
ſtatus proculdubiò differt ab omnibus enume-
ratis : nec dubitare licet de ejus poſſibilitate.
Quinimò, ſi Deus non decreviſſet elevare homi-
nem ad finem ſupernaturalem, nec producere
cum integritate ſecundi ſtatus ; conformius vide-
tur ſuavi ejus providentiæ producere illum adju-
tum prædictis auxiliis in ſtatu, quem modò de-
pinximus, quàm illis deſtitutum in ſola naturæ
puritate, ut magis conſtabit ex dicendis n. 46.

35. Deinde ſecundus ſtatus, quem diximus 2. *Obj.*
naturæ integræ, poteſt eſſe multiplex penes ma-
jorem vel minorem perfectionem intra ordinem
naturalem. Poſſet enim homo per dona prædicti
ordinis ita perfici, ut ex parte animæ eſſet omni-
no impeccabilis (ſaltem circa finem naturalem :
ſicut de Angelis, ſi in ſuis puris naturalibus con-
derentur, *in eorum tractatu, diſput. 9. dub. 3.*
diximus) & ex parte corporis eſſet impaſſibilis
& immortalis, ut ſunt corpora Beatorum : quo-
rum dotes non excedere naturalem ordinem ab-
ſolutè, & ſecundùm ſubſtantiam, diximus *in
tract. de Beatitudine, diſput. 5. num. 41.* Cer-
tum eſt autem ſtatum illum, quem Cajet. & alij
appellant *naturæ integræ*, longè diſtare ab iſto
gradu perfectionis. Quia in illo neque voluntas
eſſet impeccabilis : ſed poſſet peccare mortaliter
ſaltem in ſenſu diviſo, & venialiter adhuc in
ſenſu compoſito talis ſtatus, ut infrà dicemus.

Neque

Digitized by Google

Neque appetitus ſenſitivus eſſet ita ſubjectus rationi, quin in aliquo levi motu eam præveniret; quamvis facillimè comprimeretur. Nec denique corpus haberet impaſſibilitatem, & immortalitatem, quam nuper diximus: ſed ad ſummum aliquam temperiem, & diſpoſitionem nobiliorem ea, quam nunc habet, ut difficiliùs infirmitati cederet; & nocivis efficacius reſiſteret: ergo, &c.

3. Objectio. 36. Quæ objectiò, & probatio etiam militat reſpectu tertij, & quinti ſtatus, quia excogitabilis eſt juſtitia originalis perfectior illa, quam habuit Adamus. Ut ſi Deus omnibus illis perfectionibus ſuperadderet impeccabilitatem ex parte animæ, & ex parte corporis omnimodam & intrinſecam impaſſibilitatem. Et ſimiliter in hoc præſenti ſtatu naturæ reparatæ poteſt gratia eò pertingere, ut confirmet voluntatem in bono, & reddat eam impeccabilem, ut dicitur de Apoſtolis, & de quibuſdam aliis ſanctiſſimis viris. Quorum proindè gratia ſupergreſſa eſt communem ſtatum cæterorum juſtorum viatorum: & ita debet novum alium ſtatum conſtituere.

4. Objectio. 37. Denique natura humana in Chriſto Domino, & in Beatiſſima Virgine Maria, etiam dum erant viatores, diſtinctum habuit ſtatum ab iſto, quem nunc dicimus *naturæ reparatæ*. In Chriſto enim erat unita Verbo Divino adeoque roborata, & ſanctificata per gratiam, ut ex parte animæ, & ex parte rectificationis appetitus longè excederet perfectionem juſtitiæ originalis: cùm tamen ex parte corporis in multis eam non adæquaret. Idemque ſervata proportione dicimus de Beata Virgine. Admittendi ſunt ergo plures ſtatus, quàm diſtinximus.

5. Objectio. 38. E contra verò ex ſecundo capite objici poteſt ad probandum non eſſe tot ſtatus diſtinguendos. Tum quia natura pura, & natura integra non conſtituunt duos ſtatus. Immò neque differunt inter ſe. Illa enim natura, quæ habet omnia, quæ ſibi debentur, ſeu cui nihil illorum deeſt, non eſt, cur non dicatur integra: ſicut non negamus, naturam cœli, & naturam equi, & alias ſimiles eſſe integras, eo ipſo, quod habeant, quidquid ipſis debetur, quamvis careant aliquibus, quæ ſupra exigentiam talium naturarum poſſent illis conferri. Cum igitur ſtatus naturæ puræ includat omnia, quæ naturæ humanæ debentur, ſit ut prædicta natura, prout in tali ſtatu verè ſit natura integra. Eo præſertim, quia ſi talis natura creata cum illis, quæ ſibi debentur, non eſſet integra; eſſet utique manca, trunca, & monſtruoſa, atque adeò careret aliqua perfectione ſibi debita.

Tùm etiam quia admiſſo prædictum ſtatum naturæ integræ diſtingui à natura pura, non eſt tamen admittendum, quod diſtinguatur à juſtitia originali: nam totam illam perfectionem, quam ſtatui naturæ integræ *num.* 29. tribuimus, includebat prædicta juſtitia: ergo hac vel illa via dicendum eſt, prædictum ſtatum non omninò diſtingui ab aliis; ſed cum primo, vel tertio coincidere. Tum præterea nam quartus ſtatus, qui eſt naturæ lapſæ, nihil addit ſupra primum, ratione cujus in ratione ſtatus differant: privatio enim gratiæ, vel juſtitiæ originalis, quam addit, non eſt aliqua forma ordinans ad ultimum finem, aut aliqua diſpoſitio firma & ſtabilis, proindeque apta nata ſtatum conſtituere. Immò neque ipſa gratia ſanctificans, per quam natura reparatur, dum eſt in viatoribus, videtur ſufficiens ad ſtatum conſtituendum. Quia de ratione ſtatus eſt firmitas & immobilitas; gratia verò non ineſt immobiliter, ſed poteſt facilè amitti, & amittitur de facto.

39. His objectionibus poſſet aliquis moveri ad improbandam, vel tanquam ſuperfluam, vel tanquam diminutam ſupradictam diviſionem: & de facto non deſunt, qui vel non omnia ejus membra admittunt, vel alia ſuperaddunt. Nobis autem deſervient ad pleniorem notitiam prædictorum ſtatuum ex earum ſolutionibus capeſſendam. Ad primam ergò pro prima parte reſpondetur non ſufficere ad conſtituendum novum ſtatum ſpecialia illa auxilia, quæ Deus naturæ conditæ in puris poſſet gratioſè ſuperaddere. Quia ut *n.* 24. diximus, de ratione ſtatus eſt aliqua firmitas & immobilitas; quam prædicta auxilia, utpote ſolùm tranſeuntia, & moventia non afferrent, unde talia auxilia non extraherent abſolutè, & ſimpliciter naturam humanam à ſuo illo primo ſtatu naturæ puræ, ſed in eo relinquerent. Quod ſi nuper adderetur ipſi naturæ aliqua forma permanens, cui ejuſmodi auxilia ſuo modo deberentur, talis forma conſtitueret quidem ſtatum diſtinctum ab ſtatu naturæ puræ, non tamen diverſum ab ſtatu naturæ integræ. Imò dici poſſet, prædicta auxilia, & naturam illis adjunctam pertinere etiam ad hunc ſecundum ſtatum; non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & reductivè: quatenùs talia auxilia ab eo (ut ſic dicamus) pro primo ſtatu emendicarentur. *Reſpondetur ad 1. objectionem.*

40. Ad ſecundam reſpondetur ſtatum illum integritatis naturæ, qui depingitur cum omnimoda illa perfectione, & indefectibilitate tam ex parte animæ, quàm ex parte corporis, non fore ſtatum viæ, ſed potiùs termini reſpectu finis ultimi naturalis. Nam ſicut Angelus, quia ab initio ſortitus eſt totam ſuam naturalem perfectionem, & integritatem, non fuit in via reſpectu naturalis finis, ſed duntaxat reſpectu ſupernaturalis: ita dicendum eſſet de homine illo ſic condito. Proindéque ejus ſtatus non pertineret ad præſentem diviſionem, quæ ſolùm complectitur ſtatus viæ. Obſerva tamen non quamlibet diverſitatem penes majorem, vel minorem perfectionem illius integritatis naturæ diverſum conſtituere ſtatum: quia etiam in ſtatu naturæ reparatæ, & in ſtatu comprehenſorum datur diverſitas penes majorem, vel minorem gratiæ intenſionē. Et etiam in ſtatu naturæ lapſæ penes plura, vel pauciora, graviora, aut minùs graviora peccata: & non idcircò hujuſmodi ſtatus multiplicantur, aut diverſificantur juxta prædictā diverſitatem; quia talis diverſitas ſolùm eſt quaſi intenſiva, & ſecundùm magis, vel minùs, quæ nō mutant ſpeciem. Quare ad diſtinguendos ſtatus majus aliquid attendendum eſt, nempè quod forma, aut quaſi forma ſtatus conſtitutiva in ratione formæ, vel in ratione diſponendi circa ultimum finem, vel ab eo avertendi diverſum modum, aut gradum ſortiatur: quod non habet ſola diſtinctio ſecundùm majorem, vel minorem intenſionem, aut quaſi intenſionem ejuſdem formæ. *Diluitur 2. objectio.*

41. Ad tertiam reſpondetur in quolibet ſtatu ea ſolùm conſideranda eſſe, quæ per ſe illi competunt, & quæ ex vi formæ, vel quaſi formæ talis ſtatus conſtitutivæ poſtulantur. Non eſt autem hujuſmodi impeccabilitas, aut confirmatio in gratia, ſive pro ſtatu juſtitiæ originalis, ſive pro ſtatu gratiæ viæ, quia neque hæc gratia, neque illa juſtitia id poſtulat. Et ideò quòd Deus prædictam confirmationem, & impeccabilitatem, ſi vellet, Adamo conferret, & aliquibus viatoribus de facto conferat, non variat eſſentialiter prædictos ſtatus, neque novum ſtatum conſtituit. *Solvitur 3.*

Ad ultimam dicas, ſtatum Chriſti Domini, & ſtatum *Reſpondetur ad 4.*

Index Locorum Sacræ Scripturæ.

Ex Epiſtola ad Epheſios.

1. *Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem.* 5.8.21

2. *Gratis eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* 5.296.133

5. *Surge, qui dormis.* 5.505.168

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

1. *Omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* 6.318.216

2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere.* 5.269.69. & p.501.n.156

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

1. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* 6.222.20

4. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* 6.324.227

Ex Epiſtola ad Theſſalonicenſes.

2. *Voluimus venire ad vos ſemel, & iterum, ſed impedivit nos Satanas.* 5.274.79

Ex Epiſtola prima ad Timotheum.

2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* 5.532.40

Ex Epiſtola ſecunda ad Timotheum.

2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* 6.478.7

Ex Epiſtola ad Titum.

3. *Eramus aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, &c. ſed ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus ſancti, quem effudit in nobis abundè, ut juſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* 6.227.30

Ex Epiſtola ad Hebræos.

11. *Accedentem ad Deum oportet credere.* 5.239.17

12. *Habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo.* 5.361.5

13. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono.* 6.16.32

Ex Jacobi Epiſtola.

2. *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.* 6.524.35

Ibid. *Quicumque totam legem ſervavit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* 6.226.27

Ex Epiſtola ſecunda Petri.

1. *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Jeſu Domini noſtri: quomodo omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria, & virtute: per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* 5.377.43. & 6.230.35

Ex Epiſtola prima Joannis.

1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato.* 6.222.20

2. *Hæc ſcribo vobis, ut non peccetis.* 5.168.182. & p.194.n.244

3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus.* 5.394.73

Ibid. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam.* 6.222.20

Ibid. *Omnis qui in Deo manet, non peccat.* 6.249.75

8. *Si vos filius liberavit, verè liberi eſtis.* 6.222.20

13. *Qui habet hanc ſpem, juſtificat ſe.* 6.388.14

Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet. 6.361.300

Ex Apocalypſi.

1. *Lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* 6.222.20

Ibid. *Memento, unde excideris, & age pœnitentiam.* 6.389.16

21. *Vidi Hieruſalem novam deſcendentem de cœlo quaſi ſponſam ornatam viro ſuo.* 5.421.138

22. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* 6.222.20

COLLEGIJ

Digitized by Google

TRACTATUS XIV.
DE
GRATIA DEI.

PROOEMIVM.

POST peccatorum notitiam, quam Volumine præcedenti fuſè tradidimus, ſuccedebat juxta methodum D. Thomæ Legum conſideratio, de quibus diſputat S. Doctor à *quæſt.* 90. uſque ad *quæſt.* 108. incluſivè. Sed hanc Theologiæ partem prætermittere nobis viſum eſt: Tum quia Moralis potiùs cenſetur, quàm Scholaſtica: Tum quia illi operam jam dederunt hujus Collegij Lectores in Curſu Theologiæ Moralis: Tum quia præcipuam notitiam, quæ in ea parte poſſet deſiderari, non parum ſubminiſtrat Tractatus de peccatis. Unde relictis legibus, ad Legem gratiæ, ſive ad gratiam, quæ eſt legum apex, conſummatio, & robur, progreſſum facere oportet. Diſſerit autem D. Thomas de hac materia, à *quæſt.* 109. uſque ad *quæſt.* 114 incluſivè, ubi partem primam ſecundæ partis Summæ Theologicæ abſolvit: cujus veſtigiis uſque ad eam metam hoc Volumine inſtare curabimus. In repræſentandis verò præſentis Tractatus nobilitate, utilitate, & difficultate ſupervacaneum eſt morari lectorem: nam quæ de Divina Gratia per totum opus, & præcipuè *diſp.* 1. *&* 4. proferemus, ejus excellentiam præconis inſtar commendant. Et licèt nos tantæ rei pares minimè cenſeamus, poſſemuſque horrore difficultatum hîc, ſi alicubi, imminentium gradum referre; ipſius tamen adjutorio in ſpem ingentem erigimur, ut non formidemus hoc adoriri opus, & conſiderationi incumbere nobiliſſimæ. Gratia enim pauperes locupletat, cæcutientes illuminat, inermes armat, idiotas inſtruit, timidos roborat, & cunctos ad magna quæque vires, arteſque ſuperantia, ſolicitat, ac perducit. *Gratia*, aiebat D. Chryſoſtomus Hom. 40. in Joann. *cùm menti illapſa eſt, eamque irrigarit, omni fonte uberiùs ſcaturit, nunquam deficit, nunquam vacuatur, nunquam ſtat. Simul autem ejus indeficientem copiam, & incredibilem operationem, & fontes, & fluvios Dominus appellavit.* Et Joan. 4. *Salientis pro inundantis poſitum eſt. Quod facilè quivis deprehendere poterit, ſi Stephani ſapientiam, Petri linguam, Pauli vim conſideraverit. Quo pacto nihil eos extulit, nihil dejecit, non populorum furor, non tyrannorum perſecutiones, non dæmonum inſidiæ, non quotidianæ mortes: ſed more fluminis vehementi lapſu delati omnia trahentes evaſerunt. Igitur gratiæ auxiliis felicem progreſſum & finem fidenti animo concredentes, ejus notitiæ comparandæ incunctanter accingimur.*

QUÆSTIO CIX.

De exteriori Principio humanorum Actuum, ſcilicet de Gratia Dei, in decem Articulos diviſa.

Titulus quæſt. exponitur.

CIRCA titulum hujus Quæſtionis dubitatum eſt ab aliquibus, cur Divus Thomas gratiam appellet principium exterius humanorum actuum, cum reverà ſit forma intrinſeca, & nobis inhærens? Ad quod breviter reſpondetur potuiſſe illam ita appellare, vel quia eſt extra, ſeu ſupra omne debitum, & exigentiam naturæ ſubjecti illam recipientis: vel quia loquebatur de gratia non ſecundùm ſe præciſè ſumpta, ſed unà cum ſuo principio operante per illam, quod eſt Deus, & ex hac parte potuit inter principia exteriora, ſeu quæ ab extrinſeco proveniunt, numerari. Et fortè ille titulus non fuit à D. Thom. ita diſpoſitus: ſed ut ſub eo ſtatim ſequitur: *De exteriori principio humanorum actuum, ſcilicet de Deo, prout ab ipſo per gratiam adjuvamur ad rectè agendum, &c.* Sub hac enim verborum forma promiſſus fuerat à S. Doctore præſens Tractatus de Gratia, unà cum tractatu de Legibus, ſuprà, initio quæſtionis 90. ubi ait: *Conſiderandum eſt de principiis exterioribus actuum.* Et ſtatim: *principium autem exterius movens ad bonum eſt Deus, qui & nos inſtruit per legem, & juvat per gratiam.* Satis ergo veroſimile eſt (id quod Vaſquez, Monteſinos, Lorca, & Joannes à S. Thoma jam obſervarunt) titulum præſentis quæſtionis non aliter quàm ut ſuperiùs promiſerat, adeóque juxta verba modò relata, fuiſſe à D. Thoma illi præfixum: Amanuenſium verò, aut alicujus alterius rem minùs capientis, errore, vel incuria, prout modò jacet, apparuiſſe in editionibus, quas habemus.

D. Thom.

Vaſquez. Monteſinos. Lorca. Joann. à S. Thom.

Diviſio Materiæ.

Circa diviſionem hujus materiæ, quam D. Th. præmittit nota, tertiam ejus partem de gratiæ effectibus conſtituere duos alios tractatus, ſcilicet, de Juſtificatione, & de Merito, qui ob proprias, & ſpeciales difficultates quibus abundant, ex Theologorum jam uſu à communi tractatu de Gratia diſtinguuntur, & ſeorſim agitatur. Reducti tamen fuerunt ad illum ab Angelico Doctore, quia tàm juſtificatio, quàm meritum ſunt effectus ipſius gratiæ: & ex hoc capite ad eandem doctrinam pertinent. Unde & omnibus deſervient principia quædam, quæ hîc, ante ſpeciales gratiæ quæſtiones in articulis D. Thomæ contentas, ad rectam, & facilem earum intelligentiam, neceſſe eſt præmittere: Pro quibus erit.

DISPUTATIO PRIMA PROOEMIALIS.

CUM in omnibus Theologiæ tractatibus utile eſſe ſoleat ante præcipuas eorum difficultates aliqua præmittere, quæ dicendorum intelligentiæ viam aperiant: in hoc de Divina gratia, id non modò utile, ſed & neceſſarium omninò viſum eſt: quia niſi multorum notitia præcedat, difficile erit in ſequentibus æquivocatione, vel obſcuritate ſæpè non laborare. Quas ne incurrerent graves Theologi, hoc ipſum opere obſervarunt Dominicus Soto *lib. de natura & gratia.* Didacus Alvarez *ad libros de Auxiliis*, & latius Franciſcus Suarez *tom. 1. de gratia per ſex Prolegomena diffuſa, & erudita.* Et ſanè quæ in aliis materiis pro acquirenda prævia iſta notitia brevi præludio comprehendi poſſunt, in hac de divina gratia integra, & non brevi egent diſputatione. Quam nos, omiſſis dubiorum titulis, quibus in cæteris utimur, in capita ſecabimus: quia quæ expedienda ſunt ſaltem majori ex parte, non litigio, aut diſceptatione, ſed vera, & ſimplici propoſitione, legitimaque declaratione opus habent.

Dominicus Soto. Alvarez. Suarez.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, variiſque acceptionibus, & diviſionibus Gratiæ.

§. I.

Nomen, & acceptiones Gratiæ exponuntur.

Gratiæ nomen.

1. NEmo eſt qui neſciat gratiam inde dictam, quia gratis donatur: hoc eſt nullo præeunte titulo, jure, aut opere ex parte recipientis, pro quo ſit debita. Ob idque dixit Apoſtolus Romanor. 11. *Si autem gratia jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* Et cap. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non computatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Quia nimirum ita eſt de conceptu gratiæ abſque prædicto titulo, jure, aut opere, adeóque gratis & ſpontè donari, ut eo ipſo quod aliter conferatur rationem gratiæ amittat. Quocirca D. Aug. Pſal. 144. relatis ex Apoſt. ad Roman. 10. verbis illis, *gratia ſalvi facti eſtis*, inquit: *Ubi audis gratiam, gratìs intellige: ſi ergo gratìs, nihil tu attuliſti, nihil meruiſti: nam ſi meritis aliquid redditum eſt, merces eſt, non gratia.* Ex hac autem gratiæ etymologia ortæ ſunt variæ ejus acceptiones, quas D. Thom. infra quæſt. 110. art. 1. enumerat, eatúmque ordinem declarat his verbis: *Secundùm communem modum loquendi tripliciter gratia accipi conſuevit. Uno modo pro dilectione alicujus: ſicut conſuevimus dicere, quod iſte miles habet gratiam regis, id eſt, rex habet eum gratum. Secundò ſumitur pro aliquo dono gratìs dato: ſicut conſuevimus dicere: Hanc gratiam facio tibi. Tertio modo ſumitur pro recompenſatione beneficij gratìs dati, ſecundùm quod dicimus agere gratias beneficiorum. Quorum trium ſecundùm dependet ex primo: ex amore enim, quo aliquis habet alium gratum, procedit, quod aliquid ei gratìs impendat. Ex ſecundo autem procedit tertium: quia ex beneficiis gratìs exhibitis gratiarum actio conſurgit.*

Ad Rom. 11.

D. Auguſt.

D. Thom.

Acceptiones.

2. Omnes iſtæ gratiæ acceptiones ſunt ſatis uſitatæ in Scriptura; nam juxta primam loquitur, quoties

Digitized by Google

ait aliquem inveniſſe gratiam apud Deum, ut de Noë Geneſ. *cap.* 6. de Abraham *cap.* 12. & *cap.* 18. 19. & 30. de Moyſe *Exod.* 33. *&* 34. *Numer.* 11. *&* 32. & *Deuter.* 24. & alibi de aliis. Secunda frequentius uſu venit in Novo Teſtamento: præſertim apud Paulum, in cujus Epiſtolis nihil ita repetitum invenies ſicut nomen gratiæ ſumptum pro dono, quod nobis à Deo gratis confertur. Sed & tertia ſcilicet pro gratitudine, ſeu gratiarum actione ita crebrò apud eum, & ſacros alios ſcriptores invenitur, ut ſuperfluum ſit loca adnotare. Cæterùm hæc tertia acceptio non ſervat gratiæ etymologiam: quia gratiarum actio non gratis donatur; ſed redditur jam debita pro gratia, & beneficiis priùs acceptis. Et ideo reductivè duntaxat, & impropriè dicta eſt gratia, quatenus ex gratiæ collatione conſurgit: de qua eſt illud Sophoclis *Gratia gratiam parit*: quia collatio beneficij gratitudinem poſtulat.

Alia acceptio. 3. Atque hujuſmodi etiam eſt acceptio alia, non inſolens, neque in ſacris Litteris neque in humanis: ubi multoties dicitur gratia aliqua proprietas vel conditio perſonæ amatæ, qua placet, ſibique amorem & benevolentiam conciliat: ſicut oculorum pulchritudo, corporis venuſtas, ſermonis elegantia, & alia hujuſmodi. Quo ſenſu dicitur Proverb. 31. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo.* Eccli. 6. *Lingua eucharis*, (hoc eſt, *bene grata, ſeu gratia*) in bono homine abundat, & Pſalm. 44. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*: & alibi ſimilia. Quia enim dona, quæ Deus gratis confert, reddunt illi hominem gratum & acceptum; extenſum eſt gratiæ vocabulum ad ea omnia, per quæ objecta, quæ diligimus, grata & amabilia fiunt; quamvis ea ipſis neque gratis, neque ſæpè ullo modo donemus. Ut enim notavit D. Thomas *loco cit.* hoc verſatur diſcrimen inter amorem creatum, & divinum, quòd amor creatus non facit totum bonum, quod amat, ſed ſupponit ſaltem aliquid ejus in objecto: non enim eſt amor præcisè effectivus, ſed affectivus, qui ab objecto movetur. Amor verò divinus erga creaturas eſt tantùm effectivus, & non affectivus (ut nos alibi oſtendimus) ob idque nihil in eis ſupponit, quo afficiatur, & moveatur ad diligendum: ſed diligendo, & amando, tribuit totum quod amat. Hinc ergo, quia Deus amando gratis tribuit id ipſum quod amat; & per id quod gratis tribuit, reddit ſibi objectum, quod amat, gratum & amabile; ortum habuit, ut gratia dicatur quidquid objectis amabilitatem confert, ſive ſit donum gratuitum, ſive acquiſitum, vel naturale. Ex quo patet acceptionem hanc gratiæ, quamvis non parùm uſitatam, abuſivam etiam eſſe, & valde impropriam.

Proverb. 31. Eccleſ. 6. Pſalm. 44.

D. Thom.

In qua acceptione gratia pertineat ad hunc tract. Quamvis autem in diſputationibus hujus Tractatus fiet non ſemel mentio gratiæ ſecundùm quamlibet prædictarum acceptionum; non tamen omnes directè, & per ſe ad illum pertinent. Nam prima potiùs ſpectat ad Tractatum de Prædeſtinatione, in quo multa quæruntur de amore, & dilectione Dei erga prædeſtinatos, & de eorum electione ad gloriam ante prævisa merita: quæ omnia *in prædicto Tract.* examinavimus. Tertia etiam habet proprium locum 2. 2. *q.* 106. quæ eſt de virtute gratitudinis, de qua diximus *in tract. de Virtutibus, in arbore prædicam. à numero* 81. Quarta autem nullam materiam determinat, ſed vagatur per omnes, & nullibi ſpecialem difficultatem ingerit. Sola ergo ſecunda accceptio, juxta quam gratia ſumitur pro dono ſeu beneficio gratis à Deo nobis conceſſo pertinet per ſe ad præſentem tractatum, & ejus materiam conſtituit.

4. Sed obſerva hanc ipſam gratiæ acceptionem poſſe latiùs & ſtrictiùs uſurpari: nam beneficia à Deo nobis collata diverſa ſunt, & non æquè in omnibus ratio doni gratuiti ſplendet. Si igitur latiùs prædicta acceptione utamur; comprehendit omnia bona, quæ Deus creaturis, præſertim rationalibus tribuit, etiam ipſam ſubſtantiam, & naturam, naturaleſque ejus proprietates, accidentia & concurſus: quia cùm hæc omnia ſine aliquo merito noſtro; ſed ſola Dei voluntate, & liberalitate conferantur, non improbanda ratione gratia dici poſſunt. Atque hinc ortum habuit diſtinctio illa gratiæ penes naturalem & ſupernaturalem, qua antiquiores aliqui Theologi uſi ſunt, Bonaventura *in* 2. *diſt.* 4. *art.* 1. *q.* 2. Ricardus *ibidem, art.* 2. *q.* 2. Gabriel *q.* 1. *art.* 1. & alij comprehendentes ſub membro naturam rerum creatarum, & naturalia omnia quæ ſuapte conditione exigit; ſub poſteriori verò dona ſupernaturalia, quæ omnino ſunt ſupra talem exigentiam. Imò D. Auguſtinus diſtinxit non ſemel prædictas gratias: & primam appellavit *gratiam creationis*; quia creatio eſt primum beneficium, cui cætera naturalia veluti adjiciuntur: ſecundam verò *gratiam Redemptionis, Prædeſtinationis*, aut *juſtificationis*: quia ad hæc beneficia omnia quæ ſunt ſupernaturalis ordinis, referuntur. Ita habet ſuper Pſ. 144. ubi inquit: *Diſcite gratiam, intelligite gratiam. Nos antequam eſſemus, omnino non eramus, & facti ſumus homines, cùm ante nihil eſſemus. Deinde jam ipſi homines ex traduce illius peccatoris & maligni eramus: attendamus ergo gratiam Dei, non ſolùm qua fecit nos, verùm etiam, qua refecit. Cui ergo debemus, quia ſumus, illi debemus, quia & juſtificati ſumus.* Et Epiſtola 95. quæ eſt ad Innocentium Papam, ſic ait: *Etſi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati ſumus, ut non nihil eſſemus, nec ita eſſemus aliquid, ut cadaver quod non vivit, & arbor quæ non ſentit, aut pecus, quod non intelligit, ſed homines, qui & eſſemus, & viveremus, & ſentiremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio creatori noſtro gratias agere debemus; unde merito, & iſta gratia dici poteſt, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt: alia eſt tamen, qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur; ut dicere poſſemus: Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et eodem modo loquitur D. Hieronymus *epiſt.* 134. *& dialog.* 1. *contra Pelagium*, & loquuntur alij: de quo videri poteſt Soto *lib.* 1. *de natura, & gratia, c.* 2. & Suarez *tom.* 1. *Proleg.* 3. *cap.* 2.

Gratia ſumpta pro quolibet beneficio.

D. Bonav. Richardus, Gabriel.

D. Auguſt.

D. Hieron. Soto, Suar.

Objectio ex Auguſtino. 5. Neque obeſt, ſi dicas Auguſtinum, & alios Patres qui pro Divina gratia contra Pelagium dimicarunt, reprehendiſſe illum, quòd eo nomine dona naturæ, & naturam ipſam, ejuſque naturalem libertatem, & arbitrium intelligebat, ut hac ſaltem via gratiam confiteri videretur: ergo juxta illorum doctrinam non rectè naturæ dona nomine gratiæ inſigniuntur. Reſpondetur enim Pelagium non ideò à Patribus reprehenſum, quòd dona naturæ gratiam nuncuparet, ſed quia ſub gratiæ nomine nihil præter prædicta naturalia dona agnoſcebat. Et quia cùm quæſtio eſſet de gratia ſupernaturali, quam Chriſtus omnino ſupra exigentiam naturæ nobis promeruit, & per quam homines ad vitam æternam vocantur, juſtificantur, & amici Dei atque hæredes ejuſdem vitæ æternæ conſtituuntur; Pelagius nullam hujuſmodi gratiam voluit confiteri putans naturam ipſam ſemel à Deo creatam, & conſervatam ſufficere ſibi ad peccata vitanda, & vitam æternam promerendam:

Diluitur.

Digitized by Google

cúmque ab Augustino, & aliis ſacræ Scripturæ teſtimoniis regeretur verbo invidiam frangens confugiebat ad prædicta naturalia dona, & ea *gratiam* nuncupabat. Propter iſtum ergo errorem, non verò quia uteretur ſupradicta diſtinctione, reprehenſus fuit. Ut conſtat ex eodem

D. Auguſt.

D. Auguſtino epiſt. cit. ubi poſt verba illa, quæ retulimus, *Alia eſt gratia, quâ prædeſtinati vocamur, juſtificamur, &c.* ſubdit: *De hac gratia quæſtio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius graviter offendebat, atque turbabat, dicebatur ei, quod eam ſuis diſputationibus oppugnaret, quibus aſſereret non ſolùm ad facienda, verùm etiam ad perficienda mandata divina per liberum arbitrium humanam ſibi ſufficere naturam. Hanc Apoſtolica doctrina gratiam iſto nomine appellat, quâ ſalvamur, & juſtificamur ex fide Chriſti. Cùm itaque de hac gratia Chriſtianis fidelibus catholicíſque notiſſima illi objiceretur quæſtio, ut eam oppugnare deſineret, quid eſt quod cùm hæc ſibi in libro ſuo velut adverſante perſona idem ipſe objeciſſet, ut ſe reſpondendo purgaret, nihil aliud reſpondit, niſi naturam creati hominis referre gratiam creatori: atque ita ſe dicere ſine peccato implere poſſe juſtitiam per liberum arbitrium cum adjutorio divinæ gratiæ, quod Deus hoc dederit ipſa poſſibilitate naturæ?*

Gratia ſtat ſpecialiter pro ſolo dono ſupernaturali.

6. Ex quibus liquet conſultiùs nos agere non jam utendo prædicta gratiæ diſtinctione, ſed ſoli ſupernaturali (niſi ſubjecta materia aliud poſtulet) nomen gratiæ tribuendo. Tum quia ita præſtitit ipſe D. Auguſtinus cujus veſtigiis per omnia nobis inhærendum eſt.

D. Auguſt.

Licet enim aliquando prædictum nomen ad naturam & naturalia dona extenderit, non tamen ſimpliciter; ſed cum aliquo addito, & limitatione eam gratiam nuncupavit, ut conſtat ex illis verbis: *Etſi quadam non improbanda ratione dicitur gratia, &c.* gratiam verò abſolutè dictam ubique ſuorum operum contra naturam diſtinxit, præſertim *in lib. de naturâ & gratiâ, de lib. arbit. & aliis.* Conſultius ergo & nos ita loquemur. Præſertim cùm hic modus loquẽdi congruat multò magis S. Scripturæ: in qua cùm gratiæ nomen frequentiſſimum ſit pro gratia juſtificationis, & donis ſupernaturalibus; rariſſimè tamen, aut fortè nunquam accommodatur creationi, vel conſervationi rerum naturalium, aut perfectionibus debitis naturæ: ut obſervavit idem Auguſtinus epiſt. cit. ubi ſic ait: *Illam verò gratiam, quâ creati ſumus homines, etiamſi ita appellandam non immeritò intelligimus; mirum eſt tamen, ſi ita appellatã in ullis legitimis Propheticis Evangelicis, Apoſtolicíſque literis legimus.*

Gratia diſtinguitur contra naturam.

Tum etiam quia cùm gratia in hac acceptione importet donum gratìs alicui collatum; ex ipſa vocis proprietate excludit à ſua ſignificatione & naturam, cui confertur, & quidquid poteſt eſſe debitum tali naturæ. Naturam quidem excludit, quia donum cùm confertur, ſupponit rem cui fit donatio; cùm nihil donetur ſibiipſi, ſed alteri: & cùm natura ſit primum, quod in rebus ſupponitur, neceſſariò debet diſtingui à quovis dono illi collato, uti eſt gratia. Illa verò quæ naturæ debentur, ex ipſo debito excludũtur à conceptu gratiæ: quia ſi debentur non gratis conferuntur. Inter hæc autẽ numerari debent non ſolum proprietates, & accidentia dimanantia ab ipſa natura; ſed etiam generales Dei concurſus, & auxilia communia naturalis ordinis, ſive ſufficientia, ſive efficacia, quæ Deus hominibus præſtat tanquã ipſis connaturalia, ſeu tanquam ex principiis, & inſtitutione naturæ, & naturalis providentiæ petita, & habenda, ſive in omnibus individuis, ſive ſolũ in aliquibus: ſufficit enim quod debeantur ſpeciei, ut rationẽ gratiæ amittant: de quo plura dicemus *diſp. ſeq. dub. 1. & 2.* Sub nomine ergo gratiæ in præſenti ea duntaxat intelligẽda relinquuntur, quæ important aliquod gratuitum Dei donum, & beneficium ſuperans ordinem, inſtitutionẽ, & exigẽtiam naturæ, proindeq; non illi debitũ, ſed gratis, & ex ſpeciali Dei benevolentia exhibitũ: qualia ſunt omnia dona ſupernaturalia. Ita enim utitur gratiæ nomine Eccleſia in ſuis determinationibus, & utuntur SS. Patres ſacra Concilia, & cõmuniter Theologi, ut Pelagij errorẽ rejiciant.

Specialiter gratia acceptio.

7. Obſervant tamen poſſe adhuc diſtingui: nam aliquando prædicta dona excedunt totũ naturæ ordinem, eo quòd ſunt ſupra debitum, & exigentiam cujuſlibet naturæ creatæ, vel creabilis: & hæc ſola dicuntur abſolutè, & ſimpliciter dona ordinis gratiæ: ſuntque abſolutè & ſimpliciter ſupernaturalia, ſeu propria ſolius Dei, & divini ordinis. Aliquãdo verò ſunt ſupra hanc, vel illam naturam, cui conferuntur, non verò ſupra totam naturam, quia datur aliqua creata, vel creabilis ſupra cujus exigentiam non ſint: ſicut modus intelligendi ſine diſcurſu & corporis incorruptibilitas ſunt ſupra naturam hominis; & ideò reſpectu hujus poſſunt dici ſupernaturalia; non autem prædictus modus intelligẽdi eſt ſupra naturam Angeli, neque prædicta incorruptibilitas eſt ſupra naturam Cæli: Unde talis ſupernaturalitas ſolum eſt ſecundùm quid, & cum addito, nimirum reſpectu talis, vel talis naturæ, ſimpliciter verò ad naturalem ordinẽ ſpectat. Immò quædam ſunt, quæ adhuc ipſam naturã, cui tribuuntur, non excedunt, ſi conſiderentur quantum ad ſubſtantiã, & ſpeciem; ſunt tamen quantum ad modũ ſuæ effectionis ſupra ordinẽ naturæ, & ſupra communem, & generalem providentiam: ut ſanitas miraculosè reſtituta infirmo, viſus redditus cæco nato, & ſimilia miracula. Quæ proinde ſolum ſecundũ quid, ſeu quantũ ad modũ dicuntur ſupernaturalia: eodémq; pacto ſub gratiæ appellatione comprehenduntur.

§. II.

Aliquæ gratiæ diviſiones recenſentur.

Gratia dividitur in increatam, & creatam.

8. POſtquam aperuimus proprium gratiæ ſignificatum, ſub quo conſtituit objectum hujus materiæ, ſupereſt, ut ejus diviſiones, & mẽbra rudi Minerva explicemus: ex profeſſo enim id agẽdum eſt *infrà q. 111.* quam D. Th. pro hoc munere inſtituit.

D. Thom.

Prima ergo & generaliſſima diviſione bipartitur gratia in increatã, & creatam. Circa quam partitionem eſt nonnulla difficultas quoad primũ ejus membrum: quia non ita conſtat, an & quo pacto illud, quod eſt increatum importet rationem doni, & dati in ipſo gratiæ nomine incluſam; ac proinde vera & propria appellatione gratia nuncupetur: De quo agemus §. ſequenti.

Diviſiones gratiæ creatæ.

Gratia verò creata communi, & celebriori diviſione ſubdividitur in gratiam ſanctificantẽ, ſeu gratum facientẽ, illam nimirùm quæ per ſe ordinatur ad ſanctificationem proprij ſuppoſiti: & in gratiam gratis datam, ſeu quæ per ſe tendit ad aliorum utilitatem.

Gratia gratis data.

Quamvis enim de ratione omnis gratiæ ſit, ut gratis conferatur; ex uſu tamen hoc complexum applicatum eſt quibuſdã gratiis minoris excellentiæ, ut propria earũ nomenclatura (ſicut nomen generis applicari ſolet tanquam proprium ſpeciei imperfectiori) ut detur intelligi majorẽ rationem gratiæ in illis repertã in eo ſitam eſſe, quod gratis donentur. Sunt autem hujuſmodi perfectiones, & chariſmata quædam, quæ Deus in Eccleſia aliquibus perſonis communicat, non tam ut ipſæ juſtificentur, & perficiantur, quam ut aliis proficiant ad eorumque juſtifi-

Digitized by Google

juſtificationem, & perfectionem cooperentur. Ob idque ab Apoſt. 1. Cor. c. 12. vocantur *manifeſtationes ſpiritus ad utilitatem:* aſſignatúrque earum numerus his verbis: *Unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in uno ſpiritu: alij operatio virtutũ: alij Prophetia: alij diſcretio ſpirituũ: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum. Hæc autẽ omnia operatur unus atque idem ſpiritus dividẽs ſingulis prout vult.* Ex quo & aliis ſcripturæ locis D. Th. & cæteri Theologi dividunt genus gratiæ gratis datæ in novem ſpecies, nempè Fidem, ſermonem ſapientiæ, ſermonem ſcientiæ, Gratiam miraculorum, Gratiam ſanitatum, Donum linguarum, Prophetiam, Diſcretionem ſpirituum, & interpretationem ſermonum: De quibus egimus *tom. 3. in arbore prædicamentali virtutum*, earúmque rationes, & munia explicuimus.

D. Thom.

9. Aliæ verò excellentiores gratiæ, etiamſi gratis conferantur, non indè tamen, ſed ex proprij rationibus, & effectibus nomen accipiunt: & quia primariò tendũt ad proprium ſuppoſitũ ſanctificandũ, & gratum Deo reddendum gratiæ ſanctificãtis vocabulo inſigniuntur. Sed obſervãdum eſt hujuſmodi nomen ſive cõplexum gratię ſanctificantis ſumi multoties omnino ſtrictè: & tunc ſolũ deſignat illã formã, quæ immediatè, & formaliter expellit peccatum, ſanctificat animã, redditq; illam Deo gratã, & naturæ Divinæ participem: eſtque una ſimplex qualitas habitualis, & permanens in ſpecie atoma conſtituta, ut infra *diſp.* 5. conſtabit. Unde ſic accepta non eſt capax ulterioris diviſionis ſaltem eſſentialis: quãvis accidentaliter, ſeu penes diverſos modos, vel ſtatus diviſionem admittat, ut infra etiam declarabitur. Poteſt etiam ſumi largè, & minùs propriè pro qualibet perfectione ſupernaturali, quæ per ſe ordinatur ad perficiendum, & ſanctificandũ proprium ſuppoſitum, ſive formaliter, ſive diſpoſitivè, aut quovis alio modo ad id tendat. Et hoc pacto comprehendit plura, quorum non pauca ſpecie differunt; omnia autem breviter hìc recenſebimus.

Gratia ſanctificans, & ejus diviſiones.

10. Dividitur ergo primò prædicta gratia in illam, quæ immediatè, & per ſe ordinatur ad dandum eſſe ſupernaturale, & in eam quæ per ſe ordinatur ad operationẽ, vel receptionem. Primum membrũ coincidit cum ipſa forma ſanctificãte pro qua ſtant ipſa nomina gratiæ ſanctificantis, & gratiæ gratum facientis, & etiã nomen gratiæ habitualis quoties abſolutè, & ſine addito proferuntur. Cúmque hæc gratia ſit una in ſpecie athoma, ut dicebamus, conſequenter eſt incapax ulterioris diviſionis eſſentialis. Secundum verò membrum continet omnes habitus, diſpoſitiones, & ſimilia, quibus diſponimur, movemur, aut potentes reddimur ad agendũ ſupra vires naturæ vel etiam ad recipiendum. Partiturq; rurſus in gratiam, quæ eſt qualitas permanens (qua ratione poteſt dici gratia habitualis, vel ad eam reduci) ſub qua continentur dona Spiritus S. virtutes per ſe infuſæ, & characteres aliquorum ſacramentorum: dividitúrq; ultimatè, ſicut ipſa dona, & virtutes dividuntur, Et in illam, quæ ſe habet per modum auxilij, vel motionis citò tranſeuntis, ſoletque appellari gratia actualis, vel gratia per modum auxilij. Quæ virtus aliquãdo eſt qualitas impreſſa potentiæ operativæ, ut moveatur, vel moveri poſſit ad agendum: aliquando verò eſt operatio à nobis elicita virtute alterius prioris gratiæ: quia ſæpè per unum actũ movemur ad alium eliciendum: & tunc primus habet rationem gratiæ, & auxilij reſpectu ſecundi. Illa igitur gratia, ſive auxilium, quod conſiſtit in actuali operatione, dividetur, ſicut dividitur ipſa operatio, vel ſicut dividitur effectus pro quo exhibetur. Quæ autem ſita eſt in qualitate, vel motione potentiis impreſſã, alia ſe habet per modũ actus primi ſeparabilis (ſaltem quantum eſt ex hoc capite) ab actu ſecundo: & alia per modum prædeterminationis, & applicationis efficacis ad ipſum actum, eſtque ab eo inſeparabilis. Et rurſus utraque diviſionem accipiet uſque ad ſpecies atomas, juxta diviſionem operationem pro quibus exhibentur: reducuntur enim hujuſmodi auxilia, & motiones ad ſpecies actuum pro quibus conferuntur.

Gratia habitualis & actualis.

11. Præter has gratiæ diviſiones, quas Logicus, & Metaphyſicus appellabit eſſentiales, aſſignant Theologi aliquas alias, iiſque frequentius utuntur, quæ vel eſſentiales non ſunt, vel ad prædictas reducuntur. Ut cùm dividitur gratia in *operantem*, & *cooperantem*: in *excitantem*, & *adjuvantẽ*, in *ſanantem, elevantem*, & *auxiliantem*: in *ſufficientem*, & *efficacem*: in *prævenientem, concomitantem*, & *ſubſequentem*: in *moralem*, & *phyſicam*: in *internam*, & *externam*, & hujuſmodi. Quarum perfecta notitia infra *diſp.* 5. quærenda eſt, ubi etiam conſtabit, an & qualiter prædictæ diviſiones, & earum membra inter ſe differant: modò verò ſufficiet nomina, & rationes breviter exponere.

Aliæ gratiæ diviſiones explicantur.

Dicitur itaque gratia *operans* illa, per quã mens noſtra movetur à Deo, & non movet: *cooperans* verò illa per quam & movetur, & movet. Gratia *excitans* dicetur illa, quę hominem quaſi dormientem, ſeu non attendentem evigilare, & attendere facit, tangendo cor, aut ſaltẽ mentem illuminando. Gratia *adjuvans* prout diſtincta ab excitãte, explicatur eodem ferè modo, ſicut gratia *cooperans*: nam eſt quæ tribuit libero arbitrio, ut actu operetur, & in operatione perſiſtat. Gratia *præveniẽs* vocatur, quæ tempore, vel natura præcedit uſum liberi arbitrij movetque illud, vel diſponit, ut operetur. Et poteſt etiã dici gratia *præparans*, ut loquitur multoties D. Aug. Continentur autẽ ſub iſta gratia non tantùm auxilia ſufficiẽtia, per quæ agere poſſumus, ſed etiã præmotiones, & prædeterminationes, quibus efficaciter ad agendum applicamur. Gratia *concomitãs* dici poteſt concurſus Dei ſimultaneus in operationem noſtram, ſeu omnis illa quæ ſimul cum libero arbitrio in actũ ejus influit. Gratia *ſubſequens* dici poteſt quęcunque ſupponit aliam gratiã, vel alium gratiæ effectum, ad quẽ conſequitur, & dicitur *ſubſequens* reſpectivè ad gratiã, vel effectum quæ ſupponit: unde eadẽ gratia, quæ eſt conſequẽs reſpectu unius, poteſt dici *antecedẽs* reſpectu alterius: niſi ſit prima gratia, quæ eo ipſo ad nullã aliã cõſequitur, vel ultimus effectus, qui omnia alia præſupponit.

Gratia operans & cooperans. *Excitans.* *Adjuvans.* *Præveniens.* **D. Auguſt.** *Concomitans.* *Subſequens.*

Gratia *phyſica* dicitur, quæ phyſico modo influit in actum, vel quia eſt principiũ ejus elicitum, vel quia eſt forma, vel motio conſtituens, elevans, aut applicãs tale principium. *Moralis* verò gratia dicitur, quæ non ita, ſed morali modo, hoc eſt, incitãdo, alliciendo, vel ſuadendo movet nos ad benè operãdum. Unde ſicut ſub gratia phyſica cõtinentur omnes habitus, auxilia, & motiones, quæ intrinſecè afficiunt animã, & ejus potentias, & illis inhærent: ita ſub morali cõprehendũtur omnia, quæ per modũ objecti, vel ex parte ejus (licet ſint actus intrinſeci, & potentiis inhærẽtes) concurrunt ad movendas ipſas potẽtias in ordine ad actus ſupernaturales: quo pacto ſe habent doctrina, quam audivimus, miracula, quę cernimus, & multæ cauſæ, & occaſiones, quæ ſenſibus objiciuntur; & ipſi actus interni, quibus hæc objecta cognoſcimus, & penetramus.

Phyſica, & moralis.

12. Coincidit verò ferè & magna ex parte cum iſta diviſione illa, quam ultimo loco nominavimus,

Interna & externa.

ſcilicet in gratiam *internam*,& *externã*:nam gratia *interna* comprehendit omnes illas, quæ intrinſecè afficiunt animã, & ejus potentias,præſertim ſpirituales:ſicut afficiunt habitus,motiones, & auxilia, quæ gratiã *phyſicam* appellavimus. *Externa* autem cõplectitur quidquid aliud nobis à Deo confertur in ordine ad ſpiritualem ſalutem : ut eſt externa ejus protectio, Angelorum cuſtodia, ſacra doctrina, Divina Lex, & cætera quibus inſtruimur:nec non reliquæ cauſæ,& objecta externa, quæ ſenſibus ſpecies tribuunt,mediis,quibus ad res divinas, & ſupernaturales animus excitatur : nec non effectus omnes Divinæ providentiæ ad finem ſupernaturalẽ ordinati,ſivè in generali pro univerſitate hominũ, ſivè in ſpeciali pro alicujus privatæ perſonæ ſpirituali ſalute. Undè,ipſa Chriſti Domini paſſio,redemptio ejus activa,& etiam ſacramenta, quæ nobis operata eſt , ſub hoc genere gratiæ externæ comprehenduntur : quia licet effectus juſtificationis,& ſanctificationis,qui inde nobis proveniunt ſint intrinſeci;ipſa tamen paſſio,ſacramenta, & redemptio activa extra nos ſunt,& rectè à prædictis effectibus,& gratiis nobis inhærẽtibus condiſtinguntur. Diviſio enim gratiæ penes internam, & externam non attẽditur abſolutè, ſed reſpectivè ad hominẽ cui gratia fit. Et quamvis omnis gratia fiat in ordine ad aliquam internam hominis perfectionẽ,per quã ſanctificetur,vel ad ſanctificationẽ diſponatur;nihilominus non omnis talis gratia interne hominẽ afficit, ſed multæ habent eſſe extra ipſum: ſicut multæ cauſæ ſunt extra ſubjectum ubi ſuos effectus cauſant : & ideò rectè dividitur gratia in internã,& externam. Sed hanc diviſionem,ſicut & præcedentem fuſiùs explicabimus *diſp. 5. dub. 1.*

Advertendum eſt tamen,non omnem gratiam, etiam ſi inhæreat homini, & ejus potentiis, æquè internè afficere ipſum:nam quæ immediatè inhæret animæ, vel potentiis ſpiritualibus, aut intellectui , & voluntati, intimior eſt illa, quæ inhæret potentiis ſenſitivis, & ideo facta collatione ad illam priorem, poſſet hæc poſterior numerari inter gratias externas : ut fit ab aliquibus. Simpliciter autem nominanda eſt gratia interna : quia intrinſecè afficit hominem mediis potentiis internis.

§. III.

Explicatur diviſio gratiæ in increatam , & creatam , nec non in temporalem , & æternam.

An detur gratia increata.

13. Majorem difficultatem continet diviſio illa gratiæ in increatã,& creatam,quam primo loco memoravimus:nam videtur eſſe de ratione omnis gratiæ,quod ſit aliquid creatũ. Quamvis enim gratia ſumpta pro dilectione juxta primã acceptionem *n. 2.* explicatam comprehendat actus increatos,& hi potiſſimè in eo ſenſu gratia appellentur;juxta ſecundam tamen acceptionem ibidem tradiſam ſc. pro dono gratis à Deo nobis collato, prout nunc de ea loquimur,videtur importare aliquid imperfectionis,ratione cujus nõ poſſit Deo, aut ejus increatis perfectionibus competere. Nam videtur includi in conceptu doni ſubjectionem ad conferentem,& diſtinctionẽ,atque dependentiam ab illo:aut ſaltem videtur exigere,ut is,à quo confertur,habeat auctoritatẽ,& dominium ſuprà tale donum:immo,& quod ſicut antequã cõferatur,debebat eſſe illius à quo cõfertur,& in ejus poteſtate conſtitutũ;ita poſtquam collatũ fuerit,fiat ejus,cui tribuitur, & remaneat ſub ejus dominio, & poteſtate. Quæ omnia involvere videntur non parum imperfectionis in re, quæ donatur , tùm reſpectu donantis , tum etiam reſpectu recipientis.

Partis negativæ motivũ.

14. Nihilominus communis Theologorum ſententia tenet gratiam ſumptam etiam pro dono gratis à Deo collato , comprehendere ipſas divinas perſonas , & earum increatam perfectionem: atque adeò non omnem gratiam creatam eſſe, ſed rectè dividi in increatam,& creatam. Conſtat ita ex ſacra Scriptura ubi tã perſona filij,quã Spiritus ſancti dicuntur donari,ſeu dari nobis ex amore, & dilectione Dei:juxta illud Iſai.c.9. *Filius datus eſt nobis*:& Joan.c. 3. *Sic Deus dilexit mundũ,ut filium ſuum unigenitum daret.* & c. 14.ait Chriſtus Dñs: *Ego rogabo Patrẽ,& alium Paraclitũ dabit vobis.* Quibus verbis apertè ſupponit,ſe eſſe Paraclitum, ſeu conſolatorẽ a Patre nobis datum,& alium etiã Paraclitum,ſc.Spiritum ſanctũ dãdum repromittit. Et ad Rom. 8. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctum,qui datus eſt nobis.* Quo circa D.Aug.lib. 12. de Trinit. non ſolum ait dari nobis dona increata,ſed etiam ipſam perſonã Spiritus ſancti, qui *donum Dei* per excellentiam appellatur. Et ſerm. 61. de verb. Domini: *Gratia Dei* (inquit) *donum Dei eſt: donum autẽ maximum ipſe Spiritus ſanctus eſt,& ideò gratia dicitur.* & D. Iſidorus lib. 7. Etym. c. 3. de eodem divino Spiritu loquens ſic ait: *Ipſe eſt gratia,quæ quia non meritis noſtris,ſed volũtate Divina gratis datur,inde gratia nuncupatur.* Quinimmò cit.loco Joan.c. 14. de tota Trinitate reſpectu hominis juſti dicitur : *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Tũ etiã id conſtat in incarnatione Verbi Divini: per quã ipſa Divina perſona ex ſummo totius Trinitatis amore data eſt humanitati,tanquam maximum,& ſupremum donum,quod potuit rei creatæ cõferri. Et in patria,Divina eſſentia unitur immediatè intellectibus Beatorum,ut ab illis habeatur, & poſſideatur. Non igitur eſt contra rationem Divinæ, & increatæ perfectionis donari hominibus ex amore, & benevolentia ipſius Dei, habereque proinde rationem gratiæ.

Perſonæ divinæ poſſunt eſſe donum gratis datum.

Iſai. 9.

Joan. 3. & 14.

Ad Rom. 8.

D. Auguſt.

D. Iſidor.

15. Ad ea,quæ in oppoſitum adduximus reſpondetur optimè ſalvari rationẽ doni,& dati ſine ſubjectione,aut dependentia ab aliquo : & etiam ſine diſtinctione,quæ ponat imperfectionẽ in re, quæ datur. Nam Pater æternus dat ſuam eſſentiam filio, & uterque Spiritui ſancto ; & nihilominus à nullo diſtinguitur ipſa eſſentia. Neque ponitur in ea aliqua ſubjectio, dependentia, aut imperfectio, aut reſpectu dantis , aut reſpectu accipientis. Neque etiam requiritur auctoritas dantis ſupra rem , quæ datur,quãdo non diſtinguuntur:ut cùm quis dat ſe ipſum. Sed ſufficit,quod dans habeat ſe ipſum, ſeu ſit ſui ipſius per identitatẽ , ſitque liber & ſui juris ad ſe tribuendum. Et hac ratione in divinis non ſolùm Pater dat nobis filium,& Spiritum ſanctum, ſed ipſa Divina eſſentia,& tota Trinitas,& qualibet perſona dat ſe ipſam juxta citatum locum Joan. *Ad eum veniemus,& manſionẽ apud eum faciemus.* Et quamvis ubi datur diſtinctio,adſit etiam auctoritas ex parte dantis; nulla tamen per hoc ponitur imperfectio, vel ſubjectio in re,vel perſona, quæ datur,ſed ſolus ordo originis à dante, vel donante.

Diluitur contrarium fundamentum.

Quod utrumque rectè explicuit D.Th. tum 1.p. q. 38. art. 1. ubi & nos diſp. 16. dub. 2. illam difficultatem vexavimus. *Utrùm donum in Deo dicatur tam eſſentialiter,quàm notionaliter?* Tum etiam in 1. diſt. 18. art. 1. ubi ſic ait : *dare,vel donare dicitur dupliciter. Uno modo illud,quod habetur per modum dominij ut poſſeſſio. Alio modo illud, quod habetur, quaſi intrinſecum ſibi ſicut aliquis habet ſe ipſum,vel materiam ſuam, vel qualitatem. Quamvis autem in divinis perſonis non ſit dominium unius reſpectu alterius ; tamen eſt ibi auctoritas principij. Dicendum igitur,*

D. Thom.

Digitized by Google

igitur, quod datio poteſt importare auctoritatem reſpectu dati: & ſic donum, vel datum eſt rationale. Poteſt etiam non importare auctoritatem, ſed tantum hoc, quod id, quod datur, liberè habeatur: & hoc modo ipſa eſſentia dicitur dari, vel donari. Et ſecundum hoc, donum, vel datum, non eſt perſonale, ſed eſſentiale, tamen ſemper importat diſtinctionem dantis ad eum, cui datur, quamvis non ad id, quod datur.

Ratio doni an ſit communis toti Trinitati. 16. Ubi obiter nota, quod licèt nomen *Doni* ſub aliqua acceptione ſit nomen rationale, & proprium Spiritus ſancti; ſub alia eſt nomen eſſentiale toti Trinitati commune: & ſecundùm hanc poſteriorem non ſolùm Spiritui ſancto, ſed cuilibet perſonæ, & ipſi divinæ eſſentiæ competit munus gratiæ ſumptæ pro dono gratis conceſſo: ſpecialiſſimè tamen appropriatur Spiritui ſancto ad eumque peculiares omnes gratiæ, & omnia dona referuntur: quia de ratione doni quovis modo accepti eſt ut ſit conferendum ex amore. Donum enim juxta Philoſ. 4. Ethicorum c. 2. *eſt datio irreddibilis*, hoc eſt liberalis, non quæ recompenſari non valeat, ſed quæ recompenſationem non quærit: & ita fundari poſtulat in amore. Unde licèt eſſentia Divina à Patre detur Filio, non tamen donatur: quia non ex amore, ſed naturaliter datur. Sicut etiã quæ ab hominibus dantur, non omninò donantur: quia non ex ſolo amore, ſed propter quæſtum vel ex timore, ſaltem magna ex parte tribuuntur. Cùm ergo Spiritus ſanctus per voluntatem, & amorem procedat, ex ipſo modo proceſſionis competit, ſibi quod poſſit donari, & quod per eũ omnia alia donentur: de quo legendus D.Th. *diſt. cit. art. 2. & 3.* *D. Thom.*

Ad illud, quod ultimò objectum fuit, nimirum quod donum poſtquam datum eſt, ſit aliquid creaturæ, cui datur: Reſpondetur neque in hoc importari aliquem defectum: quia licèt fieri, vel eſſe creaturæ ad uſum ſimpliciter, dicat imperfectionem, quia dicit eſſe propriè ſub ejus dominio, & poteſtate; non tamen eſſe illius ad fruitionem, cognitionem, & amicabilem converſationem, prædictam imperfectionem importat. Et hoc modo, non verò illo priori eſſentia & Perſonæ Divinæ fiunt noſtræ, cùm ſe nobis donant.

Alia objectio. 17. Sed adhuc objicies contra prædictam diviſionem gratiæ, quia Spiritus ſanctus (idem eſt de aliis perſonis, & perfectionibus increatis) non aliter ſe nobis dat, niſi mediante habitu gratiæ ſanctificãtis, qui eſt ejus effectus, & aliquid creatum: & ideò ſolum datur juſtis talẽ habitum habẽtibus: ergo prædictus habitus, non verò ipſe ſpiritus increatus erit, qui immediatè nobis confertur, & cui formaliter convenit ratio doni, & munus gratiæ.

Confirmatio 1. Confirmatur: nam Spiritus ſanctus ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam ſubſtantialem præſentiam ſemper eſt in nobis, etiam antequam gratia adveniat, ſicut ſemper eſt ubique immediatè per ſuam immenſitatem: ergò adveniente gratia, non adveniet de novo ſecundùm prædictam ſubſtantialem præſentiam, ſed dumtaxat ſecundùm novum effectum, qui eſt ipſa gratia.

Confirmatio 2. Et confirmatur ſecundò: quia ſi Spiritus ſanctus, quando gratia animæ infunditur, infunderetur, & uniretur illi immediatè ſecundum ſe, & ſecundùm ſuam ſubſtantialem præſentiam, & non ſolùm mediante gratia; in ipſa ſua ſubſtantiali præſentia mutaretur: ſiquidem ſecundùm illam haberet ſe aliter ad nos, atque antea ſe habebat: ſed hoc eſt impoſſibile: ergo, &c.

18. Hæc objectio tangit illam difficultatem, quæ circa miſſionem inviſibilem divinarum perſonarum in materia de Trinitate agitari ſolet, & à nobis pertractata eſt eo loco *diſp. 19. dub. 5.* An ſcilicet in prædicta miſſione non ſolùm dentur juſtis dona creata gratiæ ſanctificantis, ſed etiam ipſæ divinæ perſonæ Spiritus ſancti, & Verbi: ita ut novo, & ſpeciali modo per intimam, veram, realem, & ſubſtantialem præſentiam, diſtinctamque ab ea, qua per illapſum, ſeu per eſſentiam, & immenſitatem ſunt in omnibus rebus, incipiant inhabitare animam ejus, ad quem mittuntur: adeò ut ſi per impoſſibile prædicta præſentia per immenſitatem non daretur; nihilominus ratione prædictæ miſſionis eſſent in illo ſubſtantialiter, & perſonaliter Divinæ perſonæ? In qua difficultate ſequuti ſumus loco cit. partem affirmativam: eandemque modò amplectimur: quia communem, & à Patribus præſertim verò à D.Th. ubique receptam videmus. Juxta quam doctrinam reſpõdetur ad objectionem, quod licèt Spiritus S. non detur hominibus abſque infuſione gratiæ ſanctificantis: quia per hanc, & non aliter diſponitur homo ad hoc, ut ipſe divinus Spiritus illi aſſiſtat, & ipſum inhabitet: non tamen ſola prædicta gratia, ſed etiam idem Spiritus ſanctus immediatè ſecundùm ſuam ſubſtantiam infunditur, & communicatur. Sicut inter ipſa dona creata licèt habitus charitatis non infundatur, niſi cum habitu gratiæ, uterque tamen habitus immediatè ſecũdum ſuam eſſentiam communicatur, & infunditur. Atque ideo ſicut in hoc exemplo utrique habitui competit formaliter, & immediatè munus gratiæ: ita in noſtro caſu ratio gratuiti doni immediatè competit tam perſonæ divinæ, quàm gratiæ creatæ, & de utraque formaliter prædicatur. *D. Thom.* *Solvitur objectio.*

Quam doctrinam tradit D.Tho. multis in locis quæ *diſp. cit.* adduximus: præſertim *1. p. q. 43. art. 3.* ubi poſtquam dixit, quod ſecundùm ſolam gratiam gratum facientem mittitur, & procedit temporaliter Perſona divina, ita ſubdit: *Sed tamen in ipſo dono gratiæ gratum facientis Spiritus ſanctus habetur, & inhabitat hominem: unde ipſemet Spiritus ſanctus datur, & mittitur.* *D. Thom.*

Et cùm in primo argumento objeciſſet ſibi in hunc modum: *Divinam Perſonam mitti, eſt ipſam donari: ſi igitur divina Perſona mittitur ſolùm ſecundum dona gratiæ gratum facientis, non donabitur ipſa Perſona Divina, ſed ſolum dona ejus: quod eſt error dicentium Spiritum ſanctum non donari, ſed ejus dona.* Reſpondet ad 1. *dicendum, quod per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc, quod liberè non ſolùm ipſo dono creato utatur, ſed ut ipſa perſona divina fruatur. Et ideò miſſio inviſibilis fit ſecundùm donum gratiæ gratum facientis, & tamen ipſa perſona divina datur.* Idem docet *in 1. diſt. 14. q. 2. art. 1.* cujus verba inferiùs referemus, & eodem loco ad Anibal. art. 3. *Ille* (inquit) *qui juſtificatur, non ſolum habet donum Spiritus ſancti; ſed ipſum Spiritum ſanctum: & ſic non ſolum donum Spiritus ſancti datur, ſed ipſe Spiritus ſanctus.* Quã doctrinam ſumpſit ex Aug. ſerm. 43. de verbis Dom. ubi exponens illa ad Epheſ. 4. *Dedit dona hominibus*, &c. Quærit, *Quæ dona?* & reſpondet: *Spiritum ſanctum, quia tale dat donũ, qualis eſt ipſe. Magna eſt miſericordia Dei: donum dat æquale ſibi: quia donum ejus Spiritus ſanctus eſt.* Patet ergo ex his negandã eſſe conſequentiã objectionis propoſitæ. *D. Auguſt.*

Occurritur 1. Confirmationi. 19. Ad primam confirmationẽ reſpondetur modum quo Spiritus ſanctus adeſt juſtis, & eſt in illis per gratiam, differre à modo, quo eſt in omnibus rebus per eſſentiã, ſeu immenſitatem. Nam ratione iſtius ſolùm aſſiſtit rebus ut cauſa eſſendi, ſive ut creans, vel conſervans illas *in ſuo eſſe*. Eſt tamen valdè intimus hic aſſiſtẽtiæ modus: ob idque dici-

Digitized by Google

tur *per intimum illapſum* : quia *eſſe* eſt intimius, quod in qualibet re invenitur : & quia Deus non producit, vel conſervat illud mediante alio ſuppoſito, ſed immediatè per ſe ipſum, oportet quod immediatè per ſuam ſubſtantiam intimè reb⁹ illabatur. Et licèt hoc etiam modo adſit Deus juſtis ratione gratiæ:quia non minùs quã alias res efficit, & conſervat immediatè iſtam gratiam:præſuppoſito tamen iſto modo, datur præterea alius ſpecialiſſimus omninóq; proprius exiſtentium in gratia. Qui conſiſtit in hoc quòd per ipſam gratiam trahitur Deus ad animã, & jungitur illi, ut ſit, & maneat in ea:ſicut hoſpes amicabilis manet in domo amici, & ut Deus in Templo ſibi cõſecrato, & ut cognitũ in cognoſcente, & amatum in amante, quo ipſe amans pro libito fruatur, & cũ quo familiariter colloquatur, & cui amicabiliter convivat, & converſetur. Et licèt non ſemper quoad actum cognitionis, amoris, fruitionis & converſationis; ſẽper tamẽ quoad habitum & facultatẽ cognoſcendi, amandi, fruendi & converſandi. Imò quodammodo eſt ibi Deus, ut ſub ditione & poteſtate animæ juſtæ : & poteſt dici, quòd Deus ſit talis animæ: ſicut dicebatur eſſe Abrahami, Iſaaci, & Jacobi:quia juſti per gratiã habent Deum quaſi ſibi obtemperantem, paratúmq; eorum voluntatem adimplere:juxta illud Joſue 10. *Obediente Deo voci hominis*. Et habent veluti dominium ſupra eius bona:ſicut amicus habet ſuper bona amici, ut poſſit de ipſis pro libito diſponere. His terminis declaratur utcunq; proprius, & ſpecialis modus, quo Deus immediatè ſecundùm ſe ipſum communicatur, & aſſiſtit omnibus juſtis ratione gratiæ & amicitiæ cum illo.

Deus quomodo ſit in juſto.

Ioſue 10.

Reſp. ad 2. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd licèt requiratur aliqua nova & realis mutatio, ut intelligamus Deum eſſe in anima cui infundit gratiã novo & diſtincto modo ab illo, quo eſt in omnib⁹ rebus, non tamen hæc mutatio debet poni in Deo, ſed in anima gratiã recipiente. Nam eo ipſo quòd talis anima per gratiæ receptionẽ mutetur, & aliter referatur ad Deũ ac referebatur antea, intelligim⁹ Deum ſine ſui mutatione terminare prædictam relationem, & habere ſe aliter ad animam, ac anteà ſe habebat. Et hic novus modus ſe habendi eſt illa ſpecialis aſſiſtẽtia, & præſentialitas de qua loquimur. Quod rectè explicuit D. Tho. *loc. cit. in* 1. *diſt.* 14. ubi cùm ſtatuiſſet pro concluſione : *quod ipſemet Spiritus S. procedit temporali proceſſione, vel datur, & non ſolùm dona eius*:probat illam ſequenti diſcurſu:*Si enim conſideremus proceſſionem Spiritus ſancti ex parte eius à quo procedit, non eſt dubiũ quin ſecundùm illum reſpectum ipſemet Spiritus S. procedat. Si autem conſideremus proceſſionem ſecundùm reſpectum ad id in quo procedit, tunc (ſicut dictũ eſt) reſpectus iſte in Spiritu S. ponitur, non quia ipſe realiter referatur, ſed quia alterum referatur ad ipſum. Cùm igitur in acceptione donorum ipſius non ſolùm relatio noſtra terminetur ad dona, ut ipſa tantùm habeamus, ſed etiam ad Spiritum S. quia aliter ipſum habemus, quam priùs, non tantùm dicentur dona ipſius, procedere in nos, ſed etiam ipſemet : ſecundùm hoc enim ipſe dicitur referri ad nos, ſecundùm quod nos referimur in ipſum. Et ideò procedit ipſe in nos, & dona ipſius, quia & dona eius recipimus, & per eadem ad ipſum nos aliter habemus, inquantum per dona ejus ipſi Spiritui ſancto conjungimur per donum nos ſibi aſſimilans.* Idem repetit in ſolutione ad 1.

Deus nõ mutatur, cùm incipit eſſe in juſto.

D. Thom.

Nota. 20. Notanda autem ſunt verba illa: *Cùm igitur in receptione donorũ ipſius non ſolum ratio noſtra terminetur ad dona, ut ipſa tantum habeamus, ſed etiã ad Spiritum ſanctum, &c.* Et ſimilia quæ habet *in ſolut. ad* 2. Nam illis optimè declaratur quod diximus, nẽpe Spiritum S. non ſolùm mediatè per habitum gratiæ, ſed immediatè ſecundùm ſuam ſubſtãtiã haberi ab anima juſti, & habitare in illa:quia ad hoc ſatis eſt, quòd relatio præſentiæ, ſeu poſſeſſionis tenẽs ſe ex parte animæ, pertingat immediatè ad ipſum Spiritum S. & non ſiſtat in prædicto habitu:ut reverà non ſiſtit. Imò talis habitus potiùs ſe habet ut fundamẽtum vel ratio fundandi prædictas relationes:terminus verò immediatus attactus, ſeu (ut ita dicamus) immediatè attractus, & qui ab illa relatione, vel ex ejus connotatione denominatur *præſens* & *unitus* eſt ipſe Spiritus S. Poteſtque hoc magis declarari animadvertendo, quod cùm Deus immediatè per ſuam eſſentiam ſit præſentiſſimus, & intimè illapſus in omnibus rebus ratione immenſitatis, eò ipſo quòd aliqua creatura novo modo ad eam ſe habeat, & novam relationem ad eũ fundet : ſicut ſe habet & fundat anima rationalis, dum accipit gratiã:jam Deus ipſe novo modo adeſt ipſi animæ, ita immediatè per ſuam ſubſtantiam, ſicut erat ratione immenſitatis, (altiori tamen, & nobiliori modo præſentiæ, & unionis) non enim remotius, aut minus immediatè intelligitur ſe habere Deus ad prædictam animam, ut attactus per illã relationem fundatam in gratia, quam intelligitur ſe habere ratione immenſitatis, & ut terminat relationem, quam quælibet creatura ratione ſuæ efficientiæ, & conſervationis ad eum fundat.

21. Supereſt explicanda ultima diviſio gratiæ, ſcilicet in temporalem & æternam:cujus ſolùm ſecundũ membrum cõtinet aliquid difficultatis. Quia ex una parte videtur dicendũ omnem gratiam eſſe temporalem:ſicut omnis creatura, cui confertur, facta eſt in tempore. Ex alia verò gratia increata, quã hucuſque adſtruximus, videtur eſſe æterna, cùm nihil increatum temporale ſit. Sanè, ſi ſermo eſſet de gratia juxtà primam acceptionem ſumpta pro actu divinæ voluntatis, quo homines elegit, & prædeſtinavit ad gloriam, vel ſaltem ad gratiam vocare decrevit, certum eſt talem gratiam, etiã formaliſſimè in ratione, & ſub munere gratiæ eſſe æternam:quia prædictus actus etiam cum terminatione illa ad creaturas, ſub qua denominatur *electio, prædeſtinatio*, &c. convenit Deo ab æterno : nam ex tunc reſpexit per illum eos, quos elegit, & prædeſtinavit : juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, &c. Ad Epheſ. 1.

Exponitur diviſio gratiæ in temporalem & æternam.

At verò, loquẽdo de gratia in ſecunda acceptione pro dono gratis collato, quo pacto ad hunc tractatũ pertinet, non eſt cur dicatur æterna formaliſſimè in ratione gratiæ, quia nullum eſt donum, quod Deus ab æterno contulerit:quãvis enim eſſentia & perſonæ divinæ ſecundùm ſe æternæ ſint; rationem tamen gratiæ non habent, niſi quatenùs nobis donãtur:unde quia non ab æterno, ſed in tempore donatę ſunt, non niſi ex tempore rationẽ & nomen gratiæ ſortiuntur. Itaque hæc gratia increata ſecundùm totam ſuam perfectionem, & quaſi in eſſe rei ſumpta ab æterno fuit, non tamẽ ab æterno fuit ſub denominatione gratiæ, aut munus gratiæ exercuit, quia non ex tunc collata eſt hominibus, ſub qua collationẽ, & non aliter gratiæ denominationẽ ſortitur. Quemadmodum licèt actio divina, quã Deus univerſum creavit ſecũdùm ſe, & in eſſe rei ſumpta ab æterno fuerit, non tamẽ ab æterno fuit formaliter creatio:quia nõ ex tunc fuit ſub munere & exercitio creandi. Circa hæc tamen vide, ſi placet, quæ diximus *to. 1. in tr. de ſciẽt. Dei, diſp. 8. n.* 105. *& to.* 4. *in tr. de pecc. diſp.* 17. *n.* 15. ubi explicuimus qualiter adveniant Deo in tempore aliquæ denominationes etiam intrinſecæ abſque ulla ſui

Deus non habuit ab æterno rationem gratiæ.

muta

mutatione, vel alicujus entitatis ſuperadditione. Ex quibus fit, prædictam diviſionem gratiæ, ſi admittenda ſit, debere exponi quoad ſecundum membrum vel de gratia ſumpta pro actibus divinis juxta primam acceptionem: vel quod dicatur æterna quaſi materialiter, & in eſſe rei, non verò ſub denominatione, & munere gratiæ.

D. Auguſt. & D. Thom. quadam ſententia explicatur.

22. Sed objicies, quod Spiritus ſanctus ab æterno habet quod ſit donum: ut ex D. Auguſt. docet cum Magiſtro D. Thoma *in 1. diſt. 18. qu. 1. art. 2.* ergo ab æterno habet quod ſit gratia. ¶ Reſpondetur negando conſequentiā. Nam licèt donum includatur in ratione gratiæ; non tamē ſola ratio doni gratiā conſtituit, ſed addendum eſt, quod ſit aliquid donatum. Eſt enim de ratione gratiæ, quod detur alicui, neq; habet gratiæ rationem, quo uſque intelligitur procedere in eū, cui ſit talis gratia. Cæterùm de ratione doni non eſt quod actu detur, ſed quod poſſit donari. Et ideo dicimus aliquē habere multa dona: quia habet multa, quæ donare poſſit, licèt actu nihil dederit. Quia ergo Spiritus ſanctus ab æterno ex modo ſuæ proceſſionis habet, quod donari poſſit, ex tunc competit illi formaliſſimè ratio doni: non tamen ab æterno eſt formaliter gratia, quia non ex tunc, ſed in tempore donatur. Et hoc eſt, quod aiunt D. Auguſt. Magiſter ſententiarum, & D. Thom. loco cit. Verba Auguſt. refert Magiſter in hunc modum: *Semper procedit Spiritus ſanctus, & non ex tempore, ſed ab æternitate procedit: & quia ſic procedebat, ut eſſet donabile, jam donum erat, antequam eſſet, cui daretur. Aliter enim intelligitur, cum dicitur donum; aliter cum dicitur donatum: nam donum poteſt eſſe etiam antequam detur: donatum autem, niſi datum fuerit, nullo modo dici poteſt. Sempiternè ergo Spiritus ſanctus eſt donum, temporaliter autem donatum.*

D. Auguſt. Magiſter ſent. Divus Thomas.

Ultima diviſio in gratiam ſolius Dei, & gratiam per Chriſtum.

23. Supra dictis addi poteſt alia diviſio gratiæ, ſcilicet in gratiam collatam per Chriſtum, & in gratiam ſolius Dei. Quamvis enim nulla detur gratia, quæ donum Dei, & ab eo gratis collata non ſit; immo & quæ non reſpiciat Chriſtum tanquam finem ob cujus gloriam collata eſt: non tamen adhuc certò conſtat an omnis gratia collata fuerit ex meritis Chriſti, vel potiùs aliqua ex ſola Dei liberalitate, & non propter prædicta merita ſicut de gratia collata Angelis, & etiam Adamo in primo ſtatu, quæ non fuit gratia redemptiva tetigimus *in tr. de prædeſt. diſp. 5. n. 26.* Ergò ſi teneatur hoc ſecundum, quod non eſt præſentis loci examinare, conſequenter admittenda erit prædicta diviſio. Dicitur enim gratia per Chriſtum ſola gratia redemptiva, & reparativa generis humani: quæ verò data eſt Angelis, & Adamo in primo ſtatu, dicetur gratia ſolius Dei. Si verò teneatur primum, erit locus tali diviſioni: quia omnis gratia erit gratia per Chriſtum. Tunc autem hæc ipſa gratia per Chriſtum ſubdividenda erit in redemptivam, & non redemptivam. De quo alibi.

CAPUT II.

De variis ſtatibus naturæ humanæ, in quibus eget gratia.

QUi accuratiùs eſſentiam, neceſſitatem, & effectus gratiæ nobis aperire geſtierunt, non pauca de ejus ſubjecto, quod eſt natura, admiſcere compulſi ſunt: quia illorum notitia ex hujus conſideratione juvatur: immò ab ea ſic dependet, ut nec gratiæ virtus, & efficacia, nec neceſſitas, & exiſtentia, ignota naturæ inſufficientia, & infirmitate, deprehendi valeant. Et hac de cauſa D. Aug. ubiquè ferè cum de gratia diſputavit, egit etiam de natura propter doctrinæ connexionem. Immò in ipſa librorum epigraphi non ſemel utramque conjunxit, ut conſtat in illo, cui titulus, *De natura, & gratia:* & in alio, *de gratia, & libero arbitrio.* Quod etiam præſtitit D. Bern. & alij præſtiterunt.

Porrò natura, quæ eſt gratiæ ſubjectum, ſolum poteſt eſſe natura rationalis, ſeu libera: quia hæc dumtaxat capax eſt ordinandi, & perveniendi ad ſupernaturalem beatitudinem, quæ eſt finis, & ſcopus gratiæ. Et quamvis ſub prædicta natura tam Angelica, quàm humana comprehendantur, ſermonem ad hanc poſteriorem reſtringemus: quia & noſtra nobis notior eſt, pluribuſque titulis gratia indiget: & quia cum de Angelica, & de ejus gratia plura *in ſuo tr. to. 2.* dixerimus, vix in præſenti occurret aliquid peculiare pro ea examinandum. De ipſa verò natura humana tractatur fusè ab aliquibus, tum an ſit libera, ſeu libero arbitrio prædita: Tum etiam in quo libertas ejus conſiſtat? & hoc titulo non pauca circa requiſita, & conditiones libertatis inferuntur: quæ nos *to. 3. in tr. de volunt. diſp. 1.* ex profeſſo examinavimus: & propterea id in præſenti facere ſuperſedebimus. Deſervietque totum hoc caput exponendis, & examinandis variis ſtatibus ejuſdem naturæ, in quibus diverſimodè ſe habet ad gratiam.

§. I.

Naturæ humanæ ſtatus numerantur, & deſcribuntur.

Status quot modis dicatur.

24. NOmen ſtatus (quod ex ſua ratione permanentiam, & firmitatem importat; nec aliis rebus quā humanis, ſeu rationalibus, præſertim naturæ, & perſonis cū proprietate tribuitur) multipliciter accipi ſolet. Primò pro ea perſonali cōditione, ſecundū quā aliquis eſſe dicitur ingenuus, vel ſervus, ſui juris, vel alieni. Qua acceptione utitur jus civile *l. omne jus. ff. de ſtatu hominum, & l. de jure perſonarum ff. de iis, qui ſunt ſui jur. vel alieni.* Et eſſe ſatis propriè docet D. Th. 2. 2. *q.* 183. *a.* 1. Secūdò ſumitur pro forma, ſeu ratione vivēdi cū aliqua obligatione firma, & ſtabili, quā homines eligūt, cū perveniūt ad congruentē ætatē: quo pacto alius eſt ſtatus Matrimonij, alius Monachatus, alius Clericatus, &c. Et ita ſumit nomē ſtatus, jus Canonicū multis titulis & ſumūt Theologi Morales, de quo D. Th. eadē 2. 2. *q.* 184. *& ſeq.* Tertiò accipi ſolet pro ordine, vel diſpoſitione, quā humana negotia cum aliqua immobilitate, vel quiete noſtro ſtudio aſſequūtur. Et hac ratione dum actu agitantur, dicimus, illa ſtatū non habere; quando verò terminū acquirunt, vel ad tēpus quieſcūt, dicimus eſſe in tali vel tali ſtatu. Nullo autē ex iſtis modis ſumimus ſtatū in præſenti, ſed pro cōditione ipſius naturæ humanæ, quæ dicat modum ſe habendi ad ultimū finem permanenter, & cū aliqua immobilitate, ſeu firmitate. Unde non quælibet diverſitas conditionis, aut modi ſe habendi ad prædictum finem, diverſificabit ſtatum naturæ: ſed illa dumtaxat quæ conſurgit ex forma, vel quaſi forma permanenti, & aliqualiter immobili ſaltem quantum eſt ex ſe.

D. Thom.

Generales ſtatus diviſiones.

25. Sic autem acceptus ſtatus ex duplici capite poteſt ſortiri diviſionem, nēpè & ex parte finis, ad quē ſe habet natura per illum; & ex parte modi ſe habēdi. Et quia finis ultimus humanæ naturæ alius eſt naturalis, & alius ſupernaturalis, & reſpectu utriuſque diverſimodè ſe habere poteſt: nō immeritò ſumeretur hinc duplex diviſio quaſi generica prædicti ſtatus. Nempè ex parte finis in naturalem, & ſupernaturalem: ex parte verò modi habendi ſe ad illum, in ſtatum viæ, & ſtatum termini. Qui enim aſſequuti ſunt jam finem, ſicut

Digitized by Google

ſicut Beati, & comprehenſores; vel carent omni ſpe, & poſſibilitate illum aſſequendi, ſicut carent damnati, dicuntur eſſe in termino: quia non habent ultra quò tendant. Qui vero (ut ſunt alij omnes) nec fine jam fruuntur, nec poſſibilitate fruendi illo privantur, dicuntur eſſe in via, & vocantur viatores: quia habent ſe ut peregrinantes, & tendentes ad finem. Cæterùm quia de ſtatu exiſtentium in termino per Beatitudinem ſive ſupernaturalem, ſive naturalem, agitur ex profeſſo in ipſo tractatu de Beatitudine; & de ſtatu damnatorum dictum eſt à nobis *in tract. de peccatis, diſp.* 18. illius dumtaxat ſtatus habenda eſt ratio in præſenti, & habetur ab omnibus, qui ſit ſtatus viatorum, ſeu qui competit, vel competere potuit naturæ humanæ prout in via.

Status viæ ulterius dividitur.

26. Hujus autem aſſignari ſolent ex Cajet. quinque quaſi ſpecies: nimirum ſtatus naturæ ſecundùm ſe, qui communiter vocatur *ſtatus naturæ puræ*, ſeu *in puris naturalibus*: ſtatus naturæ integræ integritate naturalis ordinis (quem Cajet. vocat *ſtatum rigoris rationis*) ſtatus juſtitiæ originalis, ſtatus naturæ lapſæ: & ſtatus naturæ reparatæ. Per primum & ſecundum ſe habet natura ut tendens ad naturalem finem: & ideo dici poſſunt *ſtatus naturales:* differuntque inter ſe ſicut perfectum, & imperfectum, & ſicut debitum, & non debitum intra ordinem naturæ. Per tertium, & per quintum tendit ad finem ſupernaturalem: & ideò uterque eſt ſtatus gratiæ: ſed differunt penes diverſum perfectionis modum & gradum. Quartus eſt ſtatus peccati per quem natura ab uno, vel altero, vel utroque fine avertitur: ob idque dici poteſt *ſtatus contra naturam*: quia cuilibet naturæ diſſonum & contrarium eſt à ſuo fine averti. Nota tamen non in omnibus hujuſmodi ſtatibus fuiſſe de facto naturam humanam, vel aliquod ejus ſuppoſitum; ſed in tribus dumtaxat poſterioribus: nam primus homo conditus fuit in ſtatu juſtitiæ originalis: inde verò per peccatum lapſus eſt, & tandem reparatus per Chriſti gratiam. Alij verò duo ſtatus ob id ſolum numerantur, quia potuit homo creari in illis, licèt creatus non ſit.

Status naturæ puræ.

27. Ut igitur ſingulos deſcribamus: *Status naturæ puræ*, ſeu ſecundùm ſe eſt ille, in quo ea dumtaxat conſiderantur, quæ competunt naturæ humanæ ſibi relictæ: ſeu quæ ex ejus naturalibus principiis, quæ ſunt materia prima, & anima rationalis, abſque aliquo dono gratiosè ſuperaddito naturaliter oriuntur, vel exiguntur. Unde quia prædicta materia in nullo compoſito plenè ſatiatur per ſuam formam; ſed manet ubique famelica, & cum appetitu ad aliam, conſequenter dat locum contrariis qualitatibus, paſſionibuſque & alterationibus corruptivis, quibus ipſa compoſita ad interitum, & defitionem tendunt. Accedit, quod ipſa humani corporis compoſitio (ita exigente anima ob ſuas operationes) fit ex elementis contrariis, contrariiſque qualitatibus inter ſe pugnantibus, ita ut ad cujuſlibet victoriam temperies prædicta pereat; & conſequenter humanum corpus corrumpatur. Ex hoc ergo principio omnis homo, utpote conſtans ex prædicta materia, prædictáque compoſitione, naturaliter eſt paſſibilis, corruptibilis, & mortalis.

28. Deinde quia anima rationalis ob ſui eminentiam, & eſt ſubſtantia ſpiritualis, & radix, atque origo ſpiritualium operationum intelligendi & volendi; & etiam eſt forma corporis ſic corruptibilis, dans ei vitam & ſenſum; quaſi conſtituit duas naturas valdè diſſimiles: videlicet rationalem, quæ appropinquat Angelis; & ſenſitivam, quæ communis eſt brutis; tribuitque homini proprietates &

Rebellio appetitus unde proveniat.

conditiones utriuſque naturæ. Ex hocq; principio originantur in illo inclinationes etiam valdè diſſimiles, & quaſi inter ſe oppoſitæ. Nam ad naturam rationalem per ſe conſequitur voluntas, quæ eſt inclinatio ad bonum rationi conſonū, ſeu honeſtum. Ad ſenſitivam verò ſequitur appetitus ſenſitivus inclinans ad bonum eidem naturæ ſenſitivæ conſentaneum: quod eſt bonū delectabile, & ſenſibile. Et quoniam hoc poſterius bonū multoties rationis legibus prohibetur; atque ita illa priori repugnat: fit ut prædictæ inclinationes frequenter inter ſe diſſideant: ſæpéque appetitus ſenſitivus in id propendeat, quod eſt repugnās voluntati, & è contra: ita exigente ipſa materialitate, & corruptibilitatē humani corporis, cui appetitus ſenſitivus omninò eſt alligatus, & ſine cujus tranſmutatione paſſibili nequit operari. Ut enim dicitur Sapient. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit ſenſum*. Cum qua depreſſione, & aggravatione ſtare nequit plena ſubjectio partis ſenſitivæ ad rationalem. Atque hinc oritur rebellio carnis contra ſpiritum, & inobedientia appetitus ad rationem, quam in nobis ita manifeſte experimur. Sapient. 9.

Infirmitas naturæ puræ circa bonum.

Denique ex eiſdē principiis oritur, ut neque ipſa inclinatio partis rationalis ad bonum honeſtum ſit ex ſe omninò efficax, ſed ſatis debilis, & infirma: ita ut juxta valdè probabilem ſententiam non habeat ſufficientes vires ad diligendū Deum etiam ut auctorē naturæ ſuper omnia amore abſoluto & efficaci. Et ſaltē id non poſſet per totā vitam ſine ſpeciali auxilio ſicut nec ſervare totā legem. Et hoc propter prædictam colligationem, & depreſſionem ad partem ſenſitivā: à qua ſi pars rationis libera, & ſeparata eſſet; nequaquā ex ſe haberet talem impotētiam. Hic eſt ſtatus, quem haberet humana natura, ſi ſibi relinqueretur, quiq; ex ejus naturalibus principiis oriretur, caſu quo neque Deus ſpeciali providentia ſuperadderet illi præſtantiora aliqua dona, quæ ipſi non debentur, neque ipſa natura per aliquod peccatum mortale in deteriori adhuc ſtatu ſe cōſtitueret. Et ideò prædictus ſtatus dictus eſt *ſtatus naturæ ſecundū ſe, vel naturæ puræ, vel in puris naturalibus*.

Status naturæ integræ, ejuſque conditiones.

29. Secundus ſtatus, qui eſt *naturæ integræ*, ſeu vigoris rationis contingeret, ſi homo conderetur à Deo perfectus intra ſolum ordinem naturæ, & reſpectu ſolius finis naturalis: itaut neque haberet donū ullum abſolutè ſupernaturale; neque nuditatem illam præcedentis ſtatus, quā natura humana ex ſe afferret: ſed per dona, & perfectiones naturalis ordinis (non tamen debita) intellectus perfectè illuminaretur circa objecta naturalia, & volūtas circa naturalem finem rectificaretur: ultra verò non tenderent. In ſimul & appetitus ſenſitivus ita ſubderetur rationi, ut vel ab ejus obediētia nunquā recederet, neque eam ſuis indeliberatis motibus præveniret: vel ſaltem facillimè in prædictis motibus compeſceretur. Quin etiam ex parte corporis ad futura videtur in illo caſu aliqua congrua diſpoſitio, & temperies, quæ licet non redderet illud impaſſibile, aut immortale; perficeret tamen, & cōtra nocivas qualitates muniret, ut non facilè infirmitati cederet. Satis enim neceſſaria videtur hujuſmodi diſpoſitio, & temperies ex parte corporis, ut ex parte animę & potētiarum adeſſet prædicta integritas, ſaltem permanenter, & in eſſe quieto. Neque negari poteſt poſſibilitas hujus integri & naturalis ſtatus: cùm omnes prædicti effectus præſtari poſſint ab habitibus, & qualitatibus, quæ naturalem ordinem omnino non ſuperent, licèt ſint ſupra exigentiam ipſius naturæ humanæ.

Vocamus autem hunc ſtatum naturæ integræ, ad diſtinctionem ſtatus naturæ puræ, non quod natura humana

humana in ſua illa nuditate relicta, eſſet vulnerata, vel fracta aut minus habens, quam ſibi deberetur: ſed quia eſſet diviſa, & quaſi partita in duas portiones ſibi invicem repugnantes, rationalem ſcilicet, & ſenſitivam: & quia in ſecundo ſtatu non maneret hæc diviſio, & repugnantia; ſed concordia & unio utriuſque appetitus facta per prædicta naturalia dona, vocatus eſt *ſtatus naturæ integræ*, ſecundùm quod integrum opponitur diviſo.

Status juſtitiæ originalis.

30. Status *juſtitiæ originalis* fuit ille, in quo Deus de facto primum hominem condidit, reparatis omnibus defectibus, qui ineſſent naturæ, ſi in ſua illa prima nuditate conderetur: tectaque, ut ſic dicamus, ea nuditate, nobilioribus donis, perfectiorique modo, quam per integritatem ſecundi ſtatus tegeretur. Quia prædicta integritas, & dona, à quibus oriretur, neque ſuperabant totum ordinem naturæ: ſicut ſuperabant ſaltem magna ex parte dona juſtitiæ originalis, neque ita perfectè rationem Deo, appetitum rationi, & corpus animæ ſubjicerent. Et quia ſtatum iſtum juſtitiæ originalis luculentiſſimè nobis depinxit D. Thom. *in compend. Theolog. cap.* 186. non aliis quam S. Doctoris verbis illum deſcribemus: quæ ſic ſe habent:

D. Thom.

Conditiones hujus ſtatus ex D. Thom.

Homo in ſui conditione taliter inſtitutus fuit à Deo, ut corpus omninò eſſet animæ ſubjectum. Rurſum inter partes animæ inferiores vires rationi abſque repugnantia ſubjicerentur, & ipſa ratio hominis eſſet Deo ſubjecta. Ex hoc autem, quod corpus erat animæ ſubjectum, contingebat, quod nulla paſſio in corpore poſſet accidere, quæ dominio animæ ſuper corpus repugnaret: unde nec mors, nec infirmitas in homine locum habebat. Ex ſubjectione verò inferiorum virium ad rationem erat in homine omnimoda mentis tranquillitas: quia ratio humana nullis inordinatis paſſionibus turbabatur. Ex hoc verò, quod voluntas hominis erat Deo ſubjecta, homo referebat omnia in Deum, ſicut in ultimum finem: in quo ejus juſtitia, & innocentia conſiſtebat. Horum autem trium ultimum erat cauſa aliorum. Non enim hoc erat ex natura corporis, ſi ejus componentia conſiderentur, quòd in eo diſſolutio, ſive quæcunque paſſio vitæ repugnans locum non haberet; cùm eſſet ex contrariis elementis compoſitum. Similiter etiam non erat ex natura animæ, quòd vires etiam ſenſibiles abſque repugnantia rationi ſubjicerentur: cùm vires ſenſibiles naturaliter moveantur in ea, quæ ſunt delectabilia ſecundùm ſenſum, quæ multoties rectæ rationi repugnant. Erat igitur hoc ex ratione ſuperiori, ſcilicet Deo, qui ſicut animam rationalem corpori conjunxit, omnem proportionem corporis, & corporearum virtutum, cujuſmodi ſunt vires ſenſibiles, tranſcendentem; ita dedit animæ rationali virtutem, ut ſupra conditionem corporis ipſum continere poſſet, & vires ſenſibiles, ſecundùm quod rationali animæ competebat. Ut igitur ratio inferiora ſub ſe firmiter contineret, oportebat quod ipſa firmiter ſub Deo contineretur, à quo virtutem prædictam habebat ſupra conditionem naturæ. Fuit ergo homo ſic inſtitutus ut niſi ratio ejus ſubduceretur à Deo, neque corpus ejus ſubduci poterat à nutu animæ, neque vires ſenſibiles à rectitudine rationis: unde quædam immortalis vita & impaſſibilis erat: quia ſcilicet nec mori, nec pati poterat, ſi non peccaret. Peccare verò poterat, voluntate ejus nondum confirmata per adeptionem ultimi finis;) & ſub hoc eventu poterat mori & pati; & in hoc differt impaſſibilitas & immortalitas, quam primus homo habuit, ab ea quam in reſurrectione Sancti habebunt, qui nunquam poterunt nec pati, nec mori, voluntate eorum omnino confirmata in Deum, ſicut ſuprà dictum eſt, &c.

Hic autem hominis tam ordinatus ſtatus (proſequitur capite ſequenti) *originalis juſtitia nominatur: per quam & ipſe ſuo ſuperiori ſubditus erat, & ei omnia inferiora ſubjiciebantur, ſecundùm quod de eo dictum eſt, ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli: & inter partes ejus etiam inferior abſque repugnantia ſuperiori ſubdebatur. Qui quidem ſtatus primo homini fuit conceſſus, non ut cuidam perſonæ ſingulari, ſed ut primo humanæ naturæ principio: ita quod per ipſum ſimul cum natura humana traduceretur in poſteros. Et quia unicuique debetur locus ſecundùm convenientiam ſuæ conditionis, homo ſic ordinatè inſtitutus poſitus fuit in loco temperatiſſimo & delitioſo, ut non ſolùm interiorum moleſtiarum, ſed & aliorum exteriorum omnis ei vexatio tolleretur.* Huc uſque tertij ſtatus elegans Angelici Doctoris deſcriptio: quam latiùs proſequuti ſumus *in tract. de peccat. diſp.* 16. *à num.* 5. ubi majorem prædicti ſtatus declarationem adduximus.

Status naturæ lapſæ.

31. Quartus ſtatus eſt ille, in quem humana natura per primum peccatum devenit, & à celſitudine originalis juſtitiæ in primis parentibus lapſa fuit: ob idque dicitur *ſtatus naturæ lapſæ*. Conſideratur autem in eo, quid prædicta natura per peccatum illud amiſerit, & quid contraxit. Innoteſcetque non parùm ex præcedentium ſtatuum deſcriptione: quia neque in eo remanſit (ſaltem pro ipſa natura) aliquod illorum donorum, quæ præbebat originalis juſtitia, aut præberet integritas naturalis: neque etiam amiſſum fuit aliquid ejus perfectionis, ſaltem habitualis, & per modum paſſionis, quæ debetur naturæ ſecundùm ſe, & quæ in ſtatu naturæ puræ illi competeret. Et ideò dicunt communiter Theologi, quòd tam in homine, quàm in Angelo poſt peccatum naturalia manſerunt integra, & ſolùm gratuita amiſerunt.

Hujus ſtatus miſeria. D. Thom.

Et quia hunc etiam ſtatum declarat ſufficienter D. Thomas opuſc. cit. cap. 192. utemur ejus verbis, quæ ſic ſe habent: *Quia igitur dicti ſtatus* (ſcilicet juſtitiæ origo) *tam ordinata integritas tota cauſabatur ex ſubjectione humanæ voluntatis ad Deum, conſequens fuit ut ſubducta humana voluntate à ſubjectione divina, deperiret illa perfecta ſubjectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam. Unde conſequutum eſt, ut homo ſentiret in inferiori appetitu ſenſibili concupiſcentiæ, & iræ, & cæterarum paſſionum inordinatos motus, non ſecundùm ordinem rationis; ſed magis ei repugnantes, eam plerumque obnubilantes, & quaſi perturbantes. Et hæc eſt repugnantia carnis ad ſpiritum, de qua Scriptura loquitur &c. Conſequutum eſt etiam* (ait cap. 193.) *Ut in corpore ſentiretur corruptionis defectus: ac per hoc homo incurreret neceſſitatem moriendi: quaſi anima jam non valente corpus in perpetuum continere, vitam ei præbendo: unde homo factus eſt paſſibilis, & mortalis: non ſolùm quaſi potens pati & mori ut antea, ſed quaſi neceſſitatem habens ad patiendum & moriendum.* Et cap. 194. *Conſequuti ſunt in homine per conſequens multi alij defectus: abundantibus enim in appetitu inferiori inordinatis motibus paſſionum, ſimul etiam & in ratione deficiente lumine ſapientiæ, quo divinitus illuſtrabatur voluntas, dum erat Deo ſubjecta, per conſequens affectum ſuum rebus ſenſibilibus*

bilibus ſubdit, in quibus aberrans à Deo multipliciter peccavit, &c.

Status gratiæ.

32. Vltimus ſtatus eſt, qui communiter vocatur ſtatus gratiæ: quia eſt præſens ſtatus juſtorum, in quem nos reparat divina gratia per Chriſtum; & ideò dictus eſt *ſtatus naturæ reparatæ.* Hæc autem reparatio non fit perfectè dùm ſumus in via: quia licèt per gratiam juſtificationis peccatum expellatur, & amicitia cum Deo, ſubjectióque mentis ad ipſum reparetur; illa tamen dona originalis juſtitiæ, per quæ appetitus ſenſitivus rationi, & corpus animæ plenè ſubjiciebatur, non reſtituuntur uſque ad ſtatum patriæ: ubi gratia perfectiſſimè informabit animam, omninóque ad plenum dominabitur natura: indéque eveniet, ut & ipſa anima perfectiſſimè informet corpus, & ex utraque gratia ſcilicet, & anima ita plenè dominantibus procedent in corpore & in appetitu qualitates & habitus, per quæ perfectiùs adhuc quàm in ſtatu originalis juſtitiæ, omninoque immobiliter illis ſubordinentur. De quo diximus non pauca in tractatu de Beatitudine, agentes de dotibus Beatorum, & de aliis conditionibus ſtatus comprehenſorum. De hoc verò ſtatu naturæ reparatæ non plura hic adjicimus: deſervient enim pro ejus cognitione plurima eorum, quæ toto hoc tractatu, & duobus ſequent. dicemus circa effectûs & vires, quæ humanæ naturæ per gratiam conferuntur.

Aliqui cenſent præſentem gratiæ ſtatum non eſſe ſtatum naturæ reparatæ.

33. Adverte tamen non deeſſe Auctores, qui præſentem gratiæ ſtatum renuunt appellare *ſtatum naturæ reparatæ* reſervantes hoc nomen ſoli ſtatui gloriæ; & omnem ſtatum viæ, ſive gratiæ, ſive peccati ſub appellatione ſtatus naturæ lapſæ comprehendentes, & non pluſquam accidentaliter prædictos ſtatus peccati & gratiæ viæ diſtinguentes: ob id fortè, quia natura non omnino reparatur uſque ad patriam, & dum eſt in via, licèt habeat gratiam, ſubjecta adhuc manet pœnalitatibus & ærumnis, quas per lapſum Adami incurrit: ita ſentire videntur Suares, Zumel, & Gregorius Martinez.

Suares. Zumel. Gregor. Martinez.

Defenditur oppoſitum.

Verùm prædictum ſtatum non naturæ lapſæ, ſed naturæ reparatæ, vel ſanatæ, vel gratiæ reparantis, aut ſanantis appellandum eſſe tenent ſatis communiter alij Theologi, ut videre eſt in Cajet. Medina, Curiel, Lorca, Monteſ. Granados, Joannes à S. Thom. & aliis in præſenti. Et meritò ita loquuntur, tùm quia negari non poteſt juſtos viatores per gratiam ipſis infuſam reparari, & reſurgere (quamvis non in omni perfectione) à lapſu in quo peccatum Adami omnes ejus poſteros reliquit; igitur natura prædicta gratia affecta non manet jam in lapſu, ſed reparata, & ſanata. Tùm etiam quia communiter aſſeritur hominem in ſtatu naturæ lapſæ non habere majores vires ad operandum bonum morale, quàm habuiſſet in ſtatu naturæ puræ: ſi autem ſtatus naturæ lapſæ etiam juſtificatos comprehenderet, non eſſet univerſaliter vera prædicta loquutio: quia homines juſtificati per ipſam juſtificationis gratiam longè majores vires ſortiuntur. Tùm denique quia ſtatus hominis juſti, & ſtatus peccatoris nequeunt non diſtingui eſſentialiter: cùm enim ratio ſtatus (prout nunc de eo loquimur) non ſit aliud quàm diſpoſitio naturæ, vel modus ſe habendi circa finem ultimum, tunc neceſſe eſt dari ſtatus eſſentialiter differentes, quando modi ſe habendi ad talem finem eſſentialiter differunt: conſtat autem modum ſe habendi per gratiam differre eſſentialiter à modo ſe habendi per peccatum: ſicut differunt converſio, & averſio circa eundem finem: ſemel autem conſtituta eſſentiali diſtinctione inter prædictos ſtatus; conſequenter dicendum eſt, ſtatum gratiæ diverſum eſſe ab ſtatu naturæ lapſæ, à quo ſtatus peccati non differt.

Cajetan. Medina. Curiel. Lorca. Monteſ. Granados. Joann. à S. Thoma.

Nec propterea negamus univerſam humanam naturam, etiam cùm eſt in præſenti gratiæ ſtatu poſſe utcumque vocari naturam lapſam, ſcilicet de præterito, quia tota in Adamo lapſa fuit, & in lapſu concipitur, quamvis adveniente gratia non maneat ultra in illo, ſed reparata, & ſanata. Et etiam poſſet utcumque dici lapſa, adhuc poſt reparationem: quatenus nondùm plenè reparata eſt, neque ad priſtinum ſtatum integrè reſtituta. Sed hoc non tollit, quod ſimpliciter ſit natura reparata: neque facit quod ſimpliciter maneat lapſa: aut quod abſolutè ita appellanda ſit. Oportet autem pro præcedentium ſtatuum pleniori cognitione nonnulla contra propoſitam diviſionem objicere: & alia circa ſtatus ipſos dubitare.

§. II.

Objectiones adversùs traditam diviſionem, & ſolutiones earum.

34. EX duplici autem capite objici poteſt contra prædictam diviſionem: quia ex uno videntur diſtinguendi plures ſtatus, quàm diſtinximus: & ex alio non videntur poſſe tot aſſignari. Pro prima ergo parte objici poteſt: quia inter primum, & ſecundum ſtatum poteſt aſſignari alius, qui nec dicat ſolam nuditatem primi, nec pertingat ad integritatem ſecundi: ſed retentis proprietatibus, & conditionibus, quas natura humana ſecundùm ſe importat, atque adeò diviſione, & repugnantia, quæ eſt inter partem ſenſitivam, & rationalem addatur dumtaxat, quod Deus provideat prædictæ naturæ per aliqua ſpecialia auxilia naturalis ordinis ipſi non debita, quibus facilius poſſit regere appetitum ſenſitivum, & bonum rationis, ipſúmque Deum, ut ultimum finem naturalem efficaciter diligere, & totam naturalem legem etiam longo tempore obſervare. Hic enim ſtatus proculdubiò differt ab omnibus enumeratis: nec dubitare licet de ejus poſſibilitate. Quinimò, ſi Deus non decreviſſet elevare hominem ad finem ſupernaturalem, nec producere cum integritate ſecundi ſtatus; conformius videtur ſuavi ejus providentiæ producere illum adjutum prædictis auxiliis in ſtatu, quem modò depinximus, quàm illis deſtitutum in ſola naturæ puritate, ut magis conſtabit ex dicendis n. 46. *1. Objectio.*

35. Deinde ſecundus ſtatus, quem diximus *naturæ integræ*, poteſt eſſe multiplex penes majorem vel minorem perfectionem intra ordinem naturalem. Poſſet enim homo per dona prædicti ordinis ita perfici, ut ex parte animæ eſſet omnino impeccabilis (ſaltem circa finem naturalem: ſicut de Angelis, ſi in ſuis puris naturalibus conderentur, *in eorum tractatu, diſput. 9. dub. 3.* diximus) & ex parte corporis eſſet impaſſibilis & immortalis, ut ſunt corpora Beatorum: quorum dotes non excedere naturalem ordinem abſolutè, & ſecundùm ſubſtantiam, diximus *in tract. de Beatitudine, diſput. 5. num. 41.* Certum eſt autem ſtatum illum, quem Cajet. & alij appellant *naturæ integræ*, longè diſtare ab iſto gradu perfectionis. Quia in illo neque voluntas eſſet impeccabilis: ſed poſſet peccare mortaliter ſaltem in ſenſu diviſo, & venialiter adhuc in ſenſu compoſito talis ſtatus; ut infrà dicemus. *2. Objectio.*

Neque

Neque appetitus ſenſitivus eſſet ita ſubjectus rationi, quin in aliquo levi motu eam præveniret; quamvis facillimè comprimeretur. Nec denique corpus haberet impaſſibilitatem, & immortalitatem, quam nuper diximus: ſed ad ſummum aliquam temperiem, & diſpoſitionem nobiliorem ea, quam nunc habet, ut difficiliùs infirmitati cederet; & nocivis efficacius reſiſteret: ergo, &c.

3. *Objectio.* 36. Quæ objectio, & probatio etiam militat reſpectu tertij, & quinti ſtatus, quia excogitabilis eſt juſtitia originalis perfectior illa, quam habuit Adamus. Ut ſi Deus omnibus illis perfectionibus ſuperadderet impeccabilitatem ex parte animæ, & ex parte corporis omnimodam & intrinſecam impaſſibilitatem. Et ſimiliter in hoc præſenti ſtatu naturæ reparatæ poteſt gratia eò pertingere, ut confirmet voluntatem in bono, & reddat eam impeccabilem, ut dicitur de Apoſtolis, & de quibuſdam aliis ſanctiſſimis viris. Quorum proindè gratia ſupergreſſa eſt communem ſtatum cæterorum juſtorum viatorum: & ita debet novum alium ſtatum conſtituere.

4. *Objectio.* 37. Denique natura humana in Chriſto Domino, & in Beatiſſima Virgine Maria, etiam dum erant viatores, diſtinctum habuit ſtatum ab iſto, quem nunc dicimus *naturæ reparatæ*. In Chriſto enim erat unita Verbo Divino adeoque roborata, & ſanctificata per gratiam, ut ex parte animæ, & ex parte rectificationis appetitus longè excederet perfectionem juſtitiæ originalis: cùm tamen ex parte corporis in multis eam non adæquaret. Idemque ſervata proportione dicimus de Beata Virgine. Admittendi ſunt ergo plures ſtatus, quàm diſtinximus.

5. *Objectio.* 38. E contra verò ex ſecundo capite objici poteſt ad probandum non eſſe tot ſtatus diſtinguendos. Tum quia natura pura, & natura integra non conſtituunt duos ſtatus. Immò neque differunt inter ſe. Illa enim natura, quæ habet omnia, quæ ſibi debentur, ſeu cui nihil illorum deeſt, non eſt, cur non dicatur integra: ſicut non negamus, naturam cœli, & naturam equi, & alias ſimiles eſſe integras, eo ipſo, quod habeant, quidquid ipſis debetur; quamvis careant aliquibus, quæ ſupra exigentiam talium naturarum poſſent illis conferri. Cum igitur ſtatus naturæ puræ includat omnia, quæ naturæ humanæ debentur, fit ut prædicta natura, prout in tali ſtatu verè ſit natura integra. Eo præſertim, quia ſi talis natura creata cum illis, quæ ſibi debentur, non eſſet integra; eſſet utique manca, trunca, & monſtruoſa, atque adeò careret aliqua perfectione ſibi debita.

Tùm etiam quia admiſſo prædictum ſtatum naturæ integræ diſtingui à natura pura, non eſt tamen admittendum, quod diſtinguatur à juſtitia originali: nam totam illam perfectionem, quam ſtatui naturæ integræ *num.* 19. tribuimus, includebat prædicta juſtitia: ergo hac vel illa via dicendum eſt, prædictum ſtatum non omninò diſtingui ab aliis; ſed cum primo, vel tertio coincidere. Tum præterea nam quartus ſtatus, qui eſt naturæ lapſæ, nihil addit ſupra primum, ratione cujus in ratione ſtatus differant: privatio enim gratiæ, vel juſtitiæ originalis, quam addit, non eſt aliqua forma ordinans ad ultimum finem, aut aliqua diſpoſitio firma & ſtabilis, proindeque apta nata ſtatum conſtituere. Immò neque ipſa gratia ſanctificans, per quam natura reparatur, dum eſt in viatoribus, videtur ſufficiens ad ſtatum conſtituendum. Quia de ratione ſtatus eſt firmitas & immobilitas; gratia verò non ineſt immobiliter, ſed poteſt facilè amitti, & amittitur de facto.

39. His objectionibus poſſet aliquis moveri ad improbandam, vel tanquam ſuperfluam, vel tanquam diminutam ſupradictam diviſionem: & de facto non deſunt, qui vel non omnia ejus membra admittunt, vel alia ſuperaddunt. Nobis autem deſervient ad pleniorem notitiam prædictorum ſtatuum ex earum ſolutionibus capeſſendam. Ad primam ergò pro prima parte reſpondetur non ſufficere ad conſtituendum novum ſtatum ſpecialia illa auxilia, quæ Deus naturæ conditæ in puris poſſet gratioſè ſuperaddere. Quia ut *n.* 24. diximus, de ratione ſtatus eſt aliqua firmitas & immobilitas; quam prædicta auxilia, utpote ſolùm tranſeuntia, & moventia non afferrent, unde talia auxilia non extraherent abſolutè, & ſimpliciter naturam humanam à ſuo illo primo ſtatu naturæ puræ, ſed in eo relinquerent. Quod ſi nuper adderetur ipſi naturæ aliqua forma permanens, cui ejuſmodi auxilia ſuo modo deberentur, talis forma conſtitueret quidem ſtatum diſtinctum ab ſtatu naturæ puræ, non tamen diverſum ab ſtatu naturæ integræ. Imò dici poſſet, prædicta auxilia, & naturam illis adjunctam pertinere etiam ad hunc ſecundum ſtatum; non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & reductivè: quatenùs talia auxilia ab eo (ut ſic dicamus) pro primo ſtatu emendicarentur. *Reſpondetur ad 1. objectionem.*

40. Ad ſecundam reſpondetur ſtatum illum integritatis naturæ, qui depingitur cum omnimoda illa perfectione, & indefectibilitate tam ex parte animæ, quàm ex parte corporis, non fore ſtatum viæ, ſed potiùs termini reſpectu finis ultimi naturalis. Nam ſicut Angelus, quia ab initio ſortitus eſt totam ſuam naturalem perfectionem, & integritatem, non fuit in via reſpectu naturalis finis, ſed dumtaxat reſpectu ſupernaturalis: ita dicendum eſſet de homine illo ſic condito. Proindèque ejus ſtatus non pertineret ad præſentem diviſionem, quæ ſolùm complectitur ſtatus viæ. Obſerva tamen non quamlibet diverſitatem penes majorem, vel minorem perfectionem illius integritatis naturæ diverſum conſtituere ſtatum: quia etiam in ſtatu naturæ reparatæ, & in ſtatu comprehenſorum datur diverſitas penes majorem, vel minorem gratiæ intenſionẽ. Et etiam in ſtatu naturæ lapſæ penes plura, vel pauciora, graviora, aut minùs graviora peccata: & non idcircò hujuſmodi ſtatus multiplicantur, aut diverſificantur juxta prædictã diverſitatem; quia talis diverſitas ſolùm eſt quaſi intenſiva, & ſecundùm magis, vel minùs, quæ nõ mutant ſpeciem. Quare ad diſtinguendos ſtatus majus aliquid attendendum eſt, nempè quod forma, aut quaſi forma ſtatus conſtitutiva in ratione formæ, vel in ratione diſponendi circa ultimum finem, vel ab eo avertendi diverſum modum, aut gradum ſortiatur: quod non habet ſola diſtinctio ſecundùm majorem, vel minorem intenſionem, aut quaſi intenſionem ejuſdem formæ. *Diluitur 2. objectio.*

41. Ad tertiam reſpondetur in quolibet ſtatu ea ſolùm conſideranda eſſe, quæ per ſe illi competunt, & quæ ex vi formæ, vel quaſi formæ talis ſtatus conſtitutivæ poſtulantur. Non eſt autem hujuſmodi impeccabilitas, aut confirmatio in gratia, ſive pro ſtatu juſtitiæ originalis, ſive pro ſtatu gratiæ viæ, quia neque hæc gratia, neque illa juſtitia id poſtulat. Et idcò quòd Deus prædictam confirmationem, & impeccabilitatem, ſi vellet, Adamo conferret, & aliquibus viatoribus de facto conferat, non variat eſſentialiter prædictos ſtatus, neque novum ſtatum conſtituit. *Solvitur 3.*

Ad ultimam dicas, ſtatum Chriſti Domini, & *Reſpondetur ad 4.*

Digitized by Google

ſtatum B. Virginis, quos habuerunt in hac vita, non fuiſſe per ſe primò ſtatus naturæ, ſed illarum perſonarum: reſpiciebant enim per ſe primò in Chriſto Domino unionem ad divinam perſonam, & in Beata Virgine dignitatem matris Dei: non verò aliquam conditionem communem, aut communicabilem cæteris individuis. Unde licèt concedamus, utrumque iſtum ſtatum fuiſſe diverſum ab illis quinque enumeratis, non vitiat Cajetani diviſionem, quæ ſolùm reſpexit ad eos ſtatus, qui per ſe, & quaſi primario competunt ipſi naturæ.

5. Diluitur. — Suarez. — Durand.

42. Circa primam objectionem pro ſecunda parte non deſunt, qui negent diſtinctionem primi ſtatus à ſecundo. Pro qua opinione Suarez *Prologom.* 4. *cap.* 2. refert Durandum *in* 2. *diſt.* 28. *q.* 1. ubi nihil dicit. Favet tamen ex parte, & quoad modum loquendi *quæſt.* 3. Tum quia vocat integram, naturam quæ crearetur cum iis tantùm perfectionibus, quæ per peccatum non amittuntur: quæ proculdubiò eſt natura in puris naturalibus. Tum etiam quia inter hujuſmodi perfectiones numerat facultatem ſervandi totam naturalem legẽ, vitandique omnia, & ſingula peccata mortalia, etiam per longum tempus: quæ facultas proculdubio excedit vires naturæ puræ, ut à nobis deſcriptæ.

Status naturæ puræ nõ coincidit cum ſtatu naturæ integræ.

Cujuſcumque ſit autem prædicta opinio, & eſt falſa, & ſingularis, ſi rectè, & juxta communem uſum, & ſenſum Theologorum terminis utamur. Negari enim non poteſt, dona illa, quæ conſtituunt perfectiones, quas ſecundo ſtatui aſſignavimus, indebita eſſe naturæ humanæ ſecundùm ſe ſpectatæ: aliàs, ſi illi deberentur, manſiſſent in ea poſt peccatum, ſicut manſerunt omnia naturaliter debita. Atque adeo perſpicuum etiam debet eſſe talem naturam ut prædictis donis affectam diverſum conſtituturam ſtatum à ſe ipſa, ut aſſociata illis dumtaxat, quæ ſibi debentur. Et juxta hæc loquuntur cæteri Theologi Cajetanus, Medina, Curiel, Zumel, Mõteſinos, Lorca, Gregorius Martinez, & Joannes à S. Thoma hoc loco, Suarez *prolog.* 4. *c.* 2. Bellarminus *lib.* 1. *de gratia c.* 7. Alvarez *lib.* 6. *de Auxiliis diſp.* 47. Granados *contr.* 8. *de gratia c.* 3. & alij.

Cajet. — Medina. — Curiel. — Zumel. — Monteſ. — Lorca. — Greg Mart. — Joan à S. Th. — Suarez. — Bellarminus. — Alvarez. — Granados.

Ad probationem verò in contrarium reſpondetur æquivocare in verbis, & ex parte quæſtionem reddere de modo loquendi: an ſcilicet ſufficiant humanæ naturæ, (ſicut ſufficiunt aliis) illa, quæ ſibi debentur, ut vocetur integra; cùm certum ſit ea non ſufficere ad hoc, ut habeat perfectionem, quam dedimus ſecundo ſtatui, & complementum cujus eſt capax infrà naturæ ordinem, ſub quo & non alitèr nos eam integram vocamus. Niſi fortè vellet aliquis (& eſſet error pejor priore) totam illam perfectionem fuiſſe debitam & omninò connaturalem humanæ naturæ. Ut de integritate juſtitiæ originalis aſſeruiſſe Michaëlem Baium conſtat ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. ubi 27. loco refertur hæc ejus propoſitio: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.*

Michel Bai.

43. Secluſo verò hoc errore una tamen poteſt eſſe quæſtio de re, & difficultati obnoxia. An ſcilicet tanta ſit debilitas, & imperfectio, quam ex ſe affert humana natura, quamque haberet condita in puris naturalibus, ut non ſuppetant ei vires ad diligendum Deum finem naturalem amore efficaci, & ſuper omnia: aut verò habeat ex ſe ſufficientes vires ad prædictum amorem, ægrè ſaltem & pro parvo tempore exercendum ſimul & ad ſervandam totam naturalem legem, & peccata contra ipſam vitanda? Sed quia hæc difficultas diſputat. ſequenti examinanda eſt (& quidquid circa eam teneatur, adhuc ſtatus, quem dedimus naturæ integræ, plus perfectionis includit, quam effectus iſti requirunt: ut ex ejus deſcriptione conſtat, non eſt dubium, prædictum ſtatum diſtingui, & ab illo, quem vocavimus naturæ puræ, & etiam ab eo, quem citati auctores appellant naturæ integræ) ſolùm ſupereſt quæſtioni illi de modo loquendi, & rationibus dubitandi occurrere.

Occurrens difficultas remittitur.

Reſpondetur ergò eſſe diſcrimen inter naturam humanam ex una parte, & reliquas omnes ex alia: quia cæteræ naturæ vel ſunt tantùm ſpirituales, ut Angeli; vel corporales tantùm ut bruta, & reliqua inferiora, & propterea neque conſtant partibus, aut portionibus inter ſe diviſis, & adverſis: neque ſibi ipſis relictæ habent ex quo *divina*, vel *non integra* dicantur. Natura verò humana cùm ex diverſis portionibus ſcilicet, ſpirituali & corporali coaleſcat, ex ſe affert contrarietatem in ſe ipſa, & diviſionem, ac diſſenſionem ſuarum partium: & ideo minus rectè diceretur *integra*, quam *non integra*, ſecundùm quod *integrum* etiam *diviſo* opponitur, quouſque per dona ſuperaddita, & non debita prædictæ partes ad concordiam, & unionem reducantur. ¶ Non autem ita benè diceretur *trunca, manca,* aut *monſtruoſa*, quia hæc nomina ſonant privationem & ablationem alicujus perfectionis debitæ, vel ſaltem priùs habitæ: & non ita propriè dicuntur de ſola negatione: qualis eſſet illa diviſio, vel non integritas de qua loquimur.

Quare natura humana in puris non dicatur integra.

44. Ad ſecundam objectionẽ reſpondetur ſtatũ juſtitiæ originalis, & ſtatum naturæ integræ diſtingui inter ſe ſaltem ſicut includens, & incluſum: & hoc ſufficere ut reputentur tanquam diverſi ſtatus. Quia licèt juſtitia originalis ſeparabilis non eſſet à naturali integritate; poterat tamen hæc ſeparari ab illa, & ſine ea reperiri: & ut ſic ſeparata, nequiret non novum & diverſum ſtatum conſtituere. Eo præſertim, quia prædicta juſtitia pertingebat uſque ad ordinationem ad finem ultimum ſupernaturalem: & ideo includebat gratiam rectificantem circa talem finem. Ille verò ſtatus integritatis naturalis, quem, ut diſtinctum aſſignavimus, ſiſteret omninò intra naturæ ordinem, neque ad ſupernaturalia pertingeret. Quin etiam intra ipſum ordinem naturæ, & quoad naturalia dona non adæquaret ſtatum juſtitiæ originalis: quia non excluderet etiam in ſenſu compoſito peccata venialia, leveſque aliquos errores: neque etiam aliqualem inobedientiã ex parte appetitus ſenſitivi, quatenùs in aliquibus leviſſimis motibus poſſet rationem prævenire; licèt ab illa facillimè comprimerentur. Harum autem imperfectionum nulla erat compoſſibilis cum juſtitia originali.

Aliis objectionibus ſatisfit.

Ad ultimam dicendum eſt, privationem gratiæ, vel juſtitiæ originalis ſufficientem eſſe ad conſtituendum diverſum ſtatum naturæ, ſeu contra naturam: quia licèt non ſit forma poſitiva; habet tamen modum formæ: eo quòd permanenter, & in eſſe quieto afficit naturã: neque ex ſe eſt facilè tranſiẽs, ſed difficilè mobilis ab illa: & licèt deſtruatur adveniente gratia; quantũ tamẽ eſt ex ſe, & ex modo afficiẽdi, maneret in perpetuũ. Et quamvis non ordinet poſitivè ad ultimum finẽ, qui eſt Deus: verſatur tamẽ circa illum per modum averſionis: immò eſt ratio ut voluntas ſiſtat in ſuo proprio bono, tanquam in fine omninò ultimo. ¶ Ad illud, quod additur de gratia viç, conſtat ex modò dictis: quamvis enim poſſit, & ſæpè amittatur per peccatum mortale, ex ſe tamen eſt habitus permanens, & difficilè mobilis à ſubjecto: Nec neceſſaria eſt major firmitas, vel ſtabilitas pro hujuſmodi ſtatibus

conſti-

Digitized by Google

conſtituendis. Nam & homo ſtare dicitur, cū ſuprà pedes ſiſtit; quamvis futurum ſit, ut cito moveatur.

§. III.

Incidens dubitatio deciditur.

45. Circa omnes ſupradictos ſtatus poſſunt adhuc non pauca ſciſcitari quæ majori ex parte ad alia loca remittemus, ubi opportuniùs agitantur; unum autem hic decidemus circa primum ſtatum. Nam quæri ſolet, utrùm homo potuerit in illa nuditate à Deo creari, & conſervari, etiam poſt rationis uſum ſine ullis donis, vel auxiliis gratiosè conceſſis. Et non procedit quæſtio attenta potentia Dei abſoluta, cui ea tantum negantur, quæ implicant contradictionem: in eo autem quod Deus crearet hominem denegatis omnibus perfectionibus non debitis; immò & proprietatibus debitis (ut ſi crearetur ſine ſenſibus, ſine manibus, ſine pedibus, &c.) perſpicuum eſt nullam contradictionem involvi. Attenta verò communi lege, & communi providentia, juxta quam agi ſolet hæc difficultas, negant id fieri potuiſſe Zumel *art. 1. diſp. 1.* & alij quatenus poſſibilitatem hujus caſus non ad communem, & decentem modum operandi Dei, ſed ad potentiam abſolutam reducunt.

An Deus potuerit conſtituere hominē in ſtatu purorum.

Pars negativa. Zumel.

1. Motivum.

46. Poteſt autem ſuaderi primò: quia Deus attenta communi lege nullam naturam producere valet in eo ſtatu, in quo non poſſit conſequi ſuum finem ultimum, conſequaturque illum de facto, ſaltem in aliquibus individuis: auctor enim rerum juxta ſuavem providentiam tenetur vel res ipſas in ſuo fine conſtituere, vel conferre media neceſſaria, ut illum aſſequantur: ſed natura humana in illa ſua nuditate, omnique alio auxilio gratìs conceſſo deſtituta, non conſequeretur, immò nec conſequi poſſet ſuum ultimum finem: ergo non potuit juxta communem providentiam ſic produci. Cætera conſtant. Minor verò probatur. Nam medium neceſſarium ad aſſequendum finem ultimum humanæ naturæ, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, eſt amor abſolutus, & efficax talis finis: homo autem in illo ſtatu non haberet ſufficientes vires ad hunc amorem, etiam reſpectu finis naturalis: ſicut illas non habet in natura lapſa: ergo, &c.

Confirmatio.

Et confirmatur: quia communis, & ſuavis Dei providentia non fert, ut minus provideat naturæ humanæ, quàm reliquis adhuc inferioribus naturis. Cùm ergo reliquæ naturæ, ſive ſuperiores homine, ſivè inferiores, ex vi ſtatus, in quo creantur, conſequantur ſuum ultimum finem; non videtur dicendum potuiſſe humanam creari in tali ſtatu, in quo illum conſequi non valeret: ut contingeret, ſi crearetur omninò in puris naturalibus.

Immò ſi ita crearetur; naturaliter, & neceſſariò eſſet infelix & miſera: proindeque deterioris conditionis quacunque alia natura: quia ex ſua creatione eſſet impotens ad aſſequendum finem ultimum, in quo felicitas conſiſtit.

2. Argumentum.

47. Secundò probatur: nam in quocunque ſtatu Deus crearet hominem, imponeret illi præceptum diligendi ipſum Deum efficaciter, & ſuper omnia, ſervandique totam naturalem legem: non enim hoc præceptum eſt aliquid naturæ debitis ſuperadditum, ſed ipſo rationis lumine impreſſum: cùm igitur neque Deus plus exigat ab homine, quàm ipſe homo poteſt facere; neque in ſtatu naturæ puræ ineſſent illi vires ad prædictam legem, & præceptum obſervanda; non videtur potuiſſe creari in illo, ſaltem ſervata communi lege divinæ providentiæ.

3. Fundamentum.

48. Tertiò: Vel homo conditus in illo ſtatu, perveniensque ad uſum rationis, converteretur ad Deum finem ultimum naturalem, diligendo illum ſuper omnia, vel non converteretur: ſi primum, ſtatim conferret illi Deus gratiam, juxta doctrinam D. Tho *ſup. q. 89. art. 6.* & eo ipſo non maneret in ſtatu naturæ puræ, ſed in ſtatu gratiæ: Si ſecundum, etiam non maneret in illo ſtatu, ſed in ſtatu peccati, & naturæ lapſæ: quia præcepto naturali tenebatur ad prædictam converſionem; fuiſſetque proinde peccatum mortale non converti.

Præfertur ſententia affirmans. Cajet. Curiel. Monteſ. Suarez. Bellarminus. Medina. Granados. Joan. à S. Thom.

49. Contrarium nihilominus tenent communiter alij Theologi *in proœmio ad præſentem tractatum de gratia*, & Expoſitores D. Thom. *hoc loco*, Cajetanus *ſuper art. 2.* Curiel §. 4. Monteſinos §. 2. Suarez *prologom. 4. cap. 1.* Bellarminus *de gratia primi hominis lib. unico cap. 7.* & idem apertè ſupponunt Medina, Granados, Joannes à S. Thoma, & alij. Et probatur facilè: nam eo ipſo, quod Deus producat, & conſervet aliquam naturam cum omnibus, quæ illi ex ſuis principiis debentur, & quæ natura ipſa ſuoptè jure expoſtulat, ſervat ergo illam communem, & ſuavem providentiam: non enim hujuſmodi providentia plus requirit, quàm quod Deus unicuique rei provideat, ſicut debitum eſt ex ſuis principiis, & ita unumquodque regat, ſicut exigit ejus natura, atque adeo nihil denegando eorum quæ illi debentur, licèt non tribuat ea, quæ non debentur: ſed homini condito in puris naturalibus cōferret Deus omnia, quæ illi ex ſuis principiis debentur, & quæ natura ejus ſuopte jure expoſceret; quæ verò illi denegaret, neque talis natura expoſceret, neque illi deberentur: nihil igitur ibi fieret contra, vel extra communem providentiam: atque adeo ſervata ejus lege potuit ſic contingere. Et ſanè implicatio videtur in terminis, quod ſi Deus producit, conſervat, & regit aliquam naturam, & concurrit cum illa, ſicut ipſa produci, conſervari, regi, & moveri poſtulat; deficiat ab illo providentia, quæ ex ipſis rerum naturis petitur, & requiritur: quæ eſt providentia ſuavis, & communis.

Ad primum.

50. Quare ad primum, quod in contrarium adduximus, reſpondetur concedendo majorem. Quamvis enim natura humana ob diſparitatem principiorum, & partium rationalis, & ſenſitivæ, ex quibus eſſentialiter coaleſcit, differat in hoc ab aliis ſimplicioribus naturis, quod non in pluribus ſicut illæ, ſed in paucioribus finem ſuum conſequatur: non tamen ideo negandum eſt, quod adhuc ſibi ipſi, & communi providentiæ relicta habeat conſequi illum ſaltem in aliquibus. Sed neganda eſt minor argumenti. Ad cujus probationem reſpondeti ſolet, quòd condito homine in illo primo ſtatu ad divinam providentiam pertineret ſuccurrere illi efficaciùs, & majores vires ſuperaddere per aliqua auxilia ordinis naturalis, non tamen debita, ſed gratìs collata; ſufficientia verò ut poſſet ſervare naturalem legē, & elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia, & alios requiſitos ad ultimum finem aſſequendum. Et licèt Deus ita ſe gereret cū natura humana (ait Suarez *cit. cap. 1.*) non propterea extraheret illam ab ſtatu naturæ puræ: quia neque ordinaret illam ad finem ſupernaturalem, neque gratiam propriè dictam, aut naturæ integritatem illi conferret; ſed eſſet illud regimē quædam moralis providentia conſentanea naturæ rationali, quæ mutabilis eſt non ſolū phyſicè, ſed etiā moraliter: neque talis providentia dici poſſet debita, aut petita

Reſponſio Suarez.

Digitized by Google

petita ex meritis ipſius naturæ, ſed velut ex naturali miſericordia Dei, cujus ſapientiæ, & bonitati valdè conſentaneum eſt naturam debilem, & infirmam non in ſua debilitate relinquere, ſed abundantiùs illi, & liberaliùs, quàm ipſa poſtulet, providere.

Diſplicet.

51. Sed quamvis hæc ſolutio ſit ſatis communis, & conjecturalis potiùs, quàm falſa dici debeat; difficultati tamen non occurrit. Quia modò non diſcutitur, qualiter Deus ſe haberet cum homine, ſi decreviſſet creare illum aliter, quàm creavit de facto cum originali juſtitia: an illum relinqueret in ſua omnino nuditate; aut verò gratioſe ſuperadderet ſupradicta auxilia? Si enim hoc quæreretur, neutra pars poſſet certò diffiniri: quia utrumlibet eſſet Deo omninò liberum: neque ſcire poſſumus, dum ejus conditionata decreta ignoramus, quid prædictorum eligeret. Illud tamen ſemper veroſimilius conjectamur, quod magis congruit divinæ miſericordiæ, & magis divinam bonitatem manifeſtat: ſicut eſſet conferre prædicta auxilia, vel etiam aliquid majus intra naturæ ordinem. Sed dubium motum ultra pergit, & inquirit: an ſi Deus ita hominem condidiſſet in puris naturalibus, ut nullum ſive concurſum, ſive auxilium præter naturæ debita conferret; dicendus eſſet hic caſus juxta communes leges divinæ providentiæ; aut verò potentiæ ejus abſolutæ tribuendus? In qua dubitatione recurſus ad auxilia indebita potiùs eſt petitio principij, quàm ſolutio argumenti.

Legitima reſponſio.

52. Reſpondetur ergo duplici via juxta duas ſententias, quas *diſp. ſequenti dub.* 2. examinabimus. Juxta primam conceſſa etiam majore poſterioris ſyllogiſmi, neganda eſt minor: aſſerit enim prædicta ſententia, hominem in puris naturalibus conſtitutum habere ſufficientes vires ad diligendum Deum ſuper omnia, & ad ſervandam legem naturalem, cavendumque à peccato mortali, ſaltem non longo tempore: & cùm hoc eſſet in poteſtate naturæ, concurſusque ad id neceſſarius ex parte Dei à natura ipſa ſaltem pro aliquibus poſtularetur; non deeſſent qui ita obſervarent, & qui in ea obſervantia decederent, ac proinde qui poſt hanc vitam ſuam naturalem Beatitudinem, & finem ultimum aſſequerentur.

Reſpondetur ad confi m. & ad 2. argum.

Per quod patet tum ad confirmationem tum etiam ad ſecundum argumentum. Quia utrumque ſupponit, hominem in illo ſtatu non habiturum ex ſe ſufficientes vires ad diligendum Deum finem naturalem efficaciter, & ſuper omnia; neque ad ſervandam totam naturalem legem etiam pro parvo tempore: quod ſuppoſitum negandum eſt juxta prædictam ſententiam.

Occurritur 3. argum. o.

53. Ad tertium eadem via incedendo, eligitur prima pars dilematis. Sed negandum eſt, quod per talem converſionem conſequeretur homo gratiam: non enim in ſtatu illo eſſet connexa converſio ad Deum ut finem naturalem cum gratia, aut cum converſione ad finem ſupernaturalem. Unde per talem converſionem non extraheretur homo ab ſtatu naturæ puræ, neque in eo acquireret aliquid non debitum ipſi naturæ. Doctrina verò D. Thom. *ſuprà q.89. art.6.* procedit, ſuppoſita elevatione naturæ humanæ ad finem ſupernaturalem, quam in primo parente accepit, & ſuppoſito originali peccato, in quod devenit per ejus culpam: atque adeo reſtringenda eſt ad præſentem ſtatum naturæ lapſæ. Quia enim converſio efficax ad Deum, etiam ut finem ultimum naturalem non compatitur cum averſione ab ipſo, ut fine ſupernaturali, in qua habituali averſione peccatum originale conſiſtit, & aliunde hoc peccatum non poteſt tolli ſine gratia: fit ut in præſenti ſtatu converſio ad Deum ut finem naturalem neceſſariò ſit gratiæ adnexa. Quæ ratio non militat in ſtatu naturæ puræ: ubi ſicut nulla eſſet averſio à Deo, quæ deberet auferri, ita neque eſſet neceſſaria gratia ad converſionem.

Alia via diluend. præd. argumenta.

54. Aliter occurrendum erit prædictis argumentis juxta oppoſitam ſententiam, quæ hominem conditum in puris naturalibus negat habere ex ſe ſufficientes vires ad diligendum Deum ſuper omnia, etiam pro parvo tempore. Nam admiſſo hoc præſuppoſito, conſequenter dicendum eſt hominem in illo ſtatu non teneri ad talem amorem: neque iſtum fore tunc medium ſimpliciter neceſſarium ad conſecutionem finis ultimi; ſed ſufficere alium minùs perfectum, quem homo ſuis viribus cum generali, & communi Dei concurſu poſſet elicere. Cùm enim Deus non plus exigat ab homine, quàm ipſe homo poteſt facere per vires, quas vel poſſidet, vel habet repromiſſas; & in prædicto ſtatu, neque haberet, neque (ut caſus ſupponit) eſſēt ei promiſſæ vires ſufficientes ad Dei amorē abſolutum & efficacem: aliàs etiam dum facit, quod in ſe eſt, non peccet, dumque non peccat, non poſſit ob ſua demerita (atque adeo juxta communem providentiam) à Beatitudine creaturæ rationali naturaliter, debita excludi: conſequens fit, ut neque prædictus amor ſuper omnia abſolutus, & efficax eſſet illi in præcepto, neque pars legis naturalis, neque medium neceſſarium ad aſſequendum prædictum finem: ſed ſufficerent alia proportionata viribus ipſius humanis, & quæ cum generali Dei concurſu poſſet adhibere.

Per quod patet non modò ad primum argumentum (in quo neganda eſt minor poſterioris ſyllogiſmi) & ad confirmationem (in qua negari debet ſuppoſitum, nempè amorem illum, ad quem non ineſſent homini vires, fore tunc medium neceſſarium) ſed etiam ad ſecundum, & tertium argumentum: quorum vis nititur in præcepto converſionis ad Deum per amorem efficacem ſuper omnia: & ideo ſecluſa obligatione hujus amoris, neque contineretur in lege naturali aliquid quod homo ſuis viribus facere non poſſet: neque omittendo prædictam converſionem, in peccatum laberetur; ſed maneret in ſua innocentia, & nuditate naturali.

Media, quibus adulti in ſtatu purorum conſequerentur ultimum finem.

55. Si autem inquiras, quæ eſſent tunc media proportionata viribus illius ſtatus, & neceſſariò adhibenda pro aſſecutione finis ultimi? Reſpondetur in primis quantum ad adultos neceſſariam eſſe obſervationem, ſeu non violationem cujuſlibet præcepti negativi obligantis ſub mortali, ut non furari, non occidere, non mæchari, &c. quia hæc non violatio, ſalva hominis libertate, quæ omnino ad peccandū neceſſaria eſt, non excederet ejus vires. Præſertim dum abeſſet gravis tentatio ut reſpectu multorum etiam per non modicū tempus contingeret: & maximè in illo ſtatu ubi quæ modò ſunt, ex Dæmone omnino non eſſent. Ex præceptis verò affirmativis naturalibus illa ſaltem tunc obligarent, quæ modò ſine gratia adimpleri poſſunt: ſicut eſt præceptum offerēdi Deo aliquem cultum, præceptum honorandi Parentes: præceptum reſtituendi alienum: præceptum ſuccurrendi proximis neceſſitatem extremam patientibus, & ſimilia. Immò præceptum dilectionis Dei non omnino ceſſaret: ſed obligaret ad amādum illum perfectiori modo quoad appretiationem, quo homo propriis viribus amare poſſet: atque adeo & amore concupiſcentiæ honeſto, & amore quodam-modo amicitiæ abſoluto, & efficaci ſecundùm quid: hoc eſt, quantum erat ex parte hominis: quia eſſet totus amor

Digitized by Google

amor in quem poſſent ejus vires. Sed quia hujuſmodi vires non ſufficerent ad amorem abſolutè, & ſimpliciter efficacem, ſeu ad amorem ſuper omnia; idcircò prædictum præceptum, & ejus amor ad iſtum gradum non pertingerent.

56. Hæc diximus pro adultis: parvuli enim nullo alio medio, quàm morte ipſa opus haberent: quia anima à corpore ſeparata ſtatim habet ſuam naturalem beatitudinem conſequi, niſi ob culpam, & demeritum retardetur impediatur. Et hac via putant aliqui occurri ſufficienter primo argumento, & ejus confirmationi: quia multi in illo ſtatu ante rationis uſum morerentur, & ij omnes conſequerentur naturalem beatitudinem: hacque ratione verum eſſet naturam humanam ſic conditam, non eſſe naturaliter miſeram, neque ex ſua creatione infelicem, aut impotentem ad aſſequendam felicitatem: ſiquidem conſequeretur illam in aliquibus: & poſſet conſequi in omnibus, ſi per ipſos non ſtaret: licèt dicatur neminem adultorum illam de facto conſequuturum ſine recurſu ad auxilia non debita naturæ: ob præceptum diligendi Deum ſuper omnia, & inſufficientiam humanarum virium ad talem dilectionem.

Quorundam opinio circa ſalutem adultorum in illo ſtatu.

Rejicitur.

57. Hic tamen dicendi modus nobis non probatur: quia nimis coarctat leges communes divinæ providentiæ erga naturam humanam ſecundùm ſe ſpectatam: ipſamque naturam ſatis deprimit: dum negat, aliquod ejus individuum juxta prædictas leges proprio ſtudio, & labore, atque adeo morali, & humano modo naturalem felicitatem conſecuturum. Modus enim, quo parvuli decedentes ante uſum rationis illam conſequerentur, non eſſet moralis, & humanus, ſeu omninò conſentaneus, proprius, & per ſe naturæ humanæ; ſed quodammodò violentus, & per accidens: ſicut eſt mors in illa ætate.

Eò præſertim quia anima rationalis idcircò etiam in illo ſtatu crearetur in corpore, ut miniſterio ſenſuum, temporis decurſu determinatas rerum ſpecies, & notitiam acquireret, quibus poſt ſeparationem, & in ipſo felicitatis naturalis ſtatu uti poſſet: nec non ut per bonum uſum liberi arbitrij, & per ejus actus honeſtos Deo fini ultimo naturali conformaretur, & erga ipſum rectificaretur. Porrò ſi in prædicto ſtatu ij dumtaxat ad naturalem felicitatem pervenirent, qui ante rationis uſum, & horum fructuum perceptionem morerentur; cæteri verò omnes perirent, fruſtra anima rationalis fuiſſet corpori infuſa, fruſtraque natura humana ex tali anima, & corpore conſtituta fuiſſet: quandoquidem nullus eſſet finis hujus conſtitutionis. Quæ omnia communi providentiæ, quam ſibi vendicat natura humana, omninò non congruunt. Ne ergo hujus providentiæ legem nimis coarctemus, extendenda eſt ſalus hominum in illo ſtatu, etiam ad aliquos adultos, juxta primam, vel ſecundam ſolutionem nuper traditas.

Replica.

58. Sed urgebis: quia homo in quovis ſtatu conſideretur, indiget dono perſeverantiæ, ut ad Beatitudinem perveniat: ſed hoc donum omninò eſt ſuprà debitum naturæ, immò & ſupra merita gratiæ: & ideo nullis juſtorum actibus poteſt de condigno promereri: ut Patres, & Theologi præcipuè D. Auguſtinus, & D. Thomas ubique proclamant: ergo quovis modo ſtatus ille conſideretur, nequirent homines ad felicitatem pervenire, per ea dumtaxat media, vel auxilia quæ naturæ deberentur. Et confirmatur. Nam quod ex multis conditis in puris naturalibus, quibuſdam peccantibus, & pereuntibus, quidam non peccarent, & non peccando ad felicitatem pervenirent, proculdubiò eſſet aliquod ſpeciale beneficium nulli debitum: quod ſicut fuiſſet negatum aliquibus, potuiſſet negari omnibus: & pro quo unuſquiſque prudentiſſimè, & religioſiſſime Deum oraret, ne ſibi denegaretur: ergo niſi adderetur hoc ſpeciale, & non debitum beneficium, nullus in prædicto ſtatu felicitatem conſequi potuiſſet.

D. Auguſt.
D. Thom.

Diluitur, & explicatur qualis eſſet perſeverantia illius ſtatus.

Reſpondetur ad objectionem, perſeverantiam illam, de qua Patres, & Theologi loquuntur, & quam ſuprà merita extollunt, magnumque perſeverantiæ donum appellant, eſſe perſeverantiam in gratia, quæ animam Beatitudini ſupernaturali conjungit. Quæ verò neceſſaria eſſet, ut homo conditus in puris naturalibus ad naturalem felicitatem perveniret, ſolum eſſet quædam permanentia in ipſa naturæ puritate, & ad ſummum aliquis in cognitione, & virtute naturali profectus. Hujuſmodi autem perſeverantiæ S. Patres, & Theologi non meminerunt: nèc ſi meminiſſent, gratiam, aut beneficium naturæ humanæ indebitum eam nuncuparent: quia revera exigitur ab ipſa natura naturali jure, ſaltem pro aliquibus individuis. Eademque natura exigit, ut talia à divina providentia determinarentur.

Per quod patet ad confirmationē: nam licèt reſpectu hujus, vel illius individui eſſet ſpeciale beneficium, quod, non peccarent, & non peccando, ad naturalem felicitatem pervenirent, id quod ſatis eſſet, ut unuſquiſque pro ejus impetratione oraret: non tamen eſſet aliquid indebitum, vel omninò gratioſum reſpectu ſpeciei, & naturæ humanæ. Quia licèt iſta in particulari non deſignet hæc potiùs individua quàm illa pro felicitate aſſequenda, poſtulat tamen, ut à divina providentia, quæ illi placuerint, deſignentur, & determinentur: & ita hæc ipſa deſignatio, & determinatio cadit ſub debito, & ſub communi providentia talis naturæ. De quo plura dicemus diſputatione ſequenti dubij primi ubi hæc ſolutio magis elucidata manebit.

Alia replica.

59. Secundò urgebis contra ſecundam ſolutionem, quod homo in puris naturalibus non haberet minores vires ad amandum Deum, neque minus gravi hujus amoris præcepto adſtringeretur, quàm modò in natura lapſa adſtringuntur omnes, etiam qui ſine ulla gratia, aut luce ſupernaturali ad uſum rationis perveniunt: ſed hi omnes tenentur ad amorem efficacem, & ſuper omnia, ſaltem reſpectu Dei ut finis naturalis: habentque proinde vires ſufficientes ad talem amorem: ergo negandæ non ſunt hujuſmodi vires, & præceptum pro ſtatu naturæ puræ. Huic objectioni non poteſt plene ſatisfieri, quouſque examinemus vires humanæ naturæ in ordine ad diligendum Deum, cùm in puris naturalibus, tum in hoc ſtatu naturæ lapſæ: quod præſtabimus, *diſp. ſequenti dub. 3. & 4.* Interim verò vel dicendum eſt (tuendo prædictam ſecundam ſolutionem) omnibus pervenientibus ad rationis uſum in natura lapſa tribui à Deo majus aliquid virium, & luminis, quàm haberent in puris naturalibus: & hac ratione teneri ad perfectiorem amorem, quàm ibi adſtringerentur. Vel relinquenda erit illa ſolutio, & ſententia cui innititur; præeligendaque alia prior: juxta quam homines conditi in puris naturalibus haberent ſufficientes vires ad diligendum Deum ſuper omnia (ſaltem pro parvo tempore) ad idque præcepto naturali tenerentur. Et hæc modò ſufficiant pro prædicta dubitatione circa ſtatum naturæ humanæ in puris naturalibus; plura verò reperies dubiis citatis.

Reſponſio.

Digitized by Google

Qua forma conſtitueri ſtatum integritatis.

60. Circa ſtatum naturæ integræ rogari poſſet, quæ eſſet prima forma conſtitutiva iſtius integritatis? an ſcilicet aliqua qualitas naturalis ordinis reſidens immediatè in anima, ex qua habitus, & diſpoſitiones perficientes potentias quaſi naturali ſequela pullularent? Aut verò ſine prædicta qualitate ſufficienter conſtitueretur prædictus ſtatus per habitus, & diſpoſitiones afficientes immediatè corpus, & potentias, unà cum perfectiori modo informandi ex parte animæ? Huic verò quæſito ſatisfecimus *tom. præcedenti in tractatu de Peccatis diſp. 16. num. 61.* Eademque diſputatione *à num. 6.* ſolutionem dedimus aliquibus aliis, quæ circa ſtatum juſtitiæ originalis excitari poſſunt. Videlicet ubi eſſet prædicta juſtitia tanquam in ſubjecto primario? Quid eſſet entitativè, & ſubſtantialiter: ſeu an eſſet perfectio naturalis, vel ſupernaturalis ordinis? An & quomodo ſit diſtincta à gratia noſtra juſtificante, quidvè illi ſuperaddat? An quoad omnes ſuas perfectiones importet formas poſitivas, & cujus generis? Ac deniquè in quo genere cauſæ perfectiones illæ redundantes in corpus, & in partem ſenſitivam ex perfectione, quæ eſſet in anima, & voluntate originarentur. Hiſque ſimiles alias quæſtiones ſcitu non indignas, *eodem tract. diſp. 14. dub. 6. & in commentario art. 4. quæſt. 81.* examinavimus: ad quæ loca pro omnibus illis lectorem remittimus. Sed & circa ſtatum naturæ lapſæ, diſtinctionemque ejus ab ſtatu naturæ puræ poſſet hîc moveri graviſſima illa quæſtio, quam *in prædicto tractatu diſp. 16. dub. 2. &* 3. fusè ſatis diſcuſſimus, An per peccatum primi Parentis natura humana non ſolùm incurrerit privationem omnium illorum donorum, quæ juſtitia originalis ſuprà naturæ debitum conferebat; ſed etiam acquiſierit aliquam pravam diſpoſitionem, ratione cujus difficiliter ſit ad bonum, & propenſior ad malum, quàm eſſet in natura pura? & neque pro hac difficultate (quia eſſet actum agere) in præſenti immorabimur. Ejus tamen reſolutione, & doctrina, quam citato loco ſtatuimus, utemur diſp. ſequenti, ubi (quia opportunior eſt locus) ad examen vocabimus duplicem aliam illi adnexam circa ſufficientiam, vel inſufficientiam humanæ naturæ ad diligendum Deum, ſervandamque naturalem legem, ſivè in puris naturalibus, ſivè in ſtatu naturæ lapſæ. Undè non eſt opus majore hujus capitis dilatatione.

Alia dubia remiſſivè.

CAPUT III.

De erroribus Lutheri, Calvini, & aliorum contra libertatem arbitrij.

61. POſt notitiam diverſarum acceptionum gratiæ, & differentium ſtatuum, in quibus poteſt natura humana conſtitui; oportet varios errores cùm divinæ gratiæ, tum libertati noſtræ contrarios recenſere. Quidam enim neſcientes neceſſitatem gratiæ cum libertate arbitrij componere, in extrema prolapſi ſunt præcipitia: nam vel gratiam propugnantes oppugnarunt libertatem; vel arbitrio nimis faventes gratiam ſpreverunt, ut inquit D. Auguſt. Epiſt. 46. ad Valentinum, ubi monet: *Neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium ſic defendatis, ut à gratia Dei ſeparetis*, & lib. de gratia Dei contra Pelag. cap. 47. inquit: *Iſta quæſtio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Unde neceſſarium eſt extremas, & erroneas ſententias referre, & ante alia earum notitiam præmittere: tum ut declinemus earum pericula, tum ut medium placidum, & commune, quod Eccleſia Catholica tenet, rectò tramite attingamus. Imminent ſingularitatum, novitatum, & perinde hæreſum ſcopuli: ſed veritas in medio quieſcit, cunctis indiviſa, & pervia; quam ſincerè debemus amplecti errorum diſſidentes terminos declinando, ut pulchrè monebat idem S. Doct. Pſal. 103. ad illa verba, *Inter medium montium pertranſibunt aquæ*, ubi ait: *Quod medium dicitur, commune eſt. Res communis, unde omnes vivunt, media eſt: nec attinet ad te, nec ad me. Propterea loquimur ſic de aliquibus hominibus: habent inter ſe pacem, habent inter ſe fidem, habent inter ſe charitatem: ſic certè dicimus. Quid eſt inter ſe? In medio ſui. Quid eſt in medio ſui? Commune eſt illis. Audi aquas inter medium montium: quia communis illis fides erat; nec quiſque aquas quaſi proprias, & ſuas habebat, ubi enim non ſunt in medio, quaſi privata ſunt, non publicè fluunt. At verò ut inter medium montium fluant aquæ, audi vocem montis* (nempè Apoſt. ad Rom. 15. & 1. ad Corinth. 1.) *Deus pacis det vobis id ipſum ſapere invicem, ut ipſum ſapiatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Quod ſentio, ſentis: in medio fluit aqua: non habeo quaſi privatum meum, nec tu quaſi privatum tuum. Veritas nec mea ſit propria, nec tua; ut & tua ſit, & mea: inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Et tandem concludit: *Ergò, fratres, ad hoc valeat, quod diximus charitati veſtræ, propter fontes, ut fluant de vobis, convalles eſtote, & cum omnibus conferte, quod de Deo habetis. Inter medium fluant aquæ, nulli invideatis, bibite, ſaturamini, manate, ſaturate. Ubique communis aqua Dei habeat gloriam, non hominum privata mendacia.*

Difficultas conciliandi neceſſitatem gratia cum libertate.

D. Auguſt.

Extremi errores vitandi.

62. Deſerviet etiam hæc notitia ad pœnitiùs penetrandum mentem, & intentionem Pontificum, Conciliorum, & ſanctorum Patrum, quorum teſtimoniis frequentiùs in hac materia, quàm in aliis utemur. Ubi enim perſpectum habuerimus, quid hæretici, & cæteri Eccleſiæ inimici aſſeveraverint; faciliùs percipiemus, quò mens Pontificum, & Conciliorum collimet, & quid in ſuis determinationibus approbet, vel condemnet. Quod plurimùm refert ad veritatis notitiam ſecurius, & citius comparandam. Unde omnes ferè graves Auctores, qui de divina gratia diſputarunt, recitationem errorum ipſi adverſantium præmiſerunt. Eoſque imitari ſtudentes, priùs in hoc capite referemus hæreſes, & errores contra noſtri arbitrij libertatem; & deinceps recenſebimus hæreſes divinæ gratiæ contrarias. Nam liberum arbitrium licèt dignitate cedat, præcedit tamen gratiam ordine generationis: eſt enim ejus ſubjectum, ad quod regendum, & perficiendum ipſa ordinatur: unde eo negato, gratiæ neceſſitas, aut utilitas non apparet, juxta illud D. Bernardi in lib. de gratia, & lib. arbitrio. *Tolle liberum arbitrium, non erit, quod ſalvetur. Tolle gratiam, non erit unde ſalvetur. Opus hoc,* ſcilicet ſalutis, *ſine duobus effici non poteſt: uno, à quo fit; altero, cui, vel in quo fiat. Deus auctor eſt ſalutis, liberum arbitrium capax: nec dare illam, niſi Deus; nec capere poteſt, niſi liberum arbitrium. Quod ergo à ſolo Deo eſt, & ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu eſſe non poteſt accipientis, quàm abſque*

Quàm utilis horum errorũ notitia.

D Bernardus.

gratia

Digitized by Google

D. Hieron.

gratia dantis. Similia habet D. Hieronymus ſuper Iſaiam cap. 49.

Exiſtentia libertatis ſupponitur.

Quod verò ante alia hîc oportebat præmittere, nempè exiſtentiam, & propriam rationem liberi arbitrij, alibi ex-profeſſo dedimus, videlicet *tract.* 10. *de Voluntario diſp.* 2. *per totam:* & ſi quæ ſupereſt difficultas, eam in hoc tract. ſuperare curabimus oſtendendo, quàm optimè cohæreat arbitrij libertas cum neceſſitate, & maxima divinæ gratiæ efficacia: in quo fœdere percipiendo caligant hæretici, vel ſolius arbitrij defenſores, vel ſolius gratiæ patroni. Unde in præſenti illud tantùm præſupponere opus eſt, quod triplex genus libertatis diſtingui ſoleat juxta triplicem differentiam ſervitutis, ſeu neceſſitatis ipſi libertati oppoſitæ. Alia enim eſt libertas, quæ miſerias hujus vitæ excludit, & dicitur *libertas gloriæ*, juxta illud Apoſtol. ad Rom. 8. *Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Alia excludit ſervitutem peccati, & vocatur *libertas gratiæ*, de qua idem Apoſtol. ad Rom. 6. inquit: *liberati à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Alia denique excludit neceſſitatem, ſeu omnimodam determinationem in operando, & appellatur *libertas phyſica*, ſeu, *naturæ*, de qua 1. ad Corinth. 7. dicitur: *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis*, &c. Quam diviſionem docent communiter Scholaſtici cum Magiſt. *in* 2. *diſt.* 25. illamque acceperunt ex D. Auguſt. *variis in locis*, & ex D. Bernard. *lib. proximè cit.* ubi eam pulchrè deſcribit in hunc modum: *Triplex eſt nobis propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſſitate. Hanc ultimo loco poſitam contulit nobis in conditione naturæ: in primam reſtauramur à gratia: media nobis reſervatur in patria. Dicatur ergo prima libertas naturæ, ſecunda gratiæ, tertia vitæ, ſeu gloriæ. Primò namque in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem conditi ſumus, nobilis in Deo creatura: ſecundò reformamur in innocentiam, nova in Chriſto creatura: tertiò reformamur in gloriam perfecta in Spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris; ſecunda plurimum etiam virtutis; noviſſima cumulum jucunditatis.*

Ad Rom. 8. *Tres libertatis acceptiones.* 1. ad Cor. 7. D. Auguſt. D. Bernard.

63. Relictis ergo aliis libertatis acceptionibus, quæ ad rem præſentem non ita faciunt, libertas naturæ, quæ neceſſitati in operando opponitur, conſiſtit in indifferentia in agendo, ſive in eo, quod homo ita agat, ut retineat potentiam ad non agendum, ut explicuimus *loco citato dub.* 1. & 2. Dari verò in nobis hujuſmodi libertatem eſt certum ſecundùm fidem Catholicam, ut ibidem ex profeſſo oſtendimus, & conſtat (aliis pluribus Scripturæ teſtimoniis omiſſis) ex illo Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*, & Eccleſ. 15. *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui: appoſuit ſibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porriges manum tuam: ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Unde hæc veritas poſt alia Concilia diffinita eſt *in Trident. ſeſſ.* 6. *can.* 4. 5. & 6. & eam frequentiſſimè docent Sancti Patres, quorum plures dedimus *loco citato dub.* 1. Immò etiam veteres, & nobiliſſimi quique Philoſophi, ſolo lumine naturali adjuti, eandem communem aſſertionem tenuerunt, Plato *lib.* 10. *de Republica*, (quem locum referunt, & laudant S. Juſtin. *in apologia ad Antonium*; & Clemens Alexand. *lib.* 5. *ſtromatum cap.* 7.) Plotinus *Enneade* 3. *lib.* 1. & *Enneade* 6. *lib.* 8. Proclus *lib. de anima, & demone.* Maximus Tyrius *diſſert.* 3. & 25. Jamblicus *lib. de Myſteriis* §. 40. Porphyrius, quem refert S. P. N. Cyrillus *lib.* 3. *contra Iulianum.* Oppoſitum verò errorem impingunt Ariſtoteli, Cicero *lib. de Fato*, & Theodoret. *lib.* 1. *contra Græcos.* Sed hanc calumniam propulſant Armacanus *lib.* 15. *de quæſt. Armenorum cap.* 20. Franc. Picus *lib. de providentia part.* 2. *cap.* 18. Carpentarius *digreſſ.* 11. in Alcinovum, Sepulveda *lib.* 2. *de fato*, & alij communiter. Et quidem meritò: nam veram ſententiam docet clariſſimè Philoſophus *lib.* 1. *Magnorum Moral. cap.* 10. ubi impugnat Socratem contrario errori facientem, & concludit: *Cæterùm ut videtur, in nobis eſt probos, & improbos eſſe. Item laudes, & vituperationes id quoque atteſtantur. Virtutem namque laus, vitium autem vituperatio conſequitur. Atqui laus, & vituperatio non invitis attribuitur. Manifeſtum igitur hoc modo in noſtro arbitrio eſſe bona, malaque facere.* Idem apertè docet *lib.* 3. *Ethic. cap.* 9. quem locum ſpecialiter impetit amarulentus humanæ libertatis hoſtis Calvinus *lib.* 2. *Inſtitut. cap.* 1. §. 3. Eſtque hujuſmodi aſſertio adeò communis inter nobiles Philoſophos, ut jure aſſeruerit D. Thom. *quæſt.* 6. *de Malo, art. unico*, quod *adverſa ſententia eſt annumeranda inter extraneas, Philoſophiæ opiniones: quia non ſolùm contrariatur fidei: ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philoſophia conſiſtit. Hujuſmodi autem opiniones, quæ deſtruunt principia alicujus partis Philoſophiæ, dicuntur poſitiones extraneæ: ſicut nihil moveri, quod deſtruit principia ſcientiæ naturalis.*

Homo eſt liber in operando. Geneſ. 4. Eccleſ. 15. Conc. Trid. Plato. Plotinus. Proclus. Maximus Tyrius. Jamblicus. Porphyrius. Armacanus. Franc. Picus. Carpentarius. Sepulveda. *Ariſtot. cum nobilioribus Philoſophis aſſerunt libertatem arbitrii.* D. Thom.

Error contrarius.

64. Cæterùm non defuerunt cùm ex Gentilibus, cùm ex Judeis, & Chriſtianis, qui hanc veritatem aliis, atque aliis motivis, vel potiùs protervia ducti ſæpenumerò impugnaverint; quorum (ſi ad tempora attendamus) extremum agmen claudunt Lutherani, & Calviniſti; cæteris alioqui in hac cauſa duces tam ob duritiem, quàm propter inſignes errores, & blaſphemias. Et cùm oporteat operoſiùs inſiſtere in detegendo Lutheri, & Calvini dogmata, à quo Catholici quidam neſciunt, vel non ſcire affectant diſtinguere aliorum catholicorum doctrinam circa efficaciam divinæ gratiæ: idcircò de hæreſi Lutherana, & Calviniana ſeorſim, & ſpecialiùs agemus. Sed quia, ut ſcribit Hoſius *in lib. de traditionibus*, non deeſt hiſce hæreticis ſua ſucceſſio, qua errores ſuos non à ſede Simonis Petri, ſed è peſtilenti cathedra Simonis Magi, aliorumque hæreticorum derivant: æquum eſt breviter referre qui homines, & quibus temporibus inſurrexerint contra libertatem arbitrij. Quæ notitia deſerviet etiam cùm ad detergendum radices hujus erroneæ & extremæ poſitionis; cùm ut ſciamus, quàm ſæpius, & à quantis Patribus, & Conciliis præſcripta fuerit.

Hoſius. *Ejus patroni.*

§. I.

Qui ante Lutherum, & Calvinum negaverint arbitrij libertatem.

Stoici libertatis hoſtes, & fati fautores.

65. Vetus fuit apud Philoſophos Stoïcos opinio, quòd voluntas hominis non regitur electione, ſed fato. Fatum autem vocabant ſeriem, & diſpoſitionem cauſarum naturalium,

lium, & præcipuè cœlorum, juxta quam credebant cuncta neceſſariò, & inevitabiliter evenire, ut ſtatim ex D. Thoma videbimus. Nec audiendus eſt Theophilus Raynaudus *in diſciplina morali, diſtinct. 1. q. 3. art. 1. à numero 230.* ubi contendit oſtendere, quòd Stoici nihil aliud fati nomine ſignificabant, quàm voluntatis divinæ vim prædeterminantem voluntatem creatam: ut ſic latenter ſugillet doctrinam gravioribus Theologis communem, & D. Auguſtini propriam circa providentiam Dei, & efficaciam divinæ gratiæ. Sed magis credendum eſt tum communi cæterorum Auctorum judicio, qui ita deſcribunt Stoicorum poſitionem; tum & præcipuè Divus Thomas 3. contra gentes, *capite 73.* ubi pro libertate pugnat, & poſt plures rationes concludit: *Per hoc autem excluditur error & opinio Stoicorum, qui ſecundùm ordinem quendam cauſarum intranſgreſſibilem, quem Græci εἱμαρμένην vocabant, omnia ex neceſſitate dicebant provenire,* & cap. 85. ait: *Per hoc autem excluditur poſitio Stoicorum, qui ponebant omnes actus, & etiam electiones noſtras ſecundùm corpora cœleſtia diſponi.* Quam fatalem vim extendebant etiam Gentiles ad ipſos Deos, quos nec ab aſtrorum invariabili influxu liberos autumabant, ut

Abulenſis.

refert Abulenſ. 4. *Reg. cap. 17. q. 19.* ubi obſervat Gentiles poſuiſſe tria fata, & addit: *De iſtis tribus diſpoſitionibus fatalibus dixerunt antiqui Gentiles, quòd quidquid per iſtas ſtatuitum eſſet, firmum erat, & non poterat mutari per aliquam humanam ſolertiam: imò neque per potentiam alicujus Dei; ſed quòd etiam acta Deorum cadebant ſub diſpoſitione fatali.*

Fatales Stoicorum diſpoſitiones.

Seneca.

De hoc ait Seneca in tragœdia 5. cujus titulus Oedipus.

Fatis agimur, credite fatis.
Non ſollicitæ poſſunt curæ
Mutare rati ſtamina fuſi.
Quidquid agimus, venit ex alto,
Servátque ſua decreta colus.
Lacheſis dura revoluta manet.
Omnia ſecto tramite vadunt.
Primúſque dies dedit extremum.
Non illa Deo vertiſſe licet,
Quæ nexa ſuis currunt cauſis.

Quod ampliùs confirmat idem Toſtatus verbis Jovis ad Venerem apud Ovid. 9. Metamorph.

Ovid. 9. *Metamorph.*

Invenies illic inſcripta adamante perenni
Fata tui generis.

Ludovicus Vives.

Videatur Ludovicus Vives *ad lib. 5. de Civit. cap. 1. cum ſeqq.* ubi varias Philoſophorum Sectas circa fatum refert.

Patres damnarunt Stoicā fati aſſertionem.

66. Hanc fatalem & abſolutam neceſſitatem perpetuò damnarunt Eccleſiæ Patres. Quorum teſtimonia iniquè arripuerunt inimici gratiæ Dei Pelagiani, ut ea contra D. Auguſtinum, & cæteros veræ atque efficacis gratiæ aſſertores intorquerent; & ita odioſo fati nomine Dei providentiam, & ſupremum dominium in negotio ſalutis negarent. Sed hanc calumniam diſpellit S. Doctor *lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 8.* ubi in ipſos Pelagianos argumentum ab eis fabrefactum retorquet his verbis: *Hæc* (nempe diſcretionem unius ab alio ex inſcrutabili Dei conſilio) *Ut Chriſtianis cordibus convenit cogitare neſcitis: & vos potiùs ſecundùm veſtram ſententiam fato iſta dicitis fieri. Veſtra quippe, non noſtra ſententia eſt fato fieri, quod merito non fit. Et ne ſecundùm totam definitionem fato fiant hominibus, ſi meritis non fiant. quæcunque fiunt; ideò merita, vel bona, vel mala, quantùm poteſtis aſſeritis; ne fatum ſit conſequens, ſi merita negaretis. Ac per hoc dicitur vobis, ſi ea quæ nullis meritis præſtantur hominibus, fato fieri jam neceſſe eſt: & adeò merita aſtruenda ſunt, ne fatum ſit conſequens: ſi merita non ſunt, fato baptizātur, fato intrant in regnum Dei parvuli, quorum bona merita nulla ſunt. Et rurſus fato non baptizantur, fato non intrant in Regnum Dei parvuli, quorum mala merita nulla ſunt. Ecce puſilli, qui fari nequeunt, vos potiùs fati aſſertores eſſe convincunt. Nos autem cùm vitiata originis mala merita eſſe dicamus, gratiâ dicimus intrare parvulum in Regnum Dei, quoniam bonus eſt Deus; & alium meritò non intrare, quoniam juſtus eſt Deus: & in neutro eſſe fatum, quoniam, quod vult, facit Deus.*

D. Auguſt. *Pelagianorum aſtutia retunditur.*

D. Proſper.

Et etiam D. Proſper in epiſt. ad Rufinum, ubi calumnias Semi-Pelagianorum fati nomine impugnantium gratiam efficacem à D. Auguſtino aſſertam acriter propulſat his verbis. *Ea,* inquit, *quæ de fato, ſtultiſſimo mendacio intenti viri injuria jactitant, neque ipſum* (nempe S. P. Auguſt.) *onerant: in cujus libris copioſiſſimè hujuſmodi deſtruuntur errores: nec nos perturbant, qui tales opiniones cum ſuis Auctoribus execramur. Sed videant quomodo ſe à dedecore iſtius exuant, falſitatis, qui poſſunt tam inepta confingere; ſi hi, quorum abutuntur auribus, aliquantulum diligentia ad cognoſcendum ea, quæ præſtantiſſimus miniſter gratiæ diſputavit, intenderint: licèt omnem iſtius inquiſitionis moram ipſi qui hæc loquuntur, prævenire deberent, proferendo, atque explicando libros, ullámve eorum particulam demonſtrando, quam per dubium ſaltem intellectum tali interpretationi obnoxium vir ſanctus ediderit. Sed prorſus nihil apud nos tale audierunt, nihil tale legerunt: quia non fato quidquam geri, ſed omnia Dei judicio novimus ordinari.*

Fatum in quo ſenſu poſſit admitti.

67. Quòd ſi Stoici fati nomine ſolùm ſignificarunt efficaciſſimam Dei voluntatem omnia præordinantem; minimè erroris accuſandi ſunt: nec in eos diriguntur Patrum verba; dum fatum, hoc eſt, abſolutam rerum neceſſitatem, & interitum humani arbitrij proſcribunt. Et profectò veriſimile eſt Stoicorum ſapientiores placitum Zenonis eorum principis fuiſſe imitatos, qui fati vocabulo divinam præordinationem ſignificavit, ut colligitur ex Lactantio lib. 4. Inſtitut. cap. 9. ubi ait: *Sed melius Græci λόγον dicunt, quàm nos verbum, ſive ſermonem; λόγος enim & ſermonem ſignificat & rationem: quia ille eſt vox, & ſapientia Dei. Hunc ſermonem divinum, nec Philoſophi quidem ignorarunt: ſiquidem Zeno rerum naturæ diſpoſitorem, atque opificem univerſitatis prædicat: quem & fatum, & neceſſitatem rerum, & Deum, & animum Iovis vocat, ea ſcilicet conſuetudine, qua ſolent Iovem pro Deo accipere. Sed nihil obſtant verba, cùm ſententia congruat veritati.*

Lactantius.

Patres non proſcribunt omne fatum.

In quo ſenſu fatum non damnatur à Patribus, quorum teſtimonia indigeſtè coacervavit Raynaudus, ut omne fatum, ac ſubinde decreta Dei efficaciter præordinantia actus humanos impeteret, cùm tamen ſacri Doctores non damnent omne fatum; ſed contra fatum aſtrologicum, ſive influxum aſtrorum, & aliarum cauſarum neceſſitatem abſolutè voluntatem humanam invehuntur. Minimè tamen negant fatum uſurpatum pro divina providentia præveniente, & efficaciter decernente hominum opera, ut conſtat ex divo Thoma 1. *p. q. 116. art. 1.* ubi primò refert aliquos negaſſe quòd omnia hæc inferiora debeant reduci in aliquam cauſam ſuperiorem. *Et hi,* inquit, *fatum & providentiam negárunt.* Qui profectò præluxerunt Pelagio, & Pelagij Diſcipulis.

Deinde

Deinde refert alios omnia hæc inferiora reduxiſſe in cœleſtia corpora. Quos refellit, quia actiones humanæ non ſubduntur influxui cœlorum, ut oſtenderat *quæſt. anteced. art.* 4. Denique concludit: *Et ideo dicendum eſt, quòd ea, quæ hìc per accidens aguntur, ſive in rebus naturalibus, ſive humanis, reducuntur in aliquam cauſam præordinantem, quæ eſt providentia divina.* Et poſt pauca: *Solus Deus poteſt voluntatem immutare* (utique efficaciter, & phyſicè: moraliter enim, & ſuaſione, aut objecti propoſitione etiam Diabolus voluntatem immutat) *& per conſequens ordinatio humanorum actuum, quorum principium eſt voluntas, ſoli Deo attribui debet. Sic igitur in quantum omnia, quæ hìc aguntur, divinæ providentiæ ſubduntur tanquam per eam ordinata, & quaſi prælocuta, fatum ponere poſſumus. Licèt hoc nomine ſancti Doctores uti recuſaverint propter eos, qui ad vim poſitionis ſyderum hoc nomen retorquebant.* Unde Auguſtinus dicit *in* 5. *de Civit. cap.* 1. *Si propterea quiſquam res humanas fato tribuat, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat; ſententiam teneat, & linguam corrigat.* Similia habet idem S. Doctor quodl. 12. art. 4. ubi refutatis aliis *fati* acceptionibus, inquit: *Alij reducunt omnia hæc in cauſam ſupracœleſtem, ſcilicet in providentiam Dei, à qua omnia ſunt prædeterminata & ordinata. Et ſecundùm iſtos fatum erit quidam effectus divinæ providentiæ: quia providentia nihil aliud eſt quàm ratio ordinis rerum, prout eſt in mente divina: fatum verò eſt explicatio illius ordinis. Unde Boët. dicit: fatum eſt immobilis diſpoſitio rebus mobilibus inhærens. Sic ergo accipiendo fatum, poteſt dici, quòd omnia ſubjiciantur fato.*

Joſephus.
D. Epiphan.

Quæ fati diverſa uſurpatio præ oculis in hac materia debet haberi, ut ſciamus quid fati vocabulo Sancti Patres communiter damnent. Apud Judæos etiam grave erat diſſidium inter Phariſæos & Sadducæos circa fati conſtitutionem, & vim, ut videri poteſt apud Joſephum *lib.* 2. *de bel. Iud. c.* 7. & D. Epiphanium *lib.* 1. *de hæreſib. tom.* 1. *c.* 16. Sed horum, & alias antiquorum Philoſophorum opiniones circa arbitrij libertatem miſſas facimus, ut veniamus ad errores inter Chriſtianos: horum enim notitia magis facit ad præſens inſtitutum.

Simon magus negavit libertatem arbitrij.
D. Ignatius

68. Primus ergo Chriſtianorum qui negavit libertatem arbitrij, fuit hæreticorum primus nempe Simon Magus, quem D. Ignatius epiſt. ad Tral. jure appellat *Primogenitum Satanæ.* Reducebat autem Simon hanc humanarum operationum neceſſitatem, non in fatalem aſtrorum diſpoſitionem, ut Stoici, ſed in efficaciam divinæ voluntatis omnia decernentis, & prævenientis. Quod argumentum arripuerunt Simonis diſcipuli, Calviniſtæ: ut infrà *num.* 91. videbimus, illúdque magnificant, & proſequuntur quidam impugnatores gratiæ ab intrinſeco efficacis, ut conſtabit ex dicendis *diſput.* 7. *dub.* 4. Quòd autem Simon ita ſenſerit & argumentatus fuerit, liquet ex S. Clemente *Rom. lib.* 3. *Recognit.* ubi refert Simonem prædicto argumento impetiſſe D. Petrum. Sed videamus, quid Apoſtolorum Princeps & Chriſti vicarius reſponderit. *Ais ergo tu, ſi Deus vult aliquid eſſe, & eſt; & ſi non vult, non eſt: ſcilicet ut ſi reſponderem, quia quod vult, & eſt; quod autem non vult, non eſt: diceres: ergo ipſe vult eſſe mala, quæ in hoc mundo geruntur: quia omne quod vult, hoc eſt; quod autem non vult, non eſt. Si verò reſpondiſſem non eſſe hoc, ut quod vult Deus ſit; & quod non vult, non ſit: non rhetorico ſermone diceres: ergo impoſſibilis eſt Deus, ſi quod vult, non poteſt: & exiſteres petulantior, ut qui nihil rectum dixeris, viciſſe te crederes. Et ideò ignoras, ô Simon, & valde ignoras, quomodo in ſingulis quibuſque voluntas ſit Dei. Quædam enim voluit, ut diximus ita eſſe, ut aliud eſſe non poſſent, quam id quod ab ipſo inſtituta ſunt, & his nec præmia, nec ſupplicia ſtatuit. Ea verò, quæ ita eſſe voluit, ut in ſua poteſtate habeãt agere quod velint, his pro actibus & voluntatibus ſuis ſtatuit, ut aut remunerationes mereãtur, aut pœnas. Cùm ergo in duas, ut edocui, partes dividantur cuncta, quæ moventur; ſecundùm eam, quam ſuprà diximus diſtinctionẽ, omnia, quod vult Deus, eſt, quod autem non vult, nõ eſt.*

Vetus argumentum veteri ſolutione enervatur.
D. Clemẽs.

Scientia media ſuperfluit ad noſtræ libertatis defenſionem.

69. Ubi ponderandum eſt S. Petrum, ut arbitrij libertatem, & rerum contingentiam tueretur; minimè recurriſſe ad præſentiam futurorum eventuum ſub conditione; ſed difficultatem compoſuiſſe cuncta reducendo ad ſummam efficaciam, & univerſalitatem divinæ voluntatis, quæ omnia cauſat, atque ideò libertatem tam in potentia, quàm in actu: unde ita vult, & efficaciter cauſat actum, ut præſtet etiam, & conſervet poteſtatem ad oppoſitum: quo nil ampliùs ad libertatem, & contingentiam rerum deſideratur. In qua Apoſtoli doctrina tradenda perpetuus fuit Divus Thomas & hac via libertatem arbitrij cum efficacia divinæ voluntatis decernentis & præmoventis componit, ut conſtat ex 1. p. q. 19. art. 8. ubi ait: *Cum voluntas divina ſit efficaciſſima; non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea quæ Deus vult fieri; ſed quod eo modo fiant, quo Deus fieri vult. Vult autem Deus quædam fieri neceſſariò, quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus ad complementum univerſi. Et ideò quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proveniunt. Quibuſdam autem aptavit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter* (aſſignat primariam rationem) *quia cauſæ proximæ ſunt contingentes: ſed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes cauſas ad eos præparavit.* Et ad 2. reſpondet: *Quod hoc ipſo, quod nihil voluntati divinæ reſiſtit; ſequitur quod non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri; ſed quod fiant contingenter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult.* Et ex hac radice petendus eſt legitimus modus conciliandi libertatem noſtram cum auxiliis ab intrinſeco efficacibus, ut cum diſcipulis D. Auguſt. & D. Th. oſtendemus *diſput.* 7. per totam.

D. Thom.

Efficatia divinæ voluntatis paris libertatem in nobis.

Simon magus docuit Deum eſſe auctorem peccati.

70. Videns autem Simon Deum cuncta decernere, efficaciterque impellere ad operandum; & aliunde neſciens diſtinguere inter rerum entitatem, quæ Deo ut primæ cauſæ adſcribenda eſt, & malitiam quarundam operationum, quæ in defectibilitatem arbitrij eſt revocanda: conſequenter ad primum errorem addidit ejus appendicem, nempe Deum Opt. Max. eſſe cauſam & auctorem peccati. Ex legitimo enim antecedenti (quod Apoſtolorum princeps non negavit) nempe Deum ante omnem prævisionem omnia diſpoſuiſſe, & ad agendum pro modo cuilibet proprio efficaciter movere; per peſſimam conſequentiam collegit, & cuncta neceſſariò evenire, & Deum eſſe omnium flagitiorum cauſam. Cujus erroris, ſicut & præcedentis fuit Simon primus auctor, ut tradit Vincentius Lyrinenſis in ſuo Commonitorio, cap. 34. ubi ait: *Quis ait: ante Magum Simonem Apoſtolica diſtrictione percuſſum* (*à quo vetus*

Vincent. Lyrinenſis.

ille

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ille turpitudinum gurges uſque in noviſſimum Priſcillianum continua, & occulta ſucceſſione manavit (auctorem malorum, id eſt ſcelerum, flagitiorúmq; noſtrorum auſus eſt dicere creatorem Deum? Quippe quem aſſerit talem hominum manibus ipſâ ſuis creare naturam, quæ proprio quodam motu & neceſſaria cujuſdam voluntatis impulſu, nihil aliud poſſit, nihil aliud velit, niſi peccare: eò quòd furiis vitiorum omnium excitata & inflammata in omnia turpitudinum barathra inexauſta cupiditate rapiatur. Sectatores habuit Simon non ſolùm veteres hæreticos, ut inquit Vincentius; ſed Lutherum etiam & Calvinum, ut ex dicendis conſtabit. Et quàm nulla ſit eorum conſecutio ſatis liquet ex dictis *in tract.* 4. *diſp.* 10. *dub.* 7.

Lutherus. Calvinus.

Simonis diſcipuli. Bardeſanes.

71. Qui poſt Simonem Magum primò in Eccleſia hunc errorem extumulavit, videtur fuiſſe Bardezanes Syrus, vir alioqui ſapientiſſimus circa annum 163. ut ſumitur ex D. Auguſt. *lib. de hæreſib. cap.* 35. Hic imitatus eſt Philoſophos Stoicos, & Aſtrologos fatales qui cœlorum, atque aſtrorum inevitabili influxui cuncta ſubmittebant: & hinc colligebant tolli contingentiam, & indifferentiam arbitrij.

Manes. Manichæi.

72. Circa annum 273. bellum adversùs fidem conclamavit Manes quidam, Perſa ſtultiſſimus, & impudentiſſimus hæreticus, à quo Manichæorum hæreſis ſumpſit exordium. Hi verò neceſſitatem voluntatis non in vim aſtrorum, nec in divinæ voluntatis efficaciam detorquebant; ſed alia principia pro tuendo ſuum dogma excogitarunt. Affirmabant enim eſſe duos Deos, ſeu prima principia, alterum bonum, alterum malum, utrumque æternum. In homine etiam conſtituebant duas mentes, aliam bonam, & à bono principio; malam alteram, & à principio malo. Hinc conſequenter dicebant hominem eſſe omninò determinatum & à mala mente, & à malo principio ad peccandum; nec poſſe, etiam adjuvante Spiritu ſancto, aliquid efficere, quod juſtum & honeſtum deberet haberi. Ita colligitur ex Euſebio *lib.* 7. *cap.* 38. Nicephoro *lib.* 6. *cap.* 31. Socrate *lib.* 1. *cap.* 17. & multò luculentiùs ex Divo Auguſtino, qui ſæpiùs hunc errorem impugnavit, & cùm Romæ eſſet, tres libros contra illum direxit, ut refert *in lib.* 1. *Retract.* 2. ubi addit: *Propter eos diſputatio illa, ſcilicet de libero arbitrio ſuſcepta eſt, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci; & Deum (ſi ita eſt) creatorem omnium naturarum culpandum eſſe intendunt. Eo modo volentes ſecundùm ſuæ impietatis errorem (Manichæi enim ſunt) immutabilem quandam, & Deo coæternam introducere mali naturam.* Videatur idem S. Thom. *in lib.* contra Fortunatum Manichæum, & *in lib. de hæreſib. c.* 46. & D. Hieronymus in proœmio ad dialog. adversùs Pelagium, ubi ait: *Manichæorum eſſe hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adjutorium Dei tollere*, & Serapion Ægyptius in lib. contra Manich. ubi Manichæiſmum appellat *poſtremam impietatis abortionem, quæ omnes aliorum improbitates exterminavit, & in profundis poſuit.*

Euſebius. Nicephorus Socrates. D. Auguſt.

D. Hieron.

Serapion Ægyptius.

Infulsè quidã Manichæiſmum impingunt efficacis gratiæ aſſertoribus

73. Quod cùm ita ſit, non dubitarunt aliqui infamem Manichæorum notam impingere defenſoribus gratiæ Dei ab intrinſeco efficacis. Quod jam olim Pelagij diſcipuli objiciebant diſcipulis S. Auguſtini, ut videre eſt apud D. Proſper. in epiſt. ad Ruffinum in fine, ubi prædictam calumniam retundit his verbis: *Nec ex duabus maſſis, duabusve naturis; ſed ex una maſſa, quæ eſt caro primi hominis, unam ſcimus omnium hominum creatam, crearique naturam: & eandem per ipſius primi hominis liberum arbitrium, in quo omnes peccaverunt, eſſe proſtratam: nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberum, niſi eam ad imaginem Dei ſecundæ creationis Chriſti gratia reformaverit, liberumque ejus arbitrium agendo, inſpirando, auxiliando, & uſque in finem præeundo ſervaverit. Unde perſpicit ſanctitas tua fruſtra quoſdam de nobis conqueri, & omnes illas ineptas criminationes ad exaſperandos, avertendoſque animos eorum, quibus aliud volunt perſuaderi, contexi.* Eandem calumniam propellit D. Auguſtinus *lib.* 1. *contra duas epiſtolas Pelag. cap.* 2. & *lib.* 3. *cap.* 9. Quod obiter notent, qui contendunt Auguſtinum ſolum aſſeruiſſe quandam gratiam auxiliatricem mobilem, & ex ſe prorsùs indifferentem. Nam hæc gratia qualem vel apparentem violentiam parit, ut Pelagiani poſſent S. Doctori Manichæiſmum objicere? Et quales excuſationes obligaretur D. Auguſtinus prætendere, qui poſſet palam dicere ſe nullam tueri gratiam efficaciter præoperantem, ſi ejus patrocinium non ſuſcepiſſet? Sed jam olim quidam, dum ſuperſtitioſa libertatis defenſione Manichæiſmum videretur abhorrere, uſque ad Pelagianiſmum prolapſi ſunt, ut optimè obſervavit D. Thomas quæſt. 24. de verit. art. 4. in corp. ubi relato errore Joviniani aſſerentis hominem non poſſe peccare ob inſitam inclinationem ad bonum, addit: *Alia inclinatio ineſt humanæ menti ex inferioribus viribus, & præcipuè ſecundùm quod ſunt ex originali peccato corrupta, qua ſcilicet inclinatur mens ad ea eligenda, quæ ſunt ſecundùm carnalem ſenſum delectabilia. Et hanc inclinationem conſiderantes Manichæi dixerunt, quòd homo neceſſariò peccat, nec aliquo modo peccatum vitare poteſt. Et ſic utique licet viis contrariis in idem inconveniens inciderunt, ut liberum arbitrium denegarent: non enim homo erit liberi arbitrij, ſi vel ad bonum, vel ad malum neceſſitate impellitur. Quod eſſe inconveniens & experimento, & Philoſophorum doctrinis, & divinis auctoritatibus probatur, & aliquatenus ex ſupradictis patet. Unde è contrario ſurrexit Pelagius, qui volens liberum arbitrium defendere, gratiæ Dei adverſatus eſt, dicens abſque Dei gratia hominem peccatum evitare, &c.* Videatur etiam S. Doctor 1. *p. q.* 8. *art.* 3. & *in lib.* 3. *contra Gentes, c.* 7. & 15. & 71. & aliis pluribus locis, quæ citantur in tabula aurea, verbo *Hæreſis, num.* 49. in quibus radicem erroris Manichæorum detegit, & pluribus rationibus impugnat. Joannes etiam de Turrecremata juſſu Pij II. ſummi Pontificis ſcripſit Tractatum contra quinquaginta Manichæorum errores: recruduerat enim ea tempeſtate illorum virus.

D. Proſper.

Auguſt. docuit gratiam ab intrinſeco efficacem.

D. Thom.

Turrecremata.

74. Præcedentes errores auxit, & amplexus eſt Priſcillianus circa annum 388. Nam cum Manichæis aſſerebat duo prima principia, & duas hominum mentes, ut *num. præced.* vidimus: cum Bardezane autem, & aliis Theologis fatalibus dicebat actus humanos inevitabili aſtrorum diſpoſitioni ſubjacere: & ita omnimodam neceſſitatem hominum voluntati inferebat. Ita colligitur ex D. Auguſtino *in lib. de hæreſib. cap.* 70. & *lib.* 2. *Retract. cap.* 11. ex ſancto Leone Papa epiſt. 93. ad Epiſcopum Aſturicenſem, ubi ait: *Undecima eorum blaſphemia eſt, qua fatalibus ſtellis, & animas hominum, & corpora opinantur adſtringi; per quam amentiam neceſſe eſt, ut omnibus Paganorum erroribus implicati, & faventia ſibi (ut putant) ſidera colant,*

Priſcillianiſtæ negarunt libertatem.

D. Auguſt. S. Leo Papa.

Digitized by Google

colant, & adverſantia ſtudeant mitigare. Verùm iſta ſectantibus nullus in Eccleſia catholica locus eſt, quoniam qui ſe in talibus perſuaſionibus dedit à Chriſti corpore totus abſceſſit. Hunc errorem qui parſim per Hiſpaniam ſerpebat, damnarunt Patres Concilij Bracharenſis 1. can. 9. his verbis, *Si quis animas, & corpora hominum fatalibus ſtellis credit adſtringi, ſicut Pagani, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit*; & can. 10. *Si quis duodecim ſigna, id eſt, ſydera, quæ Mathematici obſervare ſolent, per ſingula animæ, vel corporis membra diſſipata credunt, & nominibus Patriarcharum adſcripta dicunt, ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit.* Quam hæreſim latè confutat Divus Thomas 3. contra gentes, cap. 85. & concludit: *Hinc eſt, quòd dicitur Hierem. 10. A ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vana ſunt. Per hoc autem excluditur poſitio Stoicorum, qui ponebant omnes actus noſtros & electiones noſtras ſecundùm corpora cœleſtia diſponi. Quæ etiam dicitur fuiſſe poſitio antiqua Phariſæorum apud Iudæos. Priſcillianiſtæ hujuſmodi erroris etiam rei fuerunt, ut dicitur in lib. de hæreſibus.*

Concil. Bracharenſ.

D. Thom.

75. Jovinianus etiam circa annum 395. libero ſe oppoſuit arbitrio: volens quippè Manichæiſmum pœnitùs declinare, ad aliud deflexit extremum, ut aſſereret hominem, baptiſmatis gratia ſuſcepta, non poſſe deinceps peccare. Ita colligitur ex epiſt. D. Hieron. de fide ad Damaſum, ubi ait: *Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus nos Dei ſemper indigere auxilio; & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos, qui cum Ioviniano aſſerunt hominem non poſſe peccare. Uterque enim tollit arbitrij libertatem. Nos verò dicimus hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrij.* Paulo aliter exponit radicem hujus erroris D. Thom. quæſt. 24. de Verit. art. 4. ubi ait: *Quidam exiſtimantes naturam mentis humanæ ad modum corporalium naturarum opinati ſunt omne illud, in quo videbant mentis humanæ inclinationem eſſe, hominem ex neceſſitate operari: & ex hoc in contrarios errores inciderunt. Habet enim humana mens duas contrarias inclinationes. Una quidem in bonum ex inſtinctu rationis. Quam conſiderans Iovinianus dixit hominem peccare non poſſe.* Hic error eſt ſtultiſſimus, & cujus falſitatem manifeſtant ipſa peccata. Sed illum latè confutabimus *d. ſp. ſeq. dub. 5. & 6.*

Ioviniani dementia.

D. Hieron.

D. Thom.

76. Poſt hæc monſtra ſæpius proſtrata, bellum iterum adversùs libertatem conclamarunt Albanenſes circa annum 796. Conſtituebant enim cum Manichæis duo prima principia: & inde cum eiſdem colligebant peccatum non proficiſci ex libero arbitrio; immò nullam eſſe arbitrij poteſtatem. Horum ſucceſſores fuerunt Albigenſes circa annum 1212. qui eiſdem armis inſtructi intermiſſum bellum contra arbitrij libertatem in Comitatu Toloſano redintegrarunt. Sed eorum impetus, & copias S. Dominicus Ordinis Prædicatorum Auctor, & clara lux Hiſpaniæ, oratione, prædicatione, & diſputationibus fregit, & pœnitus ſuperavit. De quo videndi ſunt Vincentius *in ſpeculo hiſtoriali lib. 30.* D. Antoninus *3. p. tit. 19. cap. 1. & 4. parte tit. 11. cap. 7.* Sed inter Albanenſium, & Albigenſium tempora non defuere, qui Eccleſiam cum circa alia dogmata, cum libertatem arbitrij turbarunt. Nam Petrus Abailardus circa annum 1140. aſſeruit Deum ex omnimoda neceſſitate agere, quæ agit: unde libertatem arbitrij in ſuo fonte extinxit. Abailardo ſuppetias detulit Arnaldus Brixienſis ejus coætaneus, ut conſtat ex Divo Bernardo (qui contra hos hæreticos ſtrenuè decertavit) *in epiſtola ad Innocentium Papam*, ubi eorum arrogantiam repræſentat his verbis: *Procedit Golias iſte (nempè Abailardus) procero corpore, nobili illo ſuo bellico apparatu circummunitus. Ante ſe quoque ejus armiger Arnoldus de Brixia, ſquamma ſquammæ conjungitur. Siquidem ſibilavit apis quæ erat in Francia, api de Italia. Et venerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus.* Similia habet in epiſtol. ad Guidonem Legatum, & in epiſtol. ad Epiſcopum Conſtantienſem.

Albanenſes, & Albigenſes contra libertatem pugnarunt.

S. Dominic.

Vincentius.
D. Antonin.

D. Bernard.

77. Horum errorem damnarunt Concilium Senonenſe ſub Cæleſtino II. & Lateranenſe ſub Innocentio II. & contra illum diſputat Divus Thomas 1. part. quæſt. 19. art. 3. & quæſt. 1. de potentia art. 5. ubi ait: *Dicendum, quod hic error, ſcilicet Deum non poſſe facere, niſi quæ facit, duorum fuit. Primò fuit quorumdam Philoſophorum dicentium Deum agere ex neceſſitate naturæ. Quod ſi eſſet, cùm natura ſit determinata ad unum, divina potentia ad alia agenda ſe extendere non poſſet, quàm ad ea, quæ facit. Secundò fuit quorundam Theologorum conſiderantium ordinem divinæ juſtitiæ, & ſapientiæ, ſecundùm quem res fiunt à Deo: quem Deum præterire non poſſe dicebant: & incidebant in hoc, ut dicerent, quod Deus non poteſt facere, niſi quæ facit. Et imponitur hic error Magiſtro Petro Almadareo.* (Sic etiam vocatur à pluribus.) Videatur ſanctus Doctor *lib. 1. contra gent. cap. 81. cum duobus ſequent. & lib. 2. cap. 23. cum ſequent.* ubi fundamenta prædicti erroris avertit, & Doctrinam Catholicam pluribus rationibus firmat. Abailardus autem in ſuo errore non permanſit; ſed pœnitens ad Cluniacum divertit, & ibidem in arctiſſima obſervantia perſeveravit, & ſancto fine quievit, ut conſtat ex V. Petro Cluniacenſi *lib. 5. epiſt. 20.* ad Eloyſam Abbatiſſam Abailardi conjugem, quæ idem vitæ propoſitum arripuerat.

Concil. Senonenſ.
Lateranenſ.
D. Thom.

Petrus Cluniacenſis.

78. Sed conſepulto Abailardi, Albanenſium, & Albigenſium errore, in Eccleſiam, & liberum arbitrium conjuravit Joannes Vvicleph. circa annum 1352. & plurimos habuit ſui erroris aſſeclas. Aſſerebat autem omnes actus humanos ex neceſſitate abſoluta evenire, non quæ fundaretur vel in mala natura, vel in inevitabili aſtrorum influxu; ſed in decreto, & præſcientia Dei æternis. Autumabat enim hæreticus poſito decreto efficaci Dei, & præſcientia futuri eventus; fieri in nullo ſenſu poſſe, quod oppoſitum contingeret. Et quia videbat primum illud haberi in ſacra ſcriptura, & apud Auguſtinum in libris contra Pelagianos: conſequenter, peſſima tamen conſequentia ſeductus, aſſeruit cuncta neceſſario abſolutè fieri, nullamque dari potentiam ad oppoſitum, quæ pro vera libertate ſufficeret. Ita aſſeruit in 2. Trialogi cap. 13. *Deus*, inquit, *neceſſitat creaturas ſingulas activas ad quemlibet actum ſuum.* Et lib. 3. Trialogi cap. 9. *Numquid creatura poteſt impedire Dei determinationem, & ut ſophiſtæ concedunt, veritatem æternam procedentem ex Dei propoſito?* Et poſt pauca: *Cum ergo, addit in ignorantia Dei, in variatione ſuæ volitionis, vel rei impedientis non poſſit obſtaculum inveniri: relinquitur, quod propoſitum*

Vvicleph aſſerit neceſſitatem abſolutam humanorum actuum.

Dei

Digitized by Google

Dei oportet neceſſariò adimpleri : & ſic omne futurum eveniet neceſſariò. Unde inter 45. articulos erroneos Vviclephi , quos damnavit Concilium Conſtantienſe , ponitur 26. qui eſt hujuſmodi : *Omnia abſoluta neceſſitate eveniunt.* Sed fundamentum hujus hæretici, & totius machinæ ſtructuram jam pridem proſtraverant D. Aug. & D. Tho. ex quorum doctrina oſtendemus *infrà diſp.* 7. quomodo cum præſcientia Dei , & decreto efficaci, & gratia pariter efficaci præoperante, ſtet indemnis libertas arbitrij. Ubi etiam occurremus pluribus argumentis , quibus quidam viri catholici , ne concederent gratiam Auguſtinianam ab intrinſeco efficacem, illam Vviclephi conſequentiam promoviſſe videntur. Modò videamus, quam facilè Angelicus Præceptor 3. contra gentes cap. 94. argumentationem Vviclephi , & aſſeclarum præveniens, illam diſpellat his verbis : *Ex quo etiam patet , quod hæc conditionalis eſt vera: ſi Deus providit hoc futurum , hoc erit , ſicut ſecunda ratio procedebat. Sed ſic erit , ſicut Deus providit illud eſſe futurum. Providit autem illud eſſe futurum contingenter. Sequitur ergo infallibiliter, quod erit contingenter, non neceſſariò. Patet etiam, quod hoc, quod ponitur proviſum eſſe à Deo, ut ſit futurum , ſi ſit de genere contingentium , poterit non eſſe ſecundùm ſe conſideratum: ſic enim proviſum eſt , ut ſit contingens , potens non eſſe. Non tamen eſt poſſibile, quod ordo providentiæ deficiat , quin contingenter eveniat. Et ſic tertia ratio ſolvitur. Unde poteſt poni , quod iſte non ſit regnaturus , ſi ſecundùm ſe conſideretur ; non autem ſi conſideretur, ut proviſum. Illud autem, quod Iulius objicit, ſecundùm præmiſſa frivolum apparet. Cùm enim divinæ providentiæ non ſolùm ſubdantur effectus , ſed etiam cauſæ, & modi eſſendi : non ſequitur , quod ſi omnia providentia Dei aguntur, quod nihil ſit in nobis. Sic enim ſunt à Deo proviſa , ut per nos liberè fiant.*

D. Auguſt. D. Thom.

D. Th. prævidit, & diruit fundamentũ Vviclephi.

Nemo autem magis ex profeſſo, aut luculentius hunc , ſicut & alios Vviclephi errores impugnavit , quàm V. N. Thomas VValdenſis in Doctrinali fidei antiquæ , quod ad Martinum V. direxit. Ut enim Deus aliis temporibus , ubi aliquis de novo hæreticus inſurrexit , ſacrum aliquem Doctorem oppoſuit : ita contra Vviclephi adſultus V. Thomam dedit , & armis veræ pietatis , & incomparabilis ſapientiæ inſtruxit. Adeo quippè diligenter, acutè, doctè , & Catholicè illum hæreticum confutavit, ut meritò dixerit Andreas Vega illum eſſe fontem quendam à quo poſtea univerſi , qui contra novos hæreſiarchas ſcripſere, hauſerint. Nec ſegnius in hac cauſa laborarunt alij plures Thomæ alumni , ut videri poteſt apud Abrah. Bzobium tom. 15. ann. Eccl. ann. 1422. ubi ait : *Ad hos errores Vviclephiſtarum extirpandos plurimum in Anglia contulerunt ea tempeſtate viri aliquot illuſtres ex ordine Carmelitano.* Nihil verò laudabilius in VValdenſi apparet , quàm ſummum ſtudium in novitatibus extirpandis , & veneratione antiquorum Patrum promovenda , ut ejus volumina legenti liquidò conſtat, & ipſe proteſtatur in præfatione ad Martinum V. his verbis : *Hunc autem librum totum, doctrinale antiquitatum Eccleſiæ appellare diſpoſui hac ratione, quod in toto hoc opere contra novitates hæreticas , antiqua Eccleſia à temporibus Apoſtolorum per ſucceſſiones Epiſcoporum, & plebium, quod in rebus moris docuit, tenuit, & prædicavit , quantum antiqua exemplaria videre conceditur, ipſa nos docebit, ipſa, inquam, mater Eccleſia per ſe ipſam negotia terminabit. Hunc modum Auguſtinus ſervavit , ut tam potenter vinceret Manichæos, & Pelagianos hæreticos.* Undè obiter liquet VValdenſi illum modum conciliandi libertatem humanam cum aliis cauſis tantum probari, qui in Eccleſia jam diu probabatur, & quem Auguſtinus docuit contra Manichæos libertatis humanæ hoſtes , & adverſum Pelagianos divinæ gratiæ inimicos.

Elogium Thomæ VValdenſ.

Andreas Vega.

Abrah. Bzobius.

D. Auguſt.

79. Inter præcedentes hæreſes , quæ ſpeciales habuerunt patronos cõnumerari poteſt error Prædeſtinatorum circa annum 418. cujus non invenimus ſingularem auctorem. Contigit autem hac occaſione , ut colligitur ex Sigiberto *in Chronic. anno* 425. & N. VValdenſi *lib.* 1. *Doctrinal. c.* 22. & Auguſt. *locis ſtatim referendis.* Cum S. Doct. Auguſtinus adſultibus Pelagianorum occurreret; & cauſam Eccleſiæ ageret ; plura ſcripſit volumina , in quibus apertè docebat efficaciam præoperantem divinæ gratiæ, & prædeſtinationem æternam, abſolutam, & præcedentem omnia merita, tam ut exercita ; quàm ut præviſa. Hæc ut legerunt Monachi monaſterij Adrumentini ſub Valentiano Abbate ; non parvi eorum turbati ſunt: & occaſione accepta, non data, primò obmurmurarunt , deinde in errores aliquos prolapſi ſunt. Dicebant enim poſitâ efficaci gratia, & prædeſtinatione abſoluta, nullum rationabiliter ob peccata corrigi ; ſed potiùs alios orare debere , ut Deus ei gratiæ auxilium pro emendatione concederet. Cauſabantur etiam prædeſtinatis nihil obeſſe peccata ; reprobis verò bona opera minimè proficere. Et in hunc modum quæribundi libertatem arbitrij ſaltem in negotio ſalutis inſectabantur. De horum monachorum querimoniis , & periculo certior factus Auguſtinus ſcripſit ſub vitæ fine duos libros : unum de gratia , & libero arbitrio; alterum de correptione , & gratia : ſcripſit etiam duas epiſtolas , nempè 46. & 47. ad Valentinum Abbatem. In quibus ita abeſt, ut pro illorum monachorum conſolatione antiquam ſententiam prædeſtinationis abſolutæ , & gratiæ efficaciter præoperantis temperet, vel diſſimulet, quod potiùs nullibi operoſiùs explicat ſupremum Dei dominium ſuprà operationes noſtras , atque invictam divinæ gratiæ efficaciam, ejuſque amicabile cum libertate fœdus. Sed videamus , quomodò illorum querimonias Auguſt. repræſentet in lib. de correct. & gratia cap. 4. *Cum ergo & ipſa voluntas à Domino præparetur ; cur me corripis : quia vides me ejus præcepta nolle ; & non potius ipſum rogas, ut in me operetur, & velle ?* Et cap. 6. *Hanc charitatem non accepimus : quid itaque corripimur, quaſi nos eam nobis dare poſſimus , & noſtro arbitrio habere nolimus.* Et in epiſt. 46. ad Valentinum, *Venerunt ad nos,* inquit S. Doctor, *duo juvenes, Creſconius, & Felix de veſtra congregatione ſe eſſe dicentes , qui nobis retulerunt monaſterium veſtrum non nulla diſſenſione turbatum : eo quod quidam in nobis ſic gratiam prædicent , ut negent hominis eſſe liberum arbitrium ,* &c.

Prædeſtinatorum erroris origo.

D. Auguſt.

Auguſtinus perpetuum gratiæ ab intrinſeco efficacis aſſertor.

80. Ut verò has querimonias, & errandi occaſiones compeſceret Auguſtinus , à doctrina priùs tradita , ut proximè dicebamus , non eſt digreſſus ; ſed duo monuit: primò prædeſtinationem abſolutam , & gratiam efficacem non præjudicare libertati , ſed eam magis ſtabilire: ſecundò correptionem non eſſe omittendam, quia Deus ea ſæpè utitur tanquam medio extrinſeco, dum hominis cor interius immutat. Undè lib. de corrept. & gratia cap. 8. inquit : *Nam quis ignorat tam fuiſſe perituram fidem Petri , ſi ea , quæ fidelis erat , voluntas ipſa deficeret ; & perman-*

Auguſtinus compeſcuit libertatem noſtram cũ gratia efficacia.

ſuram,

Digitized by Google

ſuram, ſi eadem voluntas maneret? ſed quia preparatur voluntas à Domino, ideò pro illo non poſſet eſſe inanis oratio. Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? Ecce quemadmodum ſecundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippè humana non libertate conſequitur gratiam; ſed gratia potiùs libertatem, & ut perſeveret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem. Et cap. 14. *Non eſt itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra omnia, quæcumque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura ſunt, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere; quominus faciat ipſe, quod vult: quandoquidem de ipſis etiam hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Niſi fortè ut ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Saüli regnum dare; ſic erat in poteſtate Iſraëlitarum ſubdere ſe memorato viro, ſive non ſubdere: quod utique in eorum erat poſitum voluntate, ut etiam Deo valerent reſiſtere. Qui tamen hoc non fecit, niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Nec propterea inquit cap. 15. omittere debemus correptionem fratrum, & pro fratribus orationem. *Paſtoralis tamen*, inquit, *neceſſitas habet, ne per plures ſerpant dira contagia, ſeparare ab ovibus ſanis morbidam; ab illo, cui nihil eſt impoſſibile, ipſa forſitan ſeparatione ſanandam. Neſcientes enim quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus ſalvos fieri.* Quibus, & aliis monitis utrumque errorem compeſcuit, ac monachos illos mediam, & catholicam viam edocuit.

§. II.

Refertur hæreſis Lutheri contra liberum arbitrium.

Lutherus antiquarum hæreſum hæres negavit libertatem arbitrij.

81. CUm ſordes omnium ferè antiquarum hæreſum inſtar capaciſſimæ cloacæ excepiſſet Martinus Lutherus; non potuit abhorrere dogma contra libertatem arbitrij, quod eſt plurium aliorum errorum ſcaturigo. Aſſeruit ergò actus humanos fieri cum neceſſitate abſoluta, & hominem carere poteſtate ad oppoſitum. Principio verò tantùm docuit, hanc neceſſitatem provenire ex decreto, & præſcientia Dei: unde cum neceſſitate oppoſita indifferentiæ conjungebat libertatem oppoſitam coactioni, ſeu violentiæ: dicebat enim hominem voluntariè agere, ſed abſque poteſtate ad non agendum. Ita conſtat ex his, quæ docuit tom. 3. de ſervo arbitro, ubi dixit: *Sequitur neceſſariò nos operari: neceſſariò dico, non coactè, hoc eſt, cùm homo vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, vel ut raptus obtorto collo nolens facit; ſed ſponte, & libenti voluntate facit.* Undè ejus diſcipulus Bucetus libro de concordia doctrinæ aſſerit, quòd *Lutherus ſolam libertatem à neceſſitate negaverit, ſed libertatem à coactione conceſſerit*, ut videri poteſt apud Bellarminum *lib. 3. de gratia, & lib. arbit. cap.* 4. Diſtinctionem autem illam, qua utebantur communiter Scholaſtici, nempè *conſequentis*, & *conſequentiæ*, ut diluerent argumenta contra libertatem deſumpta ex decreto & præſcientia Dei; tanquam merum figmentum ſprevit Lutherus eodem lib. ubi ait: *Senſerunt Sophiſtæ* (hac voce honorat Doctores Catholicos) *vim invictam, & inſuſtentabilem hujus argumenti: ideo finxerunt neceſſitatem conſequentiæ*, & *conſequentis. Sed quam nihil hoc figmentum efficiat, ſupra docuimus.* Et infrà, *Neceſſitas*, inquit, *conſequentiæ, qua illi ſe ſolantur, merum phantaſma eſt.*

Bucetus.

Docuit liberum arbitrium fuiſſe extinctum per peccatum.

82. Sed quamvis Lutherus in hoc graviter erraverit, ut conſtabit ex infrà dicendis contra Calvinum: turpiùs adhuc deinceps in hujus erroris ſcopulos offendit. Videns enim argumenta deſumpta ex decreto, & præſcientia Dei generalia eſſe, urgereque etiam tam in Angelis, quàm in hominibus in ſtatu integritatis, & innocentiæ; atque ideò vel inefficacia eſſe, vel ubilibet ædificare neceſſitatem abſolutam, quam ipſe pro illo ſtatu vel nolebat, vel non poterat concedere: ut inſtantiis Catholicorum occurreret, palam auſus eſt dicere liberum arbitrium extinctum fuiſſe per peccatum originale; nec modò manere niſi titulum ſine re. Adeóque frontem obfirmavit, ut nullam activitatem illi attribuerit; ſed dixerit velut inanime quoddam ſe habere, merè patiendo, & recipiendo à Deo ſuas impreſſiones, & affectus. Ita docet in lib. Operationum in Pſalmos, Pſ. 5. ubi ait: *Error eſt liberum arbitrium habere activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim illud, quod credere, ſperare, diligere, motus, raptus, ductus verbi Dei, & quædam continua purgatio, & renovatio mentis, & ſenſus de die in diem in agnitionem Dei, licèt non ſemper æquè intenſa ſit illa paſſio, ſemper tamen paſſio eſt. Ecce, inquit Hierem. ſicut lutum in manu figuli, ita vos domus mea. Quid, obſecro, activitatis habet lutum, quando figulus formam ei attingit. Nonne mera paſſio ibi cernitur?* Et in art. ad Leonem X. art. 36. *Liberum*, inquit, *arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo*; & *dum facit, quod in ſe eſt, peccat mortaliter.* Idem docuit Philippus Melanchthon in locis communibus impreſſis Vvitembergæ anno 1520. & ſuper epiſt. ad Rom. ad illa verba: *Juxta prædeſtinationem Dei.* & ſimilia docent alij rigidi Lutherani.

Negavit arbitrio activitatem.

Philippus Melanchthon.

Damnatur in Concil. Trid.

Hanc hæreſim damnat Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 5. his verbis: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re, figmentum denique à Sathana invectum in Eccleſiam, anathema ſit.* Et canone antec. anathemathizat aſſerentes liberum hominis arbitrium nihil cooperari Deo vacanti, ſed *velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere.* Et profectò hic modus adſtruendi neceſſitatem arbitrij eſt adeò ſtolidus & abſurdus, ut non ſolùm habeat contra ſe cuncta fundamenta tam ab auctoritate, quàm è ratione, quæ pro libertate pugnant: ſed etiam palam adverſetur lumini naturali edocenti voluntatem eſſe potentiam vitalem; ac perinde factivam ſuarum operationum. Alioqui nec in ſtatu innocentiæ potuiſſet homo vitaliter, & liberè ſe movere. Et conſequenter fruſtra Lutherus pro extinctione libertatis recurrit ad peccatum originale; & vanam differẽtiam inter hunc, & illum ſtatum conſtituit. Niſi velit naturalem modum potentiarum animæ per peccatum variationem paſſum fuiſſe: ita ut potentia, quæ ante culpam erat vitalis, & activa, fieret per culpam potentia non vitalis, & expers omnis activitatis. Quod eſt evidenter falſum: nam inſitus & naturalis modus animæ, & potentiarum ſtabilis eſt, & indepen-

dens ab accidentaria variatione per peccatum, vel gratiam, ut latiùs *diſp. ſeq.* oſtendemus.

Aliqui Lutherani temperant doctrinam magiſtri.

83. Vndè plures Lutherani ſententiam Præceptoris temperare curarunt, dicendo hominis arbitrium non ſe habere merè paſſivè in omnibus actionibus, ſed in eis ſolùm, quæ conducunt ad ſalutem, vel ſaltem in prima converſione, ut obſervavit Suarius *Prolog.5.cap.7.num.*8. Immò verò Philippus ſuprà citatus dogma illud, quod prius docuerat, retractavit in locis communibus excuſſis anno 1536. ubi Lutherum tacitè percellit his verbis: *Non probo deliramenta Manichæorum, qui prorſus nullam voluntati tribuebant actionem, nec quidem adjuvante Spiritu ſancto, quaſi nihil intereſſet inter ſtatuam, & voluntatem.* Et poſt pauca refert quorundam (profectò Lutheranorum) querimonias, quas ſic repræſentat: *Si nihil agit liberum arbitrium; interea donec ſenſero fieri illam regenerationem, de qua dicitis, indulgebo diffidentiæ, & aliis vitioſis affectibus.* Ipſe verò ait: *Hæc Manichæa imaginatio horribile mendacium eſt: & ab hoc errore mentes abducendæ ſunt, & docendæ agere aliquid liberum arbitrium. Pharao, & Saül non coactè, ſed volentes, & liberè repugnant Deo. Nec fit converſio in Davide, ut ſi lapis in ficum verteretur: ſed egit aliquid liberum arbitrium in Davide. Cùm audivit objurgationem, & promiſſionem volens jam, & liberè fatetur delictum.* Hæc, & plura hæreticus: quem ſummè ab errore Lutheri declinantem, quidam autumant ex Manichæo, & Stoico factum fuiſſe Pelagianum. Nec mirum: nam qui ſemel extra veritatem vagatur, ſolet ad multiplicia inconvenientia per quandam ſeductionis conſecutionem efferri, ut inquit D. Baſilius *lib.* 2. contra Eunomium.

Suarez.

D. Baſilius.

Lutherus docuit præcepta Dei eſſe impoſſibilia.

84. Præcedenti errori alios appendices addidit Lutherus. Aſſeruit enim hominem poſt peccatum Adami nec ante, nec poſt juſtificationem poſſe diuina præcepta adimplere, ſed Deum impoſſibilia præcipere, ut conſtat ex dialogo Silveſtr. Prieratis ubi hæreticus ait: *Peſſimè facis, quod negas Salvatorem impoſſibilia juſſiſſe: pluſquam peſſimè facis, quod hoc falſitatem audes appellare: Non poſſumus in hac vita mandata Dei adimplere.* Præceptorem imitatur Philippus ad cap. 4. epiſt. ad Rom. in 1. edit. ubi inquit: *Cùm mandat lex Deum diligi, perinde impoſſibilia jubet, atque ſi præcipiat nobis tranſvolare caucaſum.* Quam hæreſim damnat Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 18. his verbis: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* De quo latiùs dicemus *diſp. ſeq. dub.* 5. Conſequenter ad prædictum errorem aſſeruit Lutherus hominem in omni opere peccare mortaliter, & tanto graviùs peccare, quanto magis conatur ſe diſponere ad juſtitiam. Quia, ut refert Caſtro, verbo, *Opera*, exiſtimavit hominem teneri in omni opere ſervare præceptum charitatis diligendo Deum ſuper omnia; quod cenſuit eſſe in hac vita impoſſibile. Hoc verò licèt videatur conſequens ad errorem immediatè relatum, maximam habet inconſequentiam ad principium illud capitale totius dogmatis Lutherani, nempe hominem nihil liberè agere. Qui enim vel nihil agit, vel cuncta agit neceſſariò; nequit à lege deflectere, quæ ſuo imperio tantùm dirigit eas operationes, quæ poſſunt indifferenter elici: in neceſſariis quippe ſuperfluit extrinſeca legiſlatoris directio. Hunc etiam errorem damnat Concilium Trident. ſeſſ. cit. can. 7. his verbis: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementiùs quis nititur ſe diſponere, tanto eum graviùs peccare: anathema ſit.* Et can. 25. ubi dicitur: *Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius eſt, mortaliter; atque ideò pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema ſit.*

Philippus.

Conc. Trid.

Lutheri inconſequentia

Lutherus fecit Deum auctorē peccati.

85. Sed ſumma, impiiſſima, & horribilis Lutheri hæreſis fuit aſſerere Deum eſſe auctorem, & cauſam peccati; & ita operari in nobis mala opera, ſicut & bona. Sic loquitur in aſſert. art. 36. *Quomodo poteſt homo ſeſe ad bonum præparare; cùm neque in poteſtate ſua ſit vias ſuas malas facere? Nam & mala opera in piis operatur Deus, ut Proverb.* 16. *dicitur: Omnia propter ſe ipſum operatus eſt Dominus etiam impium ad diem malum. Quis audet ſe etiam in malis operibus ſæpè coactum aliud facere, quàm cogitaverit?* Similia habet in libro de ſervo arbitr. In quo multò injurioſior Deo fuit, quàm Manichæi, ut de Vviclepho dixerat N. Vvaldenſis lib. 1. doctrin. art. 1. cap. 22. Illi enim, ne Deum facerent originem peccati, finxerunt aliud primum principium malum: Lutherus autem non dubitavit dicere cuncta flagitia, & turpiſſima ſcelera eſſe divinæ providentiæ partus: quâ nulla major potuit excogitari blaſphemia. Illam verò damnat Concilium Trid. ſeſſ. cit. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; ſed mala opera ita ut bona Deum operari non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe; adeò ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli: anathema ſit.*

N. Vvaldenſis.

Conc. Trid.

Lutheri odium in D. Tho. & Thomiſtas.

86. Hi ſunt capitales errores Lutheri in hac materia, quibus ex Calvino, & aliis ſectariis alios infrà adjiciemus. Sed priuſquam hinc diſcedamus, monitum volumus lectorem circa implacabile odium hujus hæretici contra D. Thomam, & S. Doctoris diſcipulos: ut hinc prudenter perpendat, quàm adverſa ſit fatali illi neceſſitati Lutheranæ doctrina Thomiſtica circa præſcientiam Dei, & efficaciam divinæ voluntatis, & gratiæ. In quo nimia enituit audacia quorundam, qui doctrinam à D. Thom. aſſertam Lutheranienſi voluerunt inſimulare, affectantes neſcire diſtantiam inter cœlum, & terram, & differentiam inter Chriſtum, & Belial. Quod ſi, ut ipſi fingunt, ita eſſet; non ita debaccharetur Lutherus in Thomiſtas, ſed eos pro ſuo errore allegaret vel patronos, vel diſcipulos. Audiamus ergò Lutheri ſibilos in libello contra Regem Angliæ tunc Eccleſiæ defenſorem: *In hoc*, inquit, *hunc libellum regis ſcriptum arbitror, ne ſtuporem, & inſcitiam ſophiſtarum, præſertim porcellorum iſtorum (Thomiſtas dico) falsò à me traduci crederet mundus.* Et rurſus: *Miror*, inquit, *ſapientiſſimum hunc Thomiſtam* (ſic Henricum VIII. tum catholicè ſentientem irriſoriè vocat) *cur non & accidentia tranſubſtantiat.* Deinde. *Id faciam in gloriam Henricianæ Eccleſiæ, & ipſius Henrici egregij defenſoris Thomiſtæ.* Tandē amarulētiſſimè profert: *Hæc ſunt arma, quibus hæretici vincūtur hodie, ignis, & furor inſulſiſſimorum aſinorum, & Thomiſticorum porcorum. Sed pergant porci illi, & ſi audent, exurant me. Hic ſum, & expectabo eos. Cineribus ſolis poſt mortem etiam in mille maria projectis, perſequar, & fatigabo hoc abominabile vulgus. Summa, Vivens papatus hoſtis ero, exuſtus bis hoſtis ero. Facite, porci Thomiſtæ, quod poteſtis: Lutherum*

habebitis

habebitis urſam in via, & leanam in ſemita. Undique vobis occurret, & pacem habere non ſinet, donec ferreas veſtras cervices, & areas frontes contriverit. Alia plura, quæ ſæpiſſimè effutit, omittimus.

Sententia Thomiſtarum Luthero maxima contraria.

•. Sed hæc Lutheri in Thomiſtas malevolentia palam declarat doctrinam eorum eſſe catholiciſſimam, & illius dogmati prorſus contrariam. Undè ejus convicia præconium fuere veritatis; & occaſionem præbuerunt viris doctis, ut altiùs ſentirent de Angelico Doctore,& de illibata ejus doctrina, quam ipſius profitetur ſchola. Vnde S. Martyr Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis in lib.contra capt. Babyl. cap. 2. inquit: *Primùm hîc perpende lector, quanta Lutherus jaculatur in Thomiſtas opprobria: quibus & illius Divi gloriam denigrare ſtudet, cujus nomen & doctiſſimis, & eruditiſſimis viris in magna ſemper hactenus habitum fuerit veneratione, quippè qui Theologiæ florem paſſim appellarunt.* Et cap. 3. *Inter quos fuit vir eruditiſſimus, & idem ſanctiſſimus D. Thomas Aquinas: quem ideò libentiùs commemoro, quoniam ejus viri ſanctitatem Lutheri ferre non poteſt impietas; ſed quem omnes Chriſtiani venerantur, pollutis labiis ubique blaſphemat.* Et Lancelotus Politus videns, quòd Lutherus Romanam Eccleſiam appellaret Eccleſiam Thomiſticam, reſpondit: *Immortales tamen ago gratias ignorantiæ ſuæ, qua probatur nobis, quòd ſub Eccleſia Thomiſtica tam ſancti, & veteres Doctores, lumina, & columnæ Eccleſiæ comprehenduntur. Ut ſic intelligamus non aliam Thomæ Eccleſiam (id eſt, quam Thomas divino lumine illuſtravit) quàm cæterorum Patrum. Hæc autem Thomæ egregia laus, qui à ſanctorum Patrum ſententiis, auctoritate præſertim Pontificum comprobatis, noluit unquam diſcedere.* Vndè odium Lutheri parit in nobis D. Thomæ amorem, & reverentiam; impellitque, ut avidiùs inveſtigemus ſenſum Thomiſticum Lutheranæ fatalitati adeò contrarium.

Joan. Fiſcherus.

Lancelotus Politus.

§. III.

Expenditur error Calvini contra libertatem arbitrij.

Calvini ingenium vafritium.

87. LVtherus implacabili evertendi Eccleſiam furore in rabiem actus minùs ſubdolè proceſſit impugnando arbitrij libertatem; ſed illam palam negavit. Calvinum autem inſita ingenij vafrities, quam ei communiter tribuunt ſcriptores, ſolicitum, & cautum fecit, ut magis clanculum procederet, & ſub catholicorum verborum involucro venenoſum ſuggereret dogma. Vndè licèt hæreſim Lutheri §. *præced.* propoſitam re ipſa tenuerit, & veram arbitrio libertatem negaverit, ut ex dicendis apparebit: nihilominus quaſdam Catholicorum formulas verbo tenus adeò imitatus eſt, ut nihil docere niſi catholicum videretur. Quod jam in antiquis hæreticis notaverat D. Hieronym. in epiſt. ad Pammach. & Oceanum his verbis: *Sic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut & noſtram, & adverſariorum confeſſionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter catholicus audiat.* Multoties etiam variat Calvinus ſententias, ut ſub hac æquivocatione ſuſpenſum teneat lectorem, & argumentorum pondera ſubterfugiat. Quam inconſtantiam, vafritiem, & ſimulatum animum palam manifeſtavit circa confeſſionem veræ, & realis præſentiæ corporis Chriſti Domini in Euchariſtia: nam in comitiis Ratiſponenſibus illam cum Burcero; Melanchthone, & aliis Proteſtantibus admiſit; quam paulò poſt Genevam reverſus impugnavit. Videantur Jacobus Gualterius *in Anatomia Calviniſmi*, Nicolaus Romæus *in effigie Calvini*, & Claudius Sainctes *in reſponſ. ad Bezæ apologiam*, ubi innumeras Calvini inconſequentias, & contradictiones recenſent.

D. Hieron.

Calvini doloſa inconſtantia.

Jacobus Gualterius. Nicolaus Romæus. Claudius Sainctes.

Negat neceſſitatem Manichæam, & fatalem.

88. Primò igitur, ut Calvinus ſpecie tenus Catholicis conniveret, negavit neceſſitatem Manichæam, & fatalem, deſumptam vel ex hominis natura, vel ex creatarum cauſarum influxu. Ita in lib. 1. inſtitut. cap. 16. ſect. 8. ubi ait: *Nos etſi de verbis non litigamus, fati tamen vocabulum non recipimus: tum quia eſt ex eorum genere, quorum prophanas novitates refugere nos Paulus docet: tum quia ejus odiò conantur gravare Dei veritatem. Dogma verò falsè, ac malitiosè objectatur: non enim cum Stoicis neceſſitatem comminiſcimur ex perpetuo cauſarum nexu, & implicita quadam ſerie, quæ in natura contineatur: ſed Deum conſtituimus arbitrum, & moderatorem omnium, qui pro ſua ſapientia ab ultima æternitate decrevit, quid facturus eſſet; & nunc ſua ſapientia, quæ decrevit, exequitur.* Et in lib. de prædeſtinat. contra Pighium pag. 540. *Valeant*, inquit, *cum ſuo fato Stoici; nobis libera Dei voluntas omnium ſit moderatrix.* Et quia videbat dogma Lutheri de voluntate merè paſſivè ſe habente communiter, & efficaciter refutari; confeſſus eſt hominem aliquid agere. Ita lib. 2. Inſtit. cap. 5. §. ubi ait: *Extranea eſt illa ſimilitudo, quæ nos invidiosè gravat. Quis enim ita deſipit, ut hominis motionem à jactu lapidis nihil differre autumet? Neque verò quidquam ſimile conſequitur ex noſtra doctrina. In naturales hominis facultates referimus approbare, reſpuere, velle, nolle, eniti, reſiſtere: nempè approbare vanitatem, reſpuere ſolidum bonum, velle malum, nolle bonum, eniti ad nequitiam, reſiſtere juſtitiæ.*

Adſtruit motionem Dei efficacē quam non rectè exponit.

89. Secundò docuit Calvinus dari gratiam, & motionem Dei efficacem ab Auguſtino aſſertam (peſſimè tamen expoſitam, ut ex dicendis conſtabit) cujus energiam his verbis exaggerat in lib. 2. de lib. arbitr. contra Pighium pag. 236. *Dicimus Deum mundo præeſſe, quem condidit: nec modò rerum eventus habere in ſua poteſtate, ſed hominum etiam corda gubernare; voluntates flectere pro ſuo arbitrio huc, atque illuc, actionum eſſe moderatorem: ut nihil tandem, niſi quod decrevit, efficiant, quidquid conantur*, & lib. 2. Inſtitut. cap. 3. ait: *Nec ſecus accipi ſententia Chriſti poteſt, omnis, qui audivit à Patre meo, venit ad me, quam ut efficacem à ſe ipſa Dei gratiam docet, quemadmodum & Auguſtinus concedit.* Per quæ verba ſolum ſignificare videtur fieri non poſſe, quòd Deus aliquid efficaciter decernat, & ad illud hominem efficaciter moveat; & quod nihilominus homo in contrarium obſiſtens id non efficiat. In quo ſēſu prædicta propoſitio eſt catholica, eamque docet D. Aug. lib. de corrept. & gratia cap. 11. ait: *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur.* Et in Enchirid. cap. 103. *Nullus*, inquit, *fit ſalvus, niſi quem Deus voluerit ſalvari: & ideò rogandus eſt, ut velit: quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit.* Idemque alibi frequenter repetit. Quòd etiam docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 112. art. 3. ubi ait: *Præparatio ad gratiam, ſecundùm quod eſt à Deo movente, habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo.* Et 1. parte quæſtione 19. articulo 8. ad 1. ait: *Neceſſe eſt*

D. Auguſt.

D. Thom.

hanc conditionalem veram eſſe: ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe. Et 2.2. q.24. art. 11. *Tripliciter,* inquit, *poſſumus conſiderare charitatem. Vno modo ex parte Spiritus ſancti moventis animam ad diligendum Deum. Et ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus ſancti, qui infallibiliter operatur, quodcumque voluerit. Vndè impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando.* De quo latiùs diximus *tract. de Volunt. Dei diſp.* 10. *dub.* 5. & ex profeſſo dicemus infra, *diſp.* 7. *dub.* 4.

Videtur admittere diſtinctionem apud Theologos catholicos uſitatam.

90. Tertiò cum Calvinus cerneret, quòd Doctores Catholici argumenta contra libertatem ab Vviclepho, Luthero, & aliis antiquis hæreticis facta communiter diluebant diſtinctione illa famoſa *ſenſus compoſiti, & diviſi; neceſſitatis ſecundùm quid, & abſoluta; conſequentiæ, & conſequentis:* ne eorum torrenti opponi videretur, & aliunde virus ſub catholicis vocibus occultaret; prædictam diſtinctionem non abhorruit, ſed eam non ſemel probavit, ut lib. 1. Inſtit. cap. 16. §. 9. ubi ait: *Vndè videmus non temere in ſcholis inventas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundùm quid, & abſoluta, item conſequentis, & conſequentiæ.* Et lib. de prædeſt. contra Pighium pag. 940. *Nec verò quòd à receptis loquendi formis de neceſſitate ſecundùm quid, & abſoluta, item conſequentis, & conſequentiæ abhorream.* Et ibidem, *Sic*, ait, *evenire neceſſe eſt, quod ſtatuit Deus, ut tamen nec precisè, nec ſuapte natura neceſſarium ſit.* Et lib. 2. de libero arb. contra Pighium pag. 136. *Perindeque fortuita maximè videntur, ea dicimus fieri neceſſariò, non ſuapte natura, ſed quoniam ſtabile, & æternum Dei conſilium in illis gubernandis regnat.* Quod, ut diximus, fecit Calvinus, ut in diſtinctione adeò famoſa, & communi cum Catholicis, ſpecie tenus conveniret. Illam enim frequentiſſimè docent Boëtius, D. Th. Anſelmus, Bonavent. Scotus, Durandus, Gratianus, Hugo de S. Vict. Albertus, Alexander, Ægidius, & alij plures, quorum teſtimonia eruditè expendit Alvarez *diſp.* 25. *de Auxiliis.* Et illa uſum etiam fuit Concilium Colomnienſ. congregatum anno 1536. contra Lutherum: nam in Enchirid. Chriſtianæ inſtitutionis de ſacramento pœnit. inquit: *Duplex eſt neceſſitas abſoluta, quam vocamus neceſſitatem conſequentis: veluti neceſſe eſt Deum eſſe, hominem eſſe animal rationale mortale: nam hæc aliter ſe habere nequaquam poſſunt. Alia eſt neceſſitas conſequentiæ, quæ neceſſariò evenire dicimus, non quæ ſua natura neceſſaria ſunt; ſed neceſſariò ſequuntur propter cauſas præcedentes.*

Boëtius, D. Thom. D. Anſelmus Bonaventura Scotus Durandus Gratianus Hugo de S. Vict. Albertus Ægidius. Concil. Colomnienſ.

Detegitur Calvini vafrities.

91. Hæc hactenus relata Calvinus concinnavit, ut Catholicos eluderet. Sed ſub illarum vocum larva neceſſitatem abſolutam invexit, & negavit homini abſolutam poteſtatem ad oppoſitum, ſive libertatem indifferentiæ. Undè quando in teſtimoniis proximè relatis videtur ſolùm adſtruere neceſſitatem in ſenſu compoſito, & conſequentiæ; ſubdolè utitur prædicta diſtinctione: non enim intendit, quòd poſita gratia, & motione efficaci Dei, retineat homo poteſtatem ad oppoſitum (quod pro libertate differentiæ, quam fides docet, requiritur) ſed ſolùm ſignificat hominem ſecundùm ſe conſideratum, & diviſum ab illa motione eſſe indifferentem ad agendum, & non agendum: at ea gratia poſita, cenſet hominem per illam ita determinari, ut non ſolùm non omittat, ſed nec habeat poteſtatem ad omittendum, & diſſentiendum. Undè licèt Calvinus excludat neceſſitatem Manichæam, ortam ex mala natura; & etiam neceſſitatem Stoicam, ſive fatalem, provenientem ex influxu cælorum: ponit tamen neceſſitatem abſolutam, indifferentiæ oppoſitam, & ortam ex præſentia gratiæ: cui tantam efficaciam arrogat, ut non tantùm excludat infallibiliter actum oppoſitum, verùm etiam ad oppoſitam poteſtatem. Et quamvis contra Lutherum concedat hominem non purè paſſivè ſe habere; negat tamen quòd ſe libere determinet retinendo potentiam ad oppoſitum; ſed hanc ait pœnitus abſorberi per præſentiam gratiæ efficacis. Quamobrem non relinquit in homine veram rationem libertatis actualis oppoſitam neceſſitati, & determinationi in actu primo: ſed tantùm concedit rationem voluntarij, ſive libertatem impropriiſſimè dictam oppoſitam violentiæ, & coactioni. Atque ideò ſub vocibus, & formulis quibuſdam, æquivocis hæreſim retinere, & catholicos ludificare ſtuduit Calvinus.

Negat abſolutè neceſſitati libertatem.

92. Quòd autem ejus ſenſus fuerit, quem expoſuimus, ipſe palam manifeſtat in lib. 2. Inſt. c. 3. §. 5. ubi ait: *Porrò quod libertate abdicatam voluntatem dico neceſſitate trahi, vel duci, mirum eſt, ſi cui videatur aſpera locutio, quæ nec abſonum habet quidquam, nec à ſanctorum uſu aliena eſt. Offendit autem eos, qui inter neceſſitatem, & coactionem diſtinguere neſciunt. An ſi quis eos interroget, an non Deus neceſſariò bonus ſit, quid reſpondeant? Sic enim annexa eſt Dei bonitas cum divinitate, ut non magis neceſſarium ſit ipſum eſſe Deum, quàm eſſe bonum. Quòd ſi quis ſacrilegus obganniat Deo parum laudis ex ſua bonitate deberi, ad quam ſervandam cogatur; cui non erit prompta reſponſio immenſa ejus bonitate fieri, ne malè agere poſſit, non violenta impulſione.* Et hinc concludit ſimilem neceſſitatem ad peccandum non impedire, quominus homo liberè peccet. Vbi nullam aliam libertatem homini concedit, niſi à coactione, & violentia: affingit verò illi talem neceſſitatem, qualem Deus habet, ne ſit malus: quæ in omnium ſenſu eſt neceſſitas abſoluta, & abſque poteſtate ad appoſitum. Et in lib. 2. de lib. arbitr. contra Pighium ait: *Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium fateor.* Sed ſtatim adjungit: *Quòd de abſoluta poteſtate nugantur ſcholaſtici, non ſolùm repudio, ſed etiam deteſtor.* Quibus verbis ſatis explicat hominem, poſita motione Dei, non habere abſolutè poteſtatem ad oppoſitum: quam non ſolùm ſcholaſtici, ſed fidei decreta docent requiri ad veram rationem libertatis. Deinde in cap. 6. Ioannis inquit Calvinus: *Pronuntiat Chriſtus efficacem eſſe Spiritus ſancti gratiam, qua trahuntur, ut neceſſariò credant. His prorſus evertitur tota liberi arbitrij poteſtas, quam ſibi ſomniant Papiſtæ.* Similia frequenter repetit; ac depoſita, vel non ita compoſita æquivocationum larva ſe prodit libertatis inimicum; & collimare licet diverſa via, & magis occultis confractibus in Stoicorum, Manichæorum, Vviclephi, Lutheri, & ſimilium hæreticorum ſcopum.

Conſentiunt Calviniſtæ affirmantes per auxilium ab intrinſecè efficax tolli facultatem diſſentiendi.

93. Porrò hanc fuiſſe Calvini ſententiam, præter ejus confeſſionem, ſatis evincit amicorum, & diſcipulorum in eandem rem conſpiratio. Nam Beza in ſcelere, & familiaritate Calvino conjunctiſſimus ita docet *in ſumma Chriſtianiſ. pag.* 177. *& lib. de arcana Dei prædeſtinat. pag.* 359. & Joannes Scarphius Calviniſta tractatu de miſero hominis ſtatu ſub peccato lib. 2. cap. 3. differentiam in hac parte inter Catholicos & Calviniſtas ſic proponit: *Statuit*

contra

controverſia inter nos, & Pontifices eſt, ſitne homo poſt lapſum verè liberi arbitrij in his rebus, quæ pertinent ad ſalutem: & quamvis nihil poſſit ſine auxilio gratiæ: tamen per gratiam prævenientem excitatus, & à Deo adjutus ita valeat operari, ut poſſit non operari? Affirmativam partem tuetur Concilium Tridentinum, &c. Nos verò dicimus in homine poſt lapſum Deum ita efficaciter agere, & voluntatem flectere, ut hominis voluntas Deum converſionem hominis volentem non ſequi non poſſit; licèt non coactè, ſed ſponte ſequatur. Idem etiam alij Auctores catholici teſtantur, ut videri poteſt apud Prateolum verbo *Calviniſtæ*.

Hæreſis Calvini damnatur in Trid.

94. Hanc hæreſim & in ſenſu à Calvino intento (nempè gratiam à ſe ipſa efficacem, Auguſtinianam, & præoperantem non relinquere in voluntate hominis poteſtatem ad oppoſitum, ſed abſorbere indifferentiam arbitrij) damnat Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 4. his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quò ad obtinendum diſpoſitionis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omninò agere, meréque paſſivè ſe habere: anathema ſit.* Ubi ſimul damnantur error Lutheri aſſerentis hominem in operationibus ſalutaribus non agere, ſed pati; & hæreſis Calvini dicentis hominem, poſita gratia à ſe efficaci, agere quidem, & non coactè agere, minimè tamen conſervare tunc poteſtatem ad diſſenſum. Ubi non negat Concilium gratiam, quam Calvinus à D. Auguſtino traditam admittebat, videlicet moventem efficaciter ex ſe liberum arbitrium: ſed damnat, & excludit conditionem, quam falsò Calvinus prædictæ gratiæ arrogabat, nempè ita ex ſe inferre infallibiliter conſenſum, quòd tolleret potentiam diſſentiendi. Utrumque enim componendum eſt, & quod Deus ex ſe efficaciter moveat hominem per gratiam; & quòd hujuſmodi efficax impulſus ſecum actu permittat poteſtatem ad diſſenſum. Et quamvis juniores quidem aliter interpretentur hæreſim Calvinianam, & canonem Tridentinum, ut ita cum Calvino involvant Theologos nobiliores, ſanctorum Auguſt. & Th. diſcipulos: eorum tamen motiva leviſſima ſunt, & quibus ex profeſſo commodiùs occurremus *diſp. 7. dub. 4. §. 11.* quamvis & ex patenti Calvini ſenſu nuper expoſito abſque ullo robore relinquantur. Modò ſufficiat audire arbitrium (alioquin Thomiſtis non proſus addictum) Lorcam diſp. 21. de gratia, concl. 2. ubi ait: *Nimis excedunt illi, qui inſuperabili contentione defendunt phyſicam prædeterminationem, quam docent Thomiſtæ auferre libertatem; & ſententiam, quæ illam aſſerit, nihil, aut parum à Calvino differre. Cùm enim evidens ſit eſſe S. Thom. doctrinam, & plurium ex antiquis Scholaſticis, nulla ratione timendum eſt aliquid ineſſe periculi: ſed potiùs credendum eſt eſſe fidei Catholicæ conſonam.*

Abſurda quorundam exiſtimatio.

Calvinus facit Deum auctorem peccati.

95. Conſequenter ad prædictam hæreſim annectit Calvinus alios errores. Docet enim hominem eſſe naturaliter inclinatum ad malum. Ita lib. 2. Inſtit. cap. 3. num. 8. ubi ait: *Ad malum toto animo ſumus naturaliter propenſi.* Et num. 9. *Cor noſtrum in legis divinæ rebellionem naturaliter exultat, niſi flectatur.* Aſſerit præterea hominem non poſſe, adhuc per gratiam, divinam legem ſervare. Ita lib. citat. cap. 7. ubi ait: *Sit extra controverſiam impoſſibile eſſe in hac carne legis implementum.* Deniquè etiam docet illam ſummam Lutheri blaſphemiam, nempe Deum eſſe cauſam, & auctorem peccati, quia Deus, inquit, non ſolùm illud permittit; ſed etiam cauſat, quidquid eſt in actu peccaminoſo; & auſert per ſuum decretum, & motionem poteſtatem ad non peccandum. Ita lib. 1. Inſtitut. cap. 18. ubi ait: *A Deo ipſo manat efficacia erroris, ut mendaciis credant, qui renuerunt parere veritati.* Et poſt pauca propoſitis quorumdam peccatis, quæ refert Scriptura, addit: *Iam ſatis apertè oſtendi Deum vocari omnium eorum Auctorem, quæ iſti Cenſores volunt otioſo tantum ejus permiſſu contingere.* Et lib. 2. cap. 4. loquens de obduratione Pharaonis inquit: *An induravit non emolliendo? Id quidem verum eſt. Sed plus aliquid fecit, quod obſtinatione pectus ejus obfirmandum ſathanæ mandavit.* Et paulò poſt affirmat: *divinitùs efficaciam erroris, ac ſeductionis immittit, ut credant mendacio, qui veritati non paruerunt.*

Calviniſtarum blaſphemia. Beza.

96. Unde Theodorus Beza ejus amiciſſimus, & eandem ſectam profeſſus, ſic loquitur in ſumma Chriſtianis. *Omnia ita neceſſariò ex Dei immutabili decreto eveniunt, ut ſecundùm illud Iudas neceſſariò Chriſtum prodierit: Herodes & Pilatus neceſſariò Chriſtum condemnaverint: reprobi peccent neceſſariò, & pereant: Adamus neceſſariò lapſus ſit, quanquam creatus fuerit bonus ad tempus; ſed ita ut inevitabili Dei decreto, Deo ſciente, & ordinante laberetur: qui non potuiſſet ita labi, niſi ex Dei decreto, voluntate, & ordinatione.* Concinnit Zuinglius de provid. cap. 6. ubi ait: *Facinus, puta, homicidium, aut adulterium eſt Dei auctoris, impulſoris, motoris opus.* Piſcator in reſp. ad Tauffr. pag. 65. inquit: *Omnes peccatores, & flagitioſi vi voluntatis Dei faciunt, quidquid faciunt.* Videantur ſimilia ſectariorum aſſerta apud Adamum Contzen in comment. ad epiſt. ad Rom. cap. 8. verſ. 29. Videatur etiam Staphylus in Apologia, ubi inter alios Calvini errores recenſet à num. 4. *Quòd omnia peccata, quæ fiunt ab hominibus, ſint omninò opera Dei ſimpliciter. Quòd diabolus, jubente, & volente Deo, mentiatur in cordibus humanis. Quòd Deus non ſolùm cauſa ſit omnis mali, ſed etiam quòd hominibus, ut mala operentur, malas cogitationes in cordibus illorum inſpiret, adeò ut Deus ſit efficiens, & volens peccatum.* Qualiter autem hæc hæreſis toto cælo diſtet à ſententia aſſerente Deum prædefinire, & cauſare efficaciter entitatem materialem bonam, quæ eſt in actu peccati, ſatis oſtendimus *tract. de Voluntate Dei diſp. 10. dub. 7.*

Piſcator.

§. VI.

Errores Michaëlis Baij, & Cornelij Ianſenij circa liberum arbitrium.

Aliqui Catholici errarunt circa libertatem arbitrij.

97. POſt damnatam in Concilio Tridentino relatam hæreſim Lutheri, & Calvini circa noſtri arbitrij libertatem, non defuerunt homines (alioqui Catholici, & expectatæ doctrinæ, ac probitatis) qui prædictæ hæreſi maximè faverint, vel illam damnatam doctrinam amplexati, & re ipſa tutati fuerint. Ex iis fuit Michaël Bajus Doctor, & Decanus in academia Lovanienſi, qui in aliquibus libris aſſeruit plures articulos, in quibus jam ad Pelagianiſmum, jam ad Calviniſmum palam inclinavit; & non paucos habuit ſuæ doctrinæ ſecta

Errores Michaëlis Baij.

ſectatores. Cui malo ut remedium adhiberet ſummus Pontifex Pius V. poſt diligentem prædictarum propoſitionum diſcuſſionem, plurimas earum, nempè ſeptuaginta novem damnavit in ſpeciali bulla edita anno 1567. ſeptimo Kalendas Octobris, ſecundo ſui Pontificatus anno. Cujus bullæ exemplaria afferunt Lorca 1. 2. *in fine*, Vazquez *in comment. ad epiſt. ad Roman.* Torres *in tract. contra errores Baij*, Suarez *prolog. 6. cap. 2.* Ripalda *in proœmio ad lib. contra Bajanos*, & alij. Quamobrem prædictam bullam hìc non transferibemus, ſed ſolum ſubjiciemus eos articulos, in quibus Bajus magis apertè favet Calvino in hæreſi contra liberum arbitrium. Undè in ſeis referendis non poterimus obſervare ordinem, quem habent in Bulla; illum tamen deſignabimus. Sunt autem hujuſmodi.

Lorca. Vaſquez. Torres. Suarez. Ripalda.

Propoſitiones damnatæ.

I. Et in bulla 28. *Liberum arbitrium ſine gratia, & Dei adjutorio non niſi ad peccatum valet.*

II. Et in bulla 29. *Pelagianus eſt error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

III. Et in bulla 30. *Non ſolùm fures hi ſunt, & latrones, qui Chriſtum viam, & oſtium veritatis, & vita negant; ſed etiam quicumque aliunde, quàm per Chriſtum in viam juſtitiæ, hoc eſt, ad aliquam juſtitiam conſcendi poſſe dicunt, aut tentationi ulla ſine gratia ipſius adjutorio reſiſtere poſſe ſic, ut in eam non inducatur, aut ab ea ſuperetur.*

IV. Et in bulla 35. *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.*

V. Et in bulla 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.*

VI. Et in bulla 37. *Cum Pelagio ſapit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

VII. Et in bulla 39. *Quod voluntariè fit, etſi neceſſitate fiat, liberè tamen fit.*

VIII. Et in bulla 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

IX. Et in bulla 54. *Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cum Pelagij ſit.*

X. Et in bulla 65. *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſive non malus; & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit, & docet.*

XI. Et in bulla 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

XII. Et in bulla 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.* Poſt quorum, & cæterorum articulorum relationem addit Pontifex: *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas quanquam non nullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent; in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertore intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpectivè, & quæcumque ſuper his verbo, ſcriptoque emiſſa præſentium auctoritate damnamus circumſcribimus, & abolemus; deque eiſdem, & ſimilibus poſthac quoquo pacto loquendi, ſcribendi, diſputandi, facultatem interdicimus*, &c. Quam bullam poſteà etiam confirmarunt Gregor. XIII. in bulla, quæ incipit, *Proviſionis noſtræ* anno 1579. quarto Kalendas Februarij, anno 8. ſui Pontificatus, & Urbanus VIII. in bulla, quæ incipit, *In eminenti Eccleſia* anno 1641. pridie Nonas Martij anno ſui Pontificatus 19.

Greg XIII. Urbanus Octavus.

98. Circa prædictam verò cenſuram aliqua breviter obſervanda ſunt. *Primò*, quod licèt illa cenſura plures partes habeat, dicens prædictas aſſertiones eſſe *hæreticas*, *erroneas*, &c. nihilominus non oportet, quod omnia hæc referantur ad ſingulos articulos: ſed ſufficit, quod nullus articulus ſit, qui aliqua parte prædictæ cenſuræ non condemnetur, ita ut quidam ſint hæretici, quidam erronei, quidam ſuſpecti, & ſic de aliis. Et hoc ſatis expreſſit Pontifex per illam particulam reſpectivè. Quæ applicatio in eadem bulla facta non eſt: ſed dependet ex uniuſcujuſque articuli ponderatione, & gravitate materiæ. Et hoc negotium videtur Pontifex Theologis reliquiſſe, curans tantùm illos articulos in communi ſub aliqua cenſura comprehendere, & damnare: id quippè ad exterminandam falſam doctrinam à Bajo intentam. Et eodem ferè modo ſe habuerant Leo X. damnando ſua bulla articulos Lutheri, & Concilium Conſtantienſe damnando doctrinam Vviclephi, & Joannis Hus *ſeſſ. 8. & 15.* Quam autem cenſuram quilibet ex relatis articulis mereatur, non oportet in præſenti determinare: ſed commodiùs fiet, cùm materias in eis attactas diſcuſſerimus; ut occaſio ſe obtulerit, & ordo dicendorum poſtulaverit.

Obſervatio circa damnationem præd. propoſitionum.

Leo X. Concilium Conſtantienſe.

Secundò, notandum eſt nullam ex relatis in prædicta bulla ſententiam eſſe, quæ in ſenſu rigoroſo, & à Bajo intento non condemnetur. Tum quia id apertè ſignificavit Pontifex illis verbis, *Quas quidem ſententias*, &c. & illis: *Quæcumque ſuper his verbo, aut ſcripto miſſa damnamus.* Tum quia ex oppoſito inutilis, & inefficax redderetur deciſio Pontificis: nam quilibet pro ſuo arbitrio exciperet propoſitionem, quam vellet, dicens damnationem prædictam non dirigi in talem propoſitionem, ſed in alias: & ita nihil firmum ex prædicta bulla haberetur, & pateret via ad defendendum doctrinam in ea damnatam.

Alia adverſatio.

Nec refert, quod aliquæ ex propoſitionibus relatis in bulla reperiantur apud Auctores aliquos graves, & videantur opiniones probabiles apud Theologos. Quoniam dicendum eſt vel prædictas propoſitiones poſt illam bullam probabilitate deſtitui; vel, quod veroſimilius apparet, eſſe improbabiles in ſenſu rigoroſo, & à Bajo intento, ut Pontifex loquitur. In alio verò mitiori ſenſu, quem alij Theologi intendunt, non videntur damnatæ. Præſertim cum plures ex Bajanis propoſitionibus ſint hypotheticæ, & afferunt graves cenſuras, & injurias contra Theologos: ob quem amarulentiæ exceſſum fortè proſcribuntur. Quis autem fuerit rigoroſus ſenſus à Bajo intentus, & quem alium poſſint illæ propoſitiones habere, non poſſimus in communi reſolvere: ſed id dependet ex debito cujuſvis propoſitionis examine, & connexione ad alias falſas ejuſdem Baij aſſertiones. Quod aptiùs in diſcurſu operis, prout res petierit præſtabimus.

99. Poſtquam ſcandalum ex Baij doctrina ortum aliquantulum deferbuerat; aliud perſimile Belgas, Gallos, & alios inquietavit occaſione cujuſdam libri, quem Cornelius Janſenius Epiſcopus Iprenſis ſub titulo *Auguſtinus* compoſuit; & quidam poſt ejus obitum edi curarunt. In quo plura, ſicut Bajus, aſſeruit, quæ cum partim Pelagianis pro ſtatu integritatis, partim Calviniſtis pro ſtatu præſenti naturæ lapſæ palam faverent; Catholicorum provocarunt odium, & plures inter eos controverſias pepererunt. Quod ſcandalum

Errores Cornelij Janſenij.

ut

ut compeſceret Urbanus VIII. edidit bullam ſuprà relatam, in qua omnibus fidelibus ſub gravi cenſura interdixit prædicti Cornelij lectionem, ſimul prohibens plures alios libros, & tractatus ab aliis compoſitos, qui occaſione hujuſmodi controverſiæ fuerant impreſſi, ut in prædicta bulla videre licet. Sed cùm nec hac bulla, nec aliis diligentiis diſceptationis ardor reſtingueretur, ſed in dies creſceret, ſummus Pontifex Innocentius X. quinque propoſitiones Cornelij damnavit, ne deinceps alicui liceret eas defendere. Sunt autem hujuſmodi.

Quinque Janſenij propoſitiones damnatæ ab Innocentio X.

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, quo poſſibilia fiant.*

II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

III. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant heretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

V. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

100. Hæc cum ita rigidè proferat Janſenius, & palam ad partem Calvini accedat negando veram indifferentiæ libertatem, & vires ad divinorum præceptorum adimpletionem; mirum eſt, quantum ſe Semipelagianiſmo dederit, dum explicuit providentiam Dei circa Angelos, & hominem in ſtatu integritatis. Nam cuncta ferè, quæ de gratia efficaci, perſeverantiæ dono, & prædeſtinatione tradit D. Auguſt. aſſerit ille reſtringenda eſſe ad præſentem ſtatum naturæ lapſæ; negat autem, quòd habuerint locum in Angelis, & in homine in ſua prima conditione conſiderato. Undè conſequenter, licet falsò affirmat nullam gratiam in eo ſtatu fuiſſe ex ſe efficacem; diſcretionem unius ab alio in negotio ſalutis reducendam fuiſſe in liberum arbitrium; prædeſtinationem pro prædicto ſtatu fuiſſe ex prævifis meritis, & alia plura: pro quibus componendis recurrit ad uſum ſcientiæ mediæ, & in quibus ille, qui ſe prorſus Auguſtinianum finxerat, apertè receſſit ab Auguſtino. Quo forſan artificio uſus eſt, ut ſe conſtitueret ultroneum arbitrium, & medium inter catholicos, Theologos, dum in hoc ſtatu negat cum diſcipulis D. Auguſt. & D. Thomæ providentiam ex directione ſcientiæ mediæ, & gratiam tali ſcientiæ accommodandam, illa verò admittit pro ſtatu naturæ integræ. Sic enim ſingulis partim favere viſus eſt: licèt revera nec Thomiſtarum, nec eis adverſantium ſententias ſincerè tenuerit; ſed ab eorum principiis extraneas, falſas, & illis omninò ingratas conſequentias deduxerit, quas ipſi Catholicè negant. Quocirca ita diſtavit ab eorum concordia conciliandа, ut potiùs utriuſque partis in ſe excitaverit odium, & ab omnibus impugnari meruerit. Undè Joannes Gonet tract. de Volunt. Dei diſp. 5. n. 154. meritò ipſi accommodat illud: *Senatorem perdidiſti, & Monachum non feciſti.*

Janſenius modò favet Calvino, modò Pelagio.

101. Quod cùm ita ſit, mirum rurſus eſt, quam inſulsè, & ſimul quam audacter quidam juniores voluerint doctrinam D. Thom. cum erroribus Janſenij confundere, quaſi nihil diſtaret inter gratiam ab intrinſeco efficacem, & neceſſitatem abſolutam à Janſenio aſſertam. Sed graviter errant; & Janſeniſtis (cum Thomiſtas ex obliquo ferire ſtudent) plurimùm favent attribuendo eorum dogmati eam auctoritatem, quam in Eccleſia habet doctrina illa gratiæ ex ſe efficaciter præoperantis à D. Auguſtino, & à Præceptore Angelico tam apertè tradita, & tam frequenter expreſſa. Legatur Stephanus Dechamps Jeſuita in lib. 2. de hæreſi Janſeniana diſp. 6. cap. 9. ubi ait: *Gloriantur licet Janſeniani, tot ſe ſuper dogmatis patronos habere, quot phyſicæ prædeterminationis defenſores extiterant: verè tamen mihi videor eſſe dicturus nullos huic doctrinæ infenſiores reperiri, quàm qui poſt natam Calvini hæreſim, ex S. Dominici Ordine floruerunt.* Videatur etiam Joannes Nicolai Dominicanus *in præfatione ad part. 2.* Pantheologiæ, ubi quàm acriter adversùs Janſeniſtas egerit, latè declarat, & Alexander Sybille pariter Dominicanus *in egregio opere de libero arbitrio contra Janſeniſtas.*

Audacia aliquorum confundentium doctrinam D. Aug. & D. Thom. cum erroribus Janſenij.

Stephanus Dechamps.

Joan. Nicolai.

Alexander Sybille.

102. Porrò capitalia illa quinque principia ab Innocentio X. condemnata, quibus velut fulcris totius Janſeniani dogmatis, ſimul & Bajani, ſtructura committebatur ex profeſſo in hoc opere evertemus. Primam enim & ſecundam confutabimus *in hoc tract. diſp. 6. dub. 1.* Tertiam *in tract. de merito diſp. 1. dub. 2.* Quintam infrà *diſp. 6. dub. 2.* Et de quartæ ſenſu dicemus *cap. 5. §. 5.* Teſtimonia verò D. Auguſt. (quæ Janſenius præcipuè inculcat, ut ſuadeat dari diſtinctionem inter gratiam hujus ſtatus, & ſtatus integritatis, in eoque conſiſtere, quod gratia præſens præſtet non ſolum poſſe benè operari, & perſeverare, ſed faciat etiam efficaciter benè operantes, & perſeverantes; gratia verò alterius ſtatus ſolum præſtaret poſſe, ſed non agere, immò arbitrij determinationi ſubjiceretur, & ſolùm haberet efficaciam ex præſcientia) ejus intentioni minimè ſuffragantur, ut ex profeſſo oſtendemus *diſp. 6. dub. 1. §. 5.* Nunc tantùm ſubjiciemus ſententiam eximij Doctoris Guilielmi Eſtij in 1. d. 41. §. 14. ubi hæc habet: *Quæ verò in contrariam ex Auguſtino objiciantur, idem S. Thomas videtur ſic intellexiſſe, ut quod ille dicit hominem in primo ſtatu accepiſſe donum per quod poſſet perſeverare, ſi vellet; ipſum autem velle fuiſſe relictum in ejus libero arbitrio; accipiendum ſit de dono habitualis gratiæ, quod in genere doni habitualis fuerit ſufficiens ad perſeverandum: non ita tamen, quin ad actualem perſeverantiam opus habuerit actuali Dei auxilio ipſum in bono conſervantis. Et tamen ipſum velle relictum fuiſſe dicitur in ejus arbitrio propter ſummam facilitatem perſeverandi: eo quod juxta ſpecialem rationem ſupradictam non indigeret auxilio movente, ſeu conſervante, propterea, quod nullam pateretur carnis repugnantiam. Hoc enim eſt, quod dicit S. Thom. art. 10. quæſt. ſuprà dictæ* (nempè 109. & 1. 2.) *ad 3.* Et poſt pauca addit ex D. Thom. illam ſententiam Eccleſiaſt. 15. *Ante hominem, vita & mors, bonum, & malum, quodcumque placuerit, dabitur illi, intellige de homine ſecundùm ſtatum naturæ integræ, quando nondum erat ſervus peccati; ſed poterat peccare, & non peccare. Nunc etiam dari homini quodcumque voluerit, ſed hoc, inquit, quod bonum velit, habet ex auxilio gratiæ: intellige neceſſariò non tantùm ratione generali ſuperius explicata* (nempè ob ſubordinationem eſſentialem agentis ſecundi ad primum) *qua ratione homini etiam integro neceſſarium erat auxilium, quo daretur ipſum velle: ſed ratione ſpeciali propter corruptionem*

D. Auguſt. alienus à Janſenio.

Guilielmus Eſtius.

D. Thom. optimus S. Auguſtini interpres.

nem naturæ. Et ſanè niſi hanc à S.Thom. inſinuatam intelligentiam verborum Auguſtini recipiamus; difficillimum erit, ac nec poſſibile quidem Auguſtinum ſibi ipſi conciliare. Et hæc de erroribus contra arbitrij libertatem prænotaſſe ſufficiet.

CAPUT IV.

De hæreſi Pelagiana contra gratiam Dei.

103. SUccedit jam, ut errores contra neceſſitatem, & efficaciam divinæ gratiæ referamus. Quidam enim jura libertatis creatæ plus æquo extollentes, & ſuprà modum Manichæiſmo adverſantes, medium veritatis reliquerunt, & neceſſitatem divini adjutorij evacuarunt. Frequenter quippè accidit hæreticis (inquit D.Tho. *opuſc.* 3. *cap.* 9.) ut dum aliquos errores vitare volunt, incidant in errores contrarios. Et ita contigit in Pelagio apertiſſimo gratiæ inimico. Cum enim adverſùs hæreſim Manichæorum *cap. præced.* relatam inveheretur, peſſimè lapſus eſt in hæreſim extremè contrariam, neſciens libertatem creatam tueri, niſi negando neceſſitatem, & cauſalitatem gratiæ, & objiciendo Catholicis odioſum, & infamem Manichæiſmi titulum: undè & ipſe factus fuit novi, & contrarij dogmatis artifex, atque anteſignanus, ut meritò dixerit Auguſt. *lib.* 2. *contra duas epiſt. Pelag. cap.* 1. *Iſti Pelagiani hoc benefaciunt, Manichæis anathema dicere, & erroribus contradicere: ſed faciunt duo mala, quibus & ipſi anathematizandi ſunt. Unum, quod Catholicos Manichæorum nomine criminantur; alterum, quòd etiam ipſi hæreſim novi erroris inducunt. Neque enim quia Manichæorum morbo non laborant, propterea fidei ſanæ ſunt. Non unum peſtilentiæ eſt genus, quemadmodum in corporibus, ita & in mentibus. Sicut ergò medicus corporis non continuò pronuntiaſſet à mortis periculo liberum, quem negaſſet hydropicum, ſi alio lethali morbo perſpexiſſet ægrotum: ita iſtis non ideo veritas gratulatur, quia Manichæi non ſunt, ſi alio perverſitatis genere inſaniunt. Quapropter aliud eſt, quod anathematizamus cum eis; aliud, quod in eis. Delectamur enim cum eis, quod rectè diſplicet etiam ipſis; ita tamen ut deteſtemur in eis, undè rectè diſplicent ipſi.* Erravit autem Pelagius adeò peſſimè in hac materia, & hæreſim tam acriter, & callidè propugnavit, totque ſui dogmatis aſſeclas aucupatus eſt; ut non immeritò exiſtimetur ejus auctor, cui alij non præluxerint. Undè Vincentius Lyrinenſis lib. adverſùs hæreſes cap. 34. inquit: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrij?* Sed tamen certum eſt hanc hæreſim antiquiores habuiſſe patronos, ut conſtabit ex immediatè dicendis.

Hæretici infeliciter impugnant hæreſes.

D. Auguſt.

Vincent. Lyrinenſ.

§. I.

Quos habuerit Pelagius ſui Dogmatis præcurſores.

Hæreſis Pelagiana excludit neceſſitatem divinæ gratiæ.

104. INfauſta Pelagij aſſertio, quæ Catholicorum animos primò commovit, fuit hominem poſſe abſque adjutorio Dei juſtè vivere, peccata vitare, virtutes in ſe gignere, & conſequi ſalutem, ut refert Fauſtus *lib.* 1. *de gratia cap.* 1. & ex dicendis magis apparebit. Has verò ſacrilegas voces priùs protulerant aliqui ex Philoſophis ethnicis, plurimi ex Judæis, & ex Chriſtianis non pauci. Quos omnes Pelagius habuit magiſtros; ſed eos longo intervallo ſuperavit, errores erroribus accumulans, duriori fronte veritati obſiſtens, & pacem Eccleſiæ turbans.

Vetus origo hujus hæreſis.

105. Ex Gentilibus quidem apertè in hac cauſa errarunt Cicero, Seneca, & alij Philoſophi Stoici. Ille enim in libro de natura Deorum in perſona Cottæ affirmat: *Quia ſibi quiſque virtutem acquirit, neminem unquam acceptam Deo retuliſſe: propter virtutem enim jure laudamur, & de virtute rectè gloriamur: quod non contingeret, ſi id donum à Deo, non à nobis haberemus.* Ubi negat laudes, & rectum uſum liberi arbitrij conciliari poſſe cum neceſſitate divini adjutorij, atque ideo iſtud non fore admittendum: quod argumentum Pelagius poſtea latè proſecutus eſt. Apertiùs, & majori impietate loquitur Seneca epiſt. 20. ubi ait: *Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc apta, omnia alia vota Deo remiſſurus, ut contentus ſis temetipſo, & ex te naſcentibus.* Et epiſt. 90. *Deorum* (inquit) *immortalium eſt, quod vivimus; Philoſophiæ quod benè vivimus. Itaque tantò plus nos debemus huic, quàm Diis, quantò majus beneficium eſt bona vita, quàm vita.* Et epiſt. 124. affirmat: *Unum bonum eſſe, quod beatæ vitæ cauſa, & firmamentum eſt, ſibi fidere.* Quibus verbis vires arbitrij humani arroganter extollit, & opem divini adjutorij excludit quaſi ibi tantùm laus virtutis, & meritum ſalvari valeant, ubi nullum præter propriam induſtriam admittitur adjutorium.

Gentiles hujus hæreſis patroni.

Cicero.

Seneca.

106. Simillima poſtea protulit Pelagius in epiſt. ad Demetriadem Virginem, ubi ait: *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergò jure laudanda es, in his meritò cæteris præferenda es, quæ niſi ex te, & in te eſſe non poſſint.* Quæ vehementer reprehendit D. Auguſtinus epiſt. 143. quæ eſt ad Iulianam prædictæ virginis matrem, & poſt alia inquit: *Cernis, quanta in his verbis ſit cavenda pernicies. Nam utique quod dictum eſt: Non poſſunt eſſe ita bona niſi in te; optimè, & veriſſimè dictum eſt: iſte planè cibus eſt. Quod verò ait: Non niſi ex te; hoc virus eſt. Abſit, ut hæc libenter audiat virgo Chriſti, quæ piè intelligit paupertatem cordis humani; & ideò illic niſi ſponſi ſui donis neſcit ornari.* Quod verò alij Stoici Tullio, & Seneca antiquiores eandem tenuerint impietatem ſignificat D. Hieronym. comment. in Hierem. lib. 4. in præf. ubi loquens de hæreſi Pelagiana inquit: *Commentarios in Hieremiam per intervalla dictabam, ut, quod deerat otio, ſupereſſet induſtriæ; cum ſubitò hæreſis Pythagoræ, & Zenonis impaſſibilitatis, & impeccantiæ, quæ in Origene, &c. olim jugulata eſt, cœpit revireſcere, & non ſolùm in Occidentis, ſed & Orientis partibus ſibilare.*

Pelagius imitatur Senecæ in hac parte impietatem.

D. Auguſt.

D. Hieron.

107. Judæos etiam plurimos, quibus alioqui major divini numinis notitia affulgebat, hujus dogmatis contagium pervaſit. Aſſerebant enim novam gratiam non requiri ad juſtificationem, & ad obſervanda præcepta; ſed ſufficere ad ſalutem legem cum libero arbitrio, ut tradit Divus Chriſoſt. *hom.* 6. *in epiſt. ad Rom.* & D. Auguſtinus epiſt. 95. ubi agens de lege, & de gratia Dei inquit: *Ideo per illam ſit cognitio peccati, & ex prævaricatione legis abundantia peccati, ut ad liberationem quærantur promiſſiones Dei, quod eſt gratia Dei, & incipiat eſſe in homine juſtitia, non ſua, ſed Dei, hoc eſt data dono Dei. Quam etiam nunc quidam ſicut tunc de Iudæis*

Iudæorum quidam negarunt gratiam Dei.

D. Chriſoſt.

D. Auguſt.

Iudæis dictum eſt: Ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Per legem quippè & illi juſtificari ſe arbitrantur, ſufficiente ſibi ad eam cuſtodiendam libero arbitrio, hoc eſt juſtitia prolata ex natura humana, non donata ex gratia Divina; propter quod juſtitia Dei dicitur. Et idem ſignificat ſermone 13. de verbis Apoſtoli; ubi ponderat Paulum adeò gratiam præ lege commendaſſe *propter Iudæos qui de lege gloriabantur, & libero ſuo arbitrio legem ſufficere arbitrabantur.* Quod etiam

D. Thom.

expreſſit D. Thom. 1. 2. q. 106. art. 3. ubi ait: *Lex nova eſt lex gratiæ, & ideò primò oportuit, quòd homo relinqueretur ſibi in ſtatu veteris legis, ut in peccatum cadendo ſuam infirmitatem cognoſcens recognoſceret ſe gratia indigere. Et hanc rationem aſſignat Apoſtolus ad Rom. 5. dicens: Lex ſubintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Præcipui autem & magis ſuperbi virium liberi arbitrij buccinatores erant inter Judæos Phariſæi,

Ioſephus.

ut colligitur ex Joſepho lib. 2. de bello Judaïco, cap. 7. ubi refert quòd Phariſæi, etſi cuncta alioqui fato attribuerent, aſſerebant tamen *agere quæ juſta ſunt, vel negligere ſecundùm majorem partem eſſe in hominibus, adjuvare autem in ſingulis, & fatum.* Quibus verbis primas deferebant arbitrio creato, non verò diſpoſitioni divinæ, quam ſignificabant fati vocabulo. Habuerunt hi ſuos ſectatores etiam poſt mortem Chriſti Domini, contra quos præcipuè diſputat Apoſtolus *in epiſt. ad Rom. & in epiſt. ad Galat.* oſtendens inſufficientiam legis, & liberi arbitrij ad ſalutem, niſi addatur gratia per Chriſtum: quamvis eiſdem locis etiam ex profeſſo refutet aliam hæreſim Cherinti Hebræi, & quorundam Chriſtianorum ex circumciſione, aſſerentium gratiam Chriſti abſque obſervatione veteris legis non ſufficere ad ſalutem, ut rectè expendit Suarez *prolog. 5. c. 1.*

Suarez. Chriſtiani qui ante Pelagium gratiam Dei oppugnarunt.

108. Apud non paucos etiam Chriſtianos (quod magis mirandum eſt) hic error invaluit. Baſilides enim Alexandrinus ſub Alexandro I. circiter annum Domini 124. neceſſitatem fidei infuſæ negavit: quem majori impudentia imitatus eſt Valentinianus ſub Higino Papa circa annum Domini 150. ſpernens fidem, & gratiam,

Clem. Alex.

ut refert Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum his verbis: *Fidem eſſe naturalem exiſtimant Baſilidis ſectatores. Valentiniani autem, nec fide, nec gratia, nec bonis operibus; ſed ſola cognitione ſalutem ſe aſſequuturos putabant.* Horum locum

Origenes peſſimè erravit in hac materia.

poſtea occupavit Origenes Doctor Alexandrinus circa annum Domini 207. vir ſummi ingenij, ſed qui minùs rectè de neceſſitate, & concurſu divinæ gratiæ cenſuit. Conſtat id tum ex D. Hieronym. loco num. 106. relato, & epiſt. ad Cteſiphontem, ubi cum Pelagio diſſerens ait: *Vis adhuc, & alium noſſe tui erroris principium? Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt.* Tum ex D. Thom. lib. 3. contra gentes, cap. 89. ubi hæc habet: *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque præjudicio libertatis voluntatis; conati ſunt has auctoritates malè exponere: ut ſcilicet dicerent, quòd Deus cauſat in nobis velle, & perficere, inquantum dat nobis virtutem volendi, non autem ſic, quòd faciat nos velle hoc, vel illud: ſicut Origenes exponit in 3. Periarchon, liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas.* Et *lib. 2. ejuſdem operis, cap. 44.* detegit radicem hujus erroris Origenis, immò & aliorum plurium illum conſequentium. *Nunc ſupereſt*, inquit,

D. Hieron. D. Thom.

oſtendere, quòd rerum diſtinctio non proceſſit ex diverſis motibus liberi arbitrij rationalium creaturarum, ut poſuit Origenes in lib. Periarchon. Volens enim reſiſtere antiquorum hæreticorum objectionibus, & erroribus, quibus oſtendere nitebantur diverſam naturam boni, & mali eſſe in rebus ex contrariis actoribus propter multam diſtantiam inventam, &c. coactus eſt ponere omnem diverſitatem in rebus inventam ex diverſitate meritorum ſecundùm Dei juſtitiam præceſſiſſe. Dicit enim, quod Deus ex ſola ſua bonitate primo omnes creaturas æquales produxit, & omnes ſpirituales & rationales, quæ per liberum arbitrium diverſimodè ſunt motæ, quædam adhærentes Deo plus vel minus, quædam ab eo recedentes magis vel minus. Et ſecundùm hoc diverſi gradus in ſubſtantiis ſpiritualibus ex divina juſtitia ſunt ſubſecuti, ut quidam eſſent Angeli ſecundùm diverſos ordines, quidam animæ humanæ ſecundùm diverſos ſtatus; quidam etiam dæmones in ſtatibus diverſis, &c. Ex qua doctrina palam inferebatur, quòd ſtante omnimoda æqualitate ex parte Dei, qui tantùm tribuerit vim volendi, tota diverſitas inter Angelos, & dæmones, & homines ortum primò duxerit ex libero arbitrio, quòd ſine ullo diſcrimine ex parte Dei, ſemetipſum applicuit; & vel adhæſit Deo, vel receſſit ab illo, & fecit diſcretionem in negotio ſalutis. Quæ cuncta injurioſa ſunt Deo, & ejus gratiæ, & futurum Pelagianiſmum parturiebant, ac præſignabant.

Abſurda Origenis doctrina.

109. Sed ne dubitatio aliqua in hac relinquatur, audiamus ipſum Origenem lib. 3. Periarchon, cap. 1. ubi plura contra divinam gratiam, & univerſaliſſimum Dei concurſum effutit. *Poſt hæc*, inquit, *inſequebatur illa quæſtio, quoniam & velle, & perficere eſſet ex Deo: & aiunt, ſi ex Deo velle eſt, & ex Deo eſt perficere, ſive mala agimus, vel volumus, ex Deo eſt. Quod ſi eſt, liberi arbitrij non ſumus. Ad quod reſpondendum eſt, quòd ſermo Apoſtoli non dicit, quia velle mala ex Deo eſt, neque perficere bona, aut mala ex Deo eſt. Sicut enim à Deo habemus hoc ipſum, quòd homines ſumus, quòd ſpiramus, quòd movemur: ita & quòd volumus, à Deo habemus. Ut ſi dicamus quod movemur, ex Deo eſt; vel quòd ſingula quæque membra officio ſuo deſerviunt, & moventur, ex Deo eſt. Ex quo utique non illud intelligitur, quia quòd movetur manus ad verberandum injuſtè, vel ad furandum, ex Deo eſt. Sed hoc ipſum quod moveatur, ex Deo eſt: noſtrum vero eſt motus iſtos, quibus motum ex Deo habemus, vel ad bona, vel ad mala convertere. Ita ergo eſt, quod dicit Apoſtolus, quia virtutem quidem voluntatis accipimus; nos autem abutimur voluntate vel in bonis, vel in malis deſideriis.* Ubi, ut vides, ea præcisè ratione reducit noſtra bona opera in Deum, quatenus dedit nobis virtutem indifferentem volendi; non autem quia novo auxilio faciat nos velle bonum: quæ merum Pelagianiſmum fœtent. Eandem impietatem repetit cap. 2. his verbis: *Pro viribus noſtris tentamur: nec tamen ſcriptum eſt, quia faciet* (Deus ſcilicet) *in tentatione etiam exitum, ſed ut ſuſtinere poſſitis. Ut verò hoc, quod poſſe nobis dedit, vel ſtrenuè, vel ſegniter impleamus, in nobis eſt. Dubium enim non eſt, quòd in omni tentatione adeſt nobis tolerandi virtus; ſi tamen nos competenter utamur virtute conceſſa. Non enim idem eſt habere vincendi virtutem, & vincere: ſicut ipſe Apoſtolus cautiſſimo ſermone ſignificat dicens quia dabit Deus exitum, non ut ſuſtinere poſſitis, ſed ut ſuſtineatis. A Deo autem*

Digitized by Google

autem datur, non ut ſuſtineamus; alioquin nullum jam videretur eſſe certamen: ſed ut ſuſtinere poſſimus. Ea autem virtute, quæ nobis data eſt, ut vincere poſſimus, ſecundùm liberi arbitrij facultatem, aut induſtriè utimur, & vincimus: aut ſegniter, & ſuperamur. Si enim totum nobis hoc detur, ut omni genere ſuperemus, & nullo modo vincamur; quæ jam ſupereſt cauſa certandi ei, qui vinci non poteſt. Aut quod palmæ meritum, ubi repugnandi adimitur, vincendique facultas? Quod motivum arripuerunt poſtea Pelagiani, & eaſdem ingeminarunt voces, ut negarent gratiam operationis; & omne Dei auxilium ad communicationem liberi arbitrij primò reducerent, ut ſæpè

D. Auguſt.

refert & refellit D. Auguſtinus, & præcipuè lib. de gratia Chriſti, cap. 3. ubi de Pelagio ait: *Cùm tria conſtituat, atque diſtinguat, quibus divina mandata dicit impleri, poſſibilitatem, voluntatem & actionem: poſſibilitatem ſcilicet, qua poteſt homo eſſe juſtus, voluntatem, qua vult eſſe; actionem, qua juſtus eſt: horum trium primum, id eſt poſſibilitatem, datam confitetur ab auctore naturæ, nec eſſe in noſtra poteſtate, ſed eam nos habere, etiam ſi nolimus: duo verò reliqua, id eſt voluntatem, & actionem; noſtra eſſe aſſerit, atque ita nobis tribuit, ut non niſi à nobis eſſe contendat.* Idem repetit S. Doctor aliis locis quæ dabimus §. 4.

Origenes nullam habet auctoritatem in hac materia.

110. Ex iis ſatis liquet, quàm indignè de divina gratia, & Dei adjutorio Origenes ſenſerit; & quàm parùm ſit ei deferendum in eis, quæ negotium iſtud concernunt, uti ſunt præſcientia futurorum, prædeſtinatio, & cætera hujuſmodi. Quod obiter obſervandum eſt propter eos, qui aſſertiones ſuas circa tales controverſias firmant Adamantij auctoritate; hujuſmodi enim vitreum fulcimentum ruinam eorum doctrinæ parat. Illa verò ſatis expreſſit ipſe Origenes *lib. 3. cit. c. 1.* in quo ſæpiùs introducit præſcientiam futurorum & meritorum præviorum diſcretionem ante determinationem, ac decretum divinæ volunta-

Docuit præſcientiam futurorum ante decretum.

tis; & poſt alia concludit: *Ex quibus ſententi nullatenus (ut opinor) cauſa geſtorum ad creatorem, referri poteſt. Nam fecit quidem creator Deus quoddam vas ad honorem, & alia vaſa ad contumeliam: ſed illud vas, quod ſe purgavit ab omni immunditia, illud facit vas ad honorem: quod verò vitiorum ſordibus ſe maculaverit, illud vas ad contumeliam facit. Itaque concluditur ex hoc, quia priùs geſtorum uniuſcujuſque cauſa præcedit; & pro meritis ſuis unuſquiſq; à Deo vel honoris vas efficitur, vel contumeliæ. Vnumquodque igitur vas, ut vel ad honorem à creatore formetur, vel ad contumeliam; ex ſeipſo cauſas, & occaſiones præſtitit conditori. Quòd ſi juſta hæc videtur aſſertio, ſicut eſt certè juſta, & cum omni pietate concordans, uti ex præcedentibus cauſis unumquodque vas; vel ad honorem Deo, vel ad contumeliam præparetur: non videtur abſurdum eodem ordine, atque eadem conſequentia diſſentientes nos antiquiores cauſas eadem etiam de animarum ratione ſentire.* Ubi de diſcretione hominum in negotio ſalutis iterùm philoſophatur per reductionem ad putidum illud ſuum dogma diſtinctionis rerum prævìſarum ſecundùm diverſos motus liberi arbitrij, ut ex D. Thoma vidimus *num.* 107. Quo nihil injurioſius ſupremo Dei dominio, & efficacitati gratiæ ipſius excogitari potuit.

Quidam minùs prudèter pro defenſione Origen. laborant.

111. Non deſunt tamen, qui Origenem excuſaverint, & pro eo apologias ſcripſerint: immò & Binctus ſcriptor Societatis librum edidit de ſalute Origenis; ut refert Caſalas in candore lilij, §. 68. Sed quinta Synodus œcumenica ſub Vigilio Papa, & Juſtiniano Imperatore, Origenis doctrinam damnavit, eúmque anathematiſavit iis verbis: *Anathema ſit Origeni, qui & Adamantius dictus eſt, & hæc promulgavit, unà cum deteſtandis ejus, & execrandis dogmatibus, & omni homini, qui hæc ſentit, aut aſſerit, aut aliqua ex parte quocunque prorsùs tempore ea defendere audet.* De cujus Concilij hiſtoria videri poteſt Nicephorus *lib.* 17. *cap.* 27. Eandem Origenis doctrinam damnavit Martinus I. in Concilio 105. Epiſcoporum, *decreto* 18. & Anaſtaſius Papa *in epiſt.* ad Joannem Jeroſolymitanum ſpecialiter damnavit lectionem Periarchon, ut refert Baronius *tom.* 5. anno Chriſti 402. *n.* 16.

Martinus I. Anaſtaſius Papa.

Origenis diſcipuli qui ejus tenuerùt errorem.

112. Origeni non pauci ſucceſſerunt, ejus doctrinæ addictiſſimi, qui propterea Origeniſtæ appellati ſunt, & viam hæreſi Pelagianæ pararunt. In horum numero reponuntur Didymus, qui librum Periarchon notationibus illuſtravit, & ſparſit per Ægypti monaſteria. Cujus veneno ut obſiſteret S. Pachomius, execrabatur monachos Origenem legentes; & ex hac vita migraturus loco teſtamenti damnationem ejus reliquit, ut refert Baronius ubi ſuprà. Evagrius etiam Ponticus, dum Origeni nimis inhæret, Pelagianorum errorem prævenit, & amplexus fuit, ut ſtatim ex D. Hierony. videbimus. Jovinianus inſuper eam hæreſim præconcepit, dum aſſeruit hominem per vires liberi arbitrij poſſe declinare cuncta peccata. Ruffinus denique presbyter Aquileienſis in eodem cœno volutavit. Hos Origenis diſcipulos, & Pelagij præceptores enumerat S. Hieronymus in præfatione ad lib. 4. in Hieremiam, ubi ſcripturus contra Pelagianos inquit: *Commentarios in Hieremiam per intervalla dictabam, ut quod deerat otio, ſupereſſet induſtriæ; cùm ſubitò hæreſis Pythagoræ, & Zenonis, id eſt impaſſibilitatis, & impeccantiæ, quæ in Origene olim & dudum in diſcipulo ejus Grunnio* (ſic per contemptum vocat Ruffinum, quem etiam cognominare ſolet Scorpium, Alectum, Aſinium, Pollionem, & Calphurnium Lænarium) *Evagrioque Pontico, & Ioviniano jugulata eſt; cœpit revireſcere, & non ſolùm in Occidentis, ſed & Orientis partibus ſibilare, & in quibuſdam inſulis, præcipuéque Siciliæ, & Rhodi maculare pleroſque, & creſcere per dies ſingulos, dum ſecretò docent, & publicè negant.*

Evagrius Origeniſta.

D. Hieron.

Ruffinus Origenis defenſor & Pelagij præcurſor.

113. Inter hos verò defenſores Origenis, & Pelagij præcurſores, multùm eminuit Ruffinus: nihil enim non fecit, ut viam Origenis doctrinæ pararet. Primò enim librum Periarchon, cœnoſum errorum fontem, in latinum tranſtulit, & Romæ clanculùm introduxit. Deinde ſumma calliditate edidit apologiam pro Origene ſcriptam ab Euſebio Cæſarienſi, & à ſe latinitate donatam, ſub titulo tamen, ut dolum celaret, S. Pamphili martyris, ut refert D. Hieronymus in dialogo adversùs Pelag. ubi inquit: *Ruffinus non uni urbi, ſed orbi blaſphemias Origenis, & Periarchon libros, quantum in ſe fuit, intulit: ita ut Euſebij quoque primum librum defenſionis Origenis ſub nomine Pamphili martyris ederet.* Et in Apologia adversùs eundem Ruffinum ait: *Cur tranſlaturus hæreticam defenſionem eorum, præmittis quaſi martyris librum, & id Romanis auribus ingeris, quod tranſlatum, nempè Periarchon, totus orbis expavit?* Propter hæc Anaſtaſius Papa (qui anno 400. damnaverat errores Origenis) contra Ruffinum, ut cauſam diceret, vocatum, & adeſſe

D. Hieron.

Digitized by Google

renuentem, damnationis ſententiam tulit, ut referunt D. Hieron. loco proximè citato, & Baronius anno 401. num. 1. cum ſeq. *Ruffino autem*, addit Baronius anno 404. num. 41. *tantùm abfuit, ut parato à S. Hieron. antidoto curaretur, quin potius poſt Origenis errores, quos fovit; Pelagianæ hæreſis aſpides ex eis obortos percharam ſibi ſobolem enutrierit: quod proprium eſt Hæreticorũ ſemper in deterius ferri, quouſq; in imũ impietatis prolabantur.*

Baronius.

114. Et quidem, quòd Ruffinus minùs catholicam de gratia, & libero arbitrio habuerit ſententiam; præter hactenùs dicta, illud maximè perſuadet, quòd cùm Cœleſtius præcipuus Pelagij diſcipulus urgeretur, ut diceret à quibus ſuum dogma accepiſſet; faſſus eſt ſe eam doctrinam audiviſſe à Ruffino presbytero Aquileienſi, ut refertur in actis Concilij Carthaginenſis, cujus fragmentum ſtat apud D. Auguſt. *in lib. 2. de peccato originali contra Pelagium.* Vnde factum eſt, ut Ruffinus, qui diu latere ſtuduerat, à diſcipulo proderetur. Huc etiam reſpicit cenſura Gelaſij Papæ in Concilio Romano: *Ruffinus* (inquit) *vir Religioſus*, (ſic vocavit, ut monachum fuiſſe demonſtraret) *plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros, nonnullas etiam ſcripturas interpretatus eſt: ſed quoniam D. Hieronymus eum in aliquibus de arbitrij* (cui plus juſto favit) *libertate notavit, illa ſentimus, quæ prædictum Divum Hieronymum ſentire cognovimus; & non ſolùm de Ruffino, ſed etiam de diverſis, quos vir ſæpius memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit.* Sic Ruffinus, qui vivens S. Hieron. ſcripta canino dente corroſerat, ejus cenſuræ poſt obitum ſubjectus fuit.

Ruffinus minùs catholicè de gratia ſentiebat.

Gelaſius Papa.

115. Ejuſdem Ruffini Strophæ fuit edere commentarium Xiſti Pithagorici; ſub nomine Sancti Xiſti martyris, & Eccleſiæ Romanæ Pontificis; cùm tamen illud opus ſcateat ubique Pelagianorum erroribus, ut eruditè & ex profeſſo oſtendit Baronius *tom. 5. anno 440. num. 7.* Exiſtimavit enim Ruffinus plurimùm roboris cauſæ Pelagianorum adjiciendum fore, ſi ementito tanti auctoris nomine, & ſententiis fulciretur, & ſub martyris titulo (ut loquitur D. Hieron. *in epiſt. ad Cteſiph.*) blaſphemias potarent fideles aureo calice Babylonis. Ex illo quippè plurimas hauſit Pelagius ſententias, quæ adversùs catholicam D. Auguſtini doctrinam intorſit: quas Doctor ſanctus, tunc impoſturæ ignarus inflectere, & ad bonum ſenſum trahere compulſus eſt, ut videri poteſt *lib. de natura & gratia, c. 64.* Sed poſteà ſcriptis S. Hier. cùm *loc. cit. cùm in c. 22. Hier.* monitus, & dolum adverſariorum recognoſcens, quod priùs dixerat, retractavit, ſprevitque prædicti libri auctoritatem *l. 2. Retract. c. 42.* Gelaſiu etiam Papa illum librum Proverbiorum ſub nomine Xiſti reprobat, dicens fuiſſe ab hæreticis cōſcriptum. Sed neque Gelaſius ipſe ſimilem calumniam vitare potuit. Pelagiani enim etiam poſt damnationem (ea eſt hæreticorum audacia) tredecim S. Pauli annotationes ſub nomine Gelaſij Papæ ediderunt in quibus venena ſui dogmatis ſeminarunt, ut refert Caſſiodorus *de divin. lect. cap. 8.* Solanius tamen prædictum Proverbiorum librum ſub nomine S. Xiſti typis mandare auſus eſt; ſed non abſque gravium virorum dolore, & contradictione, dum vident ſub falſo tanti Pontificis nomine Pelagianorum fœtus ſupponi, & extare in Bibliotheca SS. Patrum *tom. 5. edit. 2.* Et de Pelagij anteambulonibus prælibaſſe ſufficiat.

Ruffini dolus ut Pelagianorum negotio adſaveret.

Hæreticorum induſtria in ſuis ſpargendis erroribus.

§. II.

Hæreſis Pelagianæ brevis hiſtoria contexitur.

116. Sed veniamus tandem ad Pelagium, qui ſuorum præceptorum errores adeò acerrimè fovit, & auxit, ut factus fuerit impietatis magiſter, & hæreſi contra divinam gratiam infamem titulum dederit. Fuit is natione Scotus, ſeu Britannus, ut ſignificat D. Hieron. præfat. in 1. lib. Hierem. *Nec recordatur*, inquit, *ſtolidiſſimus Scotorum pultibus prægravatus, &c.* Et rursùs præfat. in 3. lib. Hierem. addit: *Habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia, &c.* Profectus autem ad Orientem, in Syria, nempè Paleſtinæ, monachi cucullum induit. Adeò verò in eo vivendi propoſito laudabiliter ſe geſſit, vel (quod verius eſt) ita hypocriſis coloribus fictā ſanctitatem, & latens virus obtegere ſtuduit; ut plurium rapuerit admirationem, & laudes à viris ſanctis promeruerit. Regiones enim plurimas mutans, & juxta diverſitatem perſonarum ſermonem temperans cum ſanctis ſanctus apparere voluit, ut auctoritatem conciliaret veneno poſtea ſpargendo. Inter hos autem præcipuum laudatorem habuit S. Paulinum Nolæ Epiſcopum, qui datis litteris ad D. Auguſtinum Pelagium ipſi pluribus præconiis commendavit. Unde ipſe S. Doctor antequam Pelagius palam venenum erroris effunderet, non mediocribus illum honoris titulis honeſtavit, ut epiſt. 222. ad Marcellinum: *Legi*, ait, *Pelagij quadam ſcripta viri, ut audio, ſancti, & non parvo provectu Chriſtiani.* Et infrà: *Hæc igitur, & alia, quæ iſtum ſequuntur errorem, credo quod vir ille tam egregiè Chriſtianus omninò non ſentiat.* Et lib. 2. Retract. cap. 33. harum laudum rationem reddens inquit: *Pelagij ipſius nomen non ſine laude aliqua poſui: quia vita ejus à multis prædicabatur.* Qui ſanctitatis rumor adeò invaluerat, ut cùm primùm D. Chryſoſtomus ſcivit Pelagij in hæreſim lapſum, ipſum lamentatus fuerit: ſic enim ſcribit in epiſt. 4. ad Olimpiadem: *De Pelagio monacho magno dolore affectus ſum. Cogita igitur, quot quantiſque coronis digni ſint, qui forti animo in acie ſteterunt; cùm viros tam piè, ac ſanctè, tantáque cum tolerantia viventes arripi, atque in fraudem impelli videamus.*

Pelagij patria.

D. Hieron.

Peregrinatio.

Apparuit aliquando laudabilis vitæ ſtudium.

D. Auguſt.

D. Chryſ.

117. Sed truculenta beſtia ſub ovina pelle latens nequivit continuò ea circunſpectione, ac continentia ſe gerere, quin plures ejus vitam cominùs attendentes, ipſius fictam ſanctitatem, & vera vitia introſpicerent. Idque facilè cognoverunt non pauci Ægypti monachi, inter quos diutiùs manſit. Unde Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 314. in eum ita invehitur. *Cani effuſi ſunt in Ephraim, & ipſe ignoravit, Oſeæ 7. vitioſis nimirum affectibus juveneſcens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem invexit; & tamen rigidum atque inflexum animum habes, & alio monaſterio ad aliud ſubinde migrans, atque omnium menſas perſcrutans, & explorans. Quamobrem ſi tibi carnium nidor, atque obſoniorum condimentum curæ eſt; iis, qui magiſtratus gerunt potiùs blandire, atque urbium caminos veſtiga. Neque enim homines eremitæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum eſt, excipere valeant.* Non poterat enim, qui odium gratiæ ſecretò fovebat, in delicias ventris palam non effundi: quamvis, ut benè obſervat Baronius *tom. 5. anno 405. num. 8.* Hæc Pelagij vagatio fortè non ita deſerviebat, ut alio-

Pelagius delicatus, & fœminis familiaris.

Iſidorus Peluſiota.

Baronius.

rum

rum popinas abſumeret, quam ut ipſis calicem venenati dogmatis propinaret. Hieronimus etiam acriter Pelagium objurgat, quòd inter fœminarum cætus plerumque moraretur, & viduas demulceret laudum lenociniis: quod non rectam de ejus pudicitia ingenerat opinionem. In eo enim dialogo, quem adversùs Pelagium ſcripſit, lib. 1. eum ſic loquentem introducit. *Alij clauſis cellulis, & fœminas non videntes, quia miſeri ſunt, & verba mea non audiunt, torquentur deſideriis: ego etiam ſi mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiſcentiam: de me enim dictum eſt* Zachar. 9. *lapides ſancti volvuntur ſuper terram,* &c. Et lib. 3. ejuſdem operis in Pelagium reprehendit: *Eidem adulans viduæ non erubeſcis dicere pietatem, quæ nuſquam reperitur in terra, & veritatem, quæ ubique peregrina ſit, in illa potiſſimum commorari. Docere eſt hoc, an accidere? levare de terra, an præcipitare de cælo?* &c. & lib. 1. *Verùm tu*, inquit, *tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco ſcripſeris, ſcientiam legis etiam fœminas habere debere; cum Apoſt. 1. ad Timoth. 2. doceat eſſe tacendum mulieribus in Eccleſia.* Sic factum eſt juſto Dei judicio, ut qui ejus ſpernebat adjutorium, illo deſtitutus debilitatem liberi experiretur arbitrij; nec ipſum virus poſſet obtegere, quod in ſecreto cordis fovebat, juxta illud, quod de Deo dixit D. Auguſt. *Punit ſecretam ſuperbiam luxuria manifeſta.*

D. Hieron.

Præceptorem Pelagium in hac præcipuè temeritate imitatus poſtea eſt Seneca, fatuus quidam ſenex, & preſbiter, qui tempore Gelaſij Papæ in Dalmatia, & Piceno Pelagianum dogma jam ſæpiùs damnatum diſſeminavit, & plures ſuo errore fefellit. Nam errorem errori copulans libertati arbitrij, excuſſa gratia, licentiam carnis annexuit, ut refert idem Pontifex *in epiſt. ad Epiſcopos Piceni.* Videatur Baronius *tom. 6. anno 493. à num. 34.*

Cæleſtius Pelagij diſcipulus.

118. Habuit autem Pelagius non paucos alios, nec infimi ingenij diſcipulos, quos per dulcem virium propriarum ſuaſionem; & ulterioris auxilij contemptum in ſuum dogma facilè allexit. Ex his fuit *Cæleſtius*, præcipuus ejus armiger, & magiſtri doctrinam adeò zelans, ut meritò poſſit dici ejuſdem impietatis magiſter, ut loquitur D. Hieron. epiſt. ad Cteſiph. adversùs Pelag. *Hoc*, inquit, *quod dico, non meum eſt argumentum. Unus diſcipulorum ejus, nempè Cæleſtius, imò jam magiſter, & totius ductor exercitus, & contra Apoſt. ad Rom. 9. vas perditionis per ſolœciſmorum, & non, ut ſui jactant, ſyllogiſmorum ſpineta decurrens, ſic philoſophatur, & diſputat: Si nihil ago abſque Dei auxilio; & per ſingula opera ejus eſt, quod geſſero: ergo non ego, qui laboro, ſed Dei in me coronabitur auxilium.* Unde Patres Concilij Carthaginenſis *in epiſt. ad Innocentium Papam*, quæ apud Auguſt. eſt 90. Pelagium, & Cæleſtium actores illius erroris pariter vocant: *His ergo lectis*, inquiunt, *Pelagianum, & Cæleſtianum auctores nefarij prorſus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus.* Et D. Auguſt. eandem hæreſim aliquando Pelagianam, quandoque Cœleſtinam nuncupare ſolet, ut videre eſt *epiſt. 24.*

D. Hieron.

Conc. Carthaginenſ.

Iulianus Pelagio adhæret.

D. Auguſt.

119. Julianus etiam, adhuc juvenis epiſcopus Capuanus factus, Pelagio addictiſſimus fuit, & pro ejus patrocinio plura egit, & ſanctiſſimum ſenem Auguſtinum amariſſimis ſcriptis exagitavit. Quibus S. Doctor reſponſurus, ſic exorſus eſt lib. 1. contra Julianum cap. 1. *Contumelias tuas, & verba maledica, Iuliane, quæ ardens iracundia libris quatuor anhelaſti, ſi me contemnere dixero, mentiar.* Et cap. 4. *Cui Eccleſia*, nempè Romanæ, *præſidentem B. Innocentium, ſi audire voluiſſes, jam nunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.* De hoc Juliano inquit S. Proſper in Chronico: *Hac tempeſtate* (nempè circa annum 440.) *Iulianus Atellanenſis jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi* (propter hæreſim) *epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis ſpem præferens, molitus eſt in communionem Eccleſiæ irrepere. Sed his inſidiis Sixtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit: & ita omnes Catholicos defectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc ſuperbiſſimam hæreſim Apoſtolicus gladius detruncaſſet.*

S. Proſper.

Annianus Pelagianorum fautor.

120. Præterea Annianus (ut loquitur Divus Hieronym. *epiſt.* 79. ad Alypium, & Auguſt.) vel Valerianus (ut magis placet Baronio *tom. 5. anno 427. à num. 15.*) pſeudodiaconus Cenetenſis non parum promovit Pelagianorum errorem, & ab Occidente Alexandriam migrans, ſuum dogma ibidem ſpargere ſtuduit. Sed Euſebius Cremonenſis, D. Hieronym. diſcipulus, data epiſtola monuit S. P. N. Cyrillum, periculumque inſinuavit his verbis: *Alexandrina ſedes, ex quo Chriſti nomen univerſo Orbi innotuit, præ cæteris provinciis ſemper Italiæ Chriſti glutino cohæſiſſe cognoſcitur. Quomodo nunc, cum beatæ memoriæ Innocentius Pelagium, Cæleſtiumque cum ſuis capitibus condemnat, cunctis eos abjicientibus Orientalibus, Alexandrina Eccleſia in communionem receperit, quæ ſola, & prima inter comprovinciales ſuos tales refutare debuerat? Sed ille eſt peſtifer, de quo ſanctitudini tuæ ante annum ſcripſeram, ſignifer, & confœderatus eorum Valerianus, ventriloquus, qui gula* (ut præceptor Pelagius) *operam præbens, quidquid otioſum ſua adulationis invenerit, ibi ſanctos, ac fideliſſimos nunciat*, &c. Quàm valide autem Cyrillus N. inſectatus Pelagianos fuerit, ſtatim dicemus.

Euſebius Cremonenſ.

Vitalis Carthaginenſis.

121. Deinde *Vitalis* Carthaginenſis, quamvis Pelagianiſmi titulum in publico fugere videretur, illi tamen profectò favit, dum aſſeruit non eſſe orandum pro idololatris, ſed fidem tantùm fore ipſis proponendam: ad quam amplectendam negabat neceſſariam eſſe gratiam, ſed ſufficere exiſtimabat liberum eorum arbitrium, ut conſtat *ex epiſt.* D. Auguſt. ad eundem Vitalem, quæ eſt 107.

Nolani Pelagio faventes.

122. Denique præter hos, & alios ſpeciales diſcipulos, quos prolixum eſſet referre, habuit Pelagius plurium hominum turbas, qui ejuſdem erroribus adhærerent. Inter hos fuerunt non pauci Nolani, ut conſtat *ex epiſt.* 106. D. Auguſt. ad S. Paulinum ejuſdem civitatis Epiſcopum, ubi poſt alia inquit: *Quod propterea commemoravimus, quoniam quidem apud vos, vel in veſtra potiùs civitate (ſi tamen verum eſt, quod audivimus) tanta pro iſto errore quidam obſtinatione nituntur, ut dicant facilius eſſe, ut etiam Pelagium deſerant, qui hæc ſentientes anathematizavit, quàm ab hujus ſententia, ſicut eis videtur, veritate diſcedant.*

D. Auguſt.

Neſtorianorum cum Pelagianis conjunctio.

Neſtoriani etiam Pelagianis ſe obſtrinxerunt neceſſitudinis vinculis: Pelagij enim diſcipuli in Occidente damnati, & ſedibus expulſi, Conſtantino

Digitized by Google

ſtantinopolim trajecerunt, ut Imperatoris implorarent auxilium: quos Neſtorius perbenigne excepit. Unde contigit, ut Neſtorianorum, & Pelagianorum eadem fieret maſſa, & Neſtorij diſcipuli ex Pelagij fonte novum haurirent venenum, quod proprio dogmati adjicerent. Conſtat hoc ex D. Proſpero in Epitaphio Pelagianæ, & Neſtorianæ hæreſum, ubi ait:

D. Proſper.

Neſtoriana lues ſucceſſit Pelagiana
Quæ tamen eſt utero progenerata meo.
Infelix miſeræ genitrix, & filia natæ
Prodivi ex ipſo germine, quod peperi:
Nam fundare arcē meritis prior orſa ſuperbis,
De capite ad corpus ducere opus volui, &c.

Idem conſtat ex Joanne Caſſiano lib. 1. de Incarnat. ubi ait: *Illud ſanè unum prætereundum non arbitramur, quod peculiare, & proprium ſupradictæ illius hæreſeos, quæ ex Pelagiano errore deſcenderat, fuit; quod dicentes quidem ſolitarium hominem Ieſum Chriſtum ſine ullo peccati contagio viciſſe, eò progreſſi ſunt, ut aſſererent homines, ſi velint, ſine peccato eſſe poſſe.* Et inſrà loquens de Neſtorio addit: *Interceſſionibus ſuis Pelagianiſtarum querelas fovet, & ſcriptis ſuis cauſam illorum aſſerit; quod ſubtiliter his, ac (ut verius dixerim) ſubdolè patrocinatur, conſanguineæ ſibi improbitati improbo ſuffragatur affectu, ſciens ſcilicet ſe ejuſdem eſſe ſenſus, ejuſdem ſpiritus,* &c.

Ioan. Caſſianus.

123. Sed Pelagianos iſtos Neſtorianis conjunctos acriter profligavit S. P. N. Cyrillus in Concilio Epheſino. Primò enim coram hæreſim inſectatus eſt hom. 5. tunc Epheſi habito, quæ incipit: *Qui ſacris litteris attendunt,* &c. Deinde hæreſim ipſam, & hæreticos damnavit, inter quos ſpecialiter nominantur Julianus, Præſidius, Florus, Marcellinus, Orienſius, qui omnes Pelagij dogmata amplectebantur, ut conſtat ex epiſtola ad Cæleſtinum Papam (quæ incipit, *Sanctitatis quidem tuæ circa pietatem,* &c. & apud Cyrillum *ex epiſt. 12. Synod.*) & ex D. Gregor. *lib. 7. epiſt. 45.* ad Anaſtaſium Antiochenum. Audita autem Pelagianorum condemnatione, cives Epheſini ardore fidei incenſi eos extra civitatem non abſque vi, & tumultu expulerunt, ut refert D. Proſper. *in carmine de ingratis* his verbis,

Cyrillus N. Pelagianos inſectatur.

D. Proſper.

Prætereo, quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſos, nō paſſa diu conſiſtere tecris
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis.

Nec tamen iis quievit Pelagianorum ardor, ſed captantes latibula, & ad tempus indicentes ſibi ſilentium, antiqua dogmata furtim ſeminare jurarunt, & Britannos, è quibus erat Pelagius, ſua peſte infecerunt. Quæ radices adeò altas ibidem egit, ut opus fuerit S. Germanum, & Severum viros doctiſſimos ex Galliis evocare ad propulſandum illud venenum. Illi verò ſtrenuè navarunt operam, & Inſulam à prædicto errore purgarunt, ut conſtat ex relatione Conſtantij in vita S. Germani *lib. 2. cap. 1.* & Surio *die 30. Iulij.* & V. Beda *in lib. de ratione temporum*, qui Germani ſocium non Severum, ſed Lupum vocat.

Virus Pelagij pullulat apud Anglos.

§. III.

Continuatio ejuſdem hiſtoriæ.

123. SEd poſt hæc majori ex parte in communi dicta, videamus magis in ſpeciali, quibus artibus hæc hæreſis tot hominum mentes invaſerit, quibus temporibus, à quibus, & in quibus locis damnata fuerit. Hæc enim opus eſt nunc præmittere, ne deinceps eadem ſæpius repetamus. Et relictis aliis Pelagij erroribus, quorum confutatio ad præſentem tractatum non pertinet; præcipuus, & arrogantior fuit aſſerere hominem per ſolas vires liberi arbitrij poſſe cuncta peccata declinare, omnes tentationes vincere, & quodlibet opus bonum aggredi, ac perficere, excluſo divinæ gratiæ, & concurſus Dei adjutorio. Quod dogma, licet poſtea variis modificationibus temperare ſtuduit, ut notam hæreſeos, & imminentem ſibi damnationem, Catholicorumque impugnationes effugeret: in principio tamen ſui præcipitij ita nudum, ut præmiſimus, & ſi licet dicere, ita crudum tenuit. Conſtat hoc tum ex verbis ipſius Pelagij ad Demetriadem Virg. *In his meritò cæteris præferenda eſt, qui niſi ex te, & in te eſſe non poſſunt.* Tum ex Patribus, & aliis Scriptoribus, qui hæreſim Pelagianam commemorantes communiter referunt ipſum omnem prorſus gratiam negaſſe: quod neceſſariò referendum eſt ad primum illius hæreſis ſtatum: poſtea enim varias moderationes habuit, ut ex dicendis in hoc capite magis conſtabit. Tum ſpecialiter ex Divo Hieronymo *lib. 1. adverſus Pelag. & epiſt. ad Cteſiph. cap. 3.* & aliis locis, qui prædictum, & ſuperbiſſimum dogma Pelagio attribuit, & ex Divi Auguſtini libro de hæreſibus, hæreſi 88. in principio, & epiſtola 94. ad Hilarium, ubi ait: *Nova quædam hæreſis inimica gratiæ Chriſti contra Eccleſiam Chriſti conatur exurgere; ſed nondum evidenter ab Eccleſia ſeparata eſt, hominum ſcilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere poteſtatis, ut hoc ſolum ad Dei gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, & non peccandi poſſibilitate creati ſumus, & Dei mandata, quæ à nobis implerentur, accepimus. Cæterum ad eadem mandata ſervanda, & implenda nullo divino adjutorio nos egere.* Tum denique ex actis Concilij Dioſpolitani, ubi recenſentur hæreticæ aſſertiones Pelagij, quarum ſeptima erat, *Gratiam Dei, atque adjutorium non ad ſingulos actus* (utique conducentes ad ſalutem) *donari, ſed de libero arbitrio eſſe.* Decima, *non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque facere aliquid, vel non facere.* Undecima, *victoriam noſtram non eſſe ex Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio.* Ex quibus liquidò habetur Pelagium in primo ſui erroris ſtatu omnem prorſus gratiam negaſſe, ſola arbitrij facultate contentum. Unde prædictus ſtatus non immeritò comparatur quorundam Gentilium atheiſmo.

Capitalis error Pelag. ſnegans omne Dei adjutorium.

D. Hieron.

D. Auguſt.

Conc. Dioſpolitanum.

125. Sed non erat Pelagius adeò cæcus, quin cerneret fore, ut audita adeò horribili blaſphemia, totus orbis contra ipſum inſurgeret, & cuncti Catholici vocarentur ad arma. Unde auſus non eſt illam palam effutire; ſed per ſecretos cuniculos ignem jacere, & Eccleſiam ſubvertere procuravit: ad quod nullæ ipſi calliditatis artes non adfuerunt. Primò enim ſuum dogma manifeſtare noluit inter ſapientes viros, qui ipſi contradicerent: ſed dulcibus adulationis blandimentis illud propoſuit, aut ignaris quibuſdam eremitis, aut mulierculis curioſitate plenis, in quibus experiri non poſſet contradictionis certamen. Et contra hanc aſtutiam diriguntur verba D. Hieron. in Hierem. lib. 4. præf. *Quibus loquar compendio. Aut bona ſunt, quæ docetis, aut mala.*

Pelagij aſtutia in diſſimulando errorem.

D. Hieron.

Digitized by Google

mala. Si bona; defendite liberè. Si mala; quid occultè miſeros jugulatis errore, rectaque fide ad decipiendos ſimplices quoſque jactatis expoſitionem. Quæ ſi vera eſt; cur abſconditur? ſi falſa; cur ſcribitur? Et epiſt. ad Cteſiph. *Sola*, inquit, *hæc hæreſis, quæ publicè erubeſcit loqui, quod ſecretò docere non metuit.* Deinde curavit Pelagius, ut ſcripta, in quibus venenum propinabat, nomen ſuum non deferrent; ſed attribuerentur aliquibus viris ſanctis, qui ſua auctoritate non leve robur Pelagianiſmo conciliare poſſent, ut conſtat *in epiſt. ad Demetriadem Virg.* quam non pauci exiſtimarunt eſſe D. Ambroſij: ſed fuiſſe legitimum Pelagij fœtum recognovit, poſt Auguſtinum & alios, V. Beda *præfat. in Cantica.* In libro etiam ad eandem Virginem ſcripto ſuum nomen tacuit, ut refert Divus Auguſtinus, *epiſtola* 143. Tandem adhibuit Pelagius vafrum aliud Conſilium, & hæreticis valde familiare: ut enim hæreſeos notam effugeret, ſtuduit, ne ſuæ aſſertiones à diſcipulis proponerentur aſſertivè, ſed velut diſputativè, & ſub quibuſdam dubitationibus, & velut, ſi rogarent, quid alij de his ſentirent, ut conſtat ex actis Concilij Carthaginenſis, quæ refert Baronius *tom.* 5. *anno* 412. *numero* 24. ubi Cæleſtius reſpondit hæreſes à ſe editas quæſtiones eſſe, non hæreſes: & ex Divo Auguſtino *toto lib. de perfect. juſtitiæ* ad Eutropium, & Paulum Epiſcopos, qui varias dubitationes, ſive ut S. Doct. loquitur, ratiocinationes Cæleſtij, illi propoſuerant, & quas ipſe in eo opere diluit. His artibus Pelagiana hæreſis clanculum ſerpſit, & plurium pectora invaſit.

Secretum Pelagij virus detegitur, & præcipuè D. Hieronymi induſtria. D. Hieron.

126. Cæterum ingens adeò flamma diu latere non potuit, quin à viris catholicis, & doctis palam erumpere cogeretur. In quo inſignem navavit operam D. Hieronymus: nam peſtem, ut curaret, monſtravit, ne eadem lue reliqui læderentur. Unde Pelagianos palam ad certamen vocavit, & rationem ſui dogmatis aperire coegit. Hinc illæ Hieronymi voces contra Pelagium, & aſſeclas in epiſtola ad Cteſiph. *Loquere, quod credis, publicè prædica. Quid ſecretò diſcipulos loqueris? Qui dicis te habere arbitrij libertatem, quare non liberè, quod ſentis loqueris? Eccleſia victoria eſt vos apertè dicere, quod ſentitis. Aut enim reſponſuri eſtis, quod & nos loquimur: & nequaquam eritis adverſarij, ſed amici. Aut ſi contraria noſtro dogmati dixeritis; in eo vincemus, quod omnes cognoſcent Eccleſiæ, quid ſentiatis. Sententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Patet prima fronte blaſphemia. Non neceſſe habet convinci, quod ſua ſtatim profeſſione blaſphemum eſt.* Nec fefellit hæc induſtria Hieronymum: ſed aſſecutus eſt, quod tentavit, Pelagianis palam deinceps hæreſim propugnantibus, & ubilibet ſpargentibus. De quo viro ſanctiſſimo, & doctiſſimo, inquit Baron. *tom.* 5. *anno* 411. *num.* 46. illud Job 26. meritò occini poſſit. *Obſtetricante manu ejus eductus eſt de caverna coluber tortuoſus: quem ſemel progreſſum in medium, horrendum viſu ſui deformitate ſerpentem, mox Apoſtolici viri Apoſtolica doctrina jaculis penitus confecere.*

Baronius.

Quando Pelagiani vulgaverint ſuos errores.

127. Hæreſis ergo Pelagiana, quæ anno 405. cœpit à ſuo auctore clanculum diſſeminari, & quibuſdam apud Ægyptum innoteſcere, ut eodem anno obſervant Baronius, & Gordonus; ab anno 411. manifeſtè erupit, & orbi expoſita eſt. Ad quod plurimum conduxit Timaſij, & Jacobi converſio, quos ex diſcipulis Pelagij D. Auguſtinus reddidit catholicos: hi enim ſanctum Doctorem de erroribus Pelagij magis in ſpeciali certiorem fecerunt. Unde occaſionem nactus eſt ſcribendi adversùs Pelagianos librum illum, cui titulus præfigitur, *De natura, & gratia ad Timaſium, & Jacobum.* De hac converſione, & manifeſtatione Pelagianæ hæreſis loquitur Sanctus Doctor epiſtola 95. ad Innocentium Papam, ubi ait: *Miſimus tuæ reverentiæ librum, quem dederunt religioſi quidam, & honeſti adoleſcentes, ſervi Dei, quorum etiam nomina non tacemus; nam Timaſius, & Jacobus vocantur, qui (ſicut audivimus, & jam noſſe dignaris) ipſius Pelagij exhortatione ſpem, quam habebant in ſæculo, reliquerunt, & nunc continenter Deo ſerviunt. Qui cùm eodem errore tandem aliquando per qualemcumque operam noſtram, Domino inſpirante caruiſſent; protulerunt eundem librum, Pelagij eſſe dicentes: & ut ei reſponderent, impendio rogaverunt. Factum eſt. Ad eoſdem reſcripta eſt ipſa reſponſio. Agentes gratias reſcripſerunt. Utrumque miſimus, & cui reſponſum eſt, & quod reſponſum eſt.* Et ejuſdem operis meminit epiſt. 102. ad Evodium, ubi ait: *Scripſi etiam grandem quendam librum adversùs Pelagij hæreſim cogentibus nonnullis fratribus, quibus contra gratiam Chriſti opinionem perniciosiſſimam ille perſuaſerat.*

D. Auguſt.

Romanæ Eccleſiæ ſtudium, ac vigilantia in profligando hæreſim Pelagianam. D. Proſper.

128. Ubi primùm autem Pelagianum dogma, depoſita larva, apparuit in orbe, ſtatim catholicæ Eccleſiæ antiſtites, & Doctores ſacri illud damnare, tùm ſcriptorum impugnationibus, tum Conciliorum decretis procurarunt. Adfuit in hoc ſtudio Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ diligentia, ut expreſsè affirmat Divus Proſper in carmine de ingratis cap. 2. his verſibus.

Talia cum demens latè diffunderet error,
Commentiſque rudes traheret lethalibus aures;
Adfuit exhortante Deo proviſa per orbem
Sanctorum pia cura patrum, non diſpare motu
Conficiens diros jaculis cæleſtibus hoſtes:
Iiſdem namque ſimul decretis ſpiritus unus
Intonuit. Teſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mũdo, quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Quæ, ut optimè obſervavit Baron. *tom.* 5. *anno* 412. *num.* 26. intelligenda ſunt de damnatione hæreſis Pelagij non in propria perſona: ſic enim primò damnata fuit in Concilio Dioſpolitano, vel Carthaginenſi, ut ſtatim dicemus: ſed in perſona Joviniani, qui Pelagiano errori præſtruxit viam, ut obſervavimus *num.* 111. Joviniani verò tempore Pelagius ſub catholico pallio Romæ deliteſcebat; & inde, ne detegeretur, fugit in Siciliam; & poſtea in Paleſtinam navigavit, ubi ſecurior potuit ſuæ doctrinæ virus ſpargere. Quia ergo Pelagiana hæreſis in Joviniani dogmate radices egerat; meritò dicitur primo damnata fuiſſe ab Eccleſia Romana, quæ damnaverat Jovinianum. Unde D. Hieron. lib. 2. contra Pelag. in principio alloquens Pelagium ſub perſona Critobuli inquit: *Non erubeſcis exploſam, atque damnatam Joviniani ſententiam ſequi? & ille enim his teſtimoniis, tuiſque nititur argumentis: imò tu illius inventa ſectaris, in Oriente docere deſiderans, quæ olim Romæ, dudum in Africa condemnata ſunt.*

D. Hieron.

Zelus inſignis Eccleſiæ Africanæ.

129. Damnatio itaque Pelagianæ hæreſis primò conclamata fuit ab Eccleſia Africana in quodam Concilio Carthaginenſi anno Domini

Digitized by Google

mini 412. aut 411. ut aſſerunt Baronius, & Bordonus in eodem anno, & Suarez *prolog. 6. cap. 4.* & facilè conſtat ex epiſtola Synodali alterius Concilij Carthaginenſis celebrati anno 416. ad Innocentium Papam, & apud Auguſtinum eſt 90. in qua dicitur: *Factum eſt, ut recenſendum peteremus, quid ante fermè quinquennium ſuper Cæleſtij nomine hic apud Eccleſiam Carthaginenſem fuerit agitatum.* Ex quibus neceſſariò colligitur aliud Concilium, & tempore ſuprà aſſignato celebratum fuiſſe ad extirpandam hæreſim Pelagianam. Præbuit autem occaſionem celebrandi illud Concilium Cæleſtius primarius Pelagij diſcipulus, qui eo tempore errores in Africa ſeminare cœpit; & fortè liberiùs, & manifeſtiùs, quàm vellet ejus magiſter. Unde opus fuit ejus mentem examinare, & ſerpens venenum reprimere. De quo Concilio, inquit, Suarius *ubi ſuprà num. 2.* nihil ſe vidiſſe, aut audiſſe præter ea, quæ *in epiſtola citata* referuntur. Sed videat lector quædam ejus fragmenta apud Divum Auguſt. *lib. de peccato originali* contra Pelag. *lib. 2. cap. 3.* & apud Baronium *anno* 412. *à num.* 21. Verum quidem eſt, quòd quantum ex prædictis fragmentis colligere licet, Concilium illud magis curavit damnare hæreſim Pelagianam circa ſtatum Adami, & peccatum originale, quàm circa vires liberi arbitrij: licèt fortè & hoc poſterius præſtiterit, ut non obſcurè indicat epiſt. illa ſynodalis ſubſequentis Concilij, quæ utrumque punctum complectitur. Sed reliqua acta perierunt injuria temporis.

Concil. Carthaginenſ. — *Suarez.*

130. Hæc cùm in Africa agerentur, Pelagius in Paleſtina errores diſſeminare non deſiſtebat. Unde Catholici ſcandalum paſſi Epiſcopos monuerunt, ut periculum circunſpicerent, illudque vitare curarent. Quod ut præſtarent, Dioſpoli, (quæ eſt antiqua Lidda, civitas Paleſtinæ) congregata eſt Synodus quatuordecim Epiſcoporum illius Provinciæ, quos recenſet D. Auguſt. *lib.* 1. contra Pelag. *cap.* 5. Celebrata autem eſt anno 415. ut conſignant Baronius, Bordonus, & Coriolanus. In quo Concilio compulſus fuit Pelagius ſuos errores anathematizare: quod cùm ipſe feciſſet; abſolutus, & inter Catholicos admiſſus eſt. Fefellit tamen ſimplici gratiæ confeſſione illius Synodi Patres, dum non adverterunt ipſum gratiæ vocabulo ſignificare legem, aut ſolam poſſibilitatem arbitrij, ut diverſæ ejus tergiverſationes poſtea declararunt. Et ita quamvis prædicti Epiſcopi ſanctè, & catholicè ſe geſſerint in damnanda Pelagij doctrina; non præmiſerunt tamen debitum prorſus examen circa ejus perſonam; quem proinde abſque alia pœna facilè abſolverunt, ut refert D. Auguſt. *lib.* 2. *Retract. cap.* 47. & Divus Proſper in carmine de ingratis cap. 2. ubi ait:

Concilium Paleſtinum contra Pelagium. — *Pelagii dolus in eo Concilio.* — D. Proſper.

> ——*Non ſegnior inde Orientis*
> *Rectorum cura emicuit: captumque nefandi*
> *Dogmatis auctorem conſtrinxit lege benigna*
> *Commentum damnare ſuum niſi corpore Chriſti*
> *Abjungi, & ſancto mallet grege diſſociari.*
> *Leno quidem hoc, nimiumque malo toleraſſe videtur*
> *Judicium: ſed ſancta fides examine in illo*
> *Vicit oborturam diro de ſemine prolem.*
> *Proſpectum namque eſt, divino, & munere cautum,*
> *Ut licèt inſtantem declinans beſtia pœnam,*
> *Perfidiæ ſecum ſenſus tenuiſſet eoſdem,*
> *Ipſa tamen proprium germen damnando necaret,*
> *Ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.*

131. Et in hoc eodem ſenſu intelligendus eſt D. Hieronym. epiſt. 79. ad Alypium, & Auguſtinum, cùm de Pelagio ait: *Quidquid in illa miſerabili Synodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat, in hac apertè confitetur.* Vocat enim eam Synodum *miſerabilem*, non quia aliquid contra fidem decreverit; ſed quia abſolvendo abſque prævio, & legitimo examine Pelagium, tot criminum reum: erravit in facto, & ſiniſtram de ſe ſuſpicionem gignere potuit. Unde cùm prædicti Concilij acta de purgatione, & abſolutione Pelagij oblata fuiſſent Innocentio Papæ, nequaquam ea probare, vel confirmare voluit; ſed reſcripſit: *Non poſſumus illorum Epiſcoporum nec probare, nec confirmare judicium; cùm neſcimus, utrum vera ſint Geſta; aut ſi vera ſunt, conſtet magis ſubterfugiſſe, quàm ſe tota veritate purgaſſe.* Et ita Auguſt. quæ prædicta verba Innocentij refert in lib. 2. de peccato originali cap. 8. adjecit: *Fefellit enim judicium Paleſtinum ipſe Pelagius: propterea ibi videtur eſſe purgatus. Romanam vero Eccleſiam, ubi eum eſſe notiſſimum ſcitis, fallere uſquequaque non potuit; quamvis & hoc fuerit utcumque conatus: ſed, ut dixi, minimè valuit.* Quæ, ut ſupra dicebamus, intelligenda ſunt de deceptione eorum Epiſcoporum in facto abſolutionis Pelagij; non in fide, vel rebus ad fidem pertinentibus: nam quantum ad hoc catholiciſſimè proceſſerunt. Unde idem Auguſtinus eorum Patrum doctrinam frequenter laudat, eaque utitur ad retundendum novos adſultus, & tergiverſationes Pelagianorum. An autem Paulus Oroſius (*Presbyter ſanctiſſimus, & ſtudioſiſſimus ex ultima Hiſpania*, ut loquitur Auguſt. *epiſt.* 102. ad Evodium) interfuerit prædicto Concilio; quod affirmat Vazquez *tom.* 1. *in* 1. *part. diſp.* 191. an abſfuerit, quod magis placet Suario *prolog. 6. cap. 3.* nihil, aut parum refert ad has controverſias. Veroſimilior tamen eſt Suarij conjectatio: tum quia Auguſt. *lib.* 2. *Retract.* 27. affirmat Catholicos fratres, qui libellum contra Pelagium Epiſcopis dederant, illi Concilio non adfuiſſe. Tum quia cùm Oroſius eſſet doctrinæ Auguſtinianæ ſtudioſiſſimus, & Pelagij impugnator acerrimus; non poſſet non Epiſcopos de illius hæretici ſtrophis, & cavillis commonere: & ita nullam de ejus abſolutione excuſationem habuiſſent. Motiva verò, quibus nititur Vaſquez, levia ſunt, & quæ facilè diſpellit Suarez *ubi ſuprà*.

D. Hieron. D. Auguſt. — *Patres prædicti Concilij vindicantur ab hæreſis ſuſpicione.*

132. Poſt prædictam Synodum celebratum eſt in Africa aliud Concilium Carthaginenſe anno immediatè ſequenti, nempè 416. cui occaſionem præbuit Paulus Oroſius. Hic enim, cùm anno præcedenti in Paleſtina apud D. Hieronymum manſiſſet, & noſſet Dioſpoli celebratam fuiſſe Synodum, in qua Pelagius verborum involucris judices fefellit, & abſolutionem accepit: hoc anno veris tempore è Paleſtina ſolvit, Africam appulit, cuncta retulit, & Africanos Epiſcopos ad Pelagianam hæreſim vehementer excitavit: ne Pelagius, qui ſe prædicabat abſolutum, liberiùs ſua dogmata prædicaret, & orbem univerſum inficeret ſua contagione. Quod facilè aſſecutus eſt Oroſius: nam Africæ Epiſcopi doluerunt plurimùm, quòd in Pale

Aliud Concilium Carthaginenſe contra Pelagium.

Digitized by Google

Palestina Synodo viderentur reſcindi, quæ ipſi ante quinque annos contra Cæleſtium decreverant. Unde congregatum eſt aliud Concilium Carthaginenſe 77. Epiſcoporum, qui Pelagium, & Cæleſtium, eorumque hæreſes iterum anathematizarunt, ut conſtat ex Epiſt. ejuſdem Concilij ad Innocentium Papam, quæ eſt 90. apud Auguſt. ubi dicunt: *His ergo lectis Pelagium, & Cœleſtium auctores nefarij prorſus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus.* Et poſt pauca: *Niſi hæc*, addunt, *apertiſſimè anathematizaverint, ipſos anathematizare oportet. Ut ſi ipſorum non potuerit, ſaltem eorum, qui decepti ſunt ab eis, vel decipi poſſunt, cognita ſententia, quæ in eos lata eſt, ſanitas procuretur.* Et quia timuerunt illi Patres, ne acta Synodi Dioſpolitanæ, in qua Pelagius abſolutus fuerat, confirmarentur à Romano Pontifice; ſubjunxerunt: *Si ergo Pelagius Epiſcopalibus Geſtis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi juſtè viſus fuerit abſolutus: error tamen ipſe, & impietas, quæ tam multos aſſertores habet per diverſa diſperſos, etiam Apoſtolicæ ſedis auctoritate anathematizanda eſt. Conſideret enim Sanctitas tua, & paſtoralibus nobis compatiatur viſceribus, quàm ſit peſtiferum, & exitiale ovibus Chriſti, quod iſtorum ſacrilegas diſputationes neceſſariò ſequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem: quod Dominus & diſcipulos monuit, & poſuit in oratione, quam docuit. Si enim poſſibilitate naturæ, & arbitrio voluntatis in poteſtate ſunt conſtituta; quis non ea videat à Domino inaniter peti, & fallaciter orari; cùm orando poſcuntur, quæ natura noſtra jam ita condita ſufficientibus viribus obtinentur.*

Conc. Carthaginenſ.

Innocentius autem juſtæ petitioni, & cauſæ juſtitiæ annuens Pelagium, Cæleſtium, & eorum doctrinam condemnavit, ut apertè conſtat *ex epiſt.* ejuſdem Innocentij ad Epiſcopos Carthagine congregatos, quæ apud Divum Auguſtinum eſt 91. & ex eodem Divo Auguſtino *epiſt.* 47. *& epiſtola* 106. D. Hieronym. *epiſtola*, ad Demetriadem, Divo Proſpero *libro* contra Collatorem *cap.* 10. & Gennadio *lib. de viris illuſt.* qui addit decretum ab Innocentio ſcriptum promulgatum poſt ejus obitum fuiſſe à Zoſimo ejus ſucceſſore.

Innocentius Primus damnat Pelagiũ.

Acta hujus Carthaginenſis Concilij non extant: ſed *ex epiſtola citata*, ad Innocentium evidenter deducitur, quòd duo præcipuè in illo decreta ſint. Unum eſt parvulos naſci cum peccato originali, & baptizari ad remiſſionem illius. Aliud eſt naturam humanam ad ſervanda præcepta, & ſuperandas tentationes ſibi non ſufficere ſine gratia Dei per Chriſtum, quam ſuis orationibus petit Eccleſia.

133. Eodem anno, in eadem Africa, & ob eadem motiva celebratum eſt paucos poſt menſes aliud Concilium Milevi in Numidia: ad quod 61. Epiſcopi convenerunt. Quod eſſe Concilium diverſum ab alio Milevitano, quod *anno* 402. celebratum eſt, rectè probat Baronius *anno* 402. *&* 416. & ex illo Suarius *prolog.* 6. *capite* 4. *à numero quarto.* In hoc Concilio iterum damnata eſt hæreſis Pelagiana, editis ad hoc novem canonibus, qui illam evertunt. Scripſit etiam idem Concilium epiſtolam ad Innocentium Papam eodem argumento, quo ſcripta fuerat epiſtola Concilij Carthaginenſis, eamque tranſmiſit per Julium utriuſque Concilij legatum. In ea verò epiſtola (quæ apud Auguſtinum eſt 92.) ſtatum Pelagianiſmi, & neceſſitatem remedij repræſentat Concilium his verbis: *Hujus perniciosiſſimi erroris auctores eſſe perhibentur Pelagius, & Cœleſtius, quos quidem in Eccleſia ſanare maluimus, quàm deſperata ſalute ab Eccleſia reſecari, ſi neceſſitas nulla compellat. Quorum unus, id eſt, Cœleſtius etiam ad Presbyterium in Aſia dicitur perveniſſe. De quo ante paucos annos quid geſtum fuerit, ſanctitas tua de Carthaginenſi Eccleſia meliùs inſtruetur. Pelagius verò, ſicut à quibuſdam fratribus noſtris miſſæ loquuntur epiſtolæ, Hieroſolymis conſtitutus nonnullos fallere aſſeritur. Veruntamen multò plures, qui ejus ſenſûs diligentiùs indagare potuerunt, adversùs eum pro gratia Chriſti, & Catholicæ fidei veritate confligunt, præcipuè ſanctus Filius tuus frater, & compresbyter noſter Hieronymus. Sed arbitramur adjuvante miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur; auctoritati ſanctitatis tuæ, de ſanctarum ſcripturarum auctoritate deprompta, faciliùs eos, qui tam perverſa, & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros: ut de correctione eorum potiùs gratulemur, quàm contriſtemur interitu. Qodlibet autem ipſi eligant; certè vel aliis., quos plurimos poſſunt, ſi ab eis diſſimuletur, ſuis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua inſtanter, & celeriter providendum*, &c. His, & aliis permotus Pontifex Pelagium, & Cæleſtium damnavit, ut liquet ex ejus epiſtola ad prædictum Concilium, quæ eſt 93. apud Auguſtinum, & in qua multò ſeveriùs loquitur Pontifex, ac in epiſtola ad Concilium Carthaginenſe paulò ante celebratum. *Quare*, inquit, poſt gravem prædictæ hæreſeos confutationem, *Pelagium, Cœleſtiumque, id eſt, inventores vocum novarum, quæ ſicut dixit Apoſtolus*, 2. Timoth. *ædificationis nihilum, ſed magis vaniſſimas conſueverunt parere quæſtiones, Eccleſiaſtica communione privari Apoſtolici rigoris auctoritate cenſemus, donec reſipiſcant de diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ſecundùm ipſius voluntatem; eoſque interim dominico ovili non recipi, quod ipſi perverſa via ſecuti tramitem deſerere voluerunt. Abſcindendi ſunt enim, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. Simul autem præcipimus, ut quicumque id pertinacia ſimili defenſare nituntur, par eos vindicta conſtringat*, &c.

Concilium Milevitanum contra Pelagium.

Concil Milevit.

Pelagiani iterum condemnati ab Innocentio Primo.

134. Quandiu hæc aguntur, Pelagius in Paleſtina degens, cùm audiſſet purgationem à ſe Dioſpoli factam ab Innocentio Papa non admitti, omnem diligentiam poſuit, ut id tandem aſſequeretur: miſſis enim litteris & ſuis, & Praylij Epiſcopi promiſit ſe obtemperaturum eſſe judicio ſedis Apoſtolicæ. Cæleſtius etiam, cùm ſe videret in Conciliis Africanis damnari, appellationem interpoſuit ad Romanum Pontificem. Interim verò, nempè *anno* 417. quarto Kalendas Auguſti, moritur Innocentius; & interlapſis poſt ejus obitum aliquibus diebus Zoſimus natione Græcus ſubrogatus eſt. Rerum mutatio plurimum animi attulit Pelagianis: occaſionem quippe nacti nihil non fecerunt, ut novum Pontificem fallerent, & extorquerent ab ipſo abſolutionem. Quod aliqua ex parte ſunt aſſecuti: adeò enim humiliter ſe Catholicæ Eccleſiæ judicio ſubmittere

Appellationē interponunt ad Romanum Pontificem.

Fallere ſtudent Zoſimum Innocentij ſucceſſorem.

profeſſi

profeſſi ſunt; & ita callidè errores ſuos obvelare ſcierunt, ut Zoſimus eos tanquam hæreticos damnare non potuerit, ſed magna ex parte ſuſpenderit & judicium, & condemnationem à ſuo prædeceſſore conſcriptam, ut conſtat ex epiſtola Zoſimi ad Epiſcopos Africanos relatam à Baronio *anno* 417. *num.* 24. qui meritò ob plura motiva excuſat Pontificem.

Africani Zoſimum hortantur, ut Pelagium condemnet.

135. Cæterùm ubi Africani Epiſcopi, qui calore fidei contra Pelagianos ardebant, hæc intellexerunt; ægro tulerunt animo Zoſimum admiſiſſe ad audientiam Cæleſtium, quem, præter alia, hæreſis notiſſima ubique forma notabat: unde acriùs ad arma vocarunt; & ſequenti anno, nempè 418. congregato Carthagine celeberrimo Concilio 214. Epiſcoporum profeſſi ſunt ſe in omnibus amplecti decretum Innocentij Papæ contra Pelagianos anno præcedenti editum; & datis litteris monnerunt Zoſimum, quantis cavillis, & fallaciis Pelagiani ſuum dogma retinerent, quamvis in publica confeſſione ab eo recedere viderentur, ut conſtat ex D. Proſpero lib. contra Collatorem cap. 10. ubi per ironiam inquit: *Erraverunt ducenti quatuordecim ſacerdotes, qui in epiſtola, quam ſuis conſtitutionibus pratulerunt, ita Apoſtolica ſedis Antiſtitem beatum Zoſimum ſunt allocuti: Conſtituimus in Pelagium, atque Caleſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium de beatiſſimi Apoſtoli Petri ſede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum non ſolùm ad cognoſcendam, verùm etiam ad faciendam juſtitiam nos per actus ſingulos adjuvari: ita ut ſine illa nihil vera, ſanctaque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.*

D. Proſper.

136. Ad hæc Zoſimus primò reſpondet ſe non inconſideratè, ſed ex magna attentione ſuſpendiſſe, aut potiùs in aliud tempus rejeciſſe ſententiam: quia non expediebat, ut Pelagius, & ſocij ſe humiliter ſubjicientes ſedi Apoſtolicæ, ab ea, non diſcuſſo negotio, condemnarentur. *Nunquam temerè*, inquit, *qua ſunt diu tractanda, ſiniuntur; nec ſine magna delibératione ſtatuendum eſt, quod ſummo debet diſceptari judicio*, ut ex ejus epiſt. reperta in codice Vaticano refert Baron. *anno* 418. *num.* 4. Sed nihilominus, ut tantum Antiſtitem decebat, præcepit, ut ſtatim coram eo inſtauraretur judicium: & poſt varias controverſias inter Cæleſtium, & Paulinum Diaconum Carthaginenſem; poſt diligentem rei diſcuſſionem, & bene notam, ac probatam Pelagianorum vafritiem, condemnavit Pontifex eorum aſſerta; præcipiens, ut niſi Pelagius, & Cæleſtius ſuos errores recognoſcentes agerent pœnitentiam, damnati toto orbe Chriſtiano penitus cenſerentur. Cujus decreti, quamvis non extet, mentionem faciunt Gelaſius Papa *in epiſt.* ad Epiſcopos Galliæ, Gennadius *lib. de Eccleſiaſt. dogm.* D. Proſp. lib. contra Collatorem cap. 10. & cap. 41. ubi ait: *Africanorum Conciliorum decretis beata recordationis Papa Zoſimus ſententia ſua robur adnexuit; & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antiſtitum.* Et D. Auguſt. *lib. de peccato originali cap.* 8. *& cap.* 21. *& epiſt.* 157. ad Optatum. & *lib.* 2. *Retract. cap.* 50. Paulò poſt etiam Honorius Imperator reſcriptum edidit adversùs omnes Pelagianos, quod videri poteſt apud Baronium, *ubi ſuprà, numero* 17.

Zoſimus tandem damnat Pelagium.

Gelaſius Papa. Gennadius. D. Proſper.

D. Auguſt.

137. Quæ omnia cùm majori ex parte perfecta fuerint maximo zelo, & ſumma cura Africanorum Antiſtitum, meritò illos laudavit D. Proſper in carmine de ingratis cap. 2. his verſibus:

Africanorum Epiſcopor. elogium.

Tu cauſam fidei flagrantius Africa noſtra
Exequeris: tecumque ſuum jungente vigorem
Iuris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
Conficis, & lato proſternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu,
Decernis, quod Roma probet, quod regna ſequantur, &c.

138. At cuncta hæc iracundos Pelagianorum fluctus componere non valuerunt: ſed cùm ſe viderent ab Innocentio, Zoſimo, & Conciliis Africanis damnatos, auſi ſunt petere Concilium univerſale Epiſcoporum Orientis, & Occidentis, ut refert Baron. *anno* 415. *num.* 45. & conſtat ex Divo Auguſtino lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 12. ubi ait: *Verùm iſtorum ſuperbia, qua tantùm ſe extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, ſed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur.* Sed illorum adſultus vehementer repreſſit Bonifacius Primus, qui Zozimo anno 419. ſucceſſit, utens non ſolùm ſua auctoritate, ſed etiam Imperatorum potentia, ut refert D. Proſper lib. contra Collat. cap. 41. his verbis: *Sancta memoria Bonifacius piiſſimorum Imperatorum devotione gaudebat; & contra inimicos gratia Dei non ſolùm Apoſtolicis, ſed etiam regiis utebatur edictis.*

Pelagiani petunt Concilium generale.

Baronius. D. Auguſt.

D. Proſper.

139. Tandem in Concilio Epheſino anno 431. iterum reclamarunt: ſed ibi etiam damnati ſunt, ut vidimus *num.* 122. & amplius confirmat Divus Proſper loco proximè cit. ubi ait: *Venerabilis memoria Pontifex Caleſtinus, cui ad Catholica Eccleſia praſidium multa Dominus gratia ſua dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen judicij, ſed ſolùm pœnitentia remedium eſſe praſtandum; Caleſtium quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem totius Italia finibus fecit extrudi: adeò & pradeceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta Synodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat; ut quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari.* Et poſt pauca: *Per hunc virum etiam Orientales Eccleſia gemina peſte purgata ſunt, quando Cyrillo Alexandrina urbis antiſtiti glorioſiſſimo fidei Catholica defenſori, ad execrandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum proſternerentur.* Et ita accidit, ut in Concilio generali, quod ipſi (fortè ut damnationem procraſtinarent) petierant, condemnarentur.

Damnantur in Concilio Epheſino. D. Proſper.

Hæc ſunt, quæ præcipuè pertinent ad hiſtoriam hæreſis Pelagianæ, in qua contexenda, ut in plurimum ſequuti fuimus Baronium; quamvis in non paucis ab eo recedat Petavius: præſertim conſuluimus ſanctos Patres Hieron. Auguſt. & Proſperum, qui totius hæreſis progreſſum cominus viderunt, & fideliſſimè exorarunt. Hiſtoriam verò Semipelagianorum, quæ eſt appendix Pelagianæ, dabimus *capite ſequenti*, ubi alia expendemus Pontificum, &

Digitized by Google

Conciliorum decreta, quæ Pelagianos pariter feriunt. Nunc tantùm addimus Pelagianam hæreſim noviſſimè damnari in ſacro Concilio Trid. *ſeſſ.6. can.*1. & 2. & 3. Qui autem inter hæreticos modernos ſequantur Pelagianos antiquos, videat lector apud Prateolum verbo *Pelagius* §. *De his porrò*, & verbo *Melanchthonici* in principio.

Conc. Trid.

§. IV.

De multiplici gratia tandem conceſſa à Pelagio.

140. Quamvis Pelagius in ſuæ hæreſis natalitiis negavit omnem gratiam, ut vidimus *num.* 123. nihilominus poſtea ad vitandam Catholicorum contradictionem, & neſciens ſacrorum Doctorum argumentis aliter occurrere; compulſus eſt confiteri aliquam gratiam: ſemper tamen callidè, & ſubobſcure, & ut verbo tantùm invidiam frangeret. Undè videre oportet, qualem, & quantam gratiam conceſſerit; ut ſic innoteſcat nobis, quid tandem negaverit, & in quo ejus cum Catholicis controverſia ultimò deſierit: propter quod meruit anathematizari ab illis. Et quidem paulò poſt ſui erroris ortum palàm conceſſit neceſſariam eſſe gratiam Dei: ſed gratiæ vocabulo duo tantùm ſignificabat, nempè ipſum liberum arbitrium, quod gratìs à Deo creatum eſt, & legem, qua nos dirigit, ac gubernat prohibendo malum, & præcipiendo bonum: quorum neutrum, nec ambo ſimul habent rationem gratiæ adæquatè ſufficientis, & neceſſariæ ad ſalutem. Hanc Pelagianam gratiam paſſim repetit, & refutat D. Aug. ut lib. de hæreſibus, hæreſ. 88. *Illam*, inquit, *verò gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt, niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantùm ipſo adjuvante per ſuam legem, atque doctrinam, ut diſcamus, quæ facere, & quæ ſperare debeamus.* Et lib. de Spiritu, & littera cap. 2. inquit: *Cùm urgeri cœperint, quomodo id præſumant aſſerere fieri ſine ope divina; reprimunt ſe, nec hanc vocem audent emittere, quoniam vident, quam ſit impia, & non ferenda: ſed aiunt ideo iſta ſine ope divina non fieri, quia & hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta ipſe docet, quemadmodum homini ſit vivendum.* Et ſerm. 11. de verbis Apoſt. cap. 7. *Diſputantes*, inquit, *contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis, & Catholicis offenſionem; cœperunt oderi, cœperunt ut certa pernicies devitari; cœpit de illis dici, quòd gratiam diſſiparent: & invenerunt ad relevandam iſtam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei diſputo. Unde probes? Eo ipſo, inquit, non contra gratiam Dei diſputo, quod liberum arbitrium defendo. Videre acumen, ſed vitreum: quaſi lucet vanitate, ſed frangitur veritate.*

Pelagius conceſſit tandem aliquam gratiam.

Gratiæ vocabulo ſignificabat naturam, & legem.

D. Auguſt.

141. Sed hoc, ut loquitur Auguſt. commentum facilè evertebant Catholici: quia gratia adjuvat infirmitatem arbitrij, vel ei præſtando vires, vel datas conſervando, vel eas promovendo infallibiliter ad executionem boni: unde opus eſt, quòd gratia arbitrium ſupponat, & aliquid ſit ab eo diverſum. Lex autem, vel legis cognitio tantùm habent manifeſtare facienda, & ad ea dirigere; non autem ſubminiſtrare virtutem, aut eam cum opere conjungere: unde vel gratia negatur, vel aliquid præter legem, ejuſque notitiam debet concedi. Conceſſit quidem Pelagius: ſed ſumma aſtutia addidit hoc ulterius arbitrio adjici ad faciliùs poſſe. Et ita à ſuo dogmate non receſſit; ſed negavit aliquid præter arbitrium, & legem habere rationem gratiæ ſimpliciter neceſſariæ ad ſalutem, ut refert D. Auguſtin. loco cit. ex lib. de hæreſibus, ubi ait: *Pelagius increpatus à fratribus, quòd tribuerit adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correctioni eorum hactenus ceſſit, ut non eam libero arbitrio praeponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam. Dicendo utique, ut faciliùs poſſint, voluit credi, etſi difficilius, tamen poſſe hominem ſine gratia divina facere juſſa.* Hæc ſunt capitalia principia Pelagianiſmi, damnata in Conciliis Africanis, præcipuè in Milevitano *can.* 3. 4. & 5. & in aliis conſequentibus Conciliis: de quibus diximus §. *præced.* Et quod ita Pelagiani ſenſerint, docent paſſim SS. Patres, & admittunt communiter Theologi pro certo ſupponentes Pelagium ſaltem in ſuæ hæreſis principio gratiam interiorem non admiſiſſe, nec aliud adjutorij genus præter hactenus relata. Sed dubitari poteſt, utrùm in ſui dogmatis progreſſu (qui plures occupavit annos, ut vidimus § *præced.*) & poſt varias diſputationes cum D. Auguſt. & aliis Catholicis, earum pondere preſſus conceſſerit tandem majorem gratiam, & alia Dei adjutoria? Inter hæc autem recenſentur concurſus Dei ſimultaneus; gratia ſanctificans, ſive habitualis, gratia actualis interior; auxilium ſanctæ cogitationis, auxilium ſufficiens, ſive dans poſſe; & denique auxilium efficax, ſive infallibiliter conjungens poſſe cum actu. De quibus omnibus, (ultimo excepto, quod capite ſequenti reſervabimus) ſummatim dicemus in præſenti: prolixior enim diſcuſſio de his habenda eſt per ſequentes diſputationes hujus tractatus de Gratia.

Gratia aliquid importat præter legem, & naturam.

D. Auguſt.

Dubia excitanda circa gratiam à Pelagio conceſſam.

142. Et incipiendo à concurſu Dei ſimultaneo, ſive ab eo influxu, quo Deus ſimul cum cauſis creatis attingit immediatè earum effectus; Suarez *prolog.* 5. *cap.* 4. aſſerit incertum eſſe, utrùm Pelagius hunc concurſum negaverit, vel aliquando tandem admiſerit: quia in Patribus nullum veſtigium hujus controverſiæ reperitur: agebant enim contra Pelagium pro neceſſitate gratiæ propriiſſimè dictæ, non autem de concurſu generali debito naturæ. Ipſe verò ſatis indicat ſe magis ſtare pro parte negativa, & pro ea refert Abulenſ. *Matth.* 19. *quæſt.* 178. *ad* 6. & Bellarminum *lib.* 4. *de gratia, & lib. arb. cap.* 4. Movetur *primo*, quia Oroſius *in Apolog. de lib. arb.* D. Hieronym. *epiſt.* ad Cteſiph. aliique Patres referunt Pelagium gratiam conſtituiſſe in libero arbitrio. *Nec ultra ejus*, dicebat Pelagius loco cit. apud Hieronym. *indigemus auxilio; ne ſi indiguerimus, liberum frangatur arbitrium.* De aliis autem cauſis dixit, ut refert Oroſius, *Deum cuſtodire naturam, quam ſemel bene diſpoſuit.* Et apud D. Hieronym. lib. 1. contra Pelag. aſſerebat: *Non tolli Dei adjutorium, cum creatura in ſemel dati liberi arbitrij gratia conſerventur.* Ex quibus liquidò evincitur Pelagium non agnoviſſe concurſum ſimultaneum actualem Dei in operationes, & effectus creatos; ſed ſolùm cauſarum ſecundarum conſervationem. *Secundò*, quia Pelagius eum concurſum Dei negavit, quem Auguſtinus ſtatuit adversùs illum: Auguſt. autem *lib. de gratia, & lib. arb. cap.* 21. & *lib.* 4. contra Julianum *cap.* 3. & alibi ſæpè, ſtatuit concurſum actualem Dei ad bonos, & malos actus; qui

Dub. 1. an Pelagius aliquando tandem admiſerit concurſum Dei ſimultaneum.

Suarij opinatio, & motiva.

qui nequit eſſe alius, niſi concurſus generalis, & ſimultaneus: hunc ergo Pelagius non admiſit. *Tertiò* quia ad opus naturale temperantiæ non requiritur aliud Dei adjutorium, niſi concurſus ſimultaneus: ſed Auguſt. *epiſt.* 130. agens de Polemone, qui hortatu Xenocratis Philoſophi Ethnici temperatè vixit, aſſerit ad prædictum actum neceſſarium fuiſſe Dei adjutorium: ergo ſentit admittendum eſſe generalem, & ſimultaneum Dei concurſum: quem proinde veroſimilius eſt negatum fuiſſe à Pelagio. *Quartò* quia Pelagij aſſertio fuit: *Non eſt liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio*, ut conſtat ex *art.* 10. damnato in Concilio Palæſtino: hæc autem propoſitio eſt indefinita, & univerſalis: ergo Pelagius excluſit omne actuale Dei adjutorium, & ſubinde concurſum Dei ſimultaneum.

Pelagius in ſua hæreſis progreſſu non negavit neceſſitatem concurſus ſimultanei.

143. Sed nihilominus probabilius eſt Pelagium in ſuæ hæreſis progreſſu non negaſſe neceſſitatem concurſus ſimultanei Dei cum voluntate, & aliis cauſis creatis; ſed illum, ut purè ſimultaneus eſt, admiſiſſe. Ita ſentiunt Alvarez *diſp.* 1. *de auxiliis num.* 21. *& lib.* 1. *Reſp. cap.* 1. Zumel *in præfat. hujus controverſiæ*, Granados *ibidem cap.* 4. *num.* 17. Joann. à S. Thom. 1. *tractat. de Volunt. Dei*, *diſput.* 3. *art.* 3. Gonet *diſput.* 1. *de hæreſi Pelag. art.* 3. *concluſ.* 4. Vincentius Baronius *tom.* 3. *diſp.* 2. *ſect.* 2. §. 5. & alij. Et ſuadetur, tum ex celebri teſtimonio D. Auguſtini *in Enchirid. cap.* 32. ubi apertè ſupponit Pelagianos interpretari, propterea dictum eſſe ab Apoſtolo, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt: quia ex utroque fit, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordia Dei, tanquam diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei.* Ex quibus liquet Pelagianos non horruiſſe concedere concurſum ex utroque, nempè ex Deo miſerente, & homine volente: qui proculdubio eſt ſimultaneus. Unde Auguſtinus hoc concurſu à Pelagianis admiſſo minimè contentus, ſtatim majorem Dei influxum popoſcit, nempè adjuvantem, & promoventem arbitrium hominis: nam rejecta Pelagianorum expoſitione, ſubjunxit: *Reſtat, ut propterea dictum intelligatur, Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Tum etiam quia influxus Dei in actionem, & effectum, non verò in cauſam eſt propriiſſimè concurſus ſimultaneus Dei cum cauſa: hujuſmodi autem influxum admiſerunt Pelagiani, ut conſtat ex D. Auguſt. lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 19. ubi ait: *Dixiſti hominem in bono opere Dei gratia ſemper adjuvari, tanquam ſua voluntate, nulla Dei gratia bonum aggreſſus, in ipſo jam opere divinitus adjuvetur.*

Alvarez. Zumel. Granados. Joann. à S. Thom. Gonet. Vincent. Baronius. D. Auguſt.

Quem concurſum actualem Dei negarint Pelagiani.

Tum præterea quia Pelagiani illum concurſum negabant, per quem exiſtimabant, & cauſabantur tolli liberum hominis arbitrium, & impediri, ne homo regeret ſe ipſum, ut conſtat ex D. Hieronym. *epiſt. ad Cteſiphont.* & ex D. Auguſtin. *loco proximè citato cap.* 5. & alibi paſſim: hæc autem motiva nec apparentem locum habent in concurſu Dei ſimultaneo, ſiquidem non applicat, nec determinat voluntatem; ſed eſt indifferens, & determinatur ab illa. Tum denique quia Julianus, Pelagianus, palàm recognoſcit influxum actualem Dei in effectus cauſarum ſecundarum: nam *lib.* 2. *operis Imperfecti fol.* 236. ut citat Baronius ubi ſupra inquit: *Quatuor hic perſonarum cauſa vertitur, Dei opificis, duorum parentum, de quibus materia præſtatur operanti Deo, & parvuli, qui naſcitur.* Et idemmet apud Auguſt. *lib.* 2. contra Julianum *cap.* 1. invehitur in aſſertionem Catholicam de peccato originali: quia facit (ut ipſe arguit) vel Deum auctorem mali, vel, diabolum auctorem creaturæ: quæ conſecutio nec apparenter premeret; ſi ipſe ſentiret Deum non concurrere actu ad effectus cauſarum ſecundarum. Quam calumniam retundit Auguſtin. *lib.* 3. contra Julianum *cap.* 18. illis verbis: *Nec puto, quòd hominem Deus non fecerit, aut quòd diabolus fecerit.* Maneat igitur Pelagium, & aſſeclas in progreſſu ſui erroris non refugiſſe concedere concurſum Dei ſimultaneum.

Julianus Pelagianus.

D. Auguſt.

Fundamenta Suarij diruuntur.

144. Motiva verò à Suario expenſa non urgent. Et in primis minus rectè aſſeruit nullum hujus controverſiæ veſtigium extare apud Patres: nam licèt præcipuè agant de gratia propriiſſimè dicta, & non ita curent de generali Dei concurſu, quem Pelagius non multum abnuit concedere: nihilominus quando in ſui dogmatis ortu illum concurſum negavit, in hoc etiam à Patribus reprehenſus eſt, & præcipuè à D. Hieron. *in epiſt.* ad Cteſiphont. ubi Pelagium vocat *ſacrilegum, & ingratum*, quia negabat neceſſarium eſſe adjutorium Dei ad minima opera naturalia, cujuſmodi ſunt curvare digitum, temperare calamum, ambulare, &c. pro quibus tamen nec Suarius ipſe alium concurſum Dei expoſcit, quàm ſimultaneum. Eandem etiam quæſtionem refricat idem D. Hieronym. *lib.* 1. contra Pelagium circa principium, ubi Critobulo interroganti, an homo nequeat relatas operationes elicere abſque adjutorio Dei; Atticus, ſive Hieronym. reſpondet: *Juxta meum ſenſum non poſſe perſpicuum eſt.* Unde liquet Patres tetigiſſe punctum hujus difficultatis, eamque pœnitus non ſpreviſſe, ſed in ea potius reprehendiſſe aliquando Pelagium.

D. Hieron.

Diluitur primum.

Ad primum ergo motivum reſpondetur ex dictis Pelagium aliquo tempore negaſſe concurſum Dei ſimultaneum: & hoc ad ſummum evincunt illa teſtimonia D. Hieronymi & Oroſij. Sed demum illum conceſſit, ut conſtat ex dictis pro noſtra reſolutione. Addimus Pelagium non negaſſe concurſum generalem Dei, ut intelligitur purè ſimultaneè influere in operationes liberi arbitrij (nam ita acceptus, nec apparenter præjudicat libertati) ſed quatenus prævenit determinationem arbitrij, & illud applicat ad agendum. Hunc enim concurrendi modum ab Auguſtino, & Patribus aſſertum, neſcivit Pelagius cum libertate componere; cujus læſionem ipſe cauſabatur, ne veram Dei gratiam admitteret. Et ita ſunt interpretanda Pelagij verba: *Nec ultra ejus indigemus auxilio, ne, ſi indiguerimus, liberum frangatur arbitrium:* auxilium enim propriè dictum non ſignificat merum influxum in effectum, ſed operationem in cauſam, præbendo ipſi vires, aut vires ſuppoſitas præmovendo ad operandum, ut benè obſervavit Joan. à S. Thom. ubi ſupra n. 1.

Pelagius negavit ſemper cõcurſum Dei prædeterminativum voluntatis creatæ.

Secundum.

Ad *ſecundum* neganda eſt major: quia ſine fundamento dicitur Pelagium negaſſe omnem Dei concurſum, quem D. Auguſtin. aſſeruit: nec enim hoc eſt credibile, nec ad Pelagij patrocinium referebat. Sed addimus concurſum generalem Dei ab Auguſtino aſſertum non eſſe purè ſimultaneum; ſed prævium, & efficacitèr præoperantem ad entitatem materialem cujuſlibet actionis creatæ etiam peccaminoſæ: quem concurſum negavit Pelagius

 putans

Digitized by Google

putans eſſe libertati contrarium. Unde patet ad *tertium:* nam ad temperantiam naturalem requiritur ſecundùm Auguſtinum non ſolùm concurſus Dei ſimultaneus à Pelagio admiſſus, ſed etiam prævius, applicans, & præoperans, quem ſemper Pelagiani horruerunt. Et ita Auguſt. *lib.* 1. *contra duas epiſt. Pelag. cap.* 20. *& de gratia, & liber. arbitr. cap.* 24. agens de converſione regis Aſſueri ab ira in manſuetudinem (quem veroſimilius eſt fuiſſe actum virtutis acquiſitæ) dixit: *Occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate cor regis Deus convertit, & tranſtulit ab indignatione in lenitatem:* quæ nequeunt applicari concurſui purè ſimultaneo; ſed concurſui præparanti, & præmoventi ipſum cor. Ad *quartum* liquet etiam ex dictis: nam illa Pelagij aſſertio intelligitur de auxilio, quod verè eſt auxilium, & per quod Deus movet liberum arbitrium, & quod Pelagius cenſuit tollere, & amoliri libertatem: quæ nequeunt verificari de influxu merè cooperante in effectum.

Tertium.

Quartum.

Dub. 2. *An Pelagius conceſſerit gratiam habitualem ſanctificantem.*

145. Veniamus ad gratiam habitualem, quæ eſt qualitas mundans hominem à peccatis, illum ornans, & ſanctificans in ſe ipſo, & præſtans illi jus ad regnum cœlorum, ut ex profeſſo explicabimus infra *diſp.* 4. per totam, & *tract. ſeq. diſp.* 2. *dub.* 1. Hanc gratiam non fuiſſe admiſſam à Pelagianis docet Suarez *prolog.* 5. *cap.* 2. *n.* 5. *& lib.* 7. *de gratia cap.* 6. in principio, ubi pro eadem ſententia refert Stapletonium, & Vegam. Movetur *primò:* quia gratia habitualis, & dona infuſa conferuntur propter actus ſupernaturales, ſicut virtutes, & habitus naturales dantur propter naturales operationes: Pelagius autem non agnovit actus ſupernaturales; ſiquidem omnes virtutum actus aſſeruit fieri poſſe per vires proprias liberi arbitrij: ergo nec agnovit gratiam habitualem. *Secundò*, quia Pelagius ſentiebat Adamum nullum habuiſſe donum præter naturalia: ergo veriſimilius eſt, quod idem ſenſerit de Adæ filiis. *Tertiò*, quia Auguſtinus, cùm probè calleret totam Pelagianorum doctrinam; nihilominus *lib. de gratia Chriſti cap.* 30. affirmat ſe nunquam inveniſſe in ſcriptis Pelagij, & Cæleſtij gratiam, quæ nos juſtificat, & charitatem, quæ in cordibus noſtris diffunditur per Spiritum ſanctum: quod falſum eſſet, ſi Pelagiani concederent gratiam habitualem, & ſanctificantem. *Quartò*, nam Pelagius *in Concilio Milevit. can.* 3. damnatur, quia gratiam ad ſolam remiſſionem peccatorum valere dicebat: ergo ſignum eſt, quòd, licèt Pelagius admiſerit gratiam remiſſionis peccatorum per extrinſecam condonationem, aut per favorem Dei; ſemper tamen negaverit gratiam ſanctificantem interiorem.

Suarius, negat & quibus fundamentis.

Probabilius eſt prædictam gratiam admiſſam fuiſſe à Pelagio.

Ioan. à S. Th.
Gonet.
Vincent.
Baron.

D. Auguſt.

146. Sed his non obſtantibus, longè probabilius eſt, quòd Pelagius, & Pelagiani conceſſerint gratiam habitualem internam ſanctificantem hominem, & remittentem peccata. Ita ſentiunt Joann. à S. Thom. ubi ſupra *art.* 2. *num.* 10. Gonetus *concl. ultima.* Vincent. Baronius §. 6. & alij. Et quidem Pelagium admiſiſſe gratiam remiſſionis peccatorum conceditur à Suario, & evidenter conſtat ex relatione D. Aug. *epiſt.* 94. *&* 95. *& lib. de natura, & gratia cap.* 18. ubi ait: *Divinitus tamen eſſe expianda peccata commiſſa, & pro eis Dominum exorandum eſſe fatetur, propter veniam ſcilicet promerendam.* Et cap. 26. *Videt iſne*, inquit, *quomodo non dica neceſſariam miſericordiam Dei, ut non peccemus ſed quia peccavimus?* Et lib. de gratia, & lib arb. cap. 13. ait: *Dicunt Pelagiani gratiam Dei, quæ data eſt per Ieſum Chriſtum, quæ neque lex eſt, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur.* Et ipſe Pelagius *in epiſt. ad Demetriadem cap.* 8. aſſerit nos expiari ſanguine Chriſti, & mundari, ut ſtatim videbimus. Quod donum eſſe ſupernaturale, ſive excedens facultatem naturæ palàm admittebant Pelagiani, ut conſtat ex D. Auguſt. lib. 2. de peccato orig. cap. 5. ubi ex libello à Cæleſtio Romam miſſo, refert hæc verba: *Infantes debere baptizari in remiſſionem peccatorum ſecundum Evangelium confitemur: quia Dominus ſtatuit regnum cœlorum non niſi baptizatis poſſe conferri: quod quia vires naturæ non habent conferre neceſſe eſt per gratiæ libertatem.* Et cap. 18. cit. ex lib. de natura, & gratia poſtquam dixit Pelagium confiteri gratiam remiſſionis peccatorum, ſubjunxit rationem ab illo traditam: *Quia id*, inquit, *quod factum eſt, infectum facere, multum ab iſto laudata potentia naturæ, & voluntas hominis, etiam ipſo fatente non poteſt: quare iſta neceſſitate reſtat, ut oret ignoſci.* Quibus verbis explicabant Pelagiani exceſſum beneficij remiſſionis peccatorum ſupra naturam.

Pelagiani non negabant gratiam remiſſionis peccatorum.

147. Quòd autem ſenſerint dari gratiam internam, mundantem hominem, illum exornantem, & ſanctificantem; probatur etiam eorum verbis: nam Pelagius in epiſt. ad Demetriadem cap. 8. inquit: *Nos, qui inſtructi per Chriſti gratiam, & in meliorem hominem renati ſumus, qui ſanguine ejus expiati, atque emundati, illiuſque exemplo ad perfectam juſtitiam incitati, meliores illis eſſe debemus, qui ante legem fuerunt, meliores etiam, quàm fuerint ſub lege.* Quibus verbis breviter complectitur effectus gratiæ habitualis, nempè hominem renaſci, expiari, mundari, & meliorari. Et cap. 24. ejuſdem epiſt. cùm præmiſiſſet, quòd virgines ſæculi ſe nuptiis præparant, adjicit: *Non minorem ſponſus tuus requirit ornatum, qui cùm univerſam Eccleſiam ſalutaris aqua lavacro purificatam ſine macula, rugaque reddiderit, quotidie cupit eam fieri pulchriorem.* Ubi apertè ſupponit dari Eccleſiæ gratiam, qua purificetur, & qua pulchra fieri valeat, & pulchrior. Quæ utique eſt gratia ſanctificans, quam Catholici confitemur.

Conferebant gratiam ſanctificantem.

148. Poteſtque hoc amplius ex eo roborari, quòd Pelagiani non confitebantur peccatum originale: & nihilominus ſacramentum Baptiſmi utiliter adhiberi parvulis propter alios effectus, qui revera ſunt effectus gratiæ habitualis, internæ, & ſanctificantis: quod liquidò evincit ipſos non negaſſe prædictam gratiam. Unde D. Auguſt. lib. 1. contra Julianum cap. 6. refert hæc ejus verba: *Vides, quot ſunt Baptiſmatis largitates? Et nonnulli deputant cæleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de cauſa etiam infantes baptizamus, cùm non ſint inquinati peccato, ut eis detur, vel addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint.* Qui omnes effectus habituales ſunt, & interni. Et lib. 1. Operis imperfecti inquit idem Julianus: *Nos autem in tantam gratiam Baptiſmatis omnibus utilem ætatibus confitemur, ut cunctos, qui illam non neceſſariam etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate. Sed hanc gratiam locupletem ſpiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus, ac reverenda virtutibus, pro infirmitatum generibus,*

Confirmatio noſtræ reſolutionis.

D. Auguſt.

Digitized by Google

generibus, & humanorum ſtatuum diverſitatibus, una tam remediorum collatione, quam munerum virtute medicatur. Alia plura teſtimonia ex Pelagio, & Pelagianis refert Vincentius Batonius *ubi ſupra*, quæ ut prolixitatem vitemus, omittimus: allata enim ſatis demonſtrant Pelagianos non ſolùm conceſſiſſe condonationem extrinſecam peccatorum, ſed renovationem etiam internam per gratiam ſanctificantem hominem, eumque à peccatis mundantem, ſimúlque aptantem ad regnum cœlorum.

Convelluntur Suarij motiva. Primum.

149. Quod evidentiùs conſtabit occurrendo motivis Suarij, quæ parum premunt. Ad *primum* negamus conſequentiam: quia licèt Pelagiani non admiſerint gratiam habitualem, ut actus ſupernaturales eliceret; potuerunt illam condere ob alios effectus, cujuſmodi ſunt peccatorum remiſſio, ſanctificatio, pulchritudo animæ, & alij, quos ipſi Pelagiani recenſent, ut vidimus *num. præced.* Ad *ſecundum* neganda eſt etiam conſequentia: nam etſi Pelagiani dicerent parvulos naſci ſine peccato, & quantum ad hoc eſſe æquales Adæ in ſtatu innocentiæ: nihilominùs dicebant modò concedi hominibus abundantiora bona per Chriſtum, inter quæ computabant gratiam ſanctificantem, ut ſatis expreſſit Pelagius *in epiſt. ad Demetriadem*, cujus verba dedimus num. præced. & Julianus tum locis citatis, tum apud Auguſt. *lib. 3.* contra eundem *cap. 3.* ubi ait: *Chriſtus auget circa imaginem ſuam continua largitate beneficia; & quos fecerat condendo bonos, facit innovando, & adoptando meliores.* Ad *tertium* dicendum eſt Auguſtinum in eo loco addidiſſe, *Quemadmodum confitenda* eſt: qui licèt Pelagiani admittebant gratiam habitualem internam; negabant tamen, quòd remitteret peccatum originale, & quod concurreret ad ſupernaturales operationes. In quo errabant, & à Catholicis diſſentiebant. Sed entitatem ejuſdem gratiæ, alioſque ipſius effectus minimè abnuebant concedere, ut patet ex proximè dictis. Ad *ultimum* reſpondet Gonet ubi ſupra Suarium in eo maximè allucinari, non intelligendo mentem Concilij Milevitani. Concilium enim illud, & Patres non agunt cum Pelagio de gratia habituali; ſed de neceſſitate gratiæ actualis, ſive auxiliantis. Quod prius obſervaverant Vaſquez 1.2. *diſp.* 196. *cap. 3. num.* 13. & Joann. Gonzalez 1. *part. diſp.* 68. *num.* 3. Nam cùm Auguſt. & alij Catholici aſſererent neceſſarium eſſe divinum auxilium ad vitanda peccata, & ſuperandas tentationes; idque confirmarent verbis orationis Dominicæ, *Et ne nos inducas in tentationem*: Pelagiani è contrario affirmabant gratiam Dei ſolùm deſervire, ut peccata commiſſa dimittantur, non ut vitentur. Quod damnat Concilium in illo canone, ut ſatis conſtat ex ejus verbis: *Placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua juſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt; non etiam ad adjutorium, quo non committantur, anathema ſit.* Videatur D. Auguſt. *epiſt.* 95. ex quo amplius innoteſcet & Pelagij error, & legitimus ſenſus Cocilij.

Secundum. Tertium. Ultimum. Concil. Milevitan.

Dubium incidens reſolvitur.

150. Si autem inquiras, utrùm Pelagius conceſſerit gratiam hanc remiſſionis peccatorum eſſe gratiam, donum, & beneficium diſtinctum à fide, contritione, & aliis hominis actibus? Reſpondetur affirmativè cum Joann. à S. Thom. *ubi ſuprà*, & Granados *cap. 4. à num.* 20. Quoniam, ut ſuprà *num.* 145. ex ipſo Pelagio vidimus, fatebatur prædictam gratiam excedere vires naturæ, & pro ea Deum exorandum eſſe: quod minimè concederet, ſi exiſtimaret hujuſmodi gratiam ab illis actibus non differre; cùm ipſe palam aſſereret ad eos ſufficere vires naturæ. Dicebat tamen prædictam gratiam cadere ſub aliquo merito fidei, & aliarum noſtrarum operationum: in quo non erravit, nec à D. Auguſt. reprehenſus eſt, ſed magis permiſſus, ut conſtat ex ipſo Auguſt. epiſtol. 106. ubi ait: *Si quis autem dixerit, quòd gratiam bene operandi fides meretur, negare non poſſumus, imò verò gratiſſimè ſuſcipimus: hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent Charitatem* (eadem eſt ratio in gratia habituali, & remittente peccata) *iſti fratres, qui multùm de ſuis operibus gloriantur.* Erravit autem Pelagius in eo, quod docuit ad fidem, contritionem, & alios actus, quibus ad illam gratiam vel merendam, vel impetrandam diſponimur, non requiri gratiam Dei, ſed ad eos ſufficere vires naturales arbitrij, ut conſtat ex art. 12. damnato in Concilio Palæſt. qui erat hujuſmodi: *Pœnitentibus venia non datur ſecundum gratiam, & miſericordiam Dei; ſed ſecundùm merita, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.*

Joann. à S. Thom. Granados. D. Auguſt. Concil. Palæſt.

151. Sed tranſeamus jam ad gratiam actualem interiorem, & ad auxilium ſanctæ cogitationis: quæ duo mutuò ſe complectuntur, & unum nequit in hac controverſia ſeparari facilè ab alio. Eſt autem obſervandum duas in homine reperiri potentias internas, intellectum ſcilicèt, & voluntatem; & ſubinde duas poſſe gratias interiores diſtingui: aliam ex parte intellectus, quæ ipſum illuminet, aliam ex parte voluntatis, quæ illam afficiat, & tangat. Qui voluntatis contactus etiam eſt duplex: alter moralis, qui fit per præſentiam objectivam boni allicientis, & trahentis ad ſe voluntatem: alius verò phyſicus, & propriè dictus, qui fit per realem voluntatis immutationem, & communicationem virtutis, & ſubminiſtrationem ſpiritus, ut paſſim loquitur D. Auguſt. Hoc ſuppoſito, Suarez *prolog. 5. cap. 3.* autumat Pelagium nunquam conceſſiſſe gratiam actualem interiorem, quæ excitans, aut inſpirans dici poſſit. Vaſquez etiam, cùm ſentiat omnem gratiam actualem interiorem conſiſtere in auxilio ſanctæ cogitationis; conſequenter obligatur negare, quòd Pelagius admiſerit prædictam gratiam. Quam doctrinam latè tradit tom. 1. in 1. part. diſp. 88. cap. 6. cum ſeq. & cap. 7. affirmat: *Aliam applicationem voluntatis noſtræ ad conſentiendum, quæ ſoli Deo tribuitur, & ratione cujus dicatur opus ſalutis noſtræ eſſe ſolius Dei miſerentis, non cognovit Auguſtinus præter vocationem, quæ eſt ſola cognitio.* Et idem re ipſa tuetur Suarez *lib. 3. de Auxiliis cap. 5. & 10. & 11. & 14.* & in brevi reſolutione de gratia efficaci *num.* 48. & 51. quibus locis non aliam voluntatis motionem agnoſcit, niſi moralem, & conſiſtentem in vocatione. In loco autem cit. ex Prolog. magis obſcurè, & lubricè procedit, nec ſatis ſe explicat. Præcipua horum Auctorum motiva infra ſubjiciemus.

Dub. 3. an Pelagius aliquando admiſerit gratiã actualem interiorem.

Opinio Suarij & Vaſquez.

152. Cæterùm omninò tenendum eſt Pelagium, poſt varias cum Auguſt. & aliis Catholicis controverſias, admiſiſſe gratiam actualem interiorem, conſiſtentem in ſancta cogitatione, qua moraliter voluntas excitatur, & applicatur ad bonum: per hoc tamen à commendatione legis non receſſiſſe, nec confeſſum fuiſſe veram gratiam,

Probabilius eſt Pelagium non negaſſe gratiam actualem interiorem conſiſtentem in cogitatione congrua.

Digitized by Google

gratiam, qualem Auguſt. docuit. Ita ſentiunt Joann. Gonz. diſp. 68. *concl.* 1. & 2. Joann. à S. Thom. *ubi ſupra à num.* 22. Gonet *art.* 3. *concl.* 1. & 2. Vincent. Baronius *ſect.* 2. §. 5. Granados *num.* 22. & alij plures. Imò Ripalda tom. 2. diſput. 115. ſect. 2. affirmat *Pelagium admiſiſſe, quidquid P. Vaſquez, & illius aſſeclæ per gratiam internam entitate naturalem intelligunt.* Et cùm reſolutio noſtra habeat diverſas partes, ſingillatim probanda eſt. Quòd ergo Pelagius admiſerit gratiam actualem interiorem ſitam in ſanctis cogitationibus, & illuminationibus intellectus liquet ex ejus verbis apud D. Auguſt. lib. de gratia Chriſti cap. 7. *Adjuvat*, inquit, nos *Deus per revelationem, & doctrinam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum futura demonſtrat, dum Diabolis pandit inſidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Hanc autem gratiam eſſe intrinſecam, & diſtinctam ab auxilio extrinſeco legis liquet tum ex ipſis Pelagij verbis. Tum ex iis, quæ immediatè ſubjunxit: *Quam gratiam, non ut tu putas, in lege tantummodo, ſed in Dei adjutorio eſſe confitemur.* Tum ex Auguſt. in eodem lib. cap. 41. ubi de Pelagio loquens inquit: *Ipſum verò auxilium, quo poſſibilitatem noſtram perhibet adjuvari, in lege conſtituit, atque doctrina, quam etiam fatetur ſancto Spiritu revelari, propter quod & adorandum eſſe contendit.* Revelatio enim doctrinæ, propter quam Spiritui ſancto debetur adoratio, non eſt purè externa; cùm hæc fieri queat ab homine, & Angelo, ſed debet eſſe interior, & immutans immediatè intellectum. Unde Auguſt. cum Pelagianis diſputans parum curat de hac gratia internæ illuminationis, & cognitionis, quam ab eis admitti ſupponit; & ulteriùs auxilium expoſcit tangens voluntatem. *Legant ergo, & intelligant* (inquit lib. cit. c. 24.) *intueantur, atque fateantur non lege, atque doctrina inſonante forinſecus; ſed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus homin[illegible]n ſolùm veras revelationes* (quod vos, Pelag[illegible]i, conceditis) *ſed etiam bonas voluntates.* Et in eodem ſenſu loquuntur Patres Concilij Milevitani *can.* 4. ſupponentes enim donum ſanctæ cogitationis, & gratiam internę illuminationis admitti à Pelagianis, addiderunt: *Cùm dicat Apoſtolus.* 1. *ad Corinthios* 8. *Scientia inflat, charitas verò ædificat: valde impium eſt, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Chriſti: ad eam verò, quæ ædificat, non habere: cùm ſit utrumque donum Dei, & ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus: ut ædificante charitate, ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem de eo ſcriptum eſt* Pſal. 63. *Qui docet hominem ſcientiam: ita etiam ſcriptum eſt* Joann. 4. *Charitas ex Deo eſt.*

Joann. à S. Thom. Gonzalez. Gonet. Vincent. Baronius. Granados. Ripalda. — Pelagius. — D. Auguſt. — PP. Concil. Milevit.

Reſponſio Suarij.

153. Nec refert, ſi ex Suario *prolog. citat. num.* 16. & 17. reſpondeas Pelagium ſolùm admiſiſſe revelationem internam, ut ſe tenentem ex parte objecti; non verò ut convenienti modo, & cum affectione voluntatis acceptandam: atque ideò non conceſſiſſe veram gratiam ſanctæ cogitationis: hæc quippè non conſiſtit, niſi in revelatione poſteriori modo conſiderata.

Rejicitur.

Hoc, inquam, non refert, & ſatis obſcuram reſponſionem involvit, quæ in verbis tantum videtur conſiſtere. Nam ut per ly *convenienti modo* ſignificat Suarius revelationem efficaciter moventem, & quæ ita ſuadeat, ut etiam perſuadeat infallibiliter? Et in hoc ſenſu certum eſt gratiam talis revelationis non fuiſſe à Pelagio conceſſam: ſolùm quippè admiſit gratiam adjuvantem, ut poſſimus; & ſemper negavit gratiam facientem, ut velimus, & agamus, ut infra videbimus. Vel per ly *convenienti modo* ſignificat revelationem internam apprehendentem perfectè bonum, & illud proponentem voluntati, eamque invitantem ad conſenſum? Et in hoc ſenſu voluntariè, & abſque fundamento negat Suarius Pelagium admiſiſſe prædictam gratiam; oppoſitum enim ſatis liquet ex teſtimoniis ſupra relatis, & inſuper ex Auguſt. *lib. ſæpius citato cap.* 26. ubi apertè ſupponit revelationem admiſſam à Pelagio eſſe gratiam, & donum Dei; ſed aliquid ulteriùs ab eo concedendum curat: *Cogitationem*, inquit, *& dilectionem, ſicut ſunt diſcernenda, iſte diſcernat: quia ſcientia inflat, charitas ædificat: & tunc ſcientia non inflat, quando charitas non ædificat. Et cùm ſit utrumque donum Dei* (ecce admittit revelationes à Pelagio admiſſas eſſe gratiam) *ſed unum minus, & alterum majus; non iſte juſtitiam noſtram ſupra juſtitiam noſtri juſtificatoris extollat; ut quod minus eſt, divino tribuat adjutorio; quod autem majus eſt, humano uſurpet arbitrio.* Sed Suarij reſponſio ampliùs confutatur ex his, quæ jam ſubjicimus.

D. Auguſt.

154. Quòd autem Pelagius conceſſerit gratiam ſanctæ cogitationis moraliter excitantis, tangentis, & moventis voluntatem (quæ eſt ſecunda noſtræ reſolutionis pars, & evertit reſponſionem à Suario datam) oſtenditur ex verbis ipſius Pelagij apud Auguſt. *lib. cit. cap.* 10. nam exponens verba illa Apoſt. *Deus operatur in nobis velle*, dicebat: *Operatur in nobis velle, quod bonum eſt, velle, quod ſanctum eſt; dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodò præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum ſollicitatione ſuccendit; dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem; dum nobis* (*quod tamen alibi*, inquit Auguſt. *negare non metuit*) *ſuadet omne, quod bonum eſt.* Cogitatio autem ſuccendens voluntatem ad virtutem, ſuſcitans voluntatem in Dei deſiderium, ſuadens ipſi omne, quod bonum; nequit non eſſe motio moraliter tangens, & movens voluntatem, ut ex ipſis terminis liquet. Nec Vaſquez, & Suarius energiam, & cauſalitatem illius cogitationis, quam ſanctam vocant, & gratiam eſſe fatentur, poſſent (ſi aliam motionem excludunt) aliter exponere, & pluribus laudibus efferre, quam fecit Pelagius in verbis ſupra relatis. Signum ergo eſt, quòd Pelagius tandem admiſerit auxilium ſanctæ cogitationis excitantis, & moventis moraliter voluntatem; licèt illud in principio ſuæ hæreſis negavit, ut ſignificat Auguſt. illis verbis: *Quod tamen alibi negare non metuit.* Idem etiam colligitur ex verbis ejuſdem Pelagij apud Aug. lib. cit. cap. 7. *Adjuvat nos Deus per doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit; dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat. Quam nos,* (immediatè præmiſerat) *non, ut tu putas, in lege tantummodo, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur.* Cogitatio autem, quæ aperiendo oculos, & demonſtrando futura, voluntatem noſtram adjuvat, nequit aliter adjuvare voluntatem, niſi illam moraliter tangendo, & excitando per motionem metaphoricam ex parte objecti, & ipſius

Pelagius conceſſit gratiam actualem interiorem moventem moraliter voluntatem.

D. Auguſt.

cogita

cogitationis ſuadentis. Vel explicent Adverſarij, quam aliam cauſalitatem habeat cogitatio ſancta in ſuo genere, & præſcindendo à motione, & applicatione phyſicâ voluntatis. Pelagius ergo convictus tandem ſcriptis, & diſputationibus Auguſtini conceſſit gratiam aliquam excitantem voluntatem, & eam moraliter moventem. Quod ex Jeſuitis palàm fatetur Petavius *in lib. de hæreſi Pelagiana cap. 9.* cujus verba infra referemus.

Quorundam juniorum objectio.

155. Sed objiciunt quidam Juniores: Pelagius negavit veram gratiam ab Auguſtino, & Catholicis aſſertam: ſed cogitatio ſancta excitans, & movens moraliter voluntatem eſt vera gratia, eamque Auguſt. & Catholici admittebant: ergo incredibile eſt, quòd Pelagius eam admiſerit.

Diſſolvitur.

Hoc ſophiſma ab Adverſariis ipſis eſt diluendum, ſi applicetur prædicationi Evangelij, quæ vera gratia eſt; & tamen fuit admiſſa à Pelagio. Reſpondetur ergo diſtinguendo majorem: & ſi intelligatur de vera gratia, adæquatè ſumpta, qualem Auguſtinus prædicabat, quæ non ſolùm ſuaſione alliciat, ſed virtute moveat voluntatem intra illam operando; concedenda eſt: negari verò debet, ſi procedat de qualibet gratia inadæquatè accepta, & perficiente intrinſecè ſolum intellectum. Et diſtinguendo minorem eodem modo, negamus abſolutè conſequentiam: quia licèt donum ſanctæ cogitationis ſit verè gratia; nihilominus non eſt tota adæquatè gratia, quam Auguſtinus, & Catholici docebant: ſed præter illam exigebant auxilium ſubminiſtrationis ſpiritus in voluntate, per quod hujus infirmitas, & defectibilitas roboraretur, & infallibiliter conjungeretur cum opere bono. Et quia Pelagius primum illud admittens, hoc poſterius negabat; non ſatisfecit intentioni Auguſtini, & Catholicorum, meritoque ab illis reprehenſus eſt, ut jam dicemus.

Pelagius concedendo gratiam cogitationis moventis moraliter voluntatem à ſuo dogmate non receſſit.

156. Quod denique Pelagius confitendo gratiam ſanctæ cogitationis excitantis, & moventis moraliter voluntatem, non receſſerit à commendatione legis, & doctrinæ, nec conceſſerit veram, & adæquatam gratiam, qualem D. Auguſtinus docuit (quæ eſt extrema noſtræ reſolutionis pars) facilè oſtenditur ex ipſo Auguſt. lib. toties citat. cap. 10. ubi poſtquam retulit Pelagij verba, *Operatur in nobis velle* &c. quæ ſupra dedimus, ſtatim adjecit:

Probatur 1. ex D. Auguſt.

Quid manifeſtius nihil eum dicere gratiam, qua Deus operatur in nobis velle, quod bonum eſt, quam legem, atque doctrinam? Et poſt paucà: *Iſtam*, inquit, *aliquando fateatur gratiam, qua futuræ gloriæ magnitudo, non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur, & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur: nec ſuadetur ſolùm omne, quod bonum eſt; verùm, & perſuadetur.* Et cap. 12. ait: *Hæc gratia, ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut alterius, & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere non ſolùm per eos, qui plantant, & rigant extrinſecus; ſed etiam per ſe ipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus: ita ut non oſtendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem.* Et cap. 14. inquit: *Quis autem non videat, & venire quemquam: & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit; non autem poteſt niſi adjutum eſſe, ſi venit. Et ſic adjutum, ut non ſolùm quid faciendum ſit, ſciat; ſed quod ſcierit, etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet non per legis litteram, ſed per ſpiritus gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat agendoque perficiat. Et iſto divino docendi modo etiam ipſa voluntas, & ipſa operatio; non ſola volendi, & operandi naturalis poſſibilitas adjuvatur.* Et cap. 24. ait: *Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur non lege, atque doctrina inſonante forinſecus; ſed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolùm veras revelationes* (in qua gratia concedenda conveniebant Pelagiani cum Auguſtino) *ſed etiam bonas voluntates.* Ex quibus liquet Pelagium per hoc, quòd admiſerit gratiam ſanctæ cogitationis excitantis, & moventis moraliter voluntatem, minimè receſſiſſe à commendatione legis, & doctrinæ; nec tandem perveniſſe ad confeſſionem illius gratiæ, quæ fit per ſubminiſtrationem ſpiritus, & virtutis corroborantis voluntatem in ſe ipſa, eamque propriè moventis ad bonum: quam ut confiteretur Pelagius, ſatagebant D. Auguſtinus, & alij Doctores Catholici.

157. Ratio autem ex ſacris litteris deducta, cui innitebatur Auguſtinus, eſt: quoniam illuminare, docere, oſtendere bonum, allicere, & movere metaphoricè voluntatem ad illud proſequendum, ſunt muneta propria legis, & doctrinæ: dare autem vires, confortare debilitatem arbitrij, ejuſque volubilitatem, & indifferentiam reducere determinatè, & infallibiliter ad proſecutionem, excedit vim legis, atque doctrinæ; & pertinet ad aliquam ſubminiſtrationem ſpiritus, virtutis, & determinationis intra ipſam voluntatem, quibus voluntas propriè, & non tantùm metaphoricè movetur. Auxilium autem ſanctæ cogitationis, præciſum à nova, & diverſa gratia ſubminiſtrationis ſpiritus, & virtutis, ſolùm habet illuminare, docere, oſtendere bonum, ad illud allicere, & metaphoricè movere. Ergo per hoc, quod Pelagius, & aſſeclæ conceſſerunt auxilium ſanctæ cogitationis præſtantis munera proximè relata; à commendatione legis, & doctrinæ minimè receſſerunt, nec pervenerunt ad confeſſionem catholicam gratiæ adæquatè ſumptæ, & propriè dictæ, qualem debebat admittere, ne ab Auguſtino rejiceretur. Hæc quippè Auguſtiniana gratia tantam ſecum trahit vim ad movendum voluntatem, ut per eam dicat *duritiam cordis primitus auferri* lib. de prædeſt. Sanct. cap. 8. *& reluctanti voluntati ſtudium virtutis immitti* lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 5. & lib. 4. cap. 6.

Probatur 2. ratione.

158. In quo ſenſu loquitur D. Proſper *carmine de Ingratis cap.* 14. ubi poſt relatos miros effectus divinæ gratiæ in hominum converſione inquit:

Qualem gratiam prædicabant ſacri Doctores contra Pelagium.

Non hac conſilio tantùm, hortatuque benigno
Suaderis, atque docens, quaſi normam legis haberet
Gratia: ſed mutans intus mentem, atque reformans,
Vaſque novum ex fracto fingens virtute creandi.
Non iſtud monitus legis, non verba prophetæ,
Non præſtata ſibi præſtat natura; ſed unus
Quod fecit, reficit.

In eòdem etiam ſenſu loquuntur alij Patres, cùm referunt, quòd Pelagius docuerit hominem ſola notitia legis adjutum poſſe ſanctè vivere, & vitam æternam promereri; non enim negant Pelagium tandem admiſiſſe gratiam ſanctæ cogitationis: ſed omnes illas ſuaſiones, & motiones metapho-

Digitized by Google

metaphoricas reponunt cum D. Auguſt. inter officia legis, & doctrinæ: à quibus proinde dicunt Pelagium non receſſiſſe. Quæ omnia latiùs conſtabunt in hujus Tract. progreſſu, & præcipuè *diſp.5. dub.1. & diſp.7. dub.2.* Nunc ſufficiat audire Petavium in lib. de hæreſi Pelag. c.9. ubi ſcribit: *Adhibuiſſe Pelagium gratiam aliquam, qua voluntas excitatur, oſtendunt ipſius verba, quæ citat Auguſt. 1. de gratia Chriſti cap. 10. ubi ait revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem excitari voluntatem. Sed hanc gratiam in ſola intelligentia, & cognitione ponebat: alteram autem, quam præcipuè quærebat Auguſtinus, qua voluntas proximè, ac per ſe movetur, neceſſitatem dicebat libertatis inimicam, ut Iulianus ait apud Auguſt. lib. 1. cap. 95. operis imperfecti.*

Petavius.

Fundamenta adverſæ opinionis.

159. Ex quibus omnibus facilè eliduntur motiva Auctorum contrariæ opinionis. Objiciunt *primò*: quia D. Auguſt. *lib. de prædeſt. Sanct.* refert Maſſilienſes admiſiſſe gratiam excitantem, quam Pelagius noluerat concedere: hic ergo nullam gratiam excitantem admiſit. *Secundo*: quia idem Auguſt. *lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. cap.* 19. refert ipſum non dixiſſe hominem Dei gratia in bonum opus excitari, ſicut dicebat in malum Diaboli ſuggeſtionibus incitari: ergo non admiſit Pelagius ullam gratiam excitantem voluntatem ad bonum. *Tertio*, quia ipſe D. Auguſt. conſtituit gratiam excitantem in vocatione congrua, ſive in cogitatione pia movente, & alliciente voluntatem ad bonum: ergo credibile non eſt, quòd Pelagius talem gratiam admiſerit: alioquin injuſtè ab Auguſt. & aliis reprehendetur. Antecedens ſuadetur: quia D. Auguſt. lib. de ſpiritu, & litt. cap. 24. ait: *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate ſua, quid ei veniat in mentem: ſed diſſentire, vel aſſentire propriæ voluntatis eſt.* Ubi totam gratiam excitantem reducit ad ſuaſionem, & ea poſita dicit ſequi immediatè voluntatis diſſenſum, vel aſſenſum. Et lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 19. aſſerit: *Ideo Deum aliquando non tribuere ſanctis ſuis vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſe ipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminantur tenebræ eorum.* Quibus verbis ſignificare videtur totam vim gratiæ ad movendum voluntatem conſiſtere in notitia objecti facientis delectationem. Idem apertiùs adhuc ſignificat lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ubi tractans, quare non omnes vocati ſequantur vocationem, inquit: *An fortè, qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum ſit: Multi vocati, pauci verò electi, ut quamvis omnes uno modo vocati ſint, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei. Et illud non minùs verum ſit: Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſequuntur vocationem.* Ubi nullam expoſcit mutationem, vel ſubminiſtrationem ſpiritus, per quam immediatè, & propriè moveatur voluntas: ſed vim excitandi voluntatem reducit ad vocationem ſe tenentem ex parte intellectus, connotando diſpoſitionem voluntatis, ut ſequatur.

D. Auguſt.

Solvitur primum.

160. Ad *primum* reſpondetur Maſſilienſes admiſiſſe gratiam excitantem, & prævenientem ab Auguſt. & Eccleſia aſſertam, quæ voluntati aliquid immediatè imprimeret: quod nunquam Pelagius conceſſit: & in hoc conſtituit Auguſtinus diſcrimen inter utroſque. Errarunt tamen Maſſilienſes dicendo prædictam gratiam inniti merito fidei, & orationis, quas non opera, ſed initia bonorum operum appellabant, & quas dicebant ex ſolo arbitrio ortum ducere, ut *cap. ſeq.* videbimus. Ad *ſecundum* dicendum eſt aſſertionem in eo contentam non eſſe Pelagij ſaltem poſt varias concertationes cum D. Auguſt. & aliis Catholicis; ſed eſſe Juliani, & aliquorum Pelagianorum, quorum epiſtolis Romam, & Theſſalonicam miſſis reſpondet Auguſtinus: qui fortè in hac parte à ſuo præceptore recedebant. Sed addendum ipſos non negaſſe voluntatem excitari à Deo, ſicut incitatur à Diabolo in malum: hoc quippè excitationis, vel incitationis modum facilè admittebant, qui tantùm in ſuaſionibus conſiſteret. Negabant autem excitationem ab Auguſtino aſſertam, quæ fieret ſubminiſtrando voluntati ſpiritum, & efficaciam, & quæ faceret voluntatem operari, ut ſatis indicant verba Auguſtini: *Vos*, inquit, *in bono opere ſic putatis hominem adjuvari gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipſum bonum opus voluntate nihil eam credatis operari.* Et in hoc reprehenduntur, quòd cùm Diabolo concederent vim incitandi ad malum per modum ipſi proprium, videlicet per ſuggeſtionem, Deo non concederent vim excitandi ad bonum per modum Deo convenientem, nimirum per cauſalitatem, & efficacitatem veram, conferendo ſpiritum, & motionem internam voluntati.

Diſcrimen inter Pelagium & Maſſilienſes.

Diluitur ſecundum.

D. Auguſt.

Reſpondetur ad 3.

Ad *tertium* negatur antecedens intellectum de gratia excitante adæquatè ſumpta. Ad probationem autem in contrarium ex adverſis teſtimoniis D. Auguſt. deſumptam reſpondemus ſolùm evincere, quòd gratia excitans complectatur illuſtrationem intellectus, ſive donum ſanctæ cogitationis; minimè verò, quòd adæquatè in illis conſiſtat. Sicut enim in homine eſt duplex potentia interior, intellectus videlicet, & voluntas: ita duplex gratia excitans, ſeu præveniens in illis conſtituenda eſt. Altera, quæ intellectum illuminet circa bonum, & voluntatem moraliter, & metaphoricè moveat invitando, & ſuadendo ad boni proſecutionem: & hæc eſt gratia ſanctæ cogitationis, quam Pelagius cum Catholicis tandem admiſit. Alia verò, quæ voluntatem confortet in ſe ipſa; & non ſolùm moraliter, ſed phyſicè etiam moveat, conjungendo infallibiliter eam cum amore boni propoſiti: & hæc eſt gratia ſubminiſtrationis ſpiritus, & virtutis, quam Auguſtinus docuit, & Pelagius nunquam conceſſit. Quando ergo S. Doctor explicat gratiam excitantem perſuaſiones, & illuminationes, & vocationes; ſolùm loquitur de gratia excitante, ut ſe tenet ex parte intellectus. Cùm autem dicit conſentire, & diſſentire eſſe propriè voluntatis, vel efficaciam gratiæ videtur reducere ad variam attemperationem arbitrij; minimè excludit gratiam ſubminiſtrationis ſpiritus, & virtutis, quam alibi paſſim docet: licèt non ubique (ne prolixitate faſtidium generet) repetat.

D. Aug. præter gratiam moventem moraliter ex parte intellectus, aſſeruit aliam, quæ phyſicè impelleret voluntatem.

161. Quæ doctrina ſatis conſtat tum ex hactenus dictis: tum ex aliis D. Auguſt. teſtimoniis, in quibus ſuam mentem apertè declarat. Nam cap. 3. de Spiritu, & littera inquit: *Nos dicimus humanam voluntatem ſic divinitùs adjuvari ad faciendam juſtitiam, ut præter quòd creatus eſt homo cum libero arbitrio voluntatis*

præterquè

præterque doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum ſanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque ſummi illius, & incommutabilis boni. Nam nec liberum arbitrium quidquam, niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via. Et cùm id, quod agendum, & quo nitendum eſt, cœperit non latere; niſi etiam delectet, & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in nobis, non per liberum arbitrium, quod ſurgit in nobis, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Quibus verbis palam profitetur auxilium Dei vocantis, & excitantis voluntatem non conſiſtere in ſola manifeſtatione boni, aut in ſola ſuaſione, & tractione morali ex parte intellectus; ſed magis ultimatè in charitate, quam Spiritus ſanctus in voluntate diffundit, ut bonum cognitum delectet, & diligatur. Quod evidentiùs adhuc docet libro de gratia Chriſti, capite decimo-quarto, ubi ait: *Quis non videat & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit: non autem poteſt eſſe niſi adjutum, ſi venit: & ſic adjutum, ut non ſolùm quid faciendum ſit, ſciat, ſed quod ſcierit, etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet non per legis litteram, ſed per ſpiritus gratiam; ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Ubi apertè declarat, quòd licèt homo à Deo vocatus veniat per liberum arbitrium; nihilominus non venit per arbitrium ſolum, ſed per ipſum adjutum ſpiritus gratia, quæ non tantùm doceat, quid faciendum ſit (quod pertinet ad gratiam ſanctæ cogitationis) ſed etiam faciat voluntatem facere, quod ſpectat ad gratiam ſubminiſtrationis ſpiritus, & virtutis. Quæ omnia latiùs trademus *infrà diſputatione quinta, dubio ſecundo, & diſputatione ſeptima, dubio ſecundo & quarto*, hic enim ſummatim tantùm proponimus ſententias Pelagij, & mentem D. Auguſtini.

Dub. 4. An Pelagius admiſerit auxilium ſufficiẽs, ſeu præſtans poſſe.

162. Tandem perveniendo ad auxilium ſufficiens, quod præſtat poſſe agere, ſeu complet illud poſſe, & integrat actum primum: aſſerendum eſt admiſſum fuiſſe à Pelagio, quamvis pluribus limitationibus, quæ veram prædicti auxilij rationem deprimebant. Ita etiam ſentiunt Gonzalez *diſputatione 68. citata concluſione tertia*, Alvarez *diſputatione prima, de auxiliis à numero quarto, & libro quinto Reſponſionum, capite quarto*, Gonet ubi ſupra *concluſione tertia*, & alij. Et quidem quòd Pelagius admiſerit auxilium ſufficiens, ſeu poſſibilitatis, ſive donum præſtans, aut complens poſſe, & virtutem liberi arbitrij in actu primo (abſtrahendo ab imperfectionibus, quibus prædictum adjutorium obſcurabat) poteſt efficaciter oſtendi ex Divo Auguſtino: nam libro de gratia Chriſti cap. 5. loquens de Pelagio inquit: *Scire quippè debemus, quòd nec voluntatem noſtram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio; ſed ſolùm poſſibilitatem voluntatis, atque operis, quam ſolùm ex his tribus nos habere affirmat ex Deo. Tanquam hoc ſit infirmum, quod ipſe Deus poſuit in natura: cætera verò duo, quæ noſtra eſſe voluit, ita ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio. Et ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus; ſed tantummodò adjuvet, ut velle, & agere valeamus.* Id autem, quo quis adjuvatur, ut valeat agere, & velle, auxilium eſt ſufficiens præſtans, vel complens poſſe ad volendum, & agendum, ut ex ipſis terminis liquet. Et *eodem lib. cap. 4.* refert Pelagium diſtinxiſſe hæc tria poſſe, velle, & agere, ſive potentiam, voluntatem, & opus; & deinde introducit Pelagium ſic loquentem: *Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis eſt; imò & hominis, & Dei, qui ipſius voluntatis, & operis poſſibilitatem dedit, quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ adjuvat ſemper auxilio.* Quibus verbis concedit auxilium adjuvans poſſibilitatem, ſive poteſtatem arbitrij: cumque hujuſmodi auxilium ſecundùm ſuum dogma non præſtaret voluntatem, & actionem, ut ibidem apertè tradit: ſequitur, quòd Pelagius conceſſerit adjutorium illud, ut conferret arbitrio poteſtatem, vel poteſtatis complementum ad proſequendum opera ſalutaria: quod eſt munus proprium auxilij ſufficientis.

Præfertur pars affirmativa cum quadam limitatione.

D. Auguſt.

Quam Pelagij confeſſionem recognovit D. Auguſt. lib. cit. cap. 14. ubi ait: *Venire poſſe in natura ponit Pelagius, vel etiam, ut modo dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam ſentiat, qua ipſa, ut dicit, poſſibilitas adjuvatur.* Et ita S. Doct. cap. 47. ejuſdem libri recapitulando, quæ dixerat, & ſupponendo auxilium ſufficiens, ſive poſſe poſſibilitatis à Pelagio admitti, concludit: *Quapropter, quantum attinet ad iſtam de divina gratia, & adjutorio quæſtionem; tria iſta, quæ apertiſſimè diſtinxit, attendite, poſſe, velle, eſſe, id eſt, poſſibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo conſenſerit nobis non ſolùm poſſibilitatem in homine, etiam ſi nec velit, nec agat, ſed ipſam quoque voluntatem, & actionem, id eſt, ut bene velimus, & agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando bene vult, & bene agit: Si, ut dixi, conſenſerit ipſam voluntatem, & actionem divinitùs adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua, non noſtra juſtitia juſtos facit: nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur.* Si autem Pelagius non concederet auxilium ſufficiens, ſeu dans, & complens poſſe ad opera ſalutaria; plurimum controverſiæ ſupereſſet inter ipſum, & Catholicos: quia non ſufficit confiteri auxilium efficax pertinens ad volitionem, & actionem; ſed opus eſt concedere auxilium ſufficiens, quod præſtet proximum poſſe, & ad poteſtatem agendi pertineat. D. Auguſt.

163. Limitationes verò, ſeu modificationes, quibus Pelagius rationem gratiæ ſufficientis obſcuravit, & ferè deſtruxit, duæ præcipuè fuerunt. Primò enim ſentiebat prædictam gratiam dari ex meritis præcedentibus; licèt id auſus non fuerit palam affirmare: quinimo, ut refert Divus Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 4. *Timuit Epiſcopale judicium Palæſtinum, & cùm ei fuiſſet objectum, quod diceret gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, negavit ſe dicere, & eos, qui hoc dicerent, anathematizando damnavit.* Sed quod aliter ſenſerit conſtat ex his, quæ D. Auguſt. immediatè ſubjungit: *Nec aliud tamen defendere invenitur in libris, quos poſtmodùm ſcripſit, fraudem ſe putans hominibus judicantibus feciſſe, mentiendo; aut neſcio, quomodo ſuum*

Pelagius quibus limitationibus obſcuravit veram rationem auxilij ſufficientis.

D. Auguſt.

Digitized by Google

ſenſum verbis ambiguis obtegendo. Meritum verò prædictæ gratiæ conſtituebat Pelagius in fide, & cupiditate boni, quas autumabat eſſe ex libero arbitrio, & ſupputandas non eſſe inter opera bona, ſed dicenda eſſe initia bene operandi. Et hinc inferebat D. Auguſt. gratiam ſecundùm ſenſum Pelagij dari ex meritis: *Si enim*, inquit lib. cit. cap. 8. *ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum ceptum erit meritum: cui tanquam ex debito gratiæ veniat adjutorium: ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed meritum noſtrum dabitur.*

Secundò aſſerebat Pelagius hanc gratiam ſufficientem non eſſe neceſſariam ſimpliciter, ſed tantùm ad poſſe faciliùs, ut refert Divus Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 7. ubi introducit Pelagium aſſerentem: *Quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs poſſunt implere per gratiam.* Et cap. 40. refert hæc Pelagij verba: *Divinam mereamur gratiam, ut faciliùs nequam ſpiritui Spiritus ſancti auxilio reſiſtamus:* & ſtatim ſubjungit: *In quibus ejus verbis manifeſtum eſt ita eum velle nos adjuvari gratia Spiritus ſancti, non quia ſine illo etiam per ſolam naturæ poſſibilitatem non poſſimus reſiſtere tentatori, ſed ut faciliùs reſiſtamus.* Unde deſtruebat veram conditionem auxilij ſufficientis: quod non ſolùm utile ad faciliùs poſſe, ſed etiam neceſſarium ad ſimpliciter poſſe facere opera ſalutaria docet Eccleſia Catholica.

Nota circa auxilium ſufficiens à Pelagio conceſſum

164. Obſervat autem rectè M. Joann. à Sancto Thoma *diſput. cit. art. 2. num. 6.* quòd cùm Pelagius conſtituerit gratiam ſufficientem in notitiis, ſeu cogitationibus ſanctis, & nihil poſſit eſſe volitum, quin fuerit præcognitum: difficilè apparet qua ratione potuerit dicere gratiam ſufficientem non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad rectè volendum, & benè operandum. Cæterùm Pelagius duplicem diſtinguebat cogitationem, & notitiam interiorem, aliam procedentem ex naturali lumine rationis, aliam factam per revelationem Spiritus ſancti, ut ſupra vidimus. Primam non negavit Pelagius eſſe ſimpliciter neceſſariam ad bene operandum; ſed eam non appellabat gratiam. Secundam verò, quæ eſt verè gratia, non admiſit ut neceſſariam ſimpliciter; ſed tantùm ut convenienter ſuperadditam ad faciliùs poſſe. Et hoc ſignificavit Auguſt. lib. proximè cit. cap. 40. ubi ait: *Quod tamen qualecumque adjutorium,* nempè ad poſſe faciliùs, *cum credibile eſt in hoc conſtituere, quod nobis additur ſcientia, revelante Spiritu per doctrinam, quam vel non poſſumus, vel difficilè habere poſſumus per naturam.* Ex quibus omnibus patet ad plura, quæ congerit Suarius *prolog. 5. cap. 3. à num. 7.* ut probet Pelagium non admiſiſſe adjutorium ſufficiens, ſeu præſtans, aut complens poteſtatem volendi, & agendi. Nihil enim evincunt, niſi Pelagium per modificationes, & limitationes proximè relatas obſcuraſſe, vel etiam deſtruxiſſe veram rationem gratiæ ſufficientis; quod facilè admittimus: minimè autem perſuadent, quòd abſtrahendo à prædictis limitationibus non conceſſerit auxilium ſufficiens præſtans, vel complens poſſe: oppoſitum enim ſatis conſtat ex dictis pro prima parte noſtræ reſolutionis.

D. Auguſt.

§. V.

Exponitur, an Pelagius auxilium efficax aliquando admiſerit.

Dub. 5. An Pelagius auxilium efficax aliquando conceſſerit.

165. Auxilium efficax dicitur, quod infallibiliter infert operationem noſtram, & quo Deus homines ex nolentibus, aut ex non volentibus facit volentes, ut frequenter loquitur D. Auguſt. & *infra diſp. 7.* latè exponemus, ubi etiam de conditionibus hujus auxilij ex profeſſo diſputabimus. Modò ſufficiat ſupponere, quòd Deus, præter adjutorium, quo præſtat homini vires, & poteſtatem proximam bene operandi, adjuvat etiam in opere, faciendo voluntatem facere, eamque ad exercitium infallibiliter trahendo: quod propterea adjutorium meritò auxilium efficax appellatur. Hoc igitur auxilium admiſſum fuiſſe à Pelagio ſaltem in ultimo ſui dogmatis ſtatu cenſent Joannes Gonzalez *diſp. 68. concl. 4.* & Janſenius *lib. 6. de hæreſi Pelag. cap. 1.* qui tamen addunt Pelagium corrupiſſe conditionem prædicti auxilij, dicendo illud dari ex meritis præcedentibus, & neceſſarium ſimpliciter non eſſe ad agere, ſed tantùm deſervire ad faciliùs agere. Quod probant ex D. Auguſt. lib. de gratia Chriſti cap. 23. ubi hæc verba Pelagij refert: *Qui currit ad Deum, & a Deo ſe regi cupit, id eſt, voluntatem ſuam ex ejus voluntate ſuſpendit; qui ei adhærendo jugiter unus ſecundùm Apoſtolum cum eo fit ſpiritus; non hoc niſi de arbitrij efficit voluntate: qua qui bene utitur, ita ſe totum tradit Deo, omnemque ſuam mortificat voluntatem, ut cum Apoſtolo poſſit dicere: Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Chriſtus: ponitque cor ſuum in manu Dei, ut illud, quo voluerit, Deus ipſe declinet.* Auxilium autem per quod Deus, prout vult, cor noſtrum declinat, auxilium efficax eſt, pertinens non ad poſſe, ſed ad agere. Et ita Auguſt. recognovit, dum ſtatim ſubjunxit: *Magnum profectò adjutorium divinæ gratiæ, ut cor noſtrum, quò voluerit, Deus ipſe declinet:* ergo Pelagius in ultimo ſui dogmatis ſtatu non abnuit concedere auxilium efficax, ſive cauſans ipſum agere.

Prima opinio affirmans.

Ioan. Gonz. Janſenius.

D. Auguſt.

Deſtruxit tamen per additiones ſupra relatas veram conditionem gratiæ efficacis, ut ſtatim ponderavit Auguſtinus his verbis: *Sed hoc tam magnum adjutorium, ſicut iſte deſipit, tunc meremur, cùm ſine ullo adjutorio non niſi de arbitrij libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem noſtram ex ejus voluntate ſuſpendimus, eique adhærendo jugiter unus cum eo efficimur ſpiritus. Hæc ſcilicet tam ingentia bona non niſi arbitrij ſecundùm iſtum efficimur libertate, ut his præcedentibus meritis ſic ejus gratiam conſequamur, ut cor noſtrum, quò voluerit, Deus ipſe declinet.* Idem colligitur ex eodem Sancto Doctore ſerm. 13. de verbis Apoſt. c. 11. ubi loquens de Pelagianis ait: *Jam verò dicunt adjutorium eſſe gratiam ad faciliùs faciendum. Iſta ſunt verba eorum: Ad hoc dedit, inquiunt, Deus gratiam ſuam hominibus, ut quod facere jubentur per liberum arbitrium, faciliùs implere poſſint per gratiam. Velo faciliùs, remo difficiliùs; tamen & remo itur: jumento faciliùs, pedibus difficiliùs, ſed tamen & pedibus pervenitur. Quomodo ſi aliquis dicat: Remis quidem pervenimus, ſed cum labore, O ſi ventum habeamus, faciliùs pervenimus.* Ex quibus verbis haud obſcurè conſtat Pelag. tandem admiſiſſe auxilium efficax, ſive

D. Auguſt.

Digitized by Google

ſive pertinens ad opus; quamvis erraverint aſſerendo illud tantùm requiri ad faciliùs agere: qua de cauſa refelluntur ab Auguſt. ibidem: *Non ſic* inquit, *loquitur verus magiſter, idemque ſalvator; ſed ait: Sine me nihil poteſtis facere.* Idem denique ſuaderi poteſt ex eodem D. Auguſt. lib. ſupra cit. c. 27. ubi de Pelagio ait: *in libro quippè ad Virginem ſacram cùm dicit: Divinam mereamur gratiam, ut faciliùs nequam ſpiritui, ſancti Spiritus auxilio reſiſtamus; ſignificat profectò, quid ſapiat. Ut quid enim hoc verbum interpoſuit, id eſt, faciliùs? An verò non erat integer ſenſus, ut nequam ſpiritui ſancti Spiritus auxilio reſiſtamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat,* &c. Quibus verbis ſignificat D. Auguſt. dempto verbo faciliùs totam illam Pelagij propoſitionem eſſe catholicam: quod falſum eſſet, ſi præter alia auxilia Pelagius non admitteret auxilium efficax.

Opinio negans ut probabilior eligitur.

166. Sed licèt horum Auctorum judicium ſit probabile, ut teſtimonia allata ſuadent: nihilominus probabilius cenſemus oppoſitum, nempè Pelagium nunquam conceſſiſſe auxilium efficax, ſive operationis, etiam ſuppoſitis illis modificationibus, vel imperfectionibus ſupra relatis. Quod etiam viſum eſt Goneto *diſp.1. de hæreſi Pelag.art.*4. & ſupponit Alvarez *de auxiliis diſp.*1. *num.* 13. *cum ſequent.* Probatur: quoniam auxilium efficax eſt illud, quo Deus infallibiliter infert operationem noſtram faciendo homines ex nolentibus, vel ex non volentibus volentes: atqui Pelagius nunquam admiſit hujuſmodi adjutorium, ſed potiùs ſemper illud excluſit velut quoddam fatum impediens, ac deſtruens liberam determinationem arbitrij: ergo Pelagius nunquam conceſſit auxilium efficax. Minor, in qua poterat eſſe difficultas, liquidò ſuadetur ex manifeſtis D. Auguſt. teſtimoniis: nam epiſtola 107. ad Vitalem, Pelagianiſmum impugnans ait: *Quid eſt ergo, quòd ait Apoſtolus, Deus operatur in nobis & velle, & perficere? Reſpondes, per legem ſuam, per Scripturam ſuam Deum operari, ut velimus, quam vel legimus, vel audimus. Sed ei conſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſt, ut ſi velimus, fiat: ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippè ille, dicis, quantum in ipſo eſt, ut velimus, cùm nota fiunt nobis ejus eloquia: ſed ſi eis acquieſcere nolumus; nos ut operatio ejus nihil in nobis proſit, efficimus.* Et ſtatim addit Auguſt. *Quæ, ſi dicis, profectò noſtris orationibus contradicis.* Ex quibus ſatis conſtat Pelagianos minimè admiſiſſe auxilium, quod infallibiliter inferret operationem noſtram; ſed aſſeruiſſe omnem gratiam Dei, qualemlibet admittebant, ſubjici determinationi liberi arbitrij ſe applicantis, vel non applicantis ad agere: quod eſt admittere auxilium ſufficiens præſtans, vel complens poſſe modo ſupra declarato numero 161. & negare gratiam efficacem præſtantem, & inferentem operationem.

Gonet.

Alvarez.

Pelagius perpetuo exhorruit concedere auxilium efficax, quod infallibiliter inferret conſenſum.

D. Auguſt.

Deinde idem Sanctus Doctor in libro de gratia Chriſti, quem in ultimo Pelagianæ hæreſis ſtatu ſcripſit (nempè poſtquam damnata eſt ab Innocentio I. & à Zozimo, ut ipſe refert lib. 2. Retractat. cap. 50.) ſatis exprimit eandem veritatem: nam cap. 25. ait: *Deſinat Pelagius dicere, quòd poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat: quod verò vel bene agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt. Deſinat, inquam, iſta dicere: non ſolùm enim Deus poſſe noſtrum donavit, atque adjuvat, ſed etiam velle, & operari operatur in nobis.* Quæ objurgatio vana, imò & injuſta foret, ſi Pelagius admitteret non ſolum auxilium ſufficiens, ſeu poſſibilitatis, ſed etiam auxilium efficax actionis. Et poſt pauca addit Auguſt. *Quomodo dicis liberi arbitrij elatus aſſertor, quòd poſſumus bene cogitare Dei eſt; quod autem bene cogitemus noſtrum eſt? Cui reſpondet humilis gratiæ prædicator: Non quia idonei ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi in nobiſmet ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quæ verba eandem ac præcedentia vim habent. Et cap. 34. teſtatur Auguſtinus ſe nullibi potuiſſe reperire *hanc eum gratiam confiteri, qua non ſolùm poſſibilitas naturalis voluntatis, & actionis; ſed ipſa etiam voluntas* (hoc eſt volitio) *& actio ſubminiſtratione ſancti Spiritus adjuvetur.* Et cap. 41. aſſerit de Pelagio: *Poſſibilitatem dicit divino ſemper adjuvari auxilio; voluntatem verò* (id eſt volitionem) *& actionem nullo Dei auxilio exiſtimat indigere.* Tandem id ipſum evidentiùs adhuc conſtat ex cap. 47. ejuſdem libri ubi Divus Auguſtinus totam cum Pelagio diſpoſitionem ad hoc caput reducit, proponendo concordiæ modum: *Si ergo conſenſerit nobis non ſolam poſſibilitatem in homine, etiam ſi nec velit, nec agat bene; ſed ipſam quoque voluntatem, & actionem divinitùs adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua, non noſtra juſtitia juſtos faciat; ut ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt: nihil de adjutorio gratiæ (quantum arbitror) inter nos controverſia relinquetur.* Signum ergo manifeſtiſſimum eſt quòd Pelagius, conceſſo adjutorio ſufficienti ad poſſe, ſemper negaverit auxilium efficax ad actionem, quo Deus ex nolentibus facit volentes.

167. Teſtimonia autem pro contrario dicendi modo allegata facilè explicantur. Ad primum enim reſpondetur, quòd Pelagius per auxilium, quo Deus, prout vult, cor noſtrum declinat, non ſignificavit auxilium, quo Deus cauſaliter, & efficaciter cor noſtrum moveret; ſed ſpecialem aliquam illuminationem interiorem, qua cor noſtrum moraliter, & ſuadendo ad bonum alliceret. Quæ quia ſpeciale donum eſt, & habet in ſuo genere, quantum eſt de ſe, magnum effectum, nempè inclinare cor, appellata fuit à D. Auguſt. magnum auxilium, utique reſpectivè ad alia minora auxilia, quæ Pelagius concedebat. Quæ reſponſio fundatur in his, quæ docet idem S. Doct. in prædict. lib. cap. 7. ubi cùm præmiſiſſet Pelagij verba: *Quam* (nempè gratiam) *nos non, ut tu putas, in lege tantummodò, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur,* addidit: *Quis non deſideret, ut oſtendat, quam vult intelligi gratiam? Hoc enim de illo expectare debemus, ut dicat hoc, quod dicit non in lege tantummodò ſe gratiam confiteri. Sed nobis hac expectatione ſuſpenſis, quod addiderit, intuemini. Adjuvat enim nos, inquit, Deus per doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum Diaboli pandit inſidias,* &c. Ex quibus liquet magnum illud adjutorium à Pelagio conceſſum, cujus Auguſt. meminit in eo libro, conſtitui ab eo in ſpeciali aliqua intellectus illuſtratione, quæ moraliter tantùm cor inclinet, non quæ verè, & cauſaliter ex nolentibus faciat volentes: quod eſt proprium auxilij efficacis.

Exponuntur teſtimonia allata pro opinione contraria.

D. Auguſt.

Eodem modo exponendum eſt ſecundum teſtimonium, ut ipſa Pelagij verba ſatis indicant: *ut quod facere*, inquit, *per liberum arbitrium jubentur, faciliùs implere poſſint per gratiam:* nam poſſe adimplere mandata eſt effectus gratiæ ſufficientis; adimplere autem, & infallibiliter exequi pertinet ad efficacem. In tertio etiam teſtimonio loquitur Pelagius de gratia alicujus ſanctæ cogitationis, aut illuſtrationis internæ, qua faciliùs diaboli tentationibus reſiſtimus. Cæterùm hæc gratia non eſt auxilium verè, & cauſaliter faciens voluntatem reſiſtere; ſed ſolùm præſtat, aut repræſentat motivum ad reſiſtentiam, & ſuaſione allicit ad illam. Meritò autem reprehendit Auguſt. quòd Pelagius addiderit particulam *faciliùs:* non quia ea etiam dempta, in reliquo ſalvetur adæquatè omne adjutorium, quod catholicè confiteri debemus; ſed quia per eam deſtruxerit veram conditionem illius adjutorij ſufficientis, cùm excluſerit abſolutam ejus neceſſitatem.

§. IV.

Declaratur, quæ fuerit extrema controverſia inter Auguſt. & Pelagium.

Corollarium præcedentis hiſtoria.

168. Ex dictis infertur ultimam, & potiſſimam, ac nunquam ad concordiam redactam diſceptationem inter D. Auguſt. & Pelagium, atque Pelagij ſequaces fuiſſe circa auxilium efficax, quo Deus ſuppoſita poſſibilitate; & ſufficientia ad agendum, infert infallibiliter in nobis ipſum agere, faciendo ex nolentibus volentes. Hoc conſectarium evidenter, ut exiſtimamus, conſtat ex teſtimoniis Auguſt. ſupra relatis ex lib. de gratia Chriſti, quem ſcripſit in ultimo ſtatu, & poſt damnationem hæreſis Pelagianæ: & in quo nihil magis ſatagit, quàm ut Pelagius confiteatur tandem non ſolùm adjutorium poſſibilitatis, ſive gratiam ſufficientem (quam licèt in pluribus vitiatam ſupponit ab illo admitti) ſed etiam adjutorium volitionis, & actionis, ſive gratiam efficacem. Unde oportebat ab hoc ampliùs ſuadendo ſuperſedere. Sed Joannes Martinez de Ripalda alios Juniores imitans compellit, ut id evidentiùs adhuc oſtendamus: nam *tom. 2. de ente supernat. diſput.* 105. *ſect.* 12. non dubitat aſſerere controverſiam Auguſtini cum Pelagio tantùm fuiſſe de auxilio ſufficienti, quod tribuit ſimpliciter poſſe voluntati, & ab efficaci, atque inefficaci præſcindit: additque *num.* 103. omnes Eccleſiæ Patres, omneſque Scholaſticos Doctores, paucis prædeterminatoribus exceptis, totam Eccleſiæ contentionem contra Pelagium in ſolam gratiæ neceſſitatem ad poſſe voluntatis referre.

Dub. 6. An ultima, & precipua S. Aug. cum Pelag. controverſia fuerit circa auxilium efficax, movens infallibiliter voluntatem. Ripaldę opinatio.

169. Cæterùm reſolutiſſima hujus Auctoris diffinitio plus animoſitatis, quàm veritatis præ ſe fert; & apud eos tantùm invalebit, qui vel Auguſtinum non conſulunt, vel data opera ſententias tanti Doctoris obſcurare procurant. Quod igitur extrema, ac urgentior inter ipſum, & Pelagium diſceptatio auxilium efficax reſpexerit, pluribus evincitur. Primò omnibus teſtimoniis ſupra in hoc §. relatis: nam in eis contendit Divus Auguſtinus, ut Pelagius fateatur non ſolùm adjutorium ad poſſe, quod eſt auxilium ſufficiens: ſed etiam adjutorium ad agere, quod eſt auxilium efficax. Videatur etiam Sanctus Doctor libro illo ſæpè citato de gratia Chriſti capite 11. ubi ait: *Nos eam gratiam volumus aliquando fateatur, qua futura gloria magnitudo non ſolùm promittitur, ſed etiam creditur, & ſperatur: nec ſolùm revelatur ſapientia, ſed etiam & amatur: nec ſuadetur ſolùm omne, quod bonum eſt, verùm & perſuadetur.* Quod proculdubio pertinet ad gratiam efficacem. Et ita addit: *Quorum autem ſit fides, & quibus perſuadeatur, ſatis ipſe* (nempè Chriſtus Dominus) *demonſtravit, ubi ait: Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Et tandem concludit: *Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, ſed etiam eſſe Chriſtianus.* Similia habet libro primo, contra duas epiſtolas Pelagian. 19. ubi ait: *Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit ab eo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines (quod fieri non poteſt) nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* Et lib. de gratia, & liber. arbitr. cap. 5. Ubi inquit: *Ut Paulus efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola.* Si in his, & ſimilibus locis, quæ plurima ſunt, loquitur D. Auguſt. de ſola gratia dante poſſe, & non de auxilio efficaci; cadit profectò veritas reſolutionis noſtræ: cæterum vel ipſis ſatis poſſumus permittere, ut indicent.

Veritas partis affirmativa oſtenditur.

D. Auguſt.

170. Secundò: nam Pelagius cum ſequacibus deteſtabatur gratiam ab Auguſtino aſſertam, per quam homo ex nolente fieret volens; quia exiſtimabat, & cauſabatur per hujuſmodi gratiam arbitrij libertatem everti: è contra verò Auguſt. ſummè laboravit in exponendo, qualiter gratia, quam prædicabat, nullum libertati præjudicium inferret: nec aliud frequentiùs occurrit in ſcriptis contra Pelagium: ergo eorum controverſia præcipuè reſpiciebat auxilium efficax. Probatur conſequentia: quia per auxilium merè ſufficiens, quod tantum præſtat, aut complet poſſe, & nullo modo determinat voluntatem ad unam partem, ſed potiùs ſubjicitur ejus determinationi, ut pariat, aut non pariat boni operis effectum; tam evidens eſt non lædi, nec impediri libertatem arbitrij, ut vel apparenter nequeat id affirmari. Pelagius autem non erat adeo cæcus, & ignarus, ut poſſet oppoſitum concipere, aut auderet tale argumentum catholicis objicere, quod ipſi vel levi talitro profternerent.

Aliud ejuſdem reſolutionis fundamentum.

171. Nec refert, ſi cum Ripalda reſpondeas duo libertati contraria videri: alterum indigere auxilio ſufficienti, quod non habeat in ſua poteſtate: alterum moveri tali auxilio, cum quo nequeat diſſenſum componere. Pelagius autem ex illo priori capite arguebat voluntatis libertatem everti, & ita negabat neceſſitatem auxilij ſufficientis: non autem id inferebat ex ſecundo, quippè cùm tale auxilium nec Auguſt. nec alij catholici prædicarent.

Effugium Ripaldæ.

Hoc, inquam, Ripaldæ effugium nihil prodeſt, ſed refellitur manifeſtè. Tum quia ſi Pelagij argumentum procederet de auxilio efficienti, faciliimè diſpelleretur dicendo, ut dicebant catholici, quod Deus omnibus tribuit auxilia ſufficientia ad ſalutem. Quod enim obeſt, quòd auxilium ſufficiens ſit gratia à Deo deſcendens, ſi omnibus datur, & ſemel data recipientium diſpoſitioni ſubjicitur? Profectò nullam majorem determinationem, aut arbitrij læſionem hæc indigentia affert, quam ipſa voluntas, quæ à Deo eſt, & quæ gratia præſtans poſſe dicebatur à Pelagio. Tum etiam quia ipſi Pelagiani

Præcluditur.

Digitized by Google

Gratia Auguſtiniana quàm efficax.

D. Auguſt.

Pelagiani palam declararunt caput, ob quod negarent gratiam Auguſtinianam, nempè quia fatum eſſet, & reluctantes voluntates ſibi ſubjiceret, quod de gratia merè ſufficienti dici non potuit, ſed de efficaci. Unde Auguſt. in lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 5. eorum calumniis occurrens ait: *Nec ſub nomine gratiæ fatum aſſerimus: quia nullis hominis meritis Dei gratiam dicimus antecedi. Si autem quibuſdam omnipotentis Dei voluntatem placet fati nomine nuncupare; profanas quidem verborum novitates evitamus, ſed de verbis contendere non amamus. Unde autem hoc eis viſum fuerit nobis objicere, quòd fatum aſſeramus ſub nomine gratiæ, cùm aliquando attentiùs cogitarem; priùs eorum verba, quæ conſequuntur, inſpexi. Sic enim nobis objiciendum putarunt: Sub nomine, inquiunt, gratiæ ita fatum aſſerunt, ut dicant, quòd niſi Deus invito, & reluctanti homini inſpiraverit boni, & ipſius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum poſſit arripere.* Quam calumniam ſtatim propulſat Aug. ex Apoſt. ad Rom. 9. *Miſerebor, cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſertus fuero. Ubi conſequenter adjunctum eſt: Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Poſſet etiam hinc quiſquam ſimiliter ſtultus fati aſſertorem Apoſtolum putare, vel dicere.* Teſtimonium autem Apoſtoli procedit de voluntate conſequenti, & gratia efficaci, ut eſt per ſe notum. De hac igitur loquebatur Auguſtinus, & hanc impugnabant Pelagiani. Tum denique quia Pelagij ſucceſſores, Semipelagiani videlicet Maſſilienſes, ita intellexerunt Auguſtinum, & in eodem ſenſu impugnarunt gratiam ab ipſo aſſertam, promoveruntque Pelagij argutationem, nempè gratiam illam ab Auguſt. traditam libertatis eſſe inimicam. Unde Fauſtus *(Fauſtus.)* inſignis Semipelagianus libris, quos contra S. Doctorem edidit, hanc poſuit inſcriptionem: *Profeſſio fidei adversùs eos, qui dum per ſolam voluntatem Dei alios dicunt ad vitam attrahi, alios in mortem deprimi, hinc fatum cum Gentilibus aſſerunt, inde & liberum arbitrium cum Manichæis negant.* Et lib. 1. cap. 6. impugnat D. Auguſt. velut aſſerentem: *Quòd ſicut mare magnum huc, atque illuc ventis agitantibus volutatur; ita ad quodcumque bonum, vel facinus ſine ullo affectu ſuo, ſolo divinæ poteſtatis impulſu* (nempe auxilio efficaci) *mens humana verſaretur. Ecce hæreticus* (ita Auguſtinum audaciſſimus percellit) *ſub prætextu gratiæ qualem vult hominem eſſe poſt gratiam.* Quæ omnia nec apparenter poſſent dici de gratia merè ſufficienti, & ulterius determinabili pro libito voluntatis.

Ultimum ejuſdem veritatis fundamentum.

172. Tertiò oſtenditur eadem veritas: quia Auguſtinus, ut reliquias, & propaginem Pelagianorum ultimò contereret, & ſimul monachos Adrumentini cœnobij, qui ejus ſcripta minùs rectè intelligebant, inſtrueret; totam doctrinam ſuam adversùs Pelagianos velut ad compendium redigendo; apertiſſimè diſtinxit auxilium efficax perſeverantiæ ab illa gratia, qua poſſumus perſeverare: ergo ſignum eſt, quòd eodem modo ſe geſſit adversùs Pelagium, & quòd ſimilia adjutoria ad alios effectus diſtinxit. Conſequentia videtur manifeſta: præſertim cùm & Pelagiani, & Semipelagiani, & monachi illi idem argumentum urgerent contra Auguſt. nempè gratiam ab eo aſſertam evertere libertatem. Antecedens *(D. Auguſt. diſtinxit duplex auxilium.)* autem conſtat ex celebri teſtimonio S. Doct. lib. de correptione, & gratia cap. 12. ubi hæc habet: *Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit; & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere: nec tamen, cùm affuerint alimenta, fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolùm ſine quo non fit; verùm etiam quo fit, propter quod datur.* Et poſt pauca: *Primò* inquit, *itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ; non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur: ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; verùm etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* Et poſtquam id pluribus Scripturæ teſtimoniis confirmavit, tandem concludit: *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei: cùm & voluntas hominis fortis; & ſana in bono ampliore non perſeveraverit habens virtutem liberi arbitrij, quamvis non de futuro adjutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare, ſi vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur & velle. Fortiſſimo quippè dimiſit atque permiſit facere, quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſimè, quod bonum eſt, vellent; nec hoc deſerere invictiſſimè nollent.* Et ſtatim inchoat cap. ſequens his verbis: *Hæc de his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei, &c.* Ex toto itaque contextu, & verbis hactenus relatis adeo manifeſtè liquet D. Auguſtinum diſtinxiſſe auxilium efficax, quo electi perſeverant, ab auxilio ſufficienti, cum quo cæteri non electi poſſunt perſeverare, & ſine quo perſeverare non valent; ut ſupervacaneum foret refutare varia ſubterfugia, quæ Ripalda *in opere contra Baianos diſputatione 7. ſectione 16.* commentus eſt, ut lucem prædicti teſtimonij infuſcaret, roburque infringeret. Nec opus eſt plura hic motiva idem ſuadentia accumulare: tum quia relata ſufficiunt: tum quia id latiùs conſtabit ex dicendis diſputatione 7. dubio 4.

Referuntur motiva opinionis adverſæ.

173. Sed contra noſtram, & communem reſolutionem plura opponit prædictus Auctor loco citato ex tom. 2. de ente ſupernaturali. *Primò* quia teſtimonia Scripturæ, quibus Eccleſia, & Patres utuntur contra Pelagium, ſolam ſufficientiam per gratiam evincunt, non autem auxilium efficax: hujuſmodi ſunt illud Joannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, & illud Pauli 2. ad Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: ergo ſignum eſt, quòd controverſia cum Pelagio ſolùm fuerit de gratia ſufficienti, non de efficaci. *Secundò* quia Concilia damnant Pelagium, determinando naturam ſine gratia *non poſſe, non valere, non ſufficere* ad opera ſalutaria; & nihil decernunt de auxilio efficaci: non fuit igitur circa illud controverſia inter Auguſtinum, & Pelagium. *Tertiò* quia ipſe Pelagius ita pro-

Ioan. 15.

2. ad Cor. 3.

Digitized by Google

ponit controverſiam apud Auguſtinum libro de gratia Chriſti capite quarto. *Nos ſic tria iſta diſtinguimus: primo loco poſſe ſtatuimus, ſecundò velle, tertiò eſſe. Poſſe in natura, velle in arbitrio, eſſe in effectu locamus. Non de velle, nec de eſſe; ſed tantummodò de eo, quod poteſt eſſe, differitur.* Ergo Pelagius tantùm diſſeruit cum Catholicis de adjutorio ad poſſe, ſive de gratia ſufficienti; & alias controverſias circa auxilium efficax, ſive ad eſſe devitavit. *Quartò* quia D. Auguſtin. *lib. de natura, & gratia cap.* 28. & 29. refert Pelagium dixiſſe gratiam ad hoc deſervire, ut quæ homines facere jubentur per liberum arbitrium, faciliùs exequantur per illam. Et ſtatim Auguſtinus: *Tolle,* inquit, *facilius, & non ſolùm plenus, ſed etiam ſanus eſt ſenſus, ſi ita dicatur; ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, poſſint implere per gratiam. Cùm autem faciliùs additur, adimpletio boni operis etiam ſine Dei gratia poſſe fieri, tacita ſignificatione ſuggeritur. Quem ſenſum redarguit, qui dicit: Sine me nihil poteſtis facere.* Dempto ergo verbo *faciliùs*, in reliquo propoſitionem Pelagij reputat catholicam Auguſtinus: & conſequenter ſolùm diſputabant de gratia neceſſaria ad poſſe: alioqui adhuc oporteret, ut Pelagius confiteretur neceſſitatem ulterioris auxilij.

D. Auguſt.

Confirmationes.

Confirmatur primò: quia ſi quis aſſereret naturam ſuis viribus poſſe efficere actus ſalutares; licèt ulteriùs affirmant prædictas vires non reduci ad actum, niſi dependenter ab auxilio gratiæ efficacis; profectò hæreſis Pelagiana damnaretur, & contra canones adversùs Pelagium editos ageret: ſignum ergo eſt controverſiam Catholicorum cum Pelagio non fuiſſe de gratia efficaci, ſed de ſufficienti, quæ præſtat vires naturæ.

Confirmatur ſecundò: quia ſi gratia, quam Pelagius reſpuebat, ut libertati contrariam, eſſet gratia ab intrinſeco efficax; minimè Pelagius illam admitteret ad eliciendum faciliùs actus liberos: *ſicut neque nos*, inquit Ripalda, *illam admittimus:* gratia quippè incompoſſibilis cum diſſenſu, nequit facilitatem ad liberè agendum præſtare; cùm potiùs libertatem evertat: atqui Pelagius gratiam, quam ut ſimpliciter neceſſariam reſpuebat, libenter fatebatur eſſe utilem ad liberè agendum tactus ſalutares: ergo diſceptatio Pelagij cum Auguſtino, & Catholicis, non reſpiciebat gratiam efficacem, ſed ſufficientem.

Occurritur 1. objectioni.

174. Hæc tamen facilè diluuntur. Ad primam objectionem reſpondetur Eccleſiæ Patres aliquando agere contra Pelagium negantem gratiam ſufficientem; & tunc utuntur illis teſtimoniis, quæ in objectione referuntur, & aliis ſimilibus. Aliquando verò impugnant Pelagium, eo quòd negaverit gratiam efficacem (utramque enim debemus catholicè confiteri) & tunc utuntur aliis Scripturæ auctoritatibus, quæ prædicant divinæ gratiæ potentiſſimam, & infallibilem efficaciam. Hujuſmodi eſt illud Ezech. 36. *Faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, &c.* Quo utitur D. Auguſt. lib. de gratia, & libero arb. cap. 16. ubi ait: *Certum eſt nos facere, cùm facimus: ſed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis.* Et illud Joann. 6. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, poteſt venire ad me.* Et illud Apoſt. ad Rom. 8. *Qui ſpiritu Dei aguntur, &c.* Quo utitur Auguſt. lib. de correct. & gratia cap. 2. ubi ait: *Intelligant, ſi filij Dei*

Eccleſia Patres aſſeruerunt contra Pelagium auxilium efficax.

Ezech. 36.
D. Auguſt.

Joan. 6.
Ad Rom. 8.

ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut, quod agendum eſt, agant; & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, ut agant, non ut ipſi nihil habeant. Quod repetit lib. de gratia Chriſti contra Pelag. cap. 25. & ſerm. 13. de verbis Apoſt. Et illud ejuſdem Apoſt. ad Philip. 2. *Deus operatur in vobis & velle, & perficere.* Quo teſtimonio ſæpiſſimè ad hoc intentum utitur Auguſt. & D. Proſper tum aliis locis, tum epiſt. ad Ruffinum, ubi ait: *Quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generavit? Alioquin ſufficeret moveri hominem, non etiam in ipſo novam fieri voluntatem, ſicut ſcriptum eſt Proverb. 8. Præparatur voluntas à Domino, & ſicut ait Apoſtol. ad Philip. 2. Deus eſt enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Pro qua bona voluntate, niſi quam in ipſis operatus eſt Deus? Ut qui donaverat velle, donaret & facere.* Eandem vim habent alia Scripturæ teſtimonia, quibus Patres Pelagianos impugnant, ut Prov. 21. *Cor regis in manu Domini, ſicut diviſiones aquarum, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Geneſ. 90. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati.* Tob. 41. *Quis reſiſtere poteſt vultui meo:* Sapient. 11. *Virtuti brachij tui quis reſiſtet?* & alia innumera, ex quibus concludit Auguſt. lib. de correct. & gratia cap. 14. *Cui volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Quæ omnia procedunt de gratia non merè ſufficienti, indifferenti, & ſubjecta diſpoſitioni voluntatis; ſed de efficaci, & ſibi, ac Deo voluntatem ſubjiciente, ut ex ſe liquet.

D. Proſper.

Proverb. 21.
Geneſ. 90.
Tob. 41.
Sapient. 11.

175. Ad ſecundam conſtat ex proximè dictis: Pelagius enim primò negavit neceſſitatem gratiæ efficientis, ſeu dantis vires ad opera ſalutaria: & hanc hæreſim damnant Concilia in locis, quæ allegat Ripalda. Deinde admiſſa gratia ſufficienti ſaltem ad faciliùs poſſe modo ſupra declarato num. 161. negavit Pelagius neceſſitatem gratiæ efficacis, per quam Deus faceret voluntatem conſentire, & operari: & hanc hæreſim condemnarunt etiam Concilia in aliis locis, quæ Junior ille vel non vidit, vel meditatò ſuppreſſit. Concilium enim Milevitanum can. 4. inquit: *Quiſquis dixerit eandem gratiam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus* (de qua gratia non multùm curabant tunc Pelagiani) *non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.* Ubi conſtat ſermonem fieri de gratia efficaci, quæ conjungit poſſe cum actu. Expreſſiùs loquitur Concilium Arauſican. can. 4. ubi inquit: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit; non autem ut etiam purgari velimus per S. Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui S. per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Quod verò Concilium loquatur de gratia efficaci, liquet: tum quia ſermonem inſtituit de gratia, per quam Deus facit, ut purgari velimus, & per quam operatur noſtrum

Reſpondetur ad 2.

Concil. Milevit.

Concilia ſupponunt Pelagium aliquando admiſiſſe adjutorium ſufficiens.

Conc. Arauſican.

noſtrum velle; quæ utique efficax eſt, cùm habeat adjunctum effectum. Tum quia de ea gratia agit, per quam vitatur, ne Deus expectet voluntatem noſtram: gratia autem merè ſufficiens, & potentialis ſubjicitur determinationi voluntatis, ejuſque applicationem expectare debet.

Intendunt, quod Pelagius concedat auxilium efficax. De eodem auxilio efficaci loquitur idem Concilium Arauſic. can. 9. ubi ait: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Quod nequit verificari de ſola gratia ſufficienti: per hanc quippè non operatur Deus in nobis, antequam operemur, & ut infallibiliter operemur; ſed operatur, cum operamur, **Conc. Trid.** Concilium etiam Trident. idem ſupponit *ſeſſ. 6. can. 4.* ubi hæreſim & Pelagij negantis gratiam efficacem & Lutheri, atque Calvini aſſerentium dari gratiam efficacem, ſed per eam tolli libertatem arbitrij damnat his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, nec poſſe diſſentire, ſi velit, &c. anathema ſit.* Nam ly *motum* non ſignificat ſolam motionem moralem, quæ fit per vocationem, aut ſuaſionem ſe tenentem ex parte intellectus: hæc enim excitatio dicitur, quam Concilium à motione diſtinguit: ſed loquitur de motione voluntatis in ſe ipſa, quæ fit per ſubminiſtrationem Spiritus, & voluntatem revocat ad exercitium, & conſenſum. Denique Patres **Concil. Coloniens.** Concilij Colonienſis in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis, tractatu de ſacramento Pœnitentiæ, fol. 132. apertè loquuntur de gratia efficaci, cùm dicunt: *Itaque velle pœnitere, velle reſipiſcere, velle accipere remiſſionem peccatorum non eſt à ſola voluntate; ſed illud nobiſcum operatur Dominus, dum immutando malevolam voluntatem, eam facit benevolam, & ſuæ voluntati conſentientem. Unde voluntatem quidem noſtram Deus immutat, & ſic operatur in nobis velle.* Videat prudens lector, qua veritate affirmari potuerit Concilia agentia contra errores Pelagianorum non meminiſſe gratiæ efficacis.

Reſponſio ad 3. 175. Ad tertiam negamus conſequentiam, quæ male ex illo antecedenti colligitur. Fatemur enim Pelagium, & ejus ſequaces ſemper refugiſſe controverſiam de auxilio efficaci, quod præſtat infallibiliter velle, & agere. Sed hinc minimè infertur, quòd vel Catholici, & præcipuè D. Auguſt. de eo non egerint; vel quòd hæretici compulſi non fuerint exponere quid de prædicto **D. Auguſt.** auxilio ſentirent. Unde Auguſt. poſt relata illa Pelagij verba ſtatim illum exagitat, & oſtendit, quàm impium ſit negare auxilium efficax volitionis, & actionis: inducens enim auctoritatem Apoſt. ad Philip. 2. ait: *Et ut ſcirent, quia non tantùm in eo, quòd operari poſſint (hoc enim in natura, & doctrina jam acceperant) ſed etiam in eo, quòd operantur, divinitus adjuventur, non ait: Deus eſt enim, qui operatur in vobis poſſe: tanquam ipſi jam velle, & operari per ſe ipſos habeant* (quod utique haberent, ſi poſt ſibi collatas vires ſufficienter non egerent gratia efficaci) *neque in his duobus adjutorio ejus indigeant: ſed ait: Deus enim eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere; vel ſicut in alijs, & maximè Græcis codicibus legitur, & velle, & operari. Videte, ſi non Apoſtolus gratiæ Dei futuros adverſarios ſancto Spiritu tantò ante prævidit; & hæc duo, id eſt velle, & operari, quæ iſte iſta noſtra eſſe voluit, tanquam ipſa divinæ gratiæ non adjuventur auxilio, Deum in nobis dicit operari.*

Solvitur 4. Ad gratiam reſpondetur D. Auguſtinum dixiſſe propoſitionem illam Pelagij, dempto verbo *faciliùs* continere ſanum ſenſum: vel quia Pelagius in ea admittebat auxilium operationis, ſeu gratiam efficacem, ut cenſent Auctores relati *num.* 164. vel quia (quod veriùs judicamus) ibidem ſolùm faciebat ſermonem de gratia ſufficienti, & dante vires. Unde verba S. Doctoris non extenduntur ad gratiam adæquatè requiſitam, & catholicè admittendam: ſed limitanda ſunt ad ſubjectam materiam, nempè ad adjutorium ſufficiens, quod Pelagius ſolum admittebat, ut utile ad faciliùs operandum. Recolantur ſuprà dicta à *num.* 162.

Ad primam confirm. 177. Ad primam confirmationem negamus conſequentiam: quia Concilia, & Patres duplicem contra Pelagium docent confitendam eſſe gratiam: unam ſufficientem, & pertinentem ad poſſe; aliam efficacem, & inferentem agere. Unde qui ſolam gratiam efficacem, altera repulſa, admitteret; incurreret profectò notam, & damnationem hæreſis Pelagianæ. Sicut etiam qui concedunt neceſſitatem gratiæ ſufficientis ad poſſe, & negant neceſſitatem gratiæ efficacis ad agere, eidem pariter notæ, & damnationi obnoxij ſunt. Unde ſi confirmatio illa aliquid evinceret, ſuaderet utique ſub eadem forma Concilia, & Patres nihil contra Pelagianos circa gratiam ſufficientem determinaſſe.

Ad ſecundam. Ad ſecundam concedimus gratiam à Pelagio conceſſam ad faciliùs operandum non fuiſſe efficacem, ſed ſufficientem ut ſuprà diximus *numero* 165. Sed hinc minimè colligitur, & quòd Pelagius non negaverit gratiam efficacem, & quòd Auguſtinus de prædicta gratia non egerit, & oppoſitum Pelagij dogma non impugnaverit. Sicut ex eo, quòd nunc aliqui juniores non admittant gratiam per ſe, & ab intrinſeco efficacem, ſaltem ad faciliùs operandum; perperam inferretur, quòd prædictam gratiam juniores non negent, & quòd Thomiſtæ non doceant eam eſſe neceſſariò admittendam; & quòd circa hoc punctum non litigent: oppoſitum quippè probat experientia.

178. Hæc fuerunt Ripaldæ motiva, ut negaret veritatem adeò perſpicuam: quæ quia ipſe forſan invalida recognovit, adjecit *num.* 105. quod, licèt concederetur Auguſtinum contendiſſe cum Pelagio, ut gratiam efficacem admitteret; nihilominus nullo fundamento colligitur S. Doctorem aſſeruiſſe gratiam intrinſecè efficacem, & phyſicè prædeterminantem. Quibus verbis palam detegit, quo tenderet ſui laboris **Intentio Ripaldæ, & Suarij.** machina, & quid timeret concedendo Pelagium, & Auguſtinum diſceptaſſe de gratia efficaci. Eodem ferè modo ſe geſſit Suarez *prolog.* 5. *cap.* 3. *num.* 11. ubi ait controverſiam inter Auguſtinum & Pelagium non fuiſſe de modo, quo gratia dicenda efficax eſt; atque ideò longè diverſam eſſe ab ea diſceptatione, quæ modò datur inter Catholicos. Cæterùm neque nos in præſenti intendimus diſceptationem iſtam attingere; ſed abſque partium præjudicio obſervare, quæ ad hæreſim Pelagianam ſpectant, & quòd adversùs illam docuerit Divus Auguſtinus. Cujus mentem, & ſcripta juſſit Clemens VIII. conſulere, ut controverſiam inter Catholicos ortam decideret: quod impertinenter (abſit,) juberet, ſi nullum hujus diſceptationis veſtigium, ut juniores autumant, apud ſanctum Doctorem extaret. Quod verò D. Auguſtinus non ſolùm aſſeruerit auxilium efficax, ſed modum etiam

Digitized by Google

efficaciæ ſatis expreſſerit, haud obſcurè conſtat ex ejus verbis ſuprà à num. 168. relatis: nam ly *indeclinabiliter, inſeparabiliter, invictiſſimè* qualitatem auxilij efficacis, de quo loquebatur, & non ſolam ſubſtantiam ſignificant, ut ex ipſis vocibus liquet. An autem hinc inferatur prædictum auxilium eſſe intrinſecè efficax, & præmovere phyſicè voluntatem; infrà videbimus diſp. 7. per totam. In qua cauſa æquum non eſt judicium D. Auguſtin. recuſare, qui tam glorioſè pugnavit pro gratia Dei: ſed magis expedit, ut fateamur, quòd rem attigerit, & ejus ſententiæ ſtemus. Nemo quippè Auguſtini ſententiam exhorrebit amplecti, niſi cui Pelagij virus non diſplicet.

CAPUT V.

De erroribus Semipelagianorum circa Gratiam, & liberum arbitrium.

179. EA, quæ Magnus Auguſtinus contra hæreſim Pelagianam ſummo ingenio, & majori pietate per plures annos ſcripſit, ſicut inſignem de inimicis gratiæ conſecuta fuere victoriam; & Catholicorum commendationem, ſummaſque laudes meruerunt: ita vel à cæcutientibus, vel ab invidentibus ſiniſtrè intellecta, & iniquè expoſita in cauſa fuerunt, ut novarum diſceptationum naſceretur occaſio: non quam Sanctus Doctor vel apparenter dederit, ſed quam quidem ultronei voluerunt arripere. Præluxit lis hæc inter Africanos, ſed brevi ibidem reſtricta eſt: flagravit poſtea vehementiùs apud Gallos, nec ita celeriter valuit componi. In Africa quidem, lectis, ſed malè intellectis D. Auguſtini contra Pelagium ſcriptis; nonnulli ſic acceperunt, & probarunt efficaciam divinæ gratiæ ab Auguſtino aſſertam; ut inferrent, & conſequenter dicerent per eam tolli libertatem arbitrij, & correctionis neceſſitatem. Hi fuerunt Monachi Adrumentini ſub duce Floro. Quorum errorem ut compeſceret Sanctus Doctor, illoſque in hac materia probè inſtrueret, ſcripſit duas epiſt. ad Valentinum illius monaſterij præfectum, quæ ſunt 46. & 47. Scripſit etiam hac occaſione duos præclariſſimos libros, unum de gratia, & libero arbitrio, alterum de correctione, & gratia, ut refert idem Sanctus Doctor, *lib. 2. Retract. cap. 66.* Econtra verò Vitalis quidam Carthaginenſis, & alij, cùm tantam gratiæ neceſſitatem, quantam Auguſtinus prædicabat, neſcirent, vel ſcire nollent cum arbitrij componere libertate; ut hanc tuerentur, cœperunt in hac cauſa minùs rectè ſentire. Licèt enim à Pelagiano dogmate magna ex parte recederent, palamque admitterent neceſſitatem gratiæ ad ſalutem: nihilominus ut hanc eſſe in arbitrij facultate exponerent; affirmarunt initium fidei, ut aliarum imperfectarum affectionum non eſſe ex gratia, ſed ex arbitrij viribus, & induſtria. Supervenientia verò gratiæ dona diſpenſari dixerunt juxta diverſam hanc ex libero arbitrio in negotio ſalutis inchoationem; ne Deus vel ſatagentibus negaret, vel otioſis concederet. Quem errorem, & quaſi totius Semipelagianiſmi primitias, confutavit acriter Auguſtinus in epiſtola ad prædictum Vitalem, quæ eſt 107. ubi oppoſitam, & catholicam doctrinam firmat argumento deſumpto ex orationibus Eccleſiæ, quæ frequenter rogat Deum, ut infideles convertat ad fidem. *Inaniter*, arguit Auguſtinus, *& perfunctoriè, potius quam veraciter pro eis, ut doctrinæ, cui adverſantur, credendo conſentiant, Deo fundimus preces; ſi ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem ſuam ipſi fidei contrarias hominum voluntates.* Et poſt alia argumenta concludit: *Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, unde fit liberum: nam qui oppugnat gratiam, qua noſtrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipſe arbitrium ſuum adhuc vult eſſe captivum.* Quibus ſui ingenij, & induſtriæ laboribus compeſcuit Doctor S. duas illas, contrariaſque inter ſe ſcintillas, quæ Africæ minitabantur incendium: nec ampliùs ibidem ſerpere viſæ ſunt.

Error Monachorum Adrument.

Error Vitalis Carthaginenſis.

D. Auguſt.

180. Sed convulſæ ex Africa errorum fibræ radices iterum profundiores egerunt apud Gallos, & graviorum inter catholicos diſceptationum dederunt cauſas; quos ſicut Africanos, in duas factiones, aut ſectas diviſerunt. Quidam enim Monachos Adrumentinos imitantes, cùm viderunt Auguſtinum docere nedum gratiam eſſe neceſſariam ad piè vivendum, ſed gratis etiam omninò dari ſecundùm æternum, & omninò gratuitum Dei propoſitum; cenſuerunt arbitrium per gratiam tolli, electoſque vi ſolius prædeſtinationis ſalvari, peccatores verò vi ſolius reprobationis damnari; & conſequenter peccata non obeſſe electis, nec prodeſſe reprobis bona opera. Qua de cauſa iſtius dogmatis patroni *Prædeſtinatiani* appellati ſunt: quorum meminerunt Sigebertus *in Chronico anno* 415. Hincmarus *in epiſt. ad Nicolaum Papam*, & alij.

Gallorum aliqui imitantur errorem Monachor. Adrument.

Qui fuerint Prædeſtinatiani.

Hanc hæreſim amplexus inter alios fuit Lucidus quidam presbyter magni nominis: quem ut ad veritatis tramitem reduceret Fauſtus ex Abbate Lerinenſi Regienſis Epiſcopus, non levem navavit operam, & data epiſtola monuit, quæ deberet anathematizare: & relatis diverſis, ac inter ſe contrariis erroribus concluſit: *Nos verò per medium, Chriſto duce, gradientes, poſt gratiam, ſine qua nihil ſumus, laborem laborioſæ ſervitutis aſſerimus: ſed omnino arrogantiam, & præſumptionem laboris excludimus; ut totis viribus deſudantes, ne gratia in nobis evacuetur, quidquid de manu Domini ſuſceperimus, donum pronuntiemus eſſe, non pretium: ſcientes laboris ipſius fructum officij rem eſſe, non meriti; cum Evangeliſta dicentes: Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Cui doctrinæ acquievit Lucidus, eamque, & totam Fauſti epiſtolam approbarunt quindecim Epiſcopi in Concilio Arelatenſi, ut refert Baronius anno 490. Ipſe verò Lucidus aliam epiſtolam ſcripſit ad Epiſcopos in Concilio Lugdunenſi congregatos, in qua per varios articulos Prædeſtinatorum hæreſim damnavit, & tandem veram fidem profitens adjecit: *Ita autem aſſero gratiam Dei, & annisum hominis, & conatum gratiæ ſemper adjungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam, & infirmatam eſſe pronuntiem; & periclitari eum, qui ſalvus eſt, & eum, qui periit, potuiſſe ſalvari.* Qua Lucidi (qui inter Prædeſtinatianos eminebat) confeſſione, & catholicorum Galliæ Epiſcoporum diligentia, error ille ferè in ſuo exortu ſuffocatus fuit; ſed poſtea Vviclephus, Lutherus, Calvinus, & alij hæretici eandem peſtem redintegrarunt, & veterem cicatricem refricaverunt, ut ſuprà vidimus *cap. 3. §. 1.* cum ſequent.

Fauſtus.

Lucidus.

181. Quidam verò ex Galliſ per oppoſitum extremum, cùm ut Prædeſtinatianorum errori ſeſe

Origo Semipelagianorum Maſſilienſiũ.

ſeſe opponerent, cùm ut Auguſtini inſignem gloriam, quam proſtratis Pelagianis reportaverat, obſcurarent; ejus ſcripta carpere, ſententiam deſerere, efficaciam gratiæ ab ipſo aſſertam confutare, ac tandem Pelagio non in paucis connivere cœperunt. Palam autem Pelagianorum dogma proſequi auſi non ſunt; ſed illud potiùs in quibuſdam refellebant: tum ne ſententiam contra Pelagium latam incurrerent: tum quia viri erant Catholici, licèt in hac parte ſeducti. Hac de cauſa Semipelagiani vocari meruerunt: quia videlicet quædam Pelagij aſſerta negarent, quædam verò aſſererent: ſimiliter etiam aliqua ab Auguſtino contra Pelagium aſſerta tuerentur, aliqua verò impugnarent. Præcipui hujus concordiæ, ſeu medij inter Auguſtinum, & Pelagium auctores fuerunt quidam presbyteri Maſſilienſes, quos cap.... recenſebimus. Graviora verò capita, in quibus à Pelagio receſſerunt, fuerunt duo, nempè dari peccatum originale, quo parvuli infecti naſcuntur, & neceſſariam eſſe gratiam Dei, ſine qua nemo valeat conſequi ſalutem. Ita conſtat ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Divum Auguſtinum in quibus S. Doctorem certiorem faciunt de novo errore, qui apud Gallos pullulare, & diffamari tunc cœperat.

In quibus diſſentiebant à Pelagio.

D.Proſper. Hæc inquit Divus Proſper, *ipſorum definitio, ac profeſſio eſt, omnem quidem hominem Adam peccante peccaſſe; & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari.* Et Hilarius: *D.Hilarius.* *Conſentiunt*, ait, *omnem hominem in Adam periiſſe, nec inde poſſe quemquam proprio arbitrio liberari.* Quibus aſſertionibus Pelagianam hæreſim magna ex parte declinabant, & determinationi Eccleſiæ ſe ſubjiciebant. Unde *D. Auguſt.* S. Auguſt. in lib. de Prædeſtin. Sanctorum quem hac occaſione ad Proſperum, & Hilarium tranſmiſit, loquens de his Maſſilienſium aſſertis ait: *Retenta ergo iſta, in qua pervenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore diſcernunt.*

Capita, in quibus Auguſtino repugnabant.

182. Auguſtini autem ſententiam impugnabant præſertim in duobus, nempè quia aſſerebat electionem æternam Dei independenter ab operibus; & quia adſtruebat aliqua dona gratiæ adeò efficacia, ut non ſolùm ſine illis aliquid boni fieri non poſſet, ſed ut cum illis infallibiliter fieret, & cum illis ſimul oppoſitum fieri non poſſet. Quam doctrinam tradiderat S. Doctor cum aliis pluribus locis, tum præcipuè *in libro de correct. & gratia.* Has rancoris, & contradictionis radices detegunt Proſper, & Hilarius in *D.Proſper.* epiſt. cit. *Multi ſervorum Chriſti* (inquit Proſper) *qui in Maſſilienſi urbe conſiſtunt, in Sanctitatis tuæ ſcriptis, quæ adverſus Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium Patrum opinioni, & eccleſiaſtico ſenſui, quidquid in eis de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum diſputaſti.* Et infrà: *Recenſito autem hoc Beatitudinis tuæ libro* (nempe de correct. & gratia, in quo pleniſſimè, & clariſſimè eam doctrinam expoſuit) *ſicut qui ſanctam, atque Apoſtolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea ſequebantur, intelligentiores, inſtructioreſque ſunt facti; ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, averſiores, quàm fuerunt, receſſerunt.* *D.Hilarius.* Et Hilarius, relata illa Auguſtini ſententia, *Nunc verò ſanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ datur* (nempè quale Adamo, nempè ſufficiens, & præſtans poſſe) *ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint;* addit: *His verbis ſanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi.* Ut autem ſententiam Auguſtino in his præcipuæ parvulis contrariam exponerent, & tuerentur, oppoſita præjaciebant principia adverſaque inferebant conſectaria. Quæ majoris claritatis gratiâ breviter, ac ſigillatim ſubjicere libet. Præmonemus tamen nos minimè affirmare omnia Semipelagianorum aſſerta eſſe dogmata hæretica, erronea, vel temeraria; cùm videamus eorum aliqua à viris catholicis defendi: ſed hoc judicium, ſicut & omnia noſtra Romanæ Eccleſiæ ſubmittimus. Quid verò hactenus contra Semipelagianos ab ea decretum fuerit, §. 5. conſtabit. *Nota.*

§. I.

Quid ſenſerint Semipelagiani de prædeſtinatione, & præſcientia Dei.

183. HÆc duo conjungimus tum quia unius notitia nequit facilè ab alterius cognitione ſeparari: tum ut à certioribus inchoëmus; evidentior quippè eſt ſententia Maſſilienſium in his punctis, quàm in aliis. Priùs tamen de prædeſtinatione dicemus. Quæ bifariam accipi poteſt: primò ſtrictè pro efficaci tranſmiſſione electorum ad gloriam: ſecundò pro quolibet Dei decreto efficaci, & abſoluto circa noſtros actus. In utroque ſenſu negarunt Semipelagiani prædeſtinationem Dei, quæ actus noſtros antecederet, & inferret: quia exiſtimarunt hujus prædeſtinationis nomine fatalem quandam neceſſitatem induci, qua arbitrij libertas everteretur. Unde conſequenter aſſerebant nihil Deum circa noſtros actus, & ſalutem prædeſtinaſſe, ſeu decreviſſe; niſi priùs præſciendo, in quam partem ſeſe inclinaturum eſſet liberum arbitrium.

Semipelagiani negarunt decreta Dei efficacia antecedentia noſtrã libertatem.

Quòd ſic ſenſerint, conſtat ſatis manifeſtè tum ex Divo Proſpero in epiſtola citata, ubi ait: *Removeri dicunt omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates; & ſub hoc nomine prædeſtinationis fatalem neceſſitatem induci.* *D.Proſper.* Et circa finem inquit: *Penè omnium par invenitur, & una ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque praviderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate, & actione, præſcierit.* Tum etiam & præcipuè ex Fauſto Regienſi, qui ex Prædeſtinatianorum impugnatore factus eſt Semipelagianorum anteſignanus: *Fauſtus Regienſis.* hic enim in duobus libris de gratia (extant tom. 4. Biblioth. Sanctum Patrum) apertiſſimè proponit ſuam. & ſuorum ſententiam. Nam lib. 1. cap. 10. exponens illa verba Apoſt. ad Rom. 2. *Et tunc reddet unicuique ſecundùm opera ſua*, inquit: *Adverte, quia dum dicit ſecundùm opera ſua, ſalutem hominis non in prædeſtinatione factoris, ſed in operatione famulantis largitor gratia collocavit.* Et cap. 11. ait: *Igitur dum liberi interemptor arbitrij* (ſic appellat ſanctiſſimum patrem Auguſtinum) *in alterutram partem omnia ex prædeſtinatione ſtatuta, & definita eſſe pronuntiat; etiam ſuprema remedia pœnitentiæ ſenſu abruptæ impietatis evacuat.* Similia habet cap. 13. & 16. ubi concludit: *Novum ergo remedium nihil agere potuit, ſi ante ſæcula res humanas definitio vetuſta præfixit.* Et lib. 2. cap. 2. ait: *Præſcientiam, & prædeſtinationem Dei malè intelligunt*

Digitized by Google

velligunt aſtruentes , quod inde humanorum actuum cauſa naſcatur. Et poſt aliqua : *Agnoſce,* inquit, *quòd præſcientia Dei de materia humanorum actuum ſumat exordium. Quid de nobis præſcire , aut præordinare debeat Deus, quantùm pertinet ad futurum , in profectu hominis defectuque conſiſtit.*

Tenuerunt circa prædeſtinationem ſententiam Auguſtino prorſus contrariam.

184. Tum denique quia Semipelagiani in explicando negotio prædeſtinationis ſententiam Auguſtino prorſus oppoſitam tenuerunt, ut conſtat ex illis verbis Proſperi ad Sanctum Doctor. *contrarium putant Patrum opinioni , & Eccleſiaſtico ſenſui , quidquid in eis de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum diſputaſti.* Unde cùm certum ſit Auguſtinum docuiſſe Deum prædeſtinare homines , & prædefinire eorum opera independenter ab operibus prævilis ; planè conſtat Semipelagianos contrariam tenuiſſe aſſertionem , nempè prædeſtinationem , & prædefinitionem, Dei non præire ſcientiam futurorum, ſed potiùs præſcientiæ horum inniti. Quorum doctrinam iterùm refutavit, & ſuam ſententiam, querimonias Maſſilienſium ſpernens , aſſeruit S.Doctor in libro de prædeſtinatione Sanctorum quem occaſione epiſtolæ Proſperi ſcripſit: nam cap. 17. ait , *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione , in qua Deus ſua futura facta præſcivit : electi autem ſunt de mundo ea vocatione , qua Deus id , quod prædeſtinavit, implevit.* Et cap. 20. *Prædeſtinatione* , inquit, *Deus ea præſcivit , quæ fuerat ipſe facturus; unde dictum eſt, Fecit, quæ futura ſunt.* Legatur Petrus Diaconus apud Fulgentium de Incarnatione & gratia cap. 8. ubi hæc habet : *Quorum omnium ſanctorum Patrum imbuti doctrinis anathematizamus Pelagium, & Cæleſtium, ſimulque etiam Iulianum Edanenſem, & qui illius ſimilia ſapiunt ; præcipuè libros Fauſti Galliarum Epiſcopi , qui de monaſterio Lyrinenſi profeſſus eſt : quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt. In quibus non ſolùm contra doctrinam horum ſanctorum Patrum* (nempè Auguſtini , & ejus diſcipulorum) *verùm etiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens , humano labori ſubjungit gratiæ adjutorium.*

D. Auguſt. ſprevit Maſſil. querimonias aſſerens decreta Dei ab ipſo efficacia.

Petrus Diaconus.

185. Ex his haud obſcurè conſtat , quid de præſcientia Dei circa futuros eventus ſenſerint Semipelagiani. Cùm enim minimè admitterent prædeſtinationem , & prædefinitionem Auguſtinianas , quibus Deus, inconſulto arbitrio creato, ejus opera decerneret (cauſabantur quippè , per hæc abſoluta , atque efficacia decreta neceſſitatem fatalem induci) compulſi ſunt admittere, quòd Deus ante ſuæ voluntatis determinationem præſcierit futuros eventus , & in quam partem liberum arbitrium ſeſe flexurum eſſet ; & quòd huic præſcientiæ ſuam prædeſtinationem , & decreta accommodaverit. Liquet hoc tum ex teſtimoniis proximè relatis. Tum etiam ex D. Proſpero in epiſtola citata, ubi ait ; *Qui autem credituri ſunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſint juvandi , manſuri ſunt ; præſciſſe dicunt ante mundi conſtitutionem Deum : & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratìs vocatos dignos futura electione , & de hac vita bono fine exceſſuros præviderit.* Tum ex Fauſto lib. 2. cap. 3. ubi ait : *Aliud eſt præſcire , aliud prædeſtinare: præſcientia gerenda prænoſcit , poſtmodum prædeſtinatio retribuenda deſcribit : præſcientia de alieno ſubſiſtit actu , prædeſtinatio de judicio ſuo: à præſcientia, quæ ſunt noſtra, produntur ; à prædeſtinatione, quæ ſunt, præparantur ; ac per hæc niſi præſcientia exploraverit , prædeſtinatio nihil decernit.* Et cap. 6. inquit : *Sed dicis : Cùm adhuc non egiſſent aliquid boni , aut mali ; jam præfinitis partibus deputantur. Quid mirum , ſi quorum actus prævidit , eorum exitus præſignavit? Et ideò ſicut eos curſum vivendi pro arbitrio proprio diſpoſituros eſſe conſtabat ; ita pro Dei potentia prænoſcuntur , pro juſtitia præordinantur: hoc totum de eis prædicitur, non præfinitur.* Ex quibus liquet totius prædeſtinationis cardinem poſitum fuiſſe à Semipelagianis in hac futurorum præſcientia, quæ non inniteretur decreto Dei ; ſed per quam dirigeretur Dei propoſitum.

Semipelag. decreverunt Deum ante ſuum decretum præſcire futura.

D. Proſper.

Fauſtus.

186. Quam doctrinam extendebant non ſolùm ad futura abſoluta, quæ aliquando erunt ; ſed etiam ad futura conditionata , quæ nunquam erunt ; eſſent tamen poſita conditione. Cùm enim ab Auguſtinianis urgerentur exemplo parvulorum , qui cùm omnes inficiantur peccato originali , & initium bonæ voluntatis non habeant; quidam eorum baptizantur, & ſalvantur , quidam autem baptiſmo , & ſalute deſtituuntur : reſpondebant apud Divum Proſperum epiſtola citata : *Tales perdi , taleſque ſalvari , quales futuros illos in annis majoribus , ſi ad adultam perveniſſent ætatem , ſcientia divina prævideri*t. Pariter, cùm Auguſtini diſcipuli ab eis inquirerent, cur iſtis, & non illis, Evangelium prædicaretur; *Dicebant* , refert Proſper , *diſpenſaſſe Deum tempora, & miniſteria prædicationis, juxta quod prævidebat aliquos credituros , & exorturam eſſe bonarum credulitatem voluntatum.* Et D. Hilarius epiſt. ad Auguſt. inquit : *Cùm autem dicitur eis, quare aliis, vel alicubi prædicetur , vel non prædicetur ; vel nunc prædicetur , quòd aliquando penè omnibus , ſicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum ſit ? Dicunt id præſcientiæ eſſe divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel non annuntietur , quando , & ubi prænuntiabatur eſſe credenda.*

Hujuſmodi præſcientiam extendebant ad eventus conditionatè futuros.

D. Hilarius.

187. Cùm autem hoc Semipelagianorum ſubterfugium notiſſimum eſſet Divo Proſpero , & aliis Auguſtini diſcipulis ; conſuluit Proſper Sanctum Doctorem in epiſtola citata. *An per præſcientiam poſſit ſtare propoſitum , an verò præſcientia quodam ordine ſit ſubnixa propoſito ?* Non quia Proſper , & alij Auguſtiniani de mente præceptoris dubitarent, quem aliundè ſciebant talem præſcientiam decreto Dei non innitentem pluribus locis , & ſæpenumerò rejeciſſe : ſed ut evidentiùs ſuum ſenſum aperiret , & ſententiam auctoritate Scripturæ firmaret : quò faciliùs poſſent aſilum , & carioſum illud Maſſilienſium fundamentum proſternere. Sanctus autem Doctor mentem , & diſcurſus Semipelagianorum ex informatione Proſperi perfectè callens , prædictam præſcientiam ab eis aſſertam iterùm , ac evidentiùs rejecit in libro de prædeſtinatione Sanctorum quem ad Proſperum tranſmiſit : nam cap. 14. explicans illud Sapient. 4. *Raptus eſt , ne malitia mutaret intellectum ejus,* inquit : *Dictum eſt enim ſecundùm pericula vitæ hujus ; non ſecundùm præſcientiam Dei , qui hoc præſcivit , quod futurum erat , non quod futurum non erat : id eſt, quod mortem ei immaturam erat præſtiturus , ut tentationum ſubtraheretur incerto ; non quòd peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.* Quibus verbis ſatis expreſſit Deum non præſcire aliquid eſſe abſolutè , vel conditionatè futurum, niſi quod ipſe decreverit fore abſolutè , vel conditionatè futurum. Et in libro de bono perſeverantiæ , quem etiam hac occaſione , & contra errores

S. Auguſt. iterum, atque iterum rejecit ſcientiam mediam.

Digitized by Google

errores Maſſilienſium ſcripſit, ait cap. 17. *Si bona opera dantur à Deo, & ſe daturum eſſe praſcivit, profectò pradeſtinavit*, id eſt, decrevit, aut ſtatuit. Et ſtatim: *Hac*, inquit, *dona Dei, ſi nulla eſt pradeſtinatio, quam defendimus, non praſciuntur à Deo.* Quid plura? In eodem lib. cap. 9. retractavit Sanctus Doctor, vel ad meliorem ſenſum reduxit aliquas propoſitiones, in quibus ſignificaverat Deum ante ſuum decretum futura præſciſſe; & quibus Semipelagiani abutebantur, ut prædictam ſcientiam conditionatam majori auctoritate defenderent, ut refert Hilarius *in epiſtola citata.* Hujuſmodi erat illud dictum in libro de ſex quæſtionibus Paganorum, *Tunc voluit Chriſtus apparere, quando ſciebat, & ubi ſciebat, qui erant in eum credituri.* Quod aſſerit Sanctus Doctor intelligendum eſſe ſine præjudicio aliarum cauſarum, inter quas computatur prædeſtinatio, ſive determinatio divina, *& ad eas cauſas pradeſtinationis hac divina judicia pertinere, ſine quarum cauſarum latentium prajudicio tunc iſta reſpondere me dixi.*

S. Auguſt. retractavit, qua vel apparenter poterant ſcientia media favere.

188. Cujus retractationis, ſive expoſitionis (quæ ſcientiam illam conditionatam non ſuffultam Dei determinatione prorſus evertit) habemus teſtem omni exceptione majorem, & fideliſſimum Sancti Auguſtini diſcipulum, nempè Angelicum præceptorem 3. *parte quaſt.* 1. *artic.* 5. ubi proponit ſecundum argumentum, quòd plures ſalvati fuiſſent, ſi à principio humani generis Deus incarnatus fuiſſet. Ad quod ita reſpondet:

D. Thom.

Dicendum, quòd Auguſtinus ad hoc reſpondet in libro de ſex quaſtionibus Pagan. dicens quaſt. 2. quod tunc voluit Chriſtus hominibus apparere, & apud eos pradicari ſuam doctrinam, quando, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri: his enim temporibus, & his locis tales homines in ejus pradicatione futuros eſſe praſciebat, quales non quidem omnes, ſed tamen multi in ejus corporali praſentia fuerunt, qui nec in eum ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Sed hanc reſponſionem reprobans idem Auguſtinus in libro de Perſever. cap. 9. dicit: Nunquid poſſumus dicere Tyrios & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credituros noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent; cùm ipſe Deus atteſtetur eis, quòd acturi eſſent magna humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum illa ſigna virtutum? Proinde, ut ipſe ſolvens ſubdit, ſicut Apoſtolus ait: Non eſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei, &c. Unde Semipelagianorum errori debemus, quòd ejus evertendi cauſa D. Auguſt. ſuam ſententiam magis explicuerit: quam poſtea Proſper, Fulgentius, aliique Sancti Doctoris diſcipuli, & præcipuè Divus Thomas amplexati, ac tutati ſunt, ut latè oſtendimus *tract.* 3. *diſp.* 10. per totam, & ex dicendis in hoc opere evidentiùs apparebit.

Semipelag. dicebant certitudinem pradeſtinationis eſſe ex praſcientia.

189. Conſequenter ad relata principia aſſerebant Semipelagiani prædeſtinationem non habere certitudinem ex ſe, ſed ex ſola præſcientia: ut ſcilicet illud tantùm eſſet certò futurum, quod Deus præſciviſſet fore futurum; & decreviſſet, ut eſſet, quando, & ubi futurum eſſe prævidebatur, juxta illud Fauſti, & ſociorum commune aſſertum: *Niſi praſcientia exploraverit, pradeſtinatio nihil decernit.* Inferebant etiam ex iiſdem principiis prædeſtinatorum numerum non eſſe certum, & infallibilem; ſed poſſe pro arbitrij creati minui, vel augeri, ut referunt Proſper, & Hilarius: quia non revocabant certitudinem prædeſtinationis in decretum irrevocabile Dei; ſed in voluntates creatas præſcientiæ divinæ objectas, quæ pro ſua mutabilitate converti in bonum, aut malum poſſunt. Majorem quippe voluntatis humanæ determinationem præjudicium libertati allaturam formidabant, ut ſtatim dicemus.

Fauſtus.

§. II.

Quid Semipelagiani dixerint de bono perſeverantia, & gratia efficaci.

Doctrina D. Auguſt. circa donum perſeverantia.

190. DOcuerat S. P. Auguſtinus *in libro de correct. & gratia* donum perſeverantiæ eſſe adeò certum, & efficax, ut cum eo non ſolùm queant homines perſeverare; ſed tale etiam, ut eo poſito nequeant non perſeverare. *Nunc verò*, inquit cap. 12. *Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei pradeſtinatis non tantùm tale adjutorium perſeverantia datur; ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Non ſolùm enim dixit ſine me nihil poteſtis facere: verùm etiam dixit, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Quibus verbis eis non ſolùm juſtitiam, verùm in illa etiam perſeverantiam ſe dediſſe monſtravit. Chriſto enim ſic eos ponente, ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat; quis audeat dicere? Forſitan non manebunt?* Et deinde: *Non ſolùm datur adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare, ſi velint; ſed eis operatur etiam & velle.* Ac tandem concludit: *Subventum eſt ergo infirmitati voluntatis humana, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur, & ideò quamvis infirma non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* Quam doctrinam latè ibi confirmat, & capite 14. addit: *Deo volenti ſalvum facere nullum humanum reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.*

Error Semipelag. ad eam doctrinam.

D. Hilarius.

191. Hæc Auguſtini de gratia perſeverantiæ doctrina admodùm ingrata fiat Maſſilienſibus, qui paſſim eam liberiori licentia vellicare cœperunt, ut ſcripſit Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum his verbis: *Deinde moleſtè ferunt ita dividi gratiam, qua vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret, ut perſeveraret; ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc verò ſanctis in regnum per gratiam pradeſtinatis non tale adjutorium perſeverantia datur; ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. His verbis ſanctitatis tua ita moventur, ut dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi.* Hanc autem efficaciam, quam dono perſeverantiæ ad totam ſalutem non concedebant, etiam negabant cuivis auxilio reſpectivè ad particulare opus pietatis, pro quo tribuebatur à Deo: ſed aſſerebant quamlibet gratiam ſubſterni arbitrij diſpoſitioni, poſſeque pro ejus nutu invalidam reddi, atque ſuo effectu privari, ut refert idem Hilarius epiſtola citata. *Quidquidlibet*, ait, *donatum ſit pradeſtinatis, id poſſe & admittere, & retinere propria voluntate contendunt. Quod tunc falſum eſſet, ſi verum putarent eam quoſdam perſeverantiam percepiſſe, ut niſi*

Semipelag. negant omne adjutorium Dei, quod ex ſe habeat efficaciam.

perſe

Digitized by Google

perſeverantes eſſe non poſſint. In ſumma diſtinctionem illam gratiæ ſufficientis, & efficacis, ſive auxilij *ſine quo*, & auxilij *cum quo* ab Auguſtino *in libro de correct. & gratia*, traditam palam reſpuebant, aſſerendo gratiam quidem à Deo deſcendentem ſufficientem eſſe; quòd autem pariat, aut non pariat conſenſum, ex arbitrij determinatione pendere. Quæ fuerat etiam aſſertio Vitalis Carthaginenſis, ut refert Auguſt. in epiſtola ad eundem, ubi hæc ponit ipſius verba: *Operatur Deus, quantum in ipſo eſt, ut velimus, cùm nobis nota fiunt ejus eloquia: ſed ſi eis acquieſcere nolumus, nos ut operatio ejus nihil nobis proſit, efficimus.* Et ita non admittebat gratiam efficacem, ſeu inferentem effectum, niſi dependenter ab ipſo conſenſu arbitrij. Id verò ſtatim refellit Auguſtinus ſubdendo: *Quæ ſi dicis, profectò noſtris orationibus contradicis.*

Vitalis Carthaginenſ.

D. Auguſt.

192. Cùm verò Semipelagiani negare non poſſent dari quaſdam vocationes Dei efficaces, ſive parientes conſenſum, prædictumque effectum non eſſe Deo caſualem, ſive præter intentionem, ſed fuiſſe ab æterno decretum: multumque hoc argumentationis genere ab Auguſtinianis vexarentur: ut ejus vim declinarent, & infringerent, recurrebant ad illam præſcientiam conditionatam §. præcedenti deſcriptam. Unde illam appellabant gratiam efficacem, & operantem, quam Deus tribuebat, quando, & ubi præviderat habituram eſſe effectum: totamque efficaciam, & nexum gratiæ cum operatione ad ſcientiam illam, & præſcitas circunſtantias revocabant, ut manifeſtè colligitur ex relatione Proſperi ad Auguſtinum epiſtola citata, ubi ait: *Hanc ſanè de humanis meritis præſcientiam Dei, ſecundùm quam gratia vocantis operatur, multò ſibi rationabiliùs videntur adſtruere, cùm ad earum nationum contemplationem venitur*, &c. ubi ut vides, efficaciam vocationis, nempè *gratiam operari*, reducebant ad præſcientiam Dei de operatione humana futura. Et quidem non inconſequenter ad illud commune inter eos principium deſumptum ex Fauſto lib. 2. cap. 3. *Niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit:* ac ſubindè colligebant, Niſi præſcientia exploraverit, gratia prædeſtinationi, ſeu decreto Dei reſpondens nihil efficit; operatur autem ſecundùm præſcientiam Dei de futuro tunc eventu. Pari enim ratione decretum Dei, & gratiam, quæ mandatur executioni, metiebantur: ut ita à fatali neceſſitate, quam niſi ſcientia exploraſſet, libertati imminere cenſebant, arbitrium creatum eximerent.

Revocabant efficaciam donorum Dei ad præſcientiam uſus liberi arbitrij.

193. Sed prædictus modus conciliandi gratiam, & libertatem ſummoperè diſplicuit D. Auguſtino & veris ejus diſcipulis, & ab illis ſæpe ſæpiùs, ac manifeſtè repulſus eſt. Quia verò hoc latè oſtendimus *tract. 3. diſp. 10.* & ampliùs conſtabit ex dicendis, *diſp. 7.* per totam, non oportet in eo ulteriùs demonſtrando hìc immoremur. Sat modò ſit ſubjicere judicium Joannis Phelippæi Societatis Jeſu tom. 1. Comment. in Oſeam Prophet. cap. 2. verſ. 14. pag. 500. ubi ſtatuit, quòd *Scientia conditionata non benè deſervit explicandæ gratiæ Dei efficaci; quam primò in enarranda gratiæ vi, & efficacia Patres non uſurparunt; imò quam nullam eſſe graviſſimi inter illos gratiæ propugnatores aſſeruerunt.* Quod ibi oſtendit urgentibus teſtimoniis Sanctorum Auguſtini, Proſperi, & Fulgentij, & ſubdit: *Quæ non aſſero, ut negem futura conditionata, aut ſcientiam illam Dei, quæ à recentioribus Conditionata, aut Media appellatur, quam & adſtitui hoc ipſo cap. 2. verſiculo 3. ſed ut declarem tres illos graviſſimos Patres, qui præ cæteris omnibus doctiſſimè, & ſubtiliſſimè de gratia diſputarunt, longiſſimè abfuiſſe ab eo gratiæ efficacis ſenſu, qui per ſcientiam mediam, & conditionatam rationem reddit efficacitatis, quæ eſt in gratia, cum libero arbitrio cohærentis.* Probat ulteriùs eandem aſſertionem validis argumentis. Sed pluris facimus audiſſe ingenuam, & ultroneam eam confeſſionem circa ſententiam Auguſtini, & ipſius diſcipulorum à perdocto Theologo Societatis.

Modus conciliationis à Semipelagianis excogitatus diſplicuit D. Auguſt. & aliis Patribus.

Joan. Phelippæus.

§. III.

Quid docuerint Semipelagiani de viribus arbitrij, & neceſſitate gratiæ ſufficientis.

194. Cum Maſſilienſes peccatum origi...e confiterentur, ut in principio hujus capitis vidimus; conſequenter dixerunt hominem in hoc ſtatu naturæ lapſæ debiliores vires habere, ac haberet in ſtatu naturæ integræ: ac ſubinde non poſſe nunc ſuis viribus præſtare cuncta, quæ in eo ſtatu valeret. Unde ad rectè operandum, & volendum, quæ ſunt opera hominis ſani, concedebant neceſſariam eſſe gratiam ſufficientem, ſive præſtantem vires, & poſſe. Cæterùm ad petendum, & deſiderandum ſalutem, qui ſunt affectus hominis infirmi, ſufficere arbitrabantur vires relictas in homine poſt peccatum. Cùm autem nemo deſideret, & petat ſalutem, niſi credat ſalvatorem; colligebant affectum credendi, & fidem ipſam antecedere gratiam Chriſti, & fieri ſolis viribus arbitrij. Quamobrem diſtinguebant opera virtutum ab affectu, ſeu initiis benè operandi: dicebantque illa eſſe hominis ſani, & adjutorio gratiæ indigere; hæc autem eſſe hominis infirmi, & non expoſcere gratiam, ut ſatis ſe explicat Fauſtus lib. 1. cap. 17. ubi ait: *Et ita ſe duo iſta conjungunt attrahentis virtus, & obedientis affectus, quomodo ſi æger aliquis aſſurgere conetur, & facultas animum non ſequatur; & propterea ſibi dexteram deprecetur. Clamat voluntas: quia ſola per ſe elevari neſcit infirmitas. Ita Dominus invitat voluntatem, attrahit deſiderantem, erigit adnitentem.* Et idem ſignificat Caſſianus collat. 13. cap. 9. quem reprehendit Divus Proſper in libro adversùs illum cap. 8. his verbis: *Doces ergo non poſſe hominem per ſemetipſum apprehendere ſanitatem; ſed habere eum à ſemetipſo deſiderium ſanitatis, & ſua tantum ſponte venire ad medicum; non etiam hoc ipſum medici eſſe, quòd veniat.*

Maſſilienſes dicebant affectum credendi, & initia benè operandi eſſe ex viribus naturalibus.

Fauſtus.

D. Proſper.

195. Fundamenta autem, ut ſic diſcurrerent, duo præcipuè erant. *Primum*, ne Deus videretur injuſtus perſonarum acceptor, quoſdam ſua gratia ditando, quoſdam verò ſpernendo; ſi otioſis ſua auxilia diſpenſaret, & ea ſtudioſis non tribueret. *Secundum*, ut exponerent ſalutem in hominis manu conſtitutam eſſe; & Deum invitis ſtudium virtutis non immittere. Ad hoc quippè ponebant eas inchoationes virtutis ex ſolo arbitrio pendentes, ut qui ſtudioſè ſe gereret, ulteriùs conſequeretur gratiam, & ſalutem; qui verò pœnitus à deſideriis, & affectibus bene vivendi torperet, ad gratiam non traheretur, aut compelleretur invitus. Et hac ratione totum negotium ſalutis, & hominum in eo diſcretionem revocabant ad illa virtutum initia è libero arbitrio fluentia,

Motiva hujus erroris.

Digitized by Google

fluentia, aut exercita, aut præviſa; ut ſuprà declaravimus, & ſatis exprimit Fauſtus libro 1. capite 19. ubi ait: *Deus pro ratione juſtitiæ per ſe effectum non peragit; quia voluntatem ejus, qui eſt purgandus, expectat.* Et ibidem, *Quòd ſi eum putas attrahere nolentes, cœleſti juſtitiæ iniquitatis pondus imponis.* Et libro 2. capite 10. ait: *Niſi fuerit præmiſſa devotio, gratia vileſcit oblatio: ſimulque verecundia remunerantis eſt, ſi honoretur otioſus, remuneretur ingratus.* Conſequenter ad prædicta principia alias aſſertiones, & conſectaria docebant, quæ maximè diſplicuerunt Auguſtinianis. Hujuſmodi erant, gratiam prævenientem, & cooperantem requiri ad bona opera, ſecus autem ad initia benè operandi. Gratiam dari ex meritis. Dum ex ſpectare noſtras voluntates, ut purgari velimus. Homini facienti, quod ex viribus arbitrij poteſt, Deum dare gratiam; & alia hujuſmodi, ut videri poteſt apud Alvarez *diſputatione ſecunda de Auxiliis*, & Suarium *prologomeno 5. capite 5.* cum ſequent.

Fauſtus.

Conſectariá illius erroris à Maſſilienſibus tradita.

196. Circa prædictas verò Maſſilienſium aſſertiones aliqua dubia ſe offerunt, quorum diffuſior deciſio ex dicendis in hoc tractatu conſtabit. Modò autem oportet aliqua breviter attingere, & hìc ſummariè reſolvere. Et quidem primò certum eſt Semipelagianos veram aliquam gratiam internam, ſufficientem, & ſupernaturalem admiſiſſe ſaltem ad perfectionem bonorum operum, & conſecutionem ſalutis, ut oſtendit Suarez *loco citato, capite ſexto, dubio 2. & 3.* & facilè conſtat ex dicto capite præcedente, §. 4. & 5. ubi oſtendimus Pelagianos eam gratiam admiſiſſe in ultimo ſui dogmatis ſtatu, qui cum Semipelagianiſmo ferè continuatus eſt. Dubium autem occurrit, an eam gratiam prorſus negaverint ad initium fidei, & ſalutis, cùm aſſerebant illud eſſe *ex nobis*: bifariam quippè poteſt accipi illud *ex nobis*. Uno modo ut ſignificat actus illos initiales fieri abſque ullo gratiæ adjutorio: ſecundo ut ſignificat fieri quidem cum gratia, tali tamen ut ſolùm moraliter excitet, & præſtet ſufficientiam determinabilem per arbitrium creatum, eique ſubjectum.

Quo ſenſu aſſeruerint initia ſalutis eſſe ex nobis?

197. In qua difficultate Janſenius *libro 8. de hæreſi Pelagiana* docuit abſolutè Semipelagianos non poſuiſſe initium fidei, & benè operandi in ſola natura omni gratia deſtituta; ſed in natura ea præcisè gratia adjuta, quæ præſtaret poſſe indifferens, & non inferret infallibiliter agere. Sed hic dicendi modus, ut ſe extendit ad omnes Semipelagianos, eſt falſus: conſtat enim ex epiſtola Proſperi ad Auguſtinum aliquos ſaltem Semipelagianos omnem gratiam ab initio fidei, & initio benè operandi rejeciſſe, ſola facultate naturæ contentos. *Quidam verò horum*, inquit, *in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, ut cùm ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur; ne ſi meritis redditur, fruſtra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint uniuſcujuſque hominis pertinere, in qua cùm nihil priùs merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrij, & rationalis, gratia creatoris inſtituat: ut per diſcretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus ſuam poſſet dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, pervenire; per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando: ut ideo arripiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene uſus, ut ad iſtam ſalvantem gratiam; initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Ex quibus conſtat hujuſmodi Semipelagianos vel omnem negaſſe gratiam ad initia fidei, & ſalutis, vel gratiæ voce ſolùm ſignificaſſe gratiam initialem, quæ in eorum ſenſu ſolùm erat gratuita creatio humanæ naturæ. Quæ gratiæ acceptio frequens etiam fuit apud Pelagianos, ut vidimus *cap. præced.*

Prima opinio Janſenij.

Rejicitur.

D.Proſper.

198. Alij verò exiſtimant doctrinam Semipelagianorum proximè relatam non fuiſſe apud illos communem; ſed plures admiſiſſe gratiam internam ſufficientem pro initiis fidei, & bene operandi; ejus tamen conditionis, ut non determinaret efficaciter arbitrium, ſed ejus nutui ſubjaceret, eſſetque proinde pediſſequa voluntatis. Ita Franciſcus Macedo ex ordine Minorum: quem refert, & ſequitur Gonet *diſp. 2. de hæreſi Semipelagiana, articulo 3. num. 16.* Et poteſt probari, tum ex modo loquendi Divi Proſperi, verbis proximè relatis, ait enim velut per exaggerationem: *Quidam horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant*, &c. ſupponit ergo cæteros aliter ſenſiſſe. Tum etiam quia idem Proſper epiſtola citata ait: *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuam plantaſiam non negant eſſe præventas.* Quibus ſatis indicat nonnullos Semipelagianorum admiſiſſe gratiam pro humanis meritis, quæ ipſi in illis initiis fidei, & bene operandi ponebant: gratiam tamen comitem, quæ ſimul videlicet influeret; non præviam, quæ voluntatem determinaret, & ad eos actus impelleret. Tum præterea quia Gennadius (quem Semipelagianum fuiſſe oſtendemus §. ſequenti) eandem doctrinam exponit in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, ubi ait: *Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus: ut acquieſcamus ſaluiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt.* Et Fauſtus libro 1. capite 11. *Ad Dominum ſemper eſt referendus laboris effectus. Qui verò vel initium operum ſibi præſumit arrogare, vel finem, ad illum meritò dicitur pſal. 126. Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Et libro 2. capite 6. explicans verba Apoſtol. ad Romanos 9. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt*, addit: *Cùm ergo audis ex vocante dictum eſt, invitantem intellige, non cogentem*, id eſt efficaciter moventem, juxta ſenſum Auguſtini, cujus expoſitionem, ſuppreſſo nomine, impugnat. Similia habet Caſſianus *collat. 13. capite 3.* Tum denique quia Semipelagianorum dogma eò collimabat, ut excluderet gratiam Auguſtinianam, qua determinaretur arbitrium, & efficaciter traheretur ad unam partem, ut ipſi loquuntur apud D. Proſperum epiſt. ad Auguſtinum, *Removeri omnem induſtriam, tolli virtutes, & merita, & fatalem quandam neceſſitatem induci, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates.* Econtra verò aſſerebant Deum conferre omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, & in hoc ſenſu interpretabantur Apoſtol. dicentem: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ut obſervavit Suar. *ubi ſuprà dub. 4.* in principio. Sed cum hac doctrina optimè cohærebat, quòd Deus impertiretur gratiā ſufficientem ad illa initia bene operandi, quæ Semipelagiani comminiſcebantur; ita ut talis gratia non determinaret arbitriū, ſed potiùs ejus determinationem expectaret, ut ſimul cum ipſo influeret.

Aliorum opinio.

Franciſcus Macedo. Gonet.

D.Proſper.

Gennadius.

Fauſtus.

Studium Maſſil. in oppugnando gratiam efficacem Auguſtinianam.

Digitized by Google

Satis ergo veroſimile eſt, quòd aliqui ſaltem Semipelagianorum non excluſerint neceſſitatem gratiæ ſufficientis ad initia ſalutis; ſed tantùm gratiam efficacem Auguſtinianam.

Præcedens opinio admittitur.

199. Hæc motiva, & alia, quæ facilè poſſent expendi, non mediocrem probabilitatem afferunt horum Auctorum opinioni; quam proinde amplectimur, licèt alij Theologi etiam ex Thomiſtis contrarium ſupponere videantur; vel rem hanc ex profeſſo non tractent. Quòd ſi objiciatur Conſtitutio Innocentij X. in qua tanquam falſam, & hæreticam damnat hanc propoſitionem Janſenij: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam, talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Id, inquam, ſi objiciatur; dupliciter diluitur à prædictis Auctoribus. *Primò*, reſpondent ad falſitatem propoſitionis copulativæ (qualis erat illa Janſenij) ſufficere, quòd una ex componentibus ſit falſa. Et ita accidit in prædicta copulativa: ſecunda enim propoſitio falſa eſt, & meretur cenſuram Pontificis, redditque totam copulativam falſam, & hæreticam; licèt prima propoſitio ſit vera, & non videatur ſubjecta determinationi Pontificis; cùm contineat rem facti, & ad fidem non pertinentem. Reſpondent *ſecundò* primam etiam propoſitionem falſam eſſe, & Pontificis cenſuræ ſubjectam: quoniam peccat in ſubjecto, & prædicato. In ſubjecto quidem: nam ſupponit abſque diſtinctione omnes Semipelagianos ita ſenſiſſe; cùm tamen eorum aliqui docuerint oppoſitum, ut num. 196. contra Janſenium oſtendimus. In prædicato etiam: quia aſſerit Semipelagianos admiſiſſe gratiam prævenientem; cùm tamen gratia ab eis conceſſa, nempè prorſus indifferens, & determinabilis per arbitrium non ſit verè præveniens, ſed comitans tantùm & pediſſequa voluntatis, ut ex D. Proſpero vidimus num. præced.

Objectio. *Diluitur.*

Tertiò, & meliùs poteſt reſponderi Innocentium damnaſſe illam Janſenij propoſitionem: quia tacitè feriebat aliquorum catholicorum opinionem hactenus non damnatam ab Eccleſia: cujus proinde determinationem debuit expectare Janſenius, & aliquibus catholicis hæreſis notam minimè inurere contra decretum Pauli V. & aliorum Pontificum, qui id facere vetuerant.

Replica.

200. Scrupulus tamen adhuc animum pungit: quoniam Semipelagiani eam gratiam negabant requiri ad initium boni operis, quam confitebantur neceſſariam eſſe ad perfectionem ejuſdem operis, & ad conſecutionem ſalutis, ut ſatis conſtat ex ſuprà dictis numero 193. Atqui Semipelagiani nec ad conſummationem boni operis, nec ad conſecutionem ſalutis admiſerunt neceſſitatem gratiæ efficacis ab Auguſtino aſſertæ: hanc quippè perpetuò oderunt ut libertati contrariam: ſed ſolùm docuerunt gratiam ſufficientem deſiderari ad bonum opus conſummandum, & ſalutem conſequendam. Ergo credibile non eſt Semipelagianos admiſiſſe, quòd gratia præveniens, & ſufficiens requireretur ad initium boni operis; ſed certum videtur, quòd ab initio prædicti operis omnem prorſus veram gratiam excluſerint, & ſolam naturam pro illo ſufficere dixerint.

Solutio.

Nihilominus perſiſtendum eſt in reſolutione proximè tradita, quam hæc replica non elevat. Nam, ut rectè obſervavit Suarez *ubi ſuprà dubio quarto*, gratia illa, ſive auxilium, quæ Semipelagiani aſſerebant eſſe præmium noſtrorum conatuum, & ſupponere initium boni operis, tribuique ad ejus conſummationem, & perfectionem; duplicem reſpectum importat: alium ad ipſum præſentem actum, cujus ea gratia dicitur præmium, illum perficiendo, & conſummando: alium ad ſubſequentes actus, vel ad perſeverandum in bono incepto. Si ergo gratia conſideretur ſecundùm hunc poſteriorem reſpectum, & cum habitudine ad futurum; negabant Semipelagiani eſſe gratiam efficacem, ſive quæ infallibiliter afferret eos affectus: neſciebant quippe, aut nolebant hoc efficacitatis genus conciliare cum libertate: & ita in hoc ſenſu ſolùm admittebant neceſſitatem gratiæ ſufficientis pro conſummatione boni operis, & conſecutione ſalutis. Si autem gratia conſideretur ſecundùm priorem illum reſpectum ad actum præſentem, inchoatum, quem ſupponit, & cujus dicitur præmium; non negarunt Semipelagiani eſſe gratiam efficacem, ſive quæ infallibiliter communicaret effectum, nempè prædicti operis profectum, & conſummationem. Immò verò id palam ſignificarunt, ut conſtat ex Caſſiano collatione trigeſima, capite ſeptimo, ubi ait: *Quantulamcumque ſcintillam ex corde noſtro emicuiſſe conſpexerit, eam confovet, ſuaque inſpiratione confortat.* Et capite octavo, ait: *Cùm ortum bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim.* Et in hoc ſenſu potuerunt Semipelagiani aliter diſcurrere de initio, ac de conſummatione boni operis; atque ideò negare eam gratiam eſſe neceſſariam ad initium, quam ad conſummationem boni operis neceſſariam eſſe dicebant: licèt tam ad initium, quàm conſummationem boni operis neceſſitatem gratiæ ſufficientis, & arbitrio ſuperadditæ confiterentur. Nam gratia pro initio data erat prorſus ſufficiens, determinabilis, & fruſtrabilis: gratia verò, quæ, ſuppoſito eo initio, conferebatur, non erat merè ſufficiens, ſed ſuam etiam efficaciam habebat reſpectu perfectionis præſentis ejuſdem operis, modo proximè explicato. Et juxta hanc doctrinam diſpellitur ſcrupulus proximè propoſitus, concedendo majorem, & diſtinguendo minorem ſecundùm duas gratiæ efficacitates proximè traditas, & negando abſolutè conſequentiam.

Quo ſenſu Semipel. admiſerint adjutorium efficax pro operis conſummatione.

Caſſianus.

201. Secundò dubitari poteſt, quodnam meriti genus adſtruerent Semipelagiani, cùm affirmabant gratiam dari ex merito fidei, aut aliorum actuum, quos initia benè operandi vocabant. Conſtituebantne in prædictis actibus meritum de condigno reſpectu gratiæ ſuperventuræ, an meritum præcisè de congruo? In qua difficultate certo certius nobis videtur Semipelagianos meritum præcisè de congruo conſtituiſſe: quod & viſum eſt Alvarez *diſp. 2. de auxiliis num. 27.* Suario *ubi ſuprà dub. 7.* Vaſquez *1. part. diſp. 89. cap. 5.* Joanni à S. Thom. *diſput. 3. art. 4.* Gonet *diſp. 2. ſect. 4.* & aliis communiter. Probatur efficaciter ex ipſis Semipelagianorum verbis: nam Caſſianus lib. 12. de inſtit. renunt. cap. 14. ait: *Dicimus ſecundùm Salvatoris ſententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & à quærentibus inveniri: ſed petitionem, & inquiſitionem, & pulſationem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei, quod petimus, dederit*, &c. Ubi apertiſſimè excludit condignitatem, atque ideò meritum de condigno ab operibus noſtris reſpectu gratiæ conſequendæ. Et ſimilia habet *collat. 13. cap. 13. & cap. 16.* Fauſtus etiam, ut refert Gennadius in ejus vita, dicere

Semipelag. meritum præciſe de congruo adſtruebant in initiis benè operandi reſpectu gratiæ.

Fundamentum. Caſſianus.

Fauſtus.

Digitized by Google

dicere ſolebat : *Quidquid libertas arbitrij pro labore pia mercedis acquiſierit, non eſſe propriè meritum, ſed gratiæ donum.* Meritum autem de condigno eſt propriè meritum. Idemque ſignificavit idem Fauſtus libro 1. capite 17. his verbis : *Sed ante omnia arrogantiam laboris reſugiamus, nec nobis quiſquam de ejus meritis vindicemus ; ne Phariſæum imitari peſtifera juſtitiæ manifeſtatione videamur.* Et hac ratione ſalvare ſibi videbantur Semipelagiani veram rationem gratiæ in dono conatibus ſuperaddendo; & declinare hoc pacto hæreſim Pelagianam, ut ſignificavit Divus Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum, ubi refert Maſſilienſes aſſeruiſſe *non negari gratiam, ſi dicatur talis voluntas præcedere, quæ tantum Medicum quærat, non autem quicquam ipſa jam valeat.* Quaſi dicerent meritum illud, quod conatibus noſtris tribuebant, eſſe adeò imperfectum, & leve, ut rationem gratiæ ſimpliciter in dono conatibus adjiciendo minimè excluderet. Quod non aſſererent, ſi ſentirent conatus noſtros illud de condigno, ſivè ad æqualitatem mereri.

D.Hilarius.

1. Confirmatur.

Confirmatur primò : quia Semipelagiani ea tantùm ratione præmittebant conatus noſtros, & initia bene operandi, ut poſſent primam diſcretionem in negotio ſalutis revocare in liberum arbitrium ; ne Deus, eo inconſulto, aliquos admitteret ad regnum, & alios ab illo excluderet, & ita eſſet, ut ipſi calumniabantur, acceptor perſonarum. Ad hoc autem eorum propoſitum ſatis ſuperque erat conſtituere in conatibus noſtris quaſdam ſalutis occaſiones, quas Deus miſericorditer arriperet ad diſpenſandum inæqualiter ſuæ gratiæ dona, vel ad ſummum ſufficiebat conſtituere in prædictis conatibus meritum de congruo, ut ſatis apertè ſignificavit Caſſianus lib. 12. Inſtitut. capite 14. his verbis : *Præſto eſt namque* (ſcilicet Deus) *occaſione ſibi tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Ergo veriſimile non eſt viros alioqui doctos conſtituiſſe in conatibus naturalibus, atque imperfectis rationem meriti perfecti, ſeu de condigno reſpectu gratiæ ſupernaturalibus eis conatibus addendæ.

Caſſianus.

Secunda.

Confirmatur ſecundò : quia Concilium Arauſicanum II. damnavit ſigillatim, & ex profeſſo Semipelagianorum errores, ut videbimus §. 5. & tamen non damnat aſſerentes conatus noſtros mereri de condigno, ſive ex juſtitia gratiam ; nec hujus erroris meminit : ergo ſignum eſt, quòd Semipelagiani id non aſſeruerint. Immò verò ex Concilio colligitur oppoſitum : nam can. 6. inquit : *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitus, &c. reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes, quod non accepiſti.* Ubi id, quod à Deo tribui intuitu noſtrorum conatuum Semipelagiani dicebant, miſericordia appellatur, non juſtitia : quod non eſſet, ſi juxta eorum ſententiam illud donum, aut præmium compleret noſtra opera tanquam merita de condigno.

Concil. Arauſic.

Objectio.

202. Nec refert, ſi in favorem Ægidij Coninch, *diſputat. 4. de actibus ſupern. dubio 50.* & Joannis de Ripalda *libro 1. de ente ſupern. diſputat. 15. ſect. 3.* & quorumdam aliorum juniorum aſſerentium Semipelagianos conſtituiſſe in conatibus, & actibus naturalibus meritum de condigno reſpectu gratiæ ; opponas nobis Divum Proſperum *capite 6. contra Collat.* ubi ex ejus ſententia, & verbis infert gratiam eſſe debitam noſtris conatibus, ac ſubinde non eſſe gratiam. Quæ conſecutio nulla foret, ſi Caſſianus conatibus noſtris attribueret præcisè meritum de congruo : illud quippè non facit præmium debitum, nec gratiam præmiantis excludit. Verba autem Proſperi ſunt : *Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quòd, velis, nolis, convinceris dicere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari ; cùm aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmes ?* Et idem argumentum format Auguſt. in lib. de prædeſtinat. Sanctorum (quem ut Semipelagianorum errores confutaret, ſcripſit) capite 12. ubi ait : *Videte, ſi aliud agitur iſto modo* (illo ſcilicet, quo Semipelagiani diſcurrebant, & quem Proſper, & Hilarius Auguſtino renuntiaverant) *niſi & gratia ſecundùm merita noſtra detur quolibet modo, ac ſic gratia non ſit gratia.*

D.Proſper.

D.Auguſt.

Hoc, inquam, facilè diſpellitur : nam licèt Semipelagiani non intenderent conſtituere in conatibus naturalibus meritum de condigno reſpectu gratiæ ; ſed id palam, ac perſpicuis verbis negarent, ut vidimus numero 200. ex quo tamen admiſerunt meritum de congruo, cui infallibiliter præmium gratiæ rependeretur ; rationabiliter Auguſtinus & Proſper intulerunt (tametſi contra eorum intentionem, ut ſignificant illa Proſperi verba, *velis, nolis*) gratiam eſſe debitam de condigno, ac perinde non eſſe gratiam. Et bonitas prædictæ illationis ſtat in eo, quòd ad omne meritum requiritur, quòd ſit ejuſdem, vel ſaltem non inferioris ordinis cum præmio : alioqui nullum genus debiti, vel juſtitiæ, vel condecentiæ, ſeu congruentiæ valet erga illud fundare: res quippè inferioris ordinis non diſponit, nec coaptat ad formam altiorem. Unde cùm Semipelagiani dicerent conatus noſtros, eſſe meritorios ſaltem de congruo reſpectu gratiæ ; legitimè convincuntur concedere conatus noſtros, & gratiam eſſe ejuſdem ordinis. Quo poſitó, meritò infertur gratiam cadere, vel poſſe cadere ſub merito de condigno illorum conatuum.

Ex merito de congruo à Semipelagianis aſſerto colligitur etiam meritum de condigno.

Adde primò, Semipelagianos meritum illud poſuiſſe, ne Deus diceretur acceptor perſonarum, ſi gratiam otioſis conferret, & negaret laborantibus. Acceptio autem perſonarum non habet locum niſi in iis, quæ ex juſtitia debentur. Quamobrem optimo jure intulerunt Sancti Patres confici ex Semipelagianorum ſententia, quòd gratia debeatur ex juſtitia noſtris operibus tanquam meritis de condigno : licèt Semipelagiani id apertè negarent, & nollent conſecutionem admittere.

Adde ſecundò, ſanctos illos Patres abſurdum maximum reputaſſe, & pro inconvenienti intuliſſe, quòd gratia ſit debita conatibus naturalibus quolibet debiti, aut meriti genere : nam ſi eſt verè gratia, nullam exigentiam, aut meritum ſupponit in natura, nec in naturæ conatibus ; ſed hos, & illam prorſus excedit. Unde cùm Semipelagiani dicerent conatus noſtros mereri ſaltem de congruo gratiam ; meritò Auguſtinus & Proſper intulerunt gratiam illam non eſſe gratiam, ſed quid debitum & exactum à natura. Quod ſatis expreſſit Divum Auguſtinum verbis ſuprà relatis, *Niſi ut gratia ſecundùm merita noſtra detur quolibet modo.* De quo latiùs dicemus *diſp. 3. dub. 6. & 7.*

D.Auguſt.

203. Tertiò dubitari poteſt ; in quonam ſenſu Semipelagiani aſſeruerint Deum expectare noſtras voluntates, ut à peccatis purgari velimus ? Quod aſſertum frequens erat apud illos,

Quo ſenſu dixerint Deum expectare noſtras voluntates.

Fauſtus.

illos, ut conſtat ex Fauſto libro primo, cap. 7. & 10. & 11. & 19. ubi ait: *Porrò pro ratione juſtitia per ſe effectum non peragit: quia voluntatem ejus, qui eſt purgandus expectat.* Et idem docet Caſſianus *collatione 13. capite 12. & 13.* In hac difficultate Alvarez *diſputatione nonageſima quinta, & nonageſima ſeptima, de auxiliis, & libro tertio, Reſponſ. capite quarto,* exiſtimat Semipelagianos aſſeruiſſe Deum expectare noſtras voluntates, & conatus, quia poſita gratia prævenienti, & ſufficienti dicebant Deum non determinare arbitrium, ut cooperetur; ſed potiùs hanc determinationem, & inchoationem deſumi ex voluntate creata, quæ gratiam indifferentem, & ſufficientem ſibi datam applicaret, & determinaret ad operandum. Ita ut non verificetur: quia Deus operatur, voluntas creata cooperatur; ſed potiùs è contra fit verum: quia voluntas creata operatur, gratia Dei cooperatur. Suarez autem *prologomeno quinto, capite ſexto, à numero ſeptimo,* prædictam interpretationem ſpernit dicens eſſe nimis ſubtilem, & fundamento deſtitui. Ipſe verò autumat Semipelagianos in hoc ſenſu aſſeruiſſe Deum expectare noſtras voluntates: quia dicebant dari in nobis, & ex nobis aliquos conatus, & initia ſalutis, ſive actus imperfectos, quibus poſitis, & non priùs Deus impertiretur ſuæ gratiæ dona: & ita expectabat voluntates noſtras, ut diſpenſaret gratiam purgantem, atque ſanantem.

Prima opinio. Alvarez.

Secunda ſententia. Suarez.

Legitima dubij reſolutio.

204. Sed hæc difficultas determinanda eſt juxta ea, quæ ſuprà diximus *circa dubium 1. à numero centeſimo nonageſimo quinto.* Fuerunt enim aliqui Maſſilienſes adeò (ut loquitur Divus Proſper) à ſemitis Pelagij non declinantes, ut affirmarent initia ſalutis eſſe prorſus ex nobis, & independenter à gratia ſufficienti arbitrio ſuperaddita. Et hi conſequenter affirmare debuerunt Deum expectare voluntates noſtras non ſolùm ut inciperet determinare gratiam; ſed etiam ut totum actum initialem, ſive conatum eliceret, cui Deus poſtea gratiam velut præmium adjiceret. Et quantùm ad iſtos Semipelagianos Suarij ſententiam approbamus. Alij verò Maſſilienſes ab hæreſi Pelagiana magis declinantes admittebant gratiam ſuperadditam, & prævenientem etiam pro illis primis conatibus, & actibus initialibus: quam gratiam dicebant communiter omnibus tribui à Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri. Aſſerebant autem initium ſalutis eſſe ex nobis, quia exiſtimabant, quòd poſita illa gratia ſufficienti, & quaſi potentiali, homo ſe, & illam determinaret ad agendum, quin requireretur auxilium efficax, præoperans, Auguſtinianum, libertatis in eorum opinione inimicum. Et hi Semipelagiani in hoc ſenſu dicebant Deum expectare voluntates noſtras: quia nimirùm poſita gratia ſufficienti, Deus non inchoabat actum, ſed expectabat, ut voluntas ea gratia præventa ad bonum inclinaret, ſe & gratiam illam potentialem determinando: & ſic tandem Deus arbitrio operanti cooperabatur per gratiam. Et quantùm ad hos Maſſilienſes multò veriorem judicamus Alvarez opinionem.

Fundamentum hujus reſolutionis.

205. Quæ probatur tum ex dictis loco citato: nam eis ſuppoſitis, conſectarium erat ad eorum Semipelagianorum doctrinam aſſerere Deum expectare noſtras voluntates, quia illas non determinat efficaciter; ſed tantùm eis tribuit gratiam ſufficientem ab ipſis determinabilem: ac proinde, ut per gratiam cooperetur, debet expectare, ad quam partem ſe inflectat arbitrium. Tum etiam quia Fauſtus, & Caſſianus (in quorum ſcriptis reperimus aſſertum, Deum expectare noſtras voluntates) in eodem ſenſu id docuerunt, in quo affirmarunt initium ſalutis eſſe ex nobis: ſunt quippè iſtæ propoſitiones, inter ſe connexæ, & una alteram infert: atque Fauſtus, & Caſſianus dixerunt initium ſalutis eſſe ex nobis, non quia ab eo initio gratiam ſufficientem excluderent; ſed quia excludebant gratiam efficacem ab Auguſtino aſſertam; & ita primam conatuum inchoationem, & ipſius gratiæ quaſi paſſivam determinationem attribuebant arbitrio, ut conſtat ex dictis numero 197. ergo in eodem ſenſu dixerunt Deum expectare noſtras voluntates; nempè quia poſita gratia ſufficienti non adjicit efficacem; ſed expectat determinationem arbitrij, ut per gratiam ipſe cooperetur. Tum prætereà quia Semipelagiani dicebant Deum expectare noſtras voluntates; ne ſi eis non exploratis, & inconſultis, gratiam tribueret, videretur injuſtus gratiæ diſpenſator, & perſonarum acceptor: ſed hoc inconveniens ſatis vitabant dicendo Deum omnibus communiter tribuere auxilia gratiæ ſufficientis determinabilis per arbitrium; ulteriorem autem cooperationem eis tantùm adjicere, qui negotium ſalutis aggrediebantur, & gratiam ſibi datam determinabant, atque trahebant ad uſum: ergo vero ſimilius eſt aliquos ſaltem Semipelagianorum in hoc tantùm ſenſu aſſeruiſſe, quòd Deus noſtras voluntates expectat. Tum denique quia hæc noſtrarum voluntatum expectatio introducebatur à Semipelagianis, ut gratiam efficacem Auguſtinianam (libertati, ut ipſi allucinabantur, adverſam) prorſus excluderent: ſed ad hoc ſatis erat aſſerere, quòd poſita gratia ſufficienti, voluntas ſe, & illam ad operandum determinat abſque indigentia ulterioris auxilij efficaciter applicantis: hac quippè doctrina ſuppoſita, nulla arbitrij violentia, nulla neceſſitas apparet: ergo in hoc ſenſu loquebantur aliqui ſaltem ex peritioribus Maſſilienſibus.

Confirmatur urgentiùs: quia Semipelagiani dicebant Deum expectare eas voluntates, quas ipſi appellabant initia ſalutis, & merita gratiæ: atqui aliqui illorum pro iis initiis, & meritis non negabant gratiam comitem, ſeu cooperantem; ſed ſolam gratiam præviam, ſive præviè operantem, ut erat ſententia Auguſtini: ergo prædicti Semipelagiani in hoc eodem ſenſu aſſeruerunt Deum expectare noſtras voluntates, quia videlicet in eis præviè non operatur, ſed cum illis cooperatur, ſupponendo earum determinationem. Minor conſtat ex D. Proſpero in epiſt. ad Auguſtinum, ubi de Semipelagianis refert: *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas.* Motiva autem, quibus Suarius ſuam probat opinionem, ſunt majori ex parte negativa, atque perinde nullius ferè roboris: arguit enim Semipelagianos non loquutos fuiſſe in ſenſu à nobis explicato, quia ejus non reperit expreſſam mentionem in Patribus, & Conciliis. Sed eſto, ita ſit; nihilominus motiva hactenus expenſa ſatis evincunt veritatem noſtræ aſſertionis: quæ aliunde non obſcurè colligitur ex Patribus, & ex ipſorum Semipelagianorum verbis ſuprà nu. 197. relatis. Et cuncta ferè Suarij argumenta in ipſum retorqueri valent: quia Concilia & Patres, quorum teſtimo

Confirmatio.

D. Proſper.

Motiva Suarij diruuntur.

Digitized by Google

teſtimonia ipſe expendit, tantùm dicunt, & ſupponunt Semipelagianos aſſeruiſſe; quòd Deus noſtras voluntates expectet; minimè verò, quòd loquuti fuerint in eo ſenſu, quem Suarius prætendit. Unde nec ei favent, nec reſolutioni noſtræ adverſantur.

§. IV.

Qui fuerint principales Duces, & fautores Semipelagianiſmi.

Hæreſis Pelagiana continuatio.

206. VBi Pelagiana hæreſis deſiit, inde Semipelagianiſmus accepit exordium: unde illius finis, & hujus initium haud facilè queunt diſcerni. Nam declinante jam hæreſi Pelagiana ob repetitas in eam Pontificum, & Conciliorum animadverſiones; coacti ſunt Pelagij diſcipuli varias excogitare interpretationes, quibus & ſenſum præceptoris delinirent, & cenſuras in ſe latas aliquo modo retunderent. Quod facilè ſe aſſecuturos crediderunt, ſi robur doctrinæ Divi Auguſtini detererent, & aliqua nota infamarent. Idcircò ejus aſſertiones carpere cœperunt, eaſque præcipuè, quibus explicuit negotium prædeſtinationis, & efficaciam divinæ gratiæ. Et ij profectò primas Semipelagianiſmi duxerunt lineas: ex quibus fuit Vitalis ille Carthaginenſis, ad quem ſcripſit Divus Auguſtinus *epiſtola* 107. ut ſuprà obſervavimus *num.* 120. Fuerunt etiam alij Pelagiani, de quibus loquitur Auguſtinus *epiſtola* 107. quam multò ante tempora Maſſilienſium, ſcripſit, ubi ait: *Iam conclamantium religioſorum, & piorum vocibus preſſi ita ſe fatentur ad habendam, vel faciendam juſtitiam divinitùs hominum adjuvari, ut ſui præcedat aliquid meriti.* Sed hic error, quem in Pelagio damnarat Eccleſia, & clanculum apud aliquos fovebatur, palam erupit Maſſiliæ apud aliquos viros claros, & egregios, ut loquitur Proſper; ſed in Auguſtinum, ejuſque doctrinam malè animatos, ut rei probavit eventus. Horum nomina ſilentio prætererierunt Proſper, & Hilarius in epiſtolis ad Auguſtinum, fortè ne viros alioqui probos percellere viderentur, aut vulgi, cui grati erant, provocarent indignationem. Oportet tamen ex aliis Auctoribus inveſtigare, quinam fuerint Maſſilienſes illi, qui Auguſtini doctrinam impugnando Eccleſiam denuò turbarunt, & Semipelagiani vocari meruerunt. Conferet enim hoc plurimùm, ut diſcernamus inter illius ſcriptores, & ſciamus, quinam rectam doctrinam tenuerint, & qui Semipelagianiſmo infuſcati ſunt, oppoſitus quippe procedendi modus non mediocris erroris cauſa eſt, dum gravibus Auctoribus Semipelagianiſmi nota immeritò affingitur; & alij ab ea nota ſine fundamento eximuntur.

D. Auguſt.

Præcipui Semipelagiani recenſentur.

Caſſianus Semipelagianus.

207. Joannes Cassianus fuit unus ex præcipuis fautoribus Semipelagianiſmi, ut conſtat tum ex Divo Proſpero *in opere adversùs illum*, tùm ex diligentia Eucherij, Victoris, Caſſiodorij, Dionyſij Carthuſiani, & aliorum piorum virorum in expurgando Caſſiano à Semipelagianorum erroribus, tum & evidentiùs ex ejuſdem Caſſiani ſcriptis, in quibus non pauca reperiuntur, quæ Semipelagianiſmum redolent, & nequeunt niſi violenter excuſari. Unde Ado *in Chronologia anno* 425. monet, ut opera Caſſiani cautiſſimè legantur, præſertim cùm diſſerit de gratia, & libero arbitrio. Tum denique quia ita communiter ſentiunt omnes Doctores, qui de hac materia ſcripſerunt, ut videri poteſt apud Suarium *prologomeno quinto, capite quinto, à numero ſexto.* Quamobrem audiendi non ſunt Henricus Cuikius *Annotatione vigeſima, ad Collationem trigeſimam*, & Petrus Ciaconius *in annotat. ad eandem Collationem*, qui variis modis, ſed frivolis, & nullam probabilitatis ſpeciem habentibus Caſſianum excuſare, & ejus doctrinam benignè interpretari ſtuduerunt. Licèt autem Caſſianus in hac materia graviter erraverit, hæreticus tamen dicendus non eſt: quia illa Semipelagianorum doctrina nondum ab Eccleſia proſcripta fuerat, ut rectè monet Divus Proſper *in fine libri contra Collatorem.* Immò verò cætera Caſſiani opera utiliter legi poſſunt poſt emendationem Romanam, ut obſervat Bellarminus *libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & conſtat exemplo ſanctorum, ac piorum virorum, qui lectioni Caſſiani fuerunt non parum addicti, quos refert Cuikius *in præfatione.* Pro ejus etiam ſanctitate tuenda elucubrationem edidit Joannes Baptiſta Gueſnay integro volumine de Caſſiano illuſtrato. Florebat Caſſianus anno 440. ut communiter obſervant Auctores ſuprà relati.

Marcus eremita.

208. Ad idem tempus refert Suarez *ubi ſuprà, numero decimo ſeptimo*, Marcum Eremitam, quem *Patris* vocabulo honorat; & aſſerit ipſum, atque Caſſianum fuiſſe Divi Chryſoſtomi diſcipulos, nulloque Pelagianiſmi errore Marci libros infuſcari. Neſcimus verò, quis ſit iſte Marcus eremita, niſi ille, cujus, & ſub eodem nomine extant opera Theologica *tom.* 5. *Biblioth. Sanctorum Patrum.* Hunc autem refert Bellarminus *in libro de Scriptor. Eccleſiaſt.* ad annum 906. ac proinde nequivit eſſe ſocius Caſſiani, nec Chryſoſtomi diſcipulus. Addit Bellarminus: *Sed ea*, nempè Marci, *opera ita ſcatent erroribus contra fidem, ut ſuſpicari cogar vel ab hæreticis noſtri temporis confiĉta, aut valdè depravata fuiſſe: nec alia de cauſa hujus auctoris memini, niſi ut admonerem cautiſſimè eſſe legendum: non enim deſunt alij auctores pij, qui ſine tali periculo legi poſſunt.*

Bellarminus.

Fauſtus Regienſis Semipelagianorum anteſignanus.

209. Faustus ex Abbate Lerinenſi factus Regienſis in Gallia Narbonenſi Epiſcopus, magnam auctoritatem habuit apud Gallos; floruitque circa annum quadringenteſimum octavum. Is primò contra hæreſim Prædeſtinatianorum laborans, haud inglorius ab hoc negotio receſſit. Nam cùm Lucidum presbyterum ſua epiſtola ad ſaniorem ſenſum revocaſſet, ut numero centeſimo ſeptuageſimo nono vidimus; meruit ut ea epiſtola approbaretur in Conciliis Arelatenſi, & Lugdunenſi. Sed ipſe in extremum errorem nimis declinans ſcripſit poſtea duos libros de gratia Dei, & libero arbitrio, & de præſcientia, & prædeſtinatione: in quibus doctrinam Divi Auguſtini labefactare ſtuduit, & Pelagianorum dogmati (à quo fingit ſe procul ire) plurimùm favit. Cui operi ut majorem auctoritatem conciliaret, maxima aſtutia præfixit monumenta Conciliorum, quibus ſua epiſtola ad Lucidum fuerat approbata: ita enim lectorem fallendum exiſtimavit, dum crederet libros pariter probatos fuiſſe. De quibus Fauſti impoſturis agunt Baronius *anno* 490. & 555. & Spondanus *anno* 520. Sed capta eſt vulpes

Fauſti aſtutia.

in aſtutia ſua: nam ubi primùm Auguſtini diſcipuli prædicta opera viderunt, ſtatim contra ipſa clamarunt tam in Occidente, ubi notior erat Fauſti calliditas, quàm in Oriente, ubi minùs cognoſcebatur, & majorem poterat parare perniciem. In Occidente quidem Gelaſius Papa, Fauſti opera inter apocrypha rejecit. Quæ etiam validè confutarunt Divus Fulgentius, ut refert Sanctus Iſidorus *de viris illuſtr. cap.* 14. Cæſarius Arelatenſis, ut refert Gennadius *de ſcript. Eccleſiaſt. cap.* 86. Avitus Epiſcopus Viennenſis *in Chronol. anno* 492. & alij Occidentales Doctores. In Oriente autem Fauſti ſcripta validè confutavit Joannes Maxentius presbyter Antiochenus, vir ſatis eruditus in reſponſione ad Hormiſdam Romanum Pontificem: quæ extat *in Biblioth. SS. Patrum tom.* 6. Poſſeſſor etiam Epiſcopus Africanus Conſtantinopoli degens eundem Hormiſdam conſuluerat de operibus Fauſti, quæ auctoritate duorum illorum Conciliorum videbantur approbata; cùm alioqui plures haberent errores Pelagio ſatis faventes. Ad quem Hormiſdas reſcripſit illa tantùm ſcripta probari debere, quæ recipit examen Catholicæ fidei, & doctrinæ Eccleſiæ, Patrumque decretis conſentiunt. Quibus verbis alludit ad determinationem Gelaſij Papæ, qui Fauſti opera noluerat probare, ſed inter apocrypha repoſuerat. Denique Fauſti doctrinæ ubique ab Eccleſia Catholica fuit contradictum, ut teſtatur Baronius *anno* 490. & Petrus Diaconus ſancti Fulgentij diſcipulus *in libro de Incarnatione & gratia Chriſti, capite ultimo*, anathema dicit libris Fauſti. Unde audiendi non ſunt Gennadius, Trithemius, & Driedo *de captiv. & redempt. gen. hum. tract.* 4. *cap.* 2. *part.* 4. qui Fauſtum excuſare, ejuſque libros ad catholicum ſenſum trahere fruſtra conati ſunt: contrarium quippè evincunt & communis Eccleſiæ ſenſus, & manifeſti errores, quibus ea opera ſcatent; & odium apertum, quod adversùs Auguſtini doctrinam ubique propalat Fauſtus.

Ejus doctrina malè audit apud catholicos.

Et hæc quidem in Fauſti doctrinam eis libris contentam dirigimus; non in perſonam: illum enim ut quidam referunt, ad hæc uſque tempora Martyrologium Gallicanum, & Regienſis Eccleſia colit ut ſanctum, celebratque ejus natalem die 17. Januarij, ut obſervant Baronius *in appendice ad tom.* 10. & Spondan. ubi ſuprà num. 7. ubi ait: *Opinari compellimur de eodem Fauſto accidiſſe, quod de multis viris ſanctis aſſeritur, ut aut errorem correxerit, vel ante ſuorum ſcriptorum factam ab Eccleſia damnationem diem obierit (incertus eſt enim ejus obitûs annus) habens in animo in his ſequi, quod ſequendum doceret Eccleſia.* Sed qui totos ingenij nervos extendit in tutando ſanctitatem Fauſti, & obiter Caſſiani, & quorundam aliorum Maſſilienſium, eſt Joannes Euſebius Nierembergus in diſſertation. epiſtolicis, *epiſtola* 5. *ad Abbatem Sanctæ Anaſtaſiæ*, ubi folio 141. hanc pulchram regulam ad diſcernendum inter cauſas Pelagianorum, & Semipelagianorum nobis exhibet: *Pelagiani expungebantur Catholicorum numero; Eccleſiaſticis functionibus arcebantur; reſcriptis Imperatoriis damnabantur. Semipelagiani diu pro Catholicis habebantur, & in gradibus Eccleſiaſticis ſtare permittebantur. Sententia tamen illorum Synodali decreto, & Romanæ Eccleſiæ auctoritate tandem eſt damnata: ſic tamen ut ipſi Maſſilienſes, qui eam ante Concilium Arauſicanum tenuerant, non damnarentur.* Qui verò (hos à Semipelagianis diſtinguit) *abſolutum decretum prædeſtinationis contra Auguſtinum negabant, non modò non damnabantur hæreſis, ut Pelagiani, ſed nec erroris ut Semipelagiani: ſed permittebantur in ſuo ſenſu abundare; etſi fortiter eos Proſper, & alij Auguſtini defenſores refutarent.* Sed circa hoc ultimum punctum inquit Petrus Diaconus numero 183. relatûs: *Anathematizamus præcipuè libros Fauſti Galliarum Epiſcopi, quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt.* Baronius etiam tom. 6. anno 490. addit: *Cùm igitur Fauſti ſententiæ ubique ab Eccleſia catholica fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex Recentioribus, dum in Novatores inſurgunt, ut eos confutent, à Sancti Auguſtini ſententia de prædeſtinatione recedunt.* Qui fuerint ij Recentiores, quos Baronius benè noverat, facilè etiam cognoſcet lector. Sed nos nihil definimus, cuncta ſubjiciendo judicio Eccleſiæ. Videantur infrà dicenda *capite* 7. *Paragrapho primo, numero* 277.

Spondanus.

Nierembergij judicium.

Quanti faciendum.

Petrus Diaconus.

Baronius.

210. GENNADIUS presbyter Maſſilienſis circa annum 490. meritò Semipelagianis adſcribitur. Tum quia, ut rectè obſervavit Bellarminus in libro de ſcript. Eccleſiaſticis. *In eo libro, quem de viris illuſtribus ſcripſit, ſuſpicionem non parvam reliquit ſua non rectæ fidei. Laudavit enim Caſſianum, & Fauſtum, qui Semipelagiani fuerunt, & Sanctum Proſperum depreſſit, qui pro gratia Dei contra Pelagium fortiſſimè dimicavit.* Tum etiam quia Gennadius maxima falſitate aſſerit in eo libro, capite 48. Eccleſiam probaſſe opera Caſſiani; cùm oppoſitum evidenter conſtet ex ſuprà dictis num. 206. *Legi* (inquit agens de Proſpero) *& librum adversùs opuſcula, ſuppreſſo nomine Caſſiani, & quæ Eccleſia ſalutaria probat, ille infamat nociva.* Tum prætereà quia *in libro de Eccleſiaſt. Script.* Ruffinum plurimùm laudat, illumque Hieronymo præfert; cùm ipſe Ruffinus ſit ſuſpectus de hæreſi Pelagiana, ut ſæpè notavit Hieronymus, & conſtat ex dictis *cap. præced. à n.* 112. & ejus ſcripta ob hanc cauſam inter apocrypha à Gelaſio Papa reponantur. Unde meritò Baronius *anno* 433. *num.* 28. dicit Gennadium ejuſdem farinæ eſſe cum Caſſiano: *& anno* 490. *num.* 41. affirmat Gennadium fuiſſe unum ex Gallicanis Presbyteris, de quibus ob Semipelagianiſmum Proſper, & Hilarius apud Cæleſtinum Papam conqueſti ſunt: & eadem Caſſiani fuligine denigratum fuiſſe, cujus videtur affectatus eſſe veſtigia. Similiter Auctor cenſuræ *ad librum de Eccleſiaſtic. dogmat.* affirmat Gennadium adhæſiſſe Semipelagianis, librumque prædictum (qui non Auguſtini, ſed Gennadij eſt) continere non ſemel Semipelagianorum doctrinam, & proinde cautè legendum eſſe. Obſervat tamen Baron. *ubi proximè num.* 43. Gennadium Gelaſij præcepto emendatum factum fuiſſe planè catholicum, & aſſumptum poſtea ad Eccleſiæ Maſſilienſis epiſcopatum. Quod probat ex epiſt. Hadriani Papæ ad Carolum Magnum, ubi hæc habentur: *Sanctiſſimorum Pontificum hæc oblata ſunt teſtimonia, id eſt, S. Gennadij Maſſilienſis Epiſc.* &c. Et idem ſignificat Platina in vita Symmachi circa finem, ubi dicit Gennadium fuiſſe *diligentem Auguſtini imitatorem.* Quod referendum eſt ad tempus, quo poſt admonitiones Cæleſtini, & Gelaſij, Gennadius à Semipelagianiſmi ſordibus emerſit, & viam ſecuriorem inivit. Sed nobis incerta videtur hæc emendatio; cùm Gennadius ſcripta ſua, in quibus

Gennadius Semipelagianis addictus.

Bellarminus.

Gennadius.

Baronius.

Platina.

quibus Semipelagianis opitulatur, non correxerit; ſed erroris fibras inconvulſas reliquerit.

Severus Sulpicius. Gennadius. 211. Severum Sulpicium, ſancti Martini diſcipulum quidam Maſſilienſibus accenſent: quia Gennadius lib. de Viris illuſtr. cap. 19. de Severo agens inquit: *Hic in ſenectute ſua a Pelagianis deceptus, & agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium uſque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* Sed hæc, ſi vera ſunt, potiùs ſuadent Severum aliquando jacuiſſe in errore extremo Pelagianorum: tum quia Gennadius refert ipſum à Pelagianis ſeductum fuiſſe: tum quia credibile non eſt Gennadium, qui Semipelagianis adhæſit, Severum de ſolo Semipelagianiſmo notaſſe. Diximus, *Si vera ſunt*: quoniam **Guibertus Abbas,** Guibertus Abbas in compendio apologiæ Severi inquit: *Nunquam niſi in Gennadio legi Severum à Pelagianis ſeductum; qui neſcio, utrum hoc ipſe alicubi legerit, an ex ſola fama, quæ facta, infectaque docet, didicerit.* Obſervat autem Bellarm. *in lib. de Script. Eccleſiaſt.* libros Severi de ſacra hiſtoria, & dialogum & converſatione Orientalium cautè legendos eſſe ob aliquos errores, quos ipſe ibidem recenſet. Sed prædicti errores ad Pelagianiſmum, aut Semipelagianiſmum minimè ſpectant. Unde nullum ferè relinquitur fundamentum, ut Severum Maſſilienſibus adnumeremus: & illa Gennadij narratio viſa etiam eſt valde incerta Suario prolog. 5. cap. 6. num. 36. Sed quidquid ſit de Severi doctrina, certum eſt illum Catholicum obijſſe, ut conſtat ex Martyrologio Romano die 29. Januarij, ubi Sanctorum faſtis adſcribitur, & virtutis, ac eruditionis elogio laudatur.

Vincentius quidam Semipelagianus. 212. Vincentius quidam preſbyter Gallus tempore S. Proſperi palam Semipelagianorum tenuit ſententiam; & adversùs Auguſtini commentarios in Pelagianos ſexdecim propoſuit objectiones: quas ſingillatim diluit S. Proſper in opuſc. Reſponſionum ad objectiones Vincentianas. Qui autem fuerit hic Vincentius, non conſtat apud Auctores: & licèt Baronius anno 431. num. 138. conjectet fuiſſe Preſbyterum illum ejuſdem nominis, quem Gennadius refert eo tempore vixiſſe, & ſcripſiſſe in Pſalmos; id tamen non plenè conſtat, nec ipſe ſatis ſuadet. Ut ut ſit, certum debet eſſe auctorem illarum objectionum non fuiſſe Vincentium Lirinenſem, ***Alius à Vincentio Lirinenſi.*** celeberrimum Monachum, & Caſſiani contemporaneum, ut quidem ſolo nominis, ac temporis ratione ducti falsò exiſtimarunt. Tum quia Vincentius Lirinenſis *in opuſc. contra prophanas vocum novitates* validiſſimè, catholiciſſimè, & citra omnem erroris novum contra hæreticos diſputat: & hoc tantum opus ex Vincentio habemus. Tum quia *cap. 34. illius opuſc.* vehementer Pelagium objurgat, quia neceſſitatem gratiæ adjuvantis ad ſingulos actus negaverit: & *cap. ultim.* ſumma veneratione laudat epiſt. Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ, pro Auguſtino, & contra Semipelagianos ſcriptam. Tum quia Proſper *in præfat.* dicit Auctorem illarum objectionum finxiſſe prodigioſa mendacia: quod credi non debet de viro religioſiſſimo, qualem ſe oſtendit Vincentius in illo opuſculo. Tum denique quia ita ſentiunt communiter, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis tractarunt. Ex quibus **Bellarmin.** Bellarminus de Vincentio hoc Lirinenſi agens inquit: *Scripſit opuſculum parvum mole, ſed virtute maximum de prophanis vocum novitatibus. Libellus extat, & utiliſſimè legitur.*

213. Camillus, & Theodorus preſbyteri Genuenſes Maſſilienſium ſententiæ per idem tempus dederunt manus, & contra doctrinam S. Auguſt. decem objecere dubia. Quibus validè occurrit D. Proſper in opuſc. reſponſ. ad Excerta Genuenſium. **Camillus, & Theodorus Semipelagiani.** Hoc imitati ſunt quidam Galli, Semipelagianorum profectò fautores, qui adversùs Auguſt. ſcripſerunt quindecim objectiones. Quas etiam præclarè diluit S. Proſper opuſc. reſponſ. ad capitula Gallorum. Unde elucet, quanta fuerit Proſperi erga Auguſtinum fidelitas, & reverentia, & quam altè ſentiret de ſanctiſſimi Præceptoris reſolutionibus. Ejus enim hoſtes ubique ſcriptis, aliiſque diligentiæ ſtudiis inſectatus fuit, præcipuoſque adverſarios debellavit, nempè Caſſianum in lib. contra Collatorem; Vincentium verò, Camillum, Theodorum, & Gallos in opuſculis proximè relatis. Fauſti autem libros impugnare non potuit: quia editi ſunt poſt mortem Proſperi, & aliorum Auguſtinianorum cum Maſſilienſibus, poſt notam ſatis ſibi Romanorum Pontificum præſertim Cæleſtini, & Leonis Magni ſententiam, poſt Concilium Arauſicanum ſecundum, quod vel tempore Leonis, vel tempore Felicis III. congregatum fuit, cujus decreta Fauſtus ignorare non potuit; nihilominus eos libros Pelagianiſmo ſcatentes ediderit. Præſertim cùm Baronius *anno citato, num.* 38. referat Fauſtum abalienaſſe à ſe animos aliorum Epiſcorum, & inglorium deceſſiſſe. Hæc componere neſcimus cum his, quæ Baronius ipſe, & alij, præcipuè verò Nierembergus ſcribunt *locis num.* 203. *citatis.* Sed nondum hunc, quem noſtra non refert ſolvere, aliis præcidendum relinquimus.

214. Chrisostomum *Eccleſiarum omnium oculum*, ut loquitur Iſidorus Peluſiota libro 2. epiſt. 4. & *magnum Eccleſiæ Doctorem*, ut inquit Bellarminus *in lib. de Script. Eccleſiaſt.* lapſum fuiſſe in Semipelagianorum errorem, illumque ad Caſſianum ejus diſcipulum transfudiſſe docet **Chryſoſtomus alienus à Pelag. & Semipelagianorum erroribus.** Gabriel Vaſquez 1. *part. diſp.* 91. *cap.* 8. ubi id ex profeſſo oſtendere, benignaſque aliorum **Vaſquez.** Theologorum pro Chryſoſtomo interpretationes evertere ſtuduit. Sed hoc ſtudium nullam apud cordatos Scriptores adoream promeritum eſt, qui laborant potiùs, ut ſanctos Patres exponant, quàm ut infament. Pro defenſione autem S. Joannis Chryſoſtomi plura dicemus *infra diſp.* 3. *num.* 144. Unde in præſenti obſervare ſufficiat primùm, qui Chryſoſtomi famam infami illa nota aſperſit, fuiſſe Oecolampadium Lutheri diſcipulum, ut rectè obſervavit Sixtus Senenſis *lib.* 5. *Biblioth. annot.* 101. Vazquio autem præluxiſſe videtur Molina in concordia. quæſt. 14 **Molina.** art. 13. fol. 86. ubi hæc habet: *Patres antiquos, antiquaque Concilia legenti perſpicuum erit parum admodum lucis fuiſſe circa ea, quæ ad gratiam ſpectant, parumque illa fuiſſe ante Auguſtinum diſputata, & ante ortam Pelagij hæreſim; adeo ut Chryſoſtomus abſque ulla ſua culpa, humano more lapſus fuerit in aliquibus.*

215. Eandem, aut majorem etiam notam inurit Baronius Joanni Patriarchæ Hieroſolymitano 44. Quod probat Baronius *primò* ex epiſt. Auguſt. 252. ad prædictum Joannem, ubi ait: ***An Joannes Hieroſolym. ſit Semipelagianis, aut etiam Pelagianis adſcribendus. Opinio Baronij & mentio.*** *Pelagium verò fratrem noſtrum, quem audio, quòd multùm diligis; hanc illi ſuggero, ut exhibeas dilectionem, ut homines, qui eum noverunt, & diligenter audierunt, non ab eo tuam ſanctitatem exiſtiment falli.* Probat *ſecundò*: quia Joannes congregari fecit Synodum Dioſpolitanam,

Digitized by Google

nam, in qua Pelagius abſolutus eſt, & fefellit Epiſcopos. Probat *tertiò*: quia Pelagiani graviſſima facinora in Bethleemitico Cœnobio patrarunt, & Hieronymum eorum hoſtem vehementer afflixerunt: quod non videtur factum fuiſſe abſque tacito conſenſu Joannis Patriarchæ; cujus juri, & regimini ſubjectum erat illud Cœnobium. Unde Innocentius Papa *epiſt.* 24. Joannem reprehendit. Hæc, & alia minoris momenti aggregat Baronius, ut roboret malam opinionem, quam de Joanne ſe manifeſtat habere anno 415. num. 33. & anno 416. num. 31. & anno 444. & alibi frequenter.

Judicium Baronij improbatur.

D. Auguſt.

216. Hujus rei diſcuſſio parum ad præſens inſtitutum refert: quia Joannes nec in libro de inſtitutione Monachor ad Capraſium, nec in aliis operibus, quæ edidit Vvaſtelius, de hac materia diſputat. Sed quod ad relatam Baronij de Joanne opinionem attinet, cenſemus ſiniſtram eſſe, & ſolido fundamento deſtitui. Tum quia S. Auguſt. magna reverentia, & amoris indiciis alloquitur prædictum Joannem, ut conſtat ex epiſt. 252. ubi ait: *Quod tuæ ſanctitatis ſcripta non merui, nihil audeo ſuccenſere. Melius enim perlatorem credo defuiſſe, quam me ſuſpicor à tua veneratione contemptum, Domine beatiſſime, & merito venerabilis frater*, &c. Non autem ita ſe gereret Auguſtinus cum Pelagianorum, ut Baronius putat, fautore. Tum etiam & urgentiùs quia idem S. P. Auguſt. *in lib. de geſtis Pelagij cap.* 14. circa finem, multùm commendat, & argumentationem prædicti Joannis contra Pelagium: *Meritò*, inquit: *quod geſta indicant, etiam hoc ujus eſt teſtimonio* (nempè Gratia Dei ſum id, quod ſum. 1. ad Corinth. 15.) *Sanctus Joannes Hieroſolymitanæ Antiſtes Eccleſiæ; ſicut interrogatus, quæ apud illum ante judicium geſta fuerint Coepiſcopis noſtris, qui ſimul in illo judicio præſidebant, ipſe reſpondit.* Et epiſt. 106. hæc habet S. Doctor: *Ubi poſtremò illa teſtimonia, quæ Hieroſolymitana Antiſtes Eccleſiæ, ſicut in eiſdem geſtis legitur, ipſi Pelagio ſe dixiſſe commemorat; cùm ad eum perlatum eſſet, quòd ſine gratia Dei diceret abſque peccato hominem eſſe poſſe. Hæc ſunt enim ab illo dicta tria teſtimonia valdè magna contra hujuſmodi impiam præſumptionem, quod Apoſt. ait. 1. Corinth. 15. Plus omnibus illis laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum, & ad Rom. 9. Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. & Pſalm. 126. Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Ad quæ teſtimonia (quæ ſunt efficaciſſima contra Pelagij, & Semipelagianorum errores) alludens Auguſt. lib. nuper cit. cap. 30. inquit: *Quaſi non hoc ſe dixerit culpâſſe Joannes Epiſcopus; & velut giganteos montes adverſus ſupereminentiam gratiæ cæleſtis ſtructos, tribus divinorum teſtimoniorum, tanquam fulminum ictibus dejeciſſe.* Quæ teſtimonia S. Auguſt. pro Joannis ſtudio contra Pelagium pluris haberi debent, quàm omnes contrariæ Baronij conjecturæ.

Joannes Auguſtino charus.

Joannes Pelagianos egregiè impugnavit.

Joannis laudes.

217. Tum præterea quia prædictum Joannem ſanctitatis, virtutum, & doctrinæ laudibus inſignem plurimi Catholicorum prædicarunt: quod non feciſſent, ſi Joannem Pelagianiſmo exiſtimaſſent infectum. In primis enim Zoſimus Papa in epiſt. ad Epiſcopos Africanos ait: *Ecce epiſtolam Hieroſolymitani Epiſcopi Prailij, qui in locum quondam S. Joannis Epiſcopi eſt ordinatus, accepimus.* Anaſtaſius etiam Papa in epiſt. ad eundem Joannem quæ habetur tom. 9. oper. Hieronymi, inquit: *Tam eminenter, vir omnium præſtantiſſime, laudum tuarum fulges nitore conſpicuus, ut par meritis ſermo eſſe non poſſit.* Et poſt pauca, *Tui*, inquit, *Epiſcopatus ordo perſpicuus per diverſum orbem velut radians, etiam ad nos ſplendoris ſui detulit claritatem.* Et infra ait: *Quod verò ſit animi mei ſtudium, cum tua paulisper conferam ſanctitate.* S. Paulinus Nolæ Epiſcop. epiſt. 11. ad Severum Sulpit. ait: *Partem particulæ de ligno divinæ crucis, quod nobis bonum benedicta Melania ab Hieruſalem, munere ſancti inde Epiſcopi Joannis attulit.* Theodorus lib. 5. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 31. *Eccleſiæ* inquit: *Hieroſolymitanæ Epiſcopatum geſſit Joannes, vir planè inſignis.* Nicephorus Calixtus libro 14. cap. 30. ait: *Hieroſolymis Cyrillo divinus Joannes ſucceſſerat.* Joannes Molanus (*cujus nec brevem ſchedulam æquanimiter præterire ſe patitur* Baronius, ut ipſe loquitur in notis ad Martyrol. Rom.) Joannem ſanctis adſcribit in additionibus ad Martyrol. Uſuardi, pridie Idus Januarij. Et quod majus eſt, ut plura aliorum teſtimonia omittamus, Lucianus in apparitione ſibi facta circa inventionem corporum Protomartyris Stephani, & ſociorum, quæ facta eſt uno anno ante mortem Joannis, & quam refert Baronius anno 415. inquit poſt alia: *Et iterum Dominus Gamaliel eadem ſimilitudine, eodemque ſchemate apparuit mihi, ſicut in prima viſione dicens: Quare neglexiſti ire, & dicere ſancto Epiſcopo Joanni?* Et poſt aliqua: *Statim expergefactus benedixi Dominum, & perrexi ad civitatem ad ſanctum Joannem Epiſcopum.* Tum denique quia in dubio præſumendum eſt pro innocentia Joannis, quem videmus à ſanctis viris adeo commendatum: & motiva quibus Baronius ducitur, ut non ſolùm dubitet de innocentia Joannis, ſed ipſum inauditum condemnet, ſuſpiciones leves ſunt, quas facile eſt exſufflare.

Zoſimus Papa.

Anaſtaſius Papa.

D. Paulinus.

Theodorus.

Nicephorus Calixtus.

Joan. Molanus.

Lucianus.

Primum Baronij fundamentum diruitur.

218. Ad primum concedimus, quòd Joannes dilexerit perſonam Pelagij, quandiu ſub ovina pelle latebat. Hinc verò minimè ſequitur, quòd ejus doctrinam probaverit: ſed potiùs, quòd eam impugnaverit, & inſectatus fuerit, liquet ex dictis *num. præced.* Profectò nemo Pelagianiſmum ubique, & acriùs perſecutus fuit, quàm Auguſtinus: & ipſe tamen Pelagium dilexit, atque honorificè tractavit: nam in lib. de geſtis Pelagij cap. 27. illum vocat *dilectiſſimum, & deſideratiſſimum fratrem*, & epiſtola 106. de Pelagio agens inquit: *Dileximus & ſervum Dei, quia nobis recta fidei videbatur.* Quod feciſſe obſervat ipſe Auguſt. lib. 2. Retract. cap. 33. *quia vita ejus à multis prædicabatur*, ut latiùs tradidimus *cap. præced.* §. 2. Inter eos verò, qui tunc Pelagium diligebant, erat Joannes Hieroſolymitanus. Quod cùm ſciret Auguſtinus, & aliunde vafritiem Pelagij intelligere cœpiſſet; monuit Joannem (ſicut & alios monuerat) ne ab illo ſe permitteret falli: non dubitans de Joannis fide, ſed timens Pelagij aſtutiam, & catholicorum ſcandalum. Eadem ratione, & eiſdem ferè verbis monuit etiam S. Paulinum Nolæ Epiſcopum epiſtola 106. ubi ait: *Pelagium, quem credimus Britonem fuiſſe cognominatum, quod ut ſervum Dei dilexeris novimus; nunc autem quemadmodum diligas, ignoramus.* Et tamen Paulinus fuligine Pelagiana denigratus non fuit, ut docet ipſe Baronius. Immò Auguſt. epiſt. cit. de ſe ipſo teſtatur: *Sed aliter nunc diligimus, aliter aliquando dileximus: tunc enim quia recta fidei videbatur; nunc autem ut ab iis, quæ inimica, & adverſa*

D. Auguſt.

adverſa gratiæ ſentire dicitur, illius miſericordia liberetur. Id ergo, quod in ſe experiebatur Auguſtinus, ſatagebat, ut præſtarent alij Coepiſcopi catholici, & ſibi chari, quales erant Joannes, Paulinus, & alij; non dogma Pelagianum in eis reprehendens, ſed ne irreperet, cavens.

Secundum convellitur. Secundum fundamentum debilius adhuc apparet. Tum quia Joannes Hieroſolym. nec præfuit, nec adfuit Synodo Dioſpolitanæ; ſed Eulogius Cæſarienſis, totius Palæſtinæ Epiſcopus, ut notat ipſe Baron. anno 419. Unde ex eo, quòd in eo Concilio aliquid minùs cautè, aut bene geſtum fuerit; ſiniſtrè infertur Joannem fuiſſe delicti cauſam. *Innocentia Patrum Synodi Dioſpolitanæ.* Tum etiam & præcipuè quia illius Synodi Epiſcopi catholici erant, & ſe catholicè contra Pelagium geſſerunt, cunctaque catholico, & ſincero animo determinarunt: quamvis ipſe pro ſui ingenij vafritie eos fefellerit, & ad punctum principalis dubij ſincerè non reſponderit; ſed aſtutiſſimè gratiæ vocabulo naturam retinuerit, ac ſignificaverit. Conſtat hoc ſatis ex ſupra dictis *cap. præced.* §. 3. & præſertim ex S. Auguſt. qui frequenter Patres illius Concilij laudat, & ſinceram eorum fidem, imò & diligentiam commendat. Nam epiſt. 95. inquit: *D. Auguſt.* *Quapropter non culpandi ſunt Iudices, quia Eccleſiaſtica conſuetudine nomen gratiæ audierunt, neſcientes quid hujuſmodi homines vel in ſuæ doctrinæ libris, vel in ſuorum ſolent auribus ſpargere.* Et lib. de geſtis Pelagij c. 1. ait: *Reſponſiones ejus non immeritò approbaverunt, non curantes, quomodo ea, quæ objiciebantur in opuſculis ſuis poſuerit; ſed quid de his in præſenti examinatione reſponderit.* Et cap. 3. *Quapropter*, inquit, *& ſententia reſpondentis meritò Epiſcopis placuit.* Ex quibus liquet, quòd ſive Joannes præſens in eo Concilio fuerit, ſive non; culpandus de Pelagianiſmo non eſt: ſed, ſi adfuit, eas ſinceræ fidei laudes meruit, quas aliis ejus Synodi Patribus Auguſtinus defert.

Proſternitur tertium. Tertium motivum invalidum etiam eſt: quia Innocentius minimè reprehendit Joannem, quòd exiſtimaverit illum Pelagianis adfuiſſe, ſed ob aliquam negligentiam, quam habuerat in eorum adſultibus reprimendis, ut conſtat ex epiſt. Innocentij ad Joann. & ex alia ejuſdem Innocentij epiſtola conſolatoria ad Hieronym. in quibus nullum extat verbum, quod ſuſpicionem de minùs recta fide Joannis ingeneret. Immò & Hieronymus, ſub cujus regimine erant illæ ſacræ Virgines Bethleemitici Cœnobij, licèt Joannem ut minùs vigilantem paſtorem arguat; minimè tamen ipſi Pelagianiſmum objectat. Quod argumentum, etſi negativum videatur, haud levis ponderis eſt: nec enim illud crimen in Joanne diſſimulaſſet Hieronymus, qui alia minora in eo reprehendit, litigiaque non ſemel cum ipſo habuit ob falsò ſparſos inter utrumque rumores. Vnde Baronius, qui ex aliqua Joannis negligentia in cura paſtorali, colligit ipſius maculam in fide; longiſſimè illius fundamenti metas exceſſit. Mitius, & prudentius judicium protulit *D. Auguſtini modeſtia.* Auguſt. dum in prædicta cauſa judicium non protulit; ſed antiquam de fide Joannis retinuit opinionem. *De his autem*, inquit in lib. de geſtis Pelagij cap. ultim. *quæ poſt hoc judicium, ibi à quo neſcio cuneo perditorum, qui valde in perverſum perhibentur Pelagio ſuffragari, incredibili audacia perpetrata dicuntur, &c. tacendum potius video, & expectandum, quid illic fratres noſtri Epiſcopi de his tantùm malis agendum exiſtiment, quibus eos poſſe diſſimulare quis credat?*

Legatur idem S. Doct. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 51. ubi quàm altè ſentiret de fide Joannis, prodit his verbis: *Verumtamen ſi omnes per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, cathedra quid tibi fecit Eccleſia Romana, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſia Hieroſolymitana; in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet; quibus nos in catholica fide uniti connectimus, & à quibus vos nefario furore ſeparatis?* Quæ cùm ita ſe habeant, facilè poterat Eminentiſſimus Baronius Joannem excuſare: ſicut multò levioribus fundamentis tandem probavit ſanctitatem Fauſti manifeſtiſſimi Semipelagiani, ut vidimus *num.* 208. *Nota.*

219. Hieronymus, maximus Eccleſiæ Doctor, Pelagianorum fraudes ſcitiſſimè detexit, & eorum adſultús, ac dogmata ſtrenuiſſimè proſtravit, ut ſatis conſtat ex dictis *toto cap. præced.* Unde hîc nominandus non venit, quia vel leviſſimam ſuſpicionem de ejus doctrina habeamus: ſed ut moneamus lectorem non pauca reperiri inter opera S. Doctoris, ut vulgò circumferuntur, quæ ab ipſo non prodierunt; ſed monſtrua ſunt ex Averno Pelagianorum genita, & falsò Hieronymo aſſuta: quæ proinde cautiſſimè legere debet. *D. Hieron. Pelagianorum maſtyx.* Tomo 8. proſtant commentaria in omnes epiſtolas, quæ non ſunt Hieronymi, ſed Pelagij Hæreſiarchæ, ut manifeſtè colligitur ex D. Auguſt. *lib. 3. de peccat. merit. & remiſſ. collatis inter ſe cap. 1. & cap. 12.* & ſatis evincitur ex pluribus eorum Commentariorum ſententiis, quæ apertè ſunt Pelagianæ, ut *cap. 5. 6. 7. & 8. & 11. ad Rom. & cap. 4. prioris ad Corinth. & cap. 6. prioris ad Timoth.* & alibi paſſim. *Animadverſio circa plura opera, quæ Hieronymo tribuuntur, & ſunt Pelagij.* In tom. 9. eſt ſymbolum ad Damaſum, quod non fuit compoſitum a Hieronymo, ſed à Pelagio; nec tranſmiſſum ad Damaſum, ſed ad Innocentium, ut conſtat ex D. Auguſt. *lib. de gratia Chriſti cap. 30. 31. & 32. & 33.* quibus locis refert Pelagium ſcripſiſſe illum libellum, & recitat verba, quæ inveniuntur apud Hieronymum. In eodem tomo eſt epiſt. ad Demetriadem Virginem, quæ incipit, *Si ſummo ingenio:* ſed Auctor ejus fuit Pelagius, & eam confutat Auguſt. *libro citato, cap. 22. 27. 38. & 40.* In eodem tomo circumferuntur epiſtolæ ad Geruntij filias, & amicum de cognitione divinæ legis, quæ Pelagianæ ſunt. Item epiſtola de filio luxurioſo, quæ multùm differt ab alia Hieronymi epiſtola de eodem argumento. Evidentius adhuc eſt epiſtolam de Scriptoribus Eccleſiaſt. ad Deſiderium Pelagianam eſſe: nam ejus Auctor inter lumina Eccleſiæ collocat Pelagium, alioſque hæreticos. Eidem tomo adjicitur liber de vitis Patrum: ſed plures earum compoſitæ fuerunt ab Evagrio Pontico, qui Pelagio præluxit, ut diximus *cap. præced. num.* 111. ac proinde cautè legendæ ſunt. Id ex Mariano Victorio, Bellarmino, & aliis adnotare voluimus, ut diſcat lector ſeparare pretioſum à vili, & ne incautus inde putet pro fide arripere arma, ubi latent venena. Facile eſſet ſimilia in quibuſdam aliis Patribus, præſertim Chryſoſtomo, obſervare: ſed ut prolixitatem vitemus, hoc ſtudium nunc prætermittimus: præſtabimus verò, cùm ſeſe obtulerit occaſio.

§. V.

Quid contra Semipelagianorum doctrinam Eccleſia decreverit.

220. Supereſt, ut videamus, an Semipelagianorum aſſertiones fuerint condemnatæ ab

Præcipuus Semipelag. error ab Eccleſia damnatus.

ab Eccleſia. Et quidem certum eſt aſſertionem illam, qua docebant initium boni operis eſſe ex nobis, eſſe hæreticam, & ut talem fuiſſe jam diu à Catholica Eccleſia proſcriptam. Tum quia oppoſitum diffinitum eſt in Concil. Arauſican. 2. *can. 5. & can. ultim.* Tum quia aſſertio illa fuit prolata à Pelagio, & ejus diſcipulis in ultimo ſui dogmatis ſtatu, cùm videlicet cœperunt admittere aliquam gratiam ſufficientem, quæ non inchoaret, ſed conſummaret opera noſtra, ut vidimus *cap. præced. §. 3. num.* 161. Unde decreta Eccleſiæ damnantia hæreſim Pelagianam comprehendunt etiam hanc Maſſilienſium aſſertionem. Quâ ratione quando D. Thom. prædictam aſſertionem impugnans, eam ad Pelagianos tanquam ad Auctores reducit; Pelagianorum nomine Semipelagianos etiam ſignificat. Et ita 1. *part. quæſt.* 23. *art.* 5. dicit Pelagianos poſuiſſe initium bene operandi ex nobis, conſummationem autem ex Deo. Quod etiam repetit 2. 2. quæſt. 6. art. 3. & lib. 3. contra gentes cap. 149. & 152. & quodlib. 1. art. 7. ubi ait: *Pelagius docuit hominem non indigere auxilio Dei ad bene operandum, ſed tantùm lege, atque doctrina. Quia verò hoc nimis parum videbatur, ideò poſtea Pelagiani* (id eſt, tam rigidi Pelagij ſectatores, ut Cæleſtius, & Julianus; quàm alij temperatiores, & mixti, ut Caſſianus, & Fauſtus) *poſuerunt, quòd initium boni operis eſt homini ex ſe ipſo.* Unde, quòd prædicta Pelagianorum, & Semipelagianorum aſſertio tanquam hæretica ab Eccleſia rejiciatur, in dubium revocari non valet apud Catholicos.

D. Thom.

Quantum verò ad alia Maſſilienſium dogmata major eſt difficultas: neque enim omnes conveniunt circa eorum damnationem, & damnationis gradum. Sed nos ea tantùm ſubjiciemus, quæ in dubium revocari non valent: cætera autem, quæ circa incertam Eccleſiæ in hac cauſa cenſuram poſſent ventilari, ipſius Eccleſiæ judicio, cujus eſt ſimilia decidere, omninò relinquimus.

221. Cùm igitur Maſſilienſes tuendæ libertatis humanæ colore contra doctrinam S. Auguſtini palam inveherentur, & velut ex obliquo aſſertiones quaſdam in Pelagio condemnatas defenderent: Proſper, & Hilarius acceſſerunt ad Cæleſtinum I. gubernantem eo tempore Eccleſiam, petieruntque ut ſuborienti periculo medicinam adhiberet. Quod ipſe Pontifex præſtitit data epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, quæ in varia capita ſecatur, & hæc continet. In primo cap. reprehendit Epiſcopos, quòd præſbyteris ſuarum Eccleſiarum inordinatè loquentibus, ipſi tacerent, nec coercerent eorum adſultus. In 2. plurimum laudat D. Auguſt. acriterque reprehendit ejus obtrectatores: & inter alia inquit, *Nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tanta ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter optimos magiſtros etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur.* In 3. præmittit jam olim anteceſſores ſuos decreviſſe contra Pelagium, quid de neceſſitate gratiæ debeant ſentire Catholici. In 4. docet *hominem læſum fuiſſe per peccatum originale, & ſalvari non poſſe abſque gratia Chriſti.* In 5. docet *hominem non eſſe bonum ſuis viribus, ſed per Dei gratiam.* In 6. docet *hominem non poſſe vincere inſidias diaboli, niſi continuò per Dei gratiam adjuvetur.* In 7. docet *neminem bene uti libero arbitrio, niſi per Chriſtum.* Et quatuor præcedentes aſſertiones confirmat teſtimoniis Innocentij ſui prædeceſſoris. In 8. cap. determinat *omnia merita noſtra eſſe dona Dei.* In 9. determinat *omnem ſanctam cogitationem, & motum piæ voluntatis ex Deo eſſe.* Quas duas propoſitiones confirmat auctoritate Zoſimi ſui prædeceſſoris. In 10. cap. declarat *gratiam Dei valere non ſolum ad remiſſionem peccatorum, ſed etiam ne committantur.* Declarat prætereà gratiam Dei non in ſola doctrina conſiſtere: ſed præſtare inſuper, ut quæ facienda cognovimus, etiam facere diligamus. Declarat inſuper *gratiam Dei dari, non ſolùm ut faciliùs, ſed ut abſolutè poſſimus implere divina mandata.* Et tres prædictas determinationes deſumit ex Concilio Carthagin. *cap.* 3. 4. & 5. quas, inquit, velut proprias Apoſtolicæ ſedis amplectimur. In c. 11. & cap. ultim. præcedentes aſſertiones confirmat ex orationibus, traditione, & ritibus Eccleſiæ Catholicæ. Denique ad calcem totius epiſtolæ addit: *Profundiores verò, difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil pœnitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt; ut prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium.*

Cæleſtinus I. Semipelag. reprehendit, & S. Aug. commendat.

Propoſitiones à Cæleſtino Papa diffinitæ.

222. Ex quibus ultimis prædictæ epiſt. verbis prudenter colligit Suarez *prolog. 6. cap. 1. num.* 12. cavendum eſſe, ne quis facilè in hac materia condemnet ſententias ab Eccleſia non damnatas. Colligit etiam *eodem prolog. cap. 6. num.* 18. differentiam inter Auguſtini aſſertiones circa negotium prædeſtinationis. Quædam enim loquuntur de gratia, & habent neceſſariam connexionem cum iis, quæ Eccleſia diffinivit. In quibus, inquit, doctrina Auguſt. (quam in prædicta epiſt. approbat Cæleſtinus) tam certa eſt, ſicut doctrina Eccleſiæ propter connexionem. Quod pariter poſſet Suarius aſſerere de doctrina cujuſvis alterius Auctoris ab Eccleſia non approbati: nam ejus dicta, ut habent connexionem neceſſariam cum doctrina ab Eccleſia diffinita, ſunt certa ſicut ipſa doctrina *propter connexionem.* Alia verò Auguſtini aſſerta circa prædeſtinationem, inquit Suarius, carent ea connexione cum principiis de gratia ab Eccleſia diffinitis: & circa prædicta Auguſt. aſſerta debemus diverſo modo diſcurrere propter rationem oppoſitam. Quam Suarij obſervationem non reprobamus; licet illa non plus tribuat Auguſtino, niſi quod negare non poteſt.

Obſervatio Suarij circa approbationem doctrinæ D. Auguſtini.

223. Profectò Semipelagiani, ut doctè obſervat idem Suarez *prolog. 6. cap. 1. num. 9.* non obſtante, quòd Pontifex adeo laudaſſet, & in communi probaſſet Auguſtini doctrinam; eam commendationem labefactare, & limitare voluerunt, ut intelligenda eſſet de prioribus S. Doctoris ſcriptis, non de poſterioribus; & ſpecialiter eam laudem excludebant circa lib. de Prædeſt. Sanct. & lib. de bono perſeverantiæ; quos contra ipſos Maſſilienſes ſcripſerat, & in quibus profundè ſatis negotium æternæ, & liberaliſſimæ prædeſtinationis explicat. Sed D. Proſper prædictam Semipelagianorum diſtinctionem confutavit in lib. contra Collat. cap. ultim. his verbis: *Per hunc virum* (nempe Cæleſtinum I.) *intra Gallias iſtis ipſis, qui ſanctæ memoriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt, maleloquentiæ eſt adempta libertas, quando conſultantium actione ſuſcepta, & librorum, qui errantibus diſplicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum auctoritate ſentire, ſancto manifeſtavit eloquio evidenter pronuntians,*

Semipelag. ſtuduerunt limitare Cæleſtini decretum.

D. Proſper. Refutantur.

nuntians, quantum ſibi præſumptionis iſtius novitas diſpliceret, quæ auderent quidam adversùs antiquos magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinata calumnia prædicationi veritas obſtrepere. Auguſtinum, inquiens, ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua, atque pro meritis, in noſtra ſemper communione habuimus: nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi ſenſerant, utpote qui cunctis & amori fuerit, & honori. Contra iſtam clariſſimam laudationis tubam, contra iſtam ſacratiſſimam teſtimonij veritatem, audet quiſquam malignæ interpretationis murmur emittere? & perſpicuæ, ſinceriſſimæque ſcientiæ nubem ambiguæ obliquitatis obtendere? Ut ſcilicet quia in epiſtola Papæ librorum, pro quibus actum eſt (nempè de Prædeſt. Sanct. & de bono perſeverant. ut in margine obſervatur) *non expreſſus eſt titulus; hinc eos appareat non probatos: & iſtam in S. Auguſtinum laudationem pro anteriorum ſcriptorum meritis fuiſſe collatam.* Quam Maſſilienſium reſponſionem validè refellit & concludit: *Igitur hujuſmodi hominum pravitati non tam diſputationum ſtudio, quàm auctoritatum privilegio eſt reſiſtendum: ut de proſtrati dudum dogmatis corpore nullum membrum ſinatur aſſurgere. Quia notum eſt ita ſe falſitatis iſtius habere verſutias, ut ſi eis liceat prætentæ correctionis imagine aliquod ſibi faventium radicis ſuæ germen excipere, totam ſe poſſit in exigua ſui parte reparare. Ubi enim non aliud habet ſumma, quam portio; non eſt devotionis dediſſe prope totum, ſed fraudis retinuiſſe vel minimum.*

Limitatio ab aliis excogitata.

224. Circa eandem Cæleſtini epiſtolam obſervandum eſt quoſdam exiſtimaſſe Pontificis verba finiri cap. 2. ubi concludit: *Deus vos incolumes cuſtodiat fratres chariſſimi*: cætera autem capita addita fuiſſe à Proſpero. Quam opinationem veriſimilem appellat Suarius *prolog. 6. cap. 1. num.* 11. probatque ex eo, quod ſtatim cap. 3. illius epiſt. dicitur, *Magiſtris noſtris, tanquam neceſſarium modum conceſſerint obloquuntur.* Quæ verba ſcripta ſunt in Auguſtini gratiam, & magis, inquit Suarius, redolent Proſperum, quàm Cæleſtinum.

Rejicitur.

Sed multò probabilius eſt totius epiſtolæ ſeriem, & capita dimanaſſe à Summo Pontifice. Tum quia Petrus Diaconus *in lib. de Incarnat. & gratia Chriſti*, quem paulò poſt Cæleſtinum ſcripſit, totam illam epiſt. nomine Cæleſtini allegat *cap.* 8. Tum quia incredibile videtur, quòd ſola duo ejus capita fuerint Pontificis: reliqua verò uſque ad duodecim aſſuta fuerint à Proſpero. Tum quia ex oppoſito fieret Pontificem nihil fere circa errores Semipelagianorum, & materiam ſibi propoſitam determinaſſe: nam prioribus duobus epiſtolæ capitibus nihil circa neceſſitatem gratiæ, & controverſias inde dimanantes reſolvit. Et motivum Suarij eſt ſatis debile: quia in ipſo cap. 2. (quod negare nequit fuiſſe editum à Pontifice) expreſsè Cæleſtinus Auguſtinum, & alios ſacros Doctores vocat *magiſtros: quem tantæ*, inquit, *ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur.* Quid ergo mirum, quòd poſtea cap. 3. adjecerit: *Magiſtris noſtris, tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur?* Immò verò hæc poſteriora verba maximam conſequentiam habent ad illa, redolentque ejuſdem Auctoris manum. Quod autem in cap. 2. ſint illa verba *Deus vos incolumes cuſtodiat*, &c. minimè evincit, quòd ibi ſcribens finierit ſermonem, ſed quòd finierit epiſtolæ ſtilum, & deinceps ſe converterit ad proſcribendos Semipelagianorum errores, in quo alio modo procedendum erat. Per quod etiam diluitur aliud motivum Suarij loco citato. Ut ut ſit de auctore; de auctoritate tamen illius epiſtolæ dubitari non licet: ſed doctrina in ea tradita certa fide tenenda eſt. Quoniam, eſto, prædictum cap. 3. & ſequentia non fuerint compoſita à Pontifice, ſed à Proſpero; nihilominus edita fuerunt conſultatione, & approbatione Pontificis. Et aliunde doctrina illis inſerta deſumpta eſt ex decretis Summorum Pontificum, & Conciliorum, ut num. 220. vidimus. Unde appellanda non eſt ſententia ſolùm Proſperi, aut Auguſtinianorum propria; ſed doctrina Catholica Eccleſiæ.

225. Cæleſtino ſucceſſit in Pontificatu Sixtus III. anno 432. quem nihil contra Maſſilienſes decreviſſe reperimus. Sub hoc tamen Pontifice, anno 433. D. Proſper adversùs Joannem Caſſianum adhuc viventem, nomine Collatoris edidit librum eruditione inſignem, in quo Semipelagianiſmi venena prodiit & antidotum præparavit. Sixto defuncto Leo Magnus in ejus locum ſuffectus eſt anno 440. Hujus notarius fuit S. Proſper, qui multas ex ejus perſona epiſtolas dictavit, ut refert Gennadius *in lib. de viris illuſtribus.* Cùm autem eo tempore dogma Semipelagianorum, non obſtantibus decretis Cæleſtini ſuprà relatis, plurimùm Gallias turbaret, Proſper monuit Leonem, ut tanto periculo occurreret. Qui Proſpero mandavit, ut ex doctrina Auguſtini canones à ſe approbandos colligeret, & ſummatim totam de gratia doctrinam complecteretur. Quod cùm Proſper perfeciſſet, & Leo probaſſet, illos tranſmittere curavit ad Galliarum Epiſcopos, ubi Semipelagianiſmus firmiores, ac diuturniores radices egerat.

S. Leo Magnus Semipelag. aſſerta condemnat.

Videtur autem, quòd Leo prædictis Epiſcopis non præceperit, ut pro illorum canonum ſubſcriptione convenirent, aut Synodum celebrarent; ſed quos unuſquiſque in ſua diœceſi obſervandos curaret: Accidit autem, ut cùm Epiſcopi ad dedicationem ejuſdem Eccleſiæ in Arauſicana civitate conveniſſent, ibidem etiam voluerint Concilium celebrare, ut doctrinæ à Leone (cui hoc pergratum fore ſciebant) tranſmiſſæ ſubſcriberent, & Semipelagianorum errores damnarent. Ita palam deſumitur ex ipſo Concilio cap. 1. ubi hæc habentur: *Cùm ad dedicationem Baſilicæ, quam illuſtriſſimus Præfectus, & Patricius filius noſter Liberius in Arauſicana civitate fideliſſima devotione conſtruxit, Deo propitiante, & ipſo invitante conveniſſemus; & de rebus, quæ ad Eccleſiaſticam regulam pertinent, inter nos fuiſſet oborta collatio; pervenit ad nos eſſe aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minus cautè, & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam ſentire velint. Unde & nobis ſecundùm auctoritatem, & admonitionem Sedis Apoſtolicæ juſtum, ac rationabile viſum eſt, ut pauca capitula ab Apoſtolica ſede nobis tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de cæteris Scripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collata ſunt, ad docendos eos, qui aliter, quàm oportet, ſentiunt, ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus*, &c. Et hæc eſt Synodus Arauſicana II.

Concilium Arauſicanum II.

Quo tempore fuerit celebratum.

Quo autem anno celebrata fuerit, non ſatis conſtat apud Auctores. Onufrius exiſtimavit factum fuiſſe prædictum Concilium tempore Leonis anno 443. vel 444. & idem ſentire videntur

Auctores

Auctores *præfation. ad lib. de Prædeſt. Sanct.* & epiſtolæ præfixæ operibus D. Proſperi, & Bartholom. Carranza, in titulo prædicti Concilij, & idem habetur *in 2. tom. Conciliorum* in collatione Surij. Baronius autem anno 463. exiſtimavit Concilium hoc celebratum fuiſſe non ſub Leone, ſed ſub Hilario ejus ſucceſſore. Poſtea verò *in appendice ad tom.* 10. tam communem ſententiam, quam ſuam illam priorem retractavit, & docuit prædictam Synodum congregatam fuiſſe ſub Felice IV. anno Pontificatus ejus 4. & Chriſti Domini 529. & conſequenter communem opinionem errare anteponendo illud Concilium 86. annis, ipſum verò erraſſe anteponendo 66. annis. Baronium imitatur Spondanus anno 529. Idemque ſupponit Gonet *in præſenti diſp. 1. art. 6.* in principio. Coriolanus autem illud refert ad annum 427. Sed certè motiva, quibus utitur Baronius, ut deſerat communem ſententiam, non multum vigent, ut rectè vidit Suarius *prolog. 6. cap. 1. num.* 18. Et ideo in re incerta magis ſtandum eſt antiquiori, & communiori opinioni. Præſertim quia in tempore Leonis vivebat Proſper ejus Notarius, qui ſua auctoritate, & fidei zelo poterat Galliæ Epiſcopos excitare, ut contra Semipelagianos adhuc inquietos decreta fidei aſſererent. At Felicis IV. tempore nullum ferè reperimus Semipelagianiſmi veſtigium, nullam ſcimus motam fuiſſe de gratia quæſtionem; cui remedium adhiberent illius Concilij decreta.

Decreta Conc. Arauſican. II. contra Pelagianos, & Semipelag.

226. Igitur in prædicta Synodo Arauſicana II. non ſolùm actum eſt contra Pelagij hæreſim jam in aliis Concilis damnatam; ſed plura diſtinctiùs, quàm in ullo anteriori Concilio, adversùs Semipelagianorum errores ex ea hæreſi pullulantes decreta ſunt: quæ majori ex parte deſumpta fuere ex doctrina D. Aug. imò ex ſententiis Proſperi, ut ex notis marginalibus prædicti Concilij conſtat. Et quia ex una parte facile non eſt canones illius Concilij legitimè abbreviare, ex alia verò neceſſarium eſt, ut lector in hac materia oculos frequenter ad eos convertat: operæpretium duximus illos in præſenti ſubjicere.

Canon I. Si quis per offenſam prævaricationis Adæ non totum, id eſt ſecundùm corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate illæſa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, adverſatur Scripturæ dicenti (Ezech. 18.) *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Et (Rom. 6.) *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis?* Et (2. Petri 2.) *A quo quis ſuperatur, ejus & ſervus addicitur.*

Canon II. Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam, non & ejus propagini aſſerit nocuiſſe, aut certè mortem tantùm corporis (quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ) per unum hominem in omne genus humanum traxiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti (Rom. 5.) *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Canon III. Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ (cap. 65.) vel Apoſtolo idem dicenti (Rom. 10.) *Inventus ſum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.*

Canon IV. Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto, per Salomonem dicenti (Proverb. 8.) *Præparatur voluntas à Domino:* & Apoſtolo ſalubriter prædicanti (Philipp. 2.) *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

Canon V. Si quis, ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum quo in eum credimus, qui juſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis pervenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur, beato Paulo dicente (Philip. 8.) *Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet uſque in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et illud (ibidem) *Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* Et (Epheſ. 2.) *Gratia ſalvi facti eſtis per fidem, non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Qui enim fidem qua in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem, omnes eos, qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodò fideles eſſe definiunt.

Canon VI. Si quis ſine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis, miſericordiam dicit conferri divinitùs, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem S. Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes, & humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti (1. Cor. 4.) *Quid habes, quod non accepiſti?* Et (ibidem cap. 15.) *Gratia Dei ſum id quod ſum.*

Canon VII. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe, confirmat abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis (Joan. 15.) *Sine me nihil poteſtis facere.* Et illud Apoſtoli (2. Cor. 3.) *Non quod idonei ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Canon VIII. Si quis alios miſericordia, alios verò per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati ſunt, conſtat eſſe vitiatum) ad Gratiam baptiſmi poſſe venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum, aut certè ita læſum putat, ut tamen quidam valeant ſine revelatione Dei myſterium ſalutis æternæ per ſemetipſos conquirere. Quod quàm ſit contrarium, ipſe Dominus (Joan. 6.) probat, qui non aliquos, ſed neminem ad ſe poſſe venire teſtatur, niſi quem Pater attraxerit. Sicut & Petro dicit (Matth. 16.) *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Et Apoſtolus (1. Cor. 12.) *Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum Chriſtum, niſi in Spiritu ſancto.*

Canon IX. Divini eſt muneris, cùm & rectè

cogitamus,

cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.

Canon X. Adjutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.

Canon XI. Nemo quidquam Domino rectè voverit, niſi ab illo acceperit, ſicut legitur (1. Par. 29.) *Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.*

Canon XII. Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.

Canon XIII. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari, quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. Unde ipſa veritas dicit (Joan 8.) *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

Canon XIV. Nullus miſer de quantacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur, ſicut dicit Pſalmiſta (Pſal. 8.) *Deus Deus meus, miſericordia ejus præveniet me.*

Canon XV. Ab eo quod formavit Deus mutatur Adam, ſed in pejus per iniquitatem ſuam: ab eo quod operata eſt iniquitas mutatur fidelis, ſed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricationis primi, hæc ſecundùm Pſalmiſtam (Pſalm. 76.) *mutatio dexteræ Excelſi.*

Canon XVI. Nemo ex eo quod videtur habere, glorietur, tanquam non acceperit, aut ideò ſe putet accepiſſe, quia littera extrinſecus, vel ut legeretur, apparuit, vel ut audiretur, inſonuit. Nam ſicut Apoſtolus dicit (Gal. 2.) *Si per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Porro autem ſi non gratis mortuus eſt: Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicumque habet. Quiſquis autem inde ſe habere negat, aut verè non habet, aut quod habet auferetur ab eo.*

Canon XVII. Fortitudinem Gentilium, mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum, Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, nullis meritis gratiam prævenientibus.

Canon XVIII. Debetur merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.

Canon XIX. Natura humana, etiam ſi in illa integritate in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?

Canon XX. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo.

Canon XXI. Sicut eis qui volentes in lege juſtificari, & à gratia exciderunt, veriſſimè dicit Apoſtolus (Gal. 2.) *Si ex lege juſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt:* ſic & his, qui gratiam quam commendat & percipit fides Chriſti, putant eſſe naturam, veriſſimè dicitur: Si ex natura juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt: jam hîc enim erat lex, & non juſtificabat; jam hîc erat & natura, & non juſtificabat. Ideò Chriſtus non gratis mortuus eſt, ut & lex per illum impleretur, qui dixit (Matth. 5.) Non veni legem ſolvere, ſed adimplere: & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit (Luc. 19.) *veniſſe ſe quærere, & ſalvare, quod perierat.*

Canon XXII. Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis, atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, non deficiamus in via.

Canon XXIII. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet. Quando autem ita faciunt, quod volunt, ut divinæ ſerviant voluntati, quamvis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas eſt, à quo præparatur, & jubetur, quod volunt.

Canon XXIV. Ita ſunt in vitæ palmites, ut viti nihil conferant, ſed inde accipiant unde vivant. Sic quippè vitis eſt in palmitibus, ut vitale alimentum ſubminiſtret eis. Ac per hoc, & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt, & non Chriſto. Nam præciſo palmite, poteſt de viva radice alius pullulare. Qui autem præciſus eſt, non poteſt ſine radice vivere.

Canon XXV. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Ipſe ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit. Diſplicentes amati ſumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus Patris, & Filii, quem cum Patre amamus, & Filio. Ac ſic ſecundùm ſuprà ſcriptas ſanctarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum definitiones hoc Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit. Unde Abel juſto, & Noë, & Abraham, & Iſaac, & Jacob, omnique antiquorum Sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipſorum laudem prædicat Apoſtolus Paulus (Heb. 11.) non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam: quam gratiam, etiam poſt adventum Domini, omnibus qui baptizari deſiderant, non in libero arbitrio habere, ſed in Chriſti novimus ſimul & credimus largitate conferri, ſecundùm illud quod jam ſuprà dictum eſt, & prædicat Paulus Apoſtolus (Philipp. 1.) *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* Et illud (Epheſ. 2.) *Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet uſque in diem Domini noſtri.* Et illud (1. Timoth. 1.) *Gratia ſalvi facti eſtis per fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Et quod de ſe ipſo ait Apoſtolus: *Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem.* Non dicit, quia eram, ſed ut eſſem. Et illud (1. Corinth. 4.) *Quid habes quod non accepiſti?* Et illud (Jacobi 1.) *Omne datum bonum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Et illud (Joannis 3.) *Nemo habet quidquam boni, niſi illud illi datum fuerit deſuper.* Innumerabilia ſunt ſanctarum Scripturarum teſtimonia, quæ poſſint ad probandam gratiam proferri, ſed brevitatis ſtudio prætermiſſa ſunt: quia & revera cui pauca non ſufficiunt, plura non

Digitized by Google

proderunt. Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus. Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur, ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat, ut & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum cum ipſius adjutorio,ea,quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus. Unde manifeſtiſſimè credendum eſt, quòd & illius Latronis, quem Dominus ad Paradiſi patriam revocavit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides,non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum.

227. Poſt mortem Leonis Magni, cujus auctoritate, & tempore celebratum eſt prædictum Concilium Arauſicanum, aſſumpti ad Pontificatum fuerunt Hilarius anno 461. Simplicius anno 468. & Felix III. anno 483. Per hæc verò tempora haud levem auctoritatem apud Gallos habebat Fauſtus Semipelagianorum fautor inſignis, de quo ſuprà diximus *num.* 208. Sed adeò latenter, & ſubdolè venenatam doctrinam diſſeminabat; adeò Auguſtinianæ doctrinæ profeſſorem publicè ſe fingebat; ut nullus de ejus erroribus rumor ad aures prædictorum Pontificum pervenerit. Unde nihil invenimus,quod ij Pontifices ſpecialiter decreverint contra Semipelanorum errores. Defuncto autem Felice III. ſucceſſit Gelaſius, qui Pelagianorum hæreſim ultimò, & acriùs inſectatus eſt: non ſolùm enim auctoritate Apoſtolica illam expunxit; ſed etiam edito ſpeciali libro machinam illam doctè ſubvertit, qui extat inter quintam, & ſexiam epiſtolam in editione Romana. Semipelagianorum etiam errores,& principalia robora devicit: congregato enim Romæ Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum, plura declaravit circa Eccleſiaſticos Scriptores, alios probans, & alios damnans, aut inter apocryphos cenſens: ubi libros Hieronymi, Auguſtini, Proſperi, & Hilarij, quibus Pelagianiſmus, & Semipelagianiſmus evertitur, honorificè commendavit; libros autem Joannis Caſſiani, & Fauſti Rhegienſis, qui fuerant principales Semipelagianorum fautores, in apocryphis repoſuit.

Gelaſius I. Pelagianos, & Semipelagianos evertit.

Gelaſio ſucceſſit Anaſtaſius II. anno 497. deinde Symmachus anno 499. quos nihil invenimus adversùs Semipelagianos,quorum cauſa adeo jam proſtrata erat, ſpecialiter ſtatuiſſe. Symmacho ſucceſſit Hormiſda anno 514 qui in ep. 67. ad Poſſeſſorem libros Fauſti rejecit: *quia eos*, inquit, *in auctoritate Patrum examen catholicæ fidei non recepit.* Quibus verbis alludit ad judicium Gelaſij Papæ in Concil. Rom. de quo proximè dicebamus. Deinde in eadem epiſt. addit: *De arbitrio libero, & gratia Dei, quod Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur, & aſſervet Eccleſia, licèt in variis libris Beati Auguſtini, & maximè ad Hilarium, & Proſperum* (nempè de Prædeſtin. Sanct. & de bono perſever. quos adversùs Maſſilienſium errores ſcripſit) *poſſit cognoſci; tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula contineantur, quæ, ſi ibi deſunt, & neceſſaria creditis, deſtinabimus; quanquam qui Apoſtoli verba diligenter conſiderat, quid ſequi debeat, evidenter cognoſcit.* Capitula autem hæc,quæ dicuntur in ſcriniis Eccleſiaſticis aſſervari,ſunt canones illi,quos Leo Magnus ad Epiſcopos Gallos tranſmiſit, & quos in Concilio Arauſicano approbatos in hoc §. dedimus. Unde in prædicta Hormiſdæ epiſtola ſupponitur, & repetitur Semipelagianiſmi damnatio. Poſt hos Pontifices non reperimus alios, qui contra Semipelagianiſmum ſæpeſæpius jam proſtratum,& proſcriptum ſpecialiter egerint: ſed omnes ſupponunt doctrinam Catholicam circa gratiam, & liberum arbitrium à ſuis prædeceſſoribus traditam. Verùm elapſo longo temporum intervallo, Pius V. anno 1567. & Gregor. XIII. anno 1579. plures Michaëlis Baij propoſitiones damnarunt; quorum aliquæ, & præcipuè novem priores Pelagianam doctrinam, aut ſaltem Semipelagianorum dogmata continebant. Et hæc pro dignoſcendis Semipelagianorum erroribus.

Hormiſda Papa Auguſt. laudat, & Semipelag. doctrinam reprobat.

Ultima Semipelag. damnatio.

CAPUT VI.

De duabus famoſis in hac materia Catholicorum Sententiis.

228. POſt relatos, & proſcriptos extremos in hac cauſa errores, æquum eſt, ut videamus, quid diſſidij relictum fuerit inter Catholicos: Sunt enim plurima, eaque ſubſtantialia, in quibus conveniunt: ſunt etiam aliqua, in quibus diſcordant,& pro quibus tuendis diverſa ſtatuunt principia. Conveniunt quidem in aſſerendo veram libertatem arbitrij contra Manichæos, & Lutheranos: eamque eximunt non à ſola coactione, aut violentia, ut faciunt Janſeniani; ſed etiam à determinatione ad unum: credunt enim de ejus conceptu eſſe indifferentiam, & poteſtatem ad utrumlibet. Quod ex profeſſo oſtendimus *Tract.* 10. *diſp.* 2. *dub.* 1. *&* 2. & optimè, ac nervosè probat Gonet *in Tract. de Voluntario diſp.* 2. *per totam.* Conveniunt præterea in confitendo neceſſitatem gratiæ præſtantis nobis poteſtatem ad ea, quæ conferunt ad ſalutem: licèt in ampliando hanc neceſſitatem, & in exponendo conditiones prædictæ gratiæ, aliqui diverſa ſentiant: ſed de hoc commodiùs dicemus *diſp.* 3. *& diſp.* 5. Conveniunt deinde in eo, quòd Deus ab æterno ſtatuerit, ut fierent, quæ fiunt in tempore, & quòd aliquos prædeſtinaverit ad gloriam, & quod certò præcognoverit cuncta futura: quas communes aſſertiones ſtatuimus, & defendimus *Tract.* 3. *diſp.* 6. *dub.* 1. *&* 2. *& Tract.* 4. *diſp.* 10. *& Tract.* 5. *diſp.* 1. Tandem communiter admittunt dari concurſum Dei efficacem, ſive auxilium infallibiliter conjunctum cum operatione creaturæ, undecumque hic nexus proveniat: aliter enim non poſſet Deus efficaciter aſſequi, quod decreverat; corruerentque proinde firmitas divinæ voluntatis, & certitudo præſcientiæ divinæ, ut conſtabit ex dicendis diſp. 7.

In quibus Catholici circa has difficultates conveniant.

229. Sed hæc ipſa, in quibus conveniunt, principium, & fomes ſunt graviſſimæ diſcordiæ. Haud enim facilè apparet, qualiter libertas arbitrij creati cohæreat cum immutabilitate voluntatis divinæ, cum certitudine æterna præſcientiæ, & cum efficacia gratiæ. Nam ſi liberum arbitrium ita eligit, quod Deus decrevit, ſcivit, & auxilio efficaci aſſequi intendit; quod poteſt non eligere: palam ſequi videtur, quòd poſſit fruſtrare decretum

Occaſio diſconvenientiæ inter Doctores Catholicos in conciliando libertatem noſtram cum gratia efficaci.

Digitized by Google

decretum Dei, falſificare ejus ſcientiam, & evacuare gratiæ efficaciam. Si verò aſſeritur voluntas Dei immutabilis, ſcientia ejus infallibilis, & gratia efficax, ſive effectui indiſſolubiliter conjuncta: profectò videtur colligi, quòd iis poſitis non relinquatur in creatura poteſtas ad oppoſitum, & conſequenter quòd pereat ejus libertas. Ut ergo hanc apparentem diſcordiam componant Doctores Catholici, & explicent, quo glutino diſſidentia adeo extrema cohæreant; in duas præcipuè, & magis famoſas dividuntur ſententias: ad quas modò cuilibet peculiari propugnandas diverſa, & plerumque adverſa fundamenta præjaciunt. Et quidem qualiter libertas concilietur cum ſcientia Dei, ſatis explicuimus *Tract.* 3. *diſp.* 7. *dub.* 2. qualiter etiam componatur cum efficaci, & abſoluta Dei voluntate, declaravimus ex profeſſo *Tract.* 4. *diſp.* 10. *per totam*, & præcipuè *dub.* 4. & 5. Unde tantum ſupereſt ſpecialiter exponendum, qualiter cohæreat cum efficaci, & intrinſeco gratiæ auxilio, indiſſolubiliter effectui annexo: quod peculiariter ad hunc tractatum ſpectat.

§. I.

Refertur opinio Thomiſtarum.

Doctrina diſcipulorum D. Auguſtini, & D. Thomæ.

230. THomiſtæ referunt concordiam inter gratiam efficacem, & libertatem creatam in ſummam efficaciam, & poteſtatem voluntatis Dei, quæ tanta eſt, ut inferat infallibiliter non ſolùm effectus, quos vult, ſed modos etiam, quibus fieri vult: atq; ideo movet efficaciter hominem, ut operetur, & ut operetur liberè, ſive cum poteſtate ad oppoſitum: unde provenit, quòd infallibiliter ſequatur operatio libera, ac ſubinde, quòd nulla detur diſcordia, ſed maxima potiùs conſonantia inter liberam operationem, & gratiæ efficaciam. Hanc reſolutionem, & concordiæ modum accipiunt præcipuè ex ſacris Doctor. Auguſt. & Thoma, qui ita apertiſſimè docuerunt: & ut ſententiam ſuam explicent, ac tueantur, ſequentia, & velut ſolemnia unanimiter tradunt principia.

Primum eorum principium.

Primò negant, quòd Deus ante exercitium ſuæ voluntatis certò præcognoverit actus liberos creatos abſolutè, vel conditionatè futuros: & conſequenter proſcribunt præſcientiam illam mediam inter naturalem, & liberam, cujus Sempelagiani videntur primi inventores, ut diximus *cap. præced.* §. 2. Hanc, inquam, ſcientiam non admittunt: tum quia illam non admiſit D. Auguſt. ut *loc. cit.* oſtendimus, & latiùs *Tract.* 3. *diſp.* 10. *dub.* 2. & 3. Tum quia eſt contra doctrinam D. Thomæ, ut diximus *loco proximè cit. dub.* 3. & 4. Tum quia non eſt neceſſaria ad ſuperandam præſentem difficultatem; & aliunde eſt incompoſſibilis cum libertate Dei, & creaturæ, & parit alia plurima inconvenientia; & conſtat ex dictis *loco cit. diſp.* 10. & 11. & 12. Tum denique quia non ſalvat veram, ac legitimam divinæ gratiæ efficaciam, ut ex profeſſo dicemus diſp. 7. per totam.

Scientia media non eſt neceſſaria ad hoc negotium.

Secundum principium.

231. Secundò affirmant Deum æterno ſuo decreto prædeterminaſſe cuncta futura, alia quidem ut forent abſolutè, alia verò ut forent dependenter ab aliqua conditione: & per hujuſmodi decretum, & non aliter determinatam fuiſſe Dei ſcientiam, ut certò, & infallibiliter cognoſceret cuncta vel abſolutè, vel conditionatè futura. Unde conſequenter docent Deum, inconſulto libero arbitrio, & antequam prævideret ejus uſum conditionatè futurum, prædefiniſſe omnes ejus actus, ſaltem quoad materiale, æterno, & abſoluto decreto: in eaque ſuæ voluntatis determinatione certò præcognoviſſe, quid liberum arbitrium in ſingulis occaſionibus facturum eſſet. Quam doctrinam fusè tradidimus, & confirmavimus ex Scriptura, Patribus, & ratione *Tract.* 3. *diſp.* 9. *dub.* 5. & *Tract.* 4. *diſp.* 10. *per totam.* Cui etiam conſentit Scotus, ut infra num. 248. conſtabit.

Decreta Dei abſoluta, & ex ſe efficacia.

Tertium principium.

232. Tertiò docent Deum concurrere cum cauſis ſecundis non ſolùm attingendo immediatè earum opera concurſu, ut vocant, ſimultaneo; ſed attingendo immediatè ipſas cauſas, eas videlicet movendo & exſuſcitando, & applicando ad agendum, & cum opere indiſſolubiliter conjungendo. Quem concurſum vocant *prævium*, quia antecedit influxum creaturæ: & *prædeterminativum*, quia eam determinat, ſeu movet ad opus: & *phyſicum*, quia realis eſt, & non moraliter alliciendo, ſed phyſicè, & impulſivè movendo applicat ad operandum. Quam doctrinam acceperunt à D. Thom. qui illam manifeſtè tradit 1. *p. q.* 105. *art.* 5. & *in hac* 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. & *quæſt.* 3. *de potentia art.* 7. & *q.* 22. *de Veritate art.* 9. & *opuſc.* 1. *c.* 23. & *opuſc.* 3. *cap.* 130. & alibi ſæpè, ut ex profeſſo expendemus *diſp.* 5 *dub.* 6. & *diſp.* 7. per totam. Et hanc ſententiam eſſe Angelici Præceptoris recognoſcunt Molina *in Concordia quæſt.* 14. *art.* 13. *diſp.* 26. in principio. Henriquez *lib. de fine hominis cap.* 6. Toletus 2. *Phyſic. cap.* 3. *quæſt.* 8. Pererius *lib.* 8. *de cauſis cap.* 8. Azor *lib.* 1. *Inſtit. Moral. cap.* 1. *quæſt.* 8. Sforcia Pallavicinus 1. 2. *diſp.* 6. *de actibus humanis quæſt.* 2. *art.* 12. Coſmas Alemannius *in ſumma Phyloſoph.* 1. 2. *quæſt.* 11. *art.* 4. & Conimbricenſes 2. Phyſic. cap. 7. quæſt. 14. art. 1. ubi hæc ingenuè profetunt: *Circa modum, quo Deus cum cauſis ſecundis ad earum operationes, & effecta concurrit, ſe offert celebris opinio D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 105. *&c. ejuſque ſectatorum Capreol. in* 2. *d.* 1. *quæſt.* 2. *Ferrarienſ.* 3. *contra gentes cap.* 70. *& aliorum exiſtimantium omnes cauſas ſecundas, antequam operentur, accipere à Deo influxum quendam, & motum, qui ſit quaſi eſſe intentionale virtutis divinæ, quo ad promendas actiones excitentur, eo modo, quo artium inſtrumenta, ut dolabra, & ſecuris, præviam motionem à fabro accipiunt, cum ad opus conficiendum applicantur.*

Deus præmovet efficaciter cauſas ſecundas.

Molina. Henriquez. Toletus. Pererius. Azorius. Coſmas Alemannius. Conimbric.

Quartum principium.

233. Quartò reſolutionem præcedentem extendunt etiam ad liberum arbitrium creatum, quod aſſerunt nunquam in actum exire, quin priùs à Deo phyſicè præmoveatur, & applicetur ad operandum. Idque eos docuit D. Thom. *locis ſupra relatis*: tum quia principia, quibus innititur, generalia ſunt: tum quia illa libero arbitrio ſpecialiter applicat *in hac* 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. & *ſeq.* Quod planè viderat Bellarm. qui lib. 4. de liber. arb. c. 16. hæc habet: *Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum operatione divina, & fortaſſe probabilior eſt juxta ſententiam S. Thomæ, qui docet cooperationem divinam ita concurrere cum cauſis ſecundis etiam liberis, ut non ſolùm eis dederit, & conſervet virtutes operatrices, ſed etiam eas moveat, & applicet ad opus, ut cognoſci poteſt ex* 1. *p. q.* 105. *art.* 5. *& lib.* 3. *contra gent. c.* 70. *& q.* 3. *de potentia art.* 7. *Quæ ſententia videtur valde conſentanea tum Scripturæ, quæ dicit nos in Deo eſſe, vivere, & moveri; tum rationi, & ordini, quem habet cauſa prima cum ſecundis.*

D. Thom.

Deus prævìè movet nos ad agendum liberè.

Bellarminus

Quintum principium.

234. Quintò aſſerunt hanc præviam, & à Deo derivatam voluntatis humanæ præmotionem inferre infallibiliter operationem, ad quam movet; idque habere ſuopte pondere, & prout deſcendit ab omnipotenti, & efficaci Dei voluntate. Unde in

in hac præmotione conſtituunt rationem gratiæ, vel auxilij efficacis: cenſentque impoſſibile eſſe, quòd Deus ita moveat ad conſenſum, & quòd voluntas creata diſſentiat; licèt non amittat poteſtatem diſſentiendi.

Auxilium efficax ab intrinſeco efficax.

Et niſi hæc media ab intrinſeco efficacia, per quæ voluntas divina exequatur ſuum propoſitum, admittantur; non intelligunt, qua ratione ſalvari poſſit ſupremum Dei dominium, certitudo æternæ prædeſtinationis, & conditio gratiæ aſſertæ à S. Aug. Id verò hauriunt ex ipſo S. Doct. lib. de corr. & gratia c. 12. ubi ait:

D. Auguſt.

Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur. Et cap. 14. *Deo,* inquit, *volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Idemque repetit in aliis pluribus locis, ut magis ex profeſſo oſtendemus *locis ſupra citatis.*

D. Thom.

Hauriunt etiam ex D. Thom. qui ita docet pluribus in locis: nam in hac 1. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 3 ait: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid; impoſſibile eſt poni, quòd ad illud voluntas non moveatur,* & quæſt. 112. art. 3. aſſerit, quod *præparatio ad gratiam poteſt conſiderari, ſecundum quod eſt à Deo movente: & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo; non quidem coactionis, ſed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecundùm quod dicit Auguſt. in lib. de Prædeſt. Sanct. quod per beneficia Dei certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo, cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter illam conſequitur, ſecundùm illud Ioan. 6. Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me* & 2. 2. quæſt. 24. art. 11. inquit: *Virtus Spiritus ſancti infallibiliter operatur, quodcumque voluerit. Unde impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando.* Et quæſt. 6. de Malo art. 1. ad 2. ait: *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam voluntatis moventis, quæ deficere non poteſt.* Idemque luculentiùs tradit *ſuper cap. 8. epiſt. ad Rom. lect. 3.* & aliis locis paſſim in hoc opere expendendis.

Objectio Adverſar. diſpellitur.

235. His fundamentis judicant Thomiſtæ initi legitimam, & Auguſtinianam concordiam liberi arbitrij cum gratia efficaci. Et cùm eis objicitur abſoluta illa Dei decreta, & media adeo fortia, quibus executioni mandantur, ſuffocare libertatem arbitrij, illiuſque indifferentiam abſumere: reſpondent hinc potiùs firmari, & ad frugem perduci.

Efficacia gratia parit libertatem actualem.

Nam efficax, inquiunt, voluntas Dei, & efficax auxilium ei correſpondens cauſant infallibiliter non ſolùm actus voluntatis creatæ, ſed etiam libertatis modum: atque ideo ita inferunt conſenſum, quod relinquant indifferentiam, & poteſtatem ad oppoſitum. Quod acceperunt ex S. Auguſt. lib. de corrept. & gratia cap. 8. ubi explicans illud

D. Auguſt.

Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre,* inquit: *Quando rogavit, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, & perſeverantiſſimam voluntatem?* Et cap. 14. ait: *Non eſt dubitandum voluntati Dei, qui in cælo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus ipſe faciat, quod vult; quandoquidem etiã de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit. Niſi fortè quando Deus voluit Saüli regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraëlitarum ſubdere ſe memorato viro, ſive non ſubdere (quod utique in eorum propoſitum erat voluntate) ut etiam Deo valerent reſiſtere. Qui tamen hoc non fecit, niſi per ipſorum hominum voluntates* (utique liberas, & liberè conſentientes) *habens ſine dubio humanorum cordium, quo placaret, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Quibus locis, & aliis pluribus toto opere dandis nexum inter agere infallibiliter, & agere liberè, revocat ad ſummam efficaciam divinæ voluntatis, & gratiæ. Idem docet D. Thom. 1. p. q. 19. art. 8. ubi ait: *Cùm voluntas divina ſit efficaciſſima; non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri; ſed quòd eo modo fiant, quo Deus vult fieri. Vult autem Deus quædam fieri neceſſariò, quædam contingenter,* &c. Et in reſp. ad 2. addit: *Ex hoc ipſo, quòd voluntati divinæ nihil reſiſtit, ſequitur, quod non ſolùm fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò, quia ſic vult fieri.* Et quæſt. 23. de Verit. art. 5. inquit: *Voluntas divina eſt agens fortiſſimum. Unde oportet ejus effectum ei in omnibus modis aſſimilari, ut non ſolùm fiat id, quod Deus vult fieri, quod eſt quaſi aſſimilari ſecundùm ſpeciem; ſed ut fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, ut neceſſariò, vel contingenter, citò, vel tardè,* &c. Et in hac 1. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 1. ait. *Voluntas divina non ſolùm ſe extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet, ſed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipſius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moveretur, quod ſuæ naturæ non competit, quam ſi moveretur liberè, prout competit ſuæ naturæ.* D. Thom.

Conſonat D. Anſelmus lib. de concordia præſcientiæ, &c. cap. 1. paulo poſt medium, ubi hæc habet: *Quoniam, quod Deus vult, non poteſt non eſſe; cùm vult hominis voluntatem nulla agi, vel prohiberi neceſſitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum ſequi voluntatem: tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe, quod vult.* D. Anſelmus.

236. Cùm urgent Adverſarij dicendo hanc voluntatis divinæ, & gratiæ efficaciam auferre à voluntate creata dominium, ac ſubinde poteſtatem ſe determinandi: reſpondent Thomiſtæ prædictum dominium non tolli, ſed regi, ſed componi, ſed intra debitos limites contineri: nam dominium creaturæ debet eſſe ſub omnipotenti dominio Dei, velut ſub primo determinante: cujus imperio ſuppoſito, & non aliter voluntas creata imperat, & ſibi dominatur, & liberè ſe applicat ad agendum. Quam reſponſionem eos docuit D. Auguſt. lib. de gratia, & lib. arb. cap. 16. ubi ait: *Certum eſt nos facere, cùm facimus: ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dicit: Faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis.* Et lib. de Corrept. & gratia c. 2. verſans illud Apoſt. ad Rom. 8. *Spiritu Dei aguntur,* inquit: *Intelligant, ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant: aguntur enim, ut agant; non ut ipſi nihil agant.* Et cap. 95. ait: *Deus autem noſter in cælo, & in terra, omnia, quæcunque voluit, fecit. Quod utique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit. Et quod eſt indignius, ideo non fecit; quoniam, ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Et c. 97. ſubjungit: *Quis tam impiè decipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, quomodo voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere.* Quam omnipotentis dominij Dei energiam ſupra voluntatem creatam paſſim ſuis ſcriptis prædicat, ut ex dicendis conſtabit. Docuit etiam D. Thom. quæſt. 3. de potentia art. 7. ad 13. ubi inquit: *Dicendum, quòd voluntas dicitur habere*

Replica diruitur.

Dominium noſtrum ſub Dei dominio.

D. Auguſt.

D. Thom.

Digitized by Google

habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ: ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntatem, ut eam de neceſſitate ad unum determinet, tollendo ſcilicet indifferentiam judicij. Et 1. part. quæſt. 83. art. 4. ad 3. inquit: *Per hoc, quòd voluntas moveatur ab alio, non excluditur, quòd moveatur ex ſe: ideo per conſequens non excluditur ratio meriti, vel demeriti.* Et lib. 1. contra gentes c. 68. in fine ait: *Dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus poteſtate eſt velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exterius agentis: non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ: & ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ eſt Deus, reſpectu motuum voluntatis.* Idemque repetit aliis pluribus locis, quæ in hoc opere dabimus.

Nova inſtantia diluitur. 237. Cùm ulteriùs Adverſarij pulſant cauſantes hanc gratiæ efficaciam aſſertam fuiſſe à Calvino, qui libertatem arbitrij negavit, & quem damnat Concilium Trident. *ſeſſ. 6. can. 4.* reſpondent Thomiſtæ motivum iſtud terriculamentum eſſe illis tantùm formidabile, qui vel umbram horrent, & prætervolantes muſcas. Non enim erravit Calvinus in eo, quod aſſeruit dari auxilia Dei ab intrinſeco efficacia: ſed in eo, quod docuit Deum ſuis auxiliis abſumere noſtram libertatem, ut conſtat ex dictis cap. 3. §. 3. & latiùs conſtabit infra *diſp. 7. dub. 4. §. 11.* Cui hæreſi è diametro obſiſtunt, qui affirmant auxilio ex ſe efficaci libertatem noſtram non perire, ſed firmari. *Concil. Trid.* Quod ſatis expreſſit Concilium Trident. loco cit. ubi decrevit liberum arbitrium à Deo motum retinere poteſtatem diſſentiendi: nam loquitur de motione non præcisè morali, ſuaſoria, & indifferenti; qua perimi arbitrium nec ipſi hæretici ſomniarunt; ſed de motione efficaci, qualem docuerat Auguſtinus, & per quam hæretici cauſabâtur libertatem arbitrij proſterni. Et tamen diffinit hujuſmodi motionem relinquere, ac ſecum admittere poteſtatem diſſentiendi, ſeu libertatem: quæ eſt ipſiſſima doctrina, quam amplectuntur Thomiſtæ. Sed de hoc ex profeſſo dicemus infra *diſp. 7. dub. 4. § 10.* Reliqua verò, quæ Adverſarij opponunt, & poſſent hanc concordiam obſcurare, facilè diluunt Thomiſtæ celebri illa, & antiqua diſtinctione *ſenſus diviſi, & compoſiti*, qua utitur D. Thom. 1. part. quæſt. 23. art. 6. ad 3. & quæſt. 6. de Veritate, art. 4. ad 8. & ſuper Boëtium *de conſolat. lib. 5. proſa ultima.* *Diſtinctio ſenſus diviſi, & compoſiti.* Dicunt enim voluntatem creatam auxilio efficaci motam, verbi gratia, ad conſenſum poſſe comparari, vel ad diſſenſum ſecundùm ſe acceptum, vel ad illum ut conjungendum cum circumſtantiis hic, & nunc occurrentibus. Priori modo concedunt, quòd voluntas illo auxilio mota poſſit diſſentire: & ſic ſalvant libertatem arbitrij: nam voluntas, quæ ita conſentit, ut poſſit diſſentire, libera eſt, & liberè conſentit. Poſteriori autem modo negant, quòd voluntas diſſentire valeat: & ſic ſalvant certitudinem divinæ præſcientiæ, immutabilitatem voluntatis Dei, & efficaciam gratiæ: quia ad hæc fruſtranda opus erat, quòd voluntas in ea hypotheſi poſſet conjungere diſſenſum cum talibus circunſtantiis. Qua diſtinctione uſi fuimus *Tract. 4. diſp. 10. dub. 5.* ubi eam latiſſimè expoſuimus agentes de prædiffinitionibus Dei abſolutis, & efficacibus; illaque frequenter utemur in hoc Tractatu. Et hic in ſumma eſt modus concordiæ Thomiſticæ inter libertatem noſtram, & gratiam efficacem.

§. II.

Proponitur ſententia Molinæ.

238. DOctor Ludovicus Molina, Theologus è Societate Jeſu in Academia Eborenſi primarius, edidit ſpecialem Concordiam, ſive rationem conciliandi libertatem hominis cum efficacia gratiæ: quod opus typis mandavit Olyſipone anno 1588. *Sententia Molinæ, & aliorum.* Cuncta verò fundamenta, quæ pro illius concordiæ ſtructura poſuit, opponuntur è regione principiis opinionis Thomiſtarum §. præced. relatæ. *Primum hujus ſententiæ fundamentum.* Nam primò ſtatuit Deum ante omnem liberam ſuæ voluntatis determinationem certò præſciviſſe, quid liberum arbitrium creatum operaturum foret ex hypotheſi, quòd in illa, aut illa rerum ſerie conſtitueretur. Ita docet quæſt. 14. art. 13. diſp. 47. fol. 297. & diſp. 48. fol. 311. ubi aſſerit *per ideas divinas, eſſentiamve divinam cognitam ut objectum primarium, certò repræſentari Deo (qui tum ſuam eſſentiam, tum ſingula, quæ in ea ipſa infinitè perfectius, quam in ſe ipſis continentur, altiſſimo, ac eminentiſſimo modo comprehendit) repræſentari, inquam, naturaliter ante omnem actum, & determinationem liberam voluntatis divinæ complexiones omnes contingentes, non ſolum ſecundùm eſſe poſſibile, ſed etiam ſecundùm eſſe futurum, non abſolutè, ſed ſub conditione, & ex hypotheſi, quod Deus ſtatuat hunc, vel illum ordinem rerum, & cauſarum cum his, vel illis circunſtantiis creare.* Quam præſcientiam vocavit *mediam*: quia mediat inter ſcientiam Dei *naturalem* attingentem poſſibilia, & ſcientiam *liberam* attingentem abſolutè futura. *Scientia media.* Et hæc ſcientiæ divinæ partitio adeò ipſi placuit, ut dixerit diſp. 50. fol. 329. *Triplicem ſcientiam oportet, diſtinguamus in Deo, niſi periculosè in concilianda libertate arbitrij, & contingentia rerum cum divina præſcientia hallucinari velimus.*

239. Secundò negat Deum, inconſultò per ſcientiam mediam futuro uſu liberi arbitrij, præ-diffiniſſe, ſive decreviſſe ab æterno actus liberos: ſed eos tantùm abſolutè futuros prædiffinitos fuiſſe docet, quos Deus conditionatè futuros eſſe præſciebat. *Secundum principium.* Quam doctrinam toties in Concordia repetit, ut ſupervacaneum ſit indicem texere. Legatur tamen quæſt. 22. art. 4. fol. 381. ubi hæc habet: *Noſtro intelligendi modo cum fundamento in re, ante actum, quo ex æternitate abſolutè ſtatuit concedere eum rerum ordinem, quem re ipſa condidit, cernens Deus per ſcientiam illam mediam inter liberam, & merè naturalem, de qua quæſt. 14. art. 13. dictum eſt, qui tandem in vita termino ob præcedentia merita vitam æternam adepturi eſſent, ſi talem verum ordinem vellet condere, dum poſterius eundem ordinem abſolutè voluit condere; eo ipſo volendi actu complacuit ſibi per voluntatem abſolutam, ut ij, quos prævidebat ob præcedentia merita perventuros in vitam æternam, ea potirentur: atque ipſo actu voluntatis divinæ fuerunt prædeſtinati per illa media, quæ ex ipſorum libertate prævisa ſunt futura; ut quæſt. ſeq. plenius dicemus. Quo fit, ut in divina providentia, ac prædeſtinatione etiam affectuum, qui & ab arbitrio pendent, & à providentia tanquam fines ſunt intenti, veréque ſunt effectus divinæ providentiæ, & prædeſtinationis; nulla alia ſit certitudo, quàm certitudo præſcientiæ, quod ita ex talibus mediis ſunt eventuri; cum re ipſa ſi arbitrium creatum, ut poteſt, vellet, contrario modo eſſent eventuri.* *Molina.*

Tertium principium.

240. Tertiò negat, quòd ſuppoſita ſufficientia liberi arbitrij ad operandum, vel in ordine naturæ, vel in ordine gratiæ, Deus illud effectivè præmoveat ad actum: unde non concedit concurſum actualem prævium Dei in liberum arbitrium; ſed ſolum concurſum ſimultaneum, & immediatum in operationem. Id paſſim repetit in Concordia, & præcipuè *quæſt.* 14. *art.* 13. *diſput.* 26. ubi ex profeſſo impugnat oppoſitam D. Thom. doctrinam. Et cum S. Doct. *quæſt.* 3. *de potentia art.* 7. dixerit hanc præviam applicationem habere quoddam eſſe velut intentionale; Molina loco cit. fol. 168. addit: *Hoc tamen commentitium plane eſt, nullaque ratione fulcitur, & res fruſtra multiplicat.*

Quartum principium.

241. Quartò, & valde conſequenter ad præcedens dictum affirmat omnia auxilia gratiæ eſſe ex ſe indifferentia, & poſſe pro arbitrij nutu cum conſenſu, vel diſſenſu conjungi, ac ſubinde fruſtrari: cenſet enim concurſum Dei non determinare concurſum liberi arbitrij, ſed ab eo potiùs determinari. Unde loco proximè cit. diſp. 28. fol. 183. inquit: *Concurſus particularis ad opera ſupernaturalia liberi arbitrij, hoc eſt, gratia liberum arbitrium pravemens, non eſt cauſa efficax ejuſmodi operum: quin potiùs in poteſtate liberi arbitrij eadem gratia adjuti eſt conſentire, aut non conſentire, aut etiam diſſentire Deo ita invitanti, atque excitanti. Id, quod de fide eſt, ut ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 4. ſæpè in ſuperioribus eſt oſtenſum, & in ſequentibus magis patebit. Ergo neque concurſus generalis Dei eſt cauſa efficax operum liberi arbitrij, ſed à libero arbitrio pendet, tum ut ſint, tum etiam ut non obſtante actuali influxu Dei, ſint potius hujus ſpeciei, quàm illius, atque hujus objecti, potiùs quàm alterius.* Et diſp. 37. fol. 223. inquit: *Dominicus à Soto 1. de natura, & gratia cap. 16. & Andreas Vega lib. 6. in Concil. Trident. cap. 6. 7. 8. & 9. affirmant liberum arbitrium ad eliciendum quemcunque prædictorum actuum, præter auxilium particulare gratiæ prævenientis, indigere alio auxilio gratiæ particulari quo Deus cum libero arbitrio immediatè concurrat, illudque moveat ad eoſdem actus.* Et ſtatim num. ſequent. addit: *Verùm multa ſunt, quæ mihi in hac doctrina non probantur.* Et diſp. 38. fol. 232. inquit: *Aſſerimus auxilia prævenientis, atque adjuvantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacia, aut inefficacia ad converſionem, ſeu juſtificationem ſint, pendere à libero conſenſu, & cooperatione arbitrij noſtri cum illis: atque ideo in libera noſtra poteſtate eſſe vel illa efficacia reddere conſentiendo, & cooperando cum illis ad actus, quibus ad juſtificationem diſponimur; vel inefficacia illa reddere continendo conſenſum, & cooperationem noſtram, aut etiam eliciendo contrarium diſſenſum.*

Quintum principium.

242. Quintò, & cum magna conſequentia ad duo præcedentia dicta, docet contingens eſſe, quòd datis duobus hominibus præventis, & adjutis à Deo per eadem gratiæ auxilia, unus convertatur, & alter non. Id frequenter repetit, & præcipuè tradit quæſt. 14. art. 13. diſput. 12. fol. 52. ubi ait: *Fieri poteſt, ut duorum, qui æquali auxilio interiùs à Deo vocantur, unus pro libertate ſui arbitrij convertatur, & alter in infidelitate permaneat. Sæpè enim accidit, ut cum quo auxilio unus non convertitur, alius convertatur: id quod ſatis apertè docuit Chriſtus Dominus ex ea collatione incolarum Bethſaidæ, & Corozain cum Tyriis, & Sidoniis. Imò fieri poteſt, ut aliquis præventus, & vocatus longè majori auxilio pro ſua libertate non convertatur, & alius cum longè minori convertatur.*

Concordia Molinæ.

243. His præjactis principiis facilè reducit ad concordiam libertatem hominis, & gratiæ efficaciam. Quòd enim gratia efficax ſit, non provenit ex ejus intrinſeca conditione; ſed ex cooperatione arbitrij, quod pro ſuo nutu gratiam prævenientem ſibi datam determinat, & cum exercitio conjungit: unde efficacia gratiæ non antecedit influxum arbitrij; ac ſubinde nullam ei affert determinationem, vel neceſſitatem. Quòd verò gratia hìc, & nunc data certò connectatur cum effectu, non procedit ex eo, quòd Deus inconſulto arbitrio decreverit abſolutè talem effectum: ſed quia cùm præviderit per ſcientiam mediam effectum illum in tali hypotheſi conditionatè futurum, decrevit quod id ipſum fieret. Quocirca ſicut liberum arbitrium potuit impedire eam præſcientiam, ſe ad contrariam partem determinando: ita potuit impedire eam infallibilitatem: atque ideo tota certitudo, totaque connexio inter gratiam, & effectum antecedens non eſt, ſed conſequitur determinationem arbitrij. Eodem modo conciliat libertatem noſtram cum æterna Dei prædeſtinatione: nam hæc etiam innititur ſcientiæ mediæ; cùm Deus nihil circa ſalutem hominum abſolutè decreverit, niſi quòd præſcierit conditionatè futurum pro libera determinatione arbitrij in hac, aut illa rerum ſerie conſtituti. Nulla ergo neceſſitas, nulla violentia, nulla coactio imminet libero arbitrio vel ex præſcientia Dei, vel ex prædeſtinatione, vel ex gratiæ efficacia: ſed cuncta hæc cum libertate ſatis liquidò cohærent.

Molinæ aſſertio circa auxilia ſufficientia.

244. Ne autem ex indigentia auxiliorum ſufficientium cauſaretur homo impotentiam ad converſionem, quaſi non poſſet abſque illis converti, nec ea haberet in manu ſua: adjecit Molina Deum omni homini facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ, conferre auxilia ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem. Unde qua facilitate, & libertate poteſt homo facere, quod naturaliter poteſt, eadem valet conſequi prædicta auxilia. Cumque hujuſmodi auxilia poſſint pro arbitrij nutu fieri efficacia, aut inefficacia; nihil eſt in hoc negotio, quod vel apparenter tollat libertatem arbitrij. Tradidit autem hoc additamentum quæſt. 14. art. 13. diſp. 10. fol. 44. ubi ait: *Illud etiam iis, quæ duabus præcedentibus diſputationibus diximus, addendum eſt, quotieſcumque liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur, præſtove eſt ad conandum totum id, quod ex ſe ſe poteſt tam circa ea, quæ fides habet, addiſcenda, & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac juſtificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave, quibus id faciat, ſicut oportet ad ſalutem. Non quidem quaſi eo conatu dignus efficiatur illis auxiliis, ullaque ratione ea promereatur; ſed quoniam id obtinuit nobis Chriſtus ob ſua merita; atque inter leges, quas tam ipſe, quàm pater æternus ſtatuerunt de auxiliis, & donis, quæ nobis Chriſtus promeruit, merè gratis conferendis, una, eaque rationi maximè conſentanea fuit, ut quoties ex noſtris viribus naturalibus conamur facere, quod in nobis eſt, præſto nobis eſſent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet ad ſalutem, efficeremus. Ut ea ratione dum eſſemus in via, ſemper in manu liberi arbitrij noſtri poſita eſſet ſalus noſtra, per noſque ipſos ſtaret, quod ad eam non converteremur. Quare ſicut Deus ſemper præſto eſt per concurſum*

generalem

generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit: ita praſto illi eſt per auxilium gratiæ ſufficiens, ut quoties ex ſuis viribus aggredi voluerit opus aliquid ex his, quæ ad juſtificationem ſpectant, illud exequatur, prout ad ſalutem oportet. Hic eſt in ſumma modus concordiæ inter libertatem & gratiam, quam eo opere docuit Molina: & ipſi communiter ſubſcribunt Theologi Societatis Jeſu, ut meritò Ribadeneyra *tract. de Prædeſt. diſp. 9. cap. 3. num. 20.* appellaverit prædictum Molinam *ſubtiliſſimum noſtræ ſcholæ inſtitutorem.*

§. III.

Qui tractaverit de hac materia, & quis modus in ea ſervandus.

Decreta Pontificia, quæ prohibent hujus controverſiæ impreſſionem.

245. UT Paulus V. diſſenſiones, quæ occaſione libri Molinæ, & diſputationum circa auxilia gratiæ inter catholicos ingraveſcebant, faciliùs componeret; decrevit anno 1611. ne deinceps libri, aut tractatus de auxiliis imprimerentur abſque licentia ſanctæ univerſalis Inquiſitionis. Quòd decretum innovavit Urbanus VIII. anno 1625. Poſt aliquot autem annos, cùm plurima jurgia Lovanij orta fuiſſent ob librum quendam editum à Cornelio Janſenio Epiſcopo Tirenſi, nec non ob theſes Patrum Societatis Jeſu adversùs prædictum librum; idem Urbanus VIII. ut diſcordiæ illi, quæ in dies augebatur, & plurima ſcandala generabat, remedium aliquod adhiberet; ſuum, & Pauli decretum innovavit anno 1641. & diſtrictiùs adhuc, ac ſub gravioribus pœnis prohibuit imprimere, aut alio modo edere ſimiles tractatus. Et licèt Urbanus ſpecialiter reſpexerit ad apologias, tractatus, & opuſcula occaſione libri Janſenij edita, addidit tamen: *Mandavimus inſuper omnibus, & ſingulis cujuſvis Religionis, Ordinis, & Dignitatis, Abbatiali, Epiſcopali, Archiepiſcopali, & Patriarchali dignitate ſuffultis, Collegiis, & Univerſitatibus, ſub prædictis ut ſupra Excommunicationis ipſo facto incurrenda, interdicti eccleſiaſtici reſpectivè, aliiſque arbitrio noſtro pœnis infligendis, etiam corporalibus, ne in poſterum auderent imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, compoſitiones, ex profeſſo, vel incidenter, etiam ſub prætextu commentandi Divum Thomam, ſeu in Philoſophicis agendi de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda, & præſertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Ianſenij, cui titulus, Auguſtinus, vel Theſes Patrum Societatis Ieſu,* &c.

Urbanus VIII.

Doctores, qui poſt illam prohibitionem, hanc difficultatem tractarunt.

245. Hæc cùm ita ſe habeant; dignum admiratione eſt, quòd plures libri, ac tractatus virorum gravium, prudentum, & timoratæ conſcientiæ poſt prædicta decreta fuerint impreſſi, & manibus Catholicorum terantur abſque ulla condemnatione: in quibus non ſolùm incidenter, ſed etiam valde ex profeſſo de materia auxiliorum, & de eorum cum libertate concordia diſputatur. Hujuſmodi, aliis pluribus prætermiſſis, ſunt.

1. Franciſcus Suares Societ. Jeſu *integro tomo de Auxiliis* impreſſo Lugduni anno 1631. in quo nihil, quod ad hanc materiam pertineat, prætermittitur.
2. Nazarius Dominican. latiſſimè verſat hoc punctum 1. *p. q. 22. art. 4. contr. 1. & 2. & quæſt. 23. art. 3. contr. 1.* Bononiæ anno 1619.
3. Joannes Gonzales Dominic. 1. *p. q. 19. art. 8. diſp. 58.* Compluti anno 1621.
4. Joannes Phelippeus, Jeſuita *in comment. ad Oſeam cap. 2. verſ. 17. fol. 493. cum ſeq.* Lutetiæ anno 1636.
5. Didacus Alvarez *in libro Reſponſ.* Lugduni anno 1622. & Trani 1624.
6. Joannes à S. Thoma Dominic. *in Phyſ. quæſt. 25. art. 1. & 2. & 1. p. quæſt. 19. diſp. 3. art. 3. & 1. 2. qu. 111. diſp. 21. per totam.* Matriti, Lugduni, & Lutetiæ variis temporibus.
7. Franciſcus Carriere Minorita, *in profeſſione fidei, tit. de gratia quæſt. 9. & 10.* Lugduni anno 1657.
8. Theophilus Raynaudus Societ. Jeſu, ſæpè verſat hoc punctum *in Diſcipl. moral.* & præcipuè *diſt. 2. q. 2. art. 2. & diſt. 4. q. 2. art. 3.* & *in Theologia naturali diſp. 8. à num. 195.* Lugduni, variis temporibus.
9. Philippus à Sanct. Trinitate Carmelita *l. 2. tract. 3. diſp. 4. per totam.* Lugduni anno 1653.
10. Franciſcus Arauxo Dominic. 1. *p. qu. 19. art. 10. dub. 3.* ſed latiùs, & ex profeſſo 1. 2. *q. 111. art. 5. dub. 7.* Salmanticæ anno 1646.
11. Joannes Nicolai Dominic. *in Pantheologia Raynerij tom. 2. tit. de gratia cap. 5. cum ſequent.* Lugduni anno 1655.
12. Joannes Caramuel, Ciſtercienſis *in Theologia fundam. fundamento 1. Theſi 3.* Romæ anno 1656. & *in Metalog. fol. 154. cum ſeq.*
13. Vincentius Baronius Dominic. 3. *p. manuduct. ferè per totam,* Lutetiæ ann. 1666.
14. Joannes de Ripalda Soc. Jeſu *tom. 2.* in quo nihil, quod hanc materiam concernat, non diſputat, ut evidenter liquet ex primo judice, tit. In tractatum *de efficacia gratiæ auxiliantis*, ubi decem proponit diſputationes. Lugduni anno 1645. Et toto opere contra Bajanos, Coloniæ anno 1548. in quo opere ſæpius Bajanorum ſub larva Thomiſtas percellit.
15. Joannes Gonet Dominic. pluribus in locis, & præcipuè *in apologia Thomiſtarum*, & *in tract. de Voluntario, diſp. 2. per totam.* Lutetiæ anno 1669.
16. Petrus Godoi Dominic. *tom. 2. in 1. part.* ubi plura, ſed præcipuè *diſp. 36. & 38.* Burgi Oxomenſis anno 1670.
17. Petrus Labat Dominic. *tom. 4. diſp. 2. dub. 3. & 4. & diſp. 4. per totam*, Toloſæ anno 1659.
18. Petrus à S. Joſeph Ciſtercienſis *in Idea Theologiæ ſpecul. lib. 4. cap. 7.* Pariſiis, anno 1642.
19. Rodericus Arriaga Jeſuita *in Phyſic. diſp. 10. ſect. 1. & 2.* Pariſiis anno 1647.
20. Adamus Taunerus Jeſuita *tom. 1. diſp. 2. q. 11. & tom. 2. diſp. 6. quæſt. 2.* Ingolſtadij, anno 1626.
21. Ludovicus Caſpenſis Capucinus, *tract. de gratia ſect. 7. cum ſequent.* Lugduni anno 1641.
22. Alphonſus Michael Dominicanus 1. *part. quæſt. 19. art. 8. cap. 1. & ſeq.* Compluti anno 1658.
23. Thomas Leonardus Dominic. *lib. 3. contra Georgium Dorſchæum cap. 1.* Bruxellis anno 1661.

Digitized by Google

24 Petrus Magallanes Dominicanus *tract. de ſcientia Dei part.* 2. *cap.* 12. §. 8. & 9. Olyſſipone, anno 1666.

25. Marcus Serra Dominicanus 1.2.*q.* 111. Valentiæ anno 1645.

26. Franciſcus Oviedo Jeſuita *in Phyſic. contr.* 10. *puncto* 3. Lugduni anno 1663.

27. Alexander Sybille Dominicanus *toto opere de libero arbitrio contra Ianſeniſtas*, Moguntiæ, anno 1652.

28. Franciſcus Sylvius Doctor Duacenſis 1. 2. *q.* 111. *art.* 3. *quæſt.* 3. Duaci 1635. & *in opuſc. de motione primi motoris*, Pariſiis anno 1647.

29. Ludovicus Meratius Jeſuita *tom.* 2. *tract. de gratia*, *diſp.* 6. *de gratia efficaci per totam*, Lutetiæ anno 1633.

30. Joannes Martinonus Jeſuita *tractatus tres de Deo*, *diſputat.* 34. *ſect.* 2. Burdigalæ anno 1654.

31. Bernardus Alderete Jeſuita *tract. de Incarn. diſp.* 13. Lugduni anno 1662.

32. Joannes Puteanus Auguſtinianus 1. 2. *quæſt.* 111. *dub.* 4. *cum ſequent.* Toloſæ anno 1627. eandem difficultatem tractant Baſſeus Capucinus in floribus Theologiæ, verbo *Actus Humani*. Joannes Martinez de Prado *in* 2. *part. Metaphyſic.* Joannes Echalaz, 2. *Phyſic. diſp.* 16. Ludovicus Abelleus *tract.* 6. *de gratia*, *cap.* 3. *de gratia efficacia.* Iſaacus Habertus, *lib.* 2. *de gratia efficacia.* Joſephus à Villanova, *in quæſt. Theologica de prima determinatione.* Franciſcus Bonæſpei. 2. *Phyſic. tract.* 2. *diſp.* 7. & *in Appendicem poſt Metaphyſicam*, & *tom.* 1. *Theol. tract.* 1. *diſp.* 1. Andreas de la Moneda, *lib.* 8. *Phyſic. diſp. unica quæſt.* 2. & alij quamplures, qui poſt decreta ſuprà relata prodierunt, & in dies prodeunt.

Quare prædicti Auctores non puniantur.

246 Cùm autem Pontifices adeò ſeverè prohibuerint tractatus, & libros de his diſputationibus imprimere, & quod magis eſt, alio quovis modo in lucem edere, & materiam iſtam vel leviter attingere; admiratione, ut diximus, dignum eſt, quòd viri adeò ſapientes, & pij tam ex profeſſo de hac difficultate diſputaverint, & opera ſua luci, & periculo expoſuerint. Nec minùs mirabile exiſtit, quòd vigilans ſanctæ Inquiſitionis tribunal prædicta opera non ſuppreſſerit, & in Auctores animadverterit; ſi ſemel decreta Pontificum in ſuo rigore, ac vigore perſeverant. Unde quidam autumant prædicta decreta ſpecialiter comprehendiſſe Patres S. Dominici, & Societ. Jeſu, qui has controverſias excitaverant, & quibus conciliandis, aliiſque ſcandalis propellendis invigilaverunt Pontifices. Quod ſi verum eſſet, non videretur aliis perſonis prohibitum de hac materia diſputare. Sed horum conjectura diſplicet: primò, quia decreta illa indefinitè loquuntur, imò ad perſonas cujuſvis Ordinis, & dignitatis ſe extendunt, ut conſtat ex verbis Urbani ſuprà relatis: unde non relinquunt locum illi exceptioni. Secundò, quia ſcriptores, qui potiſſimùm de hac materia diſputarunt, ſunt ex Ordine Sancti Dominici, & ex Societate Jeſu, ut ex proximè dictis liquidò conſtat: & credibile non apparet, quòd tot religioſi adeò graves, & docti temerè proceſſerint contra decreta Pontificum, & pœnis ita rigoroſis ſe obnoxios conſtituerint: ſed oportet exiſtimare, quòd alio motivo prudenti, & reverentiæ Pontificum non adverſo ſe geſſerint.

Aliquorum conjectatio. *Refellitur.*

Aliorum judicium, quod talis prohib. iò ceſſaverit.

Alij exiſtimant prohibitionem illam jam ceſſaſſe, ac proinde licitum eſſe libros, & tractatus de hac materia (ſervatis ſervandis, id eſt nullam proferendo cenſuram in adverſam partem) imprimere. Unde Labat diſp. 3. dub. 4. inquit: *Nobiliſſimam, ac difficillimam de efficacia gratiæ aggredior controverſiam, quam propter prohibitionem Sum. Pontificum Pauli V. & Urbani VIII. de illius in lucem editione agitare non erat in animo. Ex quo tamen graviſſimi Theologi fidem faciant prædictam ceſſaſſe prohibitionem, & ab Eccleſia, & Summo Pontifice extare permiſſionem, cùm, inquiunt ipſis ſcientibus, ac prudentibus plures de hac materia in lucem editi ſint libri, ut Lugduni opus Suaris de auxiliis, Toloſæ liber Patris Annati, Pariſiis tot de gratia efficacia repetitæ apologiæ, & alij innumeri approbati libri, ut Lugduni Philippus à ſancta Trinitate. Pariſiis Bernardus Guyard. Matriti Ioannes à S. Thom. & Gratianop. Petrus Iammin: quam ob cauſam ad illius tractationem inoffenſo pede non poſſum non accedere.* Labat.

Et R. P. Philippus à S. Trinit. in prolog. ad 1. 2. ait: *Diu ſuſpenſus fui circa impreſſionem hujus tractatus de Gratia, quantùm attinet ad duas diſputationes de auxiliis divinæ gratiæ, ac eorum concordia cum libero arbitrio; cùm aliàs talis impreſſio fuerit prohibita per Sum. Pontif. Paulum V. & Urbanum VIII. Sed inquirens circa hoc, reſponſum fuit mihi à viris doctiſſimis, & religioſis tum in Gallia, tum Romæ; unde nunc redeo, talem prohibitionem expiraſſe, & impreſſionem hujus materiæ nunc permiſſam à Summo Pontifice (dummodo à cenſura contrariæ partis abſtineatur) cùm ipſo ſciente, & prudente, quotidie plures circa illam prodeant tractatus.* N. Philippus à S. Trinit.

Præcedentis judicij fundamenta.

247. Quæ ſi vera ſunt; fortè culpam à ſe removebunt, qui modò materiam auxiliorum verſant, & prælo mandant. Tum quia vident plurimos alios id ipſum feciſſe, quin ob hoc pœnas in eis decretis aſſignatas experti fuerint, aut eorum libri cenſeantur prohibiti, ut patet in Auctoribus ſupra relatis, & in aliis pluribus: quod ipſum videtur eſſe tacitæ licentiæ, & permiſſionis Pontificum. Tum etiam quia unicum motivum, quod Pontifices videntur habuiſſe in prædictis decretis, fuit tollere ſcandala, & diſſenſiones, quæ occaſione editionis librorum de auxiliis inter catholicos oriebantur, ut legenti illa decreta conſtabit: modò autem experientiâ compertum eſt ſcandala non generari ex eo, quòd hujuſmodi tractatus imprimantur, ut patet in Auctoribus ſuprà relatis: unde præſumi poſſe videtur, quòd obligatio prædictorum decretorum ceſſaverit, juxta doctrinam Navarri in comment. de judiciis num. 75. ubi ait: *Quare certò credo legem non ligare ſubditum in foro conſcientiæ eo caſu, quo conſtaret illi omnem rationem illius legis ceſſare; neque in foro exteriori, ſi in eo foro idem conſtaret.* Quam doctrinam ampleciuntur Comitolus lib. 7. Reſp. quæſt. 1. Souſa *in bullam de largitione munerum fund.* 1. Diana 1. *p. tract.* 10. *reſol.* 28. & alij plures. Tum denique quia lex non obligat in eis eventibus, in quibus rationabiliter præſumitur, quòd legiſlator non voluit obligare, ut docent Cajet. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 9. Suarez *lib.* 3. *de legibus cap.* 27. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 158. *cap.* 3. & 4. rationabiliter autem præſumi videbitur, quòd Navarrus.

Pontifices

Pontifices non voluerint; ut ſua decreta ſe extenderent ad ea tempora, in quibus ob impreſſionem librorum de auxiliis non ſuboriuntur ſcandala, & diſſenſiones inter catholicos, ut modò non ſuboriuntur: quocirca veroſimile aliquibus videbitur, quòd prædicta decreta modò non obligent.

Confirmationes. Et poteſt addi primò Urbanum VIII. prohibuiſſe non ſolùm, quòd libri de hac materia imprimerentur, ſed etiam quòd alio quoquo modo in lucem ederentur libri, vel tractatus, vel compoſitiones circa hoc punctum, ut conſtat ex ejus verbis relatis num. 261. & ponderat Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 42. & tamen abſque ullo ſcrupulo exarantur; publicè prælegumtur, & circumferuntur tractatus de auxiliis, ut conſtat ex communi praxi Academiarum, & Religionum: ſignum ergo eſſe videtur, quòd prædictum decretum modò non obligat. Additur ſecundò in prædictis decretis prohiberi, quod hæc materia tractetur adhuc *incidenter*, ut liquet ex verbis Urbani: & nihilominus nullus ferè eſt Auctor, qui ſcripſerit vel de ſcientia, vel de voluntate, vel de concurſu Dei, vel de prædeſtinatione; & de hoc puncto aliquid *incidenter*, & per tranſennam, ut aiunt, non egerit: ergo ſicut illa decreta quantum ad modum agendi *incidenter* non obſervantur; ita videtur, quòd non obligent quantum ad modum agendi ex profeſſo.

Prædictum judicium, non approbatur omnino. 248. Cæterùm licèt hæc non videantur omni ſpecie probabilitatis deſtitui, affirmare tamen non audemus, quòd prohibitio circa hanc materiam ceſſaverit cum ea generalitate, quam intendunt duo illi Auctores num. 263. relati. Nec hoc pacto excuſare poſſumus omnes illos Scriptores, quos num. 262. dedimus, eos præſertim, qui paulò poſt prædicta decreta ſuos tractatus prælo mandarunt. Alij enim, qui modò ſcribunt, & cæteros abſque nota; & periculo præire cernunt, digniores venia, & majori probabilitate ſuffulti videntur: quippè qui animadverſioni minimè ſe exponerent, ſi in alios animadverti conſpicerent.

Veriſimilior aliorum ſententia. 249. His ergo, & aliis circa hoc punctum conjectandi modis relictis, illam in hac parte ſecuriorem, & probabiliorem viam cenſemus, quam indicant N. Lezana *tom.* 1. *quæſtion. regul. cap.* 10. *num.* 24. & latiùs proſequitur Thomas Hurtado *Reſol. moral. part.* 2. *tract. ult. reſol.* 7. §. 2. Et reducitur ad duo puncta. *Primum* eſt non licere imprimere materiam de auxiliis, vel ex profeſſo, vel incidenter, vel occaſionaliter inurendo cenſuram alteri parti, aut in eam intorquendo convitia, illamve dicteriis ita percellendo; ut inde futurum credatur, quòd diſſenſiones, & ſcandala poſſent oriri. Quoniam hic procedendi modus directè opponitur intentioni prædictarum prohibitionum: declararunt enim apertè Pontifices ſe ita decernere ad vitandum jurgia, & diſſenſiones inter catholicos. Unde qui contumelioſo illo diſſerendi modo procederet, non poſſet non contra talia decreta peccare, & pœnis in eis propoſitis ſubjacere. *Secundum* eſt, quòd etſi non liceat agere ſpecialiter; & directè, vel ex profeſſo, vel incidenter de auxiliis; aut eorum concordia cum libertate; licitum tamen eſt hanc materiam tractare occaſionaliter, & conſequenter, ne videlicet alia materia, quam non prohibemur verſare, imperfecta relinquatur. Priorem partem convincunt ad minus ipſa decreta Pontificum, prout extant. Poſterior verò ſuadetur tam exemplo plurium graviſſimorum, & religioſorum Scriptorum, qui non ſolùm occaſionaliter de hac materia tractarunt, ſed ſatis ex profeſſo; quorum catalogum dedimus num. 261. & tamen nec Pontifices, nec ſanctæ Inquiſitionis tribunal eos condemnavit: ergo licebit hanc materiam tractare ſolùm occaſionaliter, & conſequenter. Præſertim cùm uſus, & obſervantia declaret modum legis, & qualiter obliget, ut docent ſatis communiter Juriſperiti. Tum etiam quia cui non prohibetur agere de antecedenti, & cauſa, nec prohibetur agere de conſequenti, & effectu, ut docent Menochius *de arbitr. judic. quæſt.* 54. *caſu* 95. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. gloſſa* 3. *num.* 53. & alij plures: ſed Pontifices, & S. Inquiſitio non prohibent tractare de voluntate Dei, & decretis efficacibus, quæ ſe habent ut antecedens, & cauſa reſpectu auxiliorum, & eorum concordiæ cum libertate: ergo prohibitum non eſt agere de hujuſmodi auxiliis, ſaltem occaſionaliter, & conſequenter. Tum denique quia præcepta debent eſſe moraliter poſſibilia, ut cum D. Thoma 1. 2. *qu.* 95. *art.* 3. docent communiter Theologi: ſed materiæ de voluntate Dei, de prædeſtinatione, de gratia Dei (quas verſare, & imprimere licet) vix tractari poſſunt, quin opus ſit non pauca inſerere de auxiliis efficacibus, & eorum cum libertate concordia: ergo exiſtimandum non eſt, quòd Pontifices interdixerint tractare de auxiliis occaſionaliter, conſequenter, eorumque notitiam aliis tractatibus, prout oportet ad Theologiam, inſerendo, & adjiciendo.

250. Adhuc tamen non omnino probamus hunc dicendi modum, prout ſe extendere videtur ad priora illa tempora, in quibus Pontifices prohibitionem hujus materiæ promulgarunt. *Moderatio præcedentis ſententiæ.* Veroſimilius enim nobis apparet, quòd interdixerint hoc punctum tractare etiam occaſionaliter, & conſequenter. Tum quia uſi fuerunt verbis valdè generalibus, quæ ullam interpretationem, aut exceptionem non admittebant. Tum quia adverbium *incidenter*, quo utitur Urbanus VIII. ſatis æquivalet adverbio *occaſionaliter*: nam quæ occaſionaliter fiunt, incidenter fiunt & è converſo. Sed quia poſt illa decreta non pauci Auctores auſi ſunt punctum iſtud attingere; & experientia oſtendit nullum inde ſcandalum, nullumve diſſidium turbaſſe catholicos (cui malo potiſſimùm intendebant Pontifices ſuis decretis occurrere) & aliunde in prædictos Auctores animadverſum non fuit: aliqui exiſtimare potuerunt, quòd ipſa pœnarum non applicatio, atque inflictio, ſit tacita, & virtualis Pontificum permiſſio, quæ habeat vim revocationis, vel ad minus reſtrictionis antiquarum prohibitionum, ſaltem quantùm ad modum agendi de hac difficultate incidenter, occaſionaliter, & ex conſequenti ad alias materias. Quam Pontificum tacitam voluntatem, cùm ita interpretarentur, aſſumere potuerunt pro fundamento, ut cum aliqua probabilitate, & abſque inobedientiæ nota ſe gererent in hoc negotio. Et ita poſſunt exponi duo illi Auctores num. 263. relati.

251. Quæ reſolutio tunc ſecuriùs procedit, quando qui hanc materiam tractat, non proponit novum aliquem concordiæ modum à ſe excogitatum; ſed ſimpliciter refert ſententias, quæ in hac parte circumferuntur, & earum fundamenta, & auctores; licèt unam aliis præponat, & magis fulciat. *Quid præcipuè Pontifices ſuis prohibitionibus intenderint.* Pontifices enim ideò de his rebus agere prohibuerunt: quia experti ſunt aliquos catholicos zelo fidei, ut par eſt credere, ductos novos

Digitized by Google

novos concordiæ modos excogitaſſe, ut ita faciliùs errorem Lutheranorum compeſcerent. Sed cùm novitas ſoleat animos turbare, homineſque in varias ſententias ſejungere; factum eſt, ut quod pace fuerat denuò excogitatum, præbuerit fomitem novis diſſenſionibus, & ſcandalis. Quod liquidò apparuit in ſententia Molinæ, quæ plures tumultus in Hiſpania excitavit, & in ſententia Cornelij Janſenij, quam magna animorum turbatio apud Flandros, & Gallos ſubſecuta eſt. Quibus incommodis, ut occurrerent Pontifices, ſua decreta publicarunt, Paulus V. poſt controverſias in cauſa Molinæ anno 1611. & Urbanus VIII. poſt librum Janſenij, & Theſes Patrum Societatis anno 1641. Hujuſmodi autem diſſenſiones fovere præſumitur, qui novas in hoc puncto opiniones fabricatur, & proponit: non verò qui ſententias apud Theologos notiſſimas, & in Academiis agitati conſuetas ſimpliciter refert, colligit, aut refellit. Nam ſicut ex eo, quòd hujuſmodi ſententiæ publicè prælegantur, defendantur, & impugnentur; nullum ſequitur ſcandalum, ut experientia patet: & idcirco prædicta licent ex Pontificum conſenſu: ita periculum imminere non videtur ex eo, quòd tractatus hanc materiam concernentes, cum eiſdem moderationibus prælo committantur. Et quia Auctores num. 245. relati hoc modo, majori ex parte in ſuis tractatibus ſe geſſerunt; ideò fortaſſe Pontifices, & Sanctæ Inquiſitionis tribunal eos punire non curarunt, nec eorum libros prohibuerunt. Unde incredibile prorſus non apparet, quòd Pontificum decreta directè, & per ſe vetent novas in hac parte opiniones circa modum conciliandi auxilia gratiæ cum libertate: & quod ſcriptoribus non interdicant referre, & defendere opiniones, quæ vulgò in gymnaſiis Catholicorum juxta eorumdem Pontificum placitum publicè defenduntur.

Modus à nobis in hac materia ſervandus.

252. Secundùm has omnes limitationes in hoc opere procedimus. Nam in primis minimè intendimus tractare directè, & per ſe de auxilio efficaci, & ejus cum noſtra libertate concordia: ſed agere de neceſſitate, quidditate, diviſione, cauſis, & effectibus divinæ gratiæ; quod Pontifices non prohibuerunt. Quia tamen hæc materia obſcura, & mutila relinqueretur, niſi adjungeremus notitiam gratiæ auxiliantis ſufficientis; idcircò de prædicta gratia tractabimus: quod Pontifices ſuis decretis minimè interdicunt. Et quia notitia prædictæ gratiæ ſufficientis vix tradi poteſt, niſi per comparationem ad gratiam efficacem, propterea doctrinam de auxilio efficaci, occaſionaliter, & conſequenter in unica diſputatione inſeremus, ac ſubjiciemus. Quæ diſputatio modicum quid, & velut appendicula cenſeri poteſt reſpectu totius tractatus, cui principaliter operam damus. Rurſus non proponimus aliquam novam concordiam, quæ turbationem aliquam excitet; ſed tantùm referimus, ac propugnamus ſententiam antiquam, & vulgatiſſimam Thomiſtarum. Denique nullam adverſæ opinioni notam, aut cenſuram inurimus: ſed in eo ſtatu illam relinquimus, in quo Sedes Apoſtolica (cui nos, & omnia noſtra ex corde ſubmittimus) manere decrevit. Si autem aliquod verbum exciderit, quod vel ob aliquam æquivocationem, vel ob pravum legentis affectum, in alium ſenſum (à nobis quidem alienum) trahi poſſe videatur: proteſtamur nos minimè intendere, adverſæ opinioni detrahere, aut illam aliqua cenſura ferire: ſed palam fatemur, quòd talis opinio poteſt juxta

Proteſtatio.

Pontificum decreta licitè defendi, quandiù ipſi Pontifices oppoſitum non præcipiunt. Quòd ſi aliquando contingat referre aliorum ſcriptorum verba, qui acerbiùs de illa ſententia loquantur, aut eam aliqua nota afficiant: profitemur nos id minimè præſtare, quia talium ſcriptorum approbemus judicium, vel quia intendamus oppoſitam ſententiam denigrare; ſed præciſè ut robur communi Thomiſtarum opinioni non ſolùm à ratione, ſed ab auctoritate etiam, & propugnatorum numerum adjungemus. Idemque proteſtamur circa ea, quæ hactenus, & præcipuè in hoc capite dicta ſunt.

CAPUT VII.

De authoritate D. Auguſtini, & D. Thomæ in hac præſertim materia.

Sacrorum Doctorum auctoritas in rebus fidei.

253. Mos ille in Eccleſia catholica ſemper invaluit, ut quoties aliquid difficile, aut novum circa res fidei occurreret, illud potiſſimùm probaretur, quod Sanctorum Patrum ſententiis convinceretur eſſe magis conforme. Nam iſto velut compendio & fluctuans ingeniorum tumultus compeſcitur, & brevior, ſecuriorque ſemita indagandæ veritati aperitur. Unde in Concil. Florent. ſeſſ. 18. propoſitum eſt: *Quoniam autem Divus Auguſtinus in lib. 2. de civit. Dei, quis, inquit, diſceptandi finis erit, & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus exiſtimemus? Idcircò, Patres ampliſſimi, conveniens eſſet, ut Sanctorum Patrum ſcripturis, atque ſententiis, quas ſancta complectitur Eccleſia, inniteremur, ac ipſis decretis, ac legibus uteremur: ita ut nemini noſtrum, id eſt, fidelium liceret eas inficiari, quemadmodum à majoribus noſtris traditum nobis eſt, præſertim ab Agathone Summo Pontifice, qui ad Conſtantinopolitanum Imperatorem, & ſextam Synodum ita ſcripſit: Quorundam Sanctorum Patrum auctoritates, quas Sancta, & Apoſtolica Eccleſia ſuſceperat, ipſas cum libris Legatis noſtris dedimus, ut ipſis ſolis innitentes, Sereniſſimorum ac Chriſtianorum Imperatorum auxilio, quæ opus eſſent, conficerent.* Similia habentur in eadem ſexta Synodo act. 12. ubi dicitur: *Omnino neceſſe eſt non ſolùm ſecundum ſenſum ſequi Sanctorum Patrum dogmata, ſed & eiſdem vocibus uti cum illis, nihilque penitus innovari.* Et act. 19. additur. *Sed etſi ad Scripturam pertinens controverſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, qui præſunt Eccleſiis, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria, & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt.* Et quidem juſtiſſimè pondus ita magnum auctoritatis defertur Patribus ipſa jam canitie venerandis: nam ut inquit Divus Bernard. epiſt. 174. *Periculosè præſumimus, quicquid ipſorum in talibus prudentia præteriit: nec verò tale eſt, quod niſi prætereundum fuerit, Patrum quiverit diligentiam præteriiſſe.* Et epiſt. 77. ait: *Miror admodum, ſi novus iſte novarum inventor aſſertionum, & aſſertor inventionum invenire potuerit rationem, quæ ſanctos Patres latuerit.* Ut meritò Petrus Gonzal. Epiſcopus Placent. *in locis veteris teſtamenti*, dixerit: *Durum eſt creditu homuncionem quendam mei ſimilem attendiſſe, quæ veteres Patres, doctiſſimos homines latuit.*

Concil. Florent.

Sexta Synodus.

D. Bernard.

Petrus Gonzal.

Decretum Clement. VIII. juſtiſſimum.

254. Hæc cùm explorata haberet Summus Pontifex Clemens VIII. videretque per varia argumentationum intervalla extremum judicium

Digitized by Google

& valde aptū pro hujus controverſiæ deciſione.

cium in Molinæ cauſa, aut interrumpi, aut ſuſpendi; decrevit, ut deinceps, ſententia illius vocaretur ad limam Sanctorum Patrum, & præcipuè Divi Auguſtini, & D.Thomæ: veram probaturus, ut exiſtimamus, ſi ab his Patribus non probaretur aliena; damnaturus autem ut falſam, ſi illis convinceretur eſſe contraria. Fuit hoc decretum Dominicanis gratiſſimum, qui ad accuſationem incitati præcipuè fuerant, quia exiſtimabant Molinæ doctrinam utrique Doctori adverſari. Et quidem facillimus aditus ſententiæ parabatur, ſi accuſati ultronea confeſſio non retexeretur: ipſe quippè palam faſſus fuerat concordiam à ſe propoſitam à *nemine*, quem vidiſſet, hactenus fuiſſe traditam; doctrinam verò D.Auguſtini plurimos fideles turbaſſe. Sed qui Molinam ab eo periculo eripere ſatagebant, cùm cernerent eam confeſſionem, ſuppoſito Pontificis decreto, incommodum auctori parare; coacti ſunt opinioni, cui paucis retro diebus de novitate excitabant plauſus fulcrum antiquitatis ſubmittere, eamque teſtimoniis Divi Auguſtini, & Divi Thomæ, utcumque poſſent firmare, ut latè diximus *tom.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 10. *dub.* 3. *&* 4. *& præcipuè num.* 66. *&* 68. *cum ſequent.* ad quæ loca remittimus Lectorem, ut ſciat, quid acciderit in Molinæ delatione. An autem id ſufficienter præſtiterint ex dicendis diſp. 7. apparebit. Hìc enim tantùm oportet aliqua adnotare circa magnam auctoritatem Divi Auguſtini, & Divi Thomæ in hac materia, & circa modum, & ſigna, quibus in communi poſſit præſumi, diſcerni, atque conjectari, qui magis eorum mentem aſſequantur; & ad ſententias accedant: quod hoc ultimo capite præſtabimus.

§. I.

Laudes D.Auguſtini, magnaque circa hanc materiam Authoritas.

Elogia D. Auguſtini.

255. NUllis finibus terminaretur oratio, ſi laudum Sanctiſſimi Patris Auguſtini totum ſtadium percurrere conaremur. Summa enim ipſius ſapientia inſigni vitæ ſanctitati conjuncta promeruit, ut eam viri ſanctiſſimi pariter, & doctiſſimi egregiis commendationibus exornaverint. Ex quibus unam, aut alteram ſubjicie-

Ex Patribus.

mus: cuncta quippè ejus elogia recenſere prolixum nimis, & ut veriùs dicamus, judicavimus impoſſibile. Sanctus Hieronymus epiſt. 80. ad eundem Auguſtinum. *Catholici*, inquit, *te conditorem antiquæ rurſus fidei venerantur, atque ſuſpiciunt: & quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur.* Sanctus Gregorius Magnus lib. 8. regiſt. epiſt. 37. ad Innocentium Africæ Præfectum: *Si delitioſo*, inquit, *cupitis pabulo ſaginari, B. Auguſtini patriotæ veſtri opuſcula legite; & ad comparationem ſiliginis illius, noſtrum furfurem non quæratis.* Venerab. Beda lib. 2. de Tabernaculo, cap. 3. ait: *Auguſtinus omnia, quæ fidem turbare poterant, hæreticorum venena evacuat.* Caſſiodorus lib. 1. div. Inſtitut. cap. 22. *Doctor beatiſſimus Auguſtinus, bellator hæreticorum, defenſor fidelium, & famoſorum palma certaminum.* Haymo Epiſcop. Halberſt. in ſerm. de Sancto Auguſtino, inquit: *Auguſtinus in elucidandis quæſtionibus omnes Doctores poſt Apoſtolos præceſſit.* Divus Thomas in officio Divi Auguſtini à ſe compoſito, de quo infra numero 281. inquit: *Omnes omnino ejus diſputationibus, & ſcriptis confutatæ ſunt hæreſes, & omnes disjectæ earum tenebræ, & Catholica patefacta, & illuſtrata eſt veritas.* B. Albertus Magnus 2. part. Summæ Theologicæ tract. 14. quæſt. 184. ad quæſt. 3. affirmat: *Auguſtino contradicere impium eſt in iis, quæ tangunt fidem, & mores.* Sanctus Antonius 2. part. hiſt. cap. 8. tit. 10. ait: *Auguſtinus Eccleſiam illuſtravit, gemma Doctorum, Pater Theologorum, ſuavis eloquio, omnes materias penetrando dilucidans.* Sanctus Vincentius Ferrerius ſerm. de Sancto Auguſt. ait: *Audeo dicere, quòd omnes Doctores, qui venerunt poſt Auguſtinum, ſuſtentantur ſuper ejus doctrinam ſanctam, puram, catholicam, auri puriſſimi, ſine errore falſarum opinionum.* Denique Divus Fulgentius libro 2. de verit. prædeſt. cap. 18. concludit: *Hunc* (ſcilicet Auguſtinum) *legat omnis, qui ſalutem æternam adipiſci deſiderat: humiliter orans miſericordiæ Dominum, ut eundem ſpiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit, ut ſcriberet; & eandem illuminationis gratiam adipiſcatur, ut diſcat, quam ille adeptus eſt, ut doceret.*

D. Hieron. — *D. Gregor. Magnus.* — *V. Beda.* — *Caſſiodorus.* — *Haymo.* — *D. Thom.* — *B. Albertus.* — *D. Antonius.* — *S. Vincent. Ferrer.* — *D. Fulgent.*

Ex Summis Pontificibus.

256. His autem, licèt plurimi æſtimari debeant, præponi longè debent elogia, quibus Romani Pontifices doctrinam Divi Auguſtini laudarunt, & commendarunt. Nam præter D. Gregorium numero præcedenti relatum Cæleſtinus Primus in epiſtola ad Epiſcopos Gall. doctrinam Auguſtini commendans ait: *Quem nullus unquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit.* Adrianus Primus in epiſtola ad Conſtant. & Irenem Auguſtos, quæ extat in 7. Synod. gen. act. 2. vocat Auguſtinum *præcipuum Patrem, & optimum Doctorem.* Et Sixtus V. in bulla adverſùs Genethliacos, ipſum appellat *præcipuum Eccleſiæ lumen.* Joannes II. in epiſtola ad Avienum, alioſque Senatores ait: *Sancti Auguſtini doctrinam, ſecundùm prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur, & conſervat Eccleſia.* Martinus V. ſermon. de tranſlatione Sanctæ Monicæ inquit: *Si veritatem quæritis, ſi doctrinam, ſi ſapientiam, ſi pietatem; quis doctior? quis juſtior? quis, ut ita dicam, ſanctior Auguſtino?* Joannes XXII. in bulla ad General. & Ordinem Eremit. D. Auguſt. ait: *Verè utique iſti ſancti ſunt verè Doctores Eccleſiæ, Gregorius ſcilicet, Auguſtinus, Hieronymus, atque Ambroſius, quorum doctrina informatur Eccleſia. Hos inter celeberrimus idem Pontifex Auguſtinus, magnæ quidem auctoritatis, & ſanctitatis præſul, magnæ circumſpectionis, & proviſionis pater, magnæ ſubvectionis, & miſerationis Antiſtes. Dilectus itaque Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt, veluti gemmula carbunculi ignita charitatis, & flammæ, in eloquentia, & ſapientiæ auri ornamento locata reſplenduit: & veluti aquila grandis venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, dum aggreſſus eſt quæſtiones altiſſimas, & eaſdem profundiſſimas non expavit: quinimo in eis, vitiorum ſpinis abſciſſis, profligatis hæreſibus, earumque radicibus extirpatis, Catholicæ fidei veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, firmis, ac invictis rationibus ſolidavit*, &c. Accedunt etiam Concilia: nam in Toletano VIII. dicitur: *Vir ſanctiſſimus Auguſtinus, veſtigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, aſſerendi copia profluus, ſapientiæ fructu fœcundus.* Et in Concilio Florentino ſeſſione 7. habentur: *B. Auguſtinus præclariſſimus Doctor Latinorum, quem V. Synodus recepit, qui & præſtantiſſimus appellatur.*

Cæleſtinus primus. — *Adrianus primus.* — *Sixtus V.* — *Ioan. II.* — *Martinus V.* — *Ioan. XXII.* — *Ex Conciliis. Toletano.* — *Florent.*

257. Hanc

Maxima D. Auguſtini auctoritas in his controverſiis.

257. Hanc Auguſtini doctrina generaliter promeruit adoream: ſed ſpecialiorem, & uberiorem auctoritatem habet in iis, quæ materiam præſentem concernunt. Nam licèt cuncta ſapientiſſimè, & catholiciſſimè verſaverit; plus tamen ſtudij, temporis, & laboris inſumpſit circa ea, quæ pertinent ad neceſſitatem, atque efficaciam gratiæ, & libertatem. Diuturnus enim cum Pelagianis, & Semipelagianis congreſſus fecit, ut Auguſtinus in hac parte doctiſſimus non ſolùm alios, ſed ſemetipſum ſuperaverit. Unde videtur, quòd fuerit ad hoc opus à Deo ſingulariter electus, mirabiliter adjutus, & ſpeciali Spiritus ſancti luce illuſtratus. Id verò, licèt haud obſcurè conſtet ex dictis capite 5. §. 5. evidentiùs adhuc probatur verbis Summorum Pontificum, qui hanc doctrinæ Auguſtini partem ſpeciali approbatione commendarunt. Nam Cæleſtinus Primus, ut Maſſilienſium querimonias, & adſultus, quibus carpebant doctrinam Auguſtini circa prædeſtinationem, & gratiam, penitus compeſceret, ſcripſit epiſtolam ad Epiſcopos Galliarum, & cap. 2. inquit: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua, atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus: nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit: quem tanta ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis, & amori fuerit, & honori. Unde reſiſtendum eſt talibus, quos malè creſcere videmus,* &c.

Cæleſtinus primus.

Innocentius Primus epiſt. 93. apud Auguſtinum, reſpondens epiſtolæ ab Auguſtino nomine Concilij Milevit. conſcriptæ ait: *Multifariis ad deſtruendum* (Pelagianorum) *magiſterium uti poſſemus exemplis, niſi ſciremus ſanctitatem veſtram ad plenum omnes ſcripturas callere divinas: præſertim cùm veſtra relatio tantis, ac talibus teſtimoniis ſit referta, ut his ſolis valeat præſens dogma reſcindi.*

Innocentius primus.

Hormiſdas Papa epiſt. 70. ad Poſſeſſorem Epiſc. Afric. inquit: *De arbitrio libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt, catholica, ſequatur, & aſſeveret Eccleſia, licet in variis libris B. Auguſtini, & maximè ad Hilarium, & Proſperum poſſit cognoſci; tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur.* Porrò hæc capitula decerpta fuere ex operibus Auguſtini, & ſunt illa, quæ S. Leo tranſmiſit ad Concilium Arauſicanum, ut obſervavimus *cap. 5. num. 224.* & notat etiam Bellarmin. lib. 2. de gra. & lib. arb. cap. 11. his verbis: *Poſt Cæleſtini tempora, cùm nondum factio illa Gallorum conquieſceret, S. Leo Pontifex miſit ad Concilium Arauſicanum certa capitula de gratia, & libero arbitrio ex libris S. Auguſtini verbatim decerpta: quæ voluit ab Epiſcopis illis recipi, & ſubſcribi, ut etiam factum eſt.* Denique, ut alias Pontificum approbationes interim omittamus, Gelaſius Primus in Concilio cum ſeptuaginta Epiſcopis habito circa libros apocryphos, expreſsè approbavit ſcripta Divi Auguſtini; & inter opera apocrypha repoſuit opuſcula Joannis Caſſiani, & Fauſti Regienſis, quæ conſtat adversùs ſententiam D. Auguſtini circa gratiam, ejus neceſſitatem, atque efficaciam fuiſſe compoſita. Recolantur, quæ diximus *cap. 5. num. 226. cum ſeq.*

Hormiſdas.

Bellarminus.

Nota.

258. Cum ergo doctrina Divi Auguſtini toties fuerit in hac parte à Romanis Pontificibus approbata, non immeritò Didacus Alvarez *lib. 1. de auxiliis diſp. 5. num. 4.* cum aliis gravibus Auctoribus obſervavit ſententiam Auguſtini in hac materia non eſſe appellandam opinionem particularis Doctoris, ſed fidem Eccleſiæ Catholicæ. Et ita ſignificaſſe videtur Clemens VIII. qui, ut refert Franciſcus Carriere Minorita in digeſt. fidei, tract. de gratia quæſt. 10. verſantibus cauſam Molinæ dixit: *Ita inquirendæ, & indagandæ veritati operam navate, ut à vero ſenſu Scripturarum, & à defecata Sancti Auguſtini doctrina, quam & Eccleſiæ doctrinam eſſe nemo veſtrum ignorat, nullius invidiæ, aut livoris facibus impediamini.* Et Auguſtinus Thuanus tom. 3. Hiſt. lib. 131. pag. 1040. ſcripſit: *Summos adverſarios habuit* (Molina) *Dominicanos æmulos, qui B. Auguſtini, qui cum Pelagianis ea de re tam profundè, & tot ſcriptis diſputavit, ſententiam in Eccleſia receptam turbantur.*

Clemens VIII.

Auguſt. Thuanus.

Quibus præcipuè locis tractet S. Doct. hanc difficultatem.

259. Tractavit autem S. Doctor hanc materiam in pluribus libris, epiſtolis, & ſuorum operum locis. Libri in quibus potiſſimè de hac difficultate diſputat contra Pelagium, Cæleſtium, Maſſilienſes, & alios, componunt integram ſecundam partem tomi ſeptimi. Agit etiam de hoc puncto *in libro de Spiritu, & littera*, qui habetur *tom. 3. & libro 1. ad Simplician. quæſt. 2.* qui habetur *tom. 4.* Rurſus eandem doctrinam ſæpiſſimè inſerit in concionibus ad populum, in tractatibus ſuper Joannem, in expoſitione Pſalmorum, aliiſque operibus, quæ habentur *tom. 8. 9. & 10.* In epiſtolis etiam frequenter eandem difficultatem, verſat: & præcipuæ, in hac parte ſunt *epiſt. 47. 89. 92. cum duabus ſeq. 105. cum duabus ſeq. & 143.* Sed inter hæc omnia eminent ſingulariter duo libri, nempè *de Prædeſtinatione Sanctorum*, & *de Dono perſeverantiæ*, quos Sanctus Pater excitatus à Divo Proſpero, & Hilario contra Semipelagianos ſcripſit. Tum quia illos elaboravit poſt plurimos cum Pelagianis congreſſus, & poſt maximam circa hoc punctum meditationem, & diligentiam. Tum quia eos ſcripſit in ultima ſenectute, & loco teſtamenti reliquit. Tum quia illos ſpecialiter commendat Hormiſdas Papa num. 226. relatus. Tum quia ſingulari acumine, ac perſpicuitate ſunt ſcripti, ut legendo experimur: poſſuntque epilogus appellari aliorum operum Auguſtini: exhibent enim liquidò, & reſolutoriè, quæ alibi S. Doctor fuſiùs, non ita perſpicuè, & quandoque ſub dubio proponit.

Prima Suarij obſervatio.

260. Circa hæc, quæ pertinent ad auctoritatem Sancti Doctoris, aliqua obſervat P. Suarez prolog. 6. cap. 6. Notat primò *quidquid Auguſtinus de gratia docet, quod cum definitionibus Eccleſiæ ſit neceſſariò connexum, omnino tenendum eſſe, &c. Unde ſi connexio ſit certa, doctrina Auguſtini erit certa; & ſi probabilis fuerit, erit ut probabilis præferenda.* Sed de hac obſervatione jam diximus cap. 5. §. 5. num. 221. Addimus eodem elogio poſſe coronari doctrinam Suarij, Molinæ, aut cujuſlibet junioris: nam ubi cum definitionibus Eccleſiæ neceſſariò connectitur, omninò tenenda eſt: & ſi connexio ſit certa, erit certa, & probabilis, ſi probabilis. Addimus etiam diverſam fuiſſe intentionem Clementis VIII. ab ea, quam Suarius ſe habere indicat, dum prædictam regulam ſtatuit. Nam Pontifex, ut varias argumentationes, evaſiones, & cunctationes, quibus extremum judicium in cauſa Molinæ præpediri videbat, magna providentia intercluderet, & diſceptantes compelleret in punctum præcipuum directè collimare; præcepit rem diſcuti juxta mentem Divi Auguſtini: nec dubitavit, quòd Eccleſia, & Auguſtinus eandem habeant

Non multum defert D. Auguſt.

haberent

haberent ſententiam. Suarius autem ipſum Auguſtinum novo examini exponit, non aliter ejus doctrinam ut certam probaturus, niſi prius probetur eſſe neceſſariò connexa cùm Eccleſiæ definitionibus. Unde fomitem novis diſceptationibus parat: parum quippè, aut nihil proderit certò aſſequi, & convinci, quæ fuerit Sancti Doctoris ſententia: nam adhuc, ut Suarius vult, diſquirere oportebit, an ſententia Auguſtini definitionibus Eccleſiæ neceſſariò connectatur. Per hæc tamen non intendimus aliam, aut majorem certitudinem doctrinæ Sancti Patris attribuere, quàm attribuunt Romani Pontifices ſupra relati, & eorum ſucceſſores: ſed monemus lectorem, ut advertat, quid Suarius illa obſervatione prætenderit.

Secunda Suarij obſervatio. 261. Secundò idem Auctor referens illa verba Sancti Proſperi in proœmio ad object. Gall. *Doctrinam, quam ſanctæ memoriæ Auguſtinus contra Pelagianos inimicos gratiæ Chriſti, & liberi arbitrij decomptores Apoſtolicè aſſeruit, litteriſque mandavit*, & cætera, obſervat Proſperum uſum non fuiſſe ea voce *Apoſtolicè*, quia Auguſtinus ſcriptor Canonicus fuerit, vel quia infallibilem habuerit Spiritus ſancti aſſiſtentiam: id quippè alienum eſt à ſenſu totius Eccleſiæ: ſed vel quia ejus doctrina deſumpta eſt ex Apoſtolo Paulo; vel quia approbari meruit à Sede Apoſtolica. *Diſplicet.* Neſcimus profectò, ad quid deſerviat hæc adnotatio. Et licèt noſtri inſtituti non ſit modò oſtendere, an Suarij judicium ſit prorſus certum: minimè tamen formidamus aſſerere, quòd ſanctiſſimus Auguſtinus fuerit cæleſti luce perfuſus ad ſcribendum ea, quæ poſtea Romana approbavit Eccleſia, & Concilio Arauſicano tranſmiſit atque in Eccleſiaſticis ſcriniis conſervat. Cùm enim Spiritus ſanctus ſoleat ſanctis Doctoribus ſcribenda ſuggerere: qua ratione hoc privilegium denegabimus Auguſtino, illuminatiſſimo, & piiſſimo Doctori, totius Eccleſiæ cauſam agenti, & contra ejus inimicos in re graviſſima laboranti? Equidem liber exercitiorum ſancti Patris Ignatij non majoris utilitatis, neceſſitatis, aut ſtudij fuit, quàm doctrina ab Auguſtino aſſerta; nec hactenus conſequutus eſt celebres adeò commendationes, quales operibus Auguſtini deferunt Pontifices, & Patres ſupra relati: & tamen Joannes Nierembergius *in vita ſancti Ignatij cap.* 7. dicit prædictum librum non eſſe partum magiſterij humani, ſed lucis ſupernaturalis, & ſcientiæ infuſæ. Supervacaneum cenſemus in hoc immorari: Auguſtini tamen præconiis ſupra poſitis annectimus ſequentia, quæ magis ad rem præſentem accedunt. *Hugo de S. Victore.* Hugo de ſancto Victore, ſerm. 99. de ſancto Auguſtino inquit: *Lingua ejus calamus ſcribæ velociter ſcribentis extitit: quia Spiritu ſancto docente, & ducente verbum Dei elegantiſſimè diſpenſavit.* *Rupertus.* Rupertus Abbas lib. 7. de operibus Spiritus ſancti cap. 19. ait: *Auguſtinus columna veritatis: & verè columna nubis, in qua thronum ſuum poſuit ſapientia Dei.* *D. Thom. de Villanova.* ſanct. Thomas de Villanova concione primo de ſancto Auguſtino, inquit: *O hominem capaciſſimum! O virum cæleſtis gratiæ plenum, qui, ut videtur, velut Apoſtolus quidam non præmeditabatur, quod poſtea dictaret: ſed inſpirante Deo intus in aure cordis continuò audiebat, quòd foris populos doceret verbo, & poſteros informaret ſcripto.* Quid plura?

Vltima Suarij obſervatio. 262. Tertiò, & ultimò obſervat idem Suarius auctoritatem, quam Auguſtinus habet circa doctrinam gratiæ, æqualem non eſſe circa doctrinam prædeſtinationis, & ejuſdem materiæ difficultates: cujuſmodi ſunt, inquit ille, an prædeſtinatio ſit ex prævisis meritis, & an ſcientia media debeat ad prædeſtinationem ſupponi. Quæ obſervatio ſatis prodit Suarij intentionem, & quòd in his dubiis Auguſtini favorem deſperet. Suarium imitatur Petavius in epilog. diſſertat. poſt num. 6. ubi ait: *Petavius.* *Quænam Concilia quæve Pontificum Romanorum edicta Auguſtini de prædeſtinatione, & reprobatione ſententiam, quatenus æternam ſalutem reſpiciunt, pari cum his, quæ de gratia docuit, gradu auctoritatis adſciſcunt?* Modò non vacat de hac re *Diſplicet.* diſſerere præſertim cùm eam fusè diſcuſſerimus *Tractatu quinto, ferè per totum*, & præcipuè *diſputatione nona & decima.* Interim verò illi Suarij annotationi, (alia plurima omittendo,) opponimus trium ſapientiſſ. Cardinalium judicium: Peronius lib. 1. de reſponſ. c. 12. ait: *Peronius.* *Sanctus Auguſtinus poſt Apoſtolos prædeſtinationis Doctor: imò os, & lingua veteris Eccleſiæ.* Baronius tom. 6. anno 490. *Baronius.* *Videant*, inquit, *quanto periculo quidam ex Recentioribus, dum in Novatores inſurgunt, ut eos confutent, à S. Auguſtini ſententia de prædeſtinatione recedunt.* Bellarminus lib. 2. de gratia, & lib. arb. cap. 11. inquit: *Bellarm.* *Sedes Apoſtolica non tantùm ſemel, ſed etiam ſecundò, & tertiò adverſùs Pelagianorum reliquias, pro defenſoribus, gratiæ, & prædeſtinationis, quam ex ſacris litteris hauſit Auguſtinus, ſententiam tulit: ut jam ejus doctrina non unius peculiaris Doctoris opinio, ſed fides Eccleſiæ Catholicæ dici debeat.* Et hæc ſufficiat prælibaſſe de auctoritate Auguſtini, qua in hoc opere ſemper utemur.

§. II.

Auctoritas D. Thomæ, & ſumma cum D. Auguſtino, conſonantia.

263. QUam meritò Clemens VIII. præceperit in controverſia de auxiliis, quòd ea difficultas tractaretur juxta mentem Angel. Doct. D. Thomæ, facilè intelliget, qui ad inſignem ejus in rebus fidei auctoritatem, & maximam cum D. Auguſtino concordiam voluerit attendere. Et quidem immenſas hujus Doctoris laudes percurrere prolixum nimis foret: eaſque, quantum fieri potuit, cinximus, & præſtinximus in oratione exhortatoria, quæ extat in veſtibulo tomi primi. *Laudes, & maxima auctoritas D. Thomæ.* Unde in præſenti aliis præconiis omiſſis, tantùm ſubjicimus elogia, quibus fidei Catholicæ præſules Romani Pontifices doctrinam Angelici Præceptoris adornant, & fidelibus commendant: hujuſmodi enim laudes cæteris præponi debent, & ſunt omni exceptione majores.

264. Urbanus V. in bulla ad Academ. Toloſ. *Urbanus V.* *Volumus*, inquit, *& tenore præſentium vobis injungimus, ut dicti Beati Thomæ doctrinam, tanquam veridicam, & catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare.* Innocentius VI. in ſerm. de laudat. D. Thomæ ait: *Innocentius VI.* *Hujus doctoris doctrina præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum: ita ut nunquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite deviaſſe; & qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Joannes XXII. in bulla canonizat. *Ioan. XXII.* *Non ſine ſpeciali Dei infuſione ſcripſit.* Et in publico conſiſtorio, ut refert *Gerſon, aſſeruit: Quilibet*

articulorum, quos ſcripſit, eſt unum miraculum, tot igitur miracula fecit, quot articulos ſcripſit: quia omnes reſolvit lumine pluſquam humano.
Clem. VI. Clemens VI. in ſpeciali bulla: *Ex cujus*, inquit, *ſapientia, & doctrina ſcriptis, & traditis Univerſalis Eccleſia multiplicem ubertatis ſpiritualis fructum colligens, ipſius fructus ardore reficitur inceſſanter.*
Pius V. Pius V. in bulla de feſt. D.Thom. dixit eſſe *certiſſimam Chriſtianæ doctrinæ regulam, qua Sanctus Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis hæreſibus illuſtravit.*
Clemens VIII. Clemens VIII. in epiſtola 1. ad Neapolitanos data anno 1603. ait: *Piè, prudenterque cogitatis de novo adſciſcendo civitatis patrona, cive veſtro, divinæ voluntatis interprete.* Et in ſecundis litteris ad eoſdem: *Breviſſimo tempore in omni ferè diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate, ſine ullo prorſus errore conſcripſit.* Paulus V. in Bulla ad eoſdem Neapolitanos, *Splendidiſſimus Catholicæ fidei athleta, cujus ſcriptorum clypeo militans Eccleſia hæreticorum tela feliciter excludit.*
Alex. VII. Alexander VII. ut infrà videbimus, aſſertiones D.Thom. vocavit. *Inconcuſſa, & tutiſſima dogmata.* Denique eorundem Pontificum mandato Univerſalis Eccleſia Deum ita orat: *Da nobis, quæ docuit, intellectu conſpicere.*
Dominicus Epiſc. Brixienſis. Ut non immeritò videatur dixiſſe Dominicus Epiſcopus Torcellanus, & Brixienſis: *Quod non poſſit hæc Sedes tangere doctrinam Divi Thomæ ſine hoc quod ſe ipſam quodammodo tangat*, ut refert Petrus Caſalas, *in Candore lilij, paragrapho* 4.

Vel ipſi hæretici recognoſcunt inſignẽ D. Thomæ ſapientiam.

265. Quem verò hæc à principibus fidei Catholicæ proclamata elogia non obligant, ut Sanctiſſimo Doctori maximam reverentiam deferat, fateaturque inſignem ejus circa res fidei auctoritatem; adeat ipſos hæreticos: & inimici noſtri ſint judices.
Beza. Beza dixit *Thomam Theologorum omnium Scholaſticorum eſſe principem.* Alter: *Tollantur de medio ſcripta Thomæ, cum aliis omnibus Doctoribus ſubire certamen, non recuſabo.*
Buzerus. Buzerus: *Tolle Thomam, & diſſipabo Eccleſiam.* Lutherus denique Thomam, & Thomiſtas ut ſibi maximè adverſos ſummo odio proſecutus eſt, ut conſtat ex dictis *cap. 3. §. 2. in fine:* & Eccleſiam Catholicam ſolebat appellare Thomiſticam.
Lancelotus Politus. Cui Lancelotus Politus: *Immortales tamen ego ago gratias ignorantiæ ſuæ, quæ probatur nobis, quòd ſub Eccleſia Thomiſtica tam ſancti, & veteres Doctores, lumina, & columnæ Eccleſiæ comprehenduntur. Ut ſic intelligamus non aliam Thomæ Eccleſiam (id eſt, quam Thomas divino lumine illuſtravit) quam cæterorum Patrum. Hac autem Thomæ egregia laus, qui à ſanctorum Patrum ſententiis, auctoritate præſertim Pontificum comprobatis, noluit unquam diſcedere.*
Sforcia. Legatur Sforcia, *in hiſtoria Concilij Trid. lib. 1. cap. 4.* Ubi agit de implacabili rabie Lutheri in D.Thomam, quæ eſt maxima laus Doctoris ſanctiſſimi.

Singulariter elucet in hac materia.

266. Sed licèt auctoritas D. Thom. ubique ſit maxima, ſingulariter tamen eminet in hac materia. *Primò* quia illam tractat non perfunctoriè, aut incidenter, ſed ſummo ſtudio, & attentione; & non uno, aut altero loco, ſed valde ex profeſſo, & pluribus ſuorum ſcriptorum operibus, nempè in Summa Theologica, in libris contra gentes, in Sententiariis, & in quæſtionibus diſputatis, ut ex dicendis toto hoc opere evidenter conſtabit. Incredibile autem videtur ſummum ejus ingenium, cæleſti luce adjutum, & huic ſtudij generi adeo dicatum rem non attigiſſe, & dubij modum, quantùm fieri poteſt, non extricaſſe. *Secundò*, quia ea, quæ pertinent ad gratiam, prædeſtinationem, & cum utraque libertatis cohærentiam, ſingulari quadam lucis, ac magiſterij prærogativa traduntur ab Apoſtolo Paulo, ut conſtat ex uſu D. Auguſtini, ſecundi poſt ipſum Paulum gratiæ Doctoris: nihil enim frequentiùs in his controverſiis expendit, quàm varia Apoſtoli teſtimonia, quæ mirè declarat, & contra Pelagianos, eorumque reliquias intorquet. Angelicus autem Doctor fuit ſpecialiter illuſtratus circa intelligentiam epiſtolarum Pauli, quas probatiſſimis commentariis expoſuit. *D Thom. ſpecialiter illuſtratus circa intelligentiã S. Pauli.* Cùm enim Pariſiis hoc opus aggreſſus fuiſſet, ejuſque magnitudine preſſus, circa legitimam intelligentiam anceps laboraret, poſt fervidam, & continuam orationem repente ſe illuſtratum expertus eſt, & deinceps opus illud abſque dubitationum anxietatibus mirè abſolvit, ut referunt Ribaden. *in ejus vita.* Monopol. *cap. 94.* & Caſtillo, *cap. 33.* *Ribadeneira. Monopolit.* Immo ipſe Gentium Doctor Angelici Doctoris gymnaſium ingreſſus, ac de myſteriis fidei ſacros miſcens ſermones, dubitabundum circa ſuarum epiſtolarum expoſitionem blandè conſolatus eſt affirmando ipſum in eo opere perfeciſſe, quantùm in hac vita præſtari valeat, ut referunt iidem Auctores, & D.Antonin. 3. *part. tit. 23. cap. 7. §. 12.* & Nicolaus Janſenius *in apolog. pro Bzovio*, & quod majus eſt, Clemens VIII. in epiſtola ſuprà cit. aſſerens doctrinam D. Thomæ fuiſſe abſque ullo errore conſcriptam, addit: *In qua ſcribenda interdum ſanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum colloquentes, locoſque illi enarrantes Dei juſſu habuiſſe.* *D.Antonin. Nic.Janſen. Clem. VIII.*

267. *Tertiò*, & urgentiùs, quia Divus Thomas ipſiſſimam ſententiam docuit, quam tenuit Divus Auguſtinus, ſecundus in hac materia poſt Paulum Doctor; & cujus in iſta cauſa doctrina, ut §. præcedenti vidimus, dici non debet opinio particularis Doctoris, ſed fides Eccleſiæ catholicæ. *D. Thom. fideliſſimus S. Auguſtini diſcipulus.* Hujus autem inter utrumque ſacrum Doctorem indiviſſæ conſonantiæ innumera ſunt argumenta, & teſtimonia. Nam in primis Angelicus Præceptor ut ſpecialem ſuum magiſtrum impensè coluit Auguſtinum, à cujus ſententiis nunquam receſſit; immò cujus ſententias prępoſuit non ſolùm propriæ opinioni, ſed & aliorum Doctorum judicio. Quo nihil frequentiùs lector reperiet in ſingulis articulis D. Thomæ: & ſpecialiter *1. p. quæſt. 74. art. 2. & 3. part. q. 39. art. 7.* Hujus mirabilis conſonantiæ teſtes exceptione majores ſunt Urbanus V. in bulla ſuprà cit. ubi ait: *Nos attendentes, quanta à Deo ſcientia dotatus, Ordinem Prædicatorum, ac univerſalem Eccleſiam illuſtraverit, ac B. Auguſtini veſtigia inſequens, Eccleſiam eandem doctrinis, ac ſcientiis quam plurimis adornaverit*, &c. Urbanus V. Et Alexander VII. in Brev. Apoſt. ad Doctores Lovan. ubi inquit: *Necnon præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper, ut aſſeritis, ac impensè revereri ſi velitis. Quorum profectò ſanctiſſimorum virorum penes Catholicos univerſos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa, nomina, novi præconis commẽdatione planè non egent.* Alex. VII. Ejuſdem amoris, & reverentiæ indiciũ eſt officium D. Aug. à D.Th. cum ſumma ſacri Doctoris gloria compoſitum: de quo loquitur Pius V. in bulla 115. edita anno 1570. ubi prædictum officium Canonicis Lateranenſibus concedit his verbis: Pius V.

Ivit

Fiat de S.Auguſtino, cum Dominica commemoratione, cum antiphonis videlicet, hymnis, reſponſoriis, ac reliquis ipſorum Canonicorum propriis, ordinatis à D.Thom. Aquinate juxta eorum antiquorum morem.

Mirabilis utriuſque S. Doctoris conſonantia. Sixtus Senenſis.

268. Quæ D. Thomæ cum Divo Auguſtino maxima conſonantia ita ſapientiſſimos viros in admirationem rapit, ut meritò Sixtus Senenſis libro 4. Bibliothecæ dixerit: *In ſacris verò ſincerioris Theologiæ ſtudiis ita ſapientiſſimo Auguſtino proximus inceſſit, atque ita mentem ejus, & reconditos ſenſus introſpexit, exhauſitque, ut juxta Pithagoræ dictum, communi doctiſſimorum hominum adagio jactatum ſit Auguſtini animam migraſſe in Thomam.* Et Joannes Caramuel in ſua Theologia fundamentali, numero 57. affirmat. *Qui dicit in lectum à Thoma Auguſtinum, Thomam non legit: vix enim eſt articulus in toto corpore, qui Auguſtini auctoritate careat. Qui lectum quidem, non tamen intellectum aſſerit; Thomam Angelica mente præditum negat: & ab univerſali Eccleſiæ pietate deficit Thomam Angelici Doctoris nomine condecorantis. Qui Thomam ait legiſſe, & intellexiſſe Doctoris divini volumina, voluiſſe tamen in partes ſuas vel invitum trahere; in Angelici Doctoris perſonam, & doctrinam eſt impius.*

Caramuel.

Patres Auguſtinians hanc concordiam recognoſcunt.

269. Idque probè recognoſcens Sacer Eremitarum S.Auguſtini Ordo, ut certiùs S. Doctoris ſententias teneat, ab ejuſque mente nunquam recedat; ſtatuit 5. part. Conſt. capite 2. pag. 275. *Volumus, ut Magiſtri regentes in lectionibus, & determinationibus diſputationum in omnibus ſequi, & tueri debeant ſanam, & catholicam doctrinam fundatiſſimi Doctoris noſtri Ægidij Romani: ubi verò hujus ſcripta non reperiuntur, ex D.Thomæ doctrina ſuppleatur.* Quis autem fuerit Ægidius, refert Bellarminus in libro de Script. Eccleſiaſt. his verbis: *Ægidius Romanus ex nobili familia Columnenſium, Ordinis S.Auguſtini Prior Generalis, ac poſtea Archiepiſcopus Bituricenſis, S. Thomæ auditor, & ejus doctrinæ defenſor acerrimus.* Quem zelum ſatis manifeſtavit edito libro, cui titulus: *Defenſorium adverſùs corruptorem, ſeu impugnantem Thomæ doctrinam.* Id ipſum recognoſcunt alij Auguſtini filij: nam Congregatio Lateranenſis Canonicorum Regularium parte 2. capite 11. pag. 188. decernit: *In ſacra Theologia viam Divi Thomæ ſequendam præcipimus, quæ cæteris Scholaſticorum viis ordine doctrinæ, facilitate, integritate, & ſoliditate meritò præferri debet.* Et Congregatio Gallicana eorundem Canonicorum ſtatuit anno 1650. *ut in Scholis Theologiæ dictæ Congregationis legatur S. Thomæ doctrina pura.* Quæ Auguſtinianorum conſpiratio in proſequendo D.Thomæ doctrinam omne argumentum excedit, & liquidò ſatis evincit Auguſtinum, & Thomam unam tenere ſententiam; minimè quippè hunc ſequerentur, ſi ab illo ipſe, vel apparenter deflecteret. Et eandem concordiam manifeſtè profeſſa fuit celeberrima Academia Salmanticenſis, quando anno 1627. die 7.Junij decrevit, ut Profeſſores juramento ſe obſtringerent, *lecturos in Theologia Scholaſtica doctrinam S. Auguſtini, & concluſiones D. Thomæ, quas in Summa Theologica docet; ubi horum Sanctorum mens aperta fuerit: ubi verò anceps, & dubia, nihil docturos, neque lecturos, quòd eorum doctrinæ adverſari ſentiant: ſed quòd vel juxta ſuum ſenſum, vel eorum, qui diſcipuli Sancti Auguſtini, & Thomæ communiter cenſentur, tantorum Patrum doctrinæ magis conforme invenerint.*

Baronius.

Lateranenſ. Canonici.

Gallicani.

Academia Salmantic.

Ipſe ſanctus P. Auguſtinus hujus fideliſſimi diſcipuli eius teſtis. D.Antoninus.

270. Sed quid ulteriùs teſtes, & conjecturas in re evidentiſſima adducimus? Ipſe Pater Auguſtinus glorioſus teſtificatus eſt Thomam eſſe fideliſſimum, ac conjunctiſſimum ſuum diſcipulum. Rem narrat Divus Antoninus, 3. parte hiſtor. titulo 23. articulo 7. §. 12. his verbis: *Albertus de Brixia multùm ſecutus eſt doctrinam Sancti Thomæ, vir plurimum litteratus, & devotus, & multùm eum commendabat de doctrina, & ſanctitate ſua, aſſerens ſe pro certo ſcire eum eſſe ſanctum in patria: quod adjuratus declaravit per iſtam, quam habuit viſionem ſuper eo. Cùm enim diù deſideraſſet ſcire gloriam Sancti, & ſemel ante altare Beatæ Mariæ poſitus hoc potentiùs, & attentiùs oraret; vigilanti cum lachrymis in oratione apparuerunt duæ reverendæ perſonæ mirabili cum ſplendore, & ornatu; quarum una erat in pontificali habitu mitram habens in capite; altera in habitu fratrum Prædicatorum, quæ coronam habebat auream in capite lapidibus pretioſis intextam, &c. Qui ſtupens ad pedes earum ſe proſtravit, petens ſuppliciter declarari, quæ eſſent illæ perſonæ, quæ apparuerant. Tunc ille, qui mitram geſtabat in capite, inquit: Quid miraris frater Alberte? Ego ſum Auguſtinus Doctor Eccleſiæ, qui miſſus ſum ad declarandam gloriam Sancti Thomæ. Is eſt, qui mecum eſt, qui doctrinam meam, & Apoſtolicam in omnibus ſecutus eſt, & Eccleſiam Dei ſua doctrina illuſtravit.* Doctrinam, dixit, *meam, & Apoſtolicam*, ſpecialiter dirigens verba ad doctrinam Gratiæ: cujus Apoſtolus fuit Paulus; Doctor, Auguſtinus; Theologus Thomas, in eandem de divina gratia coëuntes ſententiam: velut tres illi ſoles, qui illucente Chriſtianiſmi aurora, Hiſpanis apparentes, & in unius lucis uniti globum, ſplendorem jucundiſſimum emiſere, ut refert D.Thomas *3 p. q.36. art.3. ad 3.*

Iuſtiſſimè decrevit Clemens VIII. ut hæc difficultas tractaretur juxta mentem utriuſque S. Doctoris.

271. Ex iis ſatis, ut exiſtimamus, liquet, quàm ſedulò Clemens VIII. præceperit, ut in Congregationibus, & controverſiis de auxiliis diſſerentes ſpecialiter attenderent ad mentem utriuſque Doctoris: tum ob generalem, atque inſignem eorum in re Theologica præcellentiam: tum ob ſpecialem, & mirabilem eorum in hac materia concordiam. Potuit etiam Clementem incitare, ut cum D.Auguſtino judicem in ea cauſa D.Thomam adjungeret, quod Auguſtinus, licèt hanc difficultatem latiſſimè, profundiſſimè, & catholiciſſimè pertractaverit; nihilominus eam non diſcuſſit modo ſcholaſtico, & eo reſolvendi modo, qui nunc uſitatior eſt apud Theologos: ſed alia via ad artem oratoriam magis accedente, & à falſis quorundam interpretationibus minus immuni. At Angelicus Doctor D. Thom. reſolutiones ab Auguſtino fusè traditas compendioſa brevitate reſtringit, ad methodum ſcholaſticam reducit, reſolutoriè proponit, & argumentandi arte confirmat: unde ejus mens difficiliùs poteſt trahi in ſenſus falſos, & peregrinos. Quocirca ſicut Auguſtinus exponit Paulum, & à pravis ſenſibus, quibus Pelagiani ipſum interpretabantur, vindicat: ſic Thomas legitimam Auguſt. ſententiam declarat, proſcribitque interpretationes abſurdas, quibus nonnulli ejus auctoritatem fugere, aut elevare procurant. Et hac fortè de cauſa Patres Concilij Trident. licèt Auguſt. & alios Eccleſiæ Doctores, ut par eſt, reverebantur; nihilominus D.Tho. ſpecialiter conſulebant, ejuſque ſcripta aliorum Doctorum loco inſigni quodam privilegio ſubrogarunt: ſciebant enim in D.Th.

Summa cum perſpicuitate abbreviari, quidquid apud alios Patres ſparſim invenitur. Unde Thomas Neapolitanus Cleric. Regul. in libro 2. de Politia Chriſtiana, capite 6. ait: *Fide digniſſimi retulere, in magnæ aulæ medio, ubi erant congregati Sacræ Tridentinæ Synodi religioſiſſimi Præſules, ac doctiſſimi patres, menſam extitiſſe ſacro librorum pondere gravem: in qua hi ſacri codices conſpiciebantur, ſacra ſcriptura, & ſanctiones, ac decreta Pontificum, & S.Thomæ Summa. Par erat,* addit, *ut poſt divinos libr. Angelici recenſerentur.* Et Card. Baronius in ſcholis ad Mart. Rom. die 7. Martij, ait: *Vix quiſquam enarrare ſufficeret, quot vir ſanctiſſimus, atque doctiſſimus Theologorum præconiis celebretur, quantumque illius illibata doctrina à ſanctis Patribus in ſacroſancto OEcumenico Concilio Tridentino conſidentibus fuerit acclamatum.*

Maxima D. Thom. auctoritas. Thomas Neapol. Baronius.

§. III.

Quomodo poſſit in communi diſcerni, quinam verè & ſincerè ſequantur D. Auguſtini, & D. Thomæ doctrinam: & quàm fideliter id præſtent Dominicani.

272. Plures genuinas notas diſcipulatus Angelici Doctoris ſapienter deſcribit Joannes à Sancto Thoma, *tom. 1. in prima parte tractatus de approbatione doctrinæ Divi Thomæ, diſputatione 2. articulo 5.* Sed earum nonnullæ obnoxiæ ſunt apparentibus quorundam ſubterfugiis, eiſque pro ſuo patrocinio uti non dubitavit Paulus Leonardus, *in reſp. ad expoſt. contra ſcient. Med. parte 2. ſectione 12.* Unde aliis regulis prætermiſſis, unicam dumtaxat ſtatuemus, ut abſque ambagibus poſſit lector deprehendere, quinam cenſeri debeant legitimi diſcipuli Divi Auguſtini, & Divi Thomæ, ſinceriuſque ſubinde penetrent, & teneant eorum doctrinam. Illos itaque exiſtimamus eſſe legitimos utriuſque Doctoris diſcipulos, qui ubi recognoſcunt, & confitentur aliquam ſententiam ab ipſis aſſeri, eam minimè deſerunt; ſed amplectuntur, fulciunt, & propugnant: illos autem ab hoc diſcipulatu relegamus, qui cùm fateantur, atque ideò recognoſcant, quòd D. Auguſtinus, & D. Thomas aliquam ſententiam tenent; eam tamen palam relinquunt, & quod pejus eſt, impugnant, oppoſitas proſequendo opiniones.

Regula ad venandum, qui ſint legitimi diſcipuli D.Thom. & D. Auguſtini.

273. Hæc regula eſt adeò evidens, & certa, ut ſupervacaneum ſit pro ejus confirmatione rationum pondera, adjicere. Nam cùm diſcipulus, in quantum talis, debeat fideliter, & reverenter premere veſtigia magiſtri: qua ratione poterit appellari legitimus diſcipulus Divi Auguſtini, & D.Thomæ, qui horum Sanctorum ſententias (quas eorum eſſe cognoſcit, & fatetur) renuit admittere, & contrariam arripit ſentiendi licentiam? Et quis credet illis, qui jactant ſe tenere ſententiam Auguſtini, & Thomæ; cùm tamen videat ipſos ſæpenumero referre horum Patrum dicta, & adversùs ea immediatè inſurgere? Aut quis rationabiliter judicabit illos horum Doctorum mentem introſpicere, & reconditos aſſequi ſenſus; cùm deprehendat eos minus revereri tantorum Patrum ſententias, & per varios, ac incertos opinandi anfractus ingenio duce vagari? Hæc ſincerum diſcipulatum minimè inſinuant; ſed diſſitiſſimam ab eo peregrinationem: non redolent humilem fidelitatem erga magiſtrum; ſed liberiorem ambitum docendi, & gloriolam nuperam aucupandi. *Ubi eſt* (inquit Gelaſius Papa epiſt. 3. ad Honorium) *quod ſcriptum Prov. 22. Terminos patrum tuorum non tranſgrediaris. Et Exod. 32. Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi; & ſeniores tuos, & dicent tibi? Quid ergo tendimus ultra definita majorum?* Et poſt pauca: *Nunquid aut ſapientiores illis ſumus, aut poterimus firma ſtabilitate conſtare, ſi ea, quæ ab illis conſtituta ſunt, ſubruamus? Nihil in ipſis* (addit Method. in Epiph. hæreſ. 64. retundens novitatum artifices) *ſanum eſt, ac firmum; ſed imaginatio ſolùm decora verborum ad ſtupefaciendos auditores, perſuaſione inſtructa, non veritatis, neque utilitatis gratia, ſed ut coram præſentibus ſapientiam oſtendant. Hi verò* (addimus ex Euſebio Philoſoph. apud Stobeum 4.) *dum contrarias veteribus opiniones probant, veri cognitionem de rebus maximè neceſſariis effecere dubiam.* Sed eis imminet maledictio Salomonis Prov. 30. *Oculum, qui ſubſannat patrem, & deſpicit partum matris ſuæ, ſuffodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.*

Gelaſius Papa. Euſeb. Phil. Proverb. 30.

274. Contrarius autem procedendi modus, nempè docilis, ſtabilis, ac fidelis in amplectendo, explicando, & defendendo Patrum ſententias legitimum probat diſcipulatum; & ſecuram in diſcipulo eorum intelligentiam promittit. Nam ut dicebat Chariſius Presbyt. in Concilium Epheſinum, tom. 2. capite 30. *Omnes, qui rectè ſapiunt, ita comparati ſunt, ut honorem, & quam decet, obſervantiam Patribus, maximè verò ſpiritualibus Doctoribus deferre ex animo deſiderent.* Et in 6. Synodo Conſtantinop. act. 19. dicitur. *Majorem ex his, interpretatione Scripturarum accepta à Patribus, laudem aſſequuntur, quàm, ſi à ſe dicantur, componant.* De hoc humili diſcipulatu gloriatur Hieronym. in Epith. Paulæ, ubi ait: *Ut docerem, quod didiceram; non à me ipſo, id eſt, à præſumptione peſſimo præceptore; ſed ab illuſtribus Eccleſiæ viris.* Hinc ſummè laudantur Baſilius, & Nazianzenus, quia *Scripturarum ſententias* (ait Eccleſia in eorum officio) *non ex proprio ingenio, ſed ex majorum ratione, & auctoritate interpretabantur.* Hæc etiam inſignis D.Thomæ gloria: de quo Cajet. 2. 2. qu. 148. art. 4. in fine Comment. *Unde patet fundamentum Auctoris eſſe ſolidum, peripateticum, & conſonum non ſolum ſibi, ſed ſacris Doctoribus: quos quia ſummè veneratus eſt Auctor, ideò intellectum omnium quodammodo ſortitus eſt. Scriptum eſt enim, quòd declaratio divinorum ſermonum illuminat, & intellectum dat parvulis. Dantibus ergo operam declarationi divinorum ſermonum per Prophetas, Apoſtolos, Doctoreſque ſacros, lumen datur, utpote parvulis in oculis ſuis, & ſe ipſos ſubmittentibus illorum doctrinæ.*

Chariſius. Synod. Conſtantinop. D. Hieron. Cajet.

275. Hujuſmodi autem gloria ſequendi fideliter, & ſincerè ſententias D. Auguſtini & Divi Thomæ adeò propria eſt Patrum Ordinis Prædicatorum, ut abſque protervia, atque injuſtitia ipſis negari non valeat. Et quidem quod Divi Auguſtini menti indivulsè inhæreant, evidenter conſtabit oſtendendo, quòd D. Thomæ ſententias fideliter teneant: eſt enim utriuſque Doctoris ſumma in ſentiendo concordia, ut ſatis liquet ex dictis §. præced. Porrò Dominicanos fideliter amplecti, tueri, & zelare Angelici Præceptoris doctrinam tam manifeſtum eſt, ut pudeat in eo ſuadendo immorari. Suadetur tamen contra aliquorum duriſſimam renitentiam: tum quia ubi audiunt, aut ſuſpicantur aliquid contra Angelicum

Patres Dominicani fideliſſimè ſequuntur utrumque S. Doctorem.

Angelicum Doctorem tradi, aut divulgari; ſtatim in arenam deſcendunt, atque provocantes impetunt, ut patet in hiſtoria Molinæ. Tum quia nihil frequentiùs legunt, quàm D. Thomam; non alio gladio, cùm diſputant, utuntur, non alio ſe clypeo, cùm aſſerta propugnant, tuentur; non aliud frequentiùs ſcriptis mandant; non aliud, ut ſic dicamus, reſpirant. Tum quia illi, quos certè conſtat contrariam Divo Thomæ calcaſſe viam, ut Scotus, Ocham, Durandus, & Gabriel, non alios, aut ardentiores adverſarios experti ſunt, quàm Dominicanos: qui ſtatim bellicum canentes in Antithomas calamos ſtrinxerunt, eoſque validiſſimis ſcriptis confutarunt, ut Capreolus, Cajetanus, Ferrara, Sotus, Medina, Bañez, Joannes à Sancto Thoma, & alij innumeri. Tum denique quia cùm hujus Religionis filij certò cognoſcant Sanctiſſimum Thomam eſſe principale ſui Ordinis ornamentum, quo vel ſolo illuſtriſſimus cenſeretur: cùm videant Eccleſiam, Pontifices, & Concilia ipſum tot celebrare præconiis, quæ ad ipſam Religionem, ejuſque alumnos redundant: cùm denique experiantur ſe in Divo Thoma habere non ſolùm ſapientiſſimum magiſtrum, ſed etiam glorioſum interceſſorem: nequeunt non ad ejus doctrinam fideliter amplectendam maximè inflammari: nec credibile eſt alumnos hoc zelo, & amore deſtitui; quo ſe accendi experiuntur etiam aliqui extranei.

Ordinis Prædicatorum conſtitutio.

276. Accedit etiam (& fortè ſuperfluit) prædicti ſacri Ordinis conſtitutio diſtinct. 1. cap. 14. text. 1. littera C. quæ ſic ſe habet: *Diſtrictè injungimus Lectoribus univerſis, & ſublectoribus, ut præſtantiſſimam noſtri Angelici Doctoris Sancti Thomæ doctrinam ſemper legant, dicant, & doceant; & juxta eam omnia quæſita, & diſputata determinent, & definiant, ſuoſque diſcipulos erudiant; & faciant ut ſtudentes in eam toto animi impetu diligenter incumbant. Eſt enim excellentiſſima hæc doctrina, ſana præ cæteris, culta à doctoribus viris, Ordini noſtro utilis, ſalutaris univerſæ Eccleſiæ, & toti terrarum orbi admirabilis, ac denique Chriſti Salvatoris noſtri judicio comprobata. Lectores ergo, atque ſtudentes eam in lectionibus, atque diſputationibus non prætermittant; ſed in ea verſentur, eamque explicent, ipſi denique in fine ſuarum diſputationum rationibus contrariis ſolutis, & fractis, firmiſſimè adhæreant: ſtrictè prohibentes, ne frater legendo, determinando, reſpondendo aſſerere audeant ex propria ſententia oppoſitum ejus, quod communi omnium judicio creditur aſſertum à ſanctiſſimo Præceptore.* Quam legem prædicti Patres tam ſeverè obſervant, ut eos quidam ſugillare audeant velut oves, quæ ducem ſine diſcurſu ſequuntur. Sic enim Molina, quem dedimus cap. præced. num. 247. Cajetanum incuſavit: *Planè ſtudium defendendi, quidquid Sanctus Thomas affirmat, meo judicio adduxit Cajetanum in tam abſurdam, & minus tutam opinionem.*

Molinæ dictum.

Sed judicium Molinæ abſurdum eſt: nam Cajetanus ſecuriſſimè procedit defendendo quidquid D. Thom. affirmat: ejus quippè aſſerta ſunt inconcuſſa, & tutiſſima dogmata, ſine ullo prorſus errore, ut ex Alexand. VII. & Clemente VIII. vidimus num. 278. Et diſcurſu (quem prædicti Ordinis Patres captivant, ut perfectiori obedientia ſupradictam legem obſervent) abundant ſatis, ſicut & ſolidiſſima, & fundamentali, ac ſubtili doctrina, cùm ſuum Doctorem defendunt, ejuſque adverſarios adoriuntur.

Diſpellitur levis ſcrupulus.

277. Nec refert, ſi dicatur Dominicanos ipſos non ſemper tueri eaſdem opiniones, ſed ſæpenumerò ſententiis adverſantibus diſſidere: quod non facerent, ſi Doctori Angelico inhærerent fideli eo diſcipulatu, quem hactenus deſcripſimus. Reſpondetur enim hac objectione nihil evinci contra regulam à nobis ſtatutam, vel adverſùs fideliſſimam Dominicanorum erga ſuum, & communem Doctorum reverentiam. Quòd enim in aliquibus dubiis diverſas teneant ſententias; provenit, vel quia D. Thomas ea dubia non reſolvit; vel quia non conſtat evidenter de ejus reſolutione: unde locus fidelibus ipſius diſcipulis datur, ut eam ſententiam quis amplectatur, quam prudenter exiſtimat veriorem, & principiis D. Thomæ magis cohærentem. At ubi Dominicani recognoſcunt D. Thom. aliquid expreſsè docere; tunc conjunctis viribus in eo defendendo conſpirant. Cujus fideliſſimæ adhærentiæ manifeſtum ſignum eſt, quòd hujus Ordinis ſcriptores cùm præmittunt, aut ſupponunt aliquam reſolutionem tradi à D. Thom. ſtatim ipſi ſua concluſione ſubſcribunt: & nemo eſt, qui ſuppoſito, & præmiſſo, quod D. Thom. aliquid docuerit, ſubjungat: *Sed oppoſitum dicendum eſt: Sed contraria ſententia verior eſt, aut magis placet*, ut quidam faciunt. Maneat igitur ex dictis ſtabilitum, quòd in communi præſumi debet Dominicanos eſſe fideles D. Thom. & D. Auguſtini diſcipulos: & conſequenter, quòd magis penetrent, & aſſequantur veriſſimas horum Doctorum ſententias. Et hactenus de præludiis ad hunc Tractum.

ARTICULUS PRIMUS.

Vtrum homo ſine gratia aliquid verum cognoſcere poſſit.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd homo ſine gratia nullum verum cognoſcere poſſit: quia ſuper illud 1. *Corinth.* 12. Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto dicit gloſſ. Ambroſ. Omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu ſancto eſt: ſed Spiritus ſanctus habitat in nobis per gratiam: ergo veritatem cognoſcere non poſſumus ſine gratia.

2. Præterea, Auguſt. dicit in primo Soliloquiorum quòd diſciplinarum certiſſima talia ſunt, qualia illa, quæ à ſole illuſtrantur, ut videri poſſint: Deus autem ipſe eſt, qui illuſtrat. Ratio autem ita eſt in mentibus, ut in oculis eſt aſpectus; mentis autem oculi ſunt ſenſus animæ, ſed ſenſus corporis quantumcunque ſit purus, non poteſt aliquod viſibile videre ſine ſolis illuſtratione, ergo humana mens quantumcunque ſit perfecta, non poteſt ratiocinando veritatem cognoſcere abſque illuſtratione divina, quæ ad auxilium gratiæ pertinet.

3. Præterea, humana mens non poteſt veritatem intelligere, niſi cogitando: ut patet per Auguſtinum. 14. *de Trinitate*, ſed Apoſtolus dicit 2. *ad Corinth.* 5. Non ſufficientes ſumus aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobis: ergo homo non poteſt cognoſcere veritatem per ſeipſum ſine auxilio gratiæ.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit *in primo Retractationum*, Non approbo, quod in oratione dixi, Deus qui non niſi mundos verum ſcire voluiſti: reſponderi enim poteſt, multos etiam non mundos multa ſcire vera, ſed per gratiam homo mundus efficitur, ſecundùm illud *Pſalmi* 50. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis; ergo

Digitized by Google

ergo ſine gratia poteſt homo per ſeipſum veritatem cognoſcere.

Reſpondeo dicendum, quòd cognoſcere veritatem eſt uſus quidam, vel actus intellectualis luminis: quia ſecundùm Apoſtolum *ad Epheſ.* 5. Omne, quod manifeſtatur, lumen eſt, uſus autem quilibet quendam motum importat, largè accipiendo motum, ſecundùm quod intelligere, & velle motus quidam eſſe dicuntur, ut patet per Philoſ. in 3. de anima. Videmus autem in corporalibus, quòd ad motum non ſolùm requiritur ipſa forma, quæ eſt principium motus, vel actionis, ſed etiam requiritur motio primi moventis. Primum autem movens in ordine corporalium eſt corpus cœleſte. Unde quantumcunque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret, niſi per motionem corporis cæleſtis. Manifeſtum eſt autem, quòd ſicut motus omnes corporales reducuntur in motum cæleſtis corporis, ſicut in primum movens corporale, ita omnes motus tam corporales, quam ſpirituales reducuntur in primum movens ſimpliciter, quod eſt Deus, & ideo quantumcunque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo, quæ quidem motio eſt ſecundùm ſuæ providentiæ rationem, non ſecundùm neceſſitatem naturæ: ſicut motio corporis cæleſtis. Non ſolùm autem à Deo eſt omnis motio, ſicut à primo movente, ſed etiam ab ipſo eſt omnis formalis perfectio, ſicut à primo actu. Sic igitur actio intellectus, & cujuſcunque entis creati dependet à Deo in quantum ad duo. Uno modo, in quantum ab ipſo habet perfectionem, ſive formam, per quam agit: alio modo in quantum ab ipſo movetur ad agendum. Unaquæque autem forma indita rebus creatis à Deo habet efficaciam reſpectu alicujus actus determinati in quem poteſt ſecundùm ſuam proprietatem, ultra autem non poteſt niſi per aliquam formam ſuperadditam: ſicut aqua non poteſt calefacere, niſi calefacta ab igne. Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, ſcilicet ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia cognoſcenda: ad ea ſcilicet in quorum notitiam per ſenſibilia poſſumus devenire: altiora verò intelligibilia intellectus humanus cognoſcere non poteſt, niſi fortiori lumine perficiatur: ſicut lumine fidei, vel prophetiæ: quod dicitur lumen gratiæ, in quantum eſt naturæ ſuperadditum. Sic igitur dicendum eſt, quod ad cognitionem cujuſcumque veri, homo indiget auxilio divino, ut intellectus à Deo moveatur ad ſuum actum: non autem indiget ad cognoſcendam veritatem in omnibus nova illuſtratione ſuperaddita naturali illuſtrationi: ſed in quibuſdam, quæ excedunt naturalem cognitionem,& tamen quandoque Deus miraculosè per ſuam gratiam aliquos inſtruit de his, quæ per naturalem rationem cognoſci poſſunt: ſicut & quandoque miraculosè facit quædam, quæ natura facere poteſt.

Ad primum ergo dicendum, quòd omne verum à quocunque dicatur, eſt à Spiritu Sancto, ſicut ab infundente naturale lumen, & movente ad intelligendum,& loquendum veritatem, non autem ſicut ab inhabitante per gratiam gratum facientem: vel ſicut largiente aliquod habituale donum naturæ ſuperadditum. Sed hoc ſolum eſt in quibuſdam veris cognoſcendis, & loquendis: & maximè in illis, quæ pertinent ad fidem, de quibus Apoſtolus loquebatur.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſol corporalis illuſtrat exterius, ſed ſol intelligibilis, qui eſt Deus, illuſtrat interius: unde ipſum lumen naturale animæ inditum eſt illuſtratio Dei, qua illuſtramur ab ipſo ad cognoſcendum ea, quæ pertinent ad naturalem cognitionem, & ad hoc non requiritur alia illuſtratio, ſed ſolùm ad illa, quæ naturalem cognitionem excedunt.

Ad tertium dicendum, quòd ſemper indigemus divino auxilio ad cogitandum quodcunque, in quantum ipſum movet intellectum ad agendum: actu enim intelligere aliquid, eſt cogitare: ut patet per Auguſt. 14. *de Trinit.*

Prima Concluſio.

Quantumcunque aliqua natura ſive corporalis, ſive ſpiritualis, ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo ad agendum.

Secunda Concluſio.

Ad cognitionem cujuſcumque veri indiget homo auxilio divino, ut intellectus à Deo moveatur ad ſuum actum.

Tertia Concluſio.

Non eſt homini neceſſaria nova illuſtratio ſuperaddita naturali lumini ad aliquas veritates cognoſcendas; ſed ad illas duntaxat, quæ excedunt naturalem cognitionem.

Quarta Concluſio.

Aliquando Deus miraculosè per ſuam gratiam inſtruit aliquos de iis, quæ per naturalem rationem poſſunt cognoſci.

COMMENTARIUS.

1. Prima, & ſecunda ex his concluſionibus oſtendunt, Divum Thomam in hujus art. reſolutione non ita ſtrictè doctrinam de gratia tradidiſſe, quin ſermonem extenderit ad generalem & communem influxum, quo Deus concurrit cum omnibus cauſis ſecundis, & movet illas ad agendum: quia revera prædicta motio, & influxus non ſunt propriè gratia; ſed quid petitum à naturis rerum, ut cadunt ſub communi, & naturali providentia, quam ex ſua creatione poſtulant. Cæterùm quia omnia, quæ Deus creaturis tribuit, etiam ſi ab ipſis poſtulentur, & hac ratione debita videantur; abſolutè tamen, & ſimpliciter ex liberalitate, & non ex aliquo vero, & ſtricto debito illis tribuit: & ob id in latiori ſignificatione gratia nuncupantur juxta dicta *diſputatione præcedenti, numero quarto*, non abs re Divus Thomas acturus de divina gratia, per quam movemur ad rectè agendum, extendit doctrinam ad prædictum influxum, quatenus in eo ſplendet divina bonitas, & liberalitas, quæ rebus creatis jus ſuum etiam ultra debitum ſervat, licèt propriè, & ſtrictè gratia non ſit.

Acceſſit, quòd ad explicanda auxilia gratiæ efficacis, quibus Deus phyſicè promovet voluntatem, & alias potentias ad actus ſupernaturales, vel ad ſupernaturalem ordinem tendentes, ſatis conveniens fuit diſcurſum inchoare à communi neceſſitate, qua omnes cau-

ſæ

Digitized by Google

ſæ ſecundæ pro quibuſlibet actibus à ſe elicien-dis indigent præmoveri à Deo, tanquam à primo agente, & primo movente, ſine cujus motione, & applicatione nulla ex prædictis cauſis, ſive libera, ſive neceſſaria, valet ſe ad proprium actum movere, & applicare. Quod enim liberum arbitrium pro actibus ordinis gratiæ opus habeat auxilio ſupernaturali phyſicè, & ex natura rei inferente actum; non oritur ex elevatione, aut peculiari conditione hujus ordinis; ſed ex generali, & communi agentis creati, & cauſæ ſecundæ, quæ eo ipſo quod ut talis cauſa operativa ſit, indiget moveri, & applicari à cauſa prima juxta modum, & ordinem ipſius cauſæ ſecundæ: ita ut ſi ſit cauſa naturalis, & neceſſaria, moveatur, & applicetur per modum naturæ, ſcilicet cum determinatione ad unum etiam ex parte potentiæ, & actus primi, quæ determinatio inducit neceſſitatem, & repugnat libertati: ſi verò ſit cauſa libera, moveatur, & applicetur juxta modum ſuum, ſervata nimirum ex parte actus primi indifferentia, & facultate ad utrumlibet, penes quam conſiſtit libertas. Et rurſus ſi cauſa naturalis ſit, & ad actum naturæ debitum applicanda, fiet prædicta motio per auxilium naturale, ſeu quod naturæ jura non tranſcendit. Si verò ad actum ſupernaturalem, fiet talis applicatio per auxilium hujus ordinis, quod propriè habet rationem gratiæ, & dicitur gratia efficax. Quocirca D. Thom. in hoc art. ex prima concluſione, quæ univerſaliter procedit de motione cujuſlibet agentis creati deducit ſecundam, quæ ſpecialiter procedit de auxilio requiſito in intellectu, ut applicetur, & moveatur ad actum cognoſcendi. Et infra art. 9. ex eadem communi doctrina probat neceſſitatem auxiliorum gratiæ etiam in homine juſtificato ad rectè agendum, & peccatum vitandum dicens: *Homo indiget auxilio gratiæ, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum: & hoc propter duo: primò quidem ratione generali propter hoc, quod ſicut ſupra dictum eſt* (ſcilicet artic. prim.) *nulla res creata poteſt in quemcumquè actum prodire niſi virtute motionis divinæ.*

Radix auxilij ab intrinſeco efficacis.

D. Thom.

2. Eſt autem obſervandum, quod D. Thomas non utcunque requirit influxum cauſæ primæ, ut cauſa ſecunda operetur, ſed talem influxum, per quem ipſa cauſa ſecunda moveatur, & ad actum ſecundum applicetur: atque adeo, qui non ſolùm terminetur ad effectum cauſæ ſecundæ, ſed etiam ad ipſam cauſam, & in ea recipiatur; aliàs per talem influxum non moveretur directè, & formaliter ipſa cauſa ſecunda, neque ad agendum applicaretur, ut exprimunt verba primæ, & ſecundæ concluſionis, & alia, quæ apud S. Doct. paſſim inveniuntur. Per quod excluditur gloſſa aliquorum ex his, qui phyſicas præmotiones à cauſis ſecundis relegare nituntur, & ſcientiam mediam illarum inimicam introducere conantur. Interpretantur enim D. Thomam, & explicant de concurſu ſimultaneo, qui non eſt directè influxus in cauſam ſecundam (imò aliquando neque indirectè) ſed eſt influxus Dei in effectum concomitanter ſe habens ad influxum cauſæ ſecundæ. Hanc igitur gloſſam apertè excludunt verba Ang. Doctoris, tum quia ubique loquitur de influxu Dei in cauſam ſecundam per quem ipſa movetur, & applicatur ad agendum, & influendum in effectum: ſi autem influxus Dei terminaretur ad ſolum effectum, & ſolùm concomitanter ſe haberet ad applicationem cauſæ ſecundæ, non rectè diceretur ipſa cauſa ſecunda moveri, & applicari ad agendum per talem influxum: Tum etiam quia influxus ille, quo Deus operatur, movendo cauſam ſecundam juxta doctrinam D. Thomæ, debet eſſe talis conditionis, ut per illum ipſa cauſa ſecunda non moveat, neque operetur, ſed ſolùm ſe habeat ut mota ex vi talis influxus: & inſuper verificari debet, quod operatio, quam cauſa ſecunda elicit, ſit effectus ejuſdem influxus, & operationis divinæ, ſicut operatio inſtrumenti, etiam prout ab inſtrumento, eſt effectus actionis principalis agentis: hæc autem verificari nequeunt, ſi prædictus Dei influxus ſolùm ſe habeat ſimultaneè, & concomitanter ad influxum cauſæ ſecundæ: ergo debet ſe habere cauſaliter, & antecedenter ad talem influxum. Minor & conſequentia conſtant. Major verò eſt ipſius D. Thomæ quæſt. 3. de potent. art. 7. ad 3. ubi agens de motione cauſæ primæ in ſecundam ſic ait: *In operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura; ſed ipſa naturæ operatio eſt etiam operatio virtutis divinæ; ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis.*

Quorundam expoſitio confutatur.

D. Thom.

3. Excluditur etiam expoſitio aliorum, qui cernentes D. Thomam apertè aſſerere influxum & motionem Dei in cauſam ſecundam etiam antecedere natura ad influxum ejuſdem cauſæ ſecundæ in effectum, dicunt, intelligendum eſſe non de motione, quæ ſit actualis applicatio cauſæ ſecundæ ad ſuum actum, inferens illum infallibiliter, & ex natura rei; ſed quæ ſit forma dans virtutem, & conſtituens principium ſufficiens ad producendum actum; quæ tamen forma, & principium, quantum eſt ex natura rei, poſſunt ab ipſo actu ſeparari. Cùm enim Deus omnibus agentibus creatis dederit formas, quibus moventur ad agendum, & illas actu in ſuo eſſe conſervet, rectè dicitur movere ipſa agentia ad operandum, quia dedit, & conſervat prædictas formas.

Aliorum interpretatio rejicitur.

Sed hæc expoſitio non minus aliena eſt, quàm præcedens à mente Ang. Doctoris, quia prædictum modum motionis, & applicationis ad agendum ubique ponit tanquam diſtinctum à productione, & conſervatione formæ, quæ eſt principium agendi: ut videre eſt tum in hoc art. ubi ait; *quòd ad motum non ſolum requiritur ipſa forma, quæ eſt principium motus vel actionis, ſed etiam requiritur motio primi moventis.* Et inferiùs: *Non ſolùm autem à Deo eſt omnis motio ſicut à primo movente, ſed etiam ab ipſo eſt omnis formalis perfectio ſicut à primo actu. Sic igitur actio intellectus, & cujuſcunque entis creati dependet à Deo in quantum ad duo: uno modo in quantum ab ipſo habet perfectionem, ſive formam, per quam agit, alio modo in quantum ab ipſo movetur ad agendum.* Tum etiam 1. part. quæſt. 105. art. 5. ubi ad explicandum, quibus modis Deus operetur in omni operante creato, quod erat aſſumptum illius art. inter alia hæc habet: *Similiter conſiderandum eſt, quod ſi ſint multa agentia ordinata, ſemper ſecundum agens agit in virtute primi. Nam primum agens movet ſecundum ad agendum. Et ſecundùm hæc omnia agunt in virtute ipſius Dei: & ita ipſe eſt cauſa omnium actionum agentium. Tertiò conſiderandum eſt, quòd Deus movet non ſolùm res ad operandum, quaſi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem, ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum; qui tamen interdum formam ſecuri non tribuit: ſed etiam dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in eſſe.* Et in ſolutione ad 3. *Dicendum, quòd*

D. Thom.

Digitized by Google

Deus non ſolùm dat formas rebus, ſed etiam conſervat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum. Ulterius quæſt. 3. de potent. art. 7. hoc ipſum luculenter tradit ſequentibus verbis: *Non ſic eſt intelligendum, quod Deus in omni re naturali operetur, quaſi res naturalis nihil operetur; ſed quia in ipſa natura, vel voluntate operante Deus operatur. Quod qualiter intelligi poſſit oſtendendum eſt. Sciendum namque eſt, quod actionis alicujus rei res alia poteſt dici cauſa multipliciter: uno modo quia tribuit ei virtutem operandi, ſicut in 8. Phyſic. quod generans movet grave, & leve, in quantum dat virtutem, per quam conſequitur talis motus. Et hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere poſſunt*, &c. Deinde ponit ſecundum modum ratione conſervationis virtutis ad agendum, & proſequitur: *Tertio modo dicitur una res eſſe cauſa actionis alterius, in quantum movet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio, aut conſervatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad actionem: ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipſum. Et quia natura inferior agens non agit niſi mota, eo quod hujuſmodi corpora inferiora ſunt alterantia alterata, cœlum autem eſt alterans non alteratum, & tamen non eſt movens niſi motum, & hoc non ceſſat quouſque perveniatur ad Deum; ſequitur de neceſſitate, quod Deus ſit cauſa actionis cujuſlibet rei naturalis, ut movens & applicans virtutem ad agendum.* Et quamvis in hoc loco Sermo ſit de cauſis naturalibus, ſeu neceſſariis, ratio tamen, qua utitur Aug. Doctor, univerſalis eſt pro omnibus cauſis ſecundis, ſive neceſſariis, ſive liberis, ut intuenti patebit. Conſtat verò ex omnibus adductis teſtimoniis tradi à D. Thoma, ut omnino diſtinctum modum, quo Deus movet cauſam ſecundam conferendo illi, & conſervando formam, & virtutem, quæ eſt principium actionis, à modo, quo movet illam tanquam applicans ipſam formam, & virtutem ad agendum.

4. Quocirca illi, qui ex Adverſariis rem iſtam ſincerè tradiderunt, quique aliis ſectatoribus ſcientiæ mediæ facem prætulerunt, haud dubitarunt utramque prædictam expoſitionem menti, & verbis Ang. Doctoris repugnare; & ſe in hac parte contra S. Doctorem procedere, ejuſque doctrinam non percipere, manifeſtè confeſſi ſunt: ut videre eſt apud Ludovicum Molinam in Concord. diſp. 26. ſuper art. 13. quæſt. 14. 1. part. D. Thomæ, ubi ita palam loquitur: *D. Thom. 1. part. quæſt. 105. art. 5. docet Deum duplici ratione dici operari cum cauſis ſecundis. In primis quia virtutes illis tribuit, eaſque actu conſervat, ut Durandus dicebat. Deinde quia ita eas ad agendum movet, ut quodammodo formas, & virtutes earum applicet ad operationem: non ſecus atque artifex ſecurim applicat ad ſcindendum.* Proſequitur deinde impugnans hanc D. Thomæ doctrinam, & concludit: *Quare ingenuè fateor, mihi valdè difficilem eſſe ad intelligendum motionem, & applicationem hanc, quam D. Thomas in cauſis ſecundis exigit.* Utinam qui auctoris hujus ſententiam contra phyſicas præmotiones ſequuntur, tenerent etiam confeſſionem, qua fatetur illas eſſe de mente Ang. Doctoris, & ſe ab ejus doctrina hac in parte recedere. Profectò id tunc nobis perſtitiſſet, ut inexperti, & tyrones circa veram & Thomiſticam doctrinam omninò non deciperentur, ſicut decipiuntur multi, qui ad pauca reſpicientes, nullaque non credentes ſæpè non diſcernunt.

Molina confeſſio.

Quid ſentiat de ſententia D. Thomæ.

Quanquam & prædictus Auctor immeritò doctrinam de prædictis præmotionibus quaſi Franciſci Ferrarienſis commentum reprehendit, dicens: *Ferrarienſis 3. contra Gent. cap. 70. ait ejuſmodi applicationem eſſe vim quandam in cauſis ſecundis; quæ eſt velut intentionale virtutis divinæ, eo modo quo ſpecies colorum in medio dicuntur eſſe intentionale colorum*, &c. Et ſtatim: *Hoc tamen commentitium planè eſt, nullaque ratione fulcitur.* Si hic auctor legiſſet (& veriſimilius eſt legiſſe) D. Thomam cit. quæſt. 3. de potent. art. 7. ad 7. inveniſſet eandem omnino doctrinam, ipſiſſimaque verba, quæ Ferrarienſi attribuit: ſic enim ait: Ang. Doctor id, *quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Qui ergo doctrinam hanc à D. Thoma traditam ita ſuggillare auſus fuit, vel ſcripta S. Doctoris non vidit, vel reverentiam illi debitam ignoravit.

Quorundam expoſtulatio.

5. Obſerva etiam, fruſtrà laborare Adverſarios exigentes à Thomiſtis certum locum, ubi Angelicus Doct. utatur nomine *præmotionis*, aut *prædeterminationis phyſicæ*, quo ejus diſcipuli ad ſignificandam motionem, de qua agimus, communiter utuntur. Dum enim certò conſtet rem prædictis nominibus ſignificatam inveniri apud D. Thomam; non multùm curandum eſt, an ſic, vel aliter exprimatur: non enim antiquiores Magiſtri ita in omnibus de vocibus curam habebant, neque ita apud illos verba, & nomina abundabant, quin multoties communia pro ſpecialibus acciperent. Et propterea novæ quotidie excogitantur voces pro eiſdem rebus formalius, expreſſius, aut vivacius ſignificandis. Porro D. Thomam in prædictis locis de eadem prorſus motione egiſſe, quam nos præmotionem, & prædeterminationem phyſicam vocamus, apertè liquet. Nam loquitur non de motione, quæ eſt actio elicita à cauſa ſecunda, ſeu per quam ipſa movet, & agit; ſed de motione elicita à cauſa prima in cauſa ſecunda, per quam iſta movetur, & agitur, ut ſic acta, & mota, moveat, & agat, ut exprimunt ipſa S. Doctoris verba. Hanc autem motionem, & nihil aliud nos intelligimus, & ſignificamus nomine præmotionis: & meritò, quia ordine cauſalitatis præit illam aliam motionem, quam cauſa ſecunda ſic prius mota elicit, & cauſat. Sicut etiam meritò vocatur *prædeterminatio*, quia eſt motio, & applicatio ad unam certam, & determinatam actionem ex omnibus illis, quas cauſa ſecunda poſſet elicere. Et hanc applicationem ad determinatum actum ſecundum ſignificant Thomiſtæ nomine *prædeterminationis*; non verò formam, vel qualitatem aliquam tollentem indifferentiam, & facultatem ad utrumlibet, quam habet voluntas conſiderata in ratione actus primi. Prædicta enim indifferentia non coarctatur, neque læditur per applicationem ad determinatum actum ſecundum; ſed permanet, & conſervatur in potentia adhuc ſub tali applicatione: ſicut permanet, & conſervatur etiam in ſententia Adverſariorum ſub ipſo actu ſecundo: adhuc enim cùm voluntas eſt exercens hunc determinatum actum ſecundum, verificatur, quod potens, & indifferens ad oppoſitum eliciendum. Quod ſi Auctores contrarij non tantùm prædictam applicationem ad determinatum actum ſecundum, ſed majorem aliam determinationem

nationem tangentem, & coarctantem ipſam potentiam, & actum primum ſub nomine *prædeterminationis phyſicæ* accipere volunt, ut eorum ſcripta ſæpè teſtantur, non noſtra locutio, ſed eorum ſiniſtra intelligentia erit in crimine. Neque in eo etiam quod dictam præmotionem, vel prædeterminationē vocamus *phyſicam*, aliquid addimus ſenſui verborum D.Thomæ: quia *ly phyſica* nihil aliud ſonat, niſi quod non ſit motio ſolùm ex parte objecti, ſicut eſt motio proponentis, præcipientis, aut ſuadentis, quæ vocatur *motio moralis*; ſed ex parte principij elicientis per modum realis applicationis ejuſdem principij ad ſuum actum, & realis conjunctionis cum ipſo actu. Et quod D. Thomas de hoc genere motionis loquatur, oſtendunt manifeſtè tam verba, quàm exempla, quibus utitur in adductis teſtimoniis. Et hæc circa mentem D.Thomæ hîc breviter prælibaſſe ſufficiat: de qua, ſicut & de re ipſa latè diſſeremus infra *diſp.* 7. per totam, & præcipuè *dub.* 4. Modò verò hæc adnotaſſe opus fuit: quia D. Thomas in multis articulis tam hujus, quàm ſequentium quæſt. ſe refert ad doctrinam hoc artic. traditam tanquam ad legitimum fundamentum rectæ doctrinæ auxiliorum gratiæ.

ARTICULUS II.

Vtrùm homo poſſit velle & facere bonum abſque gratia.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd homo poſſit velle & facere bonum abſque gratia. Illud enim eſt in hominis poteſtate, cujus ipſe eſt dominus: ſed homo eſt dominus ſuorum actuum, & maximè ejus, quod eſt velle: ut ſupra dictum eſt, *quæſt.* 1. *artic.* 2. *& quæſt.* 13. *artic.* 6. ergo homo poteſt velle, & facere bonum per ſe ipſum abſque auxilio gratiæ.

2. Præterea, Unumquodque poteſt magis in id, quod eſt ſibi ſecundùm naturam, quàm in id, quod eſt ſibi præter naturam, ſed peccatum eſt contra (ut Dam. in 2. lib.) opus autem virtutis eſt homini ſecundùm naturam; ut ſupra dictum eſt, cùm igitur homo per ſe ipſum poſſit bonum velle & facere.

3. Præterea, Bonum intellectus eſt verum, ut Philoſophus dicit in 6. Ethic. ſed intellectus poteſt cognoſcere verum per ſe ipſum, ſicut & quælibet alia res poteſt ſuam naturalem operationem per ſe facere: ergo multò magis homo poteſt per ſe ipſum facere, & velle bonum.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit *Rom.* 9. Non eſt volentis ſcilicet velle, neque currentis, ſcilicet currere: ſed miſerentis Dei & Auguſt. dicit in libro de correctione, & gratia, quod ſine gratia nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo, faciunt homines bonum.

Reſpondeo dicendum, quòd natura hominis poteſt dupliciter conſiderari uno modo in ſui integritate: ſicut fuit in primo parente ante peccatum, alio modo, ſecundùm quod eſt corrupta in nobis poſt peccatum primi parentis. Secundùm autem ſtatum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum, vel volendum quodcunque bonum, ſicut primo movente: ut dictum eſt. Sed in ſtatu naturæ integræ quantum ad ſufficientiam operativæ virtutis poterat homo per ſua naturalia velle, & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ, non autem bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ: ſed in ſtatu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc, quod ſecundùm ſuam naturam poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonū implere per ſua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur, poteſt quidem etiam in ſtatu naturæ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere (ſicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujuſmodi) non tamen totum bonum ſibi connaturale, ita quod in nullo deficiat: ſicut homo infirmus poteſt per ſe ipſum aliquem motum habere, non tamen perfectè poteſt moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ. Sic igitur virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum ſcilicet ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale. Sed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ulterius, ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur: quod eſt meritorium. Ulterius autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divino, ut ab ipſo moveatur ad bene agendum.

Ad primum ergo dicendum, quòd homo eſt dominus ſuorum actuum, & volendi, & non volendi, propter deliberationem rationis, quæ poteſt flecti ad unam partem, vel ad aliam: ſed quod deliberet, vel non deliberet, & ſi hujuſmodi etiam ſit dominus, oportet, quod hoc ſit per deliberationem præcedentem, & cùm hoc non præcedat in infinitum, oportet, quòd finaliter deveniatur ad hoc, quod lib. arb. hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod eſt ſupra mentem humanam, ſcilicet à Deo: ut etiam Philoſophus probat in capitulo de bona fortuna, unde mens hominis, etiam ſani, non ita habet dominium ſui actus, quin indigeat moveri à Deo: & multò magis liberum arb. hominis infirmi poſt peccatum, per quod impeditur à bono per corruptionem naturæ.

Ad ſecundum dicendum, quod peccare nihil aliud eſt, quàm deficere à bono, quod convenit alicui ſecundùm ſuam naturam: unaquæque autem res creata, ſicut eſſe non habet niſi ab alio, & in ſe conſiderata nihil eſt, ita indiget conſervari in bono ſuæ naturæ convenienti ab alio: poteſt enim per ſe ipſam deficere à bono, ſicut & per ſe ipſam poteſt deficere in non eſſe, niſi divinitus conſervaretur.

Ad tertium dicendum, quòd etiam verum non poteſt homo cognoſcere ſine auxilio divino, ſicut ſupra dictum eſt: & tamen magis eſt natura humana corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quàm quantum ad cognitionem veri.

PRIMA CONCLUSIO.

IN quolibet ſtatu ad faciendum, vel volendum quodcunque bonum indiget homo auxilio divino ſicut primo movente.

SECUNDA CONCLUSIO.

IN ſtatu integritatis quantum ad ſufficientiam operativæ virtutis, poterat homo per ſua naturalia velle, & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ; non autem bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ.

TERTIA

Digitized by Google

Tertia Conclusio.

ETiam in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere; non tamen totum bonum ſibi connaturale, ita quod in nullo deficiat.

Quarta Conclusio.

IN ſtatu naturæ integræ indigebat homo virtute gratuita naturali virtuti ſuperaddita quantum ad unum, ſcilicet ad operandum, vel volendum bonum ſupernaturale; in ſtatu verò naturæ corruptæ indiget tali virtute quantum ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ut bonum ſupernaturale operetur.

Prima ex his concluſionibus confirmat doctrinam commentarij præc.quæ etiam repetitur in fine corporis hujus art.ubi ita concluditur:*Ulteriùs autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divino,ut ab ipſo moveatur ad bene agendum.* Et idem fit frequenter ſequentibus articulis.

Circa ſecundam concluſionem poſſet dubitari, quem appellet D. Thom. ſtatum naturæ integræ, an ſcilicet ſtatum illum integritatis ſolius naturalis ordinis, in quo homo nunquam fuit; potuit tamen eſſe juxta dicta *diſput. præced. cap. 2. num.* 29. an verò ſtatum originalis juſtitiæ, in quo primus homo conditus fuit de facto? Sed dubitationem tollit D. Thom. initio corp. art. dum ait: *Natura hominis poteſt dupliciter conſiderari: uno modo in ſui integritate, ſicut fuit in primo parente ante peccatum.* Loquitur ergo de integritate juſtitiæ orig. quæ fuit integritas conceſſa primo parenti in prædicto ſtatu. Et meritò naturam humanam, quatenus fuit in illo, appellat integram; quia ultra ſanctificantem gratiam, & ejus virtutes infuſas habuit perfectiſſima dona ordinis naturalis,per quæ etiam in hoc ordine integra,& perfecta reddebatur.Non tamen loquitur de illa prout perfecta gratia, & virtutibus infuſis; ſed dumtaxat prædictis naturalibus donis. Et ideo dixit, hominem in illa integritate indiguiſſe gratia ad opera ſupernaturalia,& meritoria oſtendens hoc dicendi modo non loqui de prædicta, ut includente ipſam gratiam; ſed ut ab ea condiſtincta. Unde doctrina, quam tradit circa neceſſitatem, aut non neceſſitatem gratiæ in prædicto ſtatu, extendi poteſt ad illum alium ſtatum naturæ integræ integritate ſolius ordinis naturalis. Eadem enim fermè ratio in utroque ſtatu procedit, ſi à juſtitia orig. præſcindamus gratiam.

D.Thom.

Tertia concluſio continet difficultatem, quæ magni facienda non eſſet, niſi juniores aliqui ſuis latiſſimis diſputationibus eam ſatis implexam reddidiſſent:de qua erit ſpeciale dubium diſp.ſeq.

Circa quartam concluſionem nota, non ſatis in ea declarari, an indigentia gratiæ in ſtatu naturæ corruptæ pro operibus naturalis ordinis ſolùm ſit, ut natura ipſa ſanetur à peccatorum languore; ſemel verò ſana, ſufficiant ei propriæ, & naturales vires ad exercenda prædicta opera, ſine eo, quod viribus ſupernaturalibus in eorum elicientia utatur. An verò etiam requiratur tanquam dans virtutem pro prædictis operibus eliciendis, quaſi naturalis virtus, etiam peccato excluſo, non ſufficiat: quod infra *dub.* 5. examinandum eſt.

ARTICULUS III.

Utrùm homo poſſit diligere Deum ſuper omnia, ex ſolis naturalibus, ſine gratia.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd homo non poſſit diligere Deum ſuper omnia ex ſolis naturalibus ſine gratia.Diligere enim Deum ſuper omnia, eſt proprius, & principalis charitatis actus. Sed charitatem homo non poteſt habere per ſe ipſum, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ut dicitur Rom. 5. ergo homo ex ſolis naturalibus non poteſt Deum diligere ſuper omnia.

2. Præterea, Nulla natura poteſt ſupra ſe ipſam. Sed diligere aliquid plus quàm ſe, eſt tendere in aliquid ſupra ſe ipſum: ergo nulla natura creata poteſt Deum diligere ſupra ſe ipſam ſine auxilio gratiæ.

3. Præterea, Deo, cùm ſit ſummum bonum, debetur ſummus amor, qui eſt, ut ſuper omnia diligatur. Sed ad ſummum amorem Deo impendendum, qui ei à nobis debetur, homo non ſufficit ſine gratia, alioquin fruſtra adderetur gratia: ergo homo non poteſt ſine gratia, ex ſolis naturalibus diligere Deum ſuper omnia.

Sed contra, Primus homo in ſolis naturalibus conſtitutus fuit (ut à quibuſdam ponitur) in quo ſtatu manifeſtum eſt, quod aliqualiter Deum dilexit. Sed non dilexit Deum æqualiter ſibi vel minus ſe: quia ſecundùm hoc peccaſſet: ergo dilexit Deum ſupra ſe, ergo homo ex ſolis naturalibus Deum poteſt diligere plus quàm ſe, & ſuper omnia.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt in primo (in quo etiam circa naturalem dilectionem Angelorum diverſæ opiniones ſunt poſitæ)homo in ſtatu naturæ integræ poterat operari virtute ſuæ naturæ bonum,quod eſt ſibi connaturale abſque ſuperadditione gratuiti doni, licèt non abſque auxilio Dei moventis: diligere autem Deum ſuper omnia, eſt quiddam connaturale, & etiam cuilibet creaturæ non ſolùm rationali, ſed irrationali, & etiam inanimatæ ſecundùm modum amoris, qui unicuique creaturæ competere poteſt. Cujus ratio eſt, quia unicuique naturale eſt quod appetat, & amet aliquid ſecundùm quod aptum natum eſt eſſe. Sic igitur agit unumquodque prout aptum natum eſt eſſe, ut dicitur in 2. Phyſic. manifeſtum eſt autem quod bonum partis eſt propter bonum totius, unde naturali appetitu, vel amore unaquæque res particularis amat bonum ſuum proprium propter bonum commune totius univerſi, quod eſt Deus: unde & Dio. dicit *in lib. de di. no.* quòd Deus convertit omnia ad amorem ſui ipſius. Unde homo in ſtatu naturæ integræ dilectionem ſui ipſius referebat ad amorem Dei, ſicut ad finem: & ſimiliter dilectionem omnium aliarum rerum: & ita Deum diligebat plus quàm ſe ipſum, & ſuper omnia. Sed in ſtatu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit ſecundùm appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei. Et ideò dicendum eſt, quòd homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia, licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis: ſed

in

Digitized by Google

in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam ſanantis.

Ad primum ergo dicendum, quòd charitas diligit Deum ſuper omnia eminentiùs, quàm natura: natura enim diligit Deum ſuper omnia, prout eſt principium, & finis naturalis boni: charitas autem ſecundùm quod eſt objectum beatitudinis, & ſecundùm quod homo habet quandam ſocietatem ſpiritualem cum Deo, addit etiam charitas ſupernaturalem dilectionem Dei, promptitudinem quandam, & delectationem, ſicut habitus quilibet virtutis addit ſupra actum bonum, qui fit ex ſola naturali ratione hominis virtutis habitum non habentis.

Ad ſecundum dicendum, quòd cùm dicitur, quòd nulla natura poteſt ſupra ſe ipſam, non eſt intelligendum, quòd non poſſit ferri in aliquod objectum, quod eſt ſupra ſe: manifeſtum eſt enim, quòd intellectus noſter naturali cognitione poteſt aliqua cognoſcere, quæ ſunt ſupra ſe ipſum, ut patet in naturali cognitione Dei: ſed illud intelligendum eſt, quod natura non poteſt in actum excedentem proportionem ſuæ virtutis: talis autem actus non eſt diligere Deum ſuper omnia: hoc enim eſt naturale cuilibet naturæ creatæ: ut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd amor dicitur ſummus, non ſolùm quantum ad gradum dilectionis, ſed etiam quantum ad rationem diligendi, & dilectionis modum: & ſecundùm hoc ſummus gradus dilectionis eſt, quo charitas diligit Deum, ut beatificantem, ſicut dictum eſt.

Prima Conclusio.

Homo in ſtatu naturæ integræ poterat operari virtute ſuæ naturæ bonum, quod eſt ſibi connaturale abſque ſuperadditione gratuiti doni, licèt non abſque auxilio Dei moventis.

Secunda Conclusio.

Homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia, licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo etiam auxilio gratiæ naturam ſanantis.

Quamvis ex hac ſecunda concluſione apertè conſtet non poſſe hominem lapſum elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia etiam ut finis naturalis, antequam per gratiam à peccato reſurgat; non tamen ita conſtat, an gratia ſolùm requiratur per modum removentis prohibens, ſcilicet ipſum peccatum, quo remoto, naturales vires ad prædictum amorem ſufficiant? An verò etiam ut elevans, & coadjuvans ipſas naturales vires, quaſi iſtæ per ſe inſufficientes ſint, adhuc peccato remoto, niſi per gratiam eleventur? Si enim primum dixerimus, ſecundum quoque erit, quod in ſtatu naturæ puræ, ubi non eſſet peccatum, potuiſſet homo ſolis naturalibus viribus prædicto amore Deum diligere. Non enim minorem efficaciam haberent naturales vires ad bonum honeſtum in illo ſtatu, quàm habent in præſenti, præſcindendò à gratia. Si verò teneamus ſecundum; neganda erit etiam illi ſtatui poſſibilitas ad talem amorem: de quo *dubio 3. diſp. ſequentis.*

ARTICULUS IV.

Vtrùm homo ſine gratia per ſua naturalia legis præcepta implere poſſit.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur, quòd homo ſine gratia per ſua naturalia poſſit præcepta legis implere. Dicit enim Apoſtolus ad Rom. 2. Quòd gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: ſed illud quod naturaliter homo facit per ſe ipſum, poteſt facere abſque gratia: ergo homo poteſt legis præcepta facere abſque gratia.

2. Præterea, Hieron. dicit in expoſitione catholicæ fidei, illos eſſe maledicendos, qui Deum præcepiſſe homini aliquid impoſſibile dicunt: ſed impoſſibile eſt homini, quod per ſe ipſum implere non poteſt: ergo homo poteſt implere omnia præcepta legis per ſe ipſum.

3. Præterea, Inter omnia præcepta legis maximum eſt illud, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ut patet *Matt.* 22. ſed hoc mandatum poteſt homo implere ex ſolis naturalibus, diligendo Deum ſuper omnia: ut ſuprà dictum eſt: ergo omnia mandata legis poteſt homo implere ſine gratia.

Sed contra eſt, quod Auguſtinus dicit *in lib. de hæredibus*, hoc pertinere ad hæreſim Pelagianorum: ut credant ſine gratia hominem poſſe facere omnia divina mandata.

Reſpondeo dicendum, quòd implere mandata legis contingit dupliciter uno modo quantum ad ſubſtantiam operum, prout ſcilicet homo operatur juſta & fortia, & alia virtutis opera, & hoc modo homo in ſtatu naturæ integræ potuit omnia mandata legis implere, alioquin homo non potuiſſet in ſtatu illo non peccare: cùm nihil aliud ſit peccare, quàm tranſgredi divina mandata, ſed in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt homo implere omnia mandata divina ſine gratia ſanante. Alio modo poſſunt impleri mandata legis non ſolùm quantum ad ſubſtantiam operis, ſed etiam quantum ad modum agendi, ut ſcilicet ex charitate fiant, & ſic neque in ſtatu naturæ integræ, neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo implere abſque gratia legis mandata. Unde Auguſt. *in lib. de correptione, & gratia:* cùm dixiſſet, quòd ſine gratia nullum prorſus bonum homines faciunt, ſubdit: Non ſolùm ut monſtrante ipſa quid faciendum ſit, ſciant: verùm etiam, ut præſtante ipſa, faciant cum dilectione, quod ſciunt. Indigent inſuper in utroque ſtatu auxilio Dei moventis ad mandata implenda, ut dictum eſt.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit *in lib. de ſpiritu, & littera*, non moveat quod naturaliter dixit eos quæ legis ſunt, facere: hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis.

Ad ſecundum dicendum, quòd illud, quod poſſumus cum auxilio divino: non eſt nobis omninò impoſſibile, ſecundùm illud Philoſophi *in tertio Ethic.* quæ per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus. Unde Hieronymus ibidem confitetur ſic noſtrum liberum eſſe arbitrium, ut dicamus nos ſemper indigere Dei auxilio.

Ad tertium dicendum, quòd præceptum de dilectione Dei non poteſt homo implere ex puris natura

naturalibus, ſecundum quod ex charitate implctur, ut ex ſupra dictis patet.

Prima Conclusio.

QUamvis in ſtatu naturæ integræ poſſet homo omnia mandata legis implere quantum ad ſubſtantiam; ſecus tamen in ſtatu naturæ corruptæ niſi per gratiam ſanetur.

Secunda Conclusio.

IN nullo ſtatu poteſt homo ſine gratia divina mandata adimplere quantum ad modum, ita ſcilicet, ut id fiat ex charitate & meritoriè.

Hæc ſecunda concluſio ex profeſſo examinanda eſt *infra in tract. de merit. diſp. 3. dub. 1.* Pro prima verò & aliis hucuſque propoſitis erit.

DISPU

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA.
DE NECESSITATE GRATIÆ
PRO OPERIBUS NATURALIS ORDINIS.

EXISTENTIA rei, qua exordiri oportet, & quæ in multis aliis materiis ut aliquid per ſe notum ſupponi conſuevit; in hac de divina gratia prolixo examini exponitur: quia quæ ſupra naturam ſunt; neque humanus diſcurſus ſuo naturali lumine aſſequitur, neque per ſenſus naturalibus experientiis deprehenduntur; ſed neceſſe eſt pro earum notitia ad altiora principia recurrere. Communiter autem SS. PP. & Theologi gratiæ exiſtentiam ex ejus communi neceſſitate rimantur, pro comperto habentes, Deum in communiter neceſſariis non deficere: unde ſi ſemel conſtat, gratiam eſſe nobis neceſſariam; convictum ſatis manebit dari etiam de facto, & in rerum natura exiſtere. Dupliciter autem res aliqua poteſt dici neceſſaria alteri: vel abſolutè, & ſecundùm ſe, ut cum dimanat neceſſariò ex ejus principiis, aut alia ratione ex vi terminorum inter ſe connectuntur, ſicut proprietates connectuntur cum eſſentia, & ipſa prædicata eſſentialia inter ſe. Vel reſpectivè ad aliquem finem, vel effectum, qui aliter haberi non poſſit. Et quamvis omninò certum ſit, gratiam non poſſe dici neceſſariam humanæ naturæ, imò neque ulli alteri creatæ, aut creabili, primo modo propter excellentiam, & ſupernaturalitatem ipſius gratiæ, non eſt ita exploratum, an & quo pacto neceſſaria eſſe poſſit ſecundo modo, nempè vel ad effectum bene operandi, & peccata vitandi, vel ad finem ultimum diligendum, aut aſſequendum. Quin etiam prædicta neceſſitas eſſe poteſt vel pro operibus, quæ ordinem naturalem abſolutè non excedunt, licèt excedant communes vires humanæ naturæ: vel pro illis, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, & ſupra quamlibet creatam, vel creabilem naturam. Et ideo non modò præſentem diſputationem, quæ procedit de illis prioribus operibus, ſed etiam ſubſequentem, ubi prædicta neceſſitas pro poſterioribus examinabitur, circa hanc Divi Thomæ quæſtionem, quæ de gratiæ neceſſitate, adeoque de ejus exiſtentia tota procedit, inſtituemus.

DUBIUM PRIMUM.

Utrùm homo indigeat gratia ad cognoſcendas veritates naturales.

AB hac operatione diſputationem ordimur: quia prima eſt inter eas, pro quibus gratia poteſt requiri. Et licèt hujus difficultatis reſolutio pleniùs conſtabit ex dicendis *dubio ſequent.* qua de cauſa non multùm in ea immorabimur; oportuit tamen eam ſeorſim tractare: tum ut majorem claritatem conciliemus; tum ut imitemur alios interpretes. Nomine autem veritatis naturalis non intelligimus omnem illam, quæ ſupernaturalis non eſt; ſed eam præcisè, quæ continetur in primis principiis naturalibus per ſe notis, poteſtque ex ſenſibilibus ſenſuum miniſterio deduci. Unde illæ, quæ in dictis principiis non includuntur, neque poſſunt ex ſenſibilibus deprehendi (quales ſunt cogitationes cordium, futuri eventus liberi, præterita geſta hominum, de quibus nullum ſuppetit veſtigium, & quamplura alia purè poſſibilia) manent extra materiam præſentis dubij. In quo agemus primo loco de cognitione ſpeculativa, quæ ſiſtit in ipſa notitia veritatis; & deinde de cognitione practica, cujus veritas deſumitur per conformitatem ad appetitum rectum.

§. I.

Duplex aſſertio pro expeditione difficultatis.

1. DIcendum eſt primò, hominem in natura lapſa, vel in quovis alio ſtatu conſtitutum non indigere gratia ſupernaturali, aut naturali ad percipiendas omnes veritates naturales ſpeculativas diviſivè ſumptas, ſed poſſe quamlibet ex illis cum ſolo generali Dei concurſu perfectè cognoſcere. [*Prima Concluſio.*] Ita D. Thomas, *in 2. diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 5. *& in hac quæſt.* 109. *art.* 1. ubi Cajet. & Medina, necnon Arauxo *dub. unico.* Curiel, *dub.* 1. Valentia, *diſp.*8. *quæſt.*1. *puncto* 2. Bellarm. *lib.* 4. *de Gratia, & lib.arb.cap.* 2. Suarez *lib.* 1. *de neceſſit.gratiæ cap.* 1. Lorca *diſp.* 2. *memb.* 1. Zumel *dub.* 1. Martinez *dub.* 2. Joan. à S. Thoma *his diſp.* 19. *art.* 2. Illuſtriſſimus, & ſapientiſſimus Dominus Godoy *diſput.* 40. §. 2. *num.* 6. Gonet, *diſput.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. Labat, *diſp.* 1. *dub.* 2. *concl.* 2. & communiter Theologi. [D. Thom. Cajet. Medina. Arauxo. Curiel. Valentia. Bellarminus. Lorca. Joann. à S. Thom. Godoy. Gonet. Labat.]

Probatur ratione Divi Thomæ: nam quælibet potentia cum ſolo generali Dei concurſu valet elicere actum ſibi proportionatum: ſi enim non haberet ad illum ſufficientes vires, eo ipſo compararetur ad eum ſicut ad actum ſibi improportionatum, & incommenſuratum: ſed cognitio cujuſcunque veritatis naturalis diviſivè ſumptæ [*Probatur primò.*]

Digitized by Google

eſt actus proportionatus lumini naturali noſtri intellectus: hic igitur cum ſolo generali concurſu ſibi debito valet prædictam cognitionem habere. Major, & conſequens conſtant. Minor verò ſuadetur: tum quia actus tendens in objectum proportionatum alicujus potentiæ eſt illi proportionatus: non enim habet, quo illam excedat: conſtat autem hujuſmodi eſſe cognitionem cujuſcumque veritatis naturalis, id eſt, quæ ex ſenſibilibus deduci poteſt.

Tum deinde; quia nomine veritatis naturalis illa in præſenti intelligenda venit, quæ continetur in primis principiis per ſe notis naturalibus: omnis autem hujuſmodi veritas eſt manifeſtabilis, & aſſequibilis lumine naturali ipſorum principiorum, & intellectus agentis, cui ut inſtrumenta deſerviunt: aliter enim non continerentur ſufficienter in prædicta illorum virtute. Tum denique quia quævis forma operativa habet in ſe ſufficientem virtutem reſpectu alicujus actus: alias non eſſet activa ſaltem per modum cauſæ principalis: ſed intellectus noſter actuatus ſpecie intelligibili eſt forma operativa; utpote qui nihil habet materiæ primæ; ſed eſt actus in ordine intellectuali: ergo habere debet ex ſe ſufficientem virtutem reſpectu alicujus actus ſibi proprij, qualis eſt cognitio veritatis naturalis: non eſt autem major ratio de una, quàm de alia, ut ſtatim conſtabit: ergo, &c.

Probatur ſecundò.

2. Secundò probatur eadem aſſertio alia ratione: nam ſi intellectus noſter opus haberet gratia ad aſſequendam rectam cognitionem alicujus veritatis naturalis, maximè illius, quæ de Deo haberi poteſt, ut illum eſſe unum æternum, &c. ſed ad rectam cognitionem harum veritatum non indiget gratia; ſed poteſt illas aſſequi cum ſolo generali Dei concurſu ſibi debito, ergo, &c. Minor, quæ ſola indiget probatione ſuadetur perſpicuè. Primò ex pluribus locis Scripturæ ſacræ, qualia ſunt illud Sapient. 2. *Hoc, quod continet omnia* (nempè mundus) *ſcientiam habet vocis*, id eſt, ducit homines in cognitionem veri Dei, ut interpretatur D. Baſilius homil. 1. Exam. & cap. 13. *Si tantùm potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum, quomodo hujus Dominum non faciliùs invenerunt?* Et ad Rom. 1. *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Et Act. 14. *Nos mortales ſumus annuntiantes vobis converti ad Deum, qui fecit cœlum, & terram, & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit dans de cœlo pluvias.* Quia nimirum ut explicat D. Ambroſius *lib. 2. de Vocat. gent. cap. 1.* Mundus, & cœlorum pulchritudo ſunt libri in quibus legi poteſt, verum Deum eſſe eorum auctorem juxta illud Pſalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, & Sapient. 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Pro quo etiam facit illud Jobi 35. *Omnes homines vident eum*, & complura hujuſcemodi, ex quibus apertè liquet poſſe Deum evidenter naturaliterque cognoſci ex creaturis. Unde cùm ad cognitionem creaturarum ſufficiat vis naturalis noſtri intellectus abſque auxilio gratiæ neceſſe eſt, quòd etiam ſit per ſe ſufficiens ad rectam Dei notitiam aſſequendam.

(Sapient. 2. — D. Baſilius. — Ad Rom. 1. — Actor. 14. — D. Ambroſ.)

Deinde probatur eadem minor: quia notitia, quæ poteſt deduci ex ſenſibilibus per evidentem demonſtrationem, eſt proportionata lumini naturali intellectus noſtri: ob idque opus non habet auxilio gratuito ad illam aſſequendam: conſtat autem notitiam Dei auctoris naturalis, ut illum eſſe unum æternum, &c. haberi ex ſenſibilibus per demonſtrationem, ut videre eſt apud D. Thomam *1. part. quæſt. 2. art. 2. & 1. contra gent. cap. 13.* & apud Damaſc. *lib. 1. de Fide cap. 1.* & Ricard. de S. Victore *lib. 1. & 2. de Trinitat.* *Tertiò* ſuadetur ab inconvenientibus: nam ſi ad rectam Dei auctoris naturalis notitiam opus eſſet ſpeciali gratia, nec ſufficeret lux connaturalis intellectus; homo in puris conſtitutus, ubi abeſt omne auxilium gratuitum, non poſſet adipiſci Dei notitiam, ob idque haberet ignorantiam invincibilem illius; nec teneretur lege naturali eum colere, & amare; quinimò nec peccaret contra legem naturæ, tribuendo deitatem creaturis. Quæ omnia cùm admitti nequeant, quippè manifeſtè abſurda; dicendum eſt lumen naturale noſtri intellectus ſufficiens eſſe ad rectam Dei notitiam aſſequendam, neque ad id opus eſſe auxilio gratiæ. Quod ut indubitatam veritatem docent SS. PP. Cyrill. *lib. 3. in Ioan. cap. 3.* Baſil. *homil. 6. & 10. Exam.* Damaſc. *lib. 1. de fide cap. 1.* Hieronym. *lib. 11. in Iſaiam* in fine, Chryſoſt. *homil. 19. Imperf.* Nazianzen. *lib. 2. Theologia*, Dionyſ. *cap. 7. de divinis nominibus*, & Orig. *homil. 2. diverſorum.*

(D. Thom. — D. Damaſc. — Ricard. de S. Victor. — S. Cyrillus. — Baſilius. — Damaſc. — Hieronym. — Chryſoſt. — Nazianz.)

Evaſio. Vazquez.

3. His tamen rationibus occurrit Vazquez *in præſenti diſput. 188. cap. 2. & 3.* putans non convincere intentum. Tum quia licèt intellectus noſter ponatur perfectè illuſtratus circa veritates naturales; non dicit tamen ordinem indefectibilem ad illas, ſed qui poteſt ab eis deficere: ſicut etiam non petit ex ſe, quòd excitetur, & moveatur determinatè ad cognitionem hujus veritatis, potiùs quàm illius; ſed illæſo illius jure poſſet moveri ad cognitionem alterius iſta omiſſa; imò & permitti, quòd labeeretur in errorem: eſt enim de ſe ad utrumque indifferens. Unde quòd moveatur à Deo de facto ad cognitionem hujus particularis veritatis, eſt ſpeciale beneficium diverſum à dono creationis, & generali Dei concurſu, utpotè quòd non habet connexionem cum illis. Tum etiam quia poſt excitationem ad hanc veritatem cognoſcendam multa poſſent occurrere impedimenta, quæ veram illius notitiam impedirent: unde quòd Deus hujuſmodi impedimenta amoveat, ſicque diſponat cauſas naturales, ut prædicta veritas ſine errore occurrat, & attingatur, eſt ſpecialis Dei gratia, & providentia indebita naturæ humanæ, & quæ proinde eſt illi neceſſaria ad cujuſlibet veritatis cognitionem.

Addit tamen Vazquez hujuſmodi gratiam non conferri nobis per Chriſtum; ſed eſſe Dei gratiam, entitativè quidem naturalem, poſſeſſivè verò gratuitam. Et ratio illius eſt: Quia Chriſtus non eſt mortuus, ut rectam haberemus notitiam veritatis purè ſpeculativæ; ſed ut ſanctè, & piè viveremus: quare nulla cognitio veritatis naturalis ſpeculativæ præciſivè ſumptæ ab ordine ad effectum confertur nobis ex meritis Chriſti.

Præcluditur.

Cæterùm hæc doctrina nullius momenti eſt. Poteſtque facilè convinci falſitatis. Tum quia cuilibet formæ habenti ſufficientem, proportionatamque virtutem ad aliquem actum debitus eſt concurſus neceſſarius ad elicientiam illius, ut diſcurrenti per ſingulas conſtabit: ſed intellectus noſter in quocumque ſtatu habet ſufficientem, proportionatamque virtutem ad cognitionem cujuſcumque veritatis naturalis ſeorſim ſumptam, ut ſupra vidimus, & admittit ipſe Vazquez: ergo debitus eſt illi concurſus pro tali actu eliciendo neceſſarius. Tum etiam quia quælibet

Digitized by Google

libet potentia petit, exigitque, ut Deus concurrat cum illa ad attingentiam ſui objecti proportionati: eo quòd hujuſmodi attingentia ſit ab illa appetita naturaliter: ſed objectum proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt verum naturale; ergo exigit, quòd Deus concurrat cum illo tam prævie, quàm ſimultaneè ad prædicti objecti attingentiam. Concurſus autem naturaliter exactus, ſeu petitus è creatura non habet rationem gratiæ reſpectu illius; ſed eſt illi debitus: quia ut docet D.Thom. 1.p.q.21.art.1. ad 3. *Ratio debiti nihil aliud importat, quàm ordinem exigentiæ alicujus ad id ad quod ordinatur.* Tum deinde quia debitum eſt cuilibet creaturæ, ut à Deo dirigatur, & gubernetur juxta naturam, & conditionem ſuam: ob idque hic modus regiminis ſpectat ad communem, & ſuavem Dei providentiam: ſed intellectus noſter ex natura ſua dicit inclinationem, & habitudinem ad verum naturale: ergo debitum eſt ipſi, quòd à Deo dirigatur, & moveatur in ordine ad hujuſmodi verũ, illudque proinde ſæpius attingat; licèt quia poteſt ab eo deficere, etiam ſit cõforme divinæ providentiæ, quòd permittat prædictũ intellectum labi quandoque in errorem. Imo hinc ſumitur major vis hujus rationis: nam cùm Deus permittit noſtrum intellectum in errorem incidere, non operatur extra illius debitum; ſed conformiter ad ejus naturam defectibilem: ergo quando concurrit cum illo ad verum, non agit ſupra illius debitum, atque ideo ex ſpeciali gratia; ſed juxta debitum naturæ illius, quæ dicit inclinationem ad verum. Patet conſequentia, quia in intellectu noſtro magis præponderat inclinatio ad verum, quàm defectibilitas ad falſum: quia hæc eſt innaturalis; illa verò congenita naturæ.

D.Thom.

4. Tum præterea, quia ut admittit ipſe Vazquez hîc *diſp.* 189. *cap.* 14. & docet frequenter D. Thom. debitum eſt naturæ intellectuali, ut in prima ſua operatione naturali excitetur immediatè, & moveatur à Deo, ſicut à proprio generante: ergo hujuſmodi motio non eſt ſpecialis gratia, ſed pertinens ad beneficium commune creationis, uti ſpectat motio, qua grave movetur à generante, quia eſt illi debita ex vi ſuæ productionis: ſed illa prima cognitio non poteſt eſſe falſa: quia aliàs hæc falſitas refunderetur in Deum, ſicut in cauſam directam, & ſpecialem, quod eſt impoſſibile: ergo jam eſt debita creaturæ motio efficax ad aliquod verum contra id, quod in præſenti ſtabilire conatur ipſe Vazquez. Nam ſemel debito concurſu ad ſpeciem actus non eſt ſpecialis gratia, quòd applicetur actui in individuo, ſed totum id pertinet ad concurſum Dei generalem, ut videre eſt in cauſis naturalibus. Ignis enim non eſt ex ſe determinatus ad hanc numero calefactionem; & tamen non eſt ſpecialis gratia, quòd Deus concurrat cum eo ad illam: eo quod debitus eſt ſibi pro omni inſtanti divinus concurſus ad ſpeciem calefactionis.

Tum denique: quia licèt intellectus noſter non dicat ordinem indefectibilem ad verum, nec petat ex ſe determinari ad cognitionem hujus numero veritatis potius quàm illius; ſed poſſit deflectere ad errorem contrarium: hoc tamen non obeſt, quominus concurſus neceſſarius ad rectam notitiam cujuſlibet veritatis naturalis ſeorſim, & in particulari ſumptæ ſit ei abſolutè debitus; ſed ſolùm efficit, quod non debeatur illi debito infallibili, ſed fallibili, & contingenti; proindeque talis conditionis, quod & poſſit negari intellectui humano citra illius injuriam: quia in hac negatione attenditur ejus defectibilitas ad falſum: & valeat etiam ei conferri abſque ſpeciali gratia: quia in hoc attenditur naturalis illius inclinatio ad verum.

5. Pro cujus perfecta intelligentia, Nota, quòd divinus concurſus ad actiones proportionatas naturæ non debetur eodem modo omnibus agentibus, ſed diverſimodè pro diverſitate illorum: agentibus enim neceſſariis, qualia ſunt elementa, debetur neceſſariò, & infallibiliter attenta providentia generali; agentibus verò liberis, & contingentibus debetur cum fallibilitate, & contingentia: ſicut etiam quandoque debetur ſpeciei, & non individuis; quo pacto homini debita eſt potentia generativa, & hyemi pluvia: quandoque verò etiam debetur ipſis individuis qua ratione debitum eſt igni calefacere. Quocunque autem modo ex præmiſſis debitus ſit naturæ concurſus divinus ad aliquam actionem, non habet rationem gratiæ ſpecialis reſpectu illius; ſed ſpectat ad generalem Dei concurſum, & providentiam, beneficiumque, ſeu gratiam creativam; hæc quippè non ſolùm dicit creationem, qua natura producta eſt in eſſe; ſed etiam illius conſervationem, regimenque eī proportionatum, & debitum: atque ita comprehendit omnem concurſum, quo Deus concurrit cum cauſis naturalibus ad actiones illis proportionatas, ſive prædictus concurſus debeatur ſoli ſpeciei, & quoad ſpeciem actus; ſive etiam ſingulis individuis, & quoad individuationem actionis; ſive debito infallibili, ſive fallibili: quia totum id ſpectat ad providentiam generalem, qua providet rebus juxta illarum naturam, quamque ipſæ petunt ex ſua conditione. Unde ſicut ob hanc rationem non eſt ſpecialis providentia, ſed communis providentia ſpectans ad beneficium creationis, quod homo habeat manus, quamvis poſſet illas etiam ſine miraculo non habere; neque quod gaudeat potentia generativa, quamvis poſſit citra injuriam illi degenerari; neque quod ignis calefaciat hac numero actione, ad quam ex ſe non eſt omninò determinatus; ita non eſt ſpecialis gratia, ſed communis debita titulo creationis, quod Deus concurrat cum intellectu humano ad veram notitiam cujuſlibet veritatis naturalis ſeorſim, & in particulari ſumptæ; licèt prædictus intellectus non ſit ex ſe determinatus ad cognitionem illius, poſſitque ab hac cognitione multimodè impediri, quia tam prædicta determinatio, quàm remotio horum impedimentorum pertinet ad generalem Dei concurſum, & providentiam debitam intellectui humano ex conditione ſuæ naturæ.

Major evertit adverſa doctrina.

Per quod patet ad fundamentũ Vazq. neque id, quod ipſi ultimo loco addidit, caret falſitate. Tum quia multa nobis meruit Chriſtus tanquã conſummator, & perfector naturæ, pro quibus tamen non dicitur mortuus quaſi Redẽptor: ſicut meruit Angelis gloriam accidentalẽ, quæ conſiſtit in aliquibus revelationibus extra verbum, & tamen non eſt mortuus pro Angelis: quia Chriſtum eſſe mortuum pro aliquo ſignificat beneficium Redemptoris, & non ſolùm munus perfectioris naturæ. Unde optimè ſtare poſſet, Chriſtum non eſſe mortuum, ut haberemus perfectam notitiam veritatum naturalium ſpeculabilium, & tamen gratiam neceſſariam ad prædictam notitiam aſſequendam conferri nobis ex meritis Chriſti. Tum etiam quia cognitio tendens ad rectificãdum affectum eſt gratia collata nobis per Chriſtum in ſententia Vazq. conſtat autem plures eſſe cognitiones purè ſpeculativas, quæ ordinentur mediatè ſaltem ad rectificandum affectum, hic enim vix poteſt eſſe rectus

abſque prævia ſpeculativa notitia peccati, virtutis, juris, & ſimilium.

Secunda concluſio. 6. Dicendum eſt ſecundò intellectum humanum ſecundùm ſe ſumptum non poſſe cognoſcere omnes veritates naturales collectivè ſumptas; ſed ad id opus habere ſpeciali gratia, qualis conceſſa eſſet illi in ſtatu naturæ integræ, & juſtitiæ originalis. Ita cuncti ferè Auctores, quos pro concluſione præcedenti retulimus, & plures alij. Poteſtque hæc concluſio ſuaderi breviter: quia cauſa ab intrinſeco defectibilis in operando non poteſt attenta communi Dei providentia, & generali concurſu omnem ſuam operationem rectam efficere; ſed neceſſe eſt in aliqua deficiat: atqui intellectus humanus eſt ab intrinſeco defectibilis in attingentia veri naturalis, ut ex ſe liquet: ergo ſecundùm ſe conſideratus, & cum generali Dei concurſu non poteſt omne verum naturale attingere, quantumvis huic operi incumbat; ſed neceſſe eſt quod ſæpè à vero deficiat, niſi ſpeciali Dei gratia in illius attingentia roboretur. *Ratio.*

Confirmatio. Confirmatur de conceptu generalis Dei providentiæ, quæ conſulit rebus juxta naturam ſuam, eſt, quod cauſa defectibilis permittatur quandoque deficere: aliter quippè non providebitur ei juxta naturam ſuam: ergo cùm intellectus noſter ſit ex ſe defectibilis in attingentia veri naturalis; ad generalem Dei providentiam ſpectat ita cum illo concurrere, ut cum permittat non ſemel à vero deflectere, & in errorem incidere: ergo, ut omnem veritatem naturalem collectivè attingat, opus habet extraordinaria Dei providentia, extraordinarioque concurſu, quæ intellectus defectibilitatem coërceant, naturalemque illius lucem adjuvent, & corroborent: conſtat autem extraordinariam providentiam, & concurſum præſtita naturæ humanæ non eſſe donum illi debitum, ſed merè gratuitum: ergo, &c.

Additamentum. Ad hæc: quòd omnes veritates naturales collectivè ſumptæ ab aliquo cognoſcantur, impediunt multa, quæ viribus naturalibus, adeoque ſine ſpeciali gratia devinci nequeunt: cujuſmodi ſunt paſſiones appetitus, corruptibilitas, & gravitas corporis, aliaque id genus, quæ intellectus meditationem diſtrahunt, & divertunt ab operibus laborioſis, ſine quibus ſcientiæ, & artes non acquiruntur, juxta illud Eccleſ. cap. 1. *Qui addit ſcientiam, addit & laborem.* (Eccleſ. 1.) Unde dicitur Sapient. cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem.* (Sapient. 9.) Ad quod etiam concurrunt brevitas vitæ, & curarum multitudo, necnon ærumnæ, & miſeriæ, quibus præſens vita repleta eſt, juxta illud Job cap. 14 *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis*, &c. (Job 14.) Quibus conſonat celebre illud dictum Hippoc. aphoriſ. 1. (Hippocrat.) *Ars longa, vita brevis, occaſio præceps, judicium difficile, experimentum periculoſum.* Quod non parum experientia confirmat; cùm nullum hactenus orbis agnoverit, quantumvis ſtudiis deditum, & ingenio pollentem, ita rerum notitia præditum, ut non multa ignoraverit, & in varios errores non inciderit, niſi fortè quem Deus ſpeciali revelatione inſtruxerit, ut de Salomone credi ſolet, & de Adamo tradit D.Thom. 1.*p.q.*94.*art.*3. Ex cujus doctrina tum *ibi*, tum *art.* 1.2. & 3. hujus quæſtionis tradita, apertè conſtat hominem conſtitutum in ſtatu juſtitiæ originalis, aut naturæ integræ poſſe cognoſcere omne verum naturale abſque ſpeciali gratia his ſtatibus ſuperaddita: in aliis verò tribus ſtatibus collocatum non poſſe omnes veritates naturales collectivè ſumptas aſſequi abſque ſpecialiſſimo Dei dono his ſtatibus adjecto, ut nuper evicimus.

7. Ex quibus liquet, quid tenendum ſit circa veritates practicas: poſſunt enim conſiderari dupliciter. *Quid dicendum de veritatibus practicis.* Uno modo in univerſali, & quaſi ſpeculativè: quo pacto de eis agit Philoſophia moralis. Alio modo in particulari, & omninò practicè: qua ratione movent efficaciter ad opus honeſtum, cùm illoque infallibiliter connectuntur. Loquendo igitur de veritatibus practicis priori modo acceptis idem judicium ferendum eſt quantum ad earum cognitionem, ac de ſpeculativis: quia ut ſic eadem ratio militat in omnibus; cùm cognitio veritatis practicæ in communi acceptæ non ſit magis difficilis, quàm notitia veritatis purè ſpeculativæ; imò magis facilis: quia ut tradit D. Thom. quæſt. 18. de Verit. art. 7. ad ultim. *connaturalior eſt homini cognitio operabilium, quàm ſpeculabilium.* Unde ſicut homo in quolibet ſtatu conſtitutus poteſt abſque ſpeciali gratia quamlibet veritatem naturalem ſpeculativam perfectè attingere, ita & practicam: & ſicut pro agnoſcendis omnibus ſpeculativis collectivè ſumptis opus habet ſpeciali gratia, ſive conſideretur in ſtatu naturæ puræ, ſive lapſæ, ſive per gratiam reparatæ, ita & pro practicis. Pro quibus tamen non indigebit prædicta gratia, ſi conſtituatur in ſtatu juſtitiæ originalis, vel naturæ integræ: quemadmodum illa non indiget pro cognitione veritatum ſpeculabilium, ut modò præmiſimus.

Veritates autem practicæ ſecundo modo acceptæ cùm ſecum afferant opus honeſtum, eandem difficultatem patiuntur, ac illud: eiſdemque proinde viribus indigent, ac rectam ſui attingentiam, quibus opus eſt ad productionem illius. Unde quid poſſit, vel non poſſit homo circa illarum notitiam, non eſt præſentis dubij, ſed ſequentis; in quo examinandum eſt, utrùm homo abſque ſpeciali gratia efficere valeat aliquod opus honeſtum: ex hujus enim deciſione difficultatem modò tactam, & prætermiſſam reſolvemus.

§. II.

Plures ſententiæ primæ aſſertioni contrariæ.

8. Contra primam aſſertionem §. præcedenti ſtabilitam multiplex eſt ſententia. Prima aſſerit intellectum non poſſe ullam veritatem cognoſcere abſque nova illuſtratione ſuperaddita lumini naturali intellectus agentis. Ita quidam Philoſophi, quos ſuppreſſo nomine referunt D. Thom. *in* 2. *diſtinct.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 5. *Varia ſententia.* & Abulenſ. *Matth.* 19. *quæſt.* 179. Secunda ſententia docet neminem poſſe abſque ſpeciali auxilio gratiæ cognoſcere aliquam veritatem de Deo vero. Ita inter hæreticos Calvinus *lib.* 1. *& 2. Inſtitut. cap.* 2. & Tilmanus Eſucius *lib. de erroribus Pontif. tractat. de libero arbitrio.* Quod etiam tenuere Rabbi Moyſes *lib.* 3. *cap.* 5. Petrus de Aliaco *in* 1. *ſentent. quæſt.* 3. & Caſalius *lib.* 1. *de quadripart. juſtit. cap.* 10. & 11. Tertia opinio eſt Vaſquez *diſput. & cap. ſupra citatis*, ubi docet hominem indigere auxilio gratuito ad quamlibet veritatem cognoſcendam, non quidem ob defectum luminis intellectualis, ſed ratione indifferentiæ, quam habet humanus intellectus ad hanc potiùs, quàm illam veritatem cognoſcendam. Quibus opinionibus addi poteſt, ut manifeſtè contrarius naturæ aſſertioni (Calvinus. Tilmanus. Rabbi Moyſes. Petrus de Aliaco. Caſalius. Vaſquez.)

error

Digitized by Google

error Lutheri, qui, ut refert Caſtro *lib. 3. de Hereſi*, Verbo *ſcientia*, aſſeruit non poſſe hominem in natura lapſa etiam divina gratia adjutum veritatem aliquam abſque errore cognoſcere. Cæterùm hujus delirij falſitas liquet primò ex ſacra Scriptura: Nam *Sapient.* 7. ait Salomon: *Dedit mihi Deus horum, quæ ſunt ſcientiam veram*, & Eccl. 18. dicitur: *Senſati intellexerunt veritatem*, Secundò ratione Theologica: nam actus prophetiæ, & fidei divinæ veri ſunt, omnem excludentes errorem, utpote qui innituntur divinæ revelationi, cui falſitas ſubeſſe nequit: conſtat autem hujuſmodi actus elici ab homine in natura lapſa. Tertiò ad hominem: nam ſi homo poſt peccatum Adami nullam veritatem poteſt aſſequi: ergo omnis doctrina Lutheri fuit erronea, & falſa; proindeque falſum aſſeruit, cùm dixit hominem in natura lapſa non poſſe aliquod verum ſine errore cognoſcere.

Sapient. 7. Eccleſ. 18.

Primum argumentum.

9. Unde hoc errore omiſſo, id, in quo reliquæ ſententiæ modò propoſitæ noſtræ aſſertioni opponuntur ſuaderi poteſt primò: quia ſicut ſe habet lux corporalis ad viſum: ita ſe habet lux intellectualis ad intellectum: ſed nihil poteſt videri corporaliter abſque novo influxu lucis corporalis: ergo nihil poteſt intelligi, niſi per influxum novi luminis ſpecialis, quod eſt ſpecialis gratia.

Prima confirmatio.

Confirmatur primò: nam quæcumque ſunt in genere aliquo, reducuntur ſicut in cauſam in unum primum, quod eſt maximum in genere illo: unde cùm primum, & maximum in genere intellectivorum ſit Deus; in ipſum debet reduci, ſicut in cauſam omnis noſtra intellectio: ſed Deus nil cauſat in nobis niſi aliquid influendo: ergo non poſſumus aliquod verum intelligere abſque infuſione novi luminis ſuperadditi connaturali virtuti intellectus agentis.

Secunda confirmatio.

Confirmatur ſecundò: nam *ad Rom.* 1. dicitur, quòd Deus revelavit Philoſophis ea, quæ naturali ratione cognoverunt: ſed revelatio divina non fit niſi per infuſionem alicujus luminis gratis dati: ergo abſque hujuſmodi lumine nulla poteſt eſſe in intellectu noſtro cognitio veritatis. Pro quo etiam facit illud dictum Ambroſ. ſupra 1. ad Corinth. 12. ſcilicet, *quod omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu ſancto eſt*. Nam qui loquitur, aut intelligit ex motione Spiritus ſancti, ea profectò efficit ſpeciali gratia adjutus, quam ipſa Spiritus ſancti aſſiſtentia importat.

Ad argum.

Huic tamen argumento, & ejus confirmationibus facilis eſt ſolutio. Reſpondetur enim argumentum convincere, quòd nihil poteſt intelligi abſque nova irradiatione intellectus agentis. Nam ſicut pro quavis viſione corporea indiget oculus luce extrinſeca: ita pro quavis intellectione elicienda indiget intellectus poſſibilis actuali illuſtratione, intellectus agentis. Quæ illuſtratio non eſt gratuita, ſed debita naturæ, neque illi opus eſt ſuperaddi aliud lumen pro cognoſcendis veritatibus naturalibus. De quo videri poteſt D. Thom. *in* 2. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 5. *ad* 4.

Ad primam confirmationem D. Thom.

Ad primam confirmationem reſpondet Angel. Doct. *loco proximè cit. ad* 5. his verbis: *Ad* 5. *dicendum, quòd ipſe Deus eſt cauſa cujuſlibet naturæ cognitionis, non tamen oportet, quod hoc fiat per influxum alicujus gratiæ, ſive luminis gratuiti, ſed per influxum naturalis luminis, quod quidem lumē ab ipſo eſt*. Unde cùm hac ratione omnis noſtra cognitio refundatur ſufficienter in Deum, ſicut in primum intelligens cōceſſa majori, & minori, negāda eſt conſeq. ut quæ non infertur ex præmiſſis.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam confirmationem reſpondet D. Thom. *loco nuper cit.* ad ſecundum, quod pro tanto dicitur Deum revelaſſe Philoſophis veritates naturales, quia ſcilicet dedit eis rationem naturalem, cujus luce prædictas veritates aſſequuti fuerunt, & quia condidit creaturas, ex quibus majeſtatem creatoris indagare potuerunt. Quam ſolutionem deſumpſit ex Gloſſ. ordin. *loco ſupra citato ad Rom.*

Ad id, quod ultimo loco additur, dicendum eſt omne verum, à quocumque dicatur, eſſe, & procedere à Spiritu ſancto, ſicut à conſervante intellectum, & ab operante in omni operatione noſtra per præmotionem phyſicam ad intelligendum. Quod dependentiæ genus non expoſcit influxum alicujus luminis gratuiti, ſuperadditique luci naturali intellectus agentis, ut ex ſe liquet.

10. Secundò arguitur: quia voluntas hominis lapſi non poteſt abſque ſpeciali gratia efficere opera honeſta valde difficilia, qualia ſunt victoria gravis tentationis, obſervatio divinæ legis per longum tempus, & alia hujuſmodi: ergo nec intellectus hominis lapſi poterit abſque ſpeciali gratia cognoſcere veritatis naturales valde difficiles, quales ſunt illæ, quæ per longum diſcurſum, pluresque conſequentias deducuntur. Antecedens ex infra dicendis conſtabit. Conſequentiā verò ſuadetur, tum à paritate: tum etiam quia ſicut voluntas fuit vulnerata per peccatum vulnere malitiæ, ratione cujus manſit infirma, & impotens ad opera difficilia virtutum exercenda: ita intellectus fuit percuſſus vulnere ignorantiæ, per quam manſit debilis ad veritatis notitiam conſequendā. *Secundum argumentum.*

Reſpondetur conceſſo antecedenti, de quo infra, negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt perſpicua: quia voluntas per peccatum multò magis læſa fuit, quàm intellectus: amiſit enim amorem ſuper omnia Dei, ut auctoris, finiſque ultimi naturalis, qui amor ſe habet ſicut primum principium in operabilibus: ex illo enim fit potens voluntas ad obſervandam divinam legem, tentationeſque vincendas. Unde hoc amore ſecluſo mirum non eſt, ſi nequeat abſque ſpeciali gratia difficilia opera virtutum exercere. Intellectus autem non fuit læſus per peccatum in lumine principiorum naturalium; ſed hujuſmodi lumen manſit integrum, & intactum: quare cùm in virtute illius contineatur ſufficiēter quælibet veritas naturalis, quantumvis difficilis, poterit intellectus ad illius notitiā abſq; ulla gratia devenire. *Reſponſio.*

Quibus adde voluntatem reddi infirmam ad opus honeſtum, & difficilè exercendum à contrarietate appetitus ſenſitivi, qui illi inteſtinum bellum indicit, & contra dictamen rationis ad ſenſibilia trahere conatur. Quæ ratio non militat in intellectu, qui à nulla potentia graviter impeditur, quominus in veritatem ſpeculativam collimet, illamque aſſequatur. Quapropter ex infirmitate voluntatis ad difficilia virtutum opera exercenda non probatur ſimilis infirmitas in intellectu ad attingendas diviſivè veritates naturales, quæ ſunt magis difficiles ob diſparitatis rationes, quas modò tradidimus.

11. Tertiò arguitur: quia ad cognoſcendam aliquam veritatem neceſſaria eſt ſpecies intelligibilis illius, vel aliquid, cum quo talis veritas per ſe cōnectatur: ſed plures ſunt veritates naturales, quarum homo nequit viribus naturæ ſpeciem habere, neque in ſe ipſis, neque in aliquo cum illis connexo, ut liquet tum in pluribus veritatibus purè poſſibilibus, quæ ad creaturas productas, vel producendas non ſpectant, neque cum illis habent connexionem, tum in veritatibus pertinentibus ad naturas *Tertium argumentum.*

Digitized by Google

naturas ſpecificas Angelorum, quarum non poſſumus habere ſpecies, quæ illas in particulari, & ut ſunt in ſe ipſis repræſentent. Homo igitur abſque ſpeciali gratia nequit omnes veritates naturales etiam diviſivè ſumptas cognoſcere.

Solutio. Ad hoc argumentum, quo convincitur Granados, ad aſſerendum non poſſe intellectum humanum quamlibet veritatem naturalem diviſivè ſumptam agnoſcere, reſpondetur eſſe extra rem, quia ut ſuperiùs obſervavimus nomini veritatis naturalis illæ dumtaxat in præſenti intelligendæ veniunt, quæ vel ſunt per ſe notæ lumine naturali, vel ex primis principiis naturalibus per legitimam conſequentiam deduci poſſunt, & ex ſenſibilibus venari, quales non ſunt veritates, de quibus propoſitum argumentum procedit: ob idque perperam cōtra noſtram concluſionem adducitur.

Quartum argumentum. Quartò arguitur: nam concluſiones Theologicæ ſunt quædam veritates naturales, ut probabilior ſententia defendit: & tamen non poſſumus illis aſſentiri abſque ſpeciali gratia: cùm ad id opus ſit lumine fidei: ergo ſine ſpeciali gratia non poſſumus omnem veritatem naturalem etiam diviſivè ſumptam comparare.

Diluitur. Reſpondetur ad cognoſcendas concluſiones Theologicas, quæ ſunt veritates naturales, opus non eſſe ſpeciali gratia, niſi tantùm præſuppoſitivè, quatenus ſcilicet neceſſaria eſt ad cognoſcendas veritates fidei, quæ ſunt principia illarum. Nam ſemel cognitis hujuſmodi principiis naturali virtute poteſt intellectus noſter concluſionibus Theologicis naturalibus, quæ ex illis inferuntur, aſſentire. Tum quia bonitas illationis, quæ ibi reperitur naturalis eſt, nec innititur lumini fidei, ſed principiis logicalibus. Tum etiam, quia cùm prædictæ concluſiones Theologicæ ſint (ut ſupponitur) quædam veritates naturales naturalique diſcurſu deducibiles; non apparet, qua ratione opus ſit ad illarum notitiam comparandam ſpeciali gratia diſtincta ab ea, quæ neceſſaria eſt ad cognoſcenda illarum principia.

Ultimum argumentum. Corinth. 2. 12. Ultimò arguitur: nam prima ad Corinth. 2. dicitur: *Quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi Spiritus Dei.* Et infra: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt, & non poteſt ea intelligere:* ſed quæ pertinent ad Deum, ſunt veritates naturales, ut ipſum eſſe unum æternum, &c. ergo non poteſt homo quamlibet veritatem naturalem abſque ſpeciali gratia cognoſcere.

Confirmatur. Quod argumentum confirmari poteſt tum ex D. Auguſt. 10. *Confeſſ. cap. 6.* & Niſeno *lib. de Beatitudine*, ubi dicunt ad cognitionem Dei neceſſariam eſſe illius miſericordiam, quam conſtat, importare ſpecialem gratiam. Tum etiam ex D. Thom. 1. *part. quæſt.* 1. *artic.* 1. & 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 4. & 1. *contra gent. cap.* 4. ubi docet ab cognoſcendas veritates naturales, quæ ad Deum ſpectant, neceſſariam eſſe ſcientiam revelatam. Cui conſonat id, quod tradit ſupra *q.* 100. *art.* 1. ubi requirit inſtructionem divinam ad cognoſcendum non eſſe dejerandum, neque idolum colendum; cùm tamen certum ſit utrumque eſſe veritatem naturalem practicam, deducibilem ex cognitione Dei ſummi boni, & finis ultimi naturalis.

Ad argumentum. Reſpondetur, Apoſtolum loqui de notitia eorum, quæ ſunt Dei, ut auctoris ſupernaturalis: ad quam notitiam aſſequendam non ſufficiunt vires naturæ; ſed neceſſe eſt, quòd homo fiat ſpiritualis, id eſt, à Spiritu ſancto erudiatur ſupernaturali lumine, vel dicendum hominem animalem eſſe illum, qui ſenſibilibus rebus inſiſtit, & à delectationibus corporeis abſorbetur, nec ad ſpiritualia mentis aciem convertit: hic enim habet impotentiam moralem ad intelligenda ea, quæ Dei ſunt, etiam ut auctoris naturalis: quia ut docet D. Thom. locis proximè citatis ad has veritates aſſequendas opus eſt ſe abſtrahere à delectationibus corporeis, & ſcientiarum ſtudio inſiſtere. Poteſt etiam exponi Apoſt. de cognitione Dei comprehenſiva, quæ ab eo dumtaxat haberi poteſt. *D. Thom.*

Ad confirmationes. Ad primam confirmationem reſpondetur SS. PP. non loqui de cognitione ſpeculativa Dei, ſed practica, & affectiva, ejuſque rationis, ut ex vi illius homo in omnibus ſequatur Deum, ita ut habeat eam puritatem cordis de qua dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* ad hoc autem genus cognitionis libenter fatemur neceſſariam eſſe ſpecialem gratiam.

Ad ſecundam confirmationem deductam ex auctoritatibus D. Thomæ conſtat ſolutio ex ipſo Angelico Magiſtro: ſolùm enim ait eſſe neceſſariam ad melius eſſe ſcientiam revelatam ad cognoſcenda ea, quæ de Deo ratione humana inveſtigari poſſunt: quia veritas de ipſo per rationem inveſtigabilis à paucis, per longum tempus, & non ſine mixtione erroris acquiritur; à qua tamen cùm hominis ſalus dependeat, neceſſarium fuit pro illa convenientiùs, certiùs & commodiùs comparanda, quod daretur nobis ſcientia revelata de prædicta veritate: nam plures ſunt adeo rudes, & ad ſtudium ſcientiarum inepti, quòd ſine luce fidei nunquam ad Dei cognitionem pertingerent. Atque hoc eodem modo exponendum eſt ultimum teſtimonium S. Doctoris: ideo enim aſſerit rationem humanam indigere inſtructione divina ad cognoſcendas duas illas veritates practicas non dejerandi, nec colendi idolum, quia reſpectu multitudinis hominum pauci ſunt, qui illas per rationis diſcurſum aſſequuntur, cùm ut nuper diximus, non omnes verum Deum proprio ſtudio agnoſcant. Unde cùm conveniens ſit præcepta communia, & præcipua, à quibus ſalus animæ maximè dependet, omnibus innoteſcere; idcirco neceſſarium fuit, quòd per revelationem ſpecialem inſtruerentur de prædictis veritatibus, ſeu præceptis; quamvis ad illa agnoſcenda ſufficeret abſolutè loquendo vis rationis humanæ, ut conſtat ſufficientem fuiſſe de facto in pluribus gentilibus, qui naturali luce inſtructi cognoverunt dari unum Deum verum, nec plures eſſe colendos.

§. III.

Alia opinio contraria ſecundæ aſſertioni.

Caiet. Valentia. Primum argumentum. 13. Contra noſtram ſecundam aſſertionem ſentire videntur Durandus *in 2. diſt.* 18. *quæſt.* 1. Caiet. *in hoc art.* & 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 4. & 1. *part. quæſt.* 1 *art.* 1. & Valentia *ibi punct.* 2. Quorum ſententia poteſt ſuaderi primò, quia intellectus ſpeculativus non fuit percuſſus per peccatum originale vulnere ignorantiæ: ergo poteſt abſque ſpeciali gratia omne verum naturale ſine errore attingere. *An* (inquit Caiet.) *eſt D. Thom. ſuper q.* 85. *art.* 3. ubi *conſtituit vulnus ignorantiæ in intellectu, quatenus eſt ſubjectum prudentiæ, qui intellectus non eſt ſpeculativus, ſed practicus, ut ex ſe liquet.* Conſequentia verò probatur: quia cùm omnes veritates naturales ſpeculativæ contineantur in lumine principiorum naturalium ſpeculabilium, non eſt, cur intellectus nequeat illas etiam

etiam collectivè ſumptas attingere, ſi ſemel caret vulnere ignorantiæ, quo in hac operatione impediatur.

Reſpondetur primò negando antecedens: cujus probatio falſo nititur fundamento, quia D. Thom. *loco in argumento cit.* non negat intellectum ſpeculativum fuiſſe percuſſum per peccatum originale, vulnere ignorantiæ; ſed id potiùs apertè inſinuat *in fine art.* dum inquit: *Intellectum per peccatum præcipuè hebetari, in agendis*; nam illa particula præcipuè clarè denotat hebetari etiam aliquo modo in ordine ad verum ſpeculativum. Quod minimè negari poteſt, cùm ex vi peccati originalis contraxerit privationem plurium ſcientiarum, quarum notitiam haberet in ſtatu innocentiæ. Mens igitur Angelici Doctoris ſolùm eſt intellectum practicum fuiſſe magis percuſſum vulnere ignorantiæ, quàm ſpeculativum; quamvis & is illud contraxerit: ſicut etiam docet appetitum fuiſsè magis vulneratum per peccatum originale, quàm intellectum.

Secundò reſpondetur omiſſo antecedenti negando conſequentiam, quam non evincit probatio. Quia licèt intellectus ponatur liber à vulnere ignorantiæ, uti ſe haberet in ſtatu naturæ puræ; non poteſt omnes veritates naturales collectivè ſumptas adipiſci, cùm propter intrinſecam ejus defectibilitatem, tum propter extrinſeca impedimenta brevitatis vitæ, fatigationis ſenſuum, perturbationis paſſionum, & alia ſuprà enumerata, quæ reddunt nobis impoſſibilem notitiam omnium veritatum naturalium.

14. Sed contra arguitur ſecundò: nam quæcumque res creata poteſt ſuis viribus exire in actum proportionatum formæ, per quam conſtituitur in actu primo ad agendum: ſed cognitio omnium veritatum naturalium etiam collectivè ſumptarum eſt actus proportionatus lumini primorum principiorum, quod eſt forma, per quam intellectus poſſibilis conſtituitur in actu primo ad intelligendum: ergo poteſt prædictus intellectus ſuis viribus relictus, adeoque ſine ſpeciali gratia omnes veritates naturales collectivè ſumptas agnoſcere. Utraque præmiſſa eſt evidens: conſequentia verò legitima; ergo, &c.

2. Argumentum.

Reſponſio.

Huic argumento reſponderi poteſt in hac forma: *Quælibet res creata poteſt ſuis viribus exire in actum proportionatum formæ, per quam conſtituitur in actu primo*, diſtinguo majorem, proportionatum tam *moraliter*, quàm *phyſicè proximè* concedo majorem, proportionatum ſolum *phyſicè radicaliter*, nego majorem: ſed cognitio omnium veritatum naturalium eſt actus proportionatus lumini primorum principiorum, ſive noſtri intellectus, diſtinguo minorem, *moraliter* nego minorem; *phyſicè* ſubdiſtinguo minorem, *remotè* concedo minorem, *proximè* nego minorem, & nego conſequentiam, quæ non infertur ex præmiſſis.

Explicatur ſolutio: noſter intellectus duplici impotentia præpeditur, quominus attingat omne verum naturale collectivè. Prima eſt *moralis*, quæ provenit ab impedimentis extrinſecis, qualia ſunt brevitas vitæ, perturbatio paſſionum, diſtractio ad temporalia, aliaque id genus, de quibus ſuprà mentionem fecimus. Unde hæc impotentia abeſſet in ſtatu juſtitiæ originalis; adeſſet verò magna ex parte in ſtatu naturæ integræ; in quo proinde non haberet intellectus humanus potentiam moralem ad omne verum naturale collectivè attingendum. Secunda impotentia eſt *phyſica proxima*, convenitque intellectui noſtro in aliis tribus ſtatibus conſtituto. Q[...]
illis habeat rectam æſtimationem de p[...]
univerſalibus principiis per ſe notis; in[...]
ſicut in ſemine; & radice continentur[...]
veritates naturales; non tamen habet, au[...]
ge ordinaria habere poteſt omnia princip[...]
xima, ex quibus illæ immediatè deducunt[...]
autem deficit recta cognitio alicujus prin[...]
ex quo concluſio immediatè deducitur, non[...]
bet potentiam proximam completam ad i[...]
aſſequendam: quia ſicut per amorem finis c[...]
ſtituitur voluntas in potentia proxima ad elect[...]
nem mediorum: ita per veram cognitionem pr[...]
cipiorum, ex quibus infertur immediatè concl[...]
ſio, conſtituitur intellectus potens proximè illiu[...]
notitiam adipiſci.

Dices fortè: ut intellectus deficiat in notitia alicujus concluſionis, ſufficit quòd peccet in illatione: ergo non requiritur, quod careat aliquo ex principiis proximis, ex quibus illa immediatè deducitur.

Reſpondetur concedendo enthymema, quod z[...] noſtræ doctrinæ non officit. Quoniam intellectus noſter ſpeculativus nequit peccare in illatione conſequentiæ, niſi ob defectum alicujus principij logici, ſine quo principio, utpote habente rationem cauſæ univerſalis, in acquiſitione ſcientiarum, nemo poteſt omnes veritates naturales adipiſci, nec ullam ſcientiam perfectè comparare, ut in Dialectica oſtenditur.

15. Tertiò arguitur ſpecialiter contra noſtram rationem: nam ex eo quòd intellectus noſter ſit defectibilis circa verum naturale; non ſequitur, quòd habeat impotentiam phyſicam ad omne illud collectivè attingendum; ſed ſolùm quòd in actu ſecundo infallibiliter deficiat: ergo non rectè ex ejus defectibilitate prædictam impotentiam intulimus. Probatur antecedens: quia per hoc præcisè, quod aliqua cauſa ſit defectibilis, ſolùm petit, quòd in aliquo actu ſecundo deficiat; & eo ipſo quòd in illo infallibiliter deficiat, ſufficienter oſtenditur ejus defectibilitas, quantumvis habeat potentiam expeditam [...] actum contrarium, ſicut ſufficienter [...] defectibilitas voluntatis in eo quòd [...] in peccatum, quamvis habeat potentiam [...] poſſit peccata vitare: ergo eodem modo [...] phandum eſt in noſtro caſu. Eo vel [...] quia ſtat optimè hominem habere po[...] phyſicam ad aliquem actum; & tamen per[...] defectibilitatem nunquam ad eum [...] ut inſtari poſſet mille exemplis, quæ [...] lectori occurrent, brevitatis gratia pr[...]timus.

Reſpondetur negando antecedens, qu[...] evincunt illius probationes; quia licèt [...] liter loquendo, defectibilitas cauſæ ſu[...] oſtendatur ex actu defectuoſo, nec pl[...] quàm in exercitio deficere: poſſitque [...] habere potentiam proximam ad aliquem [...] & tamen ad illum nunquam pertingere [...] tellectu verò ſpeculativo non poteſt e[...] ſeu defectus in actu ſecundo, niſi ob [...] alicujus principij proximi, vel remoti [...] ris, vel generalis, quo deficiente, defi[...] per dicebamus potentia phyſica proxima [...] parandam notitiam concluſionis circa qu[...] contingit. Et ratio eſt perſpicua: quia [...] intellectus rectificatus ſit circa omnia [...] concluſionis, non poteſt in illius cogniti[...] cere: quia omnino neceſſariò illi aſſen[...] modò ex philoſophia ſupponimus. Qu[...]

aliqua concluſione errat; ideo eſt, quia caret legitima intelligentia alicujus principij ex iis, à quibus prædicta concluſio dependet.

Ult. argumentum. 16. Ultimò arguitur: nam appetitus naturalis innatus nequit terminari ad impoſſibile per naturam, ut omnes admittunt: ſed homo naturali appetitu innato propendit in totam collectionem veritatum naturalium juxta illud Philoſophi: Ariſtot. *Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat:* quod de omnibus veritatibus intelligendum eſt: igitur cognitio totius prædictæ collectionis poſſibilis eſt ex viribus naturæ.

Solutio. Reſpondetur negando majorem, ſi per naturam intelligatur natura creata cum perfectionibus, & auxiliis ſibi connaturaliter debitis, quo pacto illam in præſenti accipimus. Nam licèt appetitus naturalis non feratur in id, pro quo aſſequendo opus ſit gratia ſupernaturali; ſæpè tamen fertur in rem, quam non poſſumus comparare abſque beneficio gratuito auctoris naturæ: homo quippè naturaliter appetit ſemper, aut ſaltem longiſſimo tempore vivere: quod tamen aſſequi non poteſt viribus naturæ debitis; quamvis id valeat per gratiam ordinis naturæ, ut contingeret in ſtatu integritatis illius, & ſic de aliis, quæ paſſim offendes.

DUBIUM SECUNDUM.

Vtrùm homo in natura lapſa poſſit abſque gratia efficere aliquod opus moraliter bonum.

SUb hoc dubio comprehendemus alia, quæ à nonnullis expoſitoribus ſeorſum tractantur. Cujuſmodi eſt illud, an homo ſine gratia poſſit diviſivè vincere aliquas tentationes ſaltem leves? (pro gravioribus enim ſpeciale dubium inſtituendum eſt.) Et rurſus an in ſtatu naturæ puræ eodem modo, atque in præſenti ſtatu ſit de prædictis philoſophandum? Cùm enim hæc dubia nihil penè difficultatis addant ſupra præſentis deciſionem, ſitque in omnibus eadem ratio decidendi; ſuperfluè pro ſingulis titulos multiplicaremus. Et ideò conſulentes brevitati, quod in eis tenendum ſit, ex aſſerto principali per modum corollarij inferemus. Oportet autem pro omnibus aliqua prælibare, quibus certa ab incertis ſeparentur, liquidumque reddatur, in quo difficultas conſiſtat, ſeu de quo opere, & de qua gratia procedat: atque ita confuſio, quam prolixa quædam commentaria hac in re ſupra materiæ merita pepererunt, quoad fieri poſſit, à noſtra diſputatione arceatur.

§. I.

Obſervanda pro dubij reſolutione.

Nota 1. 17. PRimò ergo ut certum ſupponimus, opus bonum morale, de quo procedit dubium, illud intelligi, quod habet objectum bonum, ſeu conſonum rationis, nullaque aliunde circunſtantia prava vitiatum: Opus enim ex aliquo capite vitioſum eo ipſo eſt ſimpliciter malum, quia malum ex quocumque defectu: imo ex nullo alio capite habebit bonitatem, quia bonitas, & malitia morales etiam ex diverſis capitibus nequeunt in eodem actu conjungi, ut fusè oſtendimus *in tract. de bonit. & malitia diſp. 6.* Et quamvis conjungerentur, actus ille non eſſet abſolutè bonus; ſed ſimpliciter malus, bonus autem ſecundùm quid: opus autem ſimpliciter malum, ſive nullo modo, ſive ſecundùm quid habeat bonitatem, nemo dubitat poſſe fieri abſque gratia. Et ideo ſolùm procedit difficultas de actu ſimpliciter bono, & qui ex nullo capite vitietur.

18. Secundò nota, quod præter hæreticorum errores relatos diſputatione præcedenti quibus neceſſitas divinæ gratiæ ad aſſequendam beatitudinem, & ejus ſufficientia ad rectè agendum impetitur; inveniuntur alij, quibus naturæ humanæ vires plus æquo deprimuntur: in quo non ſolùm hæretici, ſed & viri aliàs catholici hallucinati ſunt. Dixerunt enim aliqui non modò auxilium gratiæ, aut fidem, ſed & ipſam gratiam juſtificantem, & charitatem ejus comitem neceſſariam eſſe ad quodcumque bonum opus agendum: & ideo peccatores, etiam fide præditos, quibus deeſt prædicta gratia, & charitas, nullum tale opus exercere; ſed in omnibus peccare. Quem errorem tenuiſſe Joannem Hus refert Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 15. & illum etiam tenuit Michaël Bajus in multis ſuarum propoſitionum, quas Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla ſuper hoc edita condemnarunt: præſertim verò propoſit. 35. ſic ait: *Omne, quod agit peccator, aut ſervus peccati, peccatum eſt.* Et *propoſit.* 38. omnem actum, ſeu amorem creaturæ rationalis dicit eſſe vel vitioſam cupiditatem, quæ à Joanne prohibetur, vel laudabilem charitatem, qua per Spiritum ſanctum in cordibus diffuſa Deus amatur, &c. Cumque hic poſterior amor locum non habeat in peccatoribus, planè ſequitur, apud iſtum Auctorem omnes illorum actus eſſe vitioſas cupiditates, ac proinde peccata. Quod etiam inſinuat *propoſit.* 50. *&* 51. *&* 74. *&* 75. In eodem quoque errore fuiſſe Ambroſium Catharinum *ſuper* 3. *cap. Geneſ.* ad illa verba *Adam ubi es?* Et quendam Babardinum relatum à Dionyſio Ciſtertienſi, teſtatur Suar. *lib.* 1. *de grat. cap.* 4.

Nota 2.

Doctrina Baij.

Ambroſ. Catharinus. Babardinus.

19. Sed prædictam doctrinam ut manifeſtè erroneam rejiciunt communiter catholici. Et meritò: nam ut rectè vidit Divus Joannes Chryſoſt. hom. 67. ad popul. *Nec malus poteſt omnino malus eſſe, ſed evenit, ut aliquid habeat boni, nec bonus eſſe omninò; ſed & nonnulla ſolet habere peccata.* Et hom. de fide, & lege naturæ: *Offendes* (inquit) *multos, qui quamvis ſermonem veritatis non acceperint, & foris ſint; operibus tamen pietatis (ut apparet) ſunt conſpicui: invenies viros miſericordes, compatientes, juſtitiæ vacantes; ſed nullos facientes fructus operum, quia neſciunt opus veritatis: nam & hæc ſunt opera bona, ſed neceſſarium eſt, ut præcedat opus ſummum.* Opus ſummum appellat opus fidei vivæ, & formatæ per charitatem, ſine qua nullus actus quantumvis ex ſe, & ex circunſtantiis honeſtus, habet eſſe fructuoſus ad vitam æternam comparandam. Quocirca Concilium Trid. ad condemnandum prædictum errorem *ſeſſ.* 6. *can.* 7. ſic ait: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, &c. anathema ſit.* Dantur ergo in homine nondum juſtificato, adeoque ſanctificantem gratiam non habente, aliqua opera, quæ non ſunt peccata, ac proinde quæ ſint moraliter bona. Non enim intelligi poteſt Concilium de operibus indifferentibus, quæ neque ſint bona, neque mala. Tum quia hujuſmodi opera in individuo non reperiuntur. Tum etiam quia eo loci

Refellitur.

D. Ioan. Chryſoſt.

Conc. Trid.

Digitized by Google

Accedit prædicta Bulla Pij V. & Gregorij XIII. in qua damnantur omnes illæ Baij propoſitiones, debetque utriuſque Pontificis cenſura in eodem ſenſu accipi, in quo Tridentinum *cit. can.17.* prædictam doctrinam condemnat. Accedit etiam quod plura SS. Patrum teſtimonia, quæ contra errorem alium ſtatim referendum adducemus, à fortiori falſitatem hujus convincunt. Fundamenta verò, quæ ejus auctores ex aliquibus ſacræ Scripturæ, aut Patrum teſtimoniis deſumunt, diluentur infrà à num.55.

Aliorum ſententia.

20. Alij errorem iſtum non nihil declinantes, concedunt poſſe fieri opera moraliter bona ſine gratia juſtificante, ſecus verò ſine fide. Et ideo licet in peccatoribus Chriſtianis admittant prædicta opera; non tamen in infidelibus, præſertim verò in idolatris, qui unum verum Deum non agnoſcunt. Quem modum ſentiendi à fortiori tuentur, qui præcedenti errori ſubſcribunt, præſertim Michael Bajus (*Bajus.*) expreſſe illum tradit *propoſit.* 26. ubi ait: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.* Favetque ex parte Gregorius de Arimino (*Gregor. de Arimino.*) *in 2. diſt.* 29. *qu.* 1. *art.* 2. nimirum quoad infideles idolatras, qui unum verum Deum non cognoſcunt. Cujus doctrinæ fundamenta adducemus, & ſolvemus poſtea num.67.

Impugnatur.

Modò verò ad excludendam illam ſufficiat in primis unanimis ferè cæterorum Theologorum conſenſus, qui eam expreſſè rejiciunt ſequuti D. Thomam (*D. Thom.*) 2.2. quæſt.10. art.4. ubi prædictam doctrinam ex profeſſo impugnat: & concludit: *Sicut habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, ita infidelis poteſt aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis*, &c. De quo videndus eſt etiam *in 2. diſt. 7. quæſt.* 1. *art.2. & diſt.41. quæſt.* 1. *art.*2. Accedit, quod Pius V. & Gregorius XIII. in prædicta bulla damnant cum reliquis illam Baij propoſitionem ſaltem ut temerariam, vel erroneam, adeoque omnem ei probabilitatem auferunt.

Inſtatur aliquorum motivum.

21. Solet etiam prædicta doctrina impugnari aliquibus locis ſacræ Scripturæ, ubi peccatoribus etiam infidelibus conſulitur, ut benè operentur, nonnullaque eorum opera ut honeſta laudantur. Sanctus Dan. cap. 5. (*Daniel. 5.*) dicit Nabuchodonoſori: *Peccata tua eleemoſynis redime.* Et *Exod. cap.*1. (*Exodi 1.*) commendatur factum Ægyptiarum mulierum, quæ ex Dei timore pueros Hæbreorum à morte liberabant. Et *Act. cap.* 10. (*Actor. 10.*) Laudantur opera Cornelij Centurionis, quem multi dicunt nondum fuiſſe ad fidem converſum.

Sed nec Nabuchodonoſori, nec Ægyptiorum obſtetricibus certum eſt defuiſſe fidem: multoque minùs poteſt id de Cornelio affirmari. Nam D. Auguſtinus (*D. August.*) libro de Prædeſtinat. Sanctorum capite 7. oppoſitum affirmat, dicens de illo: *Nec ſine aliqua fide donabat, & orabat: nam quomodo invocabat, in quem non crediderat?* Et ideo D. Thom. (*D. Thom.*) cit. loco ex 2. 2. extrahit prædictum Cornelium ab infidelium numero his verbis: *De Cornelio tamen ſciendum eſt, quòd infidelis non erat: alioquin ejus operatio accepta non fuiſſet Deo, cui ſine fide nullus poteſt placere. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifeſtata Evangelij veritate; unde ut cum in*

Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus intelligatur gentibus ad fidem Chriſti jam converſis, quæ e[…] non habuiſſent legem per Moyſem ſcriptam; [h]abebant tamen jam notitiam legis gratiæ: ab al[…] tamen exponitur de gentilibus in ſua infidelit[ate] permanentibus, quorum bona opera ſola le[ge] naturali, & dictamine rectæ rationis facta ob[ji]cit Apoſtolus Judæis ad exprobanda peccata e[o]rum, qui habentes legem Moyſis, non ita […] quæ legis naturalis ſunt, cuſtodiebant. Et ita i[n]telligunt prædictum locum Origenes *lib.* 2. [in] *Epiſt. ad Rom.* Tertullianus *lib. de Coron. mil[it.]* *cap.*6. Chryſoſtomus *hom.* 5. *ſuper Epiſt. ad Ro[m.]* Auctor Commentariorum, quæ tribuuntur Am[…]broſio ſuper eundem locum. Hieronymus ad 2[…] Iſai. & ſuper cap. 22. Matth. exponens illa verb[a] *Ite ad exitus viarum*, &c. & alij, quos addu[cit] Suarez, *lib.* 1. *de gratia cap.*8. Qua expoſitio[ne] ſuppoſita, neceſſariò admitti debent in infide[li]bus aliqua opera bona moraliter, quibus aliq[ua] naturalis legis præcepta adimplebant. Nec pote[ſt] dici, quòd illa opera licèt haberent bonum ob[]jectum non eſſent ex omni parte bona, ſed viti[a]ta ex inordinato fine, vel ex aliqua prava circu[m]ſtantia. Nam hujuſmodi evaſionem excludit Apo[]ſtolus verbis ſequentibus dicens: *Ejuſmodi l[e]gem* (Moſaïcam ſcilicet) *non habentes, ipſi ſi[bi] ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum [in] cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis con[]ſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitation[i]bus accuſantibus, aut etiam defendentibus i[n] die, cum judicabit Deus occulta hominum*, &c. Ubi, ut vides, concedit Apoſtolus iis, de quib[us] loquitur, opera, quæ in die judicij accuſentur, & etiam opera, quæ excuſentur ex teſtimonio pro[]priæ conſcientiæ, & propriæ cogitationis: ſi au[]tem omnia illorum opera ex aliqua ſaltem cir[]cunſtantia eſſent peccata, & nulla ex omni part[e] bona; proculdubio in illa die omnia accuſaren[]tur, nulla verò excuſarentur.

23. A qua intelligentia alienus non ſit D. Auguſtinus, cui potiſſimum tribui ſolet prior interpretatio: nam lib. 4. contra Julianum cap. 3. loquens de illis, qui legem non habentes, ea faciunt, quæ legis ſunt, ſic ait: *Si fidem non habent Chriſti, profectò nec juſti ſunt, nec Deo placent; ſed ad hoc eos in die judicij cogitationes ſua defendent, ut tolerabilius puniantur: quia naturaliter quæ legis ſunt, utcumque fecerunt, ſcriptum habentes in cordibus opus legis, hactenus ut aliis non facerent, quod perpeti nollent.* Quod verò ſtatim addit: *In hoc tamen peccantes, quod homines ſine fide non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt*, &c. non arguit prædicta opera omnia fuiſſe peccaminoſa defectus illius relationis: quia obligatio referendi illa ad Deum, ut cognitum per fidem non urget pro ſingulis actibus in ſe ipſis; ſed ſolùm pro relatione omnium in ſua cauſa, quæ eſt actus charitatis, quando talis actus cadit ſub præcepto, ſcilicet initio uſus rationis. Unde licèt tunc infideles omnes peccaverint non referendo ſe ipſos, & omnes ſuos actus ad Deum finem ultimum; tranſacto tamen illo tempore, non peccant in non referendo: quia ut dicebamus, prædicta obligatio non eſt ad referendum tales actus, cùm ipſi exercentur; ſed cùm exercenda erat cauſa, ſcili-

cet

cet actus charitatis, in quo manent relati virtualiter, ſeu cauſaliter, antequam exiſtant, ut *in tract. de merit. diſp.*4. latiùs dicetur. Suffragatur etiam doctrinæ traditæ D. Hieronymus ſuper ad Galat. 1. ubi ait: *Multi abſque fide, & Evangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua vel ſanctè, ut parentibus obſequantur, ut inopi manum porrigant*, &c. Et cap. 5. *Quomodo fides ſine operibus mortua eſt; ſic abſque fide, quamvis bona opera ſint, mortua computantur, &c.* Eodemque modo loquuntur multi alij Patres ex iis, quos retulimus. Manet ergo exploratum, quòd præſens difficultas non procedit de gratia juſtificante, neque etiam de fide, aut de aliquo habitu ſupernaturali, qui gratiam, vel fidem comitetur; ſed ſolùm de aliquo auxilio, quod licèt appelletur gratia, quia gratis conceditur, aut quia ad fidem, vel juſtificantem gratiam fortaſsè diſponit; poteſt tamen ſine prædicta gratia, & fide reperiri: ſive tale auxilium ſit aliqua Dei motio per modum applicationis ad agendum, ſive aliqua ſpecialis illuminatio, aut congrua cogitatio, prout in ſequentibus magis examinabitur.

D. Hieron.

Nota 3.

24. Sed quia adhuc circa nomen gratiæ oriri poſſet æquivocatio, & quæſtio ad voces reduci: ut utrumque vitemus, notandum eſt tertiò, id quod *diſputatione præcedenti num.* 4. obſervavimus, videlicet gratiam ſumi aliquando pro ipſamet natura, & ejus potentiis, quatenus gratis à Deo producuntur: & etiam pro aliis perfectionibus, auxiliis, & concurſibus, quæ ex ejuſdem naturæ principiis, attenta communi providentia, poſtulantur. Et gratiam in hac acceptione libenter fatebatur Pelagius: quem tamen SS. Patres, & Concilia acriter impugnabant; non quaſi prædicta dona aliquali etiam non improbanda ratione nequeant gratia appellari: ſed quia non admittebat præſtantiorem aliam gratiam ſuperexcedentem vires, & exigentiam naturæ: neque proinde gratiam à natura omninò diſtinguebat. Ad præſens verò perſpicuum eſt gratiam non ſumi in ea acceptione, ſed in alia ſtrictiori, quam loco citato tradidimus. Dum enim potiſſimè examinare intendimus vires humanæ naturæ, & quid aut quantum ex ſe ipſa poſſit, pro quibuſve operibus aliena ope & gratia indigeat, id dumtaxat gratiæ nomine accipiendum eſt, quod ſuperat debitum, & exigentiam talis naturæ: ineptè enim ad prædictum intentum vocaretur gratia illud, quod ipſa natura poſtulat, ſibique ex ſuis naturalibus principiis debetur; quamvis aliàs habeat rationem beneficij: quia eſſet confundere gratiam cum natura, & vires utriuſque non diſcernere.

Nota 4.

25. Porrò naturæ humanæ dupliciter poteſt aliquid deberi: vel ut habendum in omnibus ſuis individuis, & pro omni tempore, ſicut naturales potentiæ, & proprietates: vel ut habendum ſolùm ab aliquibus, aut ſolùm aliquando, ſicut bonitas ingenij, notitia multarum rerum, ſexus maſculinus, diuturnitas vitæ, & ſimilia naturæ bona, quæ licèt poſtulentur à prædicta natura, non tamen pro omnibus ſuis ſuppoſitis, aut pro omni tempore, ſed ſolùm pro aliquibus, aut pro aliquo tempore; cùm tamen pro aliquibus, aut pro alio tempore oppoſita poſtulentur. Quovis autem ex prædictis modis aliquid naturæ humanæ debeatur, excluditur à ratione gratiæ: quia hæc non tantùm debet eſſe ſupra exigentiam, & debitum hujus vel illius individui, ſed ſupra exigentiam, & debitum ſpeciei, vel naturæ: & ob hanc rationem neque differentia ſexus, neque bonitas ingenij, & alia, quæ in exemplum modò adduximus, à catholicis propriè, & ſtrictè *gratia* dicuntur: quia licèt debita non ſint huic determinato individuo, & propterea reſpectu talis individui beneficia nuncupentur; debitum eſt tamen naturæ humanæ ex ſua ſpecifica ratione, quòd talia bona, & beneficia ſibi in aliquibus ex ſuis ſuppoſitis conferantur: & hoc ſatis eſt ad tollendam rationem gratiæ propriè dictæ, de cujus conceptu eſſe debet exceſſus, & eminentia ſupra ipſam rationem.

Cæterùm ſuppoſita hujuſmodi eminentia & exceſſu in eo, quod dicitur *gratia*, non erit cur ad præſens ſolicitemur inquirendo, an ſit aliquid ſimpliciter ſupernaturale; vel potiùs contentum intra ordinem naturæ: quia certum eſt contineri in hoc ordine multa dona, quæ debitum, & exigentiam humanæ naturæ ſuperexcedunt; uti eſſent omnia illa, per quæ conſtitueretur ſtatus naturæ integræ integritate naturalis ordinis, & multa eorum, quæ originalis juſtitia ferebat. Quibuſcumque autem hujuſmodi donis homo indigeat ad aliquod opus exercendum; perſpicuum erit non habere neque ex debitis ſuæ naturæ ſufficientes vires ad tale opus, adeoque indigere aliquo auxilio, quod *gratia* propè nuncupetur, & contra ea, quæ debentur naturæ, diſtinguatur. An verò omnia auxilia, quæ Deus confert hominibus de facto ad opera, pro quibus eorum vires non ſufficiunt, ſint auxilia ordinis ſupernaturalis, ac proinde ſupra debitum non ſolùm naturæ humanæ, ſed & cujuſcumque alterius creatæ naturæ, alia quæſtio eſt infrà examinanda.

26. Ulteriùs obſerva, Gabrielem Vaſquez in præſenti, dum agit iſtam controverſiam, crebrò recurrere ad gratiam, quæ eſt per Chriſtum, ſeu quæ ex ejus meritis confertur, diſtinguens inter eam, & aliam gratiam, ſi quæ datur ex ſola Dei miſericordia, & ſine reſpectu ad prædicta merita, reducitque magna ex parte præſentem difficultatem ad prædictam diſtinctionem, an ſcilicet quoties homo bene moraliter operaturus eſt, aut tentationem aliquam victurus, opus habeat aliquo auxilio, vel aliqua cogitatione congrua, quæ ex prædictis meritis conferantur, quaſi quidquid à Deo propter illa confertur, ſubeat eo ipſo nomen, & rationem gratiæ propriè dictæ. Addit etiam non ſemel, totum id intelligendum eſſe ſub nomine gratiæ, quod Deus hominibus tribuit, vel præparat extra providentiam, & beneficium creationis: quia quod hujuſmodi providentiam egreditur, ſpectet neceſſe eſt ad providentiam gratiæ, quæ ſupponit naturam creatam, & ſuperaddit omnia illa, quæ ex ipſa creatione non debentur.

Nota 5.

Doctrina Vaſquez.

Sed primum dictum hujus Auctoris nequit certam regulam in hac materia conſtituere: quia inſufficienter exponitur ad præſens ratio gratiæ per ſolum reſpectum ad Chriſti merita. Talis reſpectus non variat rerum eſſentias, neque facit eſſe gratiam, aut indebitum naturæ id, quod aliàs gratia, & indebitum non eſſet: ut conſtat in multis, quæ prædeſtinatis conferuntur, ſicut eſt eorum ſubſtantia tam animæ, quàm corporis, & utriuſque naturales potentiæ: quæ cùm ſint effectus ipſius prædeſtinationis (ut in ſuo tract. diximus) conſequenter ſunt effectus meritorum Chriſti, quibus eſt omnium hominum electorum prædeſtinatio; & non idcirco rationem gratiæ propriè dictæ ſortiuntur. Neque etiam deficit

Inſufficiens, & incerta.

Digitized by Google

deficit vera ratio gratiæ ex eo ſolùm quod deficiat prædictus reſpectus : ut patet in gratia, & virtutibus ſupernaturalibus Angelorum, quæ juxta veriorem ſententiam non fuerunt collatæ ex meritis Chriſti, & nihilominus veriſſimè, & propriiſſimè habent rationem gratiæ. Non ergo hac via, ſed illa, quam diximus, exponenda eſt gratia ad præſens : attendendo nimirum an donum, quod ita appellatur verè ſit ſupra exigentiam, & ſupra debitum humanæ naturæ.

Secundum dictum ut verum habeat, debet ita intelligi, ut ſub beneficio, & dono creationis ea ſolùm comprehendantur, quæ in ipſa creatione hominibus conferuntur ; ſed etiam reliquæ omnes perfectiones, providentia, & concurſus, quæ ſervato regiminis modo, quam humana natura poſtulat, ex ejus creatione, & conſervatione quaſi naturali jure inferuntur. Cùm enim hæc omnia habeant ſe ut corollarium ipſius creationis, non eſt cur ſub eodem beneficio, & providentia non comprehendantur, aut cur conſtituant novum, & ſpeciale beneficium, quod ad ſpecialem, & nobiliorem providentiam, qualis eſt providentia gratiæ, pertineat.

§. II.

Vera ſententia teſtimoniis ſacræ Scripturæ, & Patrum communitur.

Concluſio. 27. DIcendum eſt non eſſe homini etiam lapſo neceſſariam gratiam ad exercenda aliqua opera moraliter bona ; ſed ſufficere naturales vires humanæ naturæ cum generali Dei concurſu ſibi debito ex communi providentia. Hæc concluſio recipitur ab omnibus Thomiſtis, & eſt communis inter Theologos. Tuentur enim illam Magiſter *in 2. diſt. 26. cap. ultimo.* Bonaventura, *diſt. 28. art. 1. quæſtione 2. & 3.* Scotus *eadem diſt. quæſt. ultima.* Durandus, *quæſt. 2. & 5.* Richardus, *art. 1. quæſt. 1.* Gabriel, *quæſt. 1. art. 1. concluſione 1. & in Canone Miſſæ lectione 78. dub. 4.* Petrus Aliacenſis, *in 1. qu. 9.* Driedo *libro 1. de libero arbitrio, tractatu 1. cap. 2. parte 2.* Almaynus, *tractatu 1. moralium cap. 16.* Vincentius Giaſcharus, *opuſc. de libero arbitrio, & gratia.* Andreas de Vega *opuſc. de juſtificat. quæſt. 12.* Cajetanus, Conradus, & Medina, *in præſenti art. 2.* Ubi etiam Curiel, *dub. 1. concluſione 1. & 2.* Zumel *diſp. 6. concluſ. 3.* Monteſinos, *diſp. 27. quæſt. 4. §. 3.* Lorca, *diſp. 3. memb. 3.* Gregorius Martinez, *dub. 2. concluſ. 2.* Arauxo, *art. 4. dub. 2.* Joannes à ſancto Thoma, *diſp. 19. art. 3.* Godoi, *diſp. 41.* Gonet, *diſp. 1. articulo 2.* Labat, *diſp. 1. dub. 3.* Sotus, *de natura, & gratia cap. 10. & 21.* dicens contrarium ſibi abſurdiſſimum videri. Bellarminus, *de gratia, & libero arbitrio lib. 5. cap. 9.* Suarez, *lib. 1. de gratia* pluribus capitulis. Valentia, *to. 2. diſp. 8. puncto 2. & 3.* Granados, *controverſia 8. tr. 1 diſp. 1. ſect. 1.* plureſque alij. Et quia validiora tela, quibus Doctores contrariæ ſententiæ hanc communem debellare nituntur, ſunt teſtimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ ad prædictum finem prolixo labore conglomerant ; nobis etiam operæ pretium eſt eiſdem ex locis fundamenta pro aſſertione accipere, & teſtimonia teſtimoniis opponere, ut utriſque perſpectis, liquidò appareat, cui potius parti ſuffragentur.

Magiſter. Bonavent. Scotus. Durandus. Richardus. Gabriel. Aliacenſis. Driedo. Almaynus. Vincent. Giaſcharus. Vega. Cajet. Conradus. Medina. Curiel. Zumel. Monteſinos. Lorca. Greg. Martinez. Arauxo. Joan. à S. Th. Godoy. Gonet. Labat. Suarez. Valentia.

Primum fundamentum. Ad Rom. 2. 28. Ex ſcriptura ergo adduci ſolet illud Pauli, cujus nuper meminimus, ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, &c.* Nam adverbium i[...] *raliter*, idem ſignificat, atque ex [...] ſeu per naturale lumen, & naturales vi[...] unuſquiſque habet ex ſua natura, atque [...] ope, vel indigentia alicujus, quod natur[...] cum non ſit. Et quia hoc teſtimonium, [...] laque alia ex ſcriptura, accepta, latè ad [...] pendit Suarez, *citato libro 1. cap. 8.* id nos ſuperſedemus.

29. Probatur deinde ex Divo Auguſt[...] quem Auctores Contrarij potentiſſimum ſib[...] tronum arbitrantur. Etenim *libro de Spiritu* [...] *littera cap. 27.* ubi exponit præcitatum Apoſ[...] locum *Gentes, quæ legem non habent, &c.* c[...] primò expoſuiſſet illum de gentibus ad evange[...] lium converſis, & gratiam jam habentibus, addi[...] aliam interpretationem de nondum converſis, ſed carentibus omni gratia de quibus ſic loquitur : *Si autem hi, qui naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti juſtificat gratia, ſed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter, juſteque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò, recteque laudamus : quamquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem, defenſionemve mereantur.* Concedit ergo etiam in illis, qui omni gratia deſtituti ſunt, aliqua opera (tametſi rara) quæ ſecundùm juſtitiæ regulam vituperari non debeant, imò debeant laudari : atque adeo quæ ſint bona moraliter, nulloque ex capite vitiata : Nam quæ talia non eſſent, non juſtitiæ laudem, ſed vituperationem potius mererentur.

Diximus *tametſi rara*, quia id oſtendunt ultima illa verba *Vix inveniuntur, quæ juſtitiæ laudem mereantur* : haud tamen excludunt, quin inveniantur aliquando prædicta opera : nam quod non com[...] invenitur vix, revera invenitur, licèt non [...] muniter, & in pluribus, ſed ægrè, & in pauci[...] ribus. Ut cùm Scriptura dicit : *Juſtus vix ſal[...] bitur*, non negat, imò affirmat ſalvandos [...] juſtos ; ſed oſtendit difficultatem in ſalute [...] quenda, & brevem numerum ſalvandorum [...] comparatione longè majoris numeri reproborum. Ex quo etiam habetur non eſſe neceſſe in verbis Auguſtini particulam illam *vix*, [...] accipere, ut inter innumeros actus malos [...] infidelibus carentibus gratia eliciuntur, [...] tùm, vel alter reperiatur bonus. Sed poſſe [...] periri abſolutè multi actus boni, quamvis [...] paratione longè majoris numeri actuum [...] rum perpauci, & rari dicantur. Sicut [...] ſalvandi ſunt, abſolutè non ſunt pauci, [...] licèt videantur pauci, & rariſſimi collati [...] numeros, qui condemnantur.

Sed quamvis prædictus Auguſtini locu[...] rus videatur ; nihilominus Gabriel [...] *diſput. 190. capite 17.* conatus eſt illum [...] re : evaſionem verò in eo conſtituit, quo[...] ſtinus, *illo capite 27.* (quod finit verb[...] ctis) hyperbaſi uſus, reliquit ſenſum [...] cum, & imperfectum, quouſque ſeque[...] te illum abſolvit : non quidem abſolut[...] dendo, vel approbando anterioris capit[...] nam, ſed admittendo duntaxat ſub co[...] & ex aliorum ſententia : ut oſtenderet, [...] etiam poſteriori illa expoſitione verbor[...] admiſſa, maneret adhuc diſcrimen inter [...] & vetus teſtamentum, dum illud legem [...]

Digitized by Google

in tabulis lapideis; iſtud verò in cordibus fidelium: quod erat intentum utriuſque capitis.

Confutatur. Hæc tamen evaſio omninò eſt inſufficiens: quia licèt Divus Auguſtinus in tradenda, aut admittenda prædicta ſecunda expoſitione, ſub conditione tantùm ſit loquutus; illa tamen admiſſa, abſolutè, & ex propria ſententia pronuntiat in utroque capite non pauca, quibus aſſertio noſtra exprimitur: uti ſunt verba illa capitis 27. *Quadam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundùm juſtitia regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò, rectèque laudamus*, &c. Quod ergo Sanctus Doctor tradit ut à ſe lectum, cognitum, vel auditum, non ſub conditione, ſed abſolutè tradit. Et etiam in ipſo capite 28. ad quod Vaſquez recurrit, pro intelligentia illorum, quæ in antecedenti imperfecta remanſerant, idem abſolutè
D. Auguſt. affirmat: dum incipit: *Verùm tamen quia non uſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint: Unde meritò dici poſſit etiam in ipſa impietate vita ſua facere aliqua legis, vel ſapere*, &c. Et inferiùs, *Nam & ipſi homines erant, & vis illa natura inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis, & ſentit, & facit*, &c. Sanè ſicut quod imago Dei in anima non ita fuerit deleta per peccatum, quin ſaltem lineamenta aliqua ibi remanſerint, non potuit Auguſtinus ex falſa ſuppoſitione, vel ex aliena tamen opinione affirmare, cùm id apud omnes catholicos in confeſſo ſit: ita dici non poteſt ex aliena tantùm ſententia, vel falſa ſuppoſitione affirmaſſe, quæ ex prædicto principio intulit: videlicet homines impios, & gratia deſtitutos ſapere, & agere aliqua opera conſona naturali legi, ineſſeque humanæ naturæ ſufficientem vim ad aliquid bonum, ſeu legitimum faciendum.

Idem. Multoque minus dici poteſt protuliſſe ex falſa ſuppoſitione, vel ex aliena tantùm ſententia, quæ paulò inferiùs addit dicens: *Sicut enim impediunt à vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuſlibet peſſimi hominis invenitur.* Ecce non ſolùm abſolutè affirmat reperiri in aliquibus hominibus aliàs peſſimis, & omni gratia deſtitutis aliqua bona opera; ſed ait difficillimum eſſe inveniri aliquem quantumvis peſſimum in quo non reperiantur. Sicut autem nullus negabit Sanctum Doctorem in illis verbis: *Non impediunt à vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur*, loqui abſolutè, & ex propria ſententia: ita negari non poteſt loqui eodem animo in iſtis: *Ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuſlibet peſſimi hominis invenitur.*

Confirmatur ulterius ex Auguſt. 31. Alter locus ſumitur ex libro 3. Hypognoſt. paulò poſt initium ubi ita habetur: *Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus habens quidem judicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo, aut inchoare, aut certè peragere: ſed tantùm in operibus vita præſentis, tam bonis, quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur: id eſt, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diverſarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præſentem pertinet vitam: quæ omnia non ſine gubernaculo divino ſubſiſtunt; imo ex ipſo, & per ipſum ſunt, vel eſſe cœperunt. Malis verò dico, ut eſt velle idolum colere, velle homicidium*, &c. Et quamvis libri illi, qui habentur inter opera Divi Auguſtini ad calcem tomi 7. incerto auctori adſcribantur; nihilominus Divus Thomas *articulo 5. hujus quæſtionis, & quæſt. 24. de veritate, articulo 14.* prædictum teſtimonium ipſi *D. Thom.* Auguſtino tribuit: & libros illos utiles, & eruditos, ac vetuſti eſſe auctoris, teſtatur Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, dum examinat ſcripta prædicti tomi 7.

Reſponſio Vaſquez. 32. Sed reſpondet Vaſquez opera, quæ hic bona, & de bono naturæ orta dicuntur, non eſſe opera bona moraliter, ſed quædam opera indifferentia, reſpicientia duntaxat proprium commodum. Tum quia vocantur opera præſentis vitæ, & non pertinentia ad Deum: at opera moraliter bona, præſertim in ſententia Divi Auguſtini, dicenda ſunt opera vitæ æternæ, & ad Deum pertinentia. Tum etiam quia ex operibus, quæ in exemplum afferuntur, nullum ſuapte natura habet, quod ſit opus virtutis moralis; ſed tantùm ſunt opera commoditatis, quæ fieri poſſunt, & propter finem malum, & propter honeſtum. Ita Vaſquez.

Refellitur. Sed cùm opera, de quibus in prædicto teſtimonio fit ſermo, in bona, & mala dividantur, & quæ mala dicuntur, procul dubio ſunt mala moraliter; omnino violenter, & contra ipſorum nominum ſignificationes illa, quæ bona appellantur, inter indifferentia, & non bona rejiciuntur. Præſertim cùm ad probandam eorum bonitatem ibidem dicatur, quod non ſine gubernaculo divino ſubſiſtunt. Quòd autem prædicta opera dicantur pertinere ad præſentem vitam, eoque ipſo ab æterna relegentur, non tollit quominus ſint bona moraliter: quia ex ſola morali bonitate naturalis ordinis, niſi per gratiam ad ſupernaturalem elevetur, nullum opus excedit vitam hanc temporalem, neque conducit ad æternam, aut in ea præmium aliquod conſequetur. Ad præſentem verò idcircò pertinere dicitur: quia humanos mores componit, & exornat, in eaque præmium quale quale conſequitur, ſaltem commendationis & laudis. Neque contrarium hujus doctrinæ docuit aliquando Divus Auguſtinus; licet non ſemel dixerit veras virtutes optari propter vitam æternam. Sed loquitur de virtutibus infuſis, vel de acquiſitis, quatenus in habente gratiam elevantur ad agendum propter finem ſupernaturalem: de quo infra. Unde immeritò per opera præſentis vitæ ſola opera commoditatis, vel indifferentia intelligantur.

Sicut etiam immeritò dicitur, nullum eorum, quæ allata ſunt in exemplum, ſuapte ſpecie, vel natura eſſe opus virtutis moralis, ſed omnia eſſe indifferentia. Nam velle uxorem ducere, ſi abſque aliqua circunſtantia prava fiat, ſuapte natura eſt opus caſtitatis conjugalis, & velle manducare, & bibere abſque ſuperfluitate, opera ſunt temperantiæ: ſicut & velle addiſcere artes bonarum rerum eſt opus virtutis ſtudioſitatis, & ſic de aliis. Et ſane Vaſq. non niſi ſui oblitus potuit hujuſmodi opera à bonorum genere excludere, & in differentibus annumerare: cùm ipſemet *diſputatione citata cap. 5.* non dubitet inter virtutum opera referre, hoc quod eſt curvare digitum, movere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, & minoris momenti alia, pro quibus Pelagius (teſte Divo Hieronymo in epiſtola ad Cteſiphontem) auxilium Dei non requirebat; Vaſquez verò exiſtimat gratiam requiri. Qui ergo hæc, quæ vel

pacto, niſi ſui oblitus, à virtutum operibus relegare poteſt voluntatem nubendi, manducandi, bonas artes addiſcendi, & ſimilia? Neque obeſt, ut aliquid natura ſit opus virtutis, quod poſſit vitiari ex aliquo fine extrinſeco pravo: nam jejunare, dare eleemoſynam, ſolvere debitum, & ſimilia ſuapte natura ſunt opera virtutum ab indifferentibus procul diſtincta: poſſunt nihilominus exerceri ob pravum finem, ut vanitate, vel inani gloria. Sufficit ergo ut opus aliquod ex ſua ſpecie ſit actus virtutis, imò ut de facto ab ea eliciatur, quòd habeat objectum, quantum eſt ex ſe, rationi conſonum, ſicut habent ea, de quibus loquimur; & quod aliunde non vitietur, ſicut prædicta non vitiari, etiam Vaſquez ſupponit.

Confirmatur deinde ex aliis Patribus. *Clemens Romanus. Proſper. Gregor. Origenes. Chryſoſtom. Hieronym.*

33. Eandem doctrinam tradunt etiam Clemens Romanus *lib. 7. Apoſtolic. Conſtit. cap.* 34. Proſper *contra Collator. cap.* 22. & 26. Gregorius *hom.* 27. *in Evangelium.* Origenes, Chryſoſtomus, Hieronymus, & alij, quos, § præcedenti retulimus. Ita enim concedunt infidelibus aliqua bona opera, ut non ad aliquam gratiam, ſed ad naturæ facultatem, & naturales vires liberi arbitrij totum id reducant.

D. Thom. Clariſſimè autem docet noſtram aſſertionem D. Thomas *art.* 2. verbis illis: *In ſtatu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc quod ſecundùm ſuam naturam poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonum implere per ſua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur; poteſt quidem etiam in ſtatu naturæ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere (ſicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujuſmodi) non tamen totum bonum ſibi connaturale, ita quod in nullo deficiat: ſicut homo infirmus poteſt per ſeipſum aliquem motum habere; non tamen perfectè poteſt moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ,* &c. Idem docet infrà, *art.* 6. & 2. 2. *qu.* 10. *art.* 4. & *in* 2. *diſt.* 28. *art.* 1. & *q.* 24. *de veritate art.* 14. aliiſque in locis.

Siniſtra Vaſq. interpretatio. 34. Dices cum Vaſquez D. Thomam nomine gratiæ, quam dicit non eſſe neceſſariam pro quovis bono opere, intellexiſſe gratiam habitualem, & juſtificantem, hujuſque duntaxat neceſſitatem excluſiſſe; non autem quodcunque auxilium gratiæ collatæ per Chriſtum. Imò videtur eiſdem in locis hoc auxilium aſſerere, dum ait non poſſe voluntatem in aliquo opere applicare ſe ad agendum ſine auxilio Dei moventis: non enim per hanc motionem, ſeu auxilium intelligendus eſt communis, & generalis Dei influxus, quo concurrit cum omnibus cauſis ſecundis; ſed auxilium aliquod magis ſpeciale naturæ non debitum, per quod voluntas, quæ de ſe eſt indifferens ad bonum, & malum, determinetur ad bonum. Præſertim cùm tale auxilium ipſe Divus Thomas, *art.* 6. & 7. & 9. hujus quæſtionis *auxilium gratiæ*, ſeu gratuitum appellet.

Diſpellitur. Sed contra eſt, quod Divus Thomas locis citatis, non utcumque ait poſſe hominem facere aliquod bonum opus ſine gratia, ſed id probat, quia poteſt facere tale opus per virtutem ſuæ naturæ: eo quod natura humana, & ejus inclinatio ad bonum non omnino manſit deſtructa per peccatum, neque toto naturali ſuo bono privata, ut conſtat ex verbis adductis, & ex ſimilibus, quæ habet 2. 2. *citata, art.* 4. *quæſt.* 10. hæc autem ratio non ſolùm excludit neceſſitatem gratiæ habitualis, ſed

id, quod remanſit in homine naturalis facultatis & inclinationis ad bonum; totum illud excluditur, quod non eſt naturæ proprium, neque ab ea ſuopte jure poſtulatur, ſed aliunde gratis ſibi, omnino conceditur: ſicut eſt quodcumque auxilium gratiæ propriè dictæ.

Falsò autem dicit Vaſquez auxilium Dei moventis, quod Divus Thomas exigit pro quovis bono opere, eſſe auxilium gratiæ, aut diſtingui generali concurſu, quo Deus unamquamque e cauſis ſecundis movet, & applicat ad agendum juxta uniuſcujuſque conditionem. Nam oppoſitum conſtat ex primo hujus quæſtionis articulo (ad quem ſe remittit ſanctus Doctor) & ex dictis à nobis in ejus commentario. Cujus etiam valde efficax ſignum eſt, quod ea tantùm ratione exigit *in* 2. *art.* prædictum auxilium ad quemcumque actum bonum eliciendum, qua in primo illud poſtulat ad quodcumque verum cognoſcendum: cumque ad hoc poſterius non requirat auxilium gratiæ propriè dictæ, ut ipſemet Vaſquez fatetur, non eſt cur dicamus ad illud priùs tale auxilium requirere. Accedit etiam quod D. Thomas in quatuor prioribus articulis hujus quæſtionis ubi illa, quæ dicit poſſe fieri ab homine ſine gratia per vires ſuæ naturæ, continentur, non appellat illud auxilium gratiæ, vel gratuitum; ſed duntaxat motionem, vel auxilium Dei moventis: in articulis verò ſubſequentibus 6. & 7. & 9. ubi ſermo eſt de operibus pro quibus ſanctus Doctor, & nos gratiam requirimus, uti eſt hominem ſe ad gratiam præparare, à peccato reſurgere, & poſtquam exiſtit in gratia, bene moraliter, & meritorie operari, vocat illud auxilium gratiæ, & auxilium gratuitum: ſi autem ſentiret, pro omnibus prædictis operibus neceſſarium eſſe auxilium gratiæ, & pro nullis ſufficere auxilium commune naturæ humanæ debitum, eodem modo utrobique prædictum auxilium *gratuitum*, & *gratiam* nuncuparet: quod cum non fecerit, ſignum eſt, diverſimodè, quoad hoc de illo ſenſiſſe, illud autem, quo prædicta evaſio videbatur confirmari, impugnatum manet per ea, quæ modò diximus, & infrà evidentiùs corruet.

35. Prædictis addenda eſt auctoritas Bullæ Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaelem Bajum, quatenus in ea damnatur hæc propoſitio quæ eſt XXXVI. *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ viribus ortum ducit, agnoſcit.* Et iſta, quæ eſt 61. *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſive non malus: Et gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit, & docet.*

Nec ſatisfacit, quod ait Vaſquez damnari ſcilicet prædictas propoſitiones non propter ſubſtantiam doctrinæ, ſed propter cenſuram illam contrariæ ſententiæ. *Cum Pelagio ſentit*, & *Non niſi Pelagiano errore*, &c. Nam contra eſt, quod cum conſtet illas abſolutè damnari, adeoque abſolute eſſe falſas; quod ob ſolam cenſuram damnentur, non conſtat, nec poteſt facilè oſtendi. Prætérquam quod cum ex illa condemnatione habeatur, ſententiam noſtram, quæ negat neceſſitatem gratiæ Chriſti ad ſingula opera, nullam facere injuriam prædictæ gratiæ; Conſequenter habetur, nihil falſum in ſententia contineri: nam ſi eſſet falſa, injuriam procul dubio faceret prædictæ gratiæ, negando ejus neceſſitatem, quæ negari non deberet.

§. III.

Eadem communis ſententia ratione fulcitur.

Ratio fundamentalis.

36. PRæcipua ratio pro noſtra aſſertione habetur apud D. Auguſtinum, & D. Thomam in locis citatis, & eam tangit Concilium Trident. *ſeſſ. 6. cap. 1. Can. 5.* poteſtque ad hanc formam redigi. Homo per peccatum non amiſit liberum arbitrium, quod eſt facultas humanæ naturæ ad eligendum inter bonum, & malum: ſed conſervat illud inextinctum, licet infirmum, & debilitatum: Ergo adhuc in natura lapſa poteſt ſuis propriis viribus adeoque ſine recurſu ad gratiam efficere aliquod bonum opus morale. Antecedens eſt ita certum, ut contrarium ſit error in fide, ut conſtat ex Tridentino, *cit. can. 5.* Ubi contra hæreticos tollentes de medio liberum arbitrium prædictus error condemnatur his verbis; *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, &c. anathema ſit.*

Conc. Trid.

Conſequentia verò probatur. Tum quia niſi homini ex ſua natura ineſſent vires ad exercendum unum, vel alterum opus bonum; ejus arbitrium potiùs ut mortuum, vel extinctum haberetur, quam ut attenuatum, & infirmum. Potentia namque, cui pro nullo opere vires ſuppetunt, mortua potius, quam infirma reputatur. Infirma autem tunc dicitur, quando vel ægrè, & cum difficultate, abſolutè tamen poteſt in actum prorumpere. Tum etiam exemplo hominis infirmi: qui quoniam medio modo ſe habet inter ſanum & mortuum; neque poteſt per ſe exercere omnia præſtantiora opera hominis ſani, neque omnino nullum exercere; ſed exercet aliqua faciliora, quibus vitam ſe habere oſtendit, quamvis viribus debilitatam, & infirmam. Unde quemadmodum ſi eſſet aliquis, qui nullum prorſus vitale opus per ſe exercere poſſet, non infirmum, ſed mortuum eum putaremus: ita dicendum eſſet de libero arbitrio ſi nullum bonum prorſus opus propriis viribus poſſet elicere.

Et quia Patres, & Theologi ad explicandas naturales vires liberi arbitrij poſt peccatum utuntur ſæpè hoc exẽplo hominis neque mortui, neque ſani, ſed viventis, & infirmi; nobis etiam in hac materia præ oculis habendum eſt, quia rem optime declarat. Præſertim cum ſacra ſcriptura eodem exemplo ad id ipſum utatur, ut conſtat *Luc. capite* 10. ubi ſtatus hominis, & ejus liberi arbitrij, poſt peccatum deſcribitur ſub typo illius viatoris; qui deſcendens ab Jeruſalem in Jericho incidit in latrones, & plagis acceptis non omnino mortuus, ſed vulneratus, & ſemivivus relictus fuit.

Evaſio Vaſqu.

37. Dices cum Vaſquez ſatis eſſe ad ſalvandam exiſtentiam liberi arbitrij, & quod non ſit mortuum, aut extinctum ſicut hæretici volunt, quòd maneat in eo libertas, & indifferentia ad utrumlibet: ut reverà manet, dum poteſt pro libito hunc, vel illum actum malum, vel indifferentem elicere: quamvis ex ſe non habeat vires ad aliquod bonum morale exercendum.

Præluditur.

Sed hoc nullius momenti eſt: nam Concilia, & Patres in eodem ſenſu, & reſpectu ejuſdem negant liberum arbitrium extinctum fuiſſe per peccatum; reſpectu cujus affirmant manſiſſe viribus attenuatum, & infirmum, ut conſtat ex verbis Tridentini citato capite 1. ſeſſione 6. ubi cum dixiſſet, poſt Adæ peccatum neque gentiles per vim naturæ, neque adhuc ipſos Judæos per legis Moyſi litteram potuiſſe à peccato reſurgere, addit. *Tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licèt attenuatum, & inclinatum.* Cùm igitur attenuatio, & infirmitas per peccatum incurſa, non ſit penes minorem aliquam libertatem ad opera mala, vel indifferentia (non enim hujuſmodi libertas minor eſt poſt peccatum, imò eſt major, quàm eſſet in natura integra, ut ex ſe liquet) ſed tota ea infirmitas conſideretur penes virtutem, & facultatem ad bonum morale exequendum; oportet, ut reſpectu iſtius boni, & reſpectu virtutis, & facultatis naturalis ad proſequendum illud verificatur, quod liberum arbitrium non eſt mortuum, neque extinctum, ſed duntaxat infirmum, & debilitatum: atque adeo quòd poſſit exequi tale bonum per prædictam facultatem naturalem, & ſine recurſu ad gratiam.

Conc. Trid.

38. Ex quo patet, vitam, quam ſancti Patres, & Concilia tribuunt libero arbitrio poſt peccatum, ratione cujus dicunt non manſiſſe mortuum, aut extinctum, non eſſe dumtaxat vitam, ſeu libertatem, qua in ordine phyſico ſe habet ad plura indifferenter attingenda (quam poſſumus appellare vitam, ſive libertatem phyſicam) ſed eſſe virtutem, & facultatem, qua vivit in ordine ad bonum morale, & per quam, utcumque eſt liberum à ſubjectione ad peccatum potens operari extra hanc ſubjectionem actus bonos, & honeſtos.

Patet etiam Concilium Tridentinum in prædicta ſeſſione duplicem errorem condemnaſſe circa liberum arbitrium: alterum illorum hæreticorum, qui negant ejus libertatem etiam phyſicam ad quævis opera, omniaque fatali quadam neceſſitate evenire arbitrantur: alterum eorum, qui dicunt facultatem humani arbitrij boni operativam, ita eſſe amiſſam, ſeu extinctam per peccatum primi parentis, ut non niſi ad peccandum vires, & libertas in eo remanſerint (quod eſt manſiſſe mortuum, & extinctum in ordine morali.) Et licèt condemnatio primi erroris minus ad præſens conducat; condemnatio tamen ſecundi (quæ etiam habetur in ſuprà dicta Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaelem Bajum) omnino confirmat noſtram aſſertionem.

39. Quæ ut magis roboretur, & declaretur, *Nota.* animadvertendum eſt, voluntatem noſtram pro ſtatu viæ non ea ſolum ratione dici liberum arbitrium, quia eſt indifferens, ſeu non determinata ad aliquod ex contradictionis extremis (in quo conſiſtit libertas phyſica) ſed etiam quia ineſt ei vis, & facultas ad eligendum inter bonum honeſtum, & malum oppoſitum, & utrumlibet proſequendi, & hoc indicatur, cum communiter dicitur de libero arbitrio quod *eſt facultas voluntatis, & rationis.* Cùm enim quælibet natura ex ſe afferat inclinationem ad bonum ſibi proprium, & proportionatum, per quam apta, & ſufficiens eſt ad illud proſequendum; natura rationalis peculiariter ſibi vendicat, tum quod ea inclinatio eſt ad bonum rationi conſonum, ſeu honeſtum, quia hoc duntaxat eſt proprium bonũ talis naturæ, ut natura eſt. Tum etiam quod non reſpicit illud ſub determinatione ad unum ſicut aliæ naturæ ratione carentes; ſed cum amplitudine, & univerſalitate orta ex eminentia ipſius naturæ, & ex univerſalitate, & indifferentia ſui judicij. Tum quoque quod ita tendat ad prædictum bonum, ut poſſit etiam deflecti ad malum propter defectibilitatem contractam, & ſibi cohærentem, eo quòd eſt facta ex nihilo. Quia ergo indifferentia, & libertas, quæ eſt de ratione liberi arbitrij, ſupponit velut fundamentum prædictam

inclina

inclinationem unà cum ſua defectibilitate (ita quidem, ut per id, quod ibi eſt inclinationis ad bonum quaſi vivat liberum arbitrium; per illud verò quod eſt defectibilitatis, & peccabilitatis, quaſi langueſcat, & ad mortem tendat) conſequens fit, ut ſi inclinatio ad bonum deficiat, vel omnino impediatur (ſicut contingit in damnatis propter obſtinationem in malo) quamvis phyſicè loquendo vivum remaneat, & phyſicam libertatem conſervet; moraliter tamen pro mortuo reputetur, potiuſque ut omnino ſervum, & captivum peccati, quàm ut liberum habeatur. At verò dum prædicta inclinatio ad bonum expedita manet, quamvis defectibilitatis, & peccabilitatis ſervituti admixta; manet vita, & libertas arbitrij, non tantùm phyſica, ſed etiam moralis; debilis tamen & infirma propter prædictam admixtionem. Tunc autem omnino ſanabitur, perfectiſſimaque gaudebit vita, & libertate, cùm per gratiam, & ejus confirmationem liberabitur omnino à peccati ſervitute, omni defectibilitate ſublata, vel prorſus impedita.

Solvitur fundamentum. Hinc ergo expenditur vis rationis factæ pro aſſertione: quia liberum arbitrium non eſſe extinctum, vel mortuum, ut Sancti Patres, & Concilium damnantes contrarium errorem loquuntur, non eſt aliud quàm conſervare liberam, & expeditam naturalem inclinationem ad bonum honeſtum, quam ipſa rationalis natura ex ſeipſa affert: ſed dum manet expedita hæc inclinatio, adſunt vires ad operandum bene moraliter: ipſa quippe inclinatio prædictas vires conſtituit: igitur ad vitandum ſupradictum errorem, debemus omnino aſſerere manſiſſe in libero arbitrio non qualemcumque indifferentiam, ſed unà cum facultate, & viribus ad bene moraliter agendum: poſſeque inde ſine recurſu ad gratiam aliquando ita operari.

Reſponſio. 40. Nec refert ſi ex doctrina Adverſariorum ſecundò reſpondeas neceſſitatem gratiæ ad bene operandum non oriri ex defectu naturalium virium, ſed ex indeterminatione humanæ naturæ, & voluntatis, quæ cùm ex ſe ſit indifferens, & in quadam contingentia ad bonam, & malam operationem, & bona operatio ex multis capitibus impediri poſſit, indiget aliquo concurſu Dei, vel aliqua cogitatione congrua, per quam inter ipſa impedimenta, aut illis remotis, determinetur, & applicetur ad actum bonum, à maloque removeatur: Et quia talis concurſus eſt extra beneficium creationis, & non debetur ex generali, & communi providentia, ob idque ſine ejus præjudicio multoties denegatur; neceſſe eſt pro prædicta cogitatione, vel concurſu ad gratiam recurrere: quatenus gratia dicitur omne quod ſupra naturæ debitum à Deo exhibetur.

Impugnatio. Non itaque hoc refert: ratio enim à nobis facta omnino excludit hanc evaſionem: tum quia eo ipſo quòd natura humana per ſe habeat vires ad operandum bene moraliter, ex ſeipſa poſtulat concurſum Dei neceſſarium ad ita operandum: eidemque providentiæ, qua talis natura cum illis viribus creata eſt, & conſervatur, incumbit præbere omnem illum concurſum, qui neceſſarius eſt, ut prædictæ vires aliquando in actum prorumpant. Fruſtra quippe naturæ auctor dediſſet vires per ſe ſufficientes ad aliquem actum eliciendum, niſi ex eadem providentia, quæ vires illas tribuit, paratum haberet concurſum neceſſarium, ut aliquando exercerentur. Non ergo talis concurſus dicendus eſt extra communem providentiam, aut ſuprà naturæ debitum, ſed quid ab ipſis poſtulatum, atque adeò neque pro illo recurrendum eſt ad ſpecialem providentiam ordinis gratiæ.

Tum etiam quia quod natura rationalis voluntas ſit indifferens ad bonam, & malam rationem, poſſitque pro occurrentia impedimentorum ſingulis momentis à bona excidere, & in malam deflecti; non convincit concurſum ſuperare ad illam priorem determinantem exigentiam ipſius naturæ: immò potiùs oppoſitum ſuadet. Nam potentiæ ita indifferenti debitus eſt ex communi providentia concurſus neceſſarius, ut de facto operetur: Eſſet quippe monſtruoſum, atque adeò contra talem providentiam, quòd prædicta potentia maneret ſemper, aut longo tempore ſuſpenſa ab omni actu: ſed concurſus ita debitus non poteſt eſſe ejuſmodi, quo ſemper malè utatur, & ſemper peccet: alias talis potentia non eſſet ex ſe indifferens, ſed potiùs ad malum determinata, & quantum eſt ex ſe, ſibique relicta in malo obſtinata: quæ enim eſt indifferens, ſicut non petit concurſum, quo ſemper bene operetur, ita exigere nequit concurſum, quo ſemper malè utatur, ſemperque à bono deficiat. Erit ergo indebitum ex vi prædictæ indifferentiæ, & ex communi providentia, cui ſubjacet, ut quandoque ſibi præbeatur unus ex prædictis concurſibus, quandoque alter: atque adeò, quod quandoque, aut ſæpeſæpius defectuoſè, quandoque autem bene moraliter operetur: & ſi ita debetur naturæ, non utique erit gratia.

41. Cujus adhuc major ratio reddi poteſt: quia ad eandem providentiam, cui incumbit producere, & conſervare aliquam potentiam, ut conſtitutam ad agendum in actu primo, incumbit etiam præbere concurſum neceſſarium ad actum ſecundum proportionatum, & correſpondentem ipſi actui primo: alias talis providentia non perfecta, & Deo digna, ſed diminuta, & imperfecta in ſuo ordine cenſetur. Unde quia voluntas noſtra, ut conſtituta ad agendum in actu primo ex communi providentia importat vires, & inclinationem ad bonum honeſtum, ita quod retineat propriam defectibilitatem, & peccabilitatē; neceſſe eſt, ut ex eadem providentia debeatur ipſi talis concurſus ad actum ſecundum, ut quandoque rectè operetur, quandoque verò à rectitudine deficiat. Ex eo ergo quòd natura humana indifferenter ſe habeat ad bonum, & malum, minimè infertur habiturum rationem gratiæ, quemlibet concurſum determinatum ad bene agendum. Ad hæc: concurſus ille, cujus negatio conſtitueret monſtruum, vel præternaturale in aliqua natura, debitus eſt ex communi providentia, & ex principiis ipſius naturæ; non enim neceſſaria eſt providentia ſpecialis, aut aliquid ſupra naturæ debitum, ut monſtra, & præternaturalia non contingant. Quis autem dubitet monſtruoſum, & præternaturale futurum, ſi in natura humana, ſive lapſa, ſive in puris naturalibus conſtituta, nullum ſuppoſitum aliquandò benè moraliter operaretur, ſed omnia in omnibus ſuis actibus malè, & vitioſè agerent? Igitur concurſus Dei neceſſarius ad operandum benè moraliter ſaltem aliquando, quod monſtruoſitas iſta vitatur, debitus eſt exigentia naturæ, & ex communi providentia.

42. Confirmatur ex his, quæ cernimus in naturis non rationalibus, ubi non eſt locus gratiæ, quæ quidem licèt careant libertate, habent tamen aliquam indifferentiam reſpectu effectuum, quæ poſſunt ſic, vel aliter illis convenire, poſſuntque earum propriæ actiones impediri ex diverſis capitibus, adeò ut vix ſit aliqua, quæ hujuſmodi indifferentiæ, & contingentiæ non ſubjaceat. Et nihilominus non tribuitur g

ſpeciali providentiæ, quod non impediantur, & quod juxta naturalem inclinationem operentur. Ergo quod natura rationalis habeat prædictam indifferentiam, ut juxta inclinationem ad bonum, vel juxta oppoſitam defectibilitatem operetur, non eſt ſufficiens ratio, ut tribuamus gratiæ, vel ſpeciali providentiæ, quod ſequatur aliquando prædictam inclinationem, & à defectibilitate caveat eliciendo actus moraliter bonos. Immo in ipſa natura humana datur ex parte intellectus eadem fermè indifferentia, & contingentia ad veram, & falſam cognitionem, quæ invenitur in voluntate ad bonum, & malum morale: Et tamen, ut vidimus dubio præcedenti, non eſt neceſſaria gratia propriè dicta ad quamlibet veritatem cognoſcendam. Ergo, &c.

Quod autem dicitur in evaſione Deum multoties negare concurſum ad bene operandum ſine præjudicio communis, & generalis providentiæ, convincit talem concurſum non deberi naturæ humanæ, ut in omnibus, & pro ſemper: non autem convincit, quòd non ſit illi debitus aliquando, & in aliquibus: ſicut de bonitate ingenij, de differentia ſexus, de vitæ diuturnitate, & ſimilibus, quæ à nemine gratiæ nomine inſigniuntur, ut num. 25. dicebamus, & iterum tangemus num. 74.

§. IV.

Eadem communis aſſertio alia via roboratur.

Aliud fundamentum.

43. Aliâ viâ probari poteſt aſſertio noſtra, nimirum ab inconvenientibus, quæ ex oppoſita ſententia inferuntur: ſi enim nullum opus honeſtum, quantumvis tenue, & modicæ bonitatis fieri poteſt ſine gratia, ſequitur primò communem, & generalem Dei providentiam in gubernatione humanæ naturæ dicendam eſſe ſterilem, vacuam, & infructuoſam, nec nobiliori, aut præſtantiori fini deſervientem, quàm peccatorum permiſſionibus: hoc enim ſatis derogat ipſi Divinæ providentiæ; immò cuilibet proviſori non parum derogaret, ſi diceremus eum in id ſolum incumbere, ut peccata permittantur, & mala non vitentur: ergo, &c. Sequela probatur; nam generalis providentia non includit gratiam, neque ultra extenditur, quàm debitum eſt ipſis rerum naturis, quarum regimini, & directioni incumbit: ſi igitur abſque gratia in tota humana natura nullum fit opus bonum; ſed omnia defectuosè, & peccaminosè contingunt, planè ſequitur, quòd ex vi prædictæ providentiæ non aliud, quàm mala, & peccata in natura humana reperiantur: ſolùm ergo malorum, & peccatorum permiſſiones erunt fructus talis providentiæ: reſpectu verò bonorum manebit utique vacua, ſterilis, & infructuoſa.

Explicatur.

44. Apparebitque evidentiùs hoc inconveniens animadvertendo, quòd Deus ſine ullo, vel ſuæ providentiæ, vel humanæ naturæ, aut alterius præjudicio potuit omnia, quæ creavit, & conſervat, ſoli generali providentiæ committere, non utendo pro alicujus directione providentia ordinis gratiæ: ſi enim aliqua ratione aſtringeretur uti hac poſteriori providentia, non eſſet jam providentia ordinis gratiæ, ſed potiùs ordinis naturæ, atque adeo ſub generali comprehenſa: quia ad ea, quæ ſunt ordinis gratiæ Deus etiam ex ſuppoſitione conditionis rerum nulla lege aſtringitur, niſi ſua ſpontanea, & gratuita promiſſione. Supponamus ergo Deum in gubernatione univerſi generali tantum providentia uti voluiſſe, quo caſu non ideo deficeret à munere creatoris, & conſervatoris: quia munus hoc non niſi prædictam providentiam poſtulat. Vel ergo tunc daretur aliquod bonum opus morale in hominibus, vel omnes eorum actus eſſent peccaminoſi? ſi primum dicatur; cùm nulla ibi eſſet gratia, neque alia præter generalem providentiam, dicendum quoque erit ex ſola hujuſmodi providentia, adeoque ſine recurſu ad gratiam poſſe fieri tale opus. Si ſecundum; fatendum eſt omnem illam providentiam, ut ambit creatoris, conſervatoris, & gubernatoris munia, manere vacuam, & infructuoſam, ut pote omni fructu boni operis deſtitutam: immò ſterilem, & inſufficientem eſſe, ut talem fructum afferat: quia ſe ſola non ſufficit præbere concurſum ad talem fructum germinandum.

Inconvenientia adverſæ opinionis.

Secundò infertur juxta prædictam ſententiam non ſolùm fore gratiam, quod homo aliquando bene moraliter operetur, aut quòd non operetur malè, ſed etiam quòd non ſemper operetur peſſimè: quod eſt aſſerere generalem Dei providentiam ſecundùm ſe ſpectatam non ſolùm perpetuò extendi ad ſolam permiſſionem malorum, ſed extendi dumtaxat ad permiſſionem peſſimorum; utque hæc non contingant, recurrendum eſſe ad providentiam ordinis gratiæ. Ex quo etiam fieret, quòd conſtituto univerſo ſub prædicta tantùm generali providentia (uti eſſet, ſi homo conderetur, & conſervaretur in puris naturalibus) omnes actus humani fierent ab hominibus pejori, & deteriori modo, quo poſſent contingere. Hoc autem inconveniens, immò abſurdum eſſe nemo non videt. Sequela verò probatur: nam potiſſima ratio apud Authores prædictæ ſententiæ, eſt indifferentia humanæ naturæ, & voluntatis, ad bene, vel malè operandum, indeque inferunt eſſe gratiam, quoties per divinum concurſum, vel cogitationem congruam determinatur ad bonum: quia ſibi relicta nunquam non poſſet determinari ad malum. Cùm autem ſibi relicta nunquam non poſſit determinari ad pejus; erit utique gratia, quoties ita non determinatur: ſed in minori malo ſiſtit: atque adeò ea gratia ſecluſa perveniet ſemper ad peſſimum. Vel dicant prædicti Auctores, cur opus ſit ſpeciali providentia ut voluntas ex ſe indifferens ad bonum, & ad malum potiùs ad illud, quàm ad iſtud tendat; non autem ea opus ſit, ut eadem voluntas indifferens ex ſe ad malum, & ad pejus ſiſtat in illo, & ad hoc non pertingat? Sanè nulla alia ratio reddi poteſt, cur ad hoc poſteriùs gratia, aut ſpeciali providentia opus non ſit, niſi quia ex ipſa indifferentia voluntatis ad malum, & ad pejus infertur potiùs non ſemper ad hoc poſterius eſſe determinandam, ſed aliquando ad hoc, aliquando ad illud attenta ſuavi, & communi providentia. Hæc autem ratio æquè convincit, quod attenta eadem providentia, non ſemper voluntas determinanda ſit ad malum, ſed aliquando ad hoc, & aliquando ad bonum, cùm ſit indifferens ad utrumlibet.

Tertiò ex prædicta ratione, prout expenditur ab Adverſariis ſequitur, etiam in natura integra non poſſe hominem ſine gratia aliquem actum bonum exercere: quippe etiam tunc adeſſet indifferentia ex parte voluntatis ad bene, vel malè operandum, opuſque eſſet divino concurſu, ut potiùs ad bonum, quàm ad malum determinaretur. Et licèt Aliqui Adverſariorum non renuant ſequelam admittere; negari tamen non poteſt eſſe maximum inconveniens, quod cùm reliquæ naturæ, quantumvis inferiores, & imperfectæ in opera ſibi conſona, & connaturalia ex vi ſolius generalis providentiæ quantoties

prorum

Digitized by Google

prorumpant, debeaturque ipſis omnis concurſus ad id neceſſarius; naturæ rationali adeò perfectæ, ſanæ, & integræ, ut eſſet in illo ſtatu, non debebatur ſufficiens concurſus ad opus aliquod ſibi omnino conſonum, quale eſt opus honeſtum.

45. Denique infertur juxta prædictam ſententiam poſſe hominem diſponi ad gratiam, aut eam impetrare per opera ſolius ordinis naturalis ſine aliquo ſupernaturali auxilio, quod planè admittit Vaſquez, *cit. diſp.* 190. *cap.* 12 ubi auxilium Dei ad bene operandum requiſitum fatetur non eſſe aliquid ſupernaturale, ſed quid contentum intra ordinem naturæ, eaque ſolùm ratione dici auxilium gratiæ, quia non debetur, & quia confertur ex meritis Chriſti. Inſimul concedit per opera ejuſmodi auxilio facta, & ſola naturali honeſtate prædita poſſe hominem juſtificationem obtinere. Immò etiam ſi abſque prædicto auxilio fierent, dummodo naturali honeſtate pollerent, idem de illis affirmat; nam utitur ſequenti diſcurſu. *Si poſſet homo ſuis viribus ſine auxilio gratiæ per Chriſtum aliquod bonum opus morale efficere, poſſet etiam ex ſe præbere aliquod initium, ſeu occaſionem, intuitu cujus auxilium gratiæ ad remiſſionem peccatorum ei conferretur: poſſet enim opera miſericordiæ ex ſe ipſo habere, & illis gratiam obtinere: nam operibus miſericordiæ factis ſolùm ex fine, & honeſtate virtutis moralis dona divinæ gratiæ à Deo obtineri ſatis ſuperque à nobis monſtratum eſt,* &c. Hæc ille.

Dubit. ... Vaſquez.

Non ſatis firma.

Sed quantum à vero aberret prædictus diſcurſus, nec ſine inconvenienti prædictam doctrinam defendi poſſe, latiùs conſtabit ex dicendis *diſp. ſeq. dub.* 9. & hic breviter poteſt oſtendi: quia Concilium Tridentinum expreſsè affirmat exordium, ſive initium juſtificationis adultorum à fide, vel vocatione ad ipſam ſumendam eſſe, ut videre eſt *ſeſſione 6. cap.* 5. ubi ſic habetur: *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione,* &c. Et cap. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis,* &c. Si autem alia opera ex ſola honeſtate naturali, & abſque auxilio ſupernaturali facta, ſive per modum diſpoſitionis, ſive per modum impetrationis ad juſtificationem poſſent concurrere, cum aliàs talia opera fidem, & ejus vocationem multoties præcedant; ex illis procul dubio, & non ex fide eſſet primum juſtificationis initium, & exordium. Quod non longè abeſſet à Semipelagianorum errore, ponentium juſtificationis initium ex nobis, hoc eſt, ex operibus omnino naturalibus, & non ex gratia. Et ideo Divus Auguſtinus ut illorum dogma condemnaret, perpetuus fuit in aſſerendo initium juſtificationis non aliunde, quàm ex fide, vel vocatione ad ipſam ſumendam eſſe: ut ita verificetur non ſumi ex nobis neque ex operibus ſolius naturæ, quia fides non eſt hinc, ſed ex gratia, ut videre eſt *libro de prædeſtinatione ſanctorum capite* 19. *& epiſtola* 105. ubi ſic ait. *Reſtat igitur, ut ipſam fidem, unde omnis juſtitia ſumit initium, non humano tribuamus arbitrio.* Quam doctrinam fusè trademus loco ſupra citato, ubi varia Vaſquij ſubterfugia confutabimus. Et ideo à longiori ejus impugnatione ſuperſedemus.

Conc. Trid.

D. Auguſt.

§. V.

Ex præſentis dubij re... deciduntur...

46. UT initio hujus dubij ...
ejus reſolutione abſqu...
petenda eſt deciſio aliorum, qu...
ficultatis ſuperaddunt, licèt al...
pertractentur. Hujuſmodi eſt illud...
mas inſtituit primum articulum hu...
an ſcilicet poſſit homo ſine gratia c...
quas veritates? In quo pro partem affirma...
omnes Autores pro aſſertione addu...
habetur ex dictis: quia facilius eſt ve...
cere, quàm bonum operari: ergo ſi...
teſt abſque ſpeciali gratia aliqua bona...
cere, pariter poterit abſque ſpeciali...
quas veritates cognoſcere. Sed quia de...
cialiter egimus dubio præcedenti, ubi...
cimus fundamenta, non oportet in hujus...
cuſſione denuo immorari. Et hæc circa v...
ſpeculativas. Circa practicas autem, quas c...
ad hunc remiſimus, idem ferè judicium f...
dum eſt, ut paritatis ratio convincit. Di...
idem fere judicium: quia ſi datur aliquod b...
opus morale ordinis naturalis, ſed adeò exce...
ut poſtulet pro hoc ſaltem ſtatu ſpecialem...
tiam: pariter judicium practicum, ut omnino...
ctice dictat tale opus, & illud exercitè i...
poſtulat ſimilem gratiam. Quæ autem ſint eju...
di opera, atque ſubinde judicia practica, ex d...
dis dub. 4. & 8. conſtabit.

47. Secundò habemus deciſum dubium...
tractari ſolet circa neceſſitatem gratiæ ad v...
das tentationes leves, aut ſaltem ad reſiſ...
illis (pro gravibus enim erit infrà dub...
ciale. ibique innoteſcet, quæ tentatio...
gravis, aut levis nuncupetur) quoad le...
ſi vera pro aſſertione tradidimus, plan...
poſſe hominem ſine gratia ſaltem aliqui...
reſiſtere. Et ita docent omnes Autor...
pro aſſertione principali adduximus, r...
detur perſpicua: nam cùm ejuſdem...
proſequi aliquod bonum, & declinare...
to malo; virtus, quæ ſufficit ad illud p...
ſufficiet ad hoc poſterius, ſaltem quan...
tio mali non eſt vehemens ejus perſuaſi...
eſt, quæ fit per tentationem levem. Im...
ties minus ſufficit ad malum vitandum...
bonum proſequendum: quia hujus p...
habet quaſi ex additione ad illius fuga...
includit, vel ſupponit: ergo ſemel o...
hominem ſine gratia exercere aliqua o...
liter bona, probatum quoque manet p...
bus tentationibus, ſcilicet levibus reſi...

Et confirmatur: quia non magis v...
in homine per peccatum vis iraſcibili...
cumbit repugnare malo, & tentatio...
cedere; quamvis concupiſcibilis, ad...
ctat proſecutio boni (ſive facultates i...
rentur, ut ſunt appetitus ſenſitivus, ſi...
nens ad voluntatem, de qua etiam ſuo...
tiantur, quamvis in ea non differant...
ergo vulnus concupiſcibilis non ita ex...
tem proſecutivam boni, quin reliqueri...
vires ad eliciendos aliquos actus hone...
xilio gratiæ, non eſt, cur dicamus vulnu...
ita etiam ſauciaſſe, ut non remaneat ſu...
titudo ad reſiſtendum aliquibus tentat...
tem ex levioribus.

Digitized by Google

Dubium incidens.

48. Si autem inquiras, an quæ dicuntur leves, poſſint omnes collectivè, vel ſaltem diviſivè vinci abſque gratia; aut verò ſint aliquæ,quibus nequeat voluntas propria virtute reſiſtere? Reſpondent aliqui pro tentationibus,quæ ſunt à Dæmone, ſęper nobis opus eſſe gratia, ne ab illis ſuperemur; ſecus verò pro aliis,quæ ſunt à mundo,vel à carne. Et reddunt rationem: quia dæmones propter inimicitiam, & odium erga genus humanum ſemper nos graviſſimè tentarent, niſi divina protectione, & bonorum Angelorum cura compeſcerentur. Unde ſicut quod non ſemper graviter ab illis tentemur, deputandum eſt huic gratiæ: ſic etiam adſcribendum eſt illi, quod non vincamus.

Verùm quidquid ſit de hac doctrina(ad præſens enim parum refert, an ſit tribuendum gratiæ, ſeu gratuitæ protectioni Dei, ut Angelorum curæ, quod non ſemper dæmones graves nobis tentationes inferant;aut verò ipſo naturali rerum curſu, & ſine recurſu ad gratiam id aliquando poſſit evenire de quo alibi)propoſita interrogatio aliter expendenda eſt: non enim quærit,an ex gratia, vel aliunde proveniat, quod non graviter ſed leviter tantùm à Dæmone ad peccandum provocemur (undecunque hoc proveniat) ſufficiant nobis naturales vires liberi arbitrij ad reſiſtendum tali tentationi, vel neceſſarium ſit etiam ſuppoſito, quod ſit levis; ad ſpeciale auxilium gratiæ pro ejus reſiſtentia recurrere.

Reſolutio dubij.

49. Dicendum itaque eſt,undecunque tentatio proveniat,dummodo levis ſit,non eſſe neceſſarium per ſe auxilium gratiæ ad ei reſiſtendum: atque adeo poſſe hominem ſine prædicto auxilio reſiſtere cuilibet levi tentationi, non tamen omnibus collectivè,ita ut voluntas nulli earum cedat.Ratio quoad primam partem eſt: quia ſuppoſito, quòd tentatio ſit levis (undecunque proveniat) non excedit ejus reſiſtentia facultatem liberi arbitrij:ſicut non excedit illam quodcunque opus modicæ bonitatis,& difficultatis:huic enim comparatur reſiſtentia tentationis levis,ſicut reſiſtentia gravis comparatur operi difficiliori, egregiæque virtutis. Sicut ergo pro opere facili,& modicæ bonitatis, quodcumque ſit,ſufficit prædicta liberi arbitrij facultas ſine recurſu ad gratiam:ita etiam ſufficiet pro reſiſtentia cujuſque levis tẽtationis,undecũque ortum ducat.Præſertim quia tentatio à Dæmone,ea ſolùm ratione poterat reddi difficilior ad ei reſiſtendum, quàm tẽtatio à mundo,vel à carne;quia talis tentatio ex ipſo tentatore augmentum ſumeret,& à levi in gravem,ſeu difficilem aſcenderet: Ergo ſuppoſito(ut caſus ſupponit)quod nec ex tẽtatione,neque aliunde ita augeatur, ut ad gravem, vel difficilem aſcendat;non eſt cur vinci non poſſit ea virtute,qua tentationes leves illatæ ab aliis hoſtibus ſuperãtur.

Diximus non requiri *per ſe auxilium gratiæ* ad reſiſtendum cuilibet tentationi levi,&c. Quia per accidens non negamus poſſe aliquando requiri, tunc nimirum cùm tentatio inducit ad omittendum aliquem ex illis actibus,quos homo ſine gratia nequit elicere,ut eſſet amor efficax Dei finis naturalis,& à fortiori quicunque actus ſupernaturalis ordinis. Neceſſitas verò gratiæ in hoc caſu non omnino eſt per ſe ratione ipſius tentationis:quia non eſt propter ejus intenſionem, aut vehementiam; ſed ratione prædicti actus; qui licèt tentatio abeſſet, non poſſet exerceri ſine gratia.

Secunda pars ejuſdem reſolutionis ex ſe eſt ſatis nota, fietque notior ex dicendis infrà pro neceſſitate gratiæ ad vitanda peccata venialia.Sicut enim vitare omnia hæc peccata collectivè claudit difficultatem ſuperexcedentem communes vires liberi arbitrij; & ideo neceſſe eſt ad gratiam recurrere: ita reſiſtentia omnium prædictarum tentationum, taliter quod voluntas nulli eorum cedat, eſt opus ſatis arduum, & difficile,& fortè difficilius,quàm eſſet uni, vel alteri tentationi etiam ex gravioribus reſiſtere.

50. Sed objicit Vazquez *diſput.*189. *cap.*15. *num.*129. quia ſi homo abſque gratia poteſt reſiſtere, vel uni levi tentationi, non eſt cur non poſſit reſiſtere omnibus ſimiliter levibus: Et ſi poteſt reſiſtere tentationi levi, non eſt cur non poſſit gravi reſiſtere: Non enim ſatis percipit, cur non ſufficiat ad omnes,quod ſufficit ad quamlibet, aut cur majore virtute opus ſit ad graves, quàm ad leves. *Mira objectio ex V. zquez.*

Sed quis non miretur ingenium aliàs acutum, & eruditum, hac in re, non animadvertiſſe differentiam inter grave, & leve, inter majus, & minus, inter unum, & multa: Et quod ibi opus eſt majori virtute, ubi major eſt difficultas. Num quia homo infirmus abſque alterius juvamine pauca quædam opera, eaque non ardua exercere poſſit; inferendum eſt poſſe exercere omnia,quæ exercet homo ſanus, quantumvis ardua, & difficilia? Haud meliori ergo illatione ex eo quòd homo ſine adjutorio gratiæ poſſit ſingulis tentationibus levibus reſiſtere, infertur à prædicto Autore poſſe reſiſtere etiam gravibus, aut omnibus levibus collectivè: Et ideo ejus replica majori ſolutione non eget.

51. Tertium dubium, quod hic etiam movetur ab aliquibus, procedit de homine in puris naturalibus: de quo quæri poteſt, quod quæſitum eſt de homine in natura lapſa, ſive quoad facultatem cognoſcendi verum, aut operandi bonum; ſive quoad virtutem tentationibus reſiſtendi. Ejus autem reſolutio ferè quo ad omnia perſpicua eſt ex dictis *in hac diſp.* additis illis, quæ *diſp. præcedenti cap.*2. circa convenientiam, vel differentiam prædictorum ſtatuum animadvertimus. Cùm enim diximus æquales vires habiturum hominem conditum in puris naturalibus, atque habet in natura lapſa: eodem ferè modo philoſophandum eſt utrobique, ſive quoad cognitionem veri tam practici, quàm ſpeculativi, ſive quo ad operationem boni, ſive etiam quoad tentationum reſiſtentiam. Atque adeo quod in præſenti ſtatu diximus poſſe ſine recurſu ad gratiam, poſſet in illo per proprias vires, & per concurſum ſibi debitum, ex ſola communi, & generali providentia. *3. Conſectarium.*

Diximus *ferè quoad omnia*, & *ferè eodem modo*: quia aliquid poſſet homo in ſtatu naturæ puræ, quod modò non poteſt, aut ſaltem nunquam faciet ſine converſione ad gratiam. Poſſet enim tunc elicere amorem efficacem, & ſuper omnia Dei finis naturalis, ut dubio ſequenti: poſſetque etiam reſiſtere ſingulis tentationibus ſaltem levibus,quæ ibi occurrerent,adhuc circa omiſſiones, quorumcumque actuum: quia cùm nullus eſſet actus debitus, quem homo propriis viribus elicere non poſſit, nulla tentatio ex iſto capite eſſet ab eo inſuperabilis. Deficerent quoque tentationes, quæ modò à Dæmonibus nobis inferuntur: quia Dæmones tunc non eſſent, vel non haberent facultatem incitandi homines ad peccandum,& ob omnia iſta plures actus honeſtos exercerent ibi homines quàm modò ſine gratia, paucioribuſque tentationibus, & peccatis irretirentur.

52. Denique ex authoritatibus, & rationibus expenſis toto hoc dubio, non obſcurè infertur *4. Conſectarium.*

tur

Digitized by Google

tur eam, quam Vazquez gratiam appellat, & neceſſariam adſtruit ad eliciendam quamlibet honeſtam operationem, & cuivis tentationi reſiſtendum, nomen dumtaxat habere commune cum vera gratia, quam Sancti Patres, & Concilia contra Pelagianos, & Pelagianorum reliquias ubique tuentur: Cùm re vera aut vix, aut nullo modo differat à natura, & naturalibus, pro quibus, & contra veram gratiam prædicti hæretici dimicabant.

Quo fit, ut dum ſe nimiùm pro gratia, & contra liberum arbitrium, naturaleſque ejus vires conatur oſtendere, gratiam ſupra naturam non elevet; immò quæ gratiæ ſunt, naturæ adſcribat, & utramque confundat. Quæ omnia ex ſupradictis inferri haud difficilè oſtenditur: nam illa congrua cogitatio, quam Vazquez vocat gratiam, & ad quam præſentem difficultatem reducit, neque egreditur naturæ ordinem, neque ſuperat exigentiam, & debitum naturæ humanæ: quin potiùs ab ipſa natura juxta communem providentiam poſtulatur ſaltem aliquando, & pro aliquibus ſuppoſitis vagè ſumptis: adeò ut monſtruoſum quid eſſet, attenta ea providentia, ſi ſemper, & in omnibus negaretur. Quid ergo gratiæ eſt in illa præter nomen? Aut quomodo non cum natura, & naturalibus confunditur, quæ naturæ dignitatem, aut debitum non excedit? Quod enim nulli determinato individuo pro determinato tempore debeatur, aut quod cuilibet deſignato citra injuriam negari poſſit, non ſufficit ad rationem gratiæ: ut patet in bonitate ingenij, in ſexus differentia, in diuturnitate vitæ, & ſimilibus, quæ nulli determinato individuo debita ſunt; & non idcircò eſt gratia, ſed quid debitum naturæ, quod aliquibus conferantur: exorbitaretque à communi providentia naturæ humanæ debita, quod nulli ejus ſuppoſito tribuerentur.

Nota. 53. Unde quemadmodum Pelagius, & ſequaces hujuſmodi naturalia beneficia libenter gratiam vocitabant, nec tamen per hoc veram gratiam agnoſcebant; quia ſimilia bona ſufficienter intra naturæ ſinus continentur; ejuſque potius dignitatem, quam munus aliquod gratiæ demonſtrabant: ita libentiſſime, & ſine ſui erroris præjudicio hanc, quam Vazquez vocat gratiam, concederent: quia per hoc nihil veræ gratiæ, ſed id tantum quod continetur intra naturæ ſinus, eidemque naturæ debitum eſt, faterentur; inſimul gratiæ verbo invidiam frangerent, ut non malè audirent, eo quòd initium juſtificationis aliunde quam ex gratia deſumebant. Si enim eo nomine apud Patres, & Concilia venirent quicumque actus naturali honeſtate præditi, etiamſi ad eos eliciendos neceſſarius eſſet concurſus concomitans cauſæ primæ, & cogitatio congrua, qualis per cauſas communes, & naturales, ex ipſa communi providentia multoties homini occurrit; neque Pelagius, neque Semipelagiani in hujuſmodi gratiam inveherentur, neque pro natura contra gratiæ defenſores dimicarent: quippè in ipſamet natura haberent totum, quod volebant, & quod pro juſtificationis initio aſſignabant. Neque prædictis actibus, cogitationibus, & concurſibus gratiæ nomen tribuendum abnuerent, qui libenter naturam ipſam, & naturalia omnia quatenus à Deo gratis creata ſunt, gratiam vocabant, ut vidimus *diſp. præcedenti cap. 4. §. 4.* Non ergo pro gratia, & contra ejus impugnatores, ſed magis pro his, & contra illam pugnant, qui ut defendant neceſſariam eſſe pro quovis bono opere, reducunt nomen & rationem

gratiæ propriè dictæ ad præ
concurſus, & actus, & inde ju
deſumi poſſe arbitrantur.

§. VI.

Refertur oppoſita opinio cum ... fundamento.

54. AUctores, qui aſtrua
gratiæ pro quovis bon
do, & pro qualibet tentatione ev
tici ſunt inter ſe circa modum talis
Gregorius *in 1. diſt. 28. quæſt. 1.* ea
quadam ſpeciali motione phyſica, &
Deus voluntati imprimit priùs natura
operetur, & per quam non ſolùm co
illa ad actum bonum, ſed eam applica
minat phyſicè, & ex parte principij
actum eliciendum: ita ut poſita tali mo
fallibiliter, & ex natura rei actus ſequa
quo prædictus Auctor omnino ſequutus
tentiam Divi Auguſtini, & Divi Tho
præmotionibus phyſicis, & quam utriuſqu
cti Doctoris diſcipuli modò acriter tuentur
cit verò prædictam motionem eſſe gratiam
non eſt debita; cùm ſine illa poſſit volunta
ſolute operari, & operetur ſæpè actus m
quamvis nullum bonum ſine ea exerceat.
qua ſententia citantur etiam Capreolus, & E
palenſis, *in prædicta diſtinctione*, & Diony
Ciſtercienſis *in 1. diſt. 17. quæſt. 1. art. 1. & i*
diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. & Franciſcus Romæus
de neceſſitate, & libertate operum, veritate
& 15. & alij. Verùm quod attinet ad Cap
lum, & Hiſpalenſem, licèt apertè ſentiar
quiri pro quovis bono opere prædictam De
tionem, & aliquando gratiam appellent,
men ſentiunt eſſe gratiam propriè dictam
præbeat juſtificationi initium; ſed largè
nus propriè, quatenus reſpectu hujus
determinati individui habet rationem
beneficij.

Alij prædictam gratiam conſtitu
dam motione vitali, qua fit, ut volu
bonitate objecti præbeat ſuum concurſ
tores, quibus tribui ſolet hic modus
refert Suarez *lib. 1. cap. à numero 3.*
rum ſenſum nonnihil examinat. Nu
primò explicat, quo pacto à præceden
guatur, his verbis: *Differt autem hæc*
in multis à præcedenti. Primò quia pon
viam motionem in aliquo actu vitali
vel voluntatis, quæ ſit vel cogitatio bo
vel aliqua ſpecialis illuminatio circa t
tationem, vel ſuavitas aliqua indita
per modum ſimplicis affectus. Grego
non ponebat motionem vitalem, ſed
quendam à ſolo Deo voluntati ſine
ejus impreſſum. Secunda differentia eſt
gorius ponebat illum influxum, ut per ſe
phyſicè actum bonum voluntatis: hæc
nio non tribuit hanc phyſicam efficienti
bus præviis: quia cenſet voluntatem c
ſu generali eſſe ſufficiens principium
ſed requirit illam motionem, ut mor
centem, & trahentem voluntatem. T
runt: quia hæc opinio non dicit volunt
minari omnino ab illa motione ex nat
cut Gregorius de ſua motione fingebat
rez cujus verbis conſultò uti voluimus
ore audiremus, quæ fuerit in hac re
gorij Ariminenſis, & quomodo hic

Digitized by Google

nino fuerit promotione, ſeu præmotione phyſica, quam diſcipuli Divi Thomæ, & Divi Auguſtini tuentur.

Opinio, & mens Gabr. Vazq. Tertius modus dicendi eſt Gabrielis Vazquez *in præſenti diſp.* 190. ubi totam eam gratiam reducit ad quandam cogitationem, quam ipſe vocat ſanctam, ſeu congruam: quia eſt cogitatio boni honeſti præcedens conſenſum voluntatis, eidemque voluntati ita attemperata, ut poſita prædicta cogitatione infallibiliter operetur. Non autem ſatis declarat, unde proveniat infallibilis connexio talis cogitationis cum conſenſu voluntatis. *Suarez.* Sed pro illo id explicat Suarez *citato lib.* 1. *cap.* 11. dicens prædictam connexionem non fundari in aliqua ratione exiſtente in ipſa cogitatione antecedenter ad prædictum conſenſum, & inferente illum ex natura rei: hanc enim pro viribus cavere nititur, ut longius abeat ab efficacia præmotionis phyſicæ, quæ ex natura rei habet inferre actum, pro quo exhibetur, ſed recurrit ad ſcientiam mediam, per quam, inquit, prævidet Deus, quando voluntas ex ſe operatura ſit, & prædicta cogitatione bene uſura, ſi ea præveniatur. Et in hanc Dei præſcientiam connexionem illam reducit, totamque differentiam cogitationis congruæ à non congrua ab effectu ſumendam autumat, nempè à voluntatis concurſu, qui ubi ſequitur cogitationem, reddit illam congruam; ubi verò non ſequitur, incongruam relinquit: atque ita non illa quam Vazquez vocat gratiam, ſed uſus, & conſenſus voluntatis juxta Suarij doctrinam conſtituit cogitationem in ratione congruæ.

Probatur ex Script. 55. Argumenta pro hac ſententia ferè communia ſunt prædictis tribus dicendi modis, & ideo promiſcuè ea proponemus, & diluemus, non prætermiſſis, quæ pro uno vel altero ſpecialius militare videntur. Adducemus autem ſimul, quæ ex diverſis Auctoritatibus deſumuntur, quia majori ex parte eiſdem gaudent ſolutionibus. Primò ergo arguitur ex ſacra Scriptura, quæ bona noſtra opera ità divinæ gratiæ adſcribit, quaſi abſque illa nihil prorſus boni facere valeamus, & ita *Ioann. cap.* 15. ait Chriſtus Dominus. *Sine me nihil poteſtis facere.* Et Paul. 1. ad Corinthios cap. 4. *Quid habes, quod non accepiſti? Quid gloriaris, quod non acceperis.* Et 2. ad Corinth. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Et ad Epheſios cap. 2. *Ipſius enim factura ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus*, &c. Et ad Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, &c. Ex omnibus his locis nititur Vazquez ſuam ſententiam deducere. Ex primo, quia ſi poſſemus aliquod opus bonum ſine gratia Chriſti, aliquid jam poſſemus facere ſine ipſo Chriſto Domino, falſificareturque univerſalis illa negativa: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ex ſecundo: quia ſi homò tale opus ſine gratia faceret, in ipſo utique gloriari poſſet, quaſi ex ſe habito, & non aliunde accepto. Ex tertio: quia cum opus bonum neceſſariò præcedat bona cogitatio, ſi nec cogitare ex nobis ipſis, ſeu abſque gratia poſſumus; à fortiori nequibimus ſine illa operari. Ex quarto: nam propterea dicimur creati in bonis operibus, &c. quia ſicut creatio ex nihilo procedit, ita & bona opera abſque ullo ex nobis præcedente Deus gratuita voluntate præparavit. Ex ultimo denique; quia ita oſtendit Paulus, tam initium bonæ voluntatis, quàm operis conſummationem ex Dei gratia nobis provenire.

Ioann. 15. 1. ad Cor. 4. 2. ad Cor. 3. Ad Epheſ. 2. Ad Philip. 2.

Ex Conciliis verò Objicit 1. Palæſtinum ubi Pelagius coactus fuit retractare hanc propoſitionem. *Ex Conciliis. Palæſtinum.* *Gratia Dei, & ejus adjutorium non ad ſingulos actus datur, ſed in libero arbitrio eſt, vel in lege, atque doctrina.* Sentiebat ergo Concilium pro ſingulis bonis operibus neceſſariam eſſe gratiam; aliàs prædictam propoſitionem, ubi contrarium enunciatur, non compelleret revocare. 2. Objicit Concilium Arauſicanum. Can. 9. ubi dicitur: *Arauſicanũ.* *Domini miſericordia eſt cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia tenemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Et Can. 22. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*, & ſimili modo loquitur Can. 11. & Can. 23.

Præterea opponit nobis ex Summis Pontificibus Innocentium primum in Epiſt. 23. ad Patres *Ex Sum. Pont. Innocentius primus.* Concilij Milevitani (quæ inter Epiſtolas Divi Auguſtini eſt 93.) ubi ait: *Voluntati liberæ non niſi adjutorium Dei eſſe nectendum, eamque nihil poſſe cæleſtibus præſidiis deſtitutam.* Addit etiam teſtimonium Cæleſtini I. in Epiſt. 1. (Quæ ſcripta fuit contra Maſſil.) Can. 6. ubi uſus verbis Zozimi, *Cæleſtinus primus.* qui paulò ante præfuit Eccleſiæ ſic ait: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus* (ſcilicet Dei) *non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus, cogitationibus, motibus adjutor, & protector orandus eſt: ſuperbum eſt enim, ut quidquam ſibi humana natura præſumat.* Nihil ergo boni relinquitur pro quo humana natura gratiæ adjutorio non indigeat.

56. Ulterius ex ſanctis Patribus multa adducit teſtimonia, quæ prædictam ſententiam con- *Ex Patribus.* firmare videntur. Hujuſmodi eſt illud Cypriani *Cyprianus.* apud Auguſt. lib. 2. retract. cap. 1. *In nullo glo- D. Auguſt. riandum quando noſtrum nihil eſt.* Et epiſt. 47. idem Auguſt. *Legimus eis* (inquit) *librum Beatiſſimi Cypriani, de oratione Dominica, & oſtendimus, quemadmodum docuerit omnia, quæ ad mores noſtros pertinent, quibus rectè vivimus, à Patre noſtro, qui in cœlis eſt, eſſe poſcenda, ne de libero præſumentes arbitrio à divina gratia excidamus.* Divus Ambroſ. epiſt. 84. clariſſimus vi- *Ambroſ.* detur pro prædicta ſententia dum ſic ait: *Sicut alienus eſt à numero fidelium, qui in aliquo à Catholica veritate diſſentit, ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur, quaſi homo auxilio Dei in quadam actionum ſuarum parte egeat, in quadam autem non egeat: ſitque ullum tempus, ullumve momentum, quod perniciofum illi eſſe non poſſit, ſi ab eo Spiritus ſanctus defuerit*, &c. Et Divus Ambroſius alienum putat à Catholica veritate negare neceſſitatem divini adjutorij pro aliquibus noſtrarum actionum. Damnat ergo noſtram ſententiam, quæ aſſerit non requiri pro omnibus. Accedit Hieron. *in* *Hieronym.* *epiſt. ad Cteſiphontem*, contra Pelagium, ubi illum ſacrilegum vocat; quia negabat auxilium Dei eſſe nobis neceſſarium pro quibuſvis quantumvis minimis operibus, & adducit in exemplum, curvare digitum, manum, ſedere, ſtare, ambulare, ſputa jacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, & ſimilia pro quibus cùm Pelagius neceſſitatem divini auxilij renuiſſet concedere, ſic ad eum loquitur: *Audi ingrate; immò ſacrilege Apoſtolum* 1. ad Cor. c. 10. prædicantem, *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite.* Et inferiùs in eadem epiſt. Objicit Criſtobolus nomine ipſius Pelagij in hunc modum: ſi in ſingulis rebus, quas agimus, Dei utendum eſt adjutorio, ergo & calamum

Digitized by Google

re, jejunare, flere, ridere & cætera hujuſmodi, niſi Deus juverit non poterimus? Cui objectioni reſpondet Hieronymus, vel Athicus ipſius nomine concedendo illationem. *Juxta meum ſenſum* (inquit) *non poſſe perſpicuum eſt*. Teſtimonia hæc Hieronymi ait Vazquez uſque adeò perſpicua ſunt pro hac ſententia, cùm exemplis utatur minimarum virtutum, ut nulla indigeant explicatione.

Ex D. Aug. Præcipuum verò ſuæ opinationis patronum putat D. Auguſt. cujus penè innumera teſtimonia pro ſe eſſe arbitratur, & primò adducit illum *lib. de hereſ. cap.* 88. ubi loquens de Pelagianis ſic ait: *Illam verò gratiam ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt, niſi in libero arbitrio*, &c. Quibus ut Auguſt. contradiceret ſubdit: *Nos autem ad hoc per donum Spiritus ſancti, ut quæ didicerimus eſſe facienda faciamus.*

Deinde epiſt. 89. quæ eſt ad Hilarium: *Valet* (inquit) *liberum arbitrium ad opera bona, ſi divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo, & faciendo: deſertum verò divino adjutorio, qualibet ſcientia legis excedat, nullo modo habebit juſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem impiæ ſuperbiæ, & exitioſum tumorem.* Quibus conſonat *ſerm.* 13. *de verbis Apoſtoli*, ubi ait: *Prorſus ſi defuerit* (ſcilicet adjutorium Chriſti, & Spiritus ſancti) *nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, ſed malè.* Et rurſus: *cùm dico tibi, ſine adjutorio Dei nihil boni dico, nam ad malè agendum habes ſine adjutorio Dei liberam voluntatem.*

Ex D. Proſp. Accedit Proſper Auguſtini diſcipulus *in lib. contra collatorem cap.* 24. ubi inter Pelagij Celeſtiique commenta rejicit doctrinam aſſerentium gratiam Dei non ad ſingulos actus dari; damnatque Caſſiani ſententiam quaſi blaſphemam, quia dixit *Cavendum nobis eſſe, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referamus, ut nihil niſi quod malum, atque perverſum eſt, humanæ adſcribamus naturæ.* Omittimus teſtimonia Pauli Oroſij, Gregorij Magni, Petri Diaconi, Fulgentij, D. Bernardi, & aliorum, quæ ſupradictus Autor citat, vel adducit, quia nihil addunt ſupra ea, quæ retulimus.

Ex D. Thom. 57. Denique opponit nobis D. Thomam, cujus teſtimonia adeo perſpicua ſibi viſa ſunt pro hac opinione, ut nec latum unguem à mente ejus diſcedat. Sumit ergo primum teſtimonium ex *quæſt.* 24. *de verit. art.* 14. quatenus habet ibi Angelicus Doctor, quod licèt bonum illud, quod eſt naturæ humanæ proportionatum, poſſit homo ſine gratia gratum faciente, non tamen ſine Deo, & poſt aliqua, quæ in probationem adducit, addit: *Unde ſi gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis ſalutem, ſic nec ullum bonum homo poteſt facere ſine gratia Dei.* Secundum deſumit *ex* 2. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 1. ubi in ſolutione ad primum ſic habetur: *Gratia dupliciter dicitur: uno modo donum gratuitum, alio modo ipſe Deus gratis dans, dona autem gratuita propriè dicuntur, quæ naturalibus ſuperaddita ſunt, ſine quibus bonis homo multa bona facere poteſt, quamvis non meritoria: nihil tamen boni poteſt facere ſine gratia Dei, ſecundum quod intelligitur gratia ipſe Deus gratis dans.* Ita habet Textus quamvis Vazquez aliter verba referat: tur gratiam per modum auxilij, prout diſtinguitur a gratia gratum faciente, quæ eſt habitus. Et hanc credidit eſſe Angelici Doctoris ſententiam, tota hac quæſtione 109. ubi à primo uſque ad nonum articulum ferè per ſingulos meminit auxilij Dei moventis, ejuſque neceſſitatem ſtatuit pro aſſequenda qualibet veritate, & pro quovis bono opere eliciendo. Immò *art.* 6. & 7. & 9. expreſſè nominat auxilium gratiæ, vel auxilium gratuitum. Sicut etiam 2. 2. *quæſt.* 136. *art.* 3. *ad* 2. apertè ait: non poſſe voluntatem abſque auxilio gratiæ Dei proſequi bonum politicæ virtutis. *Quod ſi velis* (ait prædictus Autor) *juxta varias materias de quibus in his articulis tractas ipſum interpretari, nunc de auxilio Dei moventis, nunc autem de auxilio gratiæ moventis; hanc explicationem non ex aliquo verbo ſancti Thomæ, ſed ex tuo cerebro depromes, ac proinde frivola cenſeri debet.* Hæc ille ſatis in conſequenter ad ſuammet doctrinam, ut poſtea videbimus.

§. VII.

Satisfit omnibus adductis teſtimoniis, eorumque legitimus ſenſus declaratur.

58. UT breviùs, & faciliùs omnibus adductis teſtimoniis occurramus, & quæ fuerit in illis mens Sanctorum Patrum, & Conciliorum evidentiùs appareat, obſerva omnia illa, quatenus nobis opponi videntur, ad has quatuor propoſitiones reduci: nempè quod *ſine Deo, ejuſque adjutorio, vel auxilio nihil poſſumus facere; quod ex nobis non habemus, niſi mendacium, peccatum, & malitiam: quod nullum bonum poſſumus facere abſque gratia, aut per ſolas vires liberi arbitrij: quod talis gratia non utcumque, ſed pro ſingulis actibus eſt nobis neceſſaria ad rectè vivendum, & rectè operandum.* Secundò nota in omnibus prædictis teſtimoniis ſermonem eſſe contra Pelagium, & ejus ſequaces, qui prædictas propoſitiones negabant, & contraria dogmata ſtatuebant, & ideo ex iſtorum aſſertis venandus eſt legitimus illarum ſenſus, & quouſque prædictam de gratia doctrinam Sanctorum Patrum voluerint extendere. Ut autem *diſput. præcedenti cap.* 4. obſervavimus, primus Pelagij error fuit: naturam humanam per proprias vires liberi arbitrij ſufficere ſibi ad nunquam peccandum, ad ſervandam totam Dei legem, ad rectè, ſanctéque vivendum, & ad vitam æternam conſequendam. Proindeque ad nullum iſtorum gratiam Dei eſſe neceſſariam; quapropter, & ipſum gratiæ nomen iniquè ferebat. Coactus verò argumentis Catholicorum ab hujuſmodi errore recedere, excogitavit alium, quo illum revocare videretur, revera tamen palliaret, & tegeret, admiſit ergo gratiæ nomen, ut verbo invidiam frangeret: ſub eo tamen non aliquid naturæ indebitum, & intrinſecè ſuperadditum, per quod ad agendum ſupra naturales vires elevaretur, ſed naturam ipſam, ejuſque liberum arbitrium, quatenus à Deo gratis condita fuerunt, ſubdolè intelligebat. Exindeque inferebat eam, quam vocabat gratiam non dari ad actus ſingulos, immo neque ad ullùm determinatè, & in particulari; ſed in ipſo libero arbitrio ſitam eſſe, vel etiam in lege atque doctrina. Tertiò pervenit Pelagius, ut admitteret gratiam internam, ſuperadditam, & infuſam,

Notanda pro difficultatum expeditione.

Pelagij aſſerta.

fuſam libero arbitrio, haud tamen credidit eſſe illi ſimpliciter neceſſariam, ſive ad non peccandum, aut bene agendum, ſive vitam æternam poſſidendum, ſed dumtaxat, ut ea, quæ ex ſe ægrè licet, & cum difficultate operari poterat, melius, & faciliùs exequeretur. Immò etiam quo ad hoc non ita requirebat gratiam, ut inde actus noſtræ voluntatis inciperent, ſed ut propriis viribus liberi arbitrij jam cœpti per ſupervenientem gratiam complerentur. Ex quo volens nolens fateri cogebatur gratiam illam propter opera, & merita noſtra dari, ac proinde non eſſe gratiam, ſed potiùs quid debitum naturæ.

Quem errorem non nihil temperatum ſectati ſunt, qui dicti ſunt poſtea Semipelagiani, propterea, quod licèt in aliis Pelagio opponerentur, in hoc tamen non omnino ab eo recedebant, ut vidimus *cap.* 5. §. 3. Aiebant enim gratiam non ſolùm ad melius, vel facilius, ſed ſimpliciter eſſe neceſſariam ad aſſequendam peccatorum remiſſionem, & vitam æternam promerendam; ipſum tamen gratiæ initium ſaltem multoties libero arbitrio reſervabant, ut propria ſalus uniuſcujuſque in ejus poteſtate eſſet conſtituta. Et ideo dicebant, neceſſarium, aut conveniens eſſe, quod homo ex ſe ipſo incipiat, & gratiam præveniat petendo, pulſando, quærendo per aliquem bonum motum, quem Deus poſtea perficiat, & promoveat, ſitque talis motus prima cauſa juſtificationis ex parte noſtra, & non nullum meritum gratiæ ſupernaturalis, quæ omnia ſatis conſtant ex his, quæ loco citato ex Fauſto, & Caſſiano expendimus.

Gratia, quam Pelagius nunquam conceſſit. Quartum denique, ac perpetuum tam Pelagianorum, quàm Semipelagianorum aſſertum fuit Deum non concurrere ad actus noſtri liberi arbitrij ſive naturales, ſive ſupernaturales efficaciter illud præmovendo, & applicando; ſed ipſum liberum arbitrium ſemel à Deo creatum, & cum ſufficienti virtute inſtitutum movere, & applicare ſe ad proprium actum abſque alia Dei motione in ipſo recepta: non enim cum tali motione jura noſtræ libertatis componere unquam valuerunt, aut voluerunt; ſed per eam fatalem neceſſitatem nobis induci: contra Divum Auguſtinum, & ejus diſcipulos perpetuò cauſabantur, ut liquet ex dictis *loco citato* §. 3. Quin etiam Pelagius nimium, & ſuperfluum judicabat pro omnibus, & ſingulis etiam minimis operibus ad Dei adjutorium, prædictam, ſcilicet motionem recurrere, indignumque Deo arbitrabatur circa hominum operationes, ita occupari. Hæc omnia Pelagianorum, aut Semipelagianorum fuiſſe aſſerta cùm *diſp. præcedenti cap.* 3. *&* 4. oſtenſum ſit; ſuperſedendum modò eſt majori probationi.

Mens S. Patrum. 59. Ut verò ſancti Patres, & Concilia tria priora eliminarent; potiſſimùm eam doctrinam circa neceſſitatem gratiæ ſtatuere curarunt, per quam totum noſtræ ſalutis, juſtificationis, & glorificationis negotium divinæ gratiæ, & miſericordiæ tribuatur; nihilque ad prædictam ſalutem conducens humano arbitrio ſecundùm ſe, & gratia deſtituto reſervetur: quoties ergo requirunt gratiam pro quovis bono opere, aut quoties aiunt nullum bonum opus, ſine illa poſſe à nobis fieri (ſi ſermo ſit de gratia propriè dicta) loquuntur de operibus per ſe tendentibus, & conducentibus ad prædictam ſalutem, ſive per modum meriti, ſive per modum diſpoſitionis, aut impetrationis; ſi enim aliquod hujuſmodi operum abſque gratia per ſolas vires liberi arbitrij fieri poſſe concederent, tenerentur admittere aliquod juſtificationis initium in ipſum liberum arbitrium ſecundùm ſe eſſe reducendum, & non totum ſalutis noſtræ negotium divinæ gratiæ adſcribendum: quod erat aſſumptum prædictorum hæreticorum. Per hoc tamen nullatenus negare voluerunt ſufficientiam ipſius liberi arbitrij ad aliqua bona opera, quæ nullo ex prædictis modis ad animæ ſalutem, & juſtificationem conducunt; ſed habent ſe omnino ad illa de materiali, & quaſi non eſſent.

60. Neque obſtat, quod in multis ex prædictis teſtimoniis ſermo eſt univerſalis de omnibus, & ſingulis bonis operibus ſine alicujus excluſione, & ſine reſtrictione; vel determinatione ad ea, quæ ad ſalutem animæ conducunt. *Objectio diluitur.*

Hoc itaque non obeſt: nam multa alia ſunt Patrum, & Conciliorum teſtimonia, quæ prædictam determinationem expreſsè continent, & per quæ regulari, & explicari debent, quæ expreſſe illam non habent. Sufficeret autem pro omnibus D. Auguſt. *lib.* 4. *contra Iulianum cap.* 3. ubi ſic ad hæreticum loquitur: *Quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona; non tamen ea ad ſalutem ſempiternam, regnumque perducere: ſcito nos illud bonum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum ſine Dei gratia, quæ datur per unum mediatorem Dei, & hominum, nemini poſſe conferri, per quod ſolùm homo poteſt ad æternum Dei donum, regnumque perduci.* Cùm ergo Auguſt. dux, & caput aliorum, qui pro neceſſitate gratiæ dimicarunt, ita palam hoc loco ſe explicaverit; nulla ſuppetit dubitandi ratio, quo minus tam ipſe, quàm alij voluerint cum prædicta reſtrictione, & determinatione ubique intelligi, quantumvis abſolutè, & ſine illa loqui videantur. **D. Auguſt.**

Sed multoties alibi eam etiam expreſsè adhibet, dum opera pro quibus gratiam requirit, dicit eſſe illa, quæ ad veram juſtitiam, & ad pietatem pertinent, ut videre eſt *lib. de gratia Chriſti cap.* 26. ibi: *Gratiam Dei ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam ſine illa fieri poſſe non dubitet.* Et eodem modo loquitur *lib. de prædeſt. Sanctorum cap.* 2. *de bono perſever. cap.* 13. *de gratia, & libero arbitrio, cap.* 28. *&* 29. *ſermone* 13. *de verbis Apoſtoli cap.* 17. *epiſtola* 107. & ſæpè alibi. Certum eſt autem apud D. Auguſt. non mereri veræ juſtitiæ, & pietatis nomen, niſi quæ ex fide eſt, & quæ ad ſalutem æternam conducit: ut ex multis ejus locis oſtendit Suarez *citato lib.* 1. *cap.* 2. **Idem.**

61. Eandem reſtrictionem apponunt alij Patres Auguſtini ſucceſſores, ut Fulgentius *lib. de Incarnatione, & gratia Ieſu Chriſti cap.* 19. *& cap.* 21. ibi: *Nullus autem eſt, qui naturaliter* (id eſt abſque gratia) *poſſit credere in Filium Dei, aut aliquid boni velle, quod pertinet ad vitam æternam.* Proſper ad capita Gallorum reſponſ. 8. *Dicamus gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum non ſolùm ad conſequendam, verùm etiam ad faciendam juſtitiam nos per actus ſingulos adjuvare: ita nihil ſanctè, veraque pietatis ſine illa habere, cogitare, aut agere valeamus.* Petrus Diaconus *lib. de Incarnatione, & gratia cap.* 6. cùm dixiſſet per gratiam dari homini cogitare, deſiderare, quæ pertinent ad vitam æternam, addit: *Sine hac igitur gratia poteſt quidem cogitare, & deſiderare humana, non autem poteſt cogitare, aut velle, ſeu deſiderare divina.* Simili modo loquuntur D. Iſidorus, D. Anſelmus, ille *lib.* 2. *ſent. cap.* 5. hic verò *lib. de concord. parte* 3. & alij. **Fulgentius.** **Proſper.** **Petrus Diaconus.** **D. Iſidorus.** **D. Anſelmus.**

Sed

bus ab initio fidei ad Deum tenditur. Clariſſimè etiam loquuntur Concilia, præſertim Arauſicanum can. 7. qui eſt hujuſmodi. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad ſalutem pertineat vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere ſive ſalutari (id eſt Evangelizanti) prædicationi conſentire poſſe affirmat, &c. hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis ſine me nihil poteſtis facere, &c.* can. verò 5. addiderat, *ſicut oportet.* Prout etiam addit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 3.*

Conc. Arauſ.

Tridet.

Accedit quod cum iidem Patres dicunt nullum bonum, aut nullam virtutem poſſe haberi ſine gratia, addunt multoties ſe loqui de eo, quod eſt verè bonum, & de illa, quæ eſt vera virtus; non autem verum bonum, aut veram virtutem appellant, niſi quæ æternum, & ſummum bonum, atque adeo ſupernaturalem finem reſpiciunt: temporalia autem, quæ ſiſtunt in hac vita, & ad æterna non conducunt, quamvis in ſe proba, & honeſta videantur, apud ſanctos, & fidei illuminatos (quibus nonniſi æterna in æſtimatione & pretio ſunt) pro nihilo habentur, inaniaque, & umbratica dicuntur more Scripturæ, quæ terrena omnia, honores, divitias, voluptates, & ſimilia *vana*, & *fallacia* appellat, & multoties nihilo comparat, & in hoc ſenſu loquutus eſt multoties D. Auguſtinus negans antiquis philoſophis veram juſtitiam, & veras virtutes: non quia omnibus moralibus deſtituti eſſent; ſed quia cum eorum opera ad vitam æternam non conducerent habita ratione ad virtutes gratia informatas, & vitæ æternæ fructum ferentes, ut umbræ potiùs, & ſpectra, quam ut veræ virtutes apud illum habebantur.

Denique ubi teſtimonia adducta, vel alia ita requirunt adjutorium, & auxilium Dei pro omnibus bonis operibus, ut nullum quantumvis minimum, & naturale à neceſſitate ejus excludunt, ſive utantur nomine *adjutorij, motionis*, vel *auxilij*, ſive etiam nomine *gratiæ*; non loquuntur determinatè de gratia propriè dicta, ſed ut extenditur etiam ad concurſum communem, & generalem, quo Deus omnes cauſas ſecundas, maximè verò liberum arbitrium præmovet, & applicat ad agendũ in omnibus, & ſingulis operibus ab eo eliciẽdis: ut ita rejiciat quartum dogma ſupra recẽſitum, negans prædictũ Dei cõcurſum, & applicationem.

Doctrina ſupra tradita applicatur.

62. Ex his manet planus ſenſus locorum Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ nobis opponuntur. Ubi enim ſermo eſt de quibuſvis operibus bonis, ſine ulla exemptione, adjutorium Dei ad illa requiſitum, non eſt determinatè auxilium gratiæ propriè dictæ, ſed quod abſtrahit à gratia, & communi, & generali concurſu. Ubi verò de gratia propriè dicta ſermo ſit, ejus neceſſitas ſolùm eſt intelligenda pro operibus conducentibus ad vitam æternam, & ad ſpiritualem ſalutem. Utraque enim exceptio adaptari poteſt ferè omnibus prædictis teſtimoniis. Nam juxta primam optimè verificantur omnia illa loca Scripturæ, nempè quòd ſine Deo nihil poſſumus facere; & quod nihil habemus ita ex nobis, ut in eo gloriari poſſimus, quaſi ex Deo acceptum non ſit, & quod ſine illo, ſeu ex nobis, quaſi ex nobis non ſumus ſufficiẽtes aliquid boni cogitare, & quòd ipſe operatur in nobis, & velle, & perficere; quia neutrum præſtabimus niſi per prædictum concurſum moveamur ad volendum, & agendum. Et ſimiliter verificatur,

cunda expoſitio, quæ etiam omnibus aliis congruenter adaptatur.

Conceſſo ergo, vel admiſſo, quod in omnibus ſermo ſit de gratia propriè dicta, dicimus eſſe intelligenda de operibus conducẽtibus ad animæ ſalutem, ut eadem loca non obſcurè indicant, & alià, quæ nuper ex Conciliis, & Patribus adduximus apertè declarant. Alia verò opera, quæ ad prædictã ſalutem non referunt, ob idque licèt proba, & honeſta ſint, numerantur inter bona omnino temporalia, & citò peritura, à Scriptura ſacra omittũtur, & pro nihilo habẽtur juxta illud Pauli 1. ad Cor. c. 12. *Si charitatem non habuero, nihil ſum.* Utraque autem expoſitione utitur D. Thom. *in 2. diſt. 28. q. 1. art. 1. & 5. & ſuper c. 15.* Joan. ad illa verba: *ſine me nihil poteſtis facere.* Ubi ſic ait: *In quo, & corda inſtruit humiliũ, & ora obſtruit ſuperborum, & præcipuè Pelagianorum, qui dicunt bona opera virtutum, & legis ſine Dei adjutorio ex ſe ipſis facere poſſe. In quo dum liberũ arbitrium aſſerere volunt, ipſum magis præcipitãt. Ecce enim Dominus hic dicit, quod ſine ipſo non ſolum magna, ſed nec minima, immò nihil facere poſſumus. Nec mirũ quia nec Deus ſine ipſo aliquid facit: ſupra c. 1. Sine ipſo factum eſt nihil. Opera enim noſtra, aut ſunt virtute naturæ, aut ex gratia divina: ſi virtute naturæ, cum omnes motus naturæ ſint ab ipſo verbo Dei; nulla natura ad aliquid faciendum moveri poteſt ſine ipſo. Si verò virtute gratiæ, cùm ipſe ſit autor gratiæ; quia gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, manifeſtum eſt, quod nullum opus meritorium ſine ipſo fieri poteſt: 2. Corinth. 3. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis.* Hæc D. Thomas, quæ utramque noſtram expoſitionem continent.

63. Quamlibet autem ſequamur (ut ad alia accedamus teſtimonia) ſufficienter falſitatis convincitur propoſitio à Pelagio retractata in Concilio Paleſt. nempè: *Quod gratia Dei, & ejus adjutorium non ad ſingulos actus datur, ſed in libero arbitrio eſt*, &c. Qui enim ſolum liberum arbitrium gratiæ nomine intelligebat, etiam pro ipſis actibus ad ſalutem conducentibus veræ gratiæ neceſſitatem etiam pro illis non agnoſcebat; neque pro quibuſlibet aliis actualem Dei motionem, & auxilium requirebat.

Canones adducti ex Concilio Arauſicano juxta quamlibet expoſitionem verum ſenſum habent: congruentibus tamen alia ejuſdem Concilij intelliguntur juxta ſecundam expoſitionem. Ni fortè can. 22. ubi dicitur neminem habere de ſuo niſi mendacium, & peccatum. Nam hoc verum eſt de defectibus, quos homo habet omnino ex ſe; & ex propria defectibilitate, ad quos non concurrit Deus etiam per communem motionem: quia abſolutè loquendo non concurrit ad aliquod peccaminoſum. Sed etiam hic locus admittere poteſt ſecundam expoſitionem: quia in ordine ad ſalutem animæ, & ad vitam æternam, ea ſolum conſideranda ſunt, quæ vel ad ipſam conducunt ſicuti actus ex gratia procedentes, vel ab ea avertunt, aut retardant, ſicut ſunt peccata, quæ homo habet nonniſi ex ſe ipſo. Alij verò actus, qui neque ſunt peccata, neque ex gratia ortum habent, etiamſi honeſtate naturali non careant, omittuntur à Patribus, quia neutro modo ad animæ ſalutem comparantur, neque ejus per ſe intereſt, ſive fiant, ſive non fiant.

64. Per

Digitized by Google

Ad Pontifices. 64. Per quod patet etiam ad teſtimonia Summorum Pontificum Innocent. & Cæleſt. necnon D. Cypriani, & D. Ambroſij, omnibus enim quadrat utraque expoſitio. Melius tamen intelliguntur juxta ſecundam, eo quod Pontificibus, & ſanctis Patribus præcipua cura fuit de iis, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, & veram gratiam ſupra naturæ meritum exquirunt. Simul tamen ut quartum illud Pelagianorum, & Semipelagianorum dogma rejicerent, extendebant multoties ſuam doctrinam ad neceſſitatem prævij concurſus Dei pro quibuſvis actibus, exceptis dumtaxat peccaminoſis.

Ad Patres. 65. Locus D. Hieronymi ſpecialiter ſibi vendicat primam expoſitionem: quia multa, quæ ibi commemorantur, non conducunt ad vitam æternam, & poſſunt fieri abſque ulla vera gratia. Requirunt tamen omnia prævium Dei concurſum ob communem dependentiam cauſæ ſecundæ à prima. Et quia Pelagius hujuſmodi dependentiam, & concurſum negabat, ingratus, & ſacrilegus vocatur, nolens Deo retribuere excellentiam, & honorem, qui ob prædictam dependentiam ipſi debetur. Qua expoſitione tenebitur uti ipſe Vazquez ſi velit actus illos ambulandi, ſedendi, loquendi, calamum temperandi, digitum movendi, & alios de quibus ibi eſt ſermo, etiam in individuo apud D. Hieronymum eſſe omnino indifferentes: ut de eiſdem, & ſimilibus contendit, *tom.* 1. *in* 12. *diſput.* 92. Cùm enim pro actibus indifferentibus nemo hactenus veram gratiam requiſierit; adjutorium, quod Divus Hieronymus adſtruit juxta illum dicendi modum non ad veram gratiam, ſed ad generalem concurſum debet pertinere.

Teſtimonia Divi Auguſtini lucem habent ex aliis ejus locis, præſertim ex illo contra Julianum *lib.* 4. *cap.* 3. cujus verba ſuprà retulimus; ubique enim dum gratiam pro bonis actibus requirit, & quidquid ſine illa fit, inter peccata rejicit, loquitur reſpectivè ad ſalutem animæ, proinde de his tantùm operibus, quæ prodeſſe, vel obeſſe poſſunt hujuſmodi ſaluti: qualia non ſunt opera etiam bona, quæ ſine gratia fieri diximus, ſicut neque opera indifferentia, quæ Vazquez etiam in individuo admittit, & pro quibus uti habet hac noſtra expoſitione. Eundem ſenſum habet D. Proſper, ut ſatis declarant ejus verba; loquitur enim de meritis Sanctorum, quorum aliquid volebat Caſſianus à gratia extrahere, & libero arbitrio ſecundùm ſe adſcribere. Et ob hanc præcipuè rationem impugnatur à Divo Proſpero; non verò quia aliquod opus bonum ad vitam æternam non conducens eidem libero arbitrio, ut adjuto, & moto per generalem Dei concurſum reſervaret; & eodem ferè modo juxta unam, vel aliam, vel utramque expoſitionem intelligendi ſunt alij Patres, quorum verba omiſimus.

Vindicatur D. Thom. 66. Supereſt declarandus D. Thomas, quem mirum eſt voluiſſe Vazquez in ſuum ſenſum adducere; cùm ita palam pro nobis loquitur, ſicut vidimus *num.* 33. Reſpondetur ergo omnia loca, quæ ex illo citantur, clariſſimè admittere, immò & continere unam ex duabus expoſitionibus ſupradictis. Aut enim non loquitur de gratia, quæ verè, & propriè ſit talis; ſed de communi, & generali motione, qua Deus applicat ad agendum quamlibet cauſam ſecundam, juxta ea, quæ ex Sancto Doctore circa primum articulum hujus quæſtionis obſervavimus; aut loquitur de operibus conferentibus ad ſalutem animæ, & vitam æternam. Priorem ſenſum habent, quæ citantur ex hac quæſtione 109. à primo uſque ad quartum articulum. Quantum ad primum autem nec Vazq. id negare potuit, quamvis ſcire diſſimulet: nam ſermo ibi eſt in ordine ad cognoſcendum verum, etiam ſpeculativũ, ad quod fatetur prædictus Autor non requiri veram gratiam per Chriſtum, & conſequenter fateri etiam tenetur auxilium Dei, de quo in prædicto articulo, non contineri ſub prædicta gratia, ſed ſub communi, & generali Dei motione. Et eundem ſenſum habent Loca *ex* 2. *diſt.* 28. *& ex quæſt.* 24. *de veritate art.* 14. Niſi quod in verbis, quæ ex hoc poſteriori loco afferuntur, commemorat opera ordinata ad ſalutem hominis, & dum de iſtis loquitur ſine præjudicio noſtræ ſententiæ poteſt intelligi de gratia propriè dicta. De eadem ſermonem facit in præſenti *art.* 6. 7. *&* 9. quia loquitur de actibus per ſe conducentibus ad vitam æternam, in 6. enim loquitur de diſponentibus ad gratiam, in 7. de iis, quibus homo à peccato reſurgit: & in 9. de illis, quos elicit jam in gratia conſtitutus, quando per actus ſuos bonos meretur vitam æternam de condigno. Ob has ergo rationes in his tribus poſterioribus articulis auxilium, quod requirit, nominat auxilium gratiæ, vel gratuitum: quod non fecerat in aliis prioribus, ubi ſermo erat de operibus, quæ ſiſtunt in ordine naturali: Unde non ex proprio cerebro, ſed ex doctrina, & verbis Angelici Doctoris prædicti articuli diverſimodè de auxilio Dei moventis, & de auxilio gratiæ à nobis intelliguntur. Locus *ex* 2. 2. *quæſt.* 136. utrumque ſenſum accipit: convenientiùs autem intelligitur juxta priorem, quia argumentum, cui ſolutio illa adhibetur, procedebat de operibus aliquorum gentilium, de quibus legitur multa mala toleraſſe, ne patriam perderent, aut aliquid inhoneſtum committerent. In gentibus autem, qui ad fidem nullo modo vocati ſunt, non ſatis apparet, quæ fuerit vera gratia, cùm hæc communiter exordium ſumat à fide, vel à vocatione ad ipſam.

§. VIII.

Duo priora argumenta ex ratione pro eadem contraria ſententia.

67. PRæter argumentum ab autoritate omnibus Adverſariis commune, de quo hucuſque egimus, ſuper ſunt alia ex ratione, quæ non omnibus illis communia ſunt: ſicut nec principia, quibus innituntur. Adducemus autem in hoc §. duo tantùm, quę Gregorius in noſtram aſſertionem efformat. Arguit itaque 1. ferè in hunc modum: ut homo operetur aliquem actum ex omni parte bonum, non ſufficit generalis influxus, quem Deus præbet omnibus cauſis ſecundis, ſed debet ſpecialiter ab ipſo Deo moveri, & adjuvari per aliquam qualitatem, vel motionem voluntati impreſſam, quæ una cum ipſa voluntate talem actum efficiat, determinetque illam ad benè operandum: ſed hæc motio habet quidquid requiritur ad rationem gratiæ: ergo pro quovis actu moraliter bono eſt neceſſaria talis gratia. Pro majoris probatione cōgerit Gregorius non pauca, quæ numero ſequenti adducemus. Minorem verò ſuadet: Tum quia prædicta motio non eſt ſolus influxus communis, & generalis, quo Deus concurrit cum omnibus cauſis ſecundis ad quoſcũque earum effectus, & etiam cũ ipſo homine, dum elicit actus pravos, ſed eſt influxus quidã ſpeciaſſiſſimus pro omnibus, & ſolis bonis actibus exhibitus, & per quem non ſolùm cōcurrit Deus cũ voluntate eã partialiter adjuvando, *Argumenta Gregorij.*

ſed

Digitized by Google

ſed ipſam præmovet , & facit concurrere , facit-que , ut efficiat illam (ut ſic dicamus) portionem effectus, quæ eidem voluntati correſpondet. Quid-quid autem Deus præſtat præter generalem , & communem influxum, habet rationem gratiæ. Er-go , &c. Tum etiam quia prædicta motio non eſt debita homini , etiam ex ſuppoſitione , quod ope-raturus ſit : poteſt enim abſque illa , utcumque operari ; ſed quod non debetur naturæ , ex ſola gratia donatur. Ergo , &c.

Suarij ſtudium.

Vidit Suarez hoc argumentum, & animadver-tens , quod ex parte majoris apertè militat pro phyſica præmotione, non curans de minore (per cujus negationem poſſet facilè ſolvi) prædictam majorem multis debellare conatus eſt : Tum quia (ait ille) rem occultiſſimam , & obſcuriſſimam affirmat ſine ullo auctoritatis , vel antiquitatis fundamento : quod vel ex ſcholaſticis Gregorij prædeceſſoribus,vel ex Auguſtino, aut aliis Patri-bus ſumi poſſit. Tum etiam quia nulla poteſt eſ-ſe ratio neceſſitatis illius promotionis magis ad actum bonum , quàm ad malum : ad quem fate-tur Gregorius non præberi à Deo niſi concurſum generalem. Non enim talis ratio ſumi poteſt ex ſubordinatione noſtræ voluntatis ad divinam , ſicut cauſæ ſecundæ ad primam. Nam eandem ſub-ordinationem, & dependentiam habet in elicien-do actu malo , quam habet in eliciendo actu bo-no. Neque ſumi poteſt ex libertate , & indiffe-rentia voluntatis, ratione cujus videatur indigere determinari ad aliquid definitè volendum : nam eandem indifferentiam , & libertatem habet re-ſpectu actus mali, quam habet reſpectu actus bo-ni : & tamen ad illum determinatur, cùm vult, ſi-ne determinante extrinſeco. Tum præterea nam ſi illa motio eſt neceſſaria ad bene volendum , & alicui non datur , ut non rarò evenit, eo ipſo non habebit libertatem ad eliciendam talem volitio-nem : qui enim in ſe , vel in ſua poteſtate non habet omnia principia neceſſaria ad eliciendum aliquem actum , non eſt liber circa ejus elicien-tiam : quia libertas ſimul cum indifferentia dicit ſufficientem poteſtatem ad utrumlibet. Tum de-nique non apparet , quomodo is, cui datur talis motio , habeat libertatem quoad exercitium in actu illo efficiendo : quia nec poteſt impedire re-ceptionem motionis , neque illa recepta po-teſt non agere , aut ſuum influxum ſuſpendere: Utrumque enim Gregorius fatetur : Ergo , &c. Hæc Suarez *citat. lib.*1. *de gratia, c.*9.

Suarez fallitur.

68. In quibus duo imponit Gregorio , à qui-bus ille omnino alienus it : videlicet, & quod ſine ullo aut ex ſcholaſticis, aut ex Patribus præ-ſertim Auguſtino , authoritatis fundamento præ-dictam motionem aſſeruerit , & quod de illa af-firmet, quod cùm fuerit recepta ; non poſſit vo-luntas non agere , aut ſuſpendere actum , pro quo exhibetur : ac proinde quod non liberè , ſed ne-ceſſariò illum eliciat. Primum autem iſtorum fal-ſo imponi prædicto Authori conſtat. Tum ex multis teſtimoniis. D. Auguſtini,quæ in ſui aſſer-ti probationem adducit. Tum etiam quia loqui-tur omninò conſonè ad doctrinam D.Thomæ *hac quæſt.*109. ut notavit Capreolus *citat. diſt.*28. Se-cundum verò alienum eſſe à Gregorij doctrina, etiam liquet : & quia nullibi ita aſſeruit, & quia expreſsè affirmat voluntatem per prædictam mo-tionem non neceſſitari , ſed manere adhuc libe-ram circa elicientiam proprij actus. Quod utrum-que ita perſpicuè tradit , ut Suarez oppoſitum illi impingens vix poſſit hac in parte ab exceſſu libe-rari : ſic enim loquitur Gregorius.

Dico quod licèt Deus frequenter juvet hominem ad bene agendum per aliquod habituale donum, quod cauſat in anima ; non tamen totum ſic juvat , ſed etiam juvat ipſum actum immediatè cauſando , & ad ipſum immediatè movendo potentiam. Unde ho-mo habens gratiam gratum facientem,& aliud quod-cumque habituale Dei donum adhuc ad bene operan-dum indiget alio ſpeciali auxilio Dei ſecundùm do-ctrinam D. Auguſtini, &c. Et paulò inferiùs : *Dico quod Deus juvat non immediatè ipſum actum effi-ciendo,& quòd non ipſe ſolus, ſed etiam voluntas co-efficit ; ſed ut jam tetigi,non ſolùm juvat Deus ad bonum velle partialiter coefficiēdo, qui eſt modus com-munis, quo concurrit ad cujuſlibet creati agentis quem-libet effectum, ut in argumento dicebatur : ſed etiam quodam alio modo ſpeciali , videlicet faciendo ipſam voluntatem partialiter concurrere : ita quod ipſa vo-luntas partialiter cum cauſa applicata , & quaſi in-ſtrumentaliter mota à Deo ad ſic partialiter cauſan-dum. In qua tamen motione ipſa non neceſſitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens , in cujus poteſtate eſt ſequi motionem primi agentis , juvatur , ita ut agat, quæ non ſic adjuta nequaquam ageret potuiſſet. Ad productionem verò actus mali ſolùm primo modo Deus concurrit : quia non facit voluntatem agere actum malum,ſicut facit,eam agere actum bonum. Et hoc eſt illud adjutorium ſpeciale,ſine quo dico nihil nos bonum velle,vel facere. Iſta clarè docet,B. Auguſtinus in lib. de gratia , & libero arbitrio ultra medium, di-cens ſic : certum eſt nos velle, cùm volumus , ſed ille facit , ut velimus bonum de quo dictum eſt , quod ope-ratur in nobis, & velle. Certum eſt non facere , cùm facimus ; ſed ille facit , ut faciamus , præbendo vires efficaciſſimas voluntati ; qui dicit : faciam , ut in ju-ſtificationibus meis ambuletis , & judicia mea ob-ſervetis , & faciatis.* Item paulò pòſt. *Ipſe ut ve-limus operatur incipiens , qui volentibus coopera-tur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus. Certus ſum , quoniam qui operatur in nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Ieſu Chriſti : ut ergo veli-mus ſine nobis operatur , cùm autem volumus ; & ſic volumus , ut faciamus , nobiſcum operatur : tamen ſine illo ; vel operante , ut velimus , vel cooperante cùm volumus , ad bona pietatis opera nihil valemus.* Hæc ipſe. Per quæ verba , ſi bene conſiderentur, patet eum diſtinguere duplicem ibi modum ope-randi circa bonum velle noſtrum , unus ſibi pro-prius , in quo voluntas noſtra non cooperatur, utpote facere nos velle , & ideo ait : *Ut ergo ve-limus ſine nobis operatur , ſine nobis , inquam , ope-rantibus ut velimus , quia licèt voluntas velit , & cauſet volitionem , non tamen facit ſe velle , aut cauſare volitionem. Nec tamen quia Deus facit, ideo ipſa non cauſat : Et propterea ad illud exclu-dendum Auguſt. in lib. de correptione , & gratia* ait: *Qui Spiritu Dei aguntur, inquit , aguntur enim, ut agant, non ut ipſi nihil agant.* de Filiis Dei , de quibus ait Apoſtolus

Alius modus eſt ſibi, & voluntati communis , ſci-licet cauſare volitionem , ideo ait : Cùm volumus no-biſcum operatur , & quia utrumque neceſſa-rium eſt, nec alterum ſufficit ad bene velle , ideo addit: tamen ſine illo operante velimus ,&c. Item in lib. de vera innocentia; quoties (inquit) bona agimus , Deus in nobis , atque nobiſcum , ut operemur, operatur. Item in eodem : Multa Deus facit in homine bona , quæ non facit homo, nulla verò facit homo, quæ Deus non facit ,ut faciat,&c. Quæ verba cùm retuliſſet Ca-preolus , concludit : *Hæc Gregorius, & concordat S. Thomas , 1. 2. quæſt.109. articulis quaſi ſin-gulis.*

69. Ex illis verò evidenter conſtat phyſicas præmotio

Digitized by Google

Phyſica præmotionis antiquitas.

præmotiones, quas diſcipuli D. Thomæ tuentur, non ſolùm à tempore Ariminenſis, ſed à temporibus ipſius D. Thomæ, immò & D. Auguſtini apud Eccleſiæ Doctores, & Theologos agnitas, & celebratas fuiſſe, immeritoque aſſertores ſcientiæ mediæ primum auctorem illarum Dominicum Bañez decantare. Adeo enim ſunt perſpicua pro prædicta præmotione teſtimonia D. Auguſtini à Gregorio allata, & ejuſdem Gregorij verba, præſertim ab illis: *Non ſolùm juvat Deus ad bonum velle partialiter coefficiendo, &c. Sed etiam quodam alio modo ſpeciali videlicet faciendo ipſam voluntatem partialiter concurrere, ita quod ipſa voluntas partialiter concauſat applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo ad ſic partialiter cauſandum, &c.* Ut non niſi violentiſſimè alium ſenſum admittant. Et propterea ipſe Suarius, qui in prioribus opuſculis *lib.* 1. *de auxiliis*, *cap.* 14. & *lib.* 2. *cap.* 13. perſuadere conatus fuit, neque Gregorium Ariminenſem, neque alium antiquum Scriptorem agnoviſſe etiam ad actus bonos motionem Dei phyſicè prædeterminantem, cui voluntas non poſſit reſiſtere; in poſterioribus de gratia ſcriptis, re meliùs perſpecta aſſertionem prædictæ motionis Gregorio reſtituit. Ut videre eſt *lib.* 1. *de gratia*, *citat. cap.* 9. Ubi propterea invehitur in illum; quia motio adeo efficax videtur ſibi officere libertati. Conſtat etiam Gregorium, nullatenus negaſſe voluntatem affectum ea motione poſſe actum ſuſpendere, & non operari; ac proinde manere liberam, & non neceſſitatam ad agendum: potius enim expreſsè ille affirmat, ut patet ex illis verbis. *In qua tamen motione ipſa*, (ſcilicet voluntas,) *non neceſſitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens in cujus poteſtate eſt ſequi motionem primi agentis, juvatur, ut agat, &c.* uſque adeo à veritate alienum id, quod Gregorius dixerit voluntatem affectum prædicta motione non poſſe influxum ſuum ſuſpendere, aut non agere, prout illi Suarez impoſuit. Quæ autem ab iſto ex ratione objiciuntur contra prædictam doctrinam, nullius ſunt momenti.

Gregorius.

Quæ Suarius opponit Gregorio, quam facile diſpellantur.

Ad primum.

S. Thom.

Primum enim dilueret facilè Gregorius dicens neceſſitatem illius præmotionis oriri ex conditione cauſæ ſecundæ, ut talis, quæ ſive libera, ſive neceſſaria ſit; eo ipſo quod ut cauſa ſecunda operari debeat, indiget moveri, & applicari à cauſa prima: ut oſtendit D. Thomas multis locis; quæ in commentario primi articuli hujus quæſtionis adduximus. Unde quia voluntas creata ad quoſcumque actus bonos tendit formaliſſimè, ut cauſa ſecunda ſubordinata Deo, ut cauſæ primæ; pro omnibus opus habet prædicta motione: ſecus verò pro actibus peccaminoſis: nam in ordine ad peccata voluntas noſtra non tendit formaliſſimè, ut cauſa ſecunda ſubordinata alij priori; ſed ipſa primum deficiens, & prima cauſa mali: Et propterea ipſa primariò applicat ſeipſam ad illud cauſandum. Neque in hac applicatione, ut eſt formaliter ad malum ſequitur ordinem divinæ cauſalitatis, aut illi ſe ſubjicit; ſed potius ſubtrahit ſe, & fugit, quantum ſibi permittitur à tali ordine. Per quod patet ad utramque probationem deſumptam ex paritate actus mali, ad quam Deus abſolutè non præmovet voluntatem, (licèt præmoveat ad entitatem, & alias rationes in tali actu repertas, quæ imperfectionem non exprimunt, ut alibi diximus.) Ex eo enim quod Deus præmoveat voluntatem ad actum bonum, non magis infertur daturum quoque illi præmotionem ad malum; quam infertur cauſaturum in nobis peccata quia cauſat actus bonos: aut influere in illa propriè, & directè per concurſum ſimultaneum, quia in iſtos influit per talem concurſum: quas illationes proculdubio negabit, quiſquis nolit Deum peccati cauſam conſtituere.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum quod objicitur, facilis eſt etiam ſolutio per negationem ſuppoſiti, nimirum, quod ſine præmotione non ſalvetur in voluntate ſufficiens potentia, & principium per modum actus primi, aut quod talis præmotio ſit aliquod ex requiſitis ad talem potentiam, vel principium conſtituendum: utrumque enim falſum eſt, nam præmotio revera ſolùm eſt applicatio potentiæ ad actum ſecundum; proindeque ſupponit ipſam potentiam ſufficienter conſtitutam cum omnibus, quæ ex parte actus primi requiruntur. Unde ſive ea præmotio detur voluntati, ſive non detur, ſalvatur indifferentia, & facultas requiſita ad libertatem: hæc enim non includit actualem potentiæ applicationem; ſed ſufficientem virtutem activam, & judicij indeterminationem; quibus manentibus ita ſe habet voluntas ad libertatis extrema, ut licèt actu ad unum applicetur; nihilominus conſervet potentiam ad oppoſitum intactam, & illæſam, ſicut conſervat ante prædictam applicationem.

Ad tertium.

Ad tertium ex ipſa etiam doctrina Gregorij patet voluntatem, cui præmotio confertur, non neceſſitari ad eliciendum actum, pro quo illi exhibetur; ſed poſſe ſtante adhuc præmotione, abſolutè, in ſenſu diviſo influxum ſuum ſuſpendere, & non operari, adeoque manere ſimpliciter liberam. Deus enim per prædictam motionem non aliter applicat voluntatem ad actum à ſe prædiffinitum, quàm ut ipſa applicari poſtulat in ratione cauſæ liberæ, ac proinde conſervata, illæſa eadem indifferentia judicij, eademque potentia, & facultate circa oppoſitum, quæ inerat ante præmotionem, ut D. Thomæ diſcipuli ſæpe ſæpius declarant, & latiùs infra dicemus, *diſp.* 7. *dub.* 5.

Reſpondetur argumento Gregorij.

71. Rejecta ergo prædicta Suarij doctrina, alia via occurrendum eſt argumento, conceſſâ majori, & negando minorem. Ad primam verò probationem dicendum eſt influxum Dei in cauſam ſecundam dupliciter poſſe dici ſpecialem, & diſtingui à generali: vel quia egreditur limites communis, & generalis providentiæ debitæ naturis rerum, ſpectatque ad aliam providentiam, ſpecialiorem, & nobiliorem, qualis eſt providentia gratiæ, vel quia in actu, quo exhibetur, attingit uſque ad rationes ultimas, & ſpeciales, licèt habeat ex prædicta generali providentiâ. Non enim ideo dicta eſt generalis, quia non attingat rationes ultimas, & ſpecificas, quoties deformitatem non important, ſed quia poſtulatur ab ipſis rebus ex communi ratione entis creati, & conſtituti in hoc univerſo. Concurſus ergo, quem Deus tribuit pro actibus bonis, de quibus loquimur, poteſt dici ſpecialis hoc ſecundo modo, non verò illi priori: quia licèt pertingat ſua cauſalitate omnes rationes, etiam ſpecialiſſimas in illis repertas (in quo differt ab influxu, quem exhibet pro actibus aliàs peccaminoſis, qui cùm non pertingat ad eorum rationes ſpecificas, nequit adhuc iſto modo ſpecialis vocari;) totum tamen hoc habet ex providentia generali, & communi, ſine recurſu

ad

ad aliam ſpecialiorem, aut non debitam: Et ita non eſt cur verè, & propriè gratia nuncupetur. Nec verum eſt, quod arguens inſinuat, videlicet ſolum concurſum concomitantem debitum eſſe cauſis ſecundis; nam etiam debetur illis eodem modo concurſus prævius, per quem ad agendum applicantur, & non magis iſte, quam ille habet rationem generalis, vel ſpecialis: ſicut non magis vel minus, aut ſub majori, vel minori determinatione unus, quàm alter ſe extendit. Ad illas enim rationes quas Deus ob earum deformitatem non poteſt per concurſum prævium cauſare, etiam per concomitantem nequit concurrere: ad omnes verò, quas concomitanter efficit, quia deformitatis expertes ſunt, non eſt cur cauſam ſecundam præmovere non valeat.

Ad ſecundam probationem negatur antecedens: quia non ſolùm debetur homini poſſe utcumque operari, ſed & quod aliquando bene moraliter operetur: in quo importatur etiam, ut debita phyſica præmotio, & licet non debeatur determinate huic, vel illi individuo pro hac, vel illa determinata duratione; ob idque fiat ſpeciale beneficium eis, quibus exhibetur, non ideo reſpectu iſtorum dicenda eſt gratia; quia ad tollendam hujus rationem ſufficit, quod ipſi naturæ humanæ ſaltem pro aliquibus vagè, & in communi debeatur: ſeu quod communi, & generali providentiæ, cui natura ipſa incumbit, debitum ſit, ut aliquibus individuis, iis nimirum, quæ deſignaverit naturæ Auctor, applicetur. Ratio enim gratiæ propriè dictæ non attenditur per comparationem ad hoc, vel illud determinatum individuum, ſed ad naturam ſpecificam: & ideo illa propriè dicenda eſt gratia, quæ ſuperat exigentiam prædictæ naturæ, ſive pro omnibus, & ſingulis individuis, ſive tantùm pro aliquibus vagè acceptis, ut ſupra explicuimus.

Aliud Gregorij argumentum. 72. Secundum argumentum efformat Gregorius in hunc modum. Nullus actus eſt integrè bonus, niſi ſit ordinatus in Deum tanquam in finem ultimum: ſed hæc ordinatio non fit niſi per gratiam; ergo ſine iſta non poteſt dari talis actus. Major conſtat: tum quia bonitas actus omnino dependet à fine, maximè verò à fine ultimo, qui eſt Deus: unde ſecluſa relatione ad talem finem, neceſſario excluditur bonitas prædicta. Tum etiam quia unuſquiſque tenetur referre in Deum omnes ſuos actus juxta illud Apoſtoli. 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite:* Sed actus, qui non refertur ad finem ſibi debitum, eo ipſo eſt malus ob carentiam prædictæ circunſtantiæ: Ergo, &c. Minor verò probatur: quia referre aliquid ad Deum tanquam ad finem ultimum eſt proprius effectus charitatis, quæ habet pro objecto talem finem: Ergo ſine charitate, proindeque ſine grtaia, non datur prædicta relatio.

Reſponſio argumenti Gregor. *1. ad Cor. 10.*

Solutio. Hoc argumentum ſolvendum eſt ab omnibus Theologis, quippe ſi eſſet efficax, non modò auxilium gratiæ, ſed ipſam gratiam ſanctificantem, cui annexa eſt charitas, convinceret eſſe neceſſariam ad quemcumque actum bonum eliciendum: quod citra errorem affirmari non poſſe conſtat *ex dictis num. 19.*

Reſpondetur ergo negando majorem: quia ad bonitatem actus, ſuppoſito, quòd aliunde non vitietur, ſufficit, quod finis proximus, vel intermedius ſit determinatè bonus, & quod finis ultimus non ſit determinatè malus, ſive talis finis ſit Deus, ut contingit in hominibus juſtis; ſive ſit bonum proprij ſuppoſiti, quod neque bonitatem, neque malitiam moralem exprimit, ſed tantum rationem boni phyſici ſatiativi appetitus, ut agentes de fine peccatoris diximus in tractatu de ultimo fine *diſp. 4. dub. 3.* Eo enim ipſo quòd ultimus finis non ſit malus, licèt nec ſit moraliter bonus: non confert malitiam actibus ad ſe terminatis, neque impedit quo minùs à fine proximo, vel intermedio, ſi honeſtus ſit, bonitatem deſumant. Ad ſecundam probationem dicemus infrà *in tract. de merito, diſp. 4. dub. 5. & 6.* Quomodo ex illo præcepto ſolum teneatur homo ad referendum in Deum omnes ſuos actus relatione in cauſa: quatenus initio uſus rationis tenetur facere actum formalem charitatis, qui dum non retractatur, influit virtualiter in reliquos actus bonos, qui per totam vitam exercentur: non autem prædictum præceptum afficit immediatè actus ipſos, aut relationem, qua in ſeipſis informantur. Et ideo quòd careant in ſeipſis tali relatione, non eſt circunſtantia prava ipſorum actuum, neque carentia circunſtantiæ debitæ per quam vitientur, licèt ſupponat omiſſionem culpabilem prædicti actus charitatis, quando ille debuit exerceri, vel aliquem actum mortaliter peccaminoſum, qui ipſum retractaverit.

§. IX.

Cætera ejuſdem opinionis argumenta diſſolvuntur.

73. Tertiò arguitur pro prædicta ſententia: quia in homine juſto nullus datur actus bonus, qui non procedat ab auxilio gratiæ: ergo neque in homine peccatore, ac proinde in nullo dabitur talis actus ſine prædicto auxilio. Antecedens probatur: quia in homine juſto omnis actus bonus eſt meritorius vitæ æternæ: meritum autem vitæ æternæ non poteſt haberi abſque auxilio gratiæ: ergo, &c. Conſequentiam verò ita ſuadere nititur Vaſquez: quia opus morale vitæ æternæ meritorium in homine juſto non differt ab opere non meritorio, neque ſecundùm ſubſtantiam, vel perfectionem intrinſecam, neque ſecundùm rationem finis, ſed ſolùm ex eo quod quatenus meritorium, eſt ab homine, & in homine juſto; quatenus autem non meritorium eſt ab homine, & in homine manente in ſtatu mortalis peccati: ergo quatenus eſt ex parte auxilij, à quo procedit, eodem modo ſe habet, ſive ſit in homine juſto, in quo eſt meritorius; ſive in peccatore ubi caret merito. Eo præſertim (addit prædictus Auctor,) quia auxilium gratiæ neceſſarium in homine juſto pro opere meritorio non poteſt eſſe aliud, niſi congrua cogitatio, qua voluntas moveatur ad tale opus: hæc autem etiam eſt neceſſaria in homine peccatore, ut bene operetur: ergo in omnibus requiritur prædictum auxilium.

Poteſtque hoc argumentum confirmari ex eodem Auctore: quia licèt in homine peccatore opera moraliter bona non ſint meritoria vitæ æternæ defectu ſtatus gratiæ; ſemper tamen conferunt modum diſpoſitionis, vel impetrationis ad conſequendam ipſam habitualem gratiam, & remiſſionem peccatorum: ac proinde important aliquod juſtificationis initium: ſed homo abſque auxilio gratiæ nequit ſe ad juſtificationem diſponere, vel aliquod ei initium præbere, ut

Digitized by Google

ut eſt conſtans Catholicorum contra Semipelagianos aſſertum: ergo talia opera ubicumque inveniantur, ortum habere debent ex prædicto auxilio.

Reſponſio. Ad argumentum omiſſo antecedenti, (de quo infrà *tract.* 16. *diſp.* 4.) negatur conſequentia, cujus probatione is ſolus movebitur, qui opera condigna, & meritoria æternæ, & ſupernaturalis beatitudinis, non magis ſupernaturalia, neque majoris excellentiæ, perfectionis, & dignitatis eſſe arbitretur, quam opera peccatoris infidelis, quæ nulla gaudent ſupernaturalitate; aut relatione ad iſtum ordinem, omninoque vacua ſunt prædicta dignitate, & merito. Nos verò, qui infrà citat. *diſp.* 5. *dub.* 1. in nullo opere agnoſcimus meritum vitæ æternæ, niſi ex imperio, & influxu ſupernaturali, charitatis unà cum relatione ad ejus finem per quam tale opus intrinſecè perficiatur, & ad ſupernaturalem ordinem elevetur, eaque ratione *dub.* 5. *&* 6. ejuſdem diſputationis bonis operibus hominis juſti univerſaliter meritum tribuimus, quia in omnibus prædictum imperium, influxum, & relationem eſſe cenſemus, nullo negotio probationem illam per ejus tantum negationem diluimus. Non enim actus meritorius diſtinguitur à non meritorio ratione ſolius ſtatus ſubjecti; ſed ratione alicujus perfectionis ſupernaturalis eidem actui intrinſecæ, qua fit condignus, & proportionatus vitæ æternæ: hacque ratione poſtulat oriri ex gratia; non verò propter ſolam honeſtatem naturalem, quæ poteſt etiam actui non meritorio competere. Illud quod additur in prædicta probatione negandum etiam eſt. Tum quia potiſſima gratia neceſſaria pro operibus meritoriis non eſt illa cogitatio congrua, ſed prædicta relatio, & informatio charitatis. Tum etiam quia licèt nullum opus bonum fiat ſine congrua cogitatione: illa tamen, quæ requiritur ad opus meritorium, debet ſaltem virtualiter procedere à fide Theologica, & à prudentia infuſa, hacque ratione claudit in ſe aliquam perfectionem ordinis ſupernaturalis, & ex hoc ipſo poſtulat oriri à gratia. Cogitatio verò concurrens in opere non meritorio, ſolaque honeſtate morali prædito, quantumvis congrua ſit, non procedit ullo modo à prædictis virtutibus; neque in ſe claudit aliquid ſupernaturale: & ideo neceſſe non eſt qualibet hujuſmodi cogitatione ad gratiam recurrere.

Replica. 74. Neque obeſt, ſi dicas: nullam cogitationem congruam eſſe ita debitam hominibus, quin Deus juxta leges communis providentiæ, & citra miraculum operans, poſſit eam denegare: ſi autem nulla eſt debita ex providentia communi, quælibet ſpectabit ad providentiam ſpecialem, & gratiæ rationem induet.

Non, inquam, refert hæc replica, quam ſæpe inculcat Vaſquez, ut prædictam cogitationem inter beneficia conſtituat, ſæpe nos etiam diluimus in hoc dubio, præſertim *numero* 25. *& num.* 42. *Diluitur.* Admittimus ergo cogitationem congruam non eſſe debitam huic determinato individuo pro hac determinata occaſione, & ideo poteſt ille citra miraculum denegari. Ex hoc tamen non fit prædictam cogitationem eſſe gratiam propriè dictam, aut beneficium hujus ordinis, etiam reſpectu illius, cui ſine debito tribuitur: quia ut non ſit gratia, ſufficit, quòd debeatur ſpeciei naturæ humanæ pro aliquibus individuis, & in aliquibus occaſionibus, quæ Auctori ipſius naturæ determinanda relinquuntur. Omne enim, quod debetur naturæ, ſive in omnibus, & ſemper, ſive dumtaxat pro aliquibus, excluditur à ratione gratiæ, quæ omnino debet eſſe ſupra exigentiam naturæ, cujus individuis confertur. Porro debitum eſſe naturæ humanæ, ut aliquando, & pro aliquibus cogitatione congrua præveniatur, ut bene moraliter operetur inde conſtat: quia ſine miraculo, & ſpeciali providentia fieri nequit, ut omnia ejus individua tali cogitatione priventur. Quæ omnia cum in hoc eodem dubio ratione, & exemptis non ſemel oſtenderimus, neceſſe non eſt amplius circa ea immorari.

Ad confirmationem conſtat ex dictis à *num.* 45. *Ad confirmationem.* ubi doctrinam aſſerentem per opera ſolius naturalis ordinis: (quamtumvis proba, & honeſta videantur,) poſſe hominem ad juſtificationis gratiam diſponi, vel eam impetrare, omnino rejicienda demonſtravimus.

75. Quartum argumentum, quod Auctores *Quartum argumentum contr. ſent.* contrariæ ſententiæ, præſertim Vaſquez, ſatis magnificant, poſſumus ex Suario ad hanc brevem formam reducere. Orandus eſt Deus, ut nos adjuvet in ſingulis actibus moralibus, ut honeſte, & ſine ulla malitia unumquemque faciamus: ſed ex oratione colligitur neceſſitas gratiæ ad illum actum, vel effectum, pro quo poſtulatur: Ergo pro omnibus hujuſmodi actibus divina egemus gratia. Majorem oſtendit communis Catholicorum uſus in omnibus, & pro omnibus, ſive magnis, ſive parvis ad orationis azylum confugientium: inficiaſque ibit nullus; qui propriam defectibilitatem habuerit comprehenſam. Minor verò conſtat ex Conciliis & Sanctis Patribus: præſertim Hieronymo, & Auguſtino, qui hoc argumento contra Pelagium maximè utuntur, ut probent neceſſitatem gratiæ ad vincendas tentationes, ad divina mandata ſervanda, & ad æternam ſalutem conſequendam, pro quibus ille neceſſariam non eſſe arbitrabatur: Patres verò prædictam neceſſitatem ex uſu orationis convincunt. Ut enim crebrò repetunt, ſuperfluè ab alio petimus, quod in noſtra ſitum eſt poteſtate. Si ergo per naturæ humanæ vires poſſemus aliquos actus bonos elicere, ſuperfluè pro omnibus Dei auxilium oratione efflagitaremus.

Neque refert, ſi dicas non ideo nos poſtulare à Deo auxilium pro ſingulis bonis operibus, quia ſine illo ſimpliciter fieri nequeant, ſed quia cum illo meliùs, & faciliùs exerceantur. Nam contra hoc urget, quod Pelagius non negabat utilitatem gratiæ ad ſupra dicta, ut meliùs, & faciliùs haberentur; ſed ſolùm negabat ita eſſe neceſſariam, ut ſine illa etiam cum difficultate haberi nequeant: E contra verò Patres neceſſariam eſſe abſolutam ſimpliciter ex oratione concludebant, innixi illi principio: quia ſuperfluè petimus, quod in noſtra conſtitutum eſt poteſtate. Vel ergo dicendum requiri ut neceſſarium ſimpliciter, quidquid oratione poſtulamus; vel prædictus Sanctorum diſcurſus ad evincendam neceſſitatem quæ omnino evaneſcet.

Confirmatur ex gratiarum actione, quas juſtè, *Confirmatio.* & religioſè Deo reddimus, quoties nos ad honeſte operandum juverit: ſi autem ad id noſtra nobis natura ſufficeret, & Dei gratia non præveniremur; nulla ratione teneremur ad prædictum actum gratitudinis. Ait enim D. Auguſt. lib. de prædeſt. Sanct. cap. 19. *D. Auguſt.* *Non gratias Deo agimus, ſed agere fingimus, ſi unde illi gratias agimus, ipſum facere non putamus.*

Ficta

Ficta enim; & non vera erit gratiarum actio pro operibus bonis, & honeſtis, ſi ea non Dei auxilio, ſed naturæ noſtræ viribus exercemus.

Retorquetur. 76. Huic argumento, quod præ aliis adverſarij urgent, ipſi etiam occurrere tenentur, & in ſimili occurrit Vaſquez *diſp.* 189. *cap.* 12. *Vaſq.* Cujus utemur ſolutione. Cùm enim ſibi oppoſuiſſet, quod multoties Eccleſia, & fideles poſtulant à Deo bona temporalia, ut pluviam, ſerenitatem, ſanitatem, & alia, quæ gratia non ſunt; atque adeò non concludi, ex neceſſitate, & uſu orationis ad aliquid conſequendum, quod illud ſit gratia: reſpondet non poſtulari per orationem prædicta bona, præcisè, ut bona temporalia ſunt, ſed ut eorum ſubſidiis Deo meliùs inſervire poſſimus. Ita, (inquit,) *Eccleſia petit in miſſa tempore belli, ut adverſariorum noſtrorum feritate depreſſa, inceſſabili gratiarum actione ipſum laudemus; petit etiam pluviam, ut præſentis vitæ ſubſidiis ſufficienter adjuti ſempiterna fiducialiter appetamus; & reliqua etiam hoc eodem fine petenda eſſe manifeſtum eſt. Hac verò ratione, dum hac dona conceduntur, ad gratiam, non internæ inſpirationis, ſed externæ cujuſdam protectionis per Chriſtum ſpectare dubitandum non eſt.* Hæc ille. *Reſponſio.* Quæ ad propoſiti argumenti ſolutionem convertendo dicimus, meritò fideles poſtulare à Deo auxilium pro ſingulis bonis operibus, non quia exiſtiment nullam eorum ſecundùm naturalem honeſtatem conſideratum fieri poſſe ſine gratia, ſed quia non intendunt ſiſtere in ipſa honeſtate naturali: immò dum ita orant, vellent prædicta opera ita ab eis fieri, ſicut congruit, & oportet ad ſupernaturalem animæ ſalutem, & vitam conſequendam, vel augendam. Pro quo neceſſaria eſt gratia ſupernaturalis ordinis: quia ex ſola bonitate naturali nullus actus habet eſſe per ſe idoneus, aut proportionatus prædicto fini.

Alia ſolutio. 77. Secundò reſpondetur, ſeu magis præcedens ſolutio declaratur animadvertendo Patres, & Concilia, dum ex uſu orationis inferunt gratiæ neceſſitatem, loqui de oratione pia, & Chriſtiana, quæ in ſacris literis, præcipuè verò in Evangelio promiſſa eſt conſequutio boni, pro quo funditur juxta illud Matthæi 7. & Luc. 11. *Matth. 7. Luc. 11.* *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Si quæ verò eſt alia oratio, ut ſic dicamus, humana, & philoſophica, qua etiam infideles, & Gentiles aliquando utantur, hujus Patres non meminere: quia non ut Philoſophi, ſed ut Chriſtiani, & ut Evangelij veritatem edocti doctrinam pro aſſerenda Dei gratia adverſus Pelagium ex orationis uſu tradiderunt. Eſt autem de ratione orationis piæ, & Chriſtianæ, ut ex fide ortum habeat. Ob idque dicitur Matth. 21. *Matth. 21.* *Omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et Jacob. cap. 1. *Jacob. 1.* *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, &c. Poſtulet autem in fide, &c.* Sicut autem prædicta oratio petit oriri ex fide, fide etiam poſtulat, ut ad ea, quæ fidei ſunt, nempe vitam æternam, & dona ſupernaturalia ultimatè tendat: & ſi quæ petitio ſiſtit in bonis temporalibus, non cenſetur vera oratio: immò apud Deum, quaſi pro nihilo habetur, quod ita poſtulatur, juxta illud Joann. 16. *Joan. 16.* *Uſque modo non petiſtis quidquam, &c.* Licèt enim diſcipuli aliqua jam à Chriſto poſtulaſſent, ut cùm Jacobus, & Joannes petierunt primas ſedes temporalis regni, nihilominus audiunt, *non petiſtis quidquam*: quia oratio qua Chriſtus nos poſtulare docuit, ſemper tendit ad dona ſupernaturalis ordinis, ſicut eſt gratia, & gloria & gaudium vitæ æternæ. *Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur*, ait ibi D. Auguſt. *tract.* 102. *D. Auguſt.* Ex his liquet veritas noſtræ ſolutionis: nam cùm Sancti Patres pro aſſerenda gratiæ neceſſitate contra Pelagium ad uſum orationis recurrunt, loquuntur de oratione pia, & Chriſtiana, quæ ex fide ortum habet, & cujus poſtulatio non ſiſtit in bonis, vel actibus ſolius naturalis ordinis; ſed omnia reſpicit prout ad ſupernaturalem finem conducere poſſunt: atque adeò ſecundùm aliquam deſignationem, vel reſpectum ordinis ſupernaturalis honeſtati naturali ſuperadditum. Unde quia Pelagius uſum prædictæ orationis, (pro qua eſt totum Evangelium,) negare non poterat; cogebatur (vellet, nollet) admittere neceſſitatem gratiæ veræ, & propriæ dictæ; ne talis oratio vacua & inutilis remaneat, uti remaneret, ſi in bonis præcisè naturalibus ſiſteret.

Confirmatio diluitur. Per quod patet ad confirmationem. Nam gratiarum actio eſt pars quædam orationis in eo differens à petitione, quod una reſpicit beneficium faciendum, alia verò jam factum, & ut ait D. Auguſt. epiſt. 107. *D. Auguſt.* *Qui eſt orandus, ut faciat, illi eſt gratiarum actio reddenda, cum fecerit.* Unde ipſa gratiarum actio pia, & Chriſtiana, (ut eſt illa de qua Patres loquuntur) debet per fidem regulari, & ad beneficia ordinis ſupernaturalis ultimatè dirigi.

Replica. 78. Dices homines infideles, aut etiam fideles non utentes lumine fidei poſſe ſiſtere, dum orant, & ſimiliter, dum gratias reddunt in bonis præcisè naturalibus, poſſeque ſuis orationibus nihil aliud petere, quàm auxilia ad honeſtè eliciendos actus naturalis ordinis: ergo etiam ſecluſo reſpectu ad finem ſupernaturalem habent prædicti actus, & auxilia eſſe orationis objectum. Adde, quod axioma illud: *Fruſtra ab alio petimus, quod in noſtra ſitum eſt poteſtate*, pro ſuadenda gratiæ neceſſitate à Patribus uſurpatum adhuc manet in ſuo robore; cùm conſtet non ita ſitum eſſe in poteſtate noſtra elicere aliquem actum naturali honeſtate præditum, quin opus nobis ſit actuali auxilio prævio ex Dei voluntate pendenti: Vel ergo ex prædicto axiomate non fit efficax argumentum ad ſuadendam gratiæ neceſſitatem; vel convincitur eſſe gratiam auxilium requiſitum ad quemcumque actum bonum, etiam dum ſiſtit in ſola honeſtate naturali.

Solvitur. Reſpondetur neque in hominibus infidelibus, neque etiam in fidelibus non utentibus fide reperiri orationem (idem eſt de gratiarum actione) ſimpliciter dictam, qualis eſt oratio pia, & Chriſtiana: quia hæc, ut diximus, ſemper innititur lumini fidei. Poteſt autem reperiri oratio quædam ſecundum quid, ſeu minus propriè dicta: quam Concilium Arauſicanum *Conc. Arauſ.* cap. 3. appellat *humanam invocationem*. Ex eo autem, quod talis oratio ſiſtat in actibus omnino naturalibus aut in auxiliis ad eos requiſitis non habetur, quòd tales actus, vel auxilia propriè ſint gratia, (licèt reſpectu individui, cui conferuntur, ſint ſpecialia beneficia intra naturæ ordinem,) quia vera gratia, (ut prædictum Concilium ait,) non confertur ad humanam invocationem.

79. Ad illud, quod inter arguendum addebatur, reſpon

Digitized by Google

reſpondetur animadvertendo Pelagium, (ut *n.* 58. & latiùs *diſp. præcedenti, c.4.§.5.*) negaſſe actualem Dei concurſum prævium in voluntatem creatam quoties operatura eſſet: quia putavit liberum arbitrium ſemel à Deo creatum, & conſervatum in nullo actu opus habere prædicto Dei concurſu; ſed in ejus facultate ſitum eſſe moveri, & applicari ad agendum ſine alterius præmotione. E contra verò Sancti Patres conſtanter illum affirmabant, non ex peculiari ratione gratiæ, ſed ex communi, & generali conditione cauſæ ſecundæ liberæ propter ſubordinationem, & dependentiam à cauſa prima, atque adeò pro omnibus illis operibus, ad quæ ipſa cauſa prima concurreret, ſive ex ſpeciali providentia ordinis gratiæ, ſive ex beneficentia communi, qua confert beneficia, quæ natura ſuoptè jure pro aliquibus tantum individuis poſtulat; ſeu quæ cùm debita ſint naturæ ſpecificæ, non tamen debentur huic, vel illi determinato individuo; & ideo reſpectu talis individui beneficia dicuntur, licèt non ſuperent naturæ exigentiam. Quæ cùm ita ſint, Patres non eis tantum rationibus contra hæreticum illum utebantur, quibus neceſſitas gratiæ convincitur, ſed etiam illis, quæ militant pro prædicto concurſu actuali, inter quas continetur illa, quæ tangit hæc replica: *Fruſtra ab alio petimus, quod in noſtra ſitum eſt poteſtate.* Unde ex tali ratione habetur quidem, omne illud, quod oratione petimus, ſaltem reſpectu individui, cui confertur debere eſſe beneficium ex Dei voluntate dependens, & ex ejus beneficentia donatum. An verò ſit gratia propriè dicta, ſicut eſt omne illud quod ſuperat naturæ ſpecificæ exigentiam, vel potius contineatur inter illa, quæ ab ipſa natura aliquando, & pro aliquibus exiguntur, ſicut exigitur bona indoles, bonum ingenium, congrua valetudo, & ſimilia, quæ non ſunt propriè gratia: venandum eſt ex conditione orationis, quæ poſtulantur, juxta ea quæ nuper diximus.

80. Quinto arguitur: quia poteſt Deus in pœnam peccati originalis, vel actualis denegare homini lapſo omne auxilium efficax, & neceſſarium ad eliciendum actum honeſtum: Ergo quodcumque auxilium, quod illi poſt peccatum confert, habet propriè rationem gratiæ. Antecedens videtur perſpicuum: quia tota illa pœna non excedit demeritum peccati ſecundum malitiam infiniti: & ideo poteſt pro illo juſtè infligi. Conſequentia verò probatur: quia eo ipſo, quod Deus poſſit privare hominem, quolibet auxilio neceſſario ad opus bonum; gratia eſt, quod illum prædicto auxilio non privet, quoniam eo ipſo cedit juri, quo potiebatur ad puniendum hominem; in quo maxima gratia elucet: nequit enim impediri, aut ſuſpendi actus juſtitiæ, niſi ex influxu miſericordiæ.

Reſpondetur ex D. Thoma *q.* 24. *de veritate, art.* 11 ad primum; quòd licèt Deus de potentiâ abſoluta poſſit denegare peccatori in hac vita omne auxilium efficax ad rectè agendum in pœnam peccati originalis, vel actualis, ſecus tamen de potentia ordinaria. Tum quia etſi peccatum mereatur, quantum ad ſufficientiam, prædictam pœnam; non tamen quoad efficaciam: nam pœna illi taxata ex divina juſtitia non eſt omne malum poſſibile, ſed eſt carentia perpetua viſionis beatificæ. Tum etiam & maximè quia ſecundùm ordinariam Dei potentiam, & communem legem divinæ juſtitiæ nullus homo poteſt in hac vita eſſe ſimpliciter obſtinatus in malo: eſſet autem ſi careret omni divino auxilio ad actum bonum: quia eo ipſo nihil boni agere poſſet ſecundùm communem Dei providentiam, in qua impotentia conſiſtit perfecta obſtinatio in malo, ut probat Angelicus Doctor articulo proximè citato. Eo ipſo autem quòd ſecundùm ordinariam Dei potentiam nequeat homo privari omni auxilio efficaci ad actum bonum, quod ei aliqua de facto conferantur, non habet rationem gratiæ propriè dictæ, ſed ſolùm largè acceptæ: ut videre eſt in conſervatione animæ, quæ non habet rationem gratiæ ſtricte dictæ, ſed ubique pertinet ad donum creationis; licèt Deus in illa conſervanda poſt commiſſum ab ea peccatum cedat juri, quo ipſam in pœnam culpæ poterat de potentia abſoluta juſte annihilare.

DUBIUM III.

Utrum homo in natura pura conſtitutus, viribus ipſius naturæ poſſet diligere Deum ut finem, & auctorem naturalem amore abſoluto, efficaci, & ſuper omnia.

OStenſo jam liberum hominis arbitrium non ita extinctum, aut debile manſiſſe per peccatum, quin propriis viribus, & cum ſolo communi, & generali Dei concurſu poſſit in aliqua bona opera, in ea ſaltem, quæ intra naturæ ordinem minùs difficilia ſunt: atque adeò opus non eſſe gratia pro hujuſmodi operibus, quantum eſt ex ipſa communi ratione honeſtatis moralis: neceſſe eſt deſcendamus ad peculiares actus, qui vel ratione objecti altioris, vel propter aliqua impedimenta, quibus potentiæ circa illos præpediuntur, in ipſo adhuc naturæ ordine ſpecialem difficultatem præſeferunt: ratione cujus meritò dubitatur, an elici valeant eiſdem viribus liberi arbitrij, vel potiùs neceſſarium ſit pro eorum elicientia ad auxilia gratiæ recurrere. Sunt enim plura, quibus ex communi, & generica ratione non repugnat ſic, vel aliter fieri; & tamen id eis repugnat ex differentia peculiari ſpecifica, vel numerica. Inter illa verò, quæ prædictam difficultatem, & dubitationem ingerunt, præcipuus videtur amor, de quo in titulo: quia præeminet cæteris actibus poſſibilibus intra naturæ ordinem: cum ratione præſtantiſſimi objecti, quod eſt Deus Optimus Maximus: Tum ratione modi eminentis diligendi illum, qui continetur illis verbis: *Amore abſoluto, efficaci, & ſuper omnia.* Et licèt præſens diſputatio ſtatum naturæ lapſæ, vireſque liberi arbitrij in hoc ſtatu potiſſimùm ſpectet, præmittimus quæſtionem de ſtatu naturæ puræ: quia ibi melius intuebimur, quid natura ſeipſa poſſit, ubi neque gratia ſupra ſe evectam, nec peccato depreſſam, ſed ſecundùm ſe duntaxat, & ſecundùm ſibi debita eam contemplamur. Quæſtio verò circa ſtatum naturæ lapſæ, aut reparatæ ſeorſim agetur dubio ſequenti. Oportet autem pro dicendorum intelligentia nonnulla præmittere, quibus certa ab incertis ſeparentur, ſenſuſque, & titulus quæſiti planior reddatur.

§. I.

Prælibantur aliqua ad tituli, & rei intelligentiam.

81. QUæ fuiſſet hominis conditio, ſi in natura pura conderetur, ſatis ſuperque declaravimus *diſp.* 1. *c.* 2. indeque etiam conſtat, illud poſſe fieri ab homine viribus naturæ, ad quod natura ſemel à Deo creata, & conſervata ex ſuis naturalibus principiis unà cum generali Dei concurſu *Nota* 1.

potentiam

Digitized by Google

potentiam, & facultatem confert. Quocirca ut in caſu dubij perſiſtamus, præcludendus omnino eſt recurſus ad ſpecialiora aliqua auxilia, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis ordinis, præter illa, quæ prædicta natura juxta communem, & ſuavem providentiam ipſi debitam, ſuopte jure poſtulat. Si enim prædicto recurſu ad auxilia non debita uteremur, per illum extraheretur jam homo ab ſtatu naturæ puræ; & ita dubij caſus tolleretur. Porro ad aliqua opera bona, & honeſta naturalis ordinis naturam ipſam ſibi ſufficere, oſtendimus toto dubio præcedenti. Nec dubitandum inter hujuſmodi opera contineri aliquem Dei amorem, ut finis naturalis, qualiſcumque ſit talis amor; id enim ab omnibus conceditur: probatque latè Suarez *cit. lib. 1. c. 29. & ſequent.* Et ratio eſt perſpicua: nam intellectus humanus ſuo naturali lumine cognoſcit ſufficienter, Deum eſſe ſummum hominis bonum, à quo dependet in *eſſe, fieri, & operari*, & ſine quo nec bene, nec ſimpliciter eſſe, aut agere poſſet: poteſtque hujuſmodi bonum, ut valde expediens voluntati proponere: cur ergo voluntas ipſa, quæ eſſentialiter eſt propenſio, & inclinatio ad bonum, & conveniens, natura ſua non poterit propendere, & inclinari in prædictum objectum ita propoſitum, complacendo ſibi in illo, ſaltem per amorem inefficacem, qui neque in ſe difficultatem continet, neque ad ſuperandum aliquid difficile impellit? Sanè nulla, vel apparens ratio aſſignari poteſt prædictæ impotentiæ. Quod non modò verum eſt, & convincit ratio facta, loquendo de amore concupiſcentiæ; ſed etiam de amore benevolentiæ. Quia dum Deus cognoſcitur, ut ſummè bonus in ſe, & ut bonum commune, & univerſale, cujus veluti partes ſunt omnes creaturæ, ſicut revera cognoſcitur per naturale lumen noſtri intellectus, nullo negotio voluntas vi propriæ naturæ poteſt ferri in illum ſic cognitum, atque adeo ut propter ſeipſum amandum: in quo conſiſtit affectus benevolentiæ.

Nota 2. 82. Ex quo fit ſupponendum etiam hic eſſe, ut æquè certum, duplicem dari Dei amorem (etiam loquendo de amore benevolentiæ,) videlicet, & amorem naturalem viribus naturæ poſſibilem terminatumque ad Deum, ut finem, & auctorem hujus ordinis de quo hactenus: & amorem ſupernaturalem, qui reſpicit illum, ut auctorem, & finem ordinis gratiæ, quique haberi non poteſt aliter, quam per vires, & auxilia ipſius gratiæ. *Duplex Dei amor.* Quæ diviſio, quod attinet ad amorem ſupernaturalem, ab univerſis Catholicis recipitur: quippe quæ ſalva fide negari non poteſt. Quod verò attinet ad amorem naturalem: conceditur communiter à Theologis contra Michaëlem Baium: cujus temeritas eo devenit, ut prædictam diviſionem naturalis, & ſupernaturalis amoris dixerit, *Vanam, & commentitiam, & ad illudendum ſacris literis excogitatam*, ut conſtat ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. *Aſſeritur contra Baium.* *Propoſ. 34 & 36. Propoſ. 38.* concludit. *Quod omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Ubi dum nullum alium præter amorem charitatis diffuſæ in nobis per Spiritum ſanctum erga Deum admittit; omnemque naturalem amorem circa ipſum rejicit. Sed errorem, & exceſſum hujus Auctoris reprehendunt ibi præfati Pontifices, quatenus prædictas propoſitiones cum aliis in ea Bulla contentis ſeveriori cenſura damnant. Ex quo communis doctrina de diſtinctione prædicti duplicis amoris magis roboretur.

83. Alia via communem doctrinam impugnat Gabriel Vaſquez *in præſenti, diſp. 195. c. 2.* *Singularis opinio Vaſq.* ubi licèt admittat eam diſtinctionem duplicis amoris erga Deum, negat tamen habere locum in amore amicitiæ: ſed omnem hujuſmodi amorem dicit eſſe ſupernaturalem, & infuſum, nullaque proinde ratione elici poſſe abſque auxilio gratiæ ſupernaturalis ordinis, etiam in ſtatu naturæ integræ. Nomine autem amoris amicitiæ, quem ab ordine naturali excludit, intelligit quemcumque affectum benevolentiæ, ſeu qui non ſit amor concupiſcentiæ: qui licèt non omnis talis affectus ad veram rationē amicitiæ pertingat, reducitur tamen ad eam, ut aliquid in eo genere imperfectum. Et propterea prædictus Auctor omnem amorem naturalem, qui haberi poteſt circa Deum, dicit eſſe amorem concupiſcentiæ, nec potuit ſub amore concupiſcentiæ amorem benevolētiæ comprehendere propter omnimodam differentiam utriuſque amoris. Fundamentum verò ad ita aſſerendum ex eo deſumpſit, quia in Deo in ordine ad terminandum amorem amicitiæ, ſeu benevolentiæ non datur niſi unica ratio formalis objectiva, nempe divina bonitas, quatenus eſt amabilis in ſe, & propter ſe, ſeu quatenus amari poteſt ipſi Deo: cūque hæc ratio ſupernaturalis ſit, neceſſariò tribuit amori ad ſe terminato ſpeciem ſupernaturalis: & ita non eſt, quo pacto amor naturalis per modum amicitiæ, aut benevolentiæ ad Deum terminetur. Cæterùm reſpectu amoris concupiſcentiæ datur in eo alia ratio terminativa, nempe quia eſt bonum noſtrum, quod nobis ipſis, quærimus, & appetimus: & quia bonum proprium in quantum tale naturaliter diligitur juxta illud: *Amabile bonum, unicuique proprium*, inde eſt, ut voluntas poſſit hoc genere amoris naturaliter, ſeu propriis viribus Deum diligere. Huic ergo innixus fundamento relegat citatus Doctor à voluntate pro quovis naturæ ſtatu omnem amorem naturalem erga Deum præter amorem concupiſcentiæ, quo proculdubio excludit omnem naturalem affectum benevolentiæ, etiam ſi non ſit propriè amicitia: nam & contextus, & motio, ſi quid probant ita perſuadent.

Motivum Vaſq. diluitur. Sed quàm leve ſit ejuſmodi fundamentum, prædictuſque dicendi modus quantum à veritate aberret, conſtabit in tractatu de charitate, ubi ex profeſſo agitur de amore Dei ſupernaturali, tam amicitiæ, quam concupiſcentiæ: aſſignaturque utriuſque amoris ſpecificativum, & diſtinctivum reſpectivè ad duplicem ſimilem amorem ordinis naturalis. Quam doctrinam, ut modò tanquàm certam, vel ferè certam ſupponimus, ſufficit reliquorum Theologorum, & præſertim D. Thomæ, (quos in ſequentibus adducemus,) communis aſſenſus unà cum ratione numero præcedenti tacta, quæ ex dicendis toto hoc dubio ſatis roborabitur.

83. Neque id, quod diximus de amore benevolentiæ naturali, reſtringi debet ad amorem imperfectiſſimum: uti eſt amor ſolùm conditionatus, & inefficax, qui non pertingit ad rationem amicitiæ etiam naturalis. *Not* Nam ſaltem Angelum, & etiam hominem in ſtatu naturæ integræ, communis ſententia tenet cum Divo Thoma potuiſſe per vires naturæ diligere Deum ut finem naturalem amore benevolentiæ abſoluto, & efficaci, ac ſuper omnia; quæ licèt non ita propriè, ſicut charitas, ſuo tamen modo amicitia diceretur. In quo vix eſt alicujus momenti difficultas, præſens controverſia

verſa communiter reducitur, noſque eam reducimus ad ſtatum naturæ puræ, vel lapſæ: ubi propter illius integritatis defectum major eſt pronitas ad malum, & difficultas circa bonum. An verò ſit tanta ut reddat naturam impotentem ad eliciendum propriis viribus prædictum Dei amorem? Examinandum ſuſcipimus. Pro quo præmittendum adhuc eſt, quid veniat in præſenti nomine amoris *abſoluti*, *efficacis*, *& ſuper omnia*; diverſa enim, vel etiam ſiniſtra horum intelligentia aliquorum diviſit placita, vel ſatis confuſa reliquit.

85. Amor itaque abſolutus dicitur ille, qui importat volitionem determinatam, verè innixam, atque ex toto corde ortam, explicaturque per verbum indicativi modi, ut *volo Deo placere, volo ei inſervire, volo ejus gloriam* (Hiſpanè diceremus, *querer de coraçon, ò querer deveras,*) ſub qua volitione eo ipſo quod ſit ita ex corde, & determinata, nulla alia ei oppoſita latere præſumitur. Ad diſtinctionem amoris conditionati, qui non tam dicitur volitio, quam velleitas; explicaturque per verba ſubjunctivi, quæ tepòrem, & indeterminationem præſeferunt; ut *vellem Deum diligere, vellem ejus gloriam, vellem à peccato recedere:* nam tepor ille, & indeterminatio veluti inſinuat latere alium affectum efficacius tendentem in oppoſitum, & amorem abſolutum impedientem.

Aliter etiam poteſt aſſignari diſcrimen inter velleitatem, & amorem abſolutum, quod iſte claudit neceſſariò, vel ſecum affert decretum, & propoſitum operandi in ordine ad bonum, vel aſſequutionem rei, quæ diligitur: pro quo bono, vel aſſequutione amor ipſe percurat, & ſollicitat: ob idque talis amor non eſt expers omnis efficaciæ, ſed aliquam importat majorem, vel minorem, prout ipſe eſt magis, vel minùs perfectus. Velleitas autem nullum prædictorum includit: quia cùm tantùm ſit affectus quidam conditionalis, non ſolicitat pro aſſequutione rei amatæ, nec curam habet de ejus bono: & ideo neque pro illa, neque pro iſto aliquid agendum decernit; ſed eſt amor prorſus inefficax.

Quid verò conſtituat amorem Dei in ratione efficacis, (quæ erat ſecunda conditio hic aperienda) majoris negotij fecit ſingularis cujuſdam auctoris doctrina, quæ examen poſtulat, & ideo §. ſequenti tractabitur.

Quod verò priùs diximus amorem abſolutum explicari per verba indicativi modi, & conditionalem per verba ſubjunctivi, non ita accipiendum eſt, quaſi hæc ſit ex toto certa regula: niſi dum qui taliter omnino profert in verbis, ſicut habet in corde. Sæpe enim verba fallunt, & plus exprimunt, quam intus in corde ſentimus. Quocirca multoties peccatores, etiam dum nolunt de peccato recedere, proferunt hæc, aut ſimilia verba: *volo Deo placere in omnibus:* Et tamen id non volunt ex toto corde, affectuque omnino abſoluto: quia nolunt deſerere peccatum, per quod Deo diſplicet. Accedit, quod ut *n.96* dicemus inter omnimodam velleitatem, & amorem omni ex parte abſolutum, datur amor ex parte, abſolutus ex parte conditionatus, ut cum peccator abſolutè vult honorare Deum, credendo in ipſum, & ei ſoli cultum tribuendo; in aliquibus verò aliis non vult abſolutè obedire, ſed conditionatè duntaxat. Et hujuſmodi affectus, quamvis ſimpliciter conditionatus, explicatur multoties verbis indicativi modi, propter id, quod habet abſoluti: Non ergo prædicta regula eſt omnino certa ad dignoſcendum amorem abſolutum, ſed attendenda ſunt alia, quæ diximus.

86. Tertia autem conditio amoris Dei, nimirum quod ſit *ſuper omnia*, multifariam declarari ſolet. Quovis autem modo explicetur, importat exceſſum cum reſpectu ad aliqua, immò ad omnia alia, ſupra quæ dicitur eſſe talis amor. Quidã ergo prædictum exceſſum intellexere quoad actus intentionem: quia in amore Dei vel debet eſſe maxima, inquantum poteſt voluntas, vel major quacumque intentione reperta in amore terminato ad creaturam. Quem dicendi modum tribuit Suarez, Divo Bonaventuræ, Petro de Soto, & Adriano. Eumque facilè impugnat: nam amor elicitus à charitate verè eſt amor Dei ſuper omnia, ut fatentur omnes Theologi: & tamen non ſemper eſt maximè intenſus, aut intenſior quovis amore ad creaturam terminato: immò nec certum aliquem intenſionis gradum, ſive ex natura rei, ſive ex aliquo præcepto requirit. Non igitur hoc capite ſumi debet conditio amoris ſuper omnia: ſed aliunde, nimirum ex appreciatione, & æſtimatione rei amatæ. Et hæc eſt prædictæ conditionis intelligentia: juxta quam ille dicetur *amor Dei ſuper omnia*, per quem rebus omnibus antefertur, majorique in æſtimatione: & prætio habetur, quam cætera, quæ amari, vel timeri poſſunt: ita ut pro nullo eorum, neque pro omnibus ſimul Deus derelinquatur, neque ab ejus obedientia, & amicitia recedatur.

Quid ſit amor ſuper omnia.

87. Dubitat verò Suarez, an ad hoc ſufficiat, quòd amor tendat in Deum propter ſolam ejus bonitatem, complacendo in illa ex ſolo affectu ad ipſum Deum, etiam ſi nulla occurrat comparatio ad alia objecta, quibus præferri dicitur. Cùm enim bonitas illa ſuperet omnia bona, ſi in ea ſola nitamur ad diligendum Deum, & complacendum in illo, eo ipſo talis amor ex ipſo objecto formali erit amor ſuper omnia. Aliunde verò non videtur hoc ſufficere: quia modus ille complacendi in Deo propter ejus bonitatem, non neceſſario extenditur ad ſervanda omnia divina præcepta, vitandaque peccata mortalia, uti requiritur ad amorem, qui meretur nomen *amoris ſuper omnia.* Nam poteſt quis gaudere de Deo, quod bonus, & infinite bonus ſit, quodque ſua potiatur infinita perfectione, & bonitate: & nihilominus non velle ab aliquo vitio recedere, neque omnem gravem Dei offenſam vitare.

Dubium incidens Suarez.

Cui dubitationi, ut citatus Auctor occurrat, diſtinguit duplicem Dei amorem: alium, quem vocat *ſolum affectivum*, quo voluntas complacet in Deo propter ſuam infinitam bonitatem, volens, & gaudens, quòd tanta bonitas in illo ſit; non tamen extenditur hic amor ad omnia, quæ amanda ſunt Deo, & propter Deum, neque fugit quæcumque ejus obedientiæ, & amicitiæ contrariantur. Et ob iſtum defectum non eſt omnino amor ſummus, neque ſimpliciter ſuper omnia; licèt ſecundùm quid, & quodammodo nempe objectivè poſſit talis appellari quatenus vult Deo ſummam bonitatem, qua nulla major, neque æqualis, alicui rei creatæ poteſt eſſe volita.

Alius eſt amor *obedientialis*, qui non ſolum vult Deo ſummum bonum, quod in ſe habet, ſed etiam vult placere, & obedire illi in omnibus, quæ præcipit, vitatque omnia, quæ divino honori, divinæ voluntati, amicitiæ, & obedientiæ contradicunt. Et hic duntaxat eſt amor ſuper omnia: quia ita Deum rebus omnibus præfert, ut nullam ei præferri patiatur: nullamque admittit ſecum culpam mortalẽ, quia per iſtam Deus poſtonitur creaturæ.

88. Sed

Digitized by Google

88. Sed licet hæc doctrina vera ſit, recteque iſto ſecundo modo declaretur conditio amoris ſuper omnia; credimus tamen propoſitam dubitationem non habere locum in præſenti, ubi ſermo jam eſt de amore abſoluto Dei, & appreciativo, ad cujus gradum non pertingit ille prior amor, qui dicitur *ſolum affectivus*: nam ſiſtit in quadam ſimplici complacentia, quæ licèt ſit benevolentiæ affectus, non tamen gaudet conditionibus, quibus *num.* 85. amorem abſolutum notificavimus: neque importat eam æſtimationem, & expenſionem meritorum objecti, quæ eſt de ratione amoris appreciativi. Quocirca loquendo de hoc genere amoris, ſatis eſſe arbitramur ad hoc, ut dicatur ſuper omnia, quod terminetur ad Deum volendo divinam bonitatem, & de illa gaudendo ſolum propter ipſam, cum appreciatione, & æſtimatione, quam ratio naturalis dictat eſſe illi à nobis debitam; quamvis expreſsè non fuit collatio cum aliis objectis, præ quibus in æſtimatione habetur. Clauditur enim in illa appreciatione, & æſtimatione ſaltem virtualiter, tum relatio cæterorum omnium in Deum; tum etiam, ut quoties collatio prædicta occurrerit, tanti habeatur divina bonitas, & voluntas, ut ob nullius boni amorem, vel mali timorem ab ejus obedientia, & amicitia recedatur: hanc quippe, & non majorem appreciationem divinæ bonitati à nobis deberi, ipſo naturali lumine ſtatim edocemur.

Legitima dubij reſponſio.

Per quæ ſatis ſuperque declaratum credimus, quis dicatur *amor Dei ſuper omnia*, & quo pacto requirat obſervationem divinorum præceptorum ſaltem naturalis ordinis, nec ſecum patiatur tranſgreſſionem alicujus eorum, quæ obligant ſub culpa mortali. Diximus *ſaltem naturalis ordinis*: quia dum loquimur de amore naturali, *ly ſuper omnia*, ubique debet accipi cum hac reſtrictione, quam ipſum nomen præſefert, videlicet *intra ordinem naturæ*, & reſpectivè ad præcepta hujus ordinis: quorum, non verò præceptorum ordinis ſupernaturalis adimpletionem omnino infert, eorumque tranſgreſſioni directè contrariatur. Neque enim amor præcisè naturalis, ea quæ ſunt ſupernaturalis ordinis per ſe attingit, neque tranſgreſſionibus præceptorum talis ordinis directè ſe opponit, ſicut opponitur amor ſupernaturalis charitatis, qui propterea, non utcumque, ſed ſine ulla reſtrictione, & cum reſpectu ad quævis præcepta, vel objecta dicitur, & eſt amor Dei ſuper omnia. Et cum hoc diſcrimine inter utrumque amorem accipiendum eſt, quoties illis nomen *amoris ſuper omnia* tribuimus. An verò ſaltem indirectè prædictus amor naturalis repugnet tranſgreſſioni ſupernaturalium præceptorum, hacque ratione nullam ſecum patiantur mortalem culpam, etiam contra finem ſupernaturalem, conſtabit ex dicendis dubio ſequenti.

Dubiolum ſolvitur.

89. Sed inquires an amor Dei abſolutus, & amor ſuper omnia ad convertentiam dicantur?

Reſpondetur affirmativè, quoties amor, qui abſolutus dicitur, eſt amor Dei univerſalis, ſeu qui ad omnia ea extenditur, etiam in ratione abſoluti, quæ Deo attinent: ſecus ſi tantùm ſit amor particularis, qui non extenditur ad omnia prædicta. Pro quo notat bene Suar. *ubi ſupra*, objectum amoris abſoluti aliquando eſſe totum Dei bonum, non ſolùm intrinſecum, quod in ſe habet, ſed etiam extrinſecum, quod à nobis exigit, ut honorem, reverentiam, fidem, potiſſimè verò ſubjectionem, & obedientiam pro omni tempore, & loco in omnibus, quæ præcipit. Et hunc vocamus *amorem univerſalem*. Et talis amor, ſi verè ſit abſolutus, atque adeo cum omnimoda determinatione, & propoſito cooperandi ad ea, quæ diximus, in nullo differt ab amore ſuper omnia, ſed cum illo convertitur. Aliquando autem talis amor non reſpicit in ratione abſoluti omnia illa Dei bona, ſed aliqua duntaxat; alia verò vel nullo modo reſpicit, vel eſto reſpiciat, non tamen, ut amor abſolutus, quia non cum prædicta determinatione, & propoſito; ut contingit in illo, qui licèt abſolutè velit honorare Deum, credendo in ipſum, & ei ſoli cultum tribuendo; non tamen abſolutè vult abſtinere à luxuria, non furari, malè parta reſtituère, & alia, quæ Deus jubet; ſed vel hæc non reſpicit, vel ſolum per modum velleitatis. Hujuſmodi autem amor, qui ſecundùm quid duntaxat, & ex parte poteſt dici *abſolutus*, (ſimpliciter verò ſub conditionato potiùs continetur,) non eſt amor ſuper omnia, quem hactenus explicuimus.

§. II.

Expenditur alia conditio amoris Dei naturalis, nempè quod ſit efficax

90. Sicut in aliis cauſis, & virtutibus efficacia, vel inefficacia attenditur per ordinem ad effectum, in quem inclinant, quatenus illum inferunt, vel non inferunt: in actu amoris Dei ſuper omnia, quod ſit efficax, vel inefficax attendi debet in ordine ad ſuum effectum, qui, ut nuper dicebamus, eſt obſervare divina præcepta, referreque in Deum omnia, quæ diligimus: juxta illud Joannis *qui diligit me, mandata mea ſervabit*. Ille ergo erit amor efficax, qui hujuſmodi relationem, & obſervationem ſecum attulerit; qui verò aliter inefficax manebit. Hæc doctrina, (quæ eſt communis Theologorum,) motus fuiſſe videtur Ludovicus de Molina in concordia, *quæſt. & diſp.* 14. *membro* 3. ut aliam ſatis novam, omninoque ſingularem introduceret. Ait enim dilectionem Dei efficacem non importare unicum tantùm actum, etiam qui ſit amor abſolutus, & ſuper omnia, & per quem voluntas abſoluto propoſito ſtatuat ſervare omnia divina præcepta, & omnem Dei offenſam cavere; ſed includere ſaltem ut conditionem ipſam adimpletionem actualem, & perſeverantiam in ea per totam vitam: ita ut hujuſmodi obſervatione non ſequuta, aut aliquando per peccatum mortale interrupta, amor præcedens, quicumque ille fuerit, inefficax remaneat. Ex quo infert primò, inter velleitatem, qua quis ex dilectionis affectu vellet ſervare omnia mandata; ſimpliciter tamen & abſolutè id non vult, & voluntatem efficacem, qua ex eodem affectu vult illa ſervare, & opere complet, concedendam eſſe voluntatem abſolutam inefficacem, qua ex prædicto affectu idem vult; opere tamen poſtea non complet. Infert etiam eundem actum dilectionis Dei ſuper omnia, & cum abſoluto propoſito ſervandi divina mandata, omninoque eodem modo à voluntate elicitum poſſe eſſe amorem efficacem, uti erit ſi prædicta obſervatio uſque ad finem vitæ perſeveret; & inefficacem, ſi non perſeveret: quia quòd inefficax, vel inefficax, non ex qualitate ipſius actus, neque ex modo, quo à principio cum majore, vel minore perfectione elicitur; ſed ex ſola futuritione, vel non-futuritione prædictæ obſervationis accipiendum eſt. Explicat autem ſe loqui non tantùm de amore naturali, quo diligitur Deus: ut finis naturæ; ſed etiam de amore gratuito, quo ex charitate diligitur, ut finis ſupernaturalis: & adducit in exemplum amorem quo

quo peccator conſequitur gratiam juſtificationis, & vitam æternam meretur: & illum, quem habuerunt primi parentes in ſtatu innocentiæ ante ſuum lapſum: necnon & illum, quem manifeſtavit Divus Petrus Lucæ cap. 22. dum dixit: *Tecum paratus ſum in carcerem, & in mortem ire.* Et Matthæi 26. *Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Contendit verò hujuſmodi amorem, & omnem alium, quantumvis perfectum, abſolutum, & ſuper omnia, cui lapſus poſtea ſucceſſit, fuiſſe duntaxat amorem inefficacem, ob defectum perſeverantiæ uſque ad finem vitæ.

91. Hæc eſt doctrina illius Auctoris, *loco citato*: quam minus perſpicuè relatam patrocinandam ſuſcepit Franciſcus Suarez *citato cap.* 34. non quod veram eſſe judicet, (immò judicat eſſe falſam,) ſed ut à ſingularitatis, & improbabilitatis nota tueatur. *Nam profectò*, inquit, *non fuit Molina primus, neque ultimus, qui illam tenuit opinionem.* Ad quod ſuadendum memorat Sotum *lib.* 1. *de natura, & gratia, cap.* 22. retuliſſe eandem ferè diſtinctionem duplicis amoris, neque impugnaſſe, ſed declaraſſe potiùs, & confirmaſſe. A qua etiam ſententia non videtur diſcrepare etiam Medina, (ait:) nam in ſecunda concluſione de homine condito in puris naturalibus concedit, poſſe aliquo modo diligere Deum ſuper omnia, eamque dilectionem explicat verbis, quæ actum abſolutum ſignificant: & tamen in tertia concluſione id negat de dilectione perfecta, eam nimirum, quæ habet ſibi adjunctam præceptorum obſervationem. Citat enim Bañez, hoc tenore verborum. *Eodem ferè modo loquitur de puero perveniente ad uſum rationis, Bañez* 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. *dub.* 2. *ad* 4. ubi ait: *Non eſſe impoſſibile homini in ſtatu naturæ corruptæ per vires ejuſdem naturæ implere præceptum naturale convertendi ſe in Deum, proponendo per totam vitam ſecundùm rectam rationem agere, idque volendo quantum in ſe eſt: hæc autem converſio continet amorem Dei ſuper omnia, &c. Addit verò idem Auctor: illud propoſitum reverà inefficax eſſe propter naturæ* [illegible]*ruptionem, &c. Videtur ergo juxta prædi*[illegible]*ct*[illegible] *diſtinctionem loqui, &c.* Zumelumque quo[illegible] [illegible]*fert his verbis: *Idem ſumi poteſt ex Zumel* 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 4. *diſp.* 2. quatenus ait: *Poſſe hominem non tantum potentia phyſica, ſed etiam morali implere omnia præcepta pro brevi tempore, prout in eo occurrunt, etiam in natura lapſa, &c.* Demum citat Lorcam in hunc modum. *Denique noviſſimè Lorca* 1. 2. *diſp.* 5. *de gratia circa finem, fatetur, præmiſſa præfata diſtinctione amoris nullo argumento probari dictum ſimplicem actum eſſe impoſſibilem, ideoque ſatis probabile exiſtimat, hunc poſſe elici ſine ſpeciali Dei auxilio, quamvis dilectio diuturna, & effectiva impoſſibilis ſit, &c.* Ac tandem concludit: *Non eſt ergo ſingularis illa opinio Molinæ, neque poteſt ulla cenſura notari, immò neque improbabilis judicari.*

92. Sed ut hac via, (quæ nulla majori ratione fulcitur,) Molinæ opinio ab ea nota immunis evaderet; oſtendendum in primis erat prædictos Auctores, vel ſaltem aliquem eorum apertè illi ſuffragari: quod tamen nec Suarez abſolutè affirmat, (cautè ſatis in eorum relatione procedens,) neque ulla ratione probari poterit. Quis enim illorum dixiſſe invenitur actum amoris ſuper omnia, omnino abſolutum, elicitum à virtute charitatis, per quem diligimus Deum ex toto corde, & ex tota mente, ex tota anima, & cum veriſſimo propoſito ſervandi omnia præcepta, non eſſe amorem efficacem, etiam ſi in futurum comitem non habeat perſeverantiæ donum? Vel quis eorum dixit eundem charitatis actum poſſe eſſe indifferenter amorem efficacem, & inefficacem, pro ſola effectus contingentia? Quiſve aſſeruit dilectionem efficacem, neque ex ſe, neque ex modo, quo elicitur à ſuo principio, importare majus aliquid perfectionis, quàm importat inefficax. Tantumque ex futuritione eventus ſumendam eſſe eorum diſtinctionem? Hujuſmodi namque propoſitiones, quæ ſunt Molinæ aſſerta apud neminem prædictorum Theologorum oſtendes, neque ex eorum doctrina poſſunt deduci.

Falsò allegantur Auctores pro Molina ſententia.

Præterea quòd præceptum ſupernaturale diligendi Deum ſuper omnia, ut eſt unum ſingulare, & determinatum, radixque, & fundamentum cæterorum, poſtulet amorem efficacem; neque per inefficacem adimpleatur, idque ſonent verba illa, quibus imponitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis*, in confeſſo eſt apud omnes Theologos: ſicut etiam quod propoſitum in eo amore incluſum, & ad juſtificationem requiſitum debeat eſſe propoſitum efficax non peccandi mortaliter, ſervandique divina præcepta; & quod inefficax non ſufficiat, nemo, quem viderimus, præter Molinam negare auſus fuit: At certum eſt, quàm multos ex iis qui poſtea ceciderunt, impleviſſe aliquando prædictum præceptum, prout eſt unum, & ſingulare: ut conſtat de Angelis in primo inſtanti ſuæ creationis, de primis parentibus in ſtatu juſtitiæ originalis, & aliquibus non paucis, qui longo tempore innocentiam, & gratiam Baptiſmalem ſervaverunt, & circa finem vitæ lapſi ſunt: quis hoc neget? Ergo in his omnibus amor charitatis abſque dono perſeverantiæ fuit amor efficax: utpote prædicti præcepti adimpletivus. Ad hæc (ut bene obſervat Suarez *citato cap.* 24. *num.* 15.) ſicut diverſa ſunt operari bonum, & perſeverare in bene operando; majorque gratia requiritur ad hoc poſterius, quàm ad illud prius: ita diverſum quid eſt, diligere Deum ſuper omnia, etiam dilectione efficaci, & perſeverare per totam vitam, aut longo tempore in hac dilectione: at dilectio, quæ reipſa affert obſervationem præceptorum per totam vitam, non eſt utcumque dilectio efficax, ſed eſt dilectio efficax cum perſeverantia: non enim toto illo tempore certo, & infallibiliter ſervare faciet præcepta, niſi toto eo tempore formaliter, vel virtualiter perſeveret: longeque major gratia neceſſaria eſt ad hoc ſecundum, quàm ad primum: ergo quod poſt emiſſum actum charitatis prædicta obſervatio deficiat, non arguit, talem actum non fuiſſe abſolutè amorem efficacem; ſed ſolum arguit defuiſſe illi, & ejus efficacia perſeverantiam.

Refellitur Molina.

Adde ſecundò ex Magiſtro Curiele in præſenti in comment. 3. articuli dilectionem Dei ſuper omnia dupliciter poſſe dici efficacem: uno modo quaſi extrinſecè, & ratione effectus; ut, cùm reipſa extenditur ad excludendum per totam vitam ea omnia, quæ repugnant amicitiæ cum Deo. Et ita non eſt unus ſimplex actus, ſed includit omnes, qui neceſſarij ſunt ad obſervationem præceptorum obligantium ſub mortali: & hanc dumtaxat efficaciam agnovit Molina. Alio modo dicitur efficax intrinſecè, & ſecundùm propriam ſpeciem;

Digitized by Google

tiem; quia ſecundùm propriam rationem habet conjungere voluntatem Deo adeò firmiter, ut det ipſi virtutem ſufficientem ad adimplenda omnia prædicta præcepta, & ad reſiſtendum omnibus, quæ divinæ amicitiæ repugnant; & quantum eſt ex parte ipſius amoris reddat voluntatem paratam ad hæc omnia: licèt per accidens deficiente, ſeu retractato prædicto amore, impediatur executio. Et hic modus efficaciæ eſt, à quo juxta communem Theologorum conceptionem amor dicitur abſolutè, & ſimpliciter efficax. Quæ omnia cum ſint ſatis communiter recepta, doctrinæque Molinæ apertè adverſentur, conſtat ejus ſententiam neque ratione, neque Theologorum auctoritate, quos Suarez in ejus patrocinium adduxit, à ſingularitatis, improbabilitatis, alteriuſve cenſuræ nota (ſi qua taxata eſt) omninò liberari.

Molina ſententia an cenſuræ obnoxia.

Sotus alienus eſt à Molina.

94. Quod illi Theologi nonniſi ex ſiniſtra intelligentia pro prædicta ſententia referri potuerint, animadvertet citò, qui eorum verba, & rationes ſeriò obſervaverit. Et in primis Magiſter Soto perperam adducitur. Nam amor ille, quem inefficacem appellat, & dividit contra efficacem, non eſt amor abſolutus, & ſuper omnia, de quo Molina loquitur, & procedit quæſtio: ſed continetur ſub amore ſimpliciter conditionato, & non ſuper omnia. Quod disertè tradit ibidem: cum relata illa diviſione duplicis amoris, & argumento ab ea deducto (quo nonnulli utebantur ad probandum poſſe Deum, ut finem naturalem diligi à nobis ſuper omnia viribus naturæ,) ſic ait: *Hoc argumento conficiunt nonnulli poſſe à nobis Deum diligi ſuper omnia naturaliter. Quod revera, & abſonum eſt Chriſtianis auribus, & præter rationem collectum. Nam eſto haberi ille actus naturaliter poſſit ab illo etiam, qui eſt in peccato mortali, nequaquam dicendus eſt dilectio Dei ſuper omnia. Enimvero dilectio Dei ſuper omnia, quod vox ipſa ſtatim primo ſono auribus exhibet, eſt qua ita quis Deum diligit, ut ipſum omnibus præferat, ſéque, & ſua omnia in ipſum referat, aut ſaltem nihil divinæ amicitiæ contrarium admittat: juxta evangelicam vocem ex toto corde, ex tota mente, &c.* Et poſt alia ſubjunxit iterùm: *Actus ille diligendi Deum ſupra nominatus, non eſt cenſendus dilectio Dei ſuper omnia.* Qui ergo ita palam negat prædictum actum eſſe amorem ſuper omnia, ſiniſtrè exponitur de hoc amore.

Replicat Suarez.

95. Sed urget Suarez, tum quòd talis amor exprimitur ibidem, ut abſolutus verbis indicativi modi, his ſcilicet: *Volo Deo in omnibus, & ſuper omnia placere:* At amor abſolutus, & qui hoc modo explicatur, eſt amor ſuper omnia, ut nos ſuprà diximus: igitur loquitur de hoc amore. Tum etiam quòd præter amorem illum ſuper omnia ita efficacem, ut ſecum afferat obſervantiam præceptorum per totam vitam, concedendus eſt aliquis amor minus perfectus, per quem homo affectu omninò abſoluto Deum diligat, ipſum rebus omnibus præferendo, ſeque, & omnia ſua in eum dirigendo; ac proinde qui etiam ſit amor ſuper omnia; nec tamen conſequentem ſemper habeat prædictam obſervationem, ſed aliquando in ea deficiat: nam talis amor ſive vocandus ſit efficax, ſive inefficax ab omnibus conceditur: Si verò Soto hujuſmodi amorem non intelligat per illum amorem imperfectum, quem appellat *inefficacem*, nullum ei relinquit locum: nam alium, quem intendit, & vocat *perfectum*, explicat per obſervantiam perſeverantem præceptorum? Ergo utriuſque amoris nomine, intelligit amorem ſuper omnia.

Reſponſio.

Reſpondetur ad primum, non eſſe certam notionem amoris ſimpliciter abſoluti, & ſuper omnia, quod exprimatur verbis indicativi modi. Nam ut diximus *num.* 85. aliquando explicatur per illa verba amor, qui vel nullo modo, vel ſolùm ex parte, & ſecundùm quid habet rationem abſoluti. Et ideo ad id certò dignoſcendum apud aliquem Auctorem attendenda ſunt alia, quæ numero citato diximus, ſed præſertim ſeries contextus, intentio auctoris, & reliqua ejus verba. Hæc verò attendenti manifeſtè conſtabit Sotum per illa, *Volo Deum in omnibus, & per omnia complacere*, (quæ non ex proprio, ſed ut aliena refert,) non intellexiſſe amorem abſolutum, & ſuper omnia. Tum quia ſtatim ſemel; & iterum expreſsè negat illi actui hanc conditionem, ut ejus verbis nuper vidimus. Tum etiam quia addit immediatè: *Et hanc vocant dilectionem imperfectam, & objectivam, quia poteſt eſſe cum peccato mortali.* Dilectio autem, quæ abſolutè vocatur ſuper omnia; etiam in ordine naturali non dicitur talis ſolùm *objectivè*, ſed obedientialiter, & appretiativè, ut ex ipſo Suario vidimus *numero* 87. Neque apud Sotum eam imperfectionem admittit, ut ſecum patiatur culpam mortalem: Ergo non loquitur de tali dilectione.

Soto.

Ad ſecundum reſpondetur, nullatenus ex doctrina illius capitis haberi, quòd dilectio Dei efficax debeat ſecum afferre donum perſeverantiæ, & obſervantiam mandatorum Dei per totam vitam: ſed quod ſit talis, ut per eam homo toto cordis affectu in Deum feratur præferendo illum rebus omnibus, ſeque, & omnia ſua in ipſum referendo: & quod dum manet, ſeu non retractatur per mortalem culpam comitem habeat talem obſervationem, nihilque admittat divinæ amicitiæ contrarium. Hoc & non amplius requirit Soto ad dilectionem, quam vocat *perfectam, & ſuper omnia*, ut legenti conſtabit. Cùm verò addit, potuiſſe elici hujuſmodi actum ab homine in natura integra, non autem in natura lapſa, niſi per gratiam adjuvetur, quia in illo primo ſtatu conſideratus, etiam ſine gratia juſtificante cum ſola integritate naturæ poterat perſeveranter implere præcepta omnia; ſecus in iſto ſecundo: non intendit ipſam actualem obſervationem per totam vitam debere neceſſariò ſubſequi, ut verificetur, adfuiſſe talem actum; ſed intendit prædictum actum elici non poſſe ab eo, qui non habet vires ſufficientes ad talem obſervationem, poteſt verò elici à quocumque illas habente: elicieturque multoties ſive obſervatio cum perſeverantia reipſa ſequatur, ſive non ſequatur. Non ut quis propoſito abſoluto, & efficaci aliquid ſtatuat, ſufficit, quòd habeat vires ſufficientes ad illud adimplendum, ſive poſtea adimpleat manente virtute illius propoſiti, ſive non adimpleat. Quod qualiter intelligendum, & an ex omni parte verum ſit; conſtabit ex dicendis in reliquo hujus dubij. Quovis autem modo intelligatur, longiſſime abeſt à Molinæ doctrina.

Minus rectè allegat Bonts.

96. Non minus extra rem adducti ſunt alij Theologi: nam licèt in actum, quem admittunt poſſe elici ab homine propriis viribus in natura pura,

pura, vel lapſa intelligant amorem abſolutum, & ſuper omnia intra ordinem naturæ, at non omninò negant eſſe efficacem, quantum eſt ex parte actus: ſed dicunt eſſe imperfectum ex parte ſubjecti propter ejus defectibilitatem, quæ in cauſa eſt, ut niſi adſit gratia, ipſe actus citò retractetur, deficiatque ejus virtus,& efficacia, & ad operis executionem non perveniat. Et in hoc ſenſu dixit Bañez non eſſe efficacem; quamvis ex parte ipſius actus, & dum non retractatur, efficax ſit.

Pro quo nota ex triplici capite aliquem Dei amorem poſſe dici *imperfectum.* Primò ex parte objecti, quia non ita ſe extendit ſicut amor perfectus: videlicet ad volendum Deo, & propter Deum, non ſolùm bona intrinſeca, quæ in ſe habet, ſed etiam extrinſeca, quæ à nobis exigit, ut obedientiam, & obſervantiam præceptorum per totam vitam. Et amor ex hoc capite imperfectus, eo ipſo non eſt amor ſuper omnia, ut habetur ex dictis *num.* 88. Secundò ex parte actus: quia non eſt amor ex toto corde, ſeu cum vero & abſoluto propoſito ſervandi per totam vitam prædicta præcepta, cavendíque omnem Dei offenſam, ſaltem gravem. Et neque iſte eſt amor ſuper omnia: quia non eſt omninò abſolutus, neque obedientialis, ut exigitur ad prædictum amorem juxta dicta *num.*85. Tertiò poteſt dici *imperfectus* ſolùm ex parte ſujecti: quia licèt ex parte objecti, ad omnia prædicta ſe extendat,& ex parte actus includat propoſitum omninò abſolutum; eſt tamen citò defectibilis ex parte ſubjecti: quia licèt huic adſint vires ad eliciendum illum pro parvo tempore, præſertim dum nulla occurrit gravis tentatio in oppoſitum, quæ retrahat ab elicientia talis actus, vel eam difficiliorem reddat; non tamen ad conſervandum diù talem actum, adimplendumque longo tempore propoſitum in eo incluſum, ſicut neque ad eliciendum illum in præſentia gravis tentationis inde retrahentis. Eſt enim in confeſſo apud omnes majorem virtutem requiri in ſubjecto etiam in ordine ſupernaturali ad permanendum in aliquo bono opere, præſertim longo tempore; quam ad illud præcisè eliciendum: Et ideo cum ad hoc poſterius ſufficiat gratia communis, ad illud tamen prius ſuperaddi neceſſe eſt virtutem, vel donum perſeverantiæ. Sicut etiam virtus, quæ ſufficeret ad eliciendum aliquem actum, nulla urgenti gravi tentatione in oppoſitum, verbi gratiâ, ad confitendam fidem, non ſufficeret, ea tentatione urgente, puta in præſentia tyranni mortem comminantis, ſed neceſſarium eſt ſpecialius gratiæ auxilium. Hæc autem imperfectio tota eſt ex parte ſubjecti,quod propter ſuam infirmitatem, & debilitatem, vel propter difficultatem extrinſeci retrahentis, difficilius accedit ad eliciendum actum, quem in ſua virtute continet; citiuſque ab eo deſiſtit, niſi aliunde ei incurratur. Non tamen in caſu noſtro tollit ab ipſo actu, quod dum ſemel eligitur, & permanet, habeat eandem eſſentiam amoris ſuper omnia, quam habet actus perfectus. De quo dicemus rursùs à *num.* 121.

97. Juxta hunc ergo ſenſum locuti ſunt Medina, Bañez,Lorca, dum aiunt poſſe hominem propriis viribus diligere Deum ut finem naturalem ſuper omnia per breve tempus, amoréque imperfecto, vel inefficaci, & adimplere hoc modo præceptum naturale prædictæ dilectionis:ſecus per longum tempus, ſeu amore perfecto, & efficaci.Non enim loquuntur de imperfectione, quæ ſit ex parte actus, aut quæ tollat ab eo, dum permanet, veram rationem amoris efficacis; ſed de imperfectione ex parte ſubjecti, quæ in cauſa eſt, ut actus diù perſiſtere non poſſit, ob idque inefficax judicetur ad ſervanda divina præcepta longo tempore: quia pereunte, & non repetito prædicto amore, nequit talis obſervatio diù permanere. Poſſumuſque majoris diſtinctionis gratia imperfectum iſtum amorem appellare *efficacem in affectu, inefficacem verò quoad effectum:* quia dum permanet,adeſt in illo tota vis, & efficacia intrinſeca, quæ eſſet in quovis alio amore ejuſdem ordinis omnibus modis efficaci, ſive ad convertendam voluntatem in Deum, & firmandam in illo: ſive ad influendum in obſervationem mandatorum, cavendámque omnem culpam mortalem. Ob idque quando exiſtit talis amor, omnia hæc infallibiliter præſtat, nihilque ſecum patitur, quod obedientiæ, & amicitiæ divinæ repugnet. Sed tamen ob defectibilitatem ſubjecti nequit diù ejus virtus conſervari, eaque ſemel extincta, non ultra progreditur ejus influxus: hacque ratione effectus ille ſecundum ſe efficax, quaſi per accidens ad effectum non tranſit: ad diſtinctionem amoris omninò perfecti, qui poterit denominari *efficax tam in effectu, quam in affectu:* quia propter minorem ſubjecti defectibilitatem permanet, aut permanere poteſt inextinctus toto vitæ curſu, totóque eo in prædictos effectus influere. In qua doctrina nihil reperimus favens Molinæ opinioni, aut vindicationi.

98. Habemus autem ex hucuſque prælibatis conditiones amoris abſoluti, efficacis, & ſuper omnia,de quo in titulo,in idem concurrrere,ejuſque rationem in eo ſitam eſſe, ut voluntas feratur in Deum propter ipſum, præferendo illum omnibus rebus, & omnia noſtra in ipſum referendo. Vel (quod idem eſt) volendo illi affectu omnino abſoluto ſummum bonum tam intrinſecum, quàm extrinſecum, præſertim verò obedientiam, & obſervantiam omnium præceptorum obligantium ſub culpa mortali,cum vero, & firmo propoſito (quantum eſt ex parte actus) hujus obſervationis per totam vitam: ſive ſequatur reipſa talis obſervatio,ut ſequitur dum amor irretractatus permanet: ſive non ſequatur; ut ſæpe contingit propter ejus retractationem. *Legitima ratio amoris ſignificatur.*

Habemus etiam prædictum amorem duplicem eſſe: alium, qui terminatur ad Deum dumtaxat ut finem naturalem, continetúrque intra ordinem naturæ: eáque ratione dicitur *ſuper omnia*, quia præfert Deum rebus omnibus naturalibus,& violationi præceptorum hujus ordinis, præſcindens, ſeu non attingens directè illa, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis. Alium verò, qui terminatur ad Deum ut finem ſupernaturalem, & præfert illum omnibus rebus abſolutè, violationique omnium præceptorum cujuſcumque ordinis, & hic eſt amor ſupernaturalis à charitate elicitus. Denique habemus amorem Dei,de quo dubij titulus,alium eſſe perfectum, cujus virtus conſervari poteſt per totam vitam, vel ſaltem longo tempore, totóque eo tempore poteſt ſervare divina præcepta: alium imperfectum imperfectione ex parte ſubjecti,ob cujus defectibilitatem talis amor neque in ſe, neque in ſua virtute, & mandatorum obſervatione conſervari poteſt longo tempore; haud tamen ob iſtum defectum amittit rationem amoris ſuper omnia abſoluti, & efficacis, ſaltem intrinſecè, & in affectu.

§. III.

§. III.

Aſſertio prior pro deciſione principalis difficultatis.

Prima concluſio.

99. Dicendum eſt primò, hominem in natura pura conſtitutũ poſſe propriis viribus diligere Deum ut finem naturalem ſuper omnia intra iſtum ordinem amore abſoluto, & efficaci, ſaltẽ imperfecto, & pro parvo tẽpore: ſeu qui ſit efficax per ſe, & in affectu, licèt non quoad effectũ. Hanc concluſionem tenent graves D. Th. diſcipuli. Caiet. *t.* 1. *opuſc. art.* 4 *q.* 1. & §. *His præmiſſis*, ubi etiam Med. *concl.* 2. *q.* 10. *art.* 1. *dub.* 2. *Ad* 4. *arg.* Alvar. *d.* 51. *de auxil. n.* 19. & *l.* 5. *Reſp. c.* 5. & 6. Greg. Mart. *in præſenti dub.* 1. *concl.* 2. Monteſ. *d.* 27. *q.* 6. *n.* 21. Bañez 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *dub* 2. *ad* 4. Labat *d.* 1. *dub.* 3. §. 5. *corollar.* 4. Gonz. 1. *p. d.* 77. *ſect.* 3. *n.* 22. Lorca *de gratia d.* 5. Granad. *contr.* 5. *tr.* 1. *d.* 3. *concl.* 3. immò addit Martinez eſſe cõmunem ſententiam inter Thomiſtas. Scimus tamen nõnullos graves, & doctos ab oppoſita eſſe, ut infra referemus. Quod diſſidium judicium noſtrum de hac re aliquãdiu ſuſpendit: & libenter utramque partem ſuis munita fundamentis problematicè ſuſtineremus, dum pro neutra apparet aliquid omnino convincens. Sed quia hũc modum diſſerendi minus aptũ ad inquirendam, & inveniẽdam veritatem ſemper judicavimus, & ideo pro viribus uſque modo ab eo abſtinuimus; placuit re magis inſpecta citatis Auctoribus ſubſcribere, confirmandæque eorum ſententiæ determinatè incũbere. Tum quod illarũ rationes, utpote deſumptæ ex Angel. Pręcept. efficaciores viſę ſunt. Tũ etiã quòd hac via ejus doctrina circa obligationẽ pueri ad uſũ rationis perveniẽtis, & incõpoſſibilitatem peccati venialis cũ ſolo originali, in qua multi offenderũt, faciliùs explicatur, & ab impugnationibus defẽditur.

Caietanus. Medina. Alvarez. Gregor. Martinez. Monteſinos. Bañez. Labat. Gonzalez. Lorca. Granados.

Præter Auctores verò citatos, qui ſine dubio noſtram tenent ſententiã (vel formaliter, loquentes de homine in natura pura, vel a fortiore agẽtes de illo in natura lapſa, qui eſt ſtatus adhuc imperfectior) referuntur pro illa Henricus *quodlib.* 4. *q.* 11. Scotus *in* 1. *diſt.* 17. *q.* 1. & 2. & *in* 4. *diſt.* 14. & *q* 2. & *quodlib.* 17. Durand. *in* 1. *diſt.* 17. *q.* 2. Maſſil. *in* 2. *q.* 18. *art.* 2. Abulenſ. *ſuper* 19. *c. Matth. q.* 177. Ricard. *in* 2. *diſt.* 28. *q.* 3. Soto *l.* 1. *de nat.* & *grat. c.* 14. & *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 5. *ad* 1. & alij. Ex quibus Henricus apertè eſt pro nobis, & etiam Abulenſis, ſi verbis ſtandum ſit; nam expreſsè ait, poſſe hominem ex puris naturalibus diligere Deum ſuper omnia. Sed quia in diſcurſu quæſtionis non omnino diſtinguit purè naturalia ab integritate naturæ, immò videtur ea utroque vocabulo indifferenter uti; non eſt ita certũ loqui in ſenſu noſtræ aſſertionis. Scotus, Durandus, & Marſilius, licèt excludant neceſſitatẽ gratiæ, & charitatis habitualis, haud tamen ſatis cõſtat, an etiã excludãt neceſſitatẽ omnis auxilij indebiti, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis ordinis. Ricard. & Soto immeritò allegantur: nã potius inclinãt in oppoſitum.

Henricus. Scotus. Durandus. Marſilius. Abulenſis. Richardus. Soto.

Expenduntur teſtimonia D. Thom. pro hac ſententia.

100. Probatur ergo primò auctoritate, & ratione D. Th. 1. *p. q.* 60. *art.* 5. ubi quærit de Angelo; utrùm naturali dilectione diligat Deũ plus quam ſeipſum? refertque, & impugnat ſentẽtiam aliquorũ id aſſerentiũ de amore concupiſcẽtiæ, negantium verò de amore amicitiæ. Ipſe autem etiam de hoc poſteriori amore affirmativã partẽ tuetur, extendens doctrinã ad hominem, & ad omnes res naturales, prout unaquæque amoris eſt capax. Utemur autẽ pro formanda ratione S. Doct. verbis noſtra ſupprimentes, quę nihil majoris elucidationis ſuperaddere poſſent. Sic ergo ait: *Inclinatio naturalis in his, quæ ſunt ſine ratione, demonſtrat inclinationẽ naturalem in voluntate intellectualis naturæ. Unũquodq; autem in rebus naturalibus, quod ſecundùm naturã hoc ipſum, quod eſt, alterius eſt, principalius, & magis inclinatur in id, cujus eſt, quam in ſeipsũ. Et hæc inclinatio demõſtratur ex his, quæ naturaliter aguntur: quia unumquodq; ſicut agitur naturaliter, ſic aptũ natum eſt agi, ut dicitur in 2. phyſ. Videmus enim, quòd naturaliter pars ſe exponit ad conſervationẽ totius corporis: ſicut manus exponitur ictui abſque deliberatione ad conſervationẽ totius corporis. Et quia ratio imitatur naturã, hujuſmodi inclinationem invenimus in virtutibus politicis: eſt enim virtuoſi civis, ut ſe exponat mortis periculo pro totius reipublicæ conſervatione. Et ſi homo eſſet naturaliter pars hujus civitatis, hæc inclinatio eſſet ei naturalis: quia igitur bonũ univerſale eſt ipſe Deus, & ſub hoc bono cõtinetur etiã Angelus, & homo, & omnis creatura: quia omnis creatura naturaliter ſecundũ id, quod eſt, Dei eſt: ſequitur, quòd naturali dilectione etiam Angelus, & homo plus, & principalius diligat Deũ, quam ſeipſum, &c.* Eandem doctrinam repetit in ſolutionibus omnium argumentorum eam magis declarans: præſertim ad 1. ubi hæc habet: *In illis, quorum unũ eſt tota ratio exiſtendi, & bonitatis alij, magis diligitur naturaliter tale alterũ, quam ipſum: ſicut dictũ eſt, quòd unaquaque pars diligit naturaliter totum plus quam ſe: & quodlibet ſingulare naturaliter diligit plus bonum ſuæ ſpeciei, quàm bonum ſuum ſingulare. Deus autem non ſolùm eſt bonum unius ſpeciei, ſed ipſum univerſale bonum ſimpliciter: unde unumquodque ſuo modo naturaliter diligit Deum plus quàm ſeipſum.*

Idem S. D.

Sed & *quodlib.* 1. *art.* 8 eandẽ circa ſolum hominem movet quæſtionẽ, & ſolvit eodẽ modo. *Dicendum eſt ergo* (inquit) *quod diligere Deũ ſuper omnia plus quam ſeipſum, eſt naturale non ſolùm Angelo, & homini, ſed etiã cuilibet creaturæ, ſecundùm quod poteſt amare, aut ſenſibiliter, aut naturaliter.* Repetitaque ſuperiore doctrina & exemplis concludit: *Manifeſtum eſt autẽ, quòd Deus eſt bonum commune totius univerſi, omnium partium ejus: unde qualibet creatura ſuo modo naturaliter plus amat Deũ, quàm ſeipſam: inſenſibilia quidem naturaliter, bruta verò animalia ſenſibiliter, creaturæ verò rationalis per intellectualem amorem, quæ dilectio dicitur.* Loquitur autem de homine ut cõſtituto in puris naturalibus, nam ita præmiſerat: *quia poſſibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus, utile eſt conſiderare, ad quantum dilectio naturalis extendere poſſit.* Legatur etiam 2. 2. *q.* 16. *art.* 3. & *in* 3. *diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 3. Ubi eandem rationem magis expendit, ex eaque infert: *Quia ergo bonum noſtrum in Deo perfectum eſt, ſicut in cauſa univerſali prima, & perfecta bonorum; ideo bonum in ipſo eſſe magis naturaliter complacet quàm in nobis ipſis: & ideo etiam amore amicitiæ naturaliter Deus ab homine plus diligitur ſeipſo. Et quia charitas naturam perficit; ideo etiam ſecundùm charitatem Deum ſupra ſeipſum diligit,* &c. Hactenus D. Thomas. Per naturalem autem dilectionem reſpectu hominis, & Angeli illam intelligit, in quam naturalis eorum inclinatio propendit, atque quę haberi poteſt virtute talis inclinationis, penes quam eſt tota vis naturæ. Ob idque prædictus amor habet etiam, quod ſit neceſſarius ſaltem quoad ſpecificationem: & quod dicatur hoc etiam modo *naturalis*, quatenus *naturale* diſtinguitur contra liberum, ut ad locum primæ partis exponit Caietanus, Bañez, Nazarius, & alij D. Thomæ diſcipuli. Non autem eam neceſſitatem haberet talis amor, ſed potius omnimodam libertatem ſi ad illud neceſſaria eſſet virtus ſuperans facultatem naturæ.

Caietanus. Bañez. Nazarius.

101. Dices primò, prædictam doctrinam reſpectu hominis non habere locum, niſi ut conſtituti in natura

Ad- rum

natura integra integritate ordinis naturalis:& hanc integritatem intellexiſſe D. Thomam quodlibeto citato per *pura naturalia*:nam agit de homine ſicut de Angelo,cui eſt natura omnino integra.Unde nõ benè ea doctrina extenditur ad hominem in ſtatu naturæ puræ, vel lapſæ,ubi deeſt prædicta integritas.Quòd enim unaquæque pars naturaliter plus diligat ſuum totum , quàm ſeipſam, & bonum totius quam bonum proprium;intelligendum eſt de parte, quæ ſit ſana, & rectè ordinata, ſicut eſſet prædicta natura integra;non autem natura integra ; non autem de parte adeò infirma , & deordinata ſicut eſſet natura humana in ſua nuditate, propter repugnantiam,& cõtradictionem partium ſenſitivæ,& rationalis, ex qua reſurget pronitas ad malum , & difficultas circa bonum.Et ideo S.Doctor art. 3. hujus quæſtionis 109.potentiam,quam tribuit homini in natura integra ad diligendum Deum ſuper omnia propriis viribus, negat in natura lapſa propter naturæ corruptionem,ſeu infirmitatem:eumdem autẽ, vel fere eumdem pateretur defectum homo in natura pura : nam duo iſti ſtatus non differunt penes majores,vel minores vires ad bene operandum,ſed penes privationem , vel negationem ejuſdem integritatis,ſicut homo ſpoliatus,vel nudus.Quare non eſt neceſſe quoad præſens, duos iſtos ſtatus diſtinguere.Immò videtur,quòd ſtatus naturæ puræ fuerit à D.Thom.comprehenſus ſub natura lapſa:quia alias nullã tradidiſſet doctrinã pro priori illo ſtatu, neque ejus meminiſſet.Ita Suarez *cit.lib.1.cap.36.*

Sed hæc nõ ſatisfaciunt:nam quòd Angel.Doct. quodlibeto citato loquatur de homine,ut condi potuit in natura pura,oſtendunt ipſa ejus verba *in puris naturalibus*, ſine fundamento à propria ſignificatione abſtraheremus: propriè verò accepta dicunt non naturam integram,ſed nudam,& ſibi relictam.

Ad hæc : cùm certum ſit, Deum potuiſſe creare hominem omnino in puris naturalibus,ſicut potuit in natura integra,utileque ſit conſiderare quantum dilectio naturalis pro illo ſtatu poſſet extendi;ſi D. Thomas vellet id nobis aperire, haud potuiſſet ita propriè aliis verbis , quàm illis, quibus uſus eſt in prædicto quodlibeto. *Quia poſſibile fuit Deo,ut hominem faceret in puris naturalibus ; utile eſt conſiderare ad quantum ſe dilectio naturalis extendere poſſit.* Ergo ſine fundamento ſenſus iſte à prædictis verbis excluditur.

Minus adhuc intelligentiam Suarez admittit locus primæ partis,qui valde eſt ad rem.Nam licèt in ea doctrina voluerit D.Thom. comprehendere ſtatum hominis in natura integra, huicque primo loco poſt Angelum eam accommodet ; nequaquam tamen excludere voluit à prædicta doctrina ſtatum naturæ puræ:immo in ſolut. ad 5.illius articuli extendit illam ad hominem in peccato exiſtentem(ex quo & non tantùm ex Angelo argumentum deſumpſerat, ut legenti conſtabit) at homo cum peccato non conſideratur,ut in natura integra,ſed in natura lapſa , quæ æque infirma , vel infirmior eſt natura pura. Ergo contra mentem S.Doctoris reſtringitur ad ſtatum naturæ integræ,cum excluſione ſtatus naturæ puræ.Et ſanè mirum eſt,quod ſi D.Thom.ſenſiſſet hominem in ſecundo ſtatu impotentem eſſe ad prædictam dilectionem , cùm rem toties tetigerit, non id alicubi apertiùs expreſſerit, ſicut expreſſit de homine in natura lapſa in præſenti *citat art. 3.*

102. Quod vero in iſto loco nomine *naturæ lapſæ* utrumque ſtatum comprehenderit, ut vult Suarez, omnino voluntariè aſſeritur : nam valde inter ſe differunt quoad rem,de qua agitur. In altero verò voluntas eſt infirma verò per peccatum , & abtracta à ſua naturali diſpoſitione , eſtque averſa à Deo , ut fine ultimo, & converſa ad bonum commutabile,& in ſenſu compoſito incapax amoris Dei ſuper omnia , qui in illum convertit ; donec ſanetur per juſtificantem gratiam : in altero verò neque eſt propriè infirma, aut malè diſpoſita, neque alienata a ſua naturali diſpoſitione, neque averſa à Deo, aut ad bonum commutabile converſa, neque habet aliquid converſioni in Deum repugnans,neque ad eliciendum ejus amorem juſtificante gratia opus habet,etiam in adverſariorum ſententia , ſed ad ſummum aliquo ſpeciali auxilio ordinis naturæ. Hæc autem diſcrimina inter prædictos ſtatus valde illos diſtinguunt quoad effectum diligendi , vel non diligendi Deum ſuper omnia , & compellunt diverſimodè quoad prædictum effectum de illis philoſophari (quidquid ſit de æqualitate,vel inæqualitate virium ad alia opera honeſta) immo non obſcurè ſuadent Divum Thomam in præſenti ſtatu naturæ puræ (ſi ejus meminit)non ſub natura lapſa comprehendiſſe , ſed ad naturam integram , ſicut imperfectum ad perfectum reduxiſſe. Atque adeo quod ſicut in natura integra concedit potentiam ad amorem ſuper omnia perfectum,& diuturnum : ita in natura pura noluit eam negare ad ſimilem amorem pro parvo tempore , & cum imperfectione ex parte ſubjecti ſupra explicata.

103. Deinde impugnatur prædicta evaſio. Quia ratio , cui D. Thom. innititur in omnibus locis citatis, procedit de natura humana (ſicut & de qualibet alia natura) pro quovis ſtatu ubi non ſit averſa à Deo per peccatum, & ad proprium bonum inordinatè converſa; ſed permaneat in ſua naturali inſtitutione,conſervans rationem partis hujus univerſi,& diſpoſitionem,quam à Deo accepit:de qualibet enim parte ſic ſe habente ſicut verificatur, quòd illud ipſum , quod eſt , ſive perfectum , ſive imperfectum, diminutum vel integrum, forte, aut debile, naturaliter Dei eſt ; nec aliter eſt diſpoſita, quam prout Deus inſtituit,ita verificari debet,quòd naturaliter magis inclinetur in bonum ipſius Dei, quàm in ſe ipſam, & bonum ſuum particulare : atqui natura humana ſecundùm ſe conſiderata,ſuęque nuditati relicta,ſervat ea omnia,quæ diximus: non enim habet aliquid per quod ſit averſa à Deo, aut ad bonum commutabile , tanquam ad finem ultimum converſa, aut quod illam extrahat à ſua naturali diſpoſitione, quam ex Deo accepit aut ratione, cujus non verificetur, quòd id ipſum, quod eſt talis pars,& natura, totum Dei eſt : ergo non eſt cur prædicta doctrina non ſit ei applicanda , ſicut applicatur reliquis naturis , & partibus univerſi. *Roboratur impugnatio.*

Et confirmatur à contrario ſenſu in natura lapſa, quæ ideirco, prout in eo ſtatu , magis diligit bonum proprium, quàm bonum divinum, exorbitans in hoc à reliquis naturis, & partibus univerſi : quia per peccatum eſt averſa à Deo , & converſa ad bonum commutabile tanquam ad finem ultimum, & extracta à naturali diſpoſitione , quam ex Deo accepit : proindeque non jam illud ipſum , quod eſt, totum Dei eſt : & ideo donec talis natura ſanetur per gratiam auferentem prædictam averſionem, nequit Deum ſupra ſe diligere : cùm ergo in puris naturalibus expers eſſet talis averſionis, & converſionis , ſed permaneret in ſua diſpoſitione naturali , ſecundùm quam illud ipſum , quod eſſet , totum Dei eſſet ; non eſt cur negetur illi ſufficiens facultas ad prædictam dilectionem : aut cur quantum ad hoc à reliquis naturis, & partibus univerſi diſcernatur. *Confirmatur.*

Confirmatur ſecundò : nam quòd voluntas humana pro aliquo ſtatu exire non valeat in prædictum amorem , non eſt ob defectum virtutis intrinſecæ;ſed quia vel propter peccatum,vel propter conjunctionem ad partem ſenſitivam retrahitur, *Confirmatur amplius.*

vel

Digitized by Google

vel impeditur ab elicientia talis actus: unde ſi poneretur ſeparata à corpore, & ſine peccato, nemo inficias it, quod propriis viribus in illum prorumperet. Sed impedimentum ex peccato deeſſet in natura pura, ut opponitur; quod autem eſſet ex conjunctione ad partem ſenſitivam, eſto, impediret multoties prædictum actum, ſemperque difficiliorem redderet, quam eſſet in anima ſeparata; non tamen illum ſemper omnino impediret: non enim pars ſenſitiva adeò continuò bellum ingerit rationali, ut multoties ſinat eam, ſedatis, aut non ſurgentibus paſſionibus, pace, & tranquillitate potiri. Tunc autem nihil obeſſet, quominus voluntas ſuam intrinſecam virtutem in prædictum actum dilectionis explicaret. Dato ergo quòd ſemper maneat difficultas pro qua ſuperanda conatus, & attentio non modica requiritur; haud tamen probabitur adeſſe impotentiam viribus naturæ inſuperabilem, adhuc pro parvo tempore.

Altera evaſio.

104. Secundò dices aſſumptum, & rationem D. Thomæ ſolùm procedere de quodam naturali amore, ſive innato, ſive elicito, per quem omnis creatura propendit in Deum, ſicut in bonum commune, & univerſale, à quo omnino dependet, & ſine cujus influentia interiret: hacque ratione plus diligit prædictum bonum univerſale, quam ſe ipſam. Non autem hic amor attingit Deum, ut habet eſſe proprium particulare, & diſtinctum à cæteris rebus, ſeu illis impermixtum, neque fertur in eum affectu obedientiali, appretiativo ſuper omnia, quo divina amicitia, obedientia, & honor rebus omnibus præferatur, ſicut eſt de ratione amoris de quo procedit dubium.

Pro qua evaſione facit, tum quod D. Thomas 1. *part. cit. art.* 5. (qui eſt præcipuus locus pro noſtra aſſertione) expreſsè dicit illum amorem reſpicere Deum ut bonum commune, & univerſale, non autem ut impermixtum, & diſtinctum à cæteris rebus: ut videre eſt præſertim in ſolutione ad quintum. Tum etiam quod in toto articulo non nominat *amorem Dei ſuper omnia* (ſicut appellat in præſenti articulo tertio, amorem, quem concedit in natura integra per proprias vires, & in lapſa per gratiam, de quo nobis ſermo) ſed ſolùm ait, & ſæpè repetit eſſe amorem, per quem unumquodque naturaliter diligit Deum plus quam ſe ipſum: non autem videtur idem eſſe diligere plus quàm ſe, & diligere ſuper omnia: nam etiam ſi amicus amicum diligeret plus quàm ſe, exponens vitam pro illo; non propterea ſuper omnia eum diligeret. Prædictum autem diſcrimen in modo loquendi D. Thomæ abſque dubio includit aliud ſatis ad rem inter prædictos amores. Tum præterea nam D. Thomas in illa quæſtione diſtinguit in Angelo, & homine amorem naturalem, & amorem electivum, & de ſolo illo priori ait, quòd per illum diligant Deum plus quam ſe; de poſteriore verò nihil dicit: & tamen amor de quo nos loquimur, magis accedere videtur ad electivum, quàm ad naturalem: ſi quidem eſt omnino liber etiam quoad ſpecificationem: ergo non eſt cur ſupradicta doctrina ei applicetur. Tum denique nam in illa ſolutione ad quintum concedit Divus Thomas amorem, de quo ibi, manere tam in homine, quàm in Angelo peccatore: at amor ſuper omnia, de quo noſtrum dubium, omnino eſt cum peccato mortali incompoſſibilis, ut dicemus dubio ſequenti: ergo non loquitur de iſto amore.

105. Hanc evaſionem ſuis munitam fundamentis conſultò adhibuimus, ut appareat, quæ fuerit mens Angelici Doctoris *in prædicto art.* 5. & qua ratione noſtra ſententia ibi contineatur. Quod non ita facilè deprehendet, qui animadvertens, quæ modò pro prædicta evaſione adduximus, nolit ultra perſcrutari. Illis ergo, & præſertim ultimò convincimur amorem de quo D. Thomas in illo articulo, non omnino converti (ſaltem pro ſtatu naturæ lapſæ) cum amore ſuper omnia, appretiativo, & obedientiali, de quo loquimur, ſed importari in hoc quendam modum majoris extenſionis, ſeu minoris limitationis, ratione cujus nullius gravis præcepti violationem ſecum abſolutè admittit. Alter verò amor, licèt non habeat æqualem extenſionem, eſt tamen ſuo modo etiam amor obedientialis, importatque obſervationem præceptorum naturalium, eam ſaltem, quæ opponitur violationi directæ. Tum quia ideo dæmones non peccant, neque peccare poſſunt directè contra præcepta naturalia; ſed ſolùm indirectè, quia manet ſemper in eis prædictus amor, ut oſtendimus *in tract. de Angelis diſput. 9. dub.* 3. Si autem amor iſte ex propria ratione non importaret prædictam obſervationem, etiam non obſtaret, quin dæmones præcepta illa directè tranſgrederentur. Tum etiam quia ut docet Divus Thomas locis citatis, talis amor non eſt ſolius concupiſcentiæ, ſed amicitiæ: & eſt talis conditionis, ut præferat bonum divinum bono creaturæ, in qua eſt ipſe amor: cùm autem obſervatio naturalium præceptorum ſit quoddam bonum divinum, ſatiſque à Deo in pretio habitum, nequit non talis amor præferre prædictam obſervationem cuivis bono ipſius creaturæ.

Ad hæc, amor amicitiæ ſuopte jure quærit, & ſatagit complacere perſonæ amatæ, & voluntatem ejus adimplere: ergo qui per iſtum amorem diligit Deum plus quàm ſe, plus ſatagit ei placere quam ſibi. Ob nullum ergo proprium bonum, vel commodum ejus voluntatem, & juſſa derelinquet; immò neque ob commodum, vel bonum alterius: quia qui diligit Deum plus quàm ſe, etiam diligit plus quàm alterum: atque adeò ſi propter proprium bonum, vel commodum non derelinquit ejus præcepta, neque etiam propter commodum, vel bonum alterius ea derelinquet.

Quòd autem dicitur, hunc amorem terminari ad Deum, ut bonum commune, & univerſale, non ita eſt intelligendum, quaſi reſpiciat bonum genericum, & commune per prædicationem, vel bonum totale ex omnibus bonis creatis coaleſcens: quia neutro ex his modis diceretur verè amor Dei, ſicut nec Deus eſt aliquod hujuſmodi bonorum: ſed verè reſpicit illum, ut eſt bonum ſingulariſſimum, & ſpecialiſſimum, & diſtinctum à creaturis; communiſſimum tamen, & univerſaliſſimum per influxum, & cauſalitatem, ſicut totale & adæquatiſſimum per continentiam eminentialem cæterorum omnium bonorum. Et ratione hujus cauſalitatis, & eminentiæ debitum eſt illi, ut unaquæque creatura diligat ipſum, & ejus obedientiam plus quam ſe.

Tam igitur naturalis hic amor, quam ille de quo loquuti ſumus in aſſertione eſt amor obedientialis, & ideo rectè uterque explicatur per obſervationem naturalium præceptorum, & per oppoſitionem ad eorum violationem; quia dum manent, excludunt hujuſmodi violationem, præferuntque Deum rebus omnibus, & objectis, propter quæ ejus præcepta violari contingit.

106. Sec-

Digitized by Google

Nota. 106. Sed obſervandum eſt hanc prælationem poſſe fieri dupliciter: vel cum hac reſtrictione: *Præfero Deum omnibus, quibus ejus naturalia præcepta directè, & immediatè violari poſſunt, ſiſtendo ibi*, atque adeo cum præciſione à quovis alio modo, ſi fortè ſit violationis mediatæ, & indirectæ: vel abſolutè ſine tali reſtrictione, immò cum oppoſita extenſione, ut explicatur his verbis: *Præfero Deum omnibus, quibus naturalia præcepta quovis modo poſſunt violari:* atque adeo ſive directè, tendendo immediatè contra illa; ſive indirectè, tendendo immediatè contra ſupernaturalia. Quamvis enim ratio naturalis non proponat præcepta ſupernaturalia, neque de ipſis ut talibus poſitive aliquid dictet; habet tamen eam virtutem, ut ſi prædicta præcepta lumine ſupernaturali tanquam à Deo innoteſcant; indirectè quaſi per illationem, & diſcurſum dictet eſſe ſervanda: quatenus dictat parendum eſſe cuilibet ſuperiori legitimè præcipienti: ex hocque infertur, quod ſi Deus etiam in ordine ſupernaturali aliqua præceperit, in his eſt etiam illi obediendum; quia certum eſt, eum legitimè præcipere, quidquid quovis modo præcipiat. Et quia amor naturalis naturalem rationem ſequitur, poteſt eodem indirecto modo inclinare ad hoc, ut prædicta præcepta obſerventur, & eorum violationibus contra ire. Poteritque tam illa reſtrictio, quàm iſta extenſio adhiberi omnino expreſsè, & formaliter, ſi adſit notitia ſupernaturalium præceptorum, vel ut exiſtentium, vel ut poſſibilium: ſin minus fiet magis implicitè, & virtualiter; ſemper tamen cum aliquo diſcrimine inter illas adhibito, & cognito explicitè ut *numero* 139. *& ſeq.* magis declarabitur.

Prædicti ergo actus dilectionis Dei ita ſe habent, quòd primus (de quo D. Thomas 1. *part.*) licèt præferat Deum rebus omnibus, quibus præcepta naturalia violari poſſunt, claudit tamen illam reſtrictionem *directè, & immediatè:* ob idque etiam in ordine naturali non meretur ſimpliciter nomen amoris *obedientialis, & ſuper omnia:* quia non ſe extendit ad omnia ejus præcepta, ſecundùm omnem modum, quo poſſunt violari, & petunt obſervari. Poſterior verò (de quo nos agimus) nullam addit limitationem in prædicto ordine, ſed omnem ejus extenſionem, ſive directam, ſive indirectam ambit: & ideo in tali ordine abſolutè, & ſimpliciter dicendus eſt *amor ſuper omnia, & obedientialis.* Dici etiam poteſt hic ſecundus amor ſuper omnia *amor electivus*, quia eſt omnino liber: ſicut primus quia eſt neceſſarius quo ad ſpecificationem poteſt retinere ſibi nomen *amoris naturalis:* & ita deinceps loquemur.

Concluditur intentum, & præcluditur evaſio ſupra adhibita. 107. Deinde nota quòd licèt hæc diſcrimina inter prædictos amores non parvi referant ad intelligentiam doctrinæ D. Thomæ, & ad alia, quæ inferiùs nobis occurrent; haud tamen in præſenti noſtræ rationi officiunt, dum ex potentia ad primum propriis viribus eliciendum pro quovis ſtatu, concludimus ſimilem potentiam ad ſecundum ſaltem pro ſtatu naturæ puræ ubi peccatum non adeſſet. Tum qui ut D. Thomas ait in illa *quæſt.* 60. *ex* 1. *part. art.* 2. amor naturalis eſt principium amoris electivi, iſque in illo fundatur, & inde ſufficienter infertur; quamvis non neceſſariò propter majorem ejus libertatem: atque adeo eædem vires ex parte voluntatis ſufficere debent ad utrumque. Tum etiam quia ſecluſo peccato, ut ſecluditur ab ſtatu naturæ puræ; ſola repugnantia appetitus ſenſitivi poſſet impedire voluntati elicientiam prædicti amoris: hæc autem repugnantia non magis impedit amorem electivum excludentem violationem præceptorum naturalium directam, & indirectam, quam amorem naturalem, quæ ſolam directam excludit. Nam quod potiſſimè appetitus renuit, & circa quod bellum gerit contra rationem, & ipſa obſervantia naturalium præceptorum ſecundùm ſe, penes quam eſt tota, vel ferè tota difficultas ſenſibilis; nullaque vel modica ſuperacreſcit ex ordine indirecto ad ſupernaturalia, ut intuenti patebit. Urgetque præcipuè hæc ratio in puris naturalibus, ubi cùm nulla eſſent præcepta ſupernaturalia, neque adhuc ut poſſibilia cognoſcerentur; ex nullo capite repræſentaretur difficilior obſervantia præceptorum ſupernaturalium ſine ſupradicta reſtrictione, quo pacto exigitur ad amorem electivum, quàm cum illa, ut requiritur ad naturalem. Neque vidimus aliquem vel ex Auctoribus contrariæ ſententiæ, vel ex illis, qui noſtræ ſuffragantur, qui concedens homini potentiam ad eliciendum propriis viribus amorem naturalem, cui ſolum opponitur violatio directa naturalium præceptorum, neget eam ad amorem electivum, cui opponitur etiam violatio indirecta. Immò argumenta, quæ contra nos afferri ſolent, vel militant in utrumque amorem, vel neutrum impugnant; licèt pro electivo multi requirant excluſionem omnis culpæ mortalis contra quodcumque præceptum; pro naturali verò ſufficere arbitrentur excluſionem illam, quibus directè violantur præcepta naturalia, de quo infra. Legitimè ergo nos ex potentia ad iſtum viribus naturæ eliciendum, quam Divus Thomas adſtruit, ſimilem potentiam deduximus ad eliciendum illum ſaltem pro ſtatu naturæ puræ, ubi nullum adeſſet peccatum: recteque ad aſſertionem comprobandam prædicta Sancti præceptoris doctrina uſi ſumus.

§. IV.

Alia ratio pro firmanda aſſertione.

108. Alia ratio, eaque ſatis efficax pro firmanda noſtra aſſertione habetur etiam apud D. Thomam *citato articulo* 5. *quæſtione* 60. *ex* 1. *parte*, in argumento *ſed contra*, & aliis locis: poteſtque ſic formari. Homo conditus in puris naturalibus tenetur ex primo præcepto diligere Deum ſuper omnia ut finem, & Auctorem naturalem: ergo poſſet ſolius naturæ viribus tale præceptum adimplere, atque adeò prædicto modo Deum diligere. Conſequentia videtur perſpicua: quia neque homini pro illo ſtatu vires aliæ ſuppeterent; neque ultra vires ſibi conceſſas poſſet præcepto adſtringi: cùm nemo ad id, quod ſibi impoſſibile eſt, obligari poſſit. Antecedens autem probatur: quoniam prædictum præceptum eſt omnino naturale, immò eſt præambulum, & initium omnium naturalium præceptorum, notificaturque non ſecus atque illa ipſo lumine naturalis rationis, quod eſt commune omnibus hominibus pro quolibet eorum ſtatu: ergo etiam in puris naturalibus adeſſet prædictum præceptum, eſſetque notum illis hominibus ſicut cætera omnino naturalia. *Fundamentum ejuſdem aſſertionis.* D. Thom.

Confirmatur: nam diligere Deum ſuper omnia in quolibet ſtatu, eſt medium neceſſarium pro adultis ad aſſequendam beatitudinem illius ſtatus, *Confirmatio.*

Digitized by Google

ſtatus, quæ conſiſtit in cognitione, & amore finis ultimi: ſed homo conditus in pura natura poſſet conſequi ſuam naturalem beatitudinem, & de facto aliqui etiam ex adultis illam conſequerentur: alias talis natura naturaliter, & quaſi neceſſariò eſſet miſera, *ut diſp. præcedenti num.* 54. dicebamus: ergo poſſet adhibere media neceſſaria ad talem executionem, atque adeò prædictam dilectionem Dei finis naturalis.

Prima Adverſariorum reſponſio.

109. Duplici via conati ſunt Auctores contrarij enervare hanc rationem. Dicunt enim aliqui prædictum præceptum in illo ſtatu non obligare hominem, ut diligeret Deum efficaciter, & ſuper omnia, ſicut modò diligit, quia talis dilectio eſſet ei impoſſibilis: ſed ut conaretur ad illam, quantum poſſet, & diligeret, ut poſſet, nempè amore quodam efficaci, & abſoluto quantum in ipſo homine eſſet, ſimpliciter verò conditionata, & inefficaci, iſque & non perfectior alius amor eſſet medium neceſſarium ad aſſequendam naturalem beatitudinem.

Impugnatur.

Hæc tamen evaſio facilè refellitur. Tum quia nulli nititur rationi, niſi petitioni principij, ut intuenti conſtabit. Solùm enim adducit pro ratione negandi prædictum præceptum impotentiam adimplendi illud, de qua eſt quæſtio. Tum etiam quia quod attinet ad præcepta omnino naturalia, ſicut eſt præceptum diligendi Deum ut finem naturalem, non minùs adſtringerentur in natura lapſa, ij præſertim, qui nihil de fide audierunt: hujuſmodi enim præcepta neque quoad impoſitionem, neque quoad vim obligandi dependent à lumine fidei, aut ab elevatione ad ordinem ſupernaturalem; ſed ipſo naturali lumine, communi hominibus pro quolibet ſtatu, imponuntur, & notificantur: ſed modò in natura lapſa omnes ſive audierint aliquid de fide, ſive eam penitus ignorent ex prædicto duntaxat lumine tenentur ad amorem ſuper omnia abſolutum, & efficacem; nec per ſolum inefficacem amorem præceptum adimplent, ut communiter Theologi fatentur: ergo idem dicendum eſt de ſtatu naturæ puræ. Tum præterea, nam præceptum diligendi Deum habet eſſe radix, & initium cæterorum præceptorum naturalium, & ideo non numeratur inter decem Decalogi, ſed ſupponitur ut præambulum ad illa tanquam ratio & cauſa, ex qua inferuntur, & per quam regulantur: cum ergo prædicta præcepta obligent ad actus abſolutos, & efficaces, neque per ſolos inefficaces adimpleantur; idem à fortiori dicendum eſt de præcepto dilectionis, cui innituntur, in quo radicantur, & ex quo inferuntur: non enim ex ſolo amore Dei inefficaci infertur ſufficienter, quòd qui ita diligit, obediat illi in omnibus, & quòd exequatur re ipſa omnia, quæ præcipit. Vel ergo negetur homines conditos in natura pura, teneri ad reliqua præcepta efficaciter adimplenda, quod eſt abſurdum; vel fatendum eſt teneri per prius ad Deum efficaciter ſuper omnia diligendum.

Quòd autem in evaſione dicitur ſolùm teneri ad conandum quantum poſſent pro prædicta dilectione, verum eſt: & ſi id facerent, proculdubio præceptum adimplerent: quia talis conatus vel non eſſet pro viribus, vel non ſiſteret in ſolo conatu, ſed pertingeret uſque ad ipſam dilectionem: quippè minor conatus ſicut non inferret infallibiliter reliquorum præceptorum obſervationem, ita neque adimpleret ipſum dilectionis præceptum, de cujus ratione eſt radicare, & inferre talem adimpletionem.

Secunda reſponſio.

110. Alij verò (& eſt ferè communis adverſariorum ſolutio) concedunt homines in illo ſtatu obligari præcepto amoris Dei efficacis, & abſoluti, neque idcirco teneri ad aliquid ſibi impoſſibile, quamvis propriis viribus illud implere non poſſint: quia ſaltem poſſent aliquo ſpeciali auxilio naturalis ordinis, licèt non debito illi naturæ: non enim deeſſent omnino in prædicto ſtatu hujuſmodi auxilia; ſed Deus illa ex ſua ſumma bonitate, & liberalitate multoties largiretur iis præſertim, qui propriis viribus pro poſſe bene uterentur: Immò & omnibus illis hominibus eſſet Deus paratus talia auxilia conferre, niſi per ipſos ſtaret, quominus ea reciperent: ſicut modò paratus eſt conferre omnibus auxilia gratiæ. Non enim eſſet extra providentiam illius ſtatus oblatio, & collatio ſimilium auxiliorum, neque illis homo à ſuis puris naturalibus abſtraheretur, *ut diſputatione præcedenti, numero* 57. tetigimus. Sicut ergo homo lapſus abſolutè dicitur poſſe id, quod poteſt per gratiam, quamvis eam non recipiat, quia Deus paratus eſt illam conferre, & quia quod per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus: hacque ratione ad multa obligatur, quæ propriis viribus adimplere non valet: ſic dicendum eſſet de hominibus conſtitutis in puris naturalibus ratione prædictorum auxiliorum, quæ Deus paratus fuiſſet conferre. Ita Curiel, Zumel, Suarez, & alij infra referendi.

Curiel. Zumel. Suarez.

Confutatur.

Sed neque hac via noſtræ rationi occurritur, quia dum quærimus de homine in natura pura, quid poſſet propriis viribus, & ad quid teneretur, ſolùm conſideramus illum ut adjutum, vel adjuvandum iis auxiliis, & concurſus Dei, quæ ſtatus ille, & natura, ut in eo conſtituta ſuopte jure exigeret, ſeu quæ Deus ex communi lege, & providentia illius ſtatus certò eſſet præbiturus. Hæc enim, & nihil aliud includit conſideratio hominis in puris naturalibus: & ſic quærimus de illo in hoc dubio, ut infra titulum explicuimus: atque adeò præcludendus omnino eſt recurſus ad alia ſpecialiora auxilia prorſus non debita, ut ibi animadvertimus. Quippè ſine hujuſmodi auxiliis, cum illis prioribus duntaxat potuit Deus conſervare, & regere hominem in eo ſtatû conditum, ſervata communi lege, & providentia, qua cæteris naturis providet, quaque homo ipſe, attenta ſua natura, & naturali fine, regi, & gubernari poſtulat. Illo ergo ſic condito, rebuſque ita ſe habentibus, procedit noſtra ratio. Nam præceptum diligendi Deum ſuper omnia curreret in eo caſu, non ſecus atque modò: quia lumen naturalis rationis, medio quo dictatur, ſemper eſt, & eſſet idem, eademque præcepta, quæ nunc continet, contineret: cùm ergo in illo caſu non eſſet recurſus ad ſpecialiora aliqua auxilia, præter illa, quæ naturæ ipſi ſunt debita planè ſequitur poſſe per hujuſmodi auxilia, adeoque naturæ viribus præcepta illa adimpleri.

Impugnatur alterius.

Confirmatur primò: nam vel auxilia illa ſpecialiora ad quæ recurrit prædicta ſolutio, eſſent aliquo modo debita in illo ſtatu, attenta communi, & ſuavi providentia: vel hac etiam attenta nullo pacto deberentur, ſed omnino gratuita, & liberaliter donarentur? Si primum, planè ſequitur dilectionem Dei ſuper omnia, & quemcumque actum ſimilibus auxiliis eliciendum non excedere vires naturæ humanæ: quippè ad hujuſmodi vires ſpectant non tantùm vis intrinſeca ipſius naturæ, ſed etiam auxilia, & concurſus cauſæ primæ, quæ ex communi, & ſuavi provi-

Digitized by Google

providentia debentur. Si verò dicatur ſecundum, ſine fundamento fit recurſus ad talia auxilia, quia non eſt unde conſtet, vel Deum illa ex liberalitate præbiturum etiam benè utentibus propriis viribus, vel paratum fore conferre ea, omnibus illis hominibus, etiamſi per ipſos non ſtaret. Non enim ad id certò aſſerendum ſatis eſt notitia, quam habemus ſummæ Dei bonitatis, & liberalitatis; quia ſine hujuſmodi bonitatis, & liberalitatis præjudicio, ſervataque communi providentia poſſet Deus negare prædicta auxilia: & licèt ſupponamus ea negaturum, non ob id præcepta naturalia vim obligandi amitterent.

Major reſponſionis impugnatio.

111. Confirmatur ſecundò: nam ubi obligatio eſt certa, uti eſſet in illo ſtatu obligatio præcepti, de quo loquimur, propter rationem traditam (quia videlicet imponeretur ipſo naturali lumine omnibus indito) eadem certitudine præſto eſſe debent vires ſufficientes ad adimplendum: is enim de quo certò non conſtat potuiſſe unquam præceptum adimplere, non tenetur certò ejus obligationi; ſed ſicut potentia eſt incerta & dubia, erit etiam obligatio: ſed collatio auxilij non debiti in prædicto ſtatu non eſſet certa; immò eſſet valde dubia, ſive homo aliàs faceret, quod poſſet, ſive non faceret: ergo non debet impoſitio, & obligatio prædicti præcepti alligari collationi talis auxilij. Major, & conſequentia conſtant. Et minor ſuadetur: nam quod Deus prædicturus ſit cauſis ſecundis aliquem concurſum vel auxilium ad agendum, vel quod ad hoc ſit paratus, ſolùm poteſt certò conſtare, vel quia rei natura, & communis providentia ita exigunt, quia Deus ſupra debitum & gratiam omnino liberaliter dare promiſit: cujus enim neque adeſt debitum neque promiſſio, collatio, & præparatio omnino eſt incerta: ſed in caſu noſtro neque communis providentia erga naturam humanam illud exigeret auxilium, utpote indebitum: neque ullo fundamento affirmari poteſt, quod Deus illi liberaliter promitteret: ſicut neque quod non promitteret: nam cùm utrumque poſſet, ſalvo omni jure, utrumque eſſet incertum: ergo, &c.

Ad hæc inde inferunt diſcipuli Divi Thomæ & ferè omnes Theologi, non poſſe certò affirmari, quòd ſi homo faciat, quod poteſt ſolis naturæ viribus, Deus illi confert gratiam, vel aliqua auxilia ſuperexcedentia naturæ facultatem: quia neque ex natura rei illi ſunt debita, neque à Deo pro operibus duntaxat naturalibus promiſſa: & quæ neque debita neque promiſſa ſunt, manent prorſus incerta. E contra verò facienti, quod eſt in ſe ex auxilio ſupernaturali, Deus præſto eſt majori alia gratia omni cum certitudine, quia ipſe ita promiſit, ut habetur Matthæi cap. 7. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis*, & aliis locis. Cum ergo in puris naturalibus neque prædictum auxilium eſſet debitum, neque certò habeamus Deum illud promiſſurum; omnino eſſet incerta præparatio, & collatio talis auxilij, atque adeo non debet obligatio omnino certa, & viris ad eam adimplendam alligata eſſe prædicto auxilio.

Math. 7.

Fundamentum reſponſionis diruitur.

112. Per quod patet ad illud, quòd in evaſione tangitur de homine in natura lapſa: quia in hoc ſtatu habemus gratiam repromiſſam, quam ſi poſtulemus, ſicut oportet, & ut poſſumus per lumen fidei, certò & infallibiliter eam aſſequemur, quantum neceſſarium eſt ad adimplenda, quæ ſupra vires naturæ nobis præcipiuntur. Et hoc eſt, quod ait Concilium Tridentinum ſeſſione 6. capite 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*, &c. Quod ſi in hoc ſtatu dentur aliqui prorſus ignari prædictæ promiſſionis, omnique ſupernaturali auxilio deſtituti, ita ut non ſit in eorum poteſtate petere, ſicut oportet ad gratiam conſequendam, neque Deus eam ultro largiatur; eo ipſo non tenebuntur ad aliquid, quod naturæ vires ſuperexcedat, ut magis declarabitur dubio ſequenti. Ex quo potius roboratur doctrina noſtræ impugnationis.

Conc. Trid.

Objectio ex Suarez.

113. Sed contra hanc ſecundam rationem Objicit Suarez: ponamus hominem conditum in puris naturalibus incidiſſe in culpam mortalem, antequam actum dilectionis eliceret; ſanè talis homo adhuc teneretur prædicto præcepto, non ſecus, ac ſi non peccaſſet: aliàs diceremus, ratione culpæ ab illo abſolutum fuiſſe, commodumque ex peccato reportaſſe: & tamen ſuppoſito peccato, nequit ſine gratia per proprias vires diligere Deum ſuper omnia, quia nec peccatum auferri poteſt ſine illa; nec prædicta dilectio eſſet cum eo compoſſibilis. Adſtringimur ergo eodem argumento: poteruntque Adverſarij eadem via, qua nos illud diluere.

Diſſolvitur.

Reſpondetur hominem illum, ubiprimùm in peccatum mortale incidit, mutaviſſe ſtatum, nec manſiſſe jam in natura pura, ſed in natura lapſa: per quodlibet enim peccatum mortale, labitur peccantis natura, & in prædictum ſtatum dejicitur. Unde idem ferendum eſt judicium in ordine ad prædictam obligationem de homine ita ſe habente, ac de homine lapſo, de quo agitur dubio ſequenti: ibi ergo inveniet lector ſolutam objectionem.

§. V.

Statuitur, & probatur ſecunda Concluſio.

Secunda concluſio.

114. Dicendum eſt ſecundò, amorem ſuper omnia, quem in puris naturalibus poſſibilem fore diximus, non eſſe amorem conſtantem, & perfectum, ſed debilem, & imperfectum ex parte ſubjecti: & ideo neque conſiſteret ad præſentiam gravis tentationis, neque adhuc illa ſecluſa poſſet longo tempore in ſe vel in ſua virtute permanere. Hanc aſſertionem ait Zumel eſſe ita certam, ut de ea non liceat alicui dubitare, neque aliquem Theologorum diſſentientem vidimus: nam qui præcedenti adverſantur, à fortiori iſtam tuentur; & qui pro illa adducti ſunt, declarant ſuam ſententiam de amore imperfecto, & ad breve tempus, modo ſupra explicato: Unde non eſt cur in Auctoribus recenſendis immoremur. Præter teſtimonia verò, & rationes, quibus Gregorius de Arimino, & Gabriel Vazquez ſuadere nituntur nullum opus honeſtum, & à fortiore neque dilectionem Dei perfectam poſſe fieri ab homine ſine auxilio gratiæ (quibus præcedenti dubio ſatisfactum eſt; & ex ibi dictis ſatis notum relinquitur ea nullo modo conducere ad præſentem aſſertionem ſuadendam) adduci ſolent quædam alia Scripturæ, Conciliorum & Patrum, ubi ſpecialiter de charitate & de amore Dei dicitur non eſſe ex nobis, ſed ex Deo. Hujuſmodi eſt illud 1. Joann. cap. 4. *Charitas ex Deo eſt*: & illud Conc. Arauſic. 2. can. 25. *Prorſus donum Dei eſt Deum diligere.* Necnon & illud Auguſtini

Ineſficax quorundam probatio.

1. Ioan 4.
Conc. Arauſ.
D. Auguſt.

Auguſtini de gratia, & libero arbitrio, cap. 18. *Unde eſt in nobis charitas Dei, & proximi, niſi ex Deo? Nam ſi non ex Deo ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Et ſimilia. Sed revera neque iſta teſtimonia aſſertionem ſufficienter convincunt: nam, ut rectè vidit Suarez, intelligenda ſunt de amore ſupernaturali, prout ipſum charitatis nomen ex communi Patrum acceptione præſefert: vel de illo, quo diligitur Deus, ſicut oportet, & expedit ad gratiam, & ſalutem conſequendam. Ob idque in eodem Concilio Arauſicano *canone* 7. *&* 25. & in Tridentino, *ſeſſ.6. can.3.* adduntur prædictæ particulæ: *Sicut expedit, ſicut oportet:* quibus doctrinam ſuam determinant ad ſolos actus per ſe tendentes, & diſponentes ad juſtificationis gratiam, vel ejus augmentum, quod nequaquam haberet amor elicitus in natura pura per vires illius ſtatus, quantumvis perfectus, & diuturnus eſſet.

Legitimum aſſertionis fundamentum. D. Thom.

115. Aliunde ergo petenda eſt probatio aſſertionis propoſitæ, nimirum ex communi doctrina, quam tradit Divus Thomas, *in præſenti art.*4. ubi ſtatuit non poſſe hominem ſolis naturæ viribus ſervare præcepta legis naturalis, etiam quoad ſubſtantiam operum. Et intelligitur de obſervatione per totam vitam, vel longo tempore, & de prædictis præceptis collectivè ſumptis (etiam excluſo primo præcepto internæ dilectionis, & ſi quod aliud eam includit) Ex hac ergo doctrina (quæ examinanda, & probanda à nobis eſt dubio 4.) ſumitur argumentum pro aſſertione: nam de ratione amoris perfecti in quovis ordine eſt, quod poſſit ſervare præcepta illius ordinis perſeveranter per totam vitam, vel ſaltem longo tempore; atque adeo quòd ipſe amor, vel ejus virtus inextincta poſſit eodem tempore permanere: ſed ad hoc non ſufficiunt vires naturæ, niſi per gratiam, vel aliquod auxilium gratuitum adjuvetur: ergo neque ad eliciendum prædictum amorem. Conſequentia liquet: & major conceditur ab omnibus: neque hactenus aſſignatam vidimus aliam notionem amoris perfecti, niſi virtutem, & efficaciam ad obſervationem prædictam ut num.93. dicebamus. Minorem verò pro nunc ſupponimus, & quia eſt concluſio D. Thomæ in illo 4. articulo, & quia oſtendenda à nobis eſt dubio citato.

Objectio.

116. Dices, Divum Thomam, & Theologos, cùm negant potentiam ad obſervandam totam legem ſine auxilio gratiæ, loqui de homine in natura lapſa, ubi ipſa naturæ infirmitas, & averſio à Deo per peccatum incurſa impedit dilectionem ſuper omnia etiam imperfectam, & pro parvo tempore, & à fortiori obſervantiam permanentem reliquorum præceptorum. Eſſet autem diverſa ratio, ſi homo conderetur in natura pura, ubi neque eſſet averſus à Deo, neque propriè infirmus; ſed in ſua naturali diſpoſitione permaneret. Non bene ergo ex prædicta communi doctrina rejicimus ab hoc ſtatu naturæ puræ potentiam ad amorem ſuper omnia perfectum, & diuturnum.

Diluitur.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia defectus, quem ſtatus naturæ lapſæ addit naturæ puræ, licèt diverſificet illos ſtatus quantum ad potentiam, & impotentiam diligendi Deum ſuper omnia: haud tamen diverſificat eos quantùm ad impotentiam ſervandi longo tempore cuncta præcepta legis; atque adeo neque quantum ad hoc debemus pariformiter de illis philoſophari. Pro quo nota hominem ratione peccati (& præſertim originalis, cujus infectio conſtituit primario ſtatum naturæ lapſæ) nihilominus habere virtutis intrinſecæ, & potentiæ antecedentis ſive ad operandum bonum morale, ſive ad cavendum malum oppoſitum, ſicut nec majorem difficultatem ad illud, & propenſionem ad iſtud, quam haberet in natura pura: nam quantum ad hoc ſolum ſe habent ſicut homo nudus, & nudatus, vel expoliatus; quatenus, quæ in uno eſt privatio formæ, & perfectionis debitæ, proindeque malum, & infirmitas naturæ, in alio eſſet tantùm negatio, ſeu carentia formæ non debitæ, quæ neque ſufficit ad malum, neque propriè reddit naturam infirmam: ut agentes de utroque ſtatu diſputatione præcedenti tetigimus, & *in tractatu de peccatis diſput.* 16. fusè oſtendimus. Præcipuum ergo diſcrimen inter prædictos ſtatus conſiſtit penes averſionem à Deo inductam per peccatum in uno, & non averſionem in alio. Porro hæc averſio ea ſolùm ratione tollit ab homine potentiam ad diligendum Deum ſuper omnia, quatenus habet eſſe cum ea incompoſſibile, ob oppoſitam converſionem in prædicta dilectione incluſam. Et ideo præciſa ea incompoſſibilitate, attentaque duntaxat virtute, & efficacia potentiæ, eodem modo eſſet talis dilectio poſſibilis, vel impoſſibilis in utroque ſtatu. Ex quo fit impotentiam, quam habet homo lapſus ad ſervanda longo tempore reliqua legis præcepta, æqualem futuram eſſe in natura pura: quia hæc impotentia non oritur directè, & per ſe ex culpa originali: nullius enim præcepti obſervatio, quæ non ſit, vel includat, aut ſupponat ipſam dilectionem ſuper omnia, habet eſſe incompoſſibile cum tali culpa: ſed oritur per ſe ex defectu virtutis, & efficaciæ potentiæ ad permanendum longo tempore, ſeu non deficiendum in prædicta obſervatione. Cùm ergo talis obſervatio neceſſaria ſit ad dilectionem perfectam, jure quoad ejus impoſſibilitatem per proprias vires, pariformiter diſcurrimus in utroque ſtatu, & doctrinam circa unum à Theologis traditam applicamus alteri.

Poteſtque magis confirmari, & explicari prædicta doctrina. Nam amor Dei ſuper omnia perfectus eſt maximum opus, in quod poteſt natura rationalis perfecta, & integra: ergo non eſt concedenda potentia ad illud naturæ debili, & non integræ: ſive hæc debilitas, aut non integritas conſideretur tanquam privatio, & infirmitas inducta per culpam, ut in natura lapſa: ſive tanquam carentia & negatio nulla indigens cauſa, ut in natura pura: alias tertius hic ſtatus æquaretur ſtatui naturæ integræ.

117. Nec refert ſi objicias. Tum quòd præceptum naturale, quod diximus obligare in natura pura, comprehendit non ſolùm dilectionem imperfectam, hoc eſt pro parvo tempore, & in abſentia gravis tentationis; ſed etiam ea præſente, & per totam vitam: ſicut per totam vitam, & in quocumque eventu tenetur homo ad non peccandum contra quodcunque præceptum: ergo vel concedendæ eſſent homini in illo ſtatu vires ad prædictum amorem, vel maneret obligatus ad aliquid ſibi impoſſibile. Tùm etiam quòd amor, qui elicitur à virtute charitatis, eſt omnino perfectus in ratione amoris Dei ſuper omnia: & tamen non ſemper eſt diuturnus, neque in ſe, neque in aliorum præceptorum obſervatione; ſed deficit multoties quoad utrumque: ut vidimus in illis, qui poſtquam exercuerunt prædictum amorem, labuntur iterum in culpam mortalem. Non ergo iſta conditio neceſſaria eſt ad amorem perfectum, *Altera objectio.*

 adeo

adeoque non debuimus ob ejus defectum negare naturæ puræ potentiam ad prædictum amorem.

Quòd ſi ad hoc poſterius dixeris non eſſe de ratione amoris perfecti ipſam actualem perſeverantiam in obſervatione præceptorum, ſed quòd poſſit perſeverare, quantum eſt ex virtute, à qua elicitur. Adhuc non tollitur objectio: quia actus charitatis nec permanet, nec permanere poteſt uſque ad finem vitæ per ſolam communem gratiam, quæ ad ejus elicientiam concurrit; ſed opus eſt dono perſeverantiæ, quod eſt omnino nova gratia: ergo vel omnes illi juſti, quibus nova iſta gratia non conceditur, carent perfecto amore, vel non exigitur ad illum potentia ad perſeverandum.

Reſponſio. Reſpondetur ad primum negando antecedens, loquendo de præcepto dilectionis Dei, ut eſt unum, & ſingulare diſtinctum à reliquis: ſolùm enim obligat ſicut cætera affirmativa pro certo tempore, & ad certum actum, qui eſt prædicta dilectio ſecundùm ſe: quod vero ſit permanens, & diuturna, magis vel minus perfecta, non clauditur in illo præcepto. Sicut & quod homo nunquam peccet, aut quod ſervet præcepta omnia collective, ſub nullo præcepto continetur; ſed eſt quaſi effectus reſultans ex eo quod ſingula diviſim, ſicut obligant obſerventur, ut dicemus dub. 4.

Illud autem de occurrentia tentationis gravis contra actum dilectionis Dei, urgente ejus præcepto, poſſemus differre uſque ad dubium 8. quod erit de neceſſitate gratiæ ad vincendam quamlibet gravem tentationem. Sed modo breviter dicimus non poſſe moraliter contingere, ut pro eodem inſtanti, quo adeſſet talis tentatio urgeret præceptum eliciendi actum dilectionis ſuper omnia: & ita præcluditur locus objectioni. Ratio verò eſt: quia tale præceptum cum determinatione ad certum inſtans ſolùm urget per ſe initio uſus rationis, juxta ea, quæ *in tractatu de pecc. diſputatione* 20. tradidimus. Deinceps verò licèt obliget in mortis articulo, vel etiam in diſcurſu vitæ, non tamen cum ea determinatione ad certum inſtans, vel horam, quin paulò ante, vel poſt poſſit ei ſatisfieri: & ſic communiter datur locus ut priùs tentatio miteſcat, quàm tempus adimpletionis præcepti omnino finiatur. Initio autem uſus rationis pro quo determinatè urget, ſicut ad Auctorem naturæ ſpectat removere ignorantiam, & inadvertentiam, & quamlibet dubitandi rationem; ſic ei incumbit præcludere aditum tentationi ita gravi, ut non relinquat potentiam expeditam ad præcepti adimpletionem.

Ulterior objectionis ſolutio. Adde primò: non videri moraliter poſſibile ut tentatio à mundo vel à carne (quæ ſola eſſe poſſet in natura pura) ita graviter urgeret puerum pro primo inſtanti, dum adhuc retineret naturalem innocentiam, nullumque pravum habitum, vel diſpoſitionem potuiſſet acquirere.

Ne verò rei minus certæ ſolutionem alligemus, addimus ſecundò, pro quocumque inſtanti adſit tentatio non voluntaria ita vehemens, ut tollat potentiam ſimpliciter neceſſariam ad adimpletionem præcepti, ceſſare eo ipſo pro illo inſtanti præcepti obligationem, ſive præceptum ſit diligendi Deum, ſive aliud quodcumque. Haud tamen concedendum eſt, quod initio uſus rationis poſſet occurrere ſimilis tentatio: niſi ſit talis, quæ impediat ipſum rationis uſum, & ſic primum hujus inſtans differatur.

118. Secunda objectio facile evaneſceret, ſi admitteremus etiam reſpectu charitatis prædictam diſtinctionem amoris perfecti, & imperfecti: iſque *perfectus* diceretur, qui in obſervatione præceptorum longo tempore vel toto vitæ curſu permaneret, aut permanere poſſet; *imperfectus* verò, cui deficiunt vires ad permanendum. Haberemuſque ex hac doctrina accommodatam inſtantiam ad confirmandum, quod de amore naturali in prima aſſertione intendimus, & ad diluendum præcipuum Adverſariorum argumentum contra illam. *Data reſponſio roboratur exemplo.* Si enim inter ipſos actus charitatis datur aliquis ita imperfectus, ut non permaneat, nec permanere poſſit longo tempore in obſervatione mandatorum, attento communi gratiæ auxilio per quod elicitur, & non idcircò amittit rationem amoris ſuper omnia abſoluti, & efficacis, cur ob ſimilem perfectionem eam amittet amor ordinis naturalis viribus naturæ elicitus?

Præcluditur quædam evaſio. Dices primò cum Curiele auxilium gratiæ, à quo procedit dilectio ſupernaturalis, ſufficiens eſſe, quantum eſt de ſe ad permanendum in obſervatione præceptorum; redditur tamen executio difficilis, vel impoſſibilis ex imbecillitate naturæ humanæ, & ex repugnantia appetitus; & ideo neceſſarium eſt majus aliud auxilium, quo ſuperetur iſta difficultas. Cæterùm virtus naturæ, à qua oritur dilectio naturalis, etiam quantum eſt de ſe, non eſt ſufficiens ad ita permanendum.

Sed hoc non ſatisfacit: quia eodem modo nos dicimus inclinationem naturalem voluntatis ad bonum honeſtum, quæ eſt ejus virtus ad diligendum Deum ſuper omnia, ſufficientem eſſe quantum eſt de ſe ad obſervationem præceptorum permanentem, & diuturnam, eamque ſine difficultate exequeretur anima ſeparata, ſi poneretur abſque gratia, & peccato, cum ea tantùm perfectione, quam ex ſe habet; tota verò difficultas in prædicta obſervatione provenit ex defectibilitate ſubjecti propter conjunctionem ad corpus, & ex contradictione ſenſitivi appetitus: ergo quantum ad hoc par eſt ratio utrobique.

Alia reſponſio impugnatur. Dices ſecundò cum eodem perdocto Magiſtro in auxilio gratiæ, quo elicitur dilectio ſupernaturalis, contineri aliquo modo tanquam in radice ejuſdem ordinis alterum illud auxilium, quod neceſſarium eſt ad permanendum in prædicta obſervatione; cum tamen in virtute naturali voluntatis nulla alia major virtus contineatur: ſed neque hac reſponſione quieſcit animus, niſi magis declaretur. Quia auxilium gratiæ neceſſarium ad permanendum in prædicta obſervatione, præſertim, per totam vitam, pertinet ad donum perſeverantiæ, quod adeò ſuperexcedit communem gratiam, ut neque ab ea oriri, neque alicui ejus merito debitum eſſe poſſit: non ergo apparet, qua ratione, auxilium requiſitum ad perſeverandum contineatur in prædicta gratia tanquam in radice ejuſdem ordinis.

Differentia inter amorem charitatis, & amorem viribus naturæ elicitum. 119. His verò non obſtantibus, convincimur hac ſecunda Curielis reſponſione (prout ſtatim enucleabitur) diſcrimen eſſe ad præſens inter prædictos amores: ita ut ſupernaturalis, qui à charitate, & gratia elicitur ſemper ſit perfectus: hoc eſt potens virtute ſui principij ad permanendum, & ſervanda præcepta longo tempore, naturalis verò, qui eliceretur à natura pura, ſemper eſſet amor imperfectus, & neceſſario deficeret à prædicta obſervatione, & permanentia. Ratio autem eſt: quia licèt communis gratia neque efficiat, neque mereri poſſit auxilium requiſitum ad perſeverandum, poteſt tamen orando, & petendo illud à Deo impetrare, quiſquis enim continuò oraverit, & fecerit, quod

in

in ſe eſt ex communi gratia pulſando, & petendo quod ſibi expedit ad ſalutem, certò & infallibiliter voti compos evadet, juxta verbum Domini Joan. cap. 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* & Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit invenit; & pulſanti aperietur*: & Marci 11. *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Hac ergo ratione verificari poteſt principium elicitivum amoris ſupernaturalis potens eſſe ad conferendam illi permanentiam in obſervatione mandatorum, & continere in ſe quaſi in radice ejuſdem ordinis omne auxilium ad hoc requiſitum uſque ad ipſum donum perſeverantiæ: quia non obſtante defectibilitate ſubjecti, & pugna appetitus ſenſitivi, propter efficaciam orationis, & certitudinem divinæ promiſſionis habet vim ad impetrandum tale auxilium, quo prædicta repugnantia, & defectibilitas ſuperetur. E contra verò potentia naturalis neque ſeipſa ſufficiens eſt ad ejuſmodi defectibilitatem, & repugnantiam longo tempore evincendam; neque in ſe ullo modo continet, aut habet ad impetrandam etiam per viam orationis aliam majorem virtutem, per quam evincitur; neque dum non evincitur, poteſt elicito à ſe amori permanentiam conferre: atque adeò omnis talis amor remanet infirmus, & imperfectus in ſenſu explicato.

Joan. 14. Matth. 7. Marci 11.

§. VI.

Sententia adverſa primæ aſſertioni, & ejus argumenta.

Opinio contraria.

120. Contra ſecundam aſſertionem nulla militat Theologorum opinio: nam ut diximus, eſt certa, & communis. Quæ autem efformari poſſent in eam argumenta, vel ex hucuſque dictis ſoluta ſunt, vel alibi diluentur, ubi opportunius occurrent. Contra primam verò tenent aliqui graves, & docti, Curiel *in præſenti art. 3. dub. 2.* Araujo *dub. 4.* ubi etiam Zumel *diſput. 1. concluſione 4.* quatenus oppoſitam judicat probabiliorem; necnon Suarez, *citato lib. 1. de gratia, capite 36.* Gonet *diſp. 3. art. 4. concluſione 3.* Illuſtriſſimus, & ſapientiſſimus Godoy *diſp. 42. §. 2.* Qui omnes loquuntur in propriis terminis de homine in natura pura. At verò Richardus, *in 2. diſt. 28. quæſtione 3.* Soto, *lib. 1. de natura & gratia cap. 22.* Joannes à S. Thom. *in præſenti diſput. 19. art. 4.* & alij quamvis negent poſſe hominem viribus naturæ diligere Deum ſuper omnia, loquuntur tamen de illo in natura lapſa, ubi ratione peccati & averſionis à Deo, habet majus impedimentum ad prædictam dilectionem, quam in natura pura: & ideo non omnino ſunt pro hac ſententia: licèt ob rationes, quibus utuntur, valde illi faveant. Teſtimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ ab aliquibus pro ea referuntur, non videntur eſſe ad rem. Tum quia in illis non agitur de homine conſtituto in puris naturalibus, ſed in natura lapſa. Tum etiam quia loquuntur vel de amore charitatis, quo diligitur Deus ut finis ſupernaturalis, vel de amore, qui fit diſpoſitio ad gratiam juſtificantem, & ſicut oportet ad illam, vel ejus augmentum conſequendum: aut denique intelligenda erunt de amore perfecto, qui poſſit permanere, & obſervare præcepta longo tempore. Et ideo ſine præjudicio alicujus ex illis ſtat veritas noſtræ concluſionis, quæ ſolùm procedit de imperfecto amore naturali, cui nihil prædictorum convenit. Nonnulla poſſet eſſe dubitatio circa Divum Thomam propter doctrinam præſentis articuli tertij; ubi extra ſtatum integritatis naturæ negat homini potentiam ad diligendum Deum ſuper omnia ſine auxilio gratiæ. Sed cùm determinatè loquatur de homine in natura lapſa, vel corrupta, & neque hic, neque alibi agens de natura pura eam potentiam neget; præſertim ad amorem imperfectum, ut pro parvo tempore; liquet ſanctum Doctorem, nec ſuffragari huic ſententiæ, nec noſtræ contradicere.

Curiel. Araujo. Zumel. Suarez. Gonet. Godoy. Richardus. Soto. Ioann. à S.Thom.

Primum argumentum.

121. Arguitur ergo primò communi Adverſariorum ratione: quia amor Dei ſuper omnia claudit propoſitum efficax ſervandi omnia ejus præcepta, ſaltem quæ obligant ſub culpa mortali, ſicut & vitandi omnia, quæ poſſunt divinam amicitiam impedire; & hoc non ſolùm pro parvo tempore, ſed per totam vitam, & in præſentia cujuſlibet tentationis, quantumvis gravis: qui enim à ſuo propoſito excluderet aliquod tempus, vel caſum; procul dubio non diligeret Deum ſuper omnia, quia non diligeret ſupra ea, quæ in illo caſu vel tempore poſſent occurrere (per quod excluditur quædam ſolutio, quæ adhibere poterat, ex diſcrimine inter amorem perfectum, & imperfectum: nam omnia hæc requiſita poſtulantur ex ipſa ratione amoris ſuper omnia, ut abſtrahentis à perfecto, vel imperfecto.) Sed hoc propoſitum haberi nequit per ſolas vires naturæ: ergo neque prædictus amor. Major & conſequentia conſtant. Minor verò probatur: tum quia ad illud, quod non eſt in noſtra poteſtate (ſive per nos, ſive per amicos, quorum auxilio uti valeamus) non poteſt dari in nobis propoſitum efficax: nititur enim talis efficacia non in ſola voluntate, ſed etiam in virtute, & potentia ad propoſitum adimplendum: ſed homo conditus in natura pura nequiret propriis viribus adimplere præcepta, neque per longum tempus, neque ad præſentiam gravis tentationis, ut docent communiter Theologi: ergo neque habere poſſet efficax propoſitum adimplendi innixus propriis viribus. Tum etiam quia propoſitum efficax adimplendi prædicta præcepta continet in ſe virtualiter ipſam actualem adimpletionem; aliàs non poſſet movere efficaciter ad illam: cui ergo impoſſibilis eſſet talis adimpletio, etiam illud propoſitum eſſet impoſſibile.

Confirmatio prima.

Confirmatur: nam videtur ſignum propoſiti inefficacis, quòd accedente tempore adimpletionis, ab ea deficiat: ſed iſtud de quo agimus, deficeret adveniente gravi tentatione, vel longo tempore tranſeunte: ergo, &c.

Secunda.

Confirmatur ſecundò: ideo propoſitum ſervandi ea, quæ diximus incluſum in amore charitatis habet eſſe efficax, quia innititur viribus gratiæ, cujus auxiliis poſſumus quovis tempore, & occaſione illa adimplere: ergo cùm propoſitum incluſum in amore naturali nulli niteretur principio, cujus virtute ea, quæ diximus poſſent adimpleri, ſequitur tale propoſitum futurum eſſe inefficax.

Obſervanda pro argumenti ſolutione.

122. Reſpondetur primò ad argumentum negando minorem. Ut verò probationibus occurramus, notandum eſt, ad efficaciam amoris, de quo loquitur, & propoſiti in eo incluſi ſatis eſſe, quòd homo propriis viribus toto vitæ curſu poſſit adimplere divina præcepta eo modo, quo adimplere tenetur: nam eo ipſo poteſt vitare quodlibet peccatum contrarium divinæ amicitiæ, & hoc

Digitized by Google

hoc ipſum poteſt efficaciter proponere; nihilque aliud ad amorem ſuper omnia neceſſarium eſt.

Deinde obſerva, quòd ſicut præcepta non occurrunt homini collectivè, ſed diviſivè, modò hoc, modò illud, ita obligatio ſolùm eſt ad ſervanda illa iſto ſecundo modo: quia ſolùm eſt ad ea ſervanda ſicut reipſa occurrunt: non enim adeſt aliqua ſpecialis obligatio vel præceptum ſervandi omnia præcepta, vel nullum tranſgrediendi collectivè, & ut ſic: ſed unumquodque obligat determinatè pro ſe, & non niſi hìc & nunc, quando ejus materia occurrit. Quia verò unumquodque ita diviſivè, ut occurrit, obſervaretur, nullum violaretur, ſervarenturque omnia collectivè, vel uti ex conſequenti extenditur obligatio ad iſtum modum obſervationis, quatenus teneremur ad aliquid ex quo, ſi reipſa fieret, conſurgeret talis obſervatio.

Denique nota, quòd cum Theologi dicunt non poſſe hominem propriis viribus ſervare longo tempore divina præcepta, loquuntur de obſervatione illorum collectivè: quia fieri non poteſt ut ad longum tempus in aliquo non deficiat, & in quocumque deficiat, tollitur collectio. At non negant, ſed potiùs aſſerunt poſſe obſervare ſingula diviſivè, ut occurrunt. Nec valet vulgare argumentum, poteſt ſingula: ergo poteſt omnia: cùm omnia non ſint aliquid præter ſingula. Nam procedit à diviſa ad copulatam, cujus fallacia in comperto eſt, ut declarabimus dub. 4.

Occurritur argumento. Ex dictis patet ſolutio ad primam minoris probationem: nam objectum propoſiti incluſi in amore naturali non eſt obſervatio omnium præceptorum collectivè, ſed obſervatio uniuſcujuſque diviſivè, & determinatè, ſicut ipſa occurrunt: hoc autem modo nullum eſt (loquendo de naturalibus) neque occurret per totam vitam, quod homo exiſtens in natura pura non poſſet ſuis viribus adimplere: quamvis fieri non poſſet longo tempore, ut in obſervatione alicujus indeterminati non deficeret, ac proinde quod omnia collective obſervaret. Sufficit autem ad efficaciam alicujus propoſiti, quòd res propoſita poſſibilis ſit virtute ejuſdem principij eo modo, quo cadit ſub propoſito, & habet eſſe ejus objectum, licèt conſiderata alio modo ſit impoſſibilis.

Adde ſatis eſſe ad amorem Dei ſuper omnia, quòd amans proponat facere in quolibet tempore, & occaſione totum, quod in ſe eſt, ut ſervet præceptum ibi & tunc occurrens: nam eſt implicatio, quod dum quis ita ſe habet, peccet, aut faciat aliquid divinæ amicitiæ contrarium: quòd autem homo, de quo loquimur, in qualibet occaſione & pro quolibet temporis momento ſine excluſione alicujus poſſet facere, quod in ſe eſſet, ex terminis videtur per ſe notum, nam eſt dicere, *poſſet facere, quod poſſet.* Unde ex hac parte prædictum propoſitum non eſſet de re impoſſibili reſpectu virium proponentis, atque adeo neque inefficax.

Per quod patet ad illud de occurrentia gravis tentationis: ſolùm enim obligaretur homo ad faciendum, quod in ſe eſſet ibi, & tunc, ne præceptum violaret; & ſi id faceret, peccatum non admitteret; immò adimpleret propoſitum, quod eſt de ratione amoris ſuper omnia. Sed de hoc dub. 8. ex profeſſo dicemus. Quod autem in ſecunda probatione ejuſdem minoris dicitur, propoſitum efficax obſervandi divina præcepta continere virtualiter ipſam actualem obſervationem, verum eſt, donec tale propoſitum irretractatum permanet: pro tunc enim in ſenſu compoſito nequit prædicta obſervatio deficere. Sed hoc non tollit, quominus vel propter vertibilitatem libertatis creatæ, vel propter defectibilitatem ex parte ſubjecti propoſitum retractetur, & deficiat; prius quàm tota adimpletio in executione ponatur; ceſſabitque ex tunc prædicta continentia virtualis, ſicut ceſſat propoſitum.

123. Ad primam confirmationem dicas, non eſſe certum ſignum inefficaciæ alicujus propoſiti, quòd adveniente occaſione deficiat, ut innumeris exemplis conſtat: quotquot enim ritè confitentur, habent propoſitum efficax non ampliùs graviter delinquendi; & tamen oblata occaſione plures delinquunt: & omnes, qui ſunt in gratia habent ſaltem virtuale propoſitum exponendi coram tyranno vitam pro Deo; & non omnes ita adimplent; ſed multi deficiunt: immò nullus non deficeret, niſi in illa occaſione ſubventum illi fuiſſet majore gratia, quàm, quæ extra illam ſufficit ad propoſitum emittendum. Porrò propoſitum de quo loquimur, etſi in aliquibus occaſionibus deficeret, haud tamen in omnibus: quia in puris naturalibus aliqui homines aliqua præcepta adimplerent, quamvis decurſu temporis alia tranſgrederentur. *Prima confirmatio enervatur.*

Obſerva tamen, non in omnibus propoſitis, ut *efficacia* dici valeant, requiri æqualem certitudinem vel ſecuritatem adimpletionis, aut æqualem virtutem ad eam inferendam: ſed tam in his, quàm in ipſa denominatione *efficacis* eſt latitudo, & poteſt aliud dici *magis*, aliud *minus efficax*, pro majore vel minore virtute ejus, qui propoſitum emittit: nullum tamen inter creata eſt adeo efficax, aut tantæ virtuti innititur, quin aliquando poſſit adimpletio impediri. Solum autem divinum propoſitum, eo quòd innititur omnipotentiæ, cui nihil reſiſtere valet, & immutabilitati divini decreti, omnimodam efficaciam, & indefectibilitatem ſortitur. Ut ergo propoſitum aliquod inter creata abſolutè denominetur *efficax* abſtrahendo à gradu efficaciæ; ſatis eſt, quòd fiat animo abſoluto perſiſtendi, quouſque adimpleatur, & quod dum exiſtit, excludat omnia, quæ impedimento ſint adimpletionis, quamvis vel ob communem defectibilitatem, & mutabilitatem actus creati, vel ob aliquam ſpecialem ex parte ſubjecti, citiùs, vel tardiùs deficiat, eoque deficiente, adimpletio non ſequatur.

Ad ſecundam confirmationem patet ex huc uſque dictis. Addimus verò pro uberiore ſolutione, quod quia amor charitatis eſt amor perfectus, etiam propoſitum in eo incluſum eſt efficacius illo, quod includitur in amore naturali: hacque ratione poteſt extendi ad obſervationem omnium præceptorum collectivè ſumptorum: non tamen hæc extenſio, & major efficacia exigitur à prædicto amore ex eo ſolùm, quòd amor ſuper omnia eſt, ſed ex eo quòd perfectus eſt; & ideò non eſt neceſſe, ut in minus perfecto, licèt etiam ſuper omnia reperiatur. *Solvitur ſecunda.*

124. Secundò ad argumentum reſpondetur vires requiſitas ut propoſitum ſit efficax, non debere neceſſariò proportionari cum difficultate, quæ erit in ipſa rei executione, ſed ſolùm cum illa quam talis executio offert, prout eſt in conceptu, & in apprehenſione proponentis: quæ ſæpè vel eſt major, vel non adæquat difficultatem, quæ erit in ipſa re. Fieri enim poteſt, ut res, quæ exequenda proponitur, in ſe quidem facillima ſit, omninoque infra vires proponentis, & nihilominus apprehendatur, ut valde difficilis, vireſque ejus ſuperexcedens: hacque ratione retrahat *Alia ejuſdem argumenti ſolutio.*

Digitized by Google

retrahat omnino ab emiſſione propoſiti abſoluti, & efficacis; & ſolùm permittat conditionatum, & inefficax. Econtra verò ſæpe accidit ut homo abſolutè, & efficaciter proponat aliquid, quod ſecundùm rem vires ejus ſuperexcedit, & quod ſi præſens cerneretur, omnino à propoſito retraheret: nihilominus tamen quia abſens cogitatur, & in cognitione rei abſentis communiter non occurrit tota ejus difficultas, non impedit quominus fiat tale propoſitum, viribus quidem impatibus ad illud executioni mandandum, æqualibus verò difficultati relucenti in prædicta cogitatione. Hinc provenit, ut juſtus, qui cum ſola communi gratia in abſentia tyranni poteſt abſolutè, & efficaciter proponere fundere vitam pro Deo; illo coram, ipſiſque martyrij inſtrumentis terrorem, & dolorem incutientibus, non poſſit ſimile propoſitum elicere aut in eo perſiſtere, niſi ei majore gratia ſubveniatur. Et inde etiam fit, non eſſe ſalubre conſilium (immò communiter à Theologis reprehenditur) hominibus imperfectis, & infirmis ad pœnitentiam accedentibus cum propoſito non amplius peccandi nimis expendere, aut evolvere, quæ in eo propoſito includuntur: ut aſſolent minus periti confeſſarij, quo efficaciæ talis propoſiti periculum faciant, objiciendo has vel ſimiles conditionales. *An ſi opus eſſet, eligerent divitijs, honoribus, uxore, filijs, rebuſque omnibus ſpoliari; mortem ſubire, membratim dividi, igne comburi, aliaque acerbiſſima tormenta experiri, potius quam Deum graviter offendere?* Hujuſmodi enim conditionales imprudenter multoties objiciuntur: nam ſæpè continget, quod gratia, & vires illis conceſſæ pro eliciendo prædicto propoſito, ſufficiant ad vincendam difficultatem, quæ apparet in ejus objecto in communi ſolùm, & confusè apprehenſo. Verbi gratia ſub his terminis, *pro nulla re Deum offendam*; non tamen ſufficiat ad evincendam totam illam, quæ occurret in tali objecto omnino diſtinctè, & explicitè repræſentato, atque expreſſo: hacque ratione retrahatur pœnitens ab elicientia prædicti propoſiti, vel à perſeverantia in illo, quod cœperat, dum cognitio magis confuſa minorem objiciebat difficultatem.

Nota.

Applicatio præcedentis doctrinæ.

Ad rem ergo quamvis difficultas, quæ in obſervantia præceptorum per longum tempus, aut in præſentia gravis tentationis reipſa invenitur, ſuperexcedat naturales vires liberi arbitrij, & hac ratione evinci nequeat ab homine in puris naturalibus conſtituto: quia tamen dum prædicta obſervatio abſtractivè, & à longè cognoſceretur, non offerret tantam difficultatem, ſed longe minorem; præſertim dum tranquillo animo, & pacato appetitu talis homo de ea cogitaret, nihil obeſſet, quominus circa illam ſic cognitam eliceret propoſitum abſolutum, & efficax, ſaltem efficacia per ſe, & in affectu, prout ſatis eſt ad amorem ſuper omnia imperfectum, licèt ad perfectum non ſufficiat: juxta id, quod tetigimus num. 93. Nec tale propoſitum eſſet formaliter de re impoſſibili, ſed ad ſummum materialiter: quia non terminatur ad prædictam obſervationem ſecundùm totum illud difficultatis, quod in executione habuiſſet: quomodo impoſſibilis eſſet viribus naturæ: ſed quatenus in cognitione, & apprehenſione proponentis repræſentaretur: quo pacto vires ejuſmodi non excedit. Patet igitur juxta hanc ſecundam ſolutionem negandam eſſe minorem argumenti; & etiam primæ probationes, ſi in hac fiat ſermo de potentia ad obſervanda præcepta, prout in apprehenſione repræſentantur, ſeu ſecundùm eam difficultatem, quam eorum obſervatio ut repræſentata offert: quidquid ſit de illa, quam actu exercita haberet: quia efficacia propoſiti prout ſufficit ad amorem ſuper omnia imperfectum, non cum hac poſteriore difficultate, ſed cum prima illa commenſurari debet. Eademque doctrina poterit facilè applicari ſecundæ probationi, & confirmationibus: faciliùs tamen illis fiet ſatis juxta primam ſolutionem.

2. Argumentum.

125. Secundò arguitur: nam vires hominis in puris naturalibus non ſe extenderent ad opera ardua & difficilia: hæc quippe naturæ ſanæ, & integræ reſervantur, ut docet Divus Thomas, *in præſenti art. 2. & 3.* Sed diligere Deum ſuper omnia eſt opus valde difficile, immò difficilius quantum eſt ex parte objecti, quovis alio opere naturali: ergo non poſſent ad illud extendi. Et ſanè ſi ad prædictum actum concedimus homini vires in natura pura, vel lapſa; vix reperietur alius, pro quo denegetur: cùm tamen certum ſit negandas eſſe pro aliquibus, immò & pro multis, ut haberi poteſt ex doctrina, quam tradidimus dubio præcedenti.

D. Thom.

Reſponſio.

Reſpondetur concedendo majorem, & etiam minorem, ſi ſermo ſit de dilectione Dei ſuper omnia perfecta & diuturna: hæc enim eſt, quæ reſervatur ſoli naturæ integræ: ſecus verò de imperfecta, & pro parvo tempore, de qua nos loquimur. Nam licèt neque hæc ſit admodùm facilis, non tamen eſt ita ardua, & difficilis, ut omnino ſuperet vires naturæ puræ. Adhuc tamen remanent plures alij actus intra naturæ ordinem prædictas vires ſuperexcedentes: uti ſunt obſervatio præceptorum per longum tempus, & ipſa dilectio Dei ſuper omnia perfecta, & diuturna, & forte alij.

3. Argumentum.

126. Tertiò: quia dilectio naturalis ſemper tendit in bonum proprium diligentis, & quamvis extendatur ad alia, non tamen niſi propter ipſum bonum proprium, juxta illud Philoſophi: *Amabile bonum unicuique autem proprium*, & illud, *Amicabilia ad alterum ex amicabilibus ad ſe.* Et hoc eſt, quod communiter dicitur, naturam eſſe recurvam in ſe ipſam; quia per quamlibet naturalem inclinationem ſupra ſe reflectitur, & quærit ſuum proprium bonum: ergo ut diligat bonum alienum, ſcilicet Dei pluſquam ſeipſum, omnino indiget adjuvari per gratiam.

Ariſt.

Duplex ſolutio ex D.Th.

Huic argumento occurrit Divus Thomas, *1. part. citat. quæſt. 60. artic. 5. ad 3.* ubi ſic ait: *Dicendum, quod natura reflectitur in ſe ipſam non ſolùm quantùm ad id, quod eſt ei ſingulare, ſed multò magis quantum ad commune. Inclinatur enim unumquodque ad conſervandum non ſolùm ſuum individuum, ſed etiam ſuam ſpeciem: & multò magis habet inclinationem ad id, quod eſt bonum univerſale ſimpliciter.* Itaque juxta hanc doctrinam D. Thomæ, bonum divinum, quod eſt bonum commune univerſi, non omnino condiſtinguitur à bono proprio, quod naturaliter amatur propter ſe, & propter quod cætera amantur, & quod dicitur *amicabile ad ſe*; ſed potiùs eſt præcipuum, quod intelligitur in tali bono. Unde quòd naturaliter ametur ſuper omnia, & ſuprà ipſum bonum proprium particulare, ſive individuale, ſive ſpecificum, nulli ex communibus illis axiomatibus contradicit.

D. Thom.

Aliter occurrit eidem argumento ſanctus Doctor *quodlibeto 1. art. 8. ad 1.* ibi: *Dicendum quòd inclinatio rei naturalis eſt ad duo, ſcilicet ad moveri, & ad agere; illa autem inclinatio naturæ, quæ eſt ad moveri, in ſe ipſa recurva eſt: ſicut*

ignis

Digitized by Google

ignis movetur ſurſum propter ſui conſervationem: ſed illa inclinatio naturæ, quæ eſt ad agere, non eſt recurva in ſe ipſa, non enim ignis agit ad generandum ignem propter ſe ipſum; ſed propter bonum generati, quod eſt forma ejus, & ulteriùs propter bonum commune, quod eſt conſervatio ſpeciei, &c.

4. Argumentum. 127. Quartò arguitur: quia ſi homo propriis viribus poſſet diligere Deum ſuper omnia, poſſet eiſdem viribus ſe diſponere, & præparare ſe ad gratiam habendam: ſed hoc communiter negatur à Theologis; immo videtur ad ſemipelagianorum errorem pertinere: ergo, &c. Major in qua ſola poteſt eſſe difficultas probatur. Tum quia videtur eſſe Divi Thomæ, *quodlibeto, & articulo citato in ſolutione ad* 2. ubi ſic ait: *Naturali dilectione, qua Deus ſuper omnia naturaliter diligitur, poteſt aliquis magis, & minus uti, & quando in ſummo fuerit, tunc eſt ſumma præparatio ad gratiam habendam.* (D. Thom.) Tum etiam quia juxta commune Theologorum axioma facienti, quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam: ſed qui diligit Deum ſuper omnia, facit totum quod in ſe eſt: ergo, &c.

Reſponſio. Reſpondetur negando majorem. Gratia enim adeo ſuperexcedit ea, quæ ſunt ordinis naturalis, ut nullum iſtorum prout præciſè naturale eſt, per ſe ad illam tendat, neque enim ſibi debitam faciat, ſicut forma debetur diſpoſitionibus ad ipſam, ut diſputatione ſequenti latè conſtabit. Quare ad primam probationem, quæ adducitur ex Divo Thoma, dicendum eſt eam non procedere ſpecialiter contra noſtram aſſertionem: nam ſi homo conderetur in natura integra integritate ordinis naturalis, juxta omnium ſententiam poſſet diligere Deum ſuper omnia; & non utcumque ſed perfecte: quod poteſt dici *diligere in ſummo*, ut Divus Thomas loquitur: & tamen adhuc in illo ſtatu non poſſet ſolis naturæ viribus ſe ad gratiam diſponere, propter rationem modò traditam. Quid ergo intellexit Sanctus Doctor prædicto modo dicendi, non omnino conſtat: dici autem poteſt intellexiſſe dilectionem naturalem Dei ſuper omnia, non ut præciſe elici poteſt viribus naturæ (quo pacto ſiſtit in ſolo ordine naturali) ſed ut per aliquod gratiæ auxilium elevatur ad ſupernaturalem ordinem: nam hoc eſt uti illa in ſummo, uti videlicet in ordine ad ſummum quod eſt finis ſupernaturalis. Ad ſecundam probationem dicemus *diſput. ſequent. dub.* 7. quomodo axioma illud Theologorum intelligendum ſit de illo, qui facit, quod eſt in ſe ex auxilio gratiæ, non autem ex ſolis viribus naturæ.

Vlt. Argumentum. 128. Ultimò arguitur pro prædicta ſententia, (& eſt etiam commune adverſariorum argumentum) quia homo in natura pura non haberet majores vires ad honeſtè operandum, adeoque neque ad diligendum Deum ſuper omnia, quam habet modò in natura lapſa: ſed in hoc ſtatu nequit elicere prædictam dilectionem ſolis naturæ viribus, quouſque ſanetur vel adjuvetur per gratiam, ut ſtatuit Divus Thomas, *in præſenti art.* 3. (D. Thom.) & tenent communiter ejus diſcipuli: ergo, &c. Hoc argumentum poſtulat diſcuſſionem dubij ſequentis, quod erit.

DUBIUM QUARTUM.

Utrum homo lapſus ſolis naturæ viribus poſſit diligere Deum ſuper omnia, ut finem, & auctorem naturalem.

Lapſum dicimus hominem in peccato mortali habituali ſive originali, ſive proprio exiſtentem, averſumque à Deo per tale peccatum. Quærimus autem de amore ſuper omnia imperfecto, efficaci tamen, & abſoluto, ad quem conceſſimus illi vires in natura pura: nam amorem perfectum, pro quo eas denegamus, certo certius eſt non poſſe elici à tali homine; niſi adjuvetur, vel ſanetur per gratiam. Sed obſervandum eſt, dupliciter poſſe intelligi hanc potentiam hominis lapſi ad diligendum Deum ſuper omnia. Vel in ſenſu diviſo, conſiderando nimirum prædictam dilectionem, & ejus objectum ſecundùm ſe, gradumque difficultatis, quæ ex iſto capite conſurgit; & conferendo vires liberi arbitrij cum ſola hac difficultate. Non verò cum averſione, & ſtatu peccati, in quo eſt, quique illi per accidens adjungitur. Vel quaſi in ſenſu compoſito, attendendo ultra actum, & objectum etiam ipſum ſtatum lapſus, & averſionis à Deo, factaque virium liberi arbitrij collatione ad hæc omnia: ita ut vel poſſit cum illis prædictum actum componere; vel ea, cum quibus componi nequit, excludere. (*Duplex potentia hic diſtinguenda.*) Priorem appellant aliqui *potentiam phyſicam ſolùm*: quia licèt in ea ſit virtus proportionata actui ſecundùm ſe, & illum ſufficienter continens; nunquam tamen ad ejus exercitium reducetur propter impedimenta, quæ aliunde occurrunt, quæ nec talis potentia valet expellere, neque actum cum illis conjungere. Poſteriorem autem vocant *potentiam moralem*: quia nullo obice impeditur, quominus actum in ſua virtute contentum executioni mandet.

Sed licèt hæc diſtinctio potentiæ phyſicæ, & potentiæ moralis alibi opportune occurrat; in præſenti tamen meliùs priorem appellabimus *potentiam antecedentem*, vel *in ſenſu diviſo*: quia ſolùm reſpicit actum, & objectum ejus ſecundùm ſe, & ſecundùm ea, quæ ad illum per ſe habent; atque adeo ut antecedentem, & diviſum ab obicibus, & impedimentis aliunde conſurgentibus, & ſupervenientibus. Poſteriorem verò dicemus *potentiam conſequentem*, vel *quaſi in ſenſu compoſito*: quia attendit omnia, quæ in elicientia actus undecumque concurrunt, vel conſequuntur; nulloque impeditur, quominus illum executioni mandet. Diximus *quaſi*: non verò abſolutè *in ſenſu compoſito*: quia revera hæc potentia non eſt determinata ad componendum actum cum omnibus, quæ occurrunt, ſed ad eliciendum illum attentis omnibus, adeoque vel componendo, vel excludendo illa cum quibus nequit componi. Unde propria ejus nomenclatura erit, *potentia conſequens*, ut dictum eſt. Hac præmiſſa animadverſione, duplici aſſertione dubium decidemus. Habenda ſunt autem præ oculis, quæ in præcedenti tam ad tituli intelligentiam, quam pro ſuadendis aſſertionibus, & diluendis argumentis tradidimus: alias deberemus hic non pauca repetere.

Digitized by Google

§. I.

Prima aſſertio ſuis fundamentis communitur.

Prima conclusio. 129. Dicendum eſt primò hominem lapſum per vires naturæ poſſe diligere Deum ſuper omnia potentia antecedenti, & in ſenſu divino. Aſſertionem iſtam licèt minùs explicatam tuentur Cajetanus, Medina, Bañez, Gonzalez, & Lorca, quas dubio præcedenti pro prima concluſione adduximus. Nec repugnant Alvarez, Monteſinos, & Gregorius Martinez ibidem citati: quia licèt negent homini lapſo potentiam ad prædictum amorem, loquuntur tamen de potentia conſequenti, & in ſenſu compoſito, ut eorum rationes oſtendunt; de antecedenti verò idem judicium ferrent in hoc ſtatu, atque in puris naturalibus, quia eædem rationes militant utrobique, ut ſtatim videbimus. Immò omnia, quæ ex Divo Thoma dubio præcedenti pro prima concluſione adducta ſunt, hanc etiam convincunt: ut propterea credamus Sanctum Doctorem æqualiter utrique ſuffragari.

Cajet. Medina. Bañez. Gonzalez. Lorca. Alvarez. Monteſinos. Gregor. Martinez.

Expenditur prima ratio. Probatur primò: quia neque homo poſt lapſum habet minores vires habituales, & per modum actus primi ad operandum bene moraliter, quam habuiſſet in natura pura; neque dilectio Dei naturalis ſecundùm ea, quæ per ſe, & ex objecto affert, habet eſſe modo opus difficilius, quàm eſſet in prædicto ſtatu: ergo ſicut potuiſſet tunc etiam potentia conſequenti, poterit etiam modo ſaltem potentia antecedenti, & in ſenſu diviſo elicere per proprias vires prædictam dilectionem. Conſequentia liquet: nam ut præmiſſum fuit, hoc genus potentiæ ſolum attendit ea, quæ per ſe ſe habent ad actum: & ad vires ipſius actus elicitivas: & ideo ubi neque vires iſtæ diminutæ ſunt, neque actus ſecundùm ſe redditus eſt difficilior, quam eſſet antea; eadem permanere debet potentia ad illum in prædicto ſenſu. Prima autem antecedentis pars, quæ à paucis negabitur, facilè ſuadetur: nam homo per lapſum ea ſolùm dona ex habitualibus, & habentibus modum actus primi amiſit, quæ haberet in natura integra, & in ſtatu juſtitiæ originalis; nihil verò illorum, quæ habuiſſet in natura pura: tantumque eſt diſcrimen inter illum, & præſentem ſtatum, quod carentia integritatis, quæ tunc fuiſſet negatio, & mali rationem non haberet, eo quòd talis integritas debita non fuiſſet; modo, quia in Adamo fuit debita, habet rationem mali, & privationis: ergo quantum ad vires operandi bonum, quæ non penes negationem, aut privationem, ſed penes poſitivum attendi debent, omnino idem permanſit. Secunda ejuſdem antecedentis pars videtur ſatis nota: quia prædicta dilectio in utroque ſtatu terminatur ad Deum ſub eadem omnino ratione finis ultimi naturalis, & cum eadem appreciatione, & prælatione reſpectu aliorum objectorum ſine alicujus exceptione, & ſine determinatione ad certum tempus, vel locum, vel modum præcepta ſervandi: ergo quantum ad ea, quæ per ſe ſe habent ad talem dilectionem, æqualem difficultatem important utrobique.

Objectio. 130. Dices ex utroque capite eſſe diſcrimen inter hominem purum, & lapſum. Ex primo quidem: nam per peccatum minuitur naturalis inclinatio voluntatis, proindeque ejus vires ad operandum bonum honeſtum, ut docet D. Thomas ſuprà *quæſtione* 85. *articulo* 1. & 2. noſque ibidem in commentario utriuſque articuli proſequuti ſumus: cùm ergo natura lapſa, & pura inter ſe differant penes habere, vel non habere peccatum; conſequens fit, ut etiam differat quantum ad prædictas vires. Ex ſecundo verò: quia objectum amoris naturalis in puris ſolùm eſſet Deus ut præferendus rebus omnibus naturalibus, iiſque præſertim, quibus præcepta naturalia directè violari poſſent, ſine extenſione etiam indirecta ad objecta ſupernaturalia, quæ tunc nulla eſſent, neque eorum ſubeſſet notitia; modò autem prædictum objectum includit hujuſmodi extenſionem, ex eaque non modicum difficultatis ſuperaddit: ergo ex hoc etiam capite eſt diſcrimen, & major difficultas in iſto ſtatu, quam in illo.

D. Thom.

Reſpondetur ad primum doctrinam illam Divi Thomæ, & noſtram de diminutione inclinationis naturalis per peccatum non obeſſe ei, quam modò tradidimus. *Diſpellitur.* Tum quia poteſt reſtringi ad ſola peccata perſonalia, quatenus relinquunt non modò averſionem privativam à Deo, penes quam conſiſtit culpa habitualis; ſed etiam aliquem habitum, vel diſpoſitionem poſitivam in potentiis impellentem ad malum: ſufficeret autem ad efficaciam noſtri argumenti, quod in homine ſolùm habituali peccato infecto, nihilque habitus, vel diſpoſitionis vitioſæ retinente, locum non habeat prædicta diminutio: nam præſens dubium potiſſimùm pro hujuſmodi homine inſtituitur. Tum etiam & præcipuè, quia illa diminutio (ut citato loco diximus,) non ſe tenet ex parte potentiæ, quaſi tollens ab ea aliquid virium; ſed ſolùm ex parte termini, quatenus per peccatum apponitur impedimentum, ut ipſa potentia, vel nullo modo, vel non cum tanta habilitate, & expeditione in actum ſecundum prorumpat. Unde talis diminutio potiùs ſpectat ad potentiam conſequentem, cujus eſt ipſum actum ſecundum in exercitio ponere, & cum omnibus occurrentibus conjungere, quam ad antecedentem, quæ non curat de actu ut hic & nunc exercendum: ſed reſpicit illum ſecundùm ſe, & in actu ſignato cum præciſione à multis circunſtantiis, quæ in exercitio ſe offerunt. Atque adeo etiamſi tam præſens aſſertio, quam doctrina in illo commentario tradita ad quævis peccata ſe extendant, neutra alteri contradicit. Denique etſi admitteremus diminui aliqualiter per peccatum vires intrinſecas potentiæ, non obſtet noſtræ rationi: quia ea diminutio quatenus potentiam antecedentem tangeret, nequaquam eſſet tanta, ut actum aliàs poſſibilem, abſolutè impoſſibilem redderet, ſed ſolùm efficeret aliquantulum difficiliorem. Hoc autem nullius momenti eſſet: quia in aſſertione, & ratione ſolùm intendimus actum dilectionis, qui poſſibilis eſſet in natura pura, manere etiam in natura lapſa per eaſdem vires abſolutè poſſibilem.

Ad ſecundum conſtat ex dictis dubio præcedenti numero 106. quomodo in amore ſuper omnia, ad quem daretur potentia in puris naturalibus, importetur ſaltem implicitè, quòd Deus præferatur omnibus, ob quæ præcepta naturalia, quovis modo violari poſſunt; atque adeo cum illa extenſione *directè*, vel *indirectè*, per quam excluditur reſtrictio ad ſolam violationem directam. Nec refert, quòd in puris nulla eſſet notitia præceptorum ſupernaturalium: nam etiam modò

Digitized by Google

modò ſunt quamplurimi ignari omnino talium præceptorum, & non idcirco ad prædictam extenſionem non tenentur. Solum eſt diſcrimen, quod illorum conſcij poterunt eam adhibere cum tota illa expreſſione, *præfero Deum omnibus, quibus ejus præcepta ſive directè, ſive indirectè violari poſſunt.* Cæteri verò magis implicitè, *ut præfero Deum omnibus, eo modo quo poſſum, & debeo:* nam in hoc includitur eadem extenſio implicitè, & virtualiter.

Aliud pro eadem aſſertione motivum.

131. Secunda ratio pro hac aſſertione eſt illa, quam dubio præcedenti pro prima concluſione ſecundo loco adduximus. Quia præceptum diligendi Deum ſuper omnia obligat omnes homines in natura lapſâ, non minùs quàm obligaret in puris naturalibus: ſi autem vires naturæ pro hoc ſtatu ad prædictam dilectionem non ſufficerent, plurimi reperirentur, quibus obſervatio talis præcepti eſſet impoſſibilis; proindeque ad illam non adſtringerentur: nam plurimi ſunt, quibus nullum conceſſum eſt gratiæ auxilium, ut patet de illis, qui neque habent fidem, neque eam nunquam audierunt. Habetque hæc ratio majorem vim in hoc ſtatu ubi de prædicto præcepto, deque ejus obligatione, in gradu dicto, nullus dubitat, quam in natura pura pro qua ille obligationis gradus non eſt ita communiter receptus. Immò quod talis obligatio comprehendat omnes ſtatim, ut ad uſum rationis pervenerint, defendere debent univerſi D. Thomæ diſcipuli, ut ejus doctrinam de incompoſſibilitate peccati venialis cum ſolo originali ſartam, tectamque tueantur; de qua fusè egimus *in tractatu de peccatis, diſp.* 20.

Prima reſponſio.

132. Dices primò, omnibus hominibus etiam iis, qui nihil de fide audierunt eſſe à Deo promiſſa, & præparata auxilia ſupernaturalis ordinis, quibus poſſint prædictum præceptum adimplere; de factoque illa recipient, ſi poſtulaverint, & accipere velint: & hac ratione nulli eſt impoſſibilis obſervatio talis præcepti, quamvis naturæ vires ad ea non ſufficiant.

Impugnatur.

Hanc evaſionem adduximus in tractatu, & diſputatione citatis numero 26. ubi illam magis expendimus, & ſufficienter impugnavimus. Ex eo vel maximè, quia ut homo dicatur poſſe aliquid per auxilia gratiæ, quæ Deus illi offert, & præparata habet, neceſſe eſt, ut ea oblatio, & præparatio ipſi homini innoteſcat, & ab eo credatur, ut ex hac fide, & notitia poſſit excitari ad poſtulanda, & conſequenda prædicta auxilia: cui enim nulla eorum notitia confertur, non eſt in ejus poteſtate uti ſimilibus auxiliis, ſicut neque ea petere, aut conſequi: ac proinde præparatio illa, & oblatio reſpectu talis hominis habet ſe, quaſi non eſſet: neque erit, quo pacto dicatur poſſe per talia auxilia, aut per eorum oblationem, & præparationem, quod non poſſet ſi oblata, & præparata non fuiſſent. Porrò ſi aliqui pervenientes ad uſum rationis nullum ſupernaturale auxilium recipiant, quavis cauſa id accidat, carebunt omnino prædicta notitia, quæ inter auxilia ſupernaturalis ordinis numeranda eſt (non enim per lumen naturale, ſed per lumen fidei poſſumus cognoſcere eſſe à Deo nobis oblata, & præparata auxilia gratiæ, ad illa opera, quæ implere non valemus per vires naturæ) talibus ergo non erit hac via poſſibilis adimpletio ſupradicti præcepti.

Secunda ſolutio.

133. Quare melius alij exiſtimant prædicta auxilia non modò eſſe à Deo promiſſa, & præparata, ſed conferri de facto omnibus ad uſum rationis pervenientibus, ut ſi voluerint, illis utantur, & præceptum adimpleant, ſin minus ipſis imputetur, quòd cum potuerint per talia auxilia, non adimpleverint. Doctrina hujus ſolutionis eſt ſatis veroſimilis, & probabilis, & ideo *diſp. citata à num.* 28. illam ut potuimus auctoritate, & ratione confirmare curavimus, & ſub problemate ſequuti ſumus, reſervata in hunc locum judicij determinatione. Adhuc tamen non poterimus alterutram partem majori firmitate tueri, quam ejus fundamenta adſtruunt. Duo igitur juxta prædictam ſolutionem breviter tractanda ſunt. Primò, an ſit ita, quòd omnes ad uſum rationis pervenientes recipiant de facto aliqua auxilia ordinis gratiæ, quibus intellectus illuminetur, & voluntas adjuvetur, ut ſupra naturæ vires operari poſſint actum dilectionis Dei, ſive aliquid aliud. Secundò an hæc auxilia ita tribuantur in ſubſidium naturæ, ut illis ſecluſis, non maneret ſufficiens potentia antecedens ad eliciendum prædictum actum, ut ſiſtit in ordine naturali. Quoad primum ſubſcribimus, ut probabili parti affirmativæ, quam modò admittimus, ac ſupponimus, & infra *diſputat. 6. dub. 3.* ex profeſſo confirmabimus Neque idcircò occurritur ſufficienter hac via noſtræ ſecundæ rationi. Tum quia præceptum de dilectione naturali, cui innititur, obligat omnino certò in ſtatu naturæ lapſæ: debemuſque proinde aſſignare potentiam ſaltem antecedentem ad adimplendum illud independenter à collatione illorum auxiliorum, quæ eſt ſatis dubia. Tum etiam quia effectus illorum non eſt ipſe actus dilectionis naturalis ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed alius, quem modò declarabimus.

Notanda pro puero perveniente ad uſum rationis.

Quoad ſecundum dicimus prædicta auxilia non eſſe neceſſaria, neque à Deo tribui, ut voluntas conſtituatur potens potentia antecedenti ad eliciendum actum dilectionis ſuper omnia ſecundùm ſubſtantiam, & ut eſt præcisè actus naturalis; ſed ob alios fines: & ideo quamvis deficerent talia auxilia, poſſet elicere illum in ſenſu diviſo quantum ad ſubſtantiam actus, atque adeo prout ſatis eſſet ad præceptum naturale adimplendum. Ducimur ad ita exiſtimandum quia ſi prædicta auxilia ad id munus neceſſaria eſſent, vel hoc proveniret ex defectu virium naturalium, eo quòd proportionatæ non eſſent cum tali actu, neque illum ſecundùm ſe continerent; vel quia per ſe, & ex natura rei vim habent amovendi obicem peccati; quo impeditur voluntas ab elicientia actus, quem in ſua virtute continent? Non primum: quia vires voluntatis ſecundùm ſe ſpectatæ non ſunt minores in natura lapſa, quam eſſent in natura pura, ut in prima ratione oſtendimus: & ideo ſicut tunc abſque ullo auxilio indebito eſſent ſufficienter proportionatæ, & continerent prædictum actum, continebunt etiam modo ſaltem conſideratum ſecundùm ſe, prout ad potentiam antecedentem ſpectat. Si verò dicatur ſecundum, nihil inde contra nos: nam removere illum obicem non eſt munus potentiæ antecedentis, quæ ſolùm reſpicit actum abſtractè, & ſecundùm ſe, ſed potentiæ conſequentis; quæ attendit omnia, quæ cum actu eliciendo undecumque concurrent: cuique proinde incumbit vel ea amovere, vel actum cum illis componere. Dum ergo agimus de potentia antecedenti, fruſtra eſt recurſus ad prædicta auxilia. Ad hæc: auxilia de quibus loquimur neque ſecundùm ſe, neque ratione actus dilectionis pro quo exhibentur (niſi major alia gratia accedat) habent ex natura rei amovere impedimentum peccati, quo actus redditur impoſſibilis: conſiſtit enim hujuſmodi impedimentum in averſione à Deo,

Digitized by Google

Deo, quæ auferri nequit niſi per gratiam juſtificantem, quam neque prædicta auxilia ex natura rei ſecum afferunt, neque ad eam ultimò diſponunt. Et ideo ſi amor naturalis ſecundùm ſe, & ſecundùm id, quod à virtute naturali ſortitur, non haberet incompoſſibilitatem cum tali averſione, etiam non haberet illam ratione prædictorum auxiliorum, & quatenus ab illis procedit, ſecluſa alia majori gratia: ſicut eam non habent actus fidei, & ſpei Theologicæ informes, quamvis à principio ſupernaturali procedant. Non ergo etiam pro potentia conſequenti ita conducunt prædicta auxilia, ut hoc deſerviat ad præſentem difficultatem evacuandam.

Replica contra hanc doctrinam. 134. Dices; ut quid ergo confert Deus talia auxilia, ſi neque neceſſaria ſunt, ut voluntas poſſit elicere actum dilectionis Dei potentia antecedenti, neque per ſe, & ſine gratia juſtificante ſufficiunt, ut eliciat illum, vel elicere valeat potentia conſequenti? *Diſſolvitur.* Reſpondetur duplici ex cauſa (aliis ad locum citatum modò relictis) neceſſariam cenſeri prædictam collationem. *Primo* ut voluntas potentia antecedenti poſſit elicere illum actum, ſicut oportet, & ut conducit ad juſtificationis gratiam conſequendam, pro quo non ſufficiunt vires naturæ: verificeturque hac ratione neminem carere ſufficientibus auxiliis, nedum ut non peccare, ſed ut ſaltem operari poſſit. *Secundò* quia licèt prædictus actus præciſe ut elevatus ad ordinem ſupernaturalem per illa auxilia non habeat neceſſariam connexionem ex natura rei cum gratia juſtificante, habet tamen ex divina promiſſione, qua ſtatutum eſt, ut facienti, quod poteſt ex ſimilibus auxiliis, Deus non deneget gratiam. Itaque ut verificetur proviſum eſſe à Deo pro omnibus ad uſum rationis pervenientibus etiam fidei lumine deſtitutis, ſufficiens remedium, ut gratiam juſtificantem, & vitam æternam conſequi valeant (prout verum eſſe piè credimus) duo illis de facto fuerunt conferenda: alterum, quo poſſint vitare quodcumque mortale peccatum, atque adeo implere præceptum dilectionis ſuper omnia, ad quod omnes tenentur: & ad hoc quantum ad potentiam antecedentem ſatis proviſum fuiſſet per vires naturæ. Alterum, quo poſſent ita adimplere, ut certam ſibi facerent prædictam gratiam: & quia ad hoc vires naturæ non ſufficiunt (non enim ſtatutum à Deo ſcimus conferre illa ſic operantibus) collata ſunt prædicta auxilia: quibus ſi homo pro viribus utatur, certò & infallibiliter conſequetur ex divina promiſſione, & gratiam ipſam, & peccati originalis ablationem: immò in illomet inſtanti, in quo auxiliis benè uſus fuerit, utramque conſequetur: *D.Ambroſ.* nam ut ait D. Ambroſius lib. 2. in Luc. cap. 1. *Neſcit tarda molimina Sancti Spiritus gratia.* Quid autem ſit prius vel Deum gratiam conferre, & peccatum excludere, vel hominem uti illis auxiliis, & actum dilectionis elicere, explicuimus *dicta diſp.* 20. *num.* 37. *&* 67. de quo iterùm infrà ſermo redibit.

§. II.

Aſſertio alia pro dubij abſolutione.

Secunda concluſio. D.Thom. 135. Dicendum eſt ſecundò hominem lapſum, ſeu in peccato exiſtentem non poſſe diligere Deum ſuper omnia potentia conſequenti ſolis naturæ viribus, niſi adjuvetur, vel ſanetur per gratiam. Hanc concluſionem ſtatuit D. Tomas *in præſenti art.* 3. ubi ait. *In ſtatu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit* (ſcilicet à prædicta dilectione) *ſecundùm appetitum voluntatis rationalis: quæ propter corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei: & ideò dicendum eſt, quòd homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia; licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis: ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam ſanantis.* D.Thomam ſequuntur communiter Theologi, Capreolus *in* 2. *diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 3. & clariùs *in* 3. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 8. contra tertiam concluſionem: Hiſpalenſis ibidem *q.* 1. *art.* 3. *notabili.* 4. Abulenſis *in cap.* 19. *Matthæi qu.* 177. Soto *lib.* 1. *de natura & gratia cap.* 22. Bañez 1. *p. q.* 23. *art. dub.* 3. Alvarez *de auxiliis diſp.* 51. Bellarminus *de gratia & lib. arbitrio lib.* 6. *cap.* 7. Suarez *lib.* 1. *de gratia cap.* 23. & ſequentibus. Expoſitores D. Thomæ hoc loco ubi Conradus ad prædictum *articulum tertium*, Curiel ad eundem *dubio ultimo*, §. 2. Monteſinos *diſputatione* 27. *q.* 6. §. 3. Zumel *diſp.* 2. Valentia *diſp.* 8. *q.* 1. *puncto* 4. Gregorius Martinez, *dub.* 2. *concluſione* 1. Joannes à S.Thoma, *diſp.* 19. *art.* 4. Arauxo *art.* 4. *dub.* 4. Gonet. *diſp.* 1. *art.* 4. *concluſione* 1. Godoy *diſp.* 42. *concluſione* 3. Labat. *diſp.* 1. *dub.* 3. §. 3. Vaſquez *diſp.* 194. *cap.* 4. & alij. Medina verò, & Lorca non ſatis apertè loquuntur, immò quandoque negare, quandoque affirmare videntur. (Capreol. Hiſpalenſis. Abulenſis. Soto. Bañez. Alvarez. Bellarminus. Suarez. Conradus. Curiel. Monteſinos. Zumel. Valentia. Greg. Mart. Ioann. à S.Thom. Arauxo. Gonet. Godoy. Labat. Vaſquez. Medina. Lorca.)

Probatur ratione: nam ut homo lapſus poſſet potentia conſequenti diligere Deum ſuper omnia per vires naturæ, neceſſe erat, quòd vel poſſet eiſdem viribus auferre à ſe peccatum, in quo lapſus manet, vel componere cum illo talem dilectionem: quidquid verò horum deficiat, non habet potentiam conſequentem: ſed utrumque eſt impoſſibile: ergo, &c. Major & conſequentia conſtant; & etiam minor quoad primam partem: nam peccatum mortale auferri nequit, niſi per juſtificantem gratiam, ad quam de fide eſt non ſufficere vires naturæ. Quoad ſecundam verò ſuadetur: quia ſi compoſitio illa eſſet poſſibilis, poſſet homo eſſe ſimul averſus à Deo per peccatum, & converſus ad illum tanquam ad finem ultimum. Hoc autem apertè repugnat, ſicut & quod poſſit eſſe ſimul converſus ad duos ultimos fines: ergo, &c. *Præcipuum fundamentum.*

Confirmatur: non minus repugnat voluntatem eſſe ſimul converſam, & averſam à Deo, quàm eſſe ſimul converſa ad duos ultimos fines diſparatè ſe habentes; immò hæc duplex converſio clauditur averſione, & converſione: ſed repugnat voluntatem poſſe ſimul converti, aut converſam eſſe ad duos fines ultimos diſparatè ſe habentes: &c. Minorem oſtendimus *in tr. de ultim. fine diſp.* 4. *dub.* 1. *&* 2. eamque inter alias rationes tradidimus, quia de conceptu ultimi finis eſt, ut plenè dominetur voluntati, cujus eſt finis, atque adeo ut omnes ejus affectus ſive actuales, ſive habituales ſibi ſubordinet, & ſubjiciat: hoc autem modo nequit voluntas ſubjici duobus finibus diſparatè ſe habentibus, ſeu quorum neutrum ſubordinetur alteri: ipſa enim ratio ſubordinationis totalis ad unum præcludit locum ſubordinationi totali ad alium; ut citato loco proſequuti ſumus: & ex terminis conſtat: ergo repugnat voluntatem ſimul eſſe converſam ad duos fines ultimos diſparatè ſe habentes.

136. Hæc ratio, quam rurſus expendemus infrà *in Tract. de juſtificatione diſp.* 2. *dub.* 4. *à numero* 115. quæque communis eſt diſcipulis D. Tho-

Digitized by Google

D.Thomæ aliquibus aliis non probatur. Et eam impugnat Suarez *ubi ſuprà:* quia, inquit, nimiùm probaret, ſi valida eſſet: ſequeretur enim peccatorem etiam per auxilium gratiæ actualis ſine gratia habituali non poſſe elicere actum dilectionis naturalis ſuper omnia: nam idem inconveniens ſequitur, ſcilicet vel manere ſimul averſum, & converſum, vel per talem actum peccatum remitti, quod dici non poteſt. Item ſequitur animam ſeparatam pueri decedentis ſine baptiſmo non poſſe diligere Deum, ut auctorem naturæ ſuper omnia, cujus oppoſitum docet D. Thomas *in 2. diſt. 33. q. 2. art. 5. ad 5.* Ubi concedit pueros ſic decedentes manere Deo conjunctos quantum ad participationem naturalium bonorum, & ita poſſe gaudere de illo naturali cognitione & dilectione. Sequelæ probationem, quam addit Suarez, omittimus: quia apud nos non eget probatione.

Objectiones Suarij.

D. Thom.

Suarij evaſiones.

Deinde ut confirmationem ſolvat, nititur oſtendere, actualem Dei dilectionem ſuper omnia non eſſe incompoſſibilem cum peccato habituali, ſive originali, ſive proprio. Tum quia actus, & habitus non ſe excludunt, neque opponuntur formaliter etiam circa contraria objecta. Tum etiam quia dilectio naturalis non convertit voluntatem in Deum plenè, & adæquatè, ſed inadæquatè, & ſecundùm quid; & ideo non plenè avertit à peccato: unde non ſequitur vel quod non poſſit cum illo conjungi; vel quod adjuncta reddant hominem ſimpliciter converſum, & averſum; ſed converſum ſecundùm quid, & averſum ſimpliciter. Accedit, quod averſio inducta per peccatum habituale præter privationem gratiæ non eſt aliquid phyſicum ſed morale duntaxat: & ideo minorem repugnantiam habet cum actuali converſione phyſica. Denique ſi amor, de quo loquimur, non poſſet conjungi peccato habituali ex eo vel maximè, quia eſſet ſufficiens diſpoſitio ad recipiendam, vel impetrandam gratiam ſanctificantem cum eo incompoſſibilem: ſed non ita ſe habet, quia non tranſcendit naturalem ordinem, ſicut tranſcendere debet quidquid prædicto modo ad gratiam diſponit: ergo, &c. Hæc Suarez.

Quibus alij addunt non eſſe inconveniens, quòd voluntas ſimul ſit averſa à Deo præſertim per culpam originalem, & per amorem naturalem converſam: quia averſio iſta, & converſio non attingunt illum ſecundùm eandem rationem, ſed averſio ut finem ſupernaturalem, ab hoc enim avertimur per originalem culpam: converſio verò ut finem naturalem: non videntur autem repugnare converſio, & averſio circa eundem terminum ſecundùm diverſas rationes.

Ex quo ad confirmationem dici poterit non ſequi voluntatem manere ſimul converſam ad duos fines ultimos: quia peccatum originale ad nullum finem convertit, ſed eſt tantùm averſio.

Suarij motiva convelluntur.

137. Hæc adduximus, non quòd rationi aut confirmationi noſtræ vim adimant, ſed ut eas enucleare compellant. Et in primis impugnatio in contrarium facta apud nos nullius momenti eſt: quia illud, quod pro inconvenienti infertur, videlicet peccatorem non poſſe elicere amorem naturalem Dei ſuper omnia cum ſolo auxilio ſine gratia habituali, ſi ſermo ſit de potentia conſequenti, nequaquam inconveniens cenſemus; ſed verum, & legitimum conſequens, ut dic mus *numero 145.* ibique ad illud de pueris ſine baptiſmo decedentibus, & ad alia (ſi quæ difficultatem inferunt) reſponſum præbebimus.

Evaſiones confutantur.

Modò ut impugnemus evaſiones, & aperiamus viam rationis factæ, duplex ſe offert via: utraque verò nonnulla prælibari poſtulat. Primum quòd cùm amor de quo loquimur, ſit amor ſuper omnia obedientialis dictatus à naturali lumine, debet importare, vel ſecum afferre, ut obediatur Deo omnibus modis, & quoad omnia, in quibus ipſum naturale lumen oſtendit eſſe illi parendum: & quia inter alia hujus luminis dictamina continetur iſtud. *Parendum eſt Deo, & cuilibet ſuperiori legitime præcipienti, quovis modo legitimè præcipiat.* Ex conſequenti, & quaſi indirectè continetur ibidem, quòd ſit obediendum etiam quoad præcepta ordinis ſupernaturalis, vel ſaltem quoad eorum non violationem, ſuppoſito quòd à Deo ferantur: quia prædicto lumine notum eſt Deum legitimè præcipere, quæcumque, & quovis modo præcipiat. Unde fit, quòd plena obedientia Deo exhibenda ex vi amoris naturalis nullam ſecum admittat inobedientiam circa ipſum Deum, & circa ejus præcepta, quovis modo (hoc eſt) ſive ut à legiſlatore naturali, ſive ut à ſupernaturali ferantur. Nam inobedientiam circa naturalia excludit prædictus amor directè, & per ſe primò, ſicut lumen naturale dictat illa præcepta: inobedientiam verò circa ſupernaturalia, ex conſequenti, & indirectè: quia hoc etiam modo id poſtulat prædictum lumen virtute illius dictaminis: *parendum eſſe Deo, quovis modo præcipiat: quia parendum eſt cuilibet ſuperiori legitimè præcipienti.* Nota 1.

Deinde nota in quolibet peccato habituali ſive originali, ſive proprio contineri virtualiter, & per modum termini idem genus malitiæ, quæ formaliter reperta fuit in peccato, actuali, à quo proceſſit: quia hic terminus ſapit naturam ſui actus, & illum virtualiter continet: *in tractatu de peccatis diſputatione 16. numero 135.* adduximus. Qua ratione licèt omnia peccata habitualia in privatione gratiæ conſiſtant; differunt nihilominus ſpecie inter ſe, & aliud eſt alio pejus; immò aliud èſt peccatum habituale furti, aliud homicidij, aliud luxuriæ, &c. juxta gravitatem, & differentias peccatorum actualium, quorum ſunt termini, & quorum ſemper ſapiunt naturam, conſervantque odorem, ſeu potius fœtorem. Unde quia in quolibet peccato actuali præſertim mortali clauditur inobedientia contra aliquod ex divinis præceptis, & ideo ſolet diffiniri: *Divinæ legis prævaricatio, & cœleſtium inobedientia mandatorum:* etiam peccatum habituale ſuo modo, ſcilicet per modum termini, eandem inobedientiam continet: eſtque averſio à Deo non ſolùm ut à fine ultimo, ſed etiam ut à Legiſlatore: & eſt quidam receſſus *in facto eſſe* à divina voluntate, & ab ejus obedientia quantum ad aliquod præceptum. Nota 2.

138. Hinc primò aperitur vis noſtræ rationis. Nam ut aliquis amor verè ſit amor ſuper omnia, & obedientialis etiam intra naturalem ordinem, debet importare, aut ſecum habere plenam ſubjectionem, & obedientiam ad Deum in omnibus in quibus lumen naturale ſive directè, ſive ex conſequenti dictat eſſe illi parendum: vel ſaltem importare ſecum debet non violationem alicujus illorum præceptorum, quæ prædictum lumen utrovis illo modo oſtendit non eſſe violanda. Cumque hæc obedientia componi nequeat cum inobedientia circa aliquod ex prædictis præceptis ſive naturale, ſive ſupernaturale: alias verò in quolibet habituali peccato etiam originali talis inobedientia includatur, apertè repugnat voluntatem eſſe ſimul averſam per quodlibet hujuſmodi peccatum, & per amorem illum converſam. Sicut repugnat eſſe ſubjectam, & obedientem Deo in omnibus præceptis,

Prima evaſio reſponſionis à Suario data.

Digitized by Google

ceptis, & eſſe illi inobedientem in aliquo ſive naturali ſive ſupernaturali.

Et confirmatur: quia converſio ad Deum finem ſupernaturalem, quæ fit per gratiam, nullatenus compatitur cum averſione ab ipſo ut fine naturali per violationem cujuſcumque præcepti, ut tenet communis ſententia: ergo à paritate rationis converſio ad illum ut finem naturalem ſtare non poterit cum averſione ab eodem ut fine ſupernaturali, quovis peccato fiat, vel introducta ſit talis averſio.

Objectio. 139. Dices: amor naturalis ſecundùm ſe, quamvis ſit ſuper omnia, non ſe poteſt extendere etiam indirectè ad obſervanda præcepta ſupernaturalia: aliàs eſſet ultima diſpoſitio ad infuſionem gratiæ, & peccati remiſſionem, proindeque ad totum hoc ſufficerent vires naturæ (quod eſt hæreticum) ſicut ſufficere diximus ad prædictum amorem ſecundùm ſe. Quin & prædictis viribus poſſet homo lapſus elicere talem amorem, non tantùm potentia antecedenti, juxta dicta in prima aſſertione, ſed etiam potentia conſequenti contra ſecundam, ut intuenti conſtabit. Ergo non includitur obedientia admodum generalis, ut excludat violationem etiam præceptorum ſupernaturalium.

Solvitur. Reſpondetur antecedens non eſſe univerſaliter verum: quia præcepta negativa, quamvis pertineant ad ordinem ſupernaturalem, ſicut fuit in Adamo præceptum non edendi de ligno ſcientiæ, & in omnibus præceptum non ſuperbiendi contra Deum finem ſupernaturalem, & præceptum non odio habendi talem finem, præceptum non repugnandi fidei propoſitæ, & alia hujuſmodi adimpleri poſſunt per vires naturæ, quia non obligant ad aliquid ſupernaturale, ſed ſolùm ad omittendum actus debitos, & non peccandum. Et hujuſmodi omiſſio, ſeu non violatio præceptorum ſupernaturalium includitur in amore naturali, de quo agimus. Hinc tamen non fit, vel quòd talis amor ſit diſpoſitio ad gratiam aut remiſſionem peccati, vel quòd vires naturæ ad hanc, vel illam ſufficiant: quia diſpoſitio non dicit ſolam omiſſionem, vel ceſſationem à peccato, ſed aliquam formam poſitivè, & per ſe tendentem ad ipſam gratiam. Unde quoad hæc præcepta, ex ſuppoſitione quòd exiſtant, & eorum exiſtentia nota ſit, ſimpliciter dici poteſt dictari eorum adimpletionem à lumine naturali, & in naturali amore contineri. Et hoc fortè ad præſens ſatisfuiſſet, quia in obedientia peccati originalis (de quo præcipuè dubitatur, an poſſit ſimul eſſe cum prædicto amore) potius eſt contra præcepta ſupernaturalia, quàm contra affirmativa. Diverſa autem ratio eſt de præceptis affirmativis, ut eſt præceptum credendi myſteria fidei, præceptum ſperandi, & præceptum diligendi ſuper omnia Deum finem ſupernaturalem, & alia, quorum adimpletio fieri debet per actus ſupernaturalis ordinis, & per ſe ad gratiam diſponentes. Unde quoad hæc præcepta certum eſt non poſſe adimpleri per vires naturæ, neque hujuſmodi vires in id per ſe influere. Adhuc tamen dicimus, quòd lumen naturale dictat indirectè eorum adimpletionem, vel ſaltem non violationem: & quòd naturalis amor hanc indirectè exigit, ſecumque habere debet, ut in voluntate exiſtat & hoc pro quolibet ſtatu.

Major rationis noſtræ explicatio. 140. Diverſimodè tamen id accideret in puris naturalibus, ac contingit modò. Tunc enim quia impoſita non fuiſſent talia præcepta, ſine recurſu ad aliud principium eſſet certa eorum non violatio: nam quod non eſt, non poteſt violari. Et hoc ſufficeret, ut in voluntate eſſe poſſet propoſitum efficax ſervandi totum, quod lumen naturale dictaret, atque adeo omnia divina præcepta abſolutè, & ſine aliqua reſtrictione, proindeque amor naturalis eodem modo ſuper omnia, conformis omnino eidem lumini. At verò poſtquam homo, ex quo elevatus fuit ad ordinem ſupernaturalem præcepta, ſupernaturalia accepit; aliter diſcurrendum eſt: quia illis jam impoſitis, & connotatis haberi non poteſt illa via prædicta non violatio, ut ex ſe conſtat. Poſſet tamen alia non diſſimili, ut ſi Deus nullas tribuiſſet vires ſupernaturales ad obſervationem: quia his omnino deficientibus non magis obligarent, aut violari poſſent talia præcepta, quàm ſi impoſita non fuiſſent. Exiſtentibus autem viribus, & obligatione ſtatim lumen naturale indirectè dictat prædicta præcepta eſſe ab homine adimplenda, & prohibet eorum violationem, quatenus eo lumine notum eſt teneri unumquemque ſervare omnia præcepta legitimè ſibi impoſita, dum habet vires, quod eſt prohibere illam indirectè. Et ſicut virtute hujus dictaminis talis volitio repugnat prædicto lumini; ſic etiam pugnat cum amore naturali ſuper omnia, præcluditque ei locum: eò quòd iſte amor omnino eſt lumini conformis. Quare ut in voluntate exiſtat, connotare debet obſervationem prædictorum præceptorum, non ab ipſo amore, vel ejus principio ortam; ſed à virtute, & auxilio ſupernaturali, cujus etiam connotat exiſtentiam. Poſita hujuſmodi connotatione, datur quidquid requiritur, ut voluntas naturalibus viribus utens efficaciter proponat obedire Deo auctori naturali, ſervanſque ejus præcepta, ut exigitur ad amorem ſuper omnia, atque adeo abſolutè, & ſine reſtrictione ad certum modum obſervandi, puta *ſolùm directè*.

Ad hunc ergo ſenſum dicitur de iſto amore, quòd *indirectè* affert ſecum obſervationem præceptorum ſupernaturalium, & excludit eorum violationem: non quia in talem obſervationem poſitive influat, aut oppoſitam violationem poſitivè impediat, ne incurratur, incurſamve ſuo influxu auferat; ſed quia ob conformitatem, quam habet cum dictamine rationis reprehendentis ſaltem indirectè cujuſlibet præcepti violationem; habet eſſe talis conditionis, ut non ſit ei locus in voluntate, neque vires naturæ in eum prodire valeant, niſi aliunde excluſa, aut non admiſſà violatione quorumcumque gravium præceptorum. Sunt enim quamplura, quæ non permittuntur ſimul cum alio in eodem ſubjecto; & tamen neque in ſe, neque in ſuo principio vim habent ad illud aliud impediendum, vel expellendum: quia ſunt ordinis inferioris: & ideo ut exiſtant, connotare debent cauſam altiorem impedientem, vel expellentem.

141. Secunda via, qua noſtræ rationis vis detegitur, ſupponit illud, quod in ejus confirmatione dicebamus, videlicet de ratione ultimi finis eſſe, ut plenè dominetur voluntati, cujus eſt finis, ac proinde ſubordinet, & ſubjiciat ſibi omnes ejus affectus, nihilque extra ſuam ditionem remanere permittat. Et ratio eſt: quia voluntas ex propria natura habet ſubjici ut ſerva bono à ſe amato: aliàs verò finis ultimus non utcumque amatur à voluntate, ſed tanquam bonum adæquatum, & plenè ſatiativum: de cujus ratione eſt, ut ita ametur propter ſe, quòd non ametur propter aliud, reliqua verò omnia amentur propter ipſum, ut *in ſuo tract. diſp.* 4. oſtendimus. Hac ergo ratione quicumque amor, vel affectus, ſive actualis, ſive habitualis, per quem voluntas proſequitur alia bona, ſubordi- *Alio modo expenditur robur rationis noſtræ.*

Digitized by Google

nati debet amori ipſius finis ultimi: aliter hic non ex toto voluntatem ad ſe convertet, neque illi plenè dominabitur, ſicut eſt de ratione boni adæquati, & ſatiativi. Nec ſolùm affectus proſequutionis, ſed etiam fugæ, & receſſus in prædicta ſubordinatione comprehenduntur. Nam cùm omnis fuga fiat in virtute alicujus proſequutionis (ideo enim voluntas fugit aliquod malum, quia amat oppoſitum bonum) neceſſe eſt, ut cui ſubordinatur affectus proſequutionis, ſubordinentur etiam fugæ & receſſus.

Deinde nota, quòd licèt reſpectu diverſorum ordinum inferioris, & ſuperioris poſſit voluntas habere duos ultimos fines, hoc ſolum eſt verum, quando unus ordo, & finis ſubordinatur alteri: ſicut ordo naturalis, & Deus ut ejus finis ſubordinatur ſibi, ut fini ſupernaturali. Tunc autem ſolus finis ſuperior eſt ſimpliciter ultimus: quia is tantùm ſubordinat ſibi omnia, & non ſubordinatur alteri. Inferior verò dicitur ultimus ſecundùm quid, & cum addito, nempe in tali ordine: quia in illo non habet, cui ſubordinetur; ſed quia extra illum habet alium ultimiorem, abſolutè, & ſimpliciter eſt finis intermedius, & non ultimus. Habemus igitur, quòd cùm finis eſt abſolutè ultimus, ſubordinare ſibi debet omnes affectus voluntatis ſine alicujus exceptione: ſin minus ipſe ſubordinabitur alteri, & erit non ultimus. Quod ſi fingatur aliquis, qui neque ſubordinetur alteri, neque ipſe ſibi omnia ſubjiciat, talis finis erit, & non erit ultimus, & propterea omnino repugnat.

Vis fundamenti ſupra adducti. Ex his manet enucleata noſtra ratio: Nam ſi homo abſque gratia eliceret actum amoris naturalis ſuper omnia, per illum conſtitueret ſibi Deum in ratione finis nulli alteri ſubordinati, atque adeo ſimpliciter ultimi: quia neque ſubordinaretur fini altiori, puta ſibimet ut ſupernaturali: nam hæc ſubordinatio eſt effectus ſolius gratiæ: neque alicui fini creato aut bono commutabili, quia ſic non amaretur ſuper omnia. Deberent ergo omnes affectus ſive actuales, ſive habituales proſequutionis aut fugæ in voluntate exiſtentes ſubordinari prædicto fini. Cùm autem omne peccatum habituale ſit quidam habitualis affectus ſaltem per modum fugæ, & averſionis à Deo, ſitque omnino incapax ſubordinationis ad ipſum; ſit tale peccatum omnino eſſe incompoſſibile cum prædicto amore. Et in hoc conſiſtit efficacia rationis. Fit etiam quod cùm tale peccatum, dum exiſtit in voluntate, debeat eſſe ſubordinatum alicui ultimo fini, & ſit incapax ſubordinationis ad Deum, ſi una cum amore ſuper omnia exiſteret in voluntate, conſequenter adeſſet ibi duplex finis ultimus, alter conſtitutus per ipſum amorem, qui eſſet Deus, & alter cui ſubordinaretur peccatum: & hæc eſt vis confirmationis. Et non refert, quod peccatum originale ſit tantùm averſio: quia ſicut hoc non tollit, quominus ſit aliquis affectus voluntarius, ſaltem per modum fugæ, & receſſus, ita nec quod ſubordinari debeat alicui fini ultimo.

Replica. 142. Neque obeſt, ſi dicas, quòd in habente gratiam, cujus ultimus finis eſt ſolus Deus, non omnes affectus ſive actuales, ſive habituales ſubordinantur hujuſmodi fini, ut conſtat tam in peccatis venialibus, quàm in habitibus vitiorum, qui poſt juſtificationem permanent.

Reſponſio. Hoc itaque non obeſt: nam quòd attinet ad peccata venialia, *in tr. de ult. fine cit. diſp. 4. dub. 4.* ex doctrina D.Th. & Thomiſtarum ſatis oſtendimus, quomodo ſubordinentur charitati, & Deo fini ultimo, licèt non actualiter, bene tamen habitualiter. De habitibus verò vitiorum ibid. etiam *dub. 2.* & latiùs *in tr. de peccatis diſp. 1. à nu. 24.* diximus quomodo per juſtificationem retractantur, & amittunt rationem voluntarij, neque ulteriùs manent ſub ſtatu habituum vitioſorum: ut ſic autem retractati habitualiter ſubordinantur charitati, & ejus fini. Cæterùm culpa mortalis ſive actualis, ſive habitualis, aut originalis, dùm non retractatur, omnino eſt incapax ſubjectionis ad Deum: retractata verò penitus deſtruitur. Sed hoc non poteſt fieri niſi per gratiam: & ideo quouſque iſta infundatur, neceſſariò aſſignandus eſt præter Deum aliquis finis ultimus, cui prædicta culpa ſubordinetur.

143. Unde corruunt, quæ pro evaſione uſque modò impugnata n. 136. adduximus. Nam ad primum ex Suarez dicendum eſt actum, & habitum etiamſi directè, & formaliter non contrarientur, poſſe implicare oppoſitionem contradictoriam, vel privativam, ratione cujus ſint omnino incompoſſibilia, & ita contingit in præſenti. Nam quòd voluntas ſit converſa ad Deum, tanquam ad finem ultimum, ſicut habet eſſe per amorem naturalem ſuper omnia; & nihilominus retineat aliquem affectum non ſubordinatum huic fini, cõtradictionem involvit: nempe quòd talis finis ſit, & non ſit ultimus; & quòd talis amor ſit, & non ſit ſuper omnia. *Evaſiones Suarez præcluduntur.*

Ad ſecundum dicas prædictum amorem in abſentia gratiæ convertere voluntatem ad Deum finem naturalem: quia convertit ut ad finem abſolutè ultimum, adeoque plenè illi dominantem, & omnes ejus affectus ſibi ſubjicientem: quare ubi aliquid remanet expers talis ſubordinationis, ſicut eſt peccatum habituale, non habet locum prædictus amor: non enim vel illud poteſt avertere, vel cum eo conjungi. Si tamen conjungerentur, ſimpliciter eſſet voluntas converſa in Deum per amorem, nam talis converſio debetur fini ultimo: & ſimpliciter eſſet per peccatum averſa, quia in hac averſione nullatenus Deo ſubordinaretur.

Ad tertium jam conſtat: nam ſive averſio peccati habitualis ſit quid morale, ſive phyſicum (de quo alibi) non poteſt ſubordinari Deo fini ultimo, & hoc ſufficit, ut cum quolibet ejus amore ſuper omnia ſit incompoſſibilis.

Ad ultimum ejuſdem Auctoris negatur major: quia repugnantia coexiſtentiæ amoris naturalis cum habituali peccato, non provenit ex eo, quòd talis amor ſit, vel non ſit diſpoſitio ad gratiam, ſed ex principiis, quæ diximus.

Ad id, quod alij addunt, etiam conſtat: nam quovis modo culpa originalis attingat Deum, eo ipſo, quod ſit in voluntate, debet ſubjici ultimo ejus fini: & quia hic finis in illo, qui habet amorem naturalem ſuper omnia, eſt ſolus Deus, cui talis averſio non eſt ſubjicibilis; fieri non poteſt, ut in eadem voluntate conjungantur. Denique evaſio adhibita confirmationi impugnata eſt num. 133. Unde conſtat, quòd licèt peccatum originale non importet converſionem, ſed averſionem, habere tamen debet finem ultimum, cui ſubordinetur; & cùm hic finis non poſſit eſſe Deus, quærendus eſt alius, atque adeò duplex finis ultimus. Adde, quòd cùm dicitur peccatum originale eſſe duntaxat averſionem, fit ſermo de illo quantum ad eſſentiam; & ideo non tollitur, quominus ſecum habere poſſit, & debeat converſionem ad aliquem finem ultimum, quæ ſit extra eſſentiam talis peccati: quia impoſſibile eſt voluntatem manere ſuſpenſam, & abſtractam ab omni tali converſione. Ubi voluntas pueri in originali exiſtentis habitualiter eſt converſa ad bonum proprium tanquam ad finem ultimum,

Digitized by Google

ultimum, ut diximus *in tract. de peccatis diſp. 16. num. 67. & 68.*

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

1. Corollar. 144. EX doctrina hujus, & præcedentis dubij aliqua inferri licet pro pleniore cognitione præſentis materiæ. Primò ex prima hujus dubij concluſione infertur omnem hominem ad uſum rationis pervenientem teneri ad diligendum Deum finem naturalem ſuper omnia, atque adeo peccare in omiſſione hujus amoris, quoties ejus præceptum urget: neminemque à prædicta obligatione, & peccato excuſari ex eo, quòd auxilia gratiæ non receperit. Ratio verò eſt: quia ut homo inexcuſabiliter teneatur ad aliquod præceptum, ſufficit, quòd poſſit adimplere illud potentia antecedenti, & in ſenſu diviſo: quippe eo ipſo ſi adimplere omiſerit, talis omiſſio erit voluntaria, & libera, ut omnes concedunt: cùm ergo poſſit potentia antecedenti per vires naturæ elicere prædictum amorem, conſequens eſt, ut licèt deſtituatur omni auxilio gratiæ, ad id teneatur, & dum non elicit, liberè & peccaminosè omittat.

2. Corollar. 145. Secundò infertur non quamlibet gratiam ſufficere, ut homo lapſus diligat ſuper omnia, vel diligere poſſit potentia conſequenti Deum finem naturalem, ſed requiri ipſam gratiam juſtificantem collatam ſaltem in eodem inſtanti, in quo eſt talis amor. Hoc corollarium habetur ex dictis pro ſecunda concluſione. Nam cùm homo lapſus ſit averſus à Deo per peccatum habituale, & hæc averſio incompoſſibilis ſit cum amore ſuper omnia; aliàs etiam excludi non poſſit per vires naturæ, neque adhuc per auxilia ſupernaturalis ordinis, quouſque adveniat ipſa habitualis gratia, conſequens fit, ut cui iſta non conceditur, neque eliciat, neque immediatè elicere poſſit potentia conſequenti prædictum amorem. Diximus requiri *gratiam juſtificantem collatam ſaltem in eodem inſtanti*, &c. quia nondum examinamus, an neceſſaria ſit, vel concurrat, ut cauſa, & principium talis actus; an verò ſolùm ſit terminus illo poſterior in eodem tamen inſtanti conſequutus de quo inferiùs *numero* 155. Diximus etiam *neque immediatè elicere poſſit*, &c. quia non negamus, quòd per alia auxilia habeat homo potentiam etiam conſequentem, ſed mediatam, quatenus per illa poteſt petere, & impetrare ipſam gratiam, eaque accepta elicere prædictum amorem: quod eſt poſſe mediatè. Doctrina hujus corollarij non probatur Suario, Vaſquez, & aliis: extra ſcholam Divi Thomæ. Putant enim amorem, de quo loquimur, ſive naturæ, ſive gratiæ viribus eliciendus ſit, non eſſe incompoſſibilem cum peccato mortali habituali, nec plus requiri ad ejus elicientiam in homine lapſo, quàm in puris naturalibus; utrobique verò neceſſarium eſſe, & ſufficere auxilium gratuitum, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis ordinis. Sed noſtra doctrina eſt communis Thomiſtarum, quos pro ſecunda concluſione adduximus, manetque ſufficienter probata ex dictis *toto §. præcedenti*, & ex ratione, quam modò tradidimus.

Qualis gratia requiratur ut homo lapſus diligat Deum.

Objectio. 146. Eſt tamen contra illam objectio, quam tetigimus num. 136. de pueris decedentibus ſine baptiſmo, qui licèt habitualiter ſint averſi à Deo propter peccatum originale; ſervant tamen dilectionem ejus naturalem, ut videatur docere D. Thomas *in 2. diſt. 33. quæſt. 1. art. 5. ad 5.* D. Thom. Quin etiam *1. part. quæſt. 60. art. 5.* (unde nos rationem accepimus ad aſſumptum dubij præcedentis) concedit talem dilectionem Dæmonibus unà cum peccatis, quæ contra Deum finem ſupernaturalem committunt: non ergo eſt incompoſſibilis cum quolibet peccato mortali.

Reſpondetur ex dictis *num.* 137. dilectionem, Solutio. quam dæmones, & animæ puerorum conſervant, non eſſe ſimpliciter amorem Dei obedientialem, & appretiativum ſuper omnia, etiam ut finis naturalis; ſed ſecundùm quid, & cum addito diminuente: quia non præferunt Deum omnibus, quibus naturalia præcepta quovis modo poſſunt *violari*, ſed iis tantùm, quibus poſſunt violari directè. Vel (quod idem eſt) non ſe extendit etiam connotativè ad obediendum Deo abſolutè, & ſine limitatione in omnibus, in quibus lumen naturale etiam indirectè dictat eſſe illi parendum; ſed cum reſtrictione ad ea, quæ dictat directè, ſiſtendo in his, & præſcindendo ab aliis; ſicut præſcindunt animæ puerorum. Vel ea excludendo, ut dæmones excludunt: juxta ea, quæ ſtatim de illis dicemus. Quam reſtrictionem, & limitationem non adhibet, immò eam excludit, & contrariam addit extenſionem amor, qui abſolutè, & ſimpliciter adhuc in ordine naturali dicitur *ſuper omnia*, & per quem adimpletur præceptum, ut citato numero explicuimus. Licèt autem peccatum, quod directè opponitur præceptis naturalibus, utrumque amorem impediat, & excludat, illa tamen, quæ directè ſunt contra ſupernaturalia, ut peccatum originale, & quæ dæmones committunt, ſolum impediunt poſteriorem: quia incompoſſibilitas amoris Dei cum hujuſmodi peccatis tota oritur ex prædicta extenſione. Qualiter verò ex potentia ad primum illum amorem viribus naturæ eliciendum, quam adſtruit D. Thomas loco citato ex prima parte, inferatur eadem potentia (ſaltem antecedens) ad ſecundum dictum eſt *num.* 129. cum ſeq.

147. Sed urgebis primò, quoad pueros in Replica. Limbo exiſtentes, quòd ibi adimplent præceptum diligendi Deum finem naturalem, alias peccarent mortaliter in ejus omiſſione, haberentque proinde ultra peccatum originale aliqua omnino propria, quod non eſt dicendum: ſed prædictum præceptum non adimpletur niſi per amorem ſuper omnia, prout extenditur ad obſervationem præceptorum etiam indirectam, ut conſtat ex hucuſque dictis: ergo manſit in illis talis amor cum tota ſua extenſione.

Secundo, quoad dæmones (& eſt urgentior replica) quia in his poſt peccatum manſit omnino idem amor naturalis, quem habuerunt in primo inſtanti, dum erant in gratia, eò quòd talis amor habet eſſe neceſſarium, etiam quoad exercitium: ſed in illo inſtanti fuit ſimpliciter amor ſuper omnia in ordine naturali, & adimpletivus naturalis præcepti; habuitque omnem extenſionem ad hoc requiſitam: ergo etiam poſt exiſtente peccato.

Accedit, quòd dæmones, dùm primò peccaverunt, non potuerunt velle reſtrictionem, quam Alia inſtantia. diximus illius amoris, neque excluſionem oppoſitæ extenſionis. Nam (præter quam quòd talis amor potius eſſet actus peccaminoſus, quàm verus amor Dei; cùm ea reſtrictio, & excluſio nulla ratione poſſet honeſtari) aliunde etiam repugnat, nimirum quia Angelus cùm primò peccavit, nihil voluit, quod eſſet malum ſecundum ſe, eo quòd malum non poteſt eſſe volitum niſi

Digitized by Google

per errorem, quo bonum judicetur: in Angelis autem nullus error præceſſit primum peccatum: ergo ſaltem in illo inſtanti primi peccati manſit in eis amor naturalis cum tota ſua extenſione.

148. Dices prædictam reſtrictionem, & excluſionem fuiſſe volitam non expreſsè, & formaliter (quo pacto præceſſiſſet error) ſed virtualiter, & implicitè, vel interpretativè, ſeu ex modo volendi: quia omittendo oppoſitam extenſionem ita ſe habuit Angelus, ac ſi vellet illam explicitè. Sed contra: nam ut ratione omiſſionis volita eſſet virtualiter, & interpretativè prædicta reſtrictio, ipſa in primis omiſſio deberet eſſe volita: quæ cùm etiam ſit mala, & ideo non potuerit terminare volitionem explicitè, & formaliter; redit eadem difficultas. Quod autem talis omiſſio (& idem eſt de prædicta reſtrictione, & excluſione extenſionis) non fuerit volita ſolùm interpretativè, aut virtualiter, videtur efficaciter ſuaderi. Nam eatenus voluntas dicitur velle hoc modo aliquam omiſſionem, quatenus cauſat eam indirectè; & eatenus ſic cauſat, quatenus directè, & formaliter exercet aliquid incompoſſibile cum eo, quod omittitur: ubi autem totum, quod expreſsè amatur, poteſt extare cum illo, quod omittitur, nihil eſt, quod indirectè ſit cauſa omiſſionis, vel ratione cujus voluntas in eam influat, aut ullo modo eam volitam denominet: ergo niſi aſſignemus aliquid expreſsè volitum ab Angelo per ſuum primum peccatum, quod neque antea volitum fuiſſet, neque cum extenſione amoris naturalis poſſit conjungi, non eſt, quo pacto reſtrictio, vel omiſſio hujus extenſionis poſſit eſſe volita etiam virtualiter, & interpretativè, aut ex modo volendi.

Incidens reſponſio inſufficiens.

Occurritur primæ replicæ.

Reſpondetur ad primum, negando majorem abſolutè, & ſimpliciter loquendo. Neque obeſt inſerta probatio: nam ſupponit falſum, nempe quòd pueri illi, qui jam ſunt in termino, & extra ſtatum viæ, urgeantur præcepto dilectionis Dei, vel alio affirmativo. Quamvis enim præcepta negativa ſemper, & ubique obligent ad hunc ſenſum, quod nuſquam poteſt eſſe licitum operari contra illa; affirmativa tamen ſolum obligant pro tempore, ſtatu viæ, ut ſumitur ex D. Thoma 2.2. *quæſt*. 2. *art*. 5. quia ſoli viatores indigent ad ſui directionem hujuſmodi præceptis: extra hunc verò ſtatum quidquid vel à pueris illis, vel à Beatis agitur, potius eſt adimpletio inclinationis naturæ, vel gratiæ, quam alicujus præcepti. Unde per hoc, quòd prædicti pueri propter obicem peccati originalis non eliciant actum amoris Dei cum extenſione, quæ viatoribus injungitur, non peccant: quia non omittunt aliquid, ad quod ibi teneantur. Secus fuit de dæmonibus in inſtanti, in quo primò peccaverunt: quia cùm adhuc eſſent viatores, urgebantur præcepto diligendi Deum in tota ſua extenſione: & ideo omiſſio hujus extenſionis vel ob hoc habuiſſet eſſe peccaminoſa.

D. Thom.

Pro ſecunda ſolutione.

149. Secunda replica tangit graviorem difficultatem, quam *in tract. de Angelis diſput*. 10. agentes de primo illorum peccato latè diſcuſſimus: poſſemuſque lectorem pro ſolutione illò remittere. Sed quia (ut intelleximus) poſt tot ibi dicta aliquos adhuc tenet ſcrupulos circa modum, quo fuit volita inordinatio illius peccati; libuit hic adjicere propoſitam replicam, qua iterum ſcopus difficultatis tangitur, ut ejus ſolutione, & doctrina illa magis declaretur, & ſcrupulo ſatisfiat. Pro quo nota in voluntate Angeli peccantis à ſua prima conditione duos fuiſſe actus circa Deum finem naturalem, quos peccatum non omnino interrupit: alterum amoris amicitiæ, quo Deum propter ipſum, & propter infinitam ejus bonitatem ſuper omnia dilexit: alterum amoris concupiſcentiæ, quo dilexit illum ut objectum beatitudinis naturalis ipſius Angeli, ſeu quo hujuſmodi beatitudinem ſibi dilexit. Et licet ſecundùm entitatem, & ſubſtantiam ambo fuerint neceſſarij etiam quoad exercitium, ob idque ante & poſt peccatum entitativè iidem permanſerint; uterque tamen quantum ad aliquem modum extenſionis fuit liber, paſſuſque eſt à primo in ſecundum inſtans intrinſecam mutationem; non tantùm quoad aliquod munus, vel denominationem, ſed etiam in eſſe rei, licèt non entitativam, ſed modalem. Neque eſt ſpeciale in hujuſmodi actibus, quòd prædicto modo ſimul ſint neceſſarij, & liberi: nam idem diximus de actu amoris beatifici *in tract. de voluntario diſp*. 2. *num*. 38. 39. Ratio verò eſt: quia actus, qui procedunt à voluntate cum perfecta cognitione, attingunt objectum juxta ejus merita, & exigentiam: & ideo ſi ſit objectum, quod ſecundùm ſe, & ſecundùm ſubſtantiam (penes quam attenditur entitas actus) neceſſariò rapiat voluntatem, ſicut rapit divina bonitas clare viſa; ſecundùm aliquem verò modum habeat ſe ad illam contingenter, ſicut in Deo ſe habet eſſe in actu exercito rationem diligendi creaturas; fiet unde ut actus terminatus ad tale objectum ex primo capite ſumat entitatem neceſſariam, ex ſecundo verò modum extenſionis liberum. Non abſimile contingit in utroque actu amoris naturalis Angeli: nam amor concupiſcentiæ & reſpiciebat beatitudinem naturalem ſecundùm ſe præſcindendo tam à relatione in finem ſupernaturalem, quam à negatione, vel privatione talis relationis; & quantum ad hoc, penes quod entitas ejus conſiſtit, eſt omnino neceſſarius propter maximam proportionem, & commenſurationem talis beatitudinis cum Angelica voluntate. Et etiam poterat extendi, ut reſpiceret negationem, vel excluſionem prædictæ relationis, eſſetque hujuſmodi extenſio omnino libera: quia in ejus termino, videlicet in illa relatione, aut in ejus abjectione, nihil apparebat per quod voluntas neceſſitaretur: & utramlibet poterat velle omnino liberè. Similiter amor amicitiæ, & reſpiciebat Deum ut bonum commune, & univerſale, præferendumque hac ratione omnibus rebus, quibus naturalia præcepta violari poſſunt directè, ſiſtendo ibi per puram præciſionem: & hic reſpectus, penes quem entitas actus conſiſtit, erat ſimiliter neceſſarius propter rationem nuper dictam: poterat quoque extendi ad diligendum Deum minus ſtrictè, præferendo illum omnibus, quibus naturalia præcepta quovis modo, atque adeo ſive directè, ſive indirectè violari poſſunt, & quoad hanc extenſionem fuit omnino liber: quia nihil erat, per quod ad illam neceſſitaretur.

Nota 1.

150. Secundò nota primum Angeli peccatum (juxta ſententiam quam *citato loco de Angelis dub*. 5. ut probabilem ſequuti ſumus) conſtituendum eſſe in amore concupiſcentiæ, quo dilexit ſuam beatitudinem naturalem, & ejus excellentiam, quatenus fuit liber quoad prædictam extenſionem. Nam ſicut Angelus in primo inſtanti ſubjecit illum fini ſupernaturali per relationem charitatis, ita in ſecundo per liberam, & ſuperbam ejuſdem amoris extenſionem, prædictam relationem, & ſubjectionem abjecit, voluitque in ipſa beatitudine naturali, & ejus excellentia tanquam in bono ſibi ſufficiente & adæquato *Nota 2.*

ultimatè

ultimatè ſiſtere. Et penes hunc modum extenſionis mutatus fuit intrinſecè prædictus actus, tranſivit à non peccaminoſo in peccaminoſum, retenta eadem numero entitate. Sed & amor amicitiæ intrinſecè etiam mutatus fuit; quaſi vice verſa: nam ante peccatum habuit una cum entitate neceſſaria illum modum extenſionis, per quem, ut diximus, præferebat Deum violationi tam directæ, quàm indirectæ naturalium præceptorum: per peccatum verò hujuſmodi extenſionem amiſit. Sive ejus loco acceperit modum alium liberum, & peccaminoſum poſitivè repugnantem, & excludentem talem extenſionem: ſive manſerit quoad ſolam entitatem neceſſariam, neque includens prædictam extenſionem, neque ei repugnans, ſed ab ea præſcindens. Iuxta quem dicendi modum ratio excludendi talem extenſionem non in ipſo amore amicitiæ quærenda eſt, ſed in amore concupiſcentiæ, & in illa ejus extenſione inordinata, & ſuperba, qua ſicut abjecit ordinationem ad finem ſupernaturalem, fecit etiam ſibi incompoſſibilem extenſionem, de qua loquimur. Et in hoc ſuperbo amore concupiſcentiæ conſtituimus nos loco citato primum peccatum Angeli.

Obſervanda pro pleniori primæ replicæ ſolutione.

151. Libet autem prius quam ſecundæ replicæ hanc doctrinam applicemus, pro pleniore primæ ſolutione breviter hìc obſervare diſcrimen inter puerum ad uſum rationis pervenientem, & puerum in Limbo exiſtentem, & Angelum ut primò peccantem. Nam primus, ſi non eliciat actum dilectionis ſuper omnia cum extenſione ſupra dicta (licèt fortè eliceret alium, vel eundem numero ſine tali extenſione) peccat peccato omiſſionis: quia omittit illud, ad quod tenetur ex vi præcepti urgentis ipſum in illo inſtanti. Tertius etiam peccavit peccato commiſſionis: quia non tantùm omiſit extenſionem prædictam; ſed eam per ſuperbiam poſitivè abjecit, & contrariam tendentiam adhibuit. Secundus verò neque peccat priori modo: quia non urgetur prædicto præcepto, ex quo eſt in termino conſtitutus: ob idque licèt omittat talem extenſionem, nihil debitum omittit, immò neque omittit voluntariè: quia ad voluntarium omiſſionis requiritur debitum (ſicut etiam requiritur actus, qui ſit cauſa omittendi, atque adeo incompoſſibilis cum illo, quod omittitur; qui ſane actus non ita facilè detegitur in voluntate pueri in Limbo exiſtentis.) Neque etiam peccat poſteriori modo, quia per nullum actum dictam extenſionem negat, vel abjicit; ſed ſiſtit omnino præciſivè in naturali Dei bonitate, & in extenſione, quæ ſufficit ad obſervantiam præceptorum tantùm directam. Et hoc pro prima replica.

Legitima ſecunda replicæ ſolutio.

152. Ex præmiſſis autem etiam habetur ſolutio ſecundæ quantum ad primum in ea contentum: conſtat ſiquidem, quòd licèt amor naturalis Angeli ſive amicitiæ, ſive concupiſcentiæ ſit neceſſarius quantum ad entitatem, & ideo permanſerit entitativè idem ante, & poſt peccatum: quoad modum tamen extenſionis, quem diximus, uterque amor fuit liber: & ita potuit mutari, & variari per peccatum, habereque in ſecundo inſtanti minorem, vel diverſam extenſionem, quam habuit primò.

Secundum in eadem replica contentum convincit nos aſſerere Angelum in primo peccato voluiſſe expreſsè, & formaliter aliquid incompoſſibile, tam cum relatione charitatis ad finem ſupernaturalem, quam cum extenſione, quæ fuit in amore amicitiæ ante peccatum, ratione cujus volita fuerit omiſſio, ſeu excluſio talis extenſionis. Hoc autem expreſsè volitum non fuit ipſa duntaxat beatitudo naturalis; vel ejus excellentia: quia hæc ſecundùm ſe non habet prædictam incompoſſibilitatem; ſed fuit omiſſio, vel abjectio relationis ad finem ſupernaturalem, quam Angelus ex vi præcepti charitatis, & etiam humilitatis tenebatur tunc adhibere. Unde objectum adæquatum, quod Angelus expreſsè voluit, fuit propria beatitudo, & ejus excellentia ut non relata, neque ſubordinata illi fini; ſed ut independens, & ut deſtituta tali relatione, & ſubordinatione, atque adeo ut ipſa per ſe ſufficiens ad omnino illum beatificandum. Nec per hoc ponimus, quòd expreſsè, & formaliter aliquid malum appetierit, atque adeo quòd formalis error ibi interceſſerit: quia prædicta independentia, & carentia ſubordinationis ſecundùm eam rationem, qua fuit expreſsè volita, non importat deformitatem: ut in ſimili explicuimus *in Tract. de peccatis diſput. 16. à num. 167.* agentes de peccato Adami, in quo eadem fermè militat difficultas.

Ad præſens verò applicando illam doctrinam, dicimus excellentiam beatitudinis naturalis Angeli, ut independentem à prædicta ſubjectione, poſſe conſiderari dupliciter: vel abſolutè, nulla facta ſuppoſitione: vel reſpectivè ad Angelum ut oneratum, & ligatum præcepto ſubjiciendi illam fini ſupernaturali. Primo modo non eſt objectum malum: nam Deus habet talem excellentiam & independentiam, & ipſe Angelus potuiſſet ſine peccato habere illam, ſi prædicto præcepto oneratus non fuiſſet: ut ſic enim talis independentia non dicit privationem ſubjectionis debitæ, ſed potius negationem, aut communem rationem carentiæ, quæ ad rationem mali non ſufficit: & hoc duntaxat fuit expreſsè volitum. Secundo autem modo habet rationem mali: cùm propter improportionem, quam excellentia ita independens dicit ad ſuppoſitum prædicto præcepto oneratum: tum quia importat privationem ſubjectionis, & relationis præceptæ. Sed Angelus non voluit expreſsè eam rationem privationis, & improportionis: quia non comparavit talem excellentiam ad ſe ut præcepto ligatum; ſed amavit illam ut exemptam, & independentem abſolutè, habita comparatione ad ſeipſum etiam conſideratum abſolutè, & ſine ordine ad præceptum: quo modo non ſplendebat in ea prædicta improportio. Et quamvis per illum amorem poſitivè abjecerit oppoſitam dependentiam, & ſubjectionem; adhuc tamen in hoc nulla elucebat inordinatio, ſtando præciſè in prædicta comparatione. Propterea verò peccavit: quia ex ſuppoſitione, quod erat oneratus præcepto referendi, debuiſſet attendere illud, ſecumque rem agere ut ſubjectus tali præcepto: & quia hoc modo excellentia cum abjectione ſubjectionis erat ſibi ibi, & tunc improportionata, debuiſſet non ita amare illam, neque ſimilem abjectionem ſua volitione facere. Amavit autem poſitivè ſubjectionem abjiciens: quia non conſideravit præceptum, quo tenebatur ſubjicere illam, immò ſecum egit, quaſi non haberet tale præceptum, deliquitque proinde ex hujus inconſideratione, potius quàm ex errore, per quem aliquid malum bonum formaliter judicaverit. Vide ſi placet locum nuper citatum uſque ad num. 170. ubi hanc ſolutionem, & doctrinam latiùs proſequimur. Quod autem *in Tractat. de Angelis in illa diſp. 10.* non ſemel diximus, omiſſionem, & abjectionem ſubjectionis ad finem ſupernaturalem non

Digitized by Google

non fuiſſe volitam ab Angelo formaliter, & ex parte objecti; ſed ex modo volendi, & interpretativè; non contrariatur his, quæ modò tradidimus: quia ſenſus utrobique eſt prædictam omiſſionem, & abjectionem non fuiſſe expreſsè volitam inquantum privativam, & malam, neque ex vi entitatis actus, per quem Angelus peccavit; licèt fuerit ſic volita præcisè ſecundùm rationem carentiæ, & independentiæ non exprimentis privationem, aut malitiam, & ex vi modi extenſionis, quem ſuprà diximus.

§. IV.

Duplex aliud ejuſdem doctrinæ conſectarium.

3. Corollarium. 153. Tertiò ex doctrina pro aſſertionibus tradita infertur hominem exiſtentem jam in gratia, etiam ſi ipſa gratia, aut ejus auxiliis non uteretur, ſed ſolis viribus naturæ, poſſe elicere etiam potentia conſequenti actum amoris naturalis, de quo agimus. Cùm enim adhuc in natura lapſa non deficiant homini vires ex parte principij ad talem amorem, totaque impoſſibilitas conſequens ex peccati impedimento conſurgat; nihil obeſſe poteſt, quominus ſublato iſto per gratiam, ipſæ naturales vires ſine novo recurſu ad illam in prædictum amorem prorumpant. Idemque dicendum eſſet de homine in natura pura, ob eamdemque rationem: quia nec tunc deeſſent vires, & potentia antecedens ad talem amorem, ut dubio præcedenti oſtenſum fuit; neque adeſſet impedimentum illi repugnans, & tollens potentiam conſequentem; cùm hoc ſolùm poſſit eſſe peccatum mortale, quod tunc abfuturum ſupponimus: nam loquimur de homine, quandiu in illud non laberetur. Si enim dicto dubio vera tradidimus, conſequenter dicendum eſt non omnes homines illius ſtatus cùm perveniſſent ad uſum rationis, ſtatim mortaliter ruituros; ſed aliquos per aliquod temporis ſpatium in innocentia naturali permanſuros, quamvis alij ſtatim eam amitterent. In ea autem permanentibus toto illo tempore (quod pro aliquibus eſſet brevius, pro aliquibus minùs breve, ſed & pro aliquibus breviſſimum) nihil obſtaret, quominus aliquoties elicerent prædictum actum. Cadentibus verò maneret adhuc potentia antecedens ad illum eliciendum, prout ſatis eſſet, ut urgente obligatione in ejus omiſſione peccarent, juxta id, quod de homine lapſo in primo corollario diximus: non tamen potentia conſequens propter impedimentum peccati, quod nec ſolis naturæ viribus poſſet expelli (ut dicemus *tract. ſequenti diſp. 1. dub. 7.*) nec talem amorem ſecum admitteret.

Dubium incidens deciditur. 154. Sed circa hominem ad gratiam reſtitutum quem dicimus habere potentiam conſequentem, etiam ſi non influeret ipſa gratia; quæri poteſt, an de facto ita contingat, quòd ſine novo ejus influxu per ſolas vires naturæ eliciatur aliquando prædictus actus? Et reſpondetur affirmativè loquendo de influxu formali, & peculiariter ad eum requiſito. Quamvis enim (ut infra *in Tract. de merito* dicemus) omnis actus honeſtus elicitus ab homine juſto ſecum ferat aliquem influxum gratiæ, & charitatis, per quem ſaltem virtualiter referatur ad finem ſupernaturalem, & opus meritorium conſtituatur; non tamen in præſenti loquimur de hoc genere influxus adeo univerſalis, ut nec minimus actus honeſtus ejus expers evadat: & de quo an ſit concedendus, eſt non levis controverſia. Sed de alio magis formali, quem pro actu amoris Dei ob majorem ejus perfectionem ſpecialiter gratia exhibeat, ſicut exhibet pro actibus naturalibus. Hoc ergo peculiari modo non eſt cur dicamus gratiam ſemper concurrere in elicientia amoris Dei naturalis (licèt concurrat ut frequentius) quia nulla apparet ratio connexionis neceſſariæ inter illa. Immò apparet ratio in oppoſitum: nam veroſimile eſt, quòd aliqui ex tot pueris, qui cum baptiſmo & gratia, ſine tamen aliqua expreſſa fidei notitia ad uſum rationis perveniunt, adimpleant naturale præceptum; ſicut & quòd non omnes illi pueri in eo inſtanti mortaliter peccent: cùm tamen dum carent prædicta notitia, gratia uti non poſſint ad illum peculiarem influxum. Quin & adultis id poterit accidere, ut ſi cogitantes de Deo auctore, & fine naturali pro viribus nitantur eum diligere, nec tamen alicujus objecti, vel rationis ſupernaturalis apud ſe recordentur. Sed hoc, ut diximus, non eveniet multoties: quia adulti cùm ad Dei amorem procedunt, communiter utuntur fide, & notitia, quam habent rerum ſupernaturalium.

155. Poſtremò per illa, quæ hactenus diximus, capeſſenda eſt via ad defenſionem doctrinæ D. Thomæ de incompoſſibilitate peccati venialis cum ſolo originali ſuppoſita exiſtentia præcepti diligendi Deum ſuper omnia pro univerſis ad uſum rationis pervenientibus, de quo egimus ex profeſſo *in Tract. de peccatis diſp. 20.* Haud tamen ſententiam, & judicium circa omnia concurrentia ibi determinare licuit, ſed aliquid in hunc locum remiſimus. Potiſſimum vero, quod ibi & nunc difficultatem offert, eſt ratio diſcurſus D. Thomæ, videlicet quòd cùm omnes ad uſum rationis pervenientes præcepto illo adſtringantur; neceſſe eſt, ut vel adimplendo ipſum gratiam recipiant, & à culpa originali mundentur; vel non adimplendo mortaliter delinquant, atque adeo quòd peccata venialia, quæ ſuperveniunt uni iſtorum, ſuccedant, & non cum ſolo peccato originali concurrant. Ad cujus diſcurſus bonitatem neceſſarium eſt, quòd ſicut ille, qui omittit adimplere prædictum præceptum, peccat mortaliter in ipſo primo inſtanti uſus rationis, in quo omittit; qui adimplet, in eodem etiam inſtanti gratiam, & juſtificationem conſequatur. Si namque inter adimpletionem, & juſtificationem non ſit immediata connexio, ſed vel minimum tempus decurrat; non erit cur in illa quantumvis brevi morula, non peccet venialiter, & hoc peccatum cum ſolo originali conjungat. *4. Corollarium.* *Modi explicandi doctrinam D. Tho. circa puerum pervenientem ad uſum rationis.*

Primus dicendi modus. Poteſt autem prædicta connexio diverſis modis explicari. Nam juxta illorum ſententiam, qui negant eam poſtulari omnino infallibiliter ex natura rei (quod vel cenſeant amorem Dei naturalem etiam efficacem non eſſe cum peccato originali incompoſſibilem, vel prædictum præceptum ſolùm obligare ad inefficacem:) recurrendum eſt ad Dei legem, qua certò, & infallibiliter, immo ſtatim confert gratiam facienti, quod eſt in ſe, ſicut facit, qui præceptum adimplet. Gratia autem ſic collata (juxta hanc ſententiam) nullum habet influxum in adimpletionem, neque per ſe, neque per modum removentis prohibens; ſed eſt omnino poſteriùs natura, & cauſalitate, quamvis ſimul tempore. Qui modus dicendi poteſt adhuc intelligi dupliciter: vel ita ut prædicta adimpletio fiat abſque ullo auxilio gratiæ per ſolas vires naturæ, & per opus omnino naturale,

Digitized by Google

naturale, quaſi hóc, ſive ut diſpoſitio, ſive ut meritum congrui, aliove titulo certam ſibi faciat gratiam juſtificationis. Et ſic intellectus debet omnino rejici: continet enim errorem plurium Semipelagianorum ponentium initium juſtificationis ex nobis eſſe, ut *diſp. præcedenti num.* 193. vidimus: aut ſaltem continet doctrinam illi affinem, quam *diſp. ſequent. à n.* 157. impugnabimus. Vel poteſt intelligi ita, ut illa adimpletio fiat ex auxilio prævenientis gratiæ, quod Deus antecedenter (ſaltem antecedentia naturæ) ad juſtificationem pro illo effectu inferat. Et juxta hunc ſenſum poſſet prædictus dicendi modus probabiliter defendi, ſalvatque ſufficienter aſſumptum hujus corollarij; licet judicio noſtro non ſit admittendus.

Abſurda quorundam opinatio.

Rationabilior dicendi modus.

156. Cæterùm juxta doctrinam, quam elegimus, conſtituentem repugnantiam, & incompoſſibilitatem ex natura rei inter peccatum originale, & adimpletionem præcepti, ex hac incompoſſibilitate, etiam ſine recurſu ad Dei legem, habet eſſe certa, & infallibilis prædicta connexio: quia niſi detur gratia juſtificans, & expellens peccatum, adeoque prior in genere removentis prohibens, adimpletio non erit. In quo adhuc poſſumus duplici via incedere. Primò enim juxta ſententiam, quæ negat naturæ potentiam etiam antecedentem ad amorem ſuper omnia, dici poteſt, Deum conferre omnibus ad uſum rationis pervenientibus auxilia ordinis ſupernaturalis, quibus poſſint potentia antecedenti amorem illum elicere, non modò ſecundùm ſe ſpectatum, ſed etiam ut oportet, & conducit ad juſtificationis gratiam conſequendam; iis verò, qui præceptum adimpleturi ſunt, tribui in eadem duratione ipſam juſtificantem gratiam, & cum ea potentiam conſequentem: non quod hæc conſtituatur per illam in recto, ſed conſtituitur per auxilia connotando expulſionem peccati per gratiam. Daturque inter hæc omnia mutua prioritas, & poſterioritas in diverſo genere: nam auxilia in genere cauſæ efficientis præcedunt adimpletionem, & hæc in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ præcedit gratiam; ſed præceditur ab ea in ratione removentis prohibens, & in genere cauſæ finalis, aut etiam formalis. Hic modus dicendi eſt valde probabilis, ſatiſque accommodatus ad tuendum ſupradictam D. Thomæ doctrinam. Sed neque eſt indiſpenſabiliter neceſſarius, ut ſtatim videbimus. Neque ab eo omnino arcetur noſtra ſententia, quæ concedit naturæ potentiam antecedentem ad amorem ſuper omnia. Nam dici poſſet prædicta auxilia non requiri ad eliciendum talem amorem ſecundùm ſe, pro quo ſufficerent vires naturæ, ſed ad eliciendum illum, ſicut oportet & ut diſponentem ad gratiam juxta dicta *in hoc dubio num.* 134.

Præfertur alter dicendi modus.

Secundò (ſalva utraque ſententia) dici poteſt prædicta auxilia non tribui iis, qui de facto præceptum adimplent; ſed gratiam, quæ in eodem inſtanti confertur, præſtare utrumque munus, nempe & formæ juſtificantis, atque peccatum expellentis, & auxilij elevantis, & adjuvantis naturam ad eliciendum prædictum actum. Sanè cùm eadem gratia collata prius per modum auxilij, & deinde per modum formæ poſſit ſufficienter munia illa exercere; ſuperflua videtur collatio illorum auxiliorum, præſertim cùm tota eorum virtus perfectiori modo contineatur in ipſa gratia. Sumimus autem gratiam unà cum charitate, & virtutibus infuſis, quibus potentiæ immediatè perficiuntur. Et hic modus dicendi videtur nobis rationabilior, & cæteris præferendus. Si tamen addamus auxilia, quæ tribuuntur iis, qui nondum adimplent præceptum, non dari tanquam ſimpliciter neceſſaria, ut homo poſſit elicere actum amoris naturalis ſecundùm ſe: nam ad hoc ſufficerent vires naturæ, ſed ut poſſit elicere illum, ſicut oportet ad aſſequendam gratiam: & ut verificetur, omnes ad uſum rationis pervenientes habuiſſe ſufficiens principium, ut poſſint non ſolùm præcepta adimplere, & non peccare, ſed etiam ad gratiam ſe diſponere, & eam impetrare, per ipſoſque duntaxat extitiſſe, quod illam non conſequerentur, de quo latiùs agemus infra *diſput.6.dub.*3. Et idem dicendum eſt de gratia, quæ tribuitur eis, qui præceptum adimplent, quatenus enim confertur per modum auxilij, non requiritur ad eliciendum prædictum amorem ſecundùm ſe, ſed ut fiat, ſicut oportet; licèt ut removens prohibens concurrat ad utrumque. Immò quibus hæc gratia tribuitur, non eſt neceſſe, ut eliciant talem amorem; ſed eliciunt alium omnino ſupernaturalem, per quem adimplent ſupernaturale præceptum charitatis, & in quo amor naturalis, & adimpletio naturalis præcepti eminentiùs continetur, ut diximus *in Tract. de peccatis, citata diſp.*10. *num.*39.

Explicatur iſ[...]

157. Addimus etiam modum iſtum dicendi ita intellectum independentem eſſe ab utraque opinione, & tenente, & negante dari omnibus ad uſum rationis pervenientibus ſupradicta auxilia, & juxta quamlibet difficultati occurrere. Si enim dentur omnibus, deſervient pro fine, quem nuper diximus. Si verò aliquibus negentur, adhuc verum eſt omnes habere potentiam antecedentem ad diligendum Deum ſuper omnia, ut eſt in præcepto naturali (cum ad hoc naturales vires ſufficiant) adeoque mortaliter peccare, quotquot in illo inſtanti non adimplent. Et ſive dentur omnibus, ſive non dentur, verum etiam eſt neminem de facto, ſive cum prædictis auxiliis, ſive naturæ ſuæ relictum adimpleturum tale præceptum, niſi in eodem inſtanti conferatur ei gratia, quæ expellendo peccatum originale adimpletioni locum aperiat.

Elucidatur n[...]

Addimus præterea juxta noſtram ſententiam, & viam iſtam, quam eligimus: nunquam verificari, quòd aliquis perveniens ad uſum rationis faciat totum, quod in ſe eſt, attentis ſuæ naturæ viribus, & quòd non conferatur ei juſtificationis gratia. Immò potiùs nullus, cui iſta non confertur, facit totum, quod eſt in ſe, & quod poteſt ex prædictis viribus. Hoc autem non ideo evenit, quia ipſa gratia ſive ex lege, ſive ex pacto Dei, vel alia ratione debeatur, aut promiſſa ſit operanti ex ſolis viribus naturæ: Sed quia cùm dilectio naturalis ſuper omnia, (quæ eſt operatio ejuſmodi viribus proportionata, & in eis contenta, quamque eliciet, quiſquis pro poſſe illis uſus fuerit) ſit omnino incompoſſibilis cum peccato originali, & hoc expelli nequeat niſi per gratiam; fit, ut quouſque iſta adveniat, & illud excludat, nullus faciat, nec facere poſſit potentia conſequenti totum, quod in ſe eſt, ſeu quod continetur in prædictis viribus, adeo neque illis utetur, quantum poteſt, impediente peccato hujuſmodi uſum. Unde ſuppoſita peccati exiſtentia, ad id ipſum, quod naturæ vires non ſuperat, & quod ipſa per ſe poteſt facere potentia antecedenti, opus eſt gratia, ut actu illud faciat, vel facere poſſit potentia conſequenti; non ut ipſa gratia ad illud agendum vires conferat; ſed ut removeat peccatum prohibens actionem, vel concurſum actualem Dei, ſine quo nunquam fiet.

Ad

Digitized by Google

Ad tuendam ergo ſupradictam D. Thomæ doctrinam, neceſſe non habemus, vel determinatè amplecti, vel rejicere alteram ex prædictis opinionibus, quas *diſp. citata dub.* 1. indifferenter ſequuti ſumus: quia hæc via (ut diximus) neutri alligatur, & utrique cohæret. Ac ſub qualibet certam, & infallibilem reddit pro eodem inſtanti, & ex natura rei connexionem adimpletionis præcepti cum infuſione gratiæ, & originalis peccati remiſſione. Et ita (quod caput eſt) viam omnino præcludit peccato veniali, antequam vel originale remittatur adimplente puero præceptum, vel non adimplente aliud mortale ſuccedat. Pleniorem hujus rei notitiam, & integrum difficultatis examen ſive quoad exiſtentiam præcepti diligendi Deum pro primo inſtanti uſus rationis, ſive quoad incompoſſibilitatem peccati venialis cum ſolo originali, rationes D. Thomæ pro vera ſententia, argumenta in oppoſitum, eorum ſolutiones, & alia, quæ utraque difficultas concernit, invenies *in Tract. citato, citata diſput.* 20. per totam.

§. V.

Duplex ſententia duplici noſtræ aſſertioni oppoſita.

Utrique noſtrarum aſſertionum opponitur aliqua opinio. Contra primam enim, qua homini lapſo tribuimus potentiam antecedentem ad diligendum Deum ſuper omnia, ſentiunt Curiel, Zumel, Gonet, Godoy, Suarez, & alij relati *dubio præcedenti num.* 120. quatenus adhuc in puris naturalibus, negant abſolutè talem potentiam: nam utrobique militat eadem ratio. Fundamenta hujus opinionis adduximus, & ſolvimus loco citato, neque hic occurrit objectio, aut difficultas, quæ ex dictis evacuata non ſit. Contra poſteriorem verò, qua negavimus potentiam conſequentem, ſenſiſſe videtur Lorca *diſp.* 5. & ſenſit Granados *tract.* 1. *diſp.* 3. *ſect.* 3. citanturque pro ea à Curiele, & Suario, Henriq. *quodlib.* 4. *quæſt.* 11. Scotus *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. Gabriel *in* 3. *diſt.* 27. *art.* 3. *dub.* 3. Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 4. & alij: poſſetque etiam contra nos referri idem Suarius, & qui cum illo tenent ſufficere ad prædictum actum auxilium naturalis, vel ſupernaturalis ordinis abſque gratia juſtificante, quam nos in ſecundo corollario omnino neceſſariam diximus. Sed neque pro hac opinione ſuperſunt argumenta, quæ referre, & diluere opus ſit: omnia enim, quibus fulciri poſſet, vel ſolùm probant potentiam antecedentem, atque adeo priorem noſtram aſſertionem: vel ſoluta manent ex dictis in ſecundo, & ultimo corollario.

Curiel. Zumel. Gonet. Godoy.

Lorca. Granados. Henriquez. Scotus. Gabriel. Caietanus.

DUBIUM V.

Utrum homo lapſus poſſit ſervare præcepta legis naturalis ſine concurſu gratiæ?

Quamvis titulus dubij ſolùm procedat de homine lapſo, ejus tamen reſolutio, & doctrina haud difficulter oſtendet, quid tenendum ſit de homine in puris naturalibus conſtituto. Oportet autem, antequam ad concluſiones accedamus, ſtatum quæſtionis, & difficultates, quibus occurrendum eſt, breviter declarare.

§. I.

Brevis elucidatio quæſiti.

158. Rejiciendus eſt hic in primis duplex hæreticorum error, & inter ſe, & veritati fidei contrarius. Alter fuit Pelagij, qui in quodam ſuæ hæreſis ſtatu neque ad non peccandum, neque ad ſervanda omnia legis præcepta tam ſecundùm ſubſtantiam, quàm ſecundùm modum, ſcilicet cum merito, & fructu, prout obſervari neceſſe eſt ad vitam æternam conſequendam, neceſſitatem gratiæ agnovit (niſi forte ut illuminantis, & oſtendentis præcepta obſervanda) ſed totum juſtificationis, & ſalutis noſtræ negotium viribus naturæ perficiendum exiſtimavit, ut conſtat ex dictis *diſputatione præcedenti cap.* 4. §. 2. & 4. Alter eſt error Calvini, Lutheri, & ſequacium: qui dicunt præcepta Dei eſſe nobis omnino impoſſibilia: quia adhuc gratiam ea adimplere non poſſumus, neque opus aliquod undequaque bonum elicere, ut vidimus *diſp. cit. cap.* 3. §. 2. & 3. Illis verò erroribus rejectis, & Catholica veritate præſuppoſita, nimirum & quod per gratiam omnia illa poſſumus, & quod ea ſeclula, nec juſtificationem, & ſalutem operari, nec divina præcepta cum merito, & fructu adimplere valemus; immò ſupernaturalia, quæ nonniſi ſupernaturalibus actibus adimplentur, neque quoad ſubſtantiam operum: inquirendum, & examinandum ſupereſt, an ad ſervanda præcepta legis naturalis ſecundùm ſubſtantiam, prout ſatis eſt ad non peccandum, neceſſaria ſit homini lapſo aliqua gratia, vel ſufficiant vires naturæ? Sub quo quæſito plura adhuc continentur, quæ ab aliquibus indiſtinctè, immò & confuſè traduntur: nobis verò, ut claritati conſulamus, operæpretium eſt diſtinguere, & ſpecificare.

Errores hæreticorum. Pelagius.

Calvinus. Lutherus.

159. Primò enim non dubitamus ſufficere vires naturæ ad ſervandum ſemel, aut iterùm unum, vel alterum præceptum: ſicut dubio primo hujus diſputationis ſufficere diximus ad exercenda aliqua honeſta opera: & ideo ſolùm quærimus de neceſſitate gratiæ pro obſervatione omnium, eorum ſaltem, quæ longo tempore occurrunt. Quæ quidem poſſunt accipi vel diviſim, conſiderando unumquodque ſecundùm ſe, & ſecundùm difficultatem, quæ in ejus obſervatione per ſe ſpectata, includitur; non habito reſpectu ad obſervationes aliorum, neque ad collectionem, quæ ex omnibus conſurgit. Vel copulatim, ſeu collectivè, attentis prædicta collatione, & reſpectu. Unde is dicendus eſt poſſe omnia diviſim, qui poteſt ſervare quodlibet, dum actu occurrit, ſeu cujus vires adæquant difficultatem repertam in qualibet adimpletione, ſecundùm quod in facto ſe offert diſcreta ab aliis. Ille verò collectivè, qui poteſt non deficere in aliquo, ſeu qui potens eſt ſingulorum obſervationes ſine alicujus violatione numerare, & in unum conjungere. Neque enim dubitari poteſt claudi majorem difficultatem in ſecundo obſervationis modo, quàm in primo. Ulteriùs de utroque inquiri poteſt, vel ad longum tempus, vel ad breve. Quia etiam eſt per ſe notum requiri minorem virtutem ad obſervationem unius, vel plurium præceptorum momentaneam, aut per breve tempus, quàm ad perſeverantem, & diuturnam.

Nota 1.

Et quamvis aliqui exiſtiment in obſervatione omnium collectiva non importari novam, &

Digitized by Google

Aliquorum imaginatio rejicitur. & gravem difficultatem ſuprà diviſam præter illam, quæ oritur ex temporis diuturnitate (in qua multa ſe offerunt, quæ non facile evincuntur, ipſaque dilatio, & perſeverantia in bene operando per ſe difficultatem auget) & ideo caſu quo, omnia præcepta intra breve ſpatium occurrerent, non poſtularetur major virtus pro tota collectione, quàm pro ſingulis: propterea verò exigitur, quia communiter non occurrunt
Curiel. niſi in longo tempore. Meliùs tamen Curiel in præſenti prædictas difficultates diſtinguendas eſſe cenſet: quia ipſa præceptorum multitudo, etiam ſi ſecludamus reſpectum ad durationem brevem, aut longam, auget per ſe, difficultatem reſpectu potentiæ variabilis, & defectibilis. Nam ſicut difficile eſt percurrere bene operando longam durationem ſine eo, quòd in aliqua ejus parte defectus contingat, ſive id fiat multis, ſive paucis operationibus: ita per ſe difficultatem affert pertranſire multa præcepta, non deficiendo in aliquo ſive in multo, ſive in parvo tempore occurrant. Et eſt ſatis accommodatum ad diſtinguendam utramque iſtam difficultatem exemplum talorum, quo utuntur aliqui in hac materia, & in ſimili uſus fuit Ari-
Ariſt. ſtot. *libro 2. de cælo, cap. 12.* Nam facilè evenit, ut aliquis talus, quicumque fuerit, ſemel, vel iterum jactus optatum reddat ſignum: quòd verò in uno, vel pluribus multoties, aut in multis ſemel projectis non contingat defectus, omnino eſt perdifficile: & alia eſt difficultas, quæ reperitur in uniformi jactuum repetitione; ab ea, quæ invenitur in multorum talorum per unicum jactum deſcenſu uniformi, & æquali. Illa enim oritur ex continuatione, vel repetitione projectionis ſecundùm diverſas partes temporis: hæc verò ex multiplicitate, & numero telorum, qui projiciuntur. Ita ergo præceptorum obſervatione alia eſt difficultas, quæ provenit ex continuatione, vel perſeverantia per longum tempus; ſive omnia, ſive non omnia in illo occurrant: alia verò, quæ oritur ex præceptorum numero, & multiplicitate; etiam ſi in minori tempore omnia occurrerent: & longè major difficultas conſurgit ex utroque ſimul capite, quàm ex quolibet ſeorſim ſumpto. Communiter tamen ſecunda difficultas non ſeparatur à prima: quia occurſus omnium præceptorum nonniſi in longo tempore contingit. Et ob id fortè alij Auctores non meminere prædictæ diſtinctionis.

Nota 2. 160. Nota etiam, quòd ut præſens difficultas ſit ſpecialis, & diſtincta ab illis, quas hactenus diſcuſſimus, vel debemus ſupponere præceptum diligendi Deum ſuper omnia poſſe adimpleri viribus naturæ, vel excludere illud à collectione, & diviſione præceptorum naturalium, de quibus in hoc dubio. Si enim circa præceptum iſtud oppoſitum teneamus, & ipſum in hac collectione, & diviſione numeremus; abſque novo examine deciſum manebit neque collectivè, neque diviſivè, adimplere poſſe ſine gratia omnia naturalia præcepta: cùm de uno eorum ſignato, & certo determinatè ſupponatur non poſſe ſine illa adimpleri. Ut itaque præſenti difficultati locus maneat, debemus miſſum facere prædictum dilectionis præceptum, etſi quod aliud neceſſariò illud includit: ac reliqua duntaxat ſub præſenti collectione, & diviſione comprehendere: vel ſic procedere ut in aſſertione, & probatione partis negativæ non fiat recurſus ad ſpecialem difficultatem, quæ oriri poteſt ex tali præcepto. Quin etiam abſtrahere debemus à difficultate, quæ ex occurſu gravis tentationis circa quodvis præceptum poteſt accreſcere; vel caſum iſtum excludere. Quia de hac difficultate, quæ oritur ex gravi tentatione, eſt ſpecialis quæſtio, an ſuperari poſſit viribus naturæ? & eam ſeorſim tractabimus *dub. 6.* Extra quam locum ſibi vendicat ea, quæ proponitur in hoc dubio, propter difficultatem, quæ ex ipſa præceptorum multitudine, & diuturna obſervatione conſurgit; etiam ſi toto eo tempore nulla accedat ſpecialis tentatio. Quocirca non boni con- *Inefficax quorumdam argumentum.* ſulimus, quod aliqui Theologi præſens dubium agentes, & aſſerentes non poſſe hominem lapſum per vires naturæ implere omnia præcepta naturalia collectivè, aut per longum tempus; in probatione aſſumunt, vel quòd in illis continetur præceptum dilectionis ſuper omnia, quod adimpleri nequit ſine gratia; vel quòd in longo tempore neceſſariò occurret aliqua gravis tentatio, quæ ſine illa etiam ſuperari non poterit. Reverà hujuſmodi difficultates connexæ non ſunt, & unaquæque poſtulat independenter ab alia examinari, ut nos præſtare curabimus. Alia etiam, quæ poſſet hic adjungi circa conditionem gratiæ ad prædictam obſervationem requiſitæ examinabimus ſeorſim dubio ſequenti, ut in utroque diſtinctiùs procedamus.

161. Denique tanquam certum ſupponimus Nota 3. hominem conſtitutum in natura integra poſſe abſque auxilio gratiæ ſervare omnia prædicta præcepta quantùm ad ſubſtantiam operum etiam collectivè, & per longum tempus: immò includendo in illis præceptum dilectionis ſuper omnia, & non excludendo caſum tentationis gravis: quamvis non poſſet ſervare illa, quantùm ad modum ſcilicet meritoriè & ex charitate: ſicut neque adimplere poſſet ſine gratia præcepta affirmativa ordinis ſupernaturalis. Totum hoc probat efficaciter in præſenti D. Thomas *art. 3.* D. Thom. *4. & 8.* & docent communiter Theologi, in quo proinde non immorabimur.

§. II.

Aſſertio prior auctoritatibus comprobatur.

162. Dicendum eſt primò, non poſſe homi- *Prima concluſio.* nem lapſum ſervare collectivè omnia præcepta naturalia, aut ea, quæ occurrunt longo tempore; ita ut contra nullum eorum graviter delinquat, niſi adjuvetur per gratiam. Hæc concluſio eſt adeo recepta, & communis inter Theologos, ut oppoſitum nequeat probabiliter defendi. Tradit illam D. Thom. in hac *quæſt. 109.* *Probatur ex D. Thom.* *art. 4.* & probat latius *art. 8. ſequenti*, ubi agit de neceſſitate gratiæ ad non peccandum, quæ eadem eſt atque ad ſervanda præcepta; cùm peccatum non accidat niſi per alicujus præcepti violationem. Retractavitque hic D. Thomas (ut vult Caietanus *ſuper cit. art. 8. §. Nunc ſupereſt*) vel ad meliorem formam reduxit, quæ juvenis dictaverat *in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 2. & 3.* ubi favet contrariæ ſententiæ. Quamvis quia loquitur expreſsè de gratia, quæ ſit donum habituale; poſſemus, quantùm ad neceſſitatem gratiæ in communi, prout comprehendit etiam actualem, vel ab utraque abſtrahit, ſine retractatione illum intelligere. Noſtram etiam aſſertionem docet *lib. 3. contra gent. cap. 160. & quæſt. 24. de veritate*

Digitized by Google

toto articulo 12. *& articulo* 14. *ad* 7. & alibi, ſequutus per omnia Divum Auguſtinum, cujus aliqua loca, & verba inferiùs adducemus.

Neque Angelicus Doctor exponi valet, quòd loquatur non de ſolis præceptis naturalibus excludendo ſupernaturalia, aut quòd ſaltem excludat præceptum naturale dilectionis ſuper omnia, ſicut nos excludimus. Nam prima expoſitio manifeſtè repugnat contextui; in quo pro illis præceptis exigitur gratia in natura lapſa, ad quæ non eſſet neceſſaria in natura integra: hæc autem non ſunt niſi præcepta naturalia: quia ſupernaturalia perſpicuum eſt non poſſe ſine illa adimpleri. Secunda facilè etiam rejicitur: nam cùm Divus Thomas *in articulo* 3. ſeorſum egerit de amore naturali ſuper omnia, & concluſerit non poſſe elici ab homine lapſo ſine gratia, non debuit *in articulo* 4. *ſequenti* de hoc eodem amore, & de ejus præcepto iterato inquirere, neque ſuam concluſionem impoſſibilitati talis amoris alligari: aliàs nihil novum quæreret, aut reſolveret. Eo præſertim, quia ſi neceſſitas gratiæ, quam adſtruit *articulo* 4. ſolùm eſſet ratione præcepti amoris ſuper omnia, meminiſſet proculdubiò hujus præcepti tanquam medij neceſſarij ad illam comprobandam: quod cum non fecerit, dicendum eſt etiam præcepto illo ſecluſo reperiſſe in aliis ſufficientem difficultatem pro qua gratia exigatur. Eandem doctrinam tradunt Magiſter *in* 2. *citata diſtinctione* 28. & ibidem Divus Bonaventura *articulo* 1. *quæſtione* 3. Gregorius *quæſtione* 1. *articulo* 3. Capreolus *quæſtione* 1. *articulo* 1. *concluſione* 3. Ricardus *articulo* 2. *quæſtione* 3. Henriquez *quodlibeto* 5. *quæſtione* 20. Abulenſis *ſuper Matthæum* 19. *quæſtione* 178. Soto *libro* 1. *de natura & gratia, capite* 22. Ferrara 3. *contra gent. capite* 160. Alvarez *de auxiliis, diſputatione* 54. Bellarminus *libro primo de gratia, & libero arbitrio, capite* 5. Expoſitores Divi Thomæ, *in hac quæſtione* 109. *articulo* 8. ubi Caietanus, *& articulo* 4. ubi Medina *concluſione tertia*, Curiel *dubio* 2. Zumel *diſputatione* 2. *concluſione* 3. Monteſinos *diſputatione* 27. *quæſtione* 7. §. 3. Lorca *diſputatione* 4. Valentia *diſputatione* 8. *quæſtione* 1. *puncto* 5. Granados *tractatu* 2. *diſputatione* 2. *ſectione* 1. Gregorius Martinez *dubio* 2. *concluſione* 2. Araujo *dubio* 2. *concluſione* 2. Joannes à ſancto Thoma *diſputatione* 19. *articulo* 5. Godoy *diſputatione* 44. *concluſione* 1. Gonetus *diſputatione* 1. *articulo* 5. §. 2. Labat *diſputatione* 1. *dubio* 3. §. 4. Vazquez *diſputatione* 196. *capite* 3. Suarez *libro primo de gratia capite* 26. Vega *quæſtione* 13. *de juſtitia, concluſione ſexta*, Molina *in concord. quæſtione* 14. *articulo* 13. *diſput*. 20. & alij.

Magiſter. D.Bonavent. Gregor. Capreol. Ricardus. Henriquez. Abulenſis. Soto. Ferrara. Albarez. Bellarm. Caietanus. Medina. Curiel. Zumel. Monteſin. Lorca. Valentia. Granados. Greg.Mart. Araujo. Joan.a S.Th. Godoy. Gonet. Labat. Vazquez. Suarez. Vega. Molina.

Principale fundamentum ex ſacra Scriptura.

164. Et quia neceſſitas gratiæ, ſicut & infirmitas naturæ non ſatis deprehenditur (ab iis præſertim, qui fidei lumine deſtituuntur,) per naturales rationes, quamvis his etiam utemur; principalis tamen probatio petenda eſt ex ſacra Scriptura, ſacris Conciliis, & ſanctorum Patrum teſtimoniis, præſertim Divi Auguſtini, qui pro Dei gratia poſt Paulum Apoſtolum plus omnibus laboravit. Probatur ergo Ezechielis 36. *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Ubi Deus promittit cor novum, & ſpiritum novum, qui eſt ſpiritus gratiæ, ut præcepta ejus obſerventur: quaſi ſine illa obſervari non poſſint. Deinde *ad Roman.* 3. ait Apoſtolus: *Cauſati ſumus* (hoc eſt rationibus oſtendimus) *Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe.* Quia neque lex vetus, qua Judæi, neque naturæ lumen, quo Græci ducebantur, ſufficiens erat ad cavendum peccatum per præceptorum obſervationem: cùm tamen notitia ejus ſufficeret ad illud incurrendum. Et ideò inferiùs ſubditur. *Per legem enim cognitio peccati*, & capite octavo. *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabamur per carnem, Deus filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum, ut juſtificatio legis impleretur in nobis.* Ubi apertè oſtenditur obſervationem legis, quæ eſt ejus juſtificatio, non potuiſſe adimpleri per vires naturæ, quibus lex nitebatur: & ideo miſiſſe Deum filium ſuum, ut per gratiam, qua lex adimpleretur, damnaretur, ſeu excluderetur peccatum. Idem ſignificavit *ad Galat.* 3. verbis illis: *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus*: quaſi impoſſibile eſſet aliter caveri omnia peccata, niſi per gratiam repromiſſam.

Ezechiel. 36. Ad Rom. 3. Cap. 8. Ad Galat. 3.

Ad hæc: obſervatio mandatorum traditur in Scriptura, ut certum ſignum juſtificantis gratiæ, & charitatis. Sicut ad Roman. 2. *Factores legis juſtificantur.* Joann. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Et ibidem. *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Et 1. Joann. capite ſecundo. *Qui ſervat verba ejus, in hoc charitas Dei perfecta eſt.* Si autem divina præcepta ſervari poſſent ſolis naturæ viribus, talis obſervatio non eſſet ſufficiens ſignum gratiæ, & charitatis.

Ad Rom. 2. Joan. 14. 1. Joan. 2.

Deinde probatur ex Concilis, & epiſtolis decretalibus Summorum Pontificum, in quibus reperimus tres Canones hanc rem confitentes. Primus: *Quicumque dixerit gratiam Dei, qua juſtificamur (per Chriſtum Dominum noſtrum) ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, qua jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur; anathema ſit.* Secundus: *Quiſquis dixerit eamdem gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præſtare, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus; anathema ſit.* Tertius: *Quicumque dixerit ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam; tanquam etiam ſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus ſine illa implere divina mandata, anathema ſit.*

Ex Concilio Milevit.

Habentur verò primò hi tres Canones in Concilio Milevitano II. ſub Innocentio Papa I. ſuntque in ordine tres, quatuor & quinque. Eorumque ordine, & tenore verborum additi ſunt poſtea in Concilio Carthaginenſi ſub Zoſimo. Rurſuſque in Concilio Africano ſub Bonifacio, & Cæleſtino, ibique in ordine 78 & 79. & 80. Et ipſe Cæleſtinus confirmat prædictos Canones *epiſtola* 1. *ad Epiſcopos Galliæ, capite ſeu numero* 10. qui incipit: *Illud etiam, quod intra Carthaginenſis Synodi decreta*

Cæleſtinus

Digitized by Google

ta conſtitutum eſt , quaſi proprium Apoſtolicæ Sedis amplectimur , ut quicumque dixerit gratiam Dei , &c. Refertque ad literam tres ſupradictos canones , ſicut in Conciliis citatis habentur. Idem decreverat anterior alia Synodus Carthaginenſis , cujus ſolum extat epiſtola ad prædictum Innocentium : in ea vero ſic dicitur : *Quicumque dogmatizat , & affirmat humanam ſibi ad vincenda peccata , & Dei mandata facienda ſufficere poſſe naturam , &c. anathema ſit.* Et eodem ferè modo loquitur ipſe Innocentius in epiſtola ad utramque Synodum Carthaginenſem , & Milevitanam , quæ inter epiſtolas Divi Auguſtini ſunt 91. & 93. Tempora verò , & occaſiones , quibus Concilia relata eos Canones ediderunt , & ubi , & quando Summi Pontifices eos approbaverint , jam ſupra adnotavimus *diſputatione* 1. *cap.* 4. §. 3. & *cap.* 5. §. 5.

Conc. Carth.

Ex S. Patribus. D. Auguſt. Ex ſanctis Patribus perpetuus fuit in hac doctrina ipſe Divus Auguſtinus , ut videre eſt *epiſtola* 89. *ad Hilarium* , cui ſic loquitur : *Illud verò , quod dicunt* (Pelagius & Cæleſtius) *ſufficere hominum liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda , etiam ſi Dei gratia , & Spiritus ſancti dono ad opera bona non adjuventur , omnino anathematizandum eſt , & omnibus execrationibus deteſtandum.* Et *libro de hæreſibus capite* 88. (cujus verba adducit Divus Thomas *in præſenti articulo quarto , in argumento ſed contra*) ait : *Hoc pertinere ad hæreſim Pelagianorum , ut credant ſine gratia hominem poſſe facere omnia divina mandata.* Idem habet libro de perfectione juſtitiæ (cujus verba adducit quoque Divus Thomas *in præſenti articulo octavo* ,) *libro de gratia Chriſti contra Pelagium , & Celeſtium* multoties, & contra duas epiſtolas Pelagianorum , & *libro de Spiritu , & litera* , atque alibi ſæpe. Divus Fulgentius *de fide ad Petrum* , *capite* 72. ibi : *Firmiſſimè tene , & nullatenus dubites divinis mandatis obedire neminem poſſe , niſi quem Deus gratia ſua prævenit.* Eodem modo loquuntur Nazianzenus , Chryſoſtomus , Iſidorus , Damaſcenus , Bernardus , & plures alij Patres , quos refert Alvarez *citata diſputatione quinquageſima quarta.*

Nazianz. Chryſoſt. Iſidorus. Damaſcen.

Objectio. 164. Dices , adducta teſtimonia non poſſe intelligi in ſenſu noſtræ concluſionis. Tum quia veritatem , de qua loquuntur , definiunt tanquam de fide ; & oppoſitum ut hæreſim condemnant : noſtra autem aſſertio (eſto ſit vera , aut etiam certa) non eſt immediatè de fide : ſicut neque oppoſita eſt omnino hæretica : ergo , &c. Tum etiam quia poſſunt exponi de impoſſibilitate naturæ , & neceſſitate gratiæ ad ſervanda omnia præcepta , tam naturalia , quàm ſupernaturalia ; vel ad ſervandum illa non modò quantùm ad ſubſtantiam , ſed etiam cum merito , & fructu , ut neceſſe eſt ad vitam æternam conſequendam. Utrovis autem modo intelligantur ; non ſuadent noſtram aſſertionem , ubi ſermo eſt de ſola obſervatione præceptorum naturalium quantùm ad ſubſtantiam.

Enervatur. Reſpondetur non deeſſe Auctores , qui propter prædicta teſtimonia cenſent aſſertionem noſtram eſſe de fide , & contrarium eſſe hæreſim in illis condemnatam. Nam ita ſentit Medina in præſenti referens Sotum *libro primo , de natura , & gratia , capite* 22. ubi ſic ait : *Non ſolùm damnatum eſt adversùs Pelagium , quod poſſimus meritoriè implere mandata ; ſed etiam quòd poſſimus omnia quantum ad ſubſtantiam* , & cætera. Nec bene Suarez ait , Sotum tenere oppoſitum *capite vigeſimo primo* : Nam in utroque capite loquitur conſequenter.

Medina. Sotus.

Sed meliùs Curiel , idem Suarez , & alij dicunt noſtram doctrinam non eſſe immediatè de fide : quia adducta teſtimonia non ſic apertè eam continent , ut ſaltem apparenter nequeant aliter explicari. Adeo tamen efficaciter ex illis deducitur , ut ſit certa quaſi concluſio Theologica : oppoſitum verò ſaltem ſit temerarium , & errori proximum. Neque expoſitiones illæ habent aliquam probabilitatem. Nam licèt Concilia , & Patres potiſſimùm loquantur in ordine ad vitam æternam ; apertiſſimè etiam agnoſcunt neceſſitatem gratiæ ad adimplenda ipſa naturalia præcepta ſecundùm ſe , & ſecundùm ſubſtantiam. Tum quia ad illam convincendam communiter recurrunt ad imbecillitatem naturæ lapſæ : quæ quia corrupta , & infirma eſt per peccatum , non poteſt per proprias vires illud , quod poſſet natura integra , & in prædictam debilitatem , & infirmitatem , etiam non facta mentione ordinis , aut præceptorum ſupernaturalium impotentiam illam multoties reducunt. Hæc autem ratio vim habet , etiam loquendo de ſola adimpletione præceptorum naturalium quantùm ad ſubſtantiam : quia natura integra hæc tantum præcepta poſſet propriis viribus adimplere : pro ſupernaturalibus verò , ſicut & pro obſervatione naturalium , quatenus ad ſupernaturalem finem conducerent , proculdubio indigeret gratia : ſine qua nihil , quod ſit naturalis ordinis, poteſt ſupernaturalem attingere. Tum etiam quia non modò requirunt gratiam ad obſervanda præcepta affirmativa : inter quæ aliqua ſupernaturalia continentur ; ſed etiam ad non violanda præcepta legis negativa , quæ ſunt præcepta naturalia. Immò cùm expreſsè requirant illam ad non peccandum , ad quod ſufficit non violari aliquod præceptum ; tuncque hoc fiat , quando adimplentur omnia ſecundùm ſubſtantiam ; plenè ſentiunt neceſſariam eſſe gratiam ad hujuſmodi obſervationem.

Curiel. Suarez.

165. Adde , quòd ſi homo abſque gratia poſſet longo tempore ſervare omnia naturalia præcepta ſecundùm ſubſtantiam , poſſet eodem tempore ſine peccato vivere : quia fieri poſſet, ut toto illo tempore non urgeret obligatio alicujus præcepti , vel modi agendi ſupernaturalis : hic autem fuit unus ex erroribus Pelagij , & quem ſancti Patres ſæpe illi objiciebant , videlicet quòd homo deſtitutus omni gratia poſſit multo tempore ſine peccato vivere : ut videre eſt in Conciliis citatis , & in Concilio Palæſtino , ubi Pelagij & Cæleſtij errores commemorantur. *Augetur vis noſtri motivi.*

Adde etiam , quod cùm Concilia , & Patres agentes de neceſſitate gratiæ , commemorant legem , & ejus obſervantiam , communiter eo nomine intelligunt præcepta Decalogi , quæ ſunt de jure naturæ : neque utplurimùm mentionem faciunt alicujus ad altiorem ordinem pertinentis : idque ut damnarent errorem prædicti hæretici etiam ex ea parte , qua aiebat poſſe nos legem implere per liberum

Digitized by Google

liberúm arbitrium ſine gratia. Negant ergo potentiam ad eam ita obſervandam ſolis viribus naturæ.

Adde tandem, quòd D. Auguſtinus (à cujus doctrina Concilia, & Pontifices præſertim hac in cauſa nunquam recedunt) omnino præcludit locum expoſitionibus ſupradictis, ut videre eſt *citata epiſtola* 89. Ubi omittens nedum præcepta ſupernaturalia, ſed etiam multa ex naturalibus, & reducens quæſtionem ad præceptum non concupiſcendi; negat omnino, quod poſſit adimpleri, ſeu non violari ſine gratia: *Qui autem* (inquit) *ſic audiunt, quod ait lex, Non concupiſces, ut hoc quia didicerint, ſufficere ſibi arbitrentur, nec per adjutorium gratiæ Dei ad faciendum, quod juſſum eſt, dari ſibi virtutem credant, & petant, ad hoc eis lex ſubintravit, ut abundaret delictum, quod dictum eſt de Iudæis. Parum enim eſt, quia non implent, quod præcipit lex, Non concupiſces; ſed inſuper ſuperbiunt, & ignorantes Dei juſtitiam (id eſt, quam Deus dat, qui juſtificat impium) & ſuam volentes conſtituere (tanquam ſuæ voluntatis viribus factam) juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, &c. Et inferiùs cùm dixiſſet prædicto præcepto non concupiſcendi imperari continentiam, probat hanc non poſſe à nobis ſine gratia obſervari ex illo Sapientiæ 8. *Et cùm ſcirem: quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat Sapientiæ ſcire, cujus eſſet hoc donum, adij Dominum, & deprecatus ſum illum. Nunquid dixit* (addit Auguſtinus) *Et cùm ſcirem, quia nemo poteſt eſſe continens; niſi per proprium liberum arbitrium, & hoc ipſum erat Sapientiæ ſcire, à me ipſum eſſe hoc donum? Non planè hoc dixit: quidem in ſua vanitate, ſed quod fuit in ſancta Scriptura veritate dicendum. Cùm ſcirem, inquit, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det: jubet ergo Deus continentiam: jubet per legem, dat per gratiam*, &c. Si itaque præceptum iſtud non concupiſcendi, & quæ in eo includuntur, quæ naturalia ſunt, & ad nihil ſupernaturale obligant, ex ſententia Auguſtini, immò & ſacræ Scripturæ non poteſt homo adimplere ſine gratia; quantò minus id poterit, ſi & cætera naturalia præcepta adjungantur?

D. Auguſt.

§. III.

Eadem aſſertio ratione communitur.

166. Quamvis ut *num.* 163. dicebamus, naturales rationes non omnino oſtendant veritatem de qua agimus, iis qui fidei lumine deſtituuntur; illo tamen præeunte, ſatis eam declarant, & confirmant. Et licèt plures ad intentum ſe offerant, ea duntaxat in præſenti utemur, quam adducit Divus Thomas *articulo* 2. & 4. hujus quæſtionis; & poteſt ſic formari. Hoc, quod eſt ſervare omnia præcepta naturalia collectivè, ſeu longo tempore in nullo deficiendo, eſt proprium opus naturæ humanæ, ut ſanæ, & integræ, ſaltem integritate naturalis ordinis: ergo natura lapſa, quæ per peccatum manet ægra, & infirma, nequibit propriis viribus hujuſmodi opus adimplere. Conſequentia videtur nota: ſiquidem notum eſt fieri non poſſe à virtute ægra, & infirma opus, pro quo exigitur integra & ſana; ſicut notum eſt non poſſe hominem infirmum totum, quod poteſt homo ſanus, minoreſque vires reperiri in illo, quàm in iſto. Antecedens autem conſtat: tum quia ſervare permanenter per longum tempus omnia, aut multa præcepta in nullo deficiendo, non oſtendit virtutem debilem, vel infirmam ex parte principij, immò oſtendit potentiam integram, & ſanam: uti eſt quæ in multis, & multo tempore nunquam deficit. Quemadmodum currere longum iter in nulla ejus parte deficiendo, oſtendit virtutem progreſſivam ſanam, & robuſtam. Tum etiam quia obſervatio omnium præceptorum eſt maximum, & præcipuum bonum naturæ rationalis ſatis per ſe arduum, & difficile: quòd autem aliqua natura propriis viribus conſtans permaneat in ſuo proprio, & maximo bono, per ſeque arduo, & difficili, ſignum evidens eſt ſanitatis, & integritatis. Infirmitas enim neque habet ſimilem conſtantiam, nec fieri poteſt, ut in bono maximo, & arduo aliquando, immò multoties juxta gradum infirmitatis, non deficiat.

Ratio præcipua ex D. Thom.

Confirmatur, & explicatur animadvertendo, quòd licèt aliqua cauſa ſecunda, verbi gratia, voluntas ſit ſufficienter in actu primo ad eliciendum actum ſuæ virtuti correſpondentem; ut tamen de facto illum eliciat, opus eſt actuali Dei concurſu, per quem talis cauſa ad agendum præmoveatur, & effectus plenè à Deo ſit. Quod quantum ad concurſum concomitantem (qui ad efficaciam præſentis rationis ſufficeret) communiter recipitur à Theologis: quoad prævium verò docent legitimi Divi Auguſtini, & Divi Thomæ diſcipuli, & plures alij, ut inſinuavimus *diſputatione prima, capite ſexto*, §. *primo*, & latiùs conſtabit ex dicendis *diſputatione ſeptima*. Diſpenſat autem Deus prædictum concurſum quandoque ex ſola naturali, & communi providentia; quandoque verò ex ſpeciali, & gratuita: cum hoc diſcrimine, quòd juxta communem providentiam attendit naturales vires cauſæ ſecundæ, quæ operatura eſt; ejuſque conditionem, inclinationem, & propenſionem ſive ad bonum, ſive ad malum: neque aliter concurſum præbet, niſi prout illa poſtulat, prædictæque vires, & inclinatio exigunt. Et conſequenter in ipſa actuali operatione, vel in modo operandi relucere debet conditio virtutis cauſæ, ejuſque perfectio, aut imperfectio: aliàs non daretur concurſus juxta exigentiam talis principij. Quoties verò perfectiorem influxum Deus præſtat, id utique facit ex ſpecialiori providentia pertinente ad ordinem gratiæ. Quocirca illos duntaxat actus dicenda eſt cauſa ſecunda, verbi gratia, liberum arbitrium poſſe per proprias vires, ſeu ſine recurſu ad gratiam, ad quos certum, aut præparatum habet actualem Dei concurſum ex providentia naturali, & communi: ſeu ad quos idem liberum arbitrium, attenta ejus natura, & conditione talem concurſum exigit. Ad illos verò, pro quibus ut Deus tribuat concurſum, neceſſe eſt recurrere ad providentiam gratuitam, & ſpecialem, abſolutè dicendum eſt non ineſſe vires prædictæ cauſæ ex ſua natura, & ſine recurſu ad gratiam.

Nota pro confirmatione rationis.

Secundò nota, quod etſi liberum hominis arbitrium non ſit extinctum per peccatum; ſed manſerit in eo aliqua vis, & inclinatio ad bonum honeſtum (ut dub. 1. dicebamus) habet tamen ſibi

ſibi admixtum ex continuatione ad partem ſenſitivam defectum illum dictum *concupiſcentia*, ſeu *fomes*, qui non minore vi, & propenſione prædicto bono repugnat, & ad contrarium malum inclinat, & ſollicitat. Quia igitur liberum arbitrium per modum potentiæ, & in actu primo conſideratum duas iſtas inclinationes includit, & ex utraque coaleſcit; conſequenter poſtulat taliter ſibi a Deo diſpenſari concurſum ad agendum, ut in modo operandi, aut in proceſſu operationis tota ejus conditio, & utraque inclinatio manifeſtetur; adeoque tam bonitas, & perfectio unius per actum bonum, quàm alterius malitia, & defectus per actum peccaminoſum oſtendatur. Sicut enim ratione inclinationis ad bonum honeſtum, petit dari ſibi aliquoties concurſum ad benè operandum, & quòd non ſemper, neque diu continuè peccet, ita ratione fomitis, & propenſionis ad malum poſtulat, ut multoties denegetur ei talis concurſus, & in peccatum exire permittatur.

Confirmatur ratio D.Thom. 167. Ex his confirmatur efficaciter aſſertio, & aperitur vis rationis factæ. Nam liberum arbitrium hominis lapſi eo duntaxat modo poteſt operari viribus naturæ, quo diſpenſari ſibi poſtulat concurſum cauſæ primæ ad agendum, ſeu quo ex naturali, & communi providentia diſpenſatur: atqui non poſtulat, ut ſemper, neque diu detur prædictus concurſus ad rectè agendum obſervando præcepta, aut quòd detur ad ſervanda omnia collectivè in nullo deficiendo: immò poſtulat, ut frequenter ei denegetur & in contrarium agere permittatur: ergo talis obſervatio impoſſibilis eſt per ſolas vires naturæ, & ſine recurſu ad gratiam. Major habetur ex primo notabili, quod eſt omnibus notum: & minor ex dictis in ſecundo, quæ nemo inficias ibit. Eò præſertim, quia in libero arbitrio non eſt minor, ſed major libertas, & propenſio ad peccandum, & deficiendum ratione concupiſcentiæ, quàm ſit virtus ad rectè operandum ratione inclinationis in bonum honeſtum: atque adeo non minus, ſed magis debita eſt ei ratione unius inclinationis derelictio, & permiſſio ad peccandum, quàm ratione concurſus ad rectè agendum. Sicut ergo propter hanc honeſtam inclinationem non fert naturalis Dei providentia, quòd ſemper, vel longo tempore negetur ei prædictus concurſus: ita ob illam pravam petit, non ut continuo longo tempore tribuatur; ſed ſæpeſæpius permittatur ei cadere: aut ſaltem alternis vicibus res hæc diſponatur, & modò tribuatur, modò verò negetur prædictus concurſus. Quando autem in particulari negandus, aut concedendus ſit, aut cui ſæpius, cui rarius debeat concedi, vel negari; non ſatis determinatur per prædictas inclinationes, ſed eidem divinæ providentiæ ſaltem magna ex parte determinandum relinquitur. Sicut ex naturæ inclinatione eſt, quòd non ſemper mas, aut ſemper fœmina; ſed modò hæc, modò ille generetur. Quis tamen determinatè in hoc ſexu, quiſve in illo gignendus ſit, divinæ providentiæ incumbit. Conducunt tamen non parum in caſu noſtri dubij individuales ſubjecti conditiones, ut habitus vitioſi, bona, vel mala educatio, honeſta, aut inhoneſta ſociorum, & amicorum converſatio, pluriumque vel pauciorum occaſionum occurſus, aliaque id genus, quibus attentis providentia naturalis ſuos concurſus diſpenſat, & accommodat.

Ariſt. Accedit ſupradictis communis experientia, quia ut Philoſophus ait lib. 2. Phyſic. *Unumquodque ſicut naturaliter agitur, ita aptum natum eſt agi.* Quantum autem experiri poſſumus, haud inveniemus aliquem ſine gratia, & in peccato exiſtentem, qui neque ad longum tempus iterum relabatur. Unde eſt illud Divi Gregorij homil. 11. in Ezechiel. *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere in aliud trahit.* Ergo dicendum eſt prædictum modum concurrendi ex parte Dei cum libero arbitrio poſtulari ex natura rei, & ex intrinſeca ipſius arbitrij defectibilitate: atque adeo non aliter operari poſſe ſine recurſu ad gratiam. *D. Gregor.*

168. Neque obeſt, ſi dicas: tum quod defectibilitas liberi arbitrij ſufficienter oſtenditur, vel in violatione præceptorum ſupernaturalium, vel in commiſſione multorum peccatorum venialium circa naturalia, quamvis hæc graviter non violentur. Natura enim, quæ non poſſet vitare omnia peccata venialia, quamvis poſſet mortalia, non eſſet natura integra: quia hæc utraque peccata vitare poteſt etiam longo tempore. Et per hanc replicam videtur etiam enervari ratio ante confirmationem facta, quæ innititur in eo, quòd ſervare omnia præcepta longo tempore eſt opus naturæ integræ, & ſanæ, proindeque negari debet lapſæ, & infirmæ. Dici enim poſſet opus naturæ ſanæ includere prædictam obſervationem unà cum vitatione peccatorum venialium: atque adeo ſolam obſervationem ſine hac vitatione non eſſe proprium opus naturæ integræ, ſed commune etiam lapſæ. Tum etiam objicies, quòd ex doctrina tradita ſolùm habetur, hominem gratia deſtitutum non adimpleturum de facto omnia divina præcepta; non tamen quòd ea adimplere non poſſit: quia actualis Dei concurſus non requiritur ad *poſſe*, ſed ad *agere*: & ideo illo adhuc negato, manet potentia, quamvis actus futurus non ſit. Et licèt non detur in libero arbitrio potentia ad componendum actum cum negatione concurſus, quæ eſt potentia in ſenſu compoſito, bene tamen ad ponendum illum ſecundum ſe, & in ſenſu diviſo, ſuppoſita adhuc tali negatione: poſſe autem aliquid in ſenſu diviſo eſt poſſe illud ſimpliciter. *Objectiones contra praeced. doctrinam.*

Tum denique objicies, quòd ſi propter defectibilitatem principij operativi exigeretur aliquoties negatio concurſus divini ad rectè operandum, ut hac via talis defectibilitas in ipſa actuali operatione defectuoſa oſtenderetur: nulla eſſet natura quantumvis perfecta, quæ id non exigeret quia nulla eſt, cui non ſit admixta aliqua defectibilitas, & imperfectio. Ex quo fieret, ut neque Angelus, neque Adamus, ut conditus fuit in juſtitia originali, aut ſi in ſola integritate naturæ conditus fuiſſet, poſſet ſervare collectivà omnia præcepta viribus naturæ: quia nullus poſſet non exigere aliquando prædictam divini concurſus negationem, ut ejus defectibilitas in aliqua operatione oſtenderetur. Hoc autem falſum, ut ex ſe liquet.

169. Non itaque hæc obſunt: nam ad primum negandum eſt antecedens: quia defectibilitas liberi arbitrij non debet primariò regulari per ordinem ad præcepta ſupernaturalia, his enim, & eorum poſſibilitate ſecluſis, adhuc maneret in illo ratione fomitis, & concupiſcentiæ eadem repugnantia, & propenſio contra bonum honeſtum naturale: ut- *Occurritur primæ objectioni.*

que iſta in operando manifeſtetur, poſtulat permiſſum delinquendi contra præcepta naturalia ad quæ tranſgredienda primario tendit. Præſertim quia ad ſervanda ſupernaturalia præcepta neque natura integra ſibi ſufficit, niſi adjuvetur per gratiam; atque adeo ex ſola hac impotentia non ſatis deprehenditur infirmitas naturæ lapſæ, cùm talis impotentia ſit communis etiam naturæ integræ. Oportet ergo, ut explicetur per impotentiam ad ſervanda præcepta naturalia. Immò petit explicari per neceſſitatem graviter delinquendi contra prædicta præcepta: quia in ſolis peccatis venialibus, quæ ſunt defectus modici, & leves, non ſatis manifeſtatur debilitas, & infirmitas liberi arbitrij, quæ eſt gravis, & ad mortem non ſolùm ratione peccati mortalis, in quo habitualiter permanet homo lapſus; ſed etiam ratione ſi prædictæ repugnantiæ ad bonum, & propenſionis ad malum: talis enim repugnantia, & propenſio intendit malitiam, & deordinationem gravem; & quamvis eſt ex ſe, ſeu in actu primo pertingit uſque ad diviſionem animæ, & Spiritus à Deo ultimo fine: in qua inordinatione, & diviſione peccatum mortale conſiſtit.

Neque verum eſt, quòd natura integra poſſet vitare omnia peccata venialia collectivè: niſi integritas eſſet perfectiſſima, qualis fuit in Adamo per juſtitiam originalem plene ſubjicientem appetitum ſenſitivum rationi. Cæterùm infra hanc integritatem perfectiſſimam poteſt dari alia minus perfecta, quæ licèt non ita ad plenum appetitum rationi ſubjiceret, ſufficeret tamen ad conſtituendam ſtatum naturæ integræ integritate naturalis ordinis, ut *diſputatione 1. num. 29.* diximus. Et hæc integritas non conferret potentiam ad vitanda omnia peccata venialia collectivè; bene tamen ad cavenda omnia mortalia. Sicut modò in ſtatu naturæ reparatæ licèt gratia communis det poſſe ad vitanda mortalia longo tempore; non tamen ad cavenda omnia venialia, niſi major gratia ſubveniat. Ex quo patet nequaquam enervari noſtram rationem ante confirmationem factam: quia deficere in ſolis peccatis venialibus cum potentia ad non deficiendum in mortaliter, verè eſt opus naturæ abſolutè, & ſimpliciter ſanæ & integræ: & licèt non integritate perfectiſſima, ſicut fuit integritas juſtitiæ originalis, & naturæ Angelicæ; ſufficienter tamen diſtinguente à natura infirma & lapſa. Sicut reparatio, quæ modò fit per gratiam juſtificantem, diſtinguit ſufficienter hominem juſtum à lapſo; quamvis non reſtituat integritatem, & ſanitatem omnino perfectam.

Secunda Objectio diluitur.

170. Ad ſecundum reſpondetur convincere de potentia ad adimplendum unumquodque præceptum ſecundùm ſe, ſeu ad adimplenda omnia diviſivè: de hac enim potentia verum eſt, quod actualis Dei concurſus non requiritur ad poſſe, ſed ad agere. Sic autem loquendo non negamus potentiam adimplendi omnia præcepta abſolutè, & in ſenſu diviſo: licèt negemus potentiam adimplendi in ſenſu compoſito negationis concurſus petitæ à communi providentia ob defectibilitatem liberi arbitrij: quod eſt negate futuritionem adimpletionis. Cæterùm cum ad ly *omnia præcepta*, addimus adverbium *collectivè*, loquimur de alia potentia, vel impotentia: nimirum de potentia, vel impotentia conjungendi in unum adimpletiones omnium præceptorum, ita ut in nullo defectus contingat; atque adeo de potentia, vel impotentia ad excludendam prædictam contingentiam. Et quia ad hujuſmodi adimpletionum collectionem contingentiam excludentem, nedum ut componendam cum negatione divini concurſus; verùm neque ut ſecundùm ſe ſpectatam, eſt potentia libero arbitrio per proprias vires: idcircò abſolutè, & ſine reſtrictione, aut diſtinctione penes ſenſum compoſitum, vel diviſum negamus, quòd poſſit adimplere omnia collectivè. Porro non eſſe ad hoc potentiam in libero arbitrio evincunt ſufficienter, quæ hactenus dicta ſunt.

Explicatur amplius data reſponſio.

Tum quia principium, cui ineſt potentia ad aliquem effectum, non exigit negationem concurſus ad talem effectum: cùm ergo liberum arbitrium ob ſuam defectibilitatem poſtulet negari ſibi concurſum ad adimplenda omnia præcepta collectivè: vel (quod idem eſt) poſtulet permiſſum ad deficiendum in aliquo indeterminatè, & vagè; plenè infertur non habere potentiam ad ponendam totam collectionem, ſeu ad non deficiendum in tali collectione. Quemadmodum quia pro nullo præcepto indeterminato conſiderato ſecundùm ſe poſtulat negationem prædicti concurſus, legitime deducitur pro nullo ſic accepto deeſſe prædictam potentiam. Tum etiam quia potentia ad adimplenda omnia præcepta collectivè addit ſupra potentiam ad adimplenda illa diviſim, ſeu ad adimplendum unumquodque ſecundùm ſe: & ratione hujus ſuperadditi vires naturales, quæ conſtituunt liberum arbitrium potens ad unum, non conſtituunt potens ad alterum. Etenim ut dicatur poſſe omnia præcepta collectivè, non ſufficit ineſſe illi vires proportionatas cum unoquoque ſecundùm ſe (quod tamen ſatis eſt, ut dicatur poſſe omnia diviſim) ſed requiritur virtus ſufficiens ad omnino evincendam, & comprimendam defectibilitatem ipſius liberi arbitrij, taliter ut in tota præceptorum collectione in defectum non prorumpat, aut ipſam collectionem interrumpat. Si enim defectibilitas vel ſemel in ſuum defectum prodeat, eo ipſo interrumpet, & deſtruet collectionem. Ubi autem defectibilitas principij operativi eſt æqualis, vel major, quàm ejus perfectio, ſicut eſt in libero arbitrio hominis lapſi; non datur virtus ſufficiens ad talem defectibilitatem prædicto modo evincendam, & comprimendam: quia æquale non omnino vincit æquale, aut illud ſibi ſubjicit: niſi eidem libero arbitrio ſuperaddatur gratia, per quam perfectio in tantum augeatur, ut defectibilitas omnino ſuperetur, & comprimatur, cohibeaturque ejus propenſio ad deficiendum, ita ut non jam poſtulet permiſſum delinquendi.

Elucidatur ulterius.

In fine hujus ſolutionis pro illo, quod in objectione additur, videlicet *impotentiam in ſenſu compoſito ſolum eſſe impotentiam ſecundùm quid*, addimus & nos prædictam impotentiam poſſe comparari, vel ad extrema, quæ componi nequeunt, vel ad ipſam compoſitionem: & quamvis primo modo ſolùm ſit impotentia ſecundum quid, non tollens potentiam ſimpliciter; quia quòd unum extremum nequeat conjungi alteri, non tollit, quominùs ſecundùm ſe, & abſolutè maneat poſſibile: ſecundo tamen modo eſt impotentia ſimpliciter: quia compoſitio extremorum inter ſe repugnantium, per ſe, & ab intrinſeco repugnat, adeoque abſolutè, & ſimpliciter impoſſibilis eſt. Et hac ratione illi, qui eſt in gratia non negamus potentiam ad peccandum mortaliter, niſi ſecundùm quid, & in ſenſu compoſito; ad ipſam tamen compoſitionem peccati cum gratia ſimpliciter negamus talem potentiam: & ſimpliciter

ſimpliciter dicimus non poſſe extrema illa conjungere. Ad rem ergo, licet impotentia, quam dicimus eſſe libero arbitrio ad adimplenda omnia præcepta collectivè, ſolum ſit ſecundùm quid reſpectu extremorum, quæ ſunt ſingula præcepta ſecundùm ſe accepta; reſpectu tamen compoſitionis adimpletionum omnium, nedum cum negatione divini concurſus ad aliquas, ſed etiam earum inter ſe eſt impotentia ſimpliciter: quia ad talem compoſitionem abſolutè, & ſimpliciter eſt impotens liberum arbitrium per proprias vires. Et ad hoc denotandum negamus non ſolùm futuritionem adimpletionum; ſed etiam potentiam ad adimplendum collectivè: nam ly *collectivè* determinat impotentiam ad ſolam prædictam compoſitionem.

Satisfit tertiæ objectioni. 171. Ad tertiam objectionem reſpondetur ſequelam in ea univerſalitate, qua objiciens deducit, non inferri ex noſtra doctrina. Quamvis inferatur in illis naturis, & potentiis, quæ veluti ex æquo habent perfectionem, & defectibilitatem, ſeu vim rectè agendi, & vim deficiendi; neutraque ab altera præoccupatur, & ſupprimitur: & ideò non magis determinantur ad operationem rectam, quàm ad defectuoſam: ut contingit in libero arbitrio gratia deſtituto, & in aliis cauſis omnino indifferentibus, & contingentibus. Quare in his propter rationem à nobis traditam nequit vel in continuatione, vel in repetitione operationis defectus incidere. Aliter autem philoſophandum eſt, quando principium operativum ratione ſuæ magnæ perfectionis vel eſt omnino determinatum ad operationem rectam, & ei indiſpenſabiliter connexum; vel ejus defectibilitas à virtute rectè agendi ferè in totum, aut ſaltem magna ex parte ſupprimitur: ut in natura integra contingit. Nam quod attinet ad Angelum, eſt omnino indefectibilis in ordine ad præcepta naturalia conſiderata ſecundum ſe: ut oſtendimus *in Tract. de Ang. diſp. 9. dub. 3.* & ideo non petit denegari unquam ſibi concurſum ad illorum adimpletionem; immo petit nunquam denegari. Quoad præcepta verò ſupernaturalia, in ordine ad quæ omnis natura creata eſt defectibilis, omnibus ex gratia, quòd non denegetur talis concurſus: immo nulli tribuitur, niſi per gratiam. Unde quoad Angelos non habet locum prædicta objectio. De Adamo verò, ut prædito juſtitia originali, alia ratio eſt: quia ipſa juſtitia etiam quatenus intra naturæ ordinem illum perficiebat, habebat rationem gratiæ: cùm eſſet ſupra exigentiam ſuæ naturæ: & hæc gratia ita præoccupabat, & comprimebat propriam defectibilitatem (ſaltem quantum ad præcepta naturalia) ut talis defectibilitas non exigeret explicari in actuali operatione, neque ambiret negationem divini concurſus requiſiti ad bene operandum. Unde etiam quoad illum ſtatum ceſſat prædicta objectio. Et idem ferè dicendum eſt, ſi homo creatus fuiſſet cum ſola integritate naturalis ordinis: ea enim integritas (quæ reſpectu naturæ humanæ ſecundùm ſe haberet etiam rationem gratiæ) comprimeret propriam defectibilitatem, ſaltem quantum ſatis eſſet, ut in nullo determinato ſuppoſito, poſtularet negationem concurſus requiſiti ad ſervanda longo tempore naturalia præcepta, quæ obligant ſub mortali.

Nota. Diximus *ſaltem quantum ſatis eſſet*, &c. quia cùm ea integritas eſſet minor Angelica, & etiam juſtitia originali; non ita ſicut illæ naturalem defectibilitatem ſupprimeret, & præoccuparet; ſed aliquid ejus expeditum relinqueret. Hoc autem ſufficienter explicaretur per exigentiam permiſſionis peccatorum venialium in omnibus uſui rationis ſuperviventibus: ſimul & per exigentiam permiſſionis mortalium in aliquibus vagè, & indeterminatis. Sunt enim quamplura, quæ à natura poſtulantur non pro omnibus ſuppoſitis, neque determinatè pro his, vel illis, ſed vagè, & indeterminatè pro aliquibus. Idque aliquando petitur, ut in pluribus; aliquando verò ut in paucioribus juxta ipſius naturæ diverſas conditiones, aut ſtatus. In eo verò de quo loquimur, ſcilicet hominis lapſi, nulla eſt ratio, cur ejus defectibilitas non petat explicari in omnibus ſuppoſitis peccati capacibus: ſicut explicatur in omnibus viis ad rectè agendum: quæ non eſt major, immò fortè eſt minor, quam ipſa defectibilitas. Poſſemus aſſertionem confirmare aliis rationibus, quibus D. Thomas utitur *art. 8. hujus quæſt. & lib. 3. contra gent. cap. 160.* nec non de veritate *quæſt. 24. art. 12.* Eas tamen conſultò omittimus, & dubio ſequenti reſervamus, ubi ſermo erit de neceſſitate gratiæ juſtificantis ad effectum ſervandi omnia præcepta: de qua gratia procedunt ſpecialiter prædictæ rationes.

§. IV.

Aſſertiò alia pro dubii abſolutione.

172. Dicendum eſt ſecundò poſſe hominem lapſum ſine auxilio gratiæ adimplere quodvis præceptum naturale ſecundùm ſe acceptum: quod eſt poſſe adimplere omnia diviſivè. *Secunda concluſio.* In hac concluſione non comprehendimus præceptum diligendi Deum ſuper omnia, aut ſi quod aliud hujuſmodi dilectionem includit: nam de hoc quid tenendum ſit, oſtenſum eſt dubio præcedenti. Neque etiam comprehendimus caſum gravis tentationis, de quo agendum eſt dub. 8. Extra hæc verò nullum agnoſcimus præceptum naturale, quòd homo lapſus non poſſit propriis viribus adimplere, quandocumque occurrat, urgeatque ejus obligatio ſine limitatione, aut reſtrictione ad certum tempus, vel ad determinatum numerum præceptorum. Diximus *urgeatque ejus obligatio*: quia multoties ob defectum facultatis ad adimplendum aliquod præceptum ceſſat, vel ſuſpenditur pro tunc obligatio talis præcepti, ejuſque adimpletio ſine peccato omittitur: ſicut in illo, qui non habet, per quod ſolvat creditori, aut ſubveniat parentibus, ceſſat obligatio id munus exequendi: quia nemo tenetur ad id, quod eſt ſibi impoſſibile. Et ideo neque talis omiſſio habet eſſe voluntaria, aut peccaminoſa: quia ceſſante obligatione, non eſt locus peccato. Intelligitur ergo concluſio, dum præcepti obligatio urget, & taliter, ut ejus omiſſio peccatum ſit. Et ſic intellecta eſt valde communis apud Theologos: & illam tuentur Capreolus, Cajet. Sotus, Ferrara, Medina, Curiel, Monteſ. Zumel, Suarez, Lorca, Valentia, Granados, & alii, quos pro prima concluſione adduximus. Et quamvis aliqui non videantur loqui juxta univerſalitatem noſtræ aſſertionis, ſed cum majore reſtrictione adducentes in exemplum aliquod, vel aliqua ex facilioribus præceptis, excludenteſque difficiliora: re vera tamen non diſcedunt à prædicta aſſertione: quia illa, quæ excludunt, reducuntur vel ad caſum tentationis gravis, vel ad præceptum dilectionis ſuper omnia, quæ nec nos in aſſertione comprehendimus.

Capreol. Cajet. Sotus. Ferrara. Medina. Curiel. Montesinos. Zumel. Suarez. Lorca. Valentia. Granados.

Ratio ex D. Thom. 173. Probatur ergo ex Divo Thoma, qui multo

Digitized by Google

multoties ait poſſe hominem gratia deſtitutum, & in peccato exiſtentem vitare ſingula peccata etiam mortalia, dum actu occurrunt, licèt non poſſit collective vitare omnia: conſtat verò omnino idem eſſe, poſſe vitare ſingula peccata, ac poſſe adimplere ſingula præcepta: ſicut idem eſt peccatum, atque omiſſio, vel tranſgreſſio præcepti. Tradit autem Angelicus Doctor prædictam doctrinam *in præſenti art.* 8. in corpore ubi ait: *Antequam hominis ratio, in qua eſt peccatum mortale, reparetur per gratiam juſtificantem, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundum aliquod tempus*, &c. Et in ſolutione ad primum. *Dicendum quòd homo poteſt vitare ſingulos actus peccati, non tamen omnes, niſi per gratiam, ut dictum eſt.* Idem repetit *quæſt.* 24. *de verit. art.* 1. *ad* 10. *& art.* 12. in corpore, & ad argumenta præſertim ſecundi ordinis ubi ad 7. ſic ait: *Dicendum, quòd aliquis exiſtens in peccato mortali poteſt vitare omnia peccata mortalia auxilio gratiæ, poteſt etiam ex naturali virtute ſingula vitare, quamvis non omnia.* Idem dicit ad 8. & lib. 3. contra gent. cap. 160. ibi: *Licèt ille, qui eſt in peccato, non habeat hoc in propria poteſtate, quod omnino vitet peccatum; habet tamen poteſtatem nunc vitare hoc, vel illud peccatum, ut dictum eſt: unde quodcumque committit, voluntariè committit*, &c.

Objectio. Neque obeſt, quòd Sanctus Doctor videtur determinare ſuam doctrinam ad aliquod certum tempus, ut conſtat ex primo teſtimonio, & ad vitationem hujus, vel illius peccati, ut habetur in ultimo: adeoque non videtur loqui de omnibus etiam diviſim, neque pro quovis tempore.

Solvitur. Reſpondetur enim verba illa prioris teſtimonij, *& ſecundum aliquod tempus*, non limitare præcedentia, *Poteſt ſingula peccata vitare* (in quibus continetur noſtra concluſio) ſed claudere *D. Thom.* novam, & diſtinctam propoſitionem: videlicet quod ſicut ſemper poteſt vitare ſingula, quamvis non omnia, ita pro aliquo determinato, & modico tempore poteſt vitare omnia, & non tantùm ſingula: quia poteſt in illo nullum committere. Quem ſenſum haud obſcurè oſtendunt verba, quæ ſequuntur. *Quia* (inquit) *non eſt neceſſe, quod continuo peccet in actu; ſed quòd diu maneat abſque peccato mortali, eſſe non poteſt.* Illa autem verba poſterioris teſtimonij: *Habet tamen poteſtatem nunc vitare hoc, vel illud peccatum*, non excludunt potentiam vitandi quodcumque; ſed potiùs continent exemplum hujus potentiæ, quæ eſt ad vitandum pro quovis *nunc* peccatum ibi occurrens: & quia quod occurrit pro quolibet determinato *nunc*, eſt determinatè hoc, vel illud, uſus eſt D. Thomas modo iſto exemplificandi. Quo etiam pacto exponi debet, ſi quando alibi prædicto modo; vel alio ſimili loquatur. Adde aliquando Angelicum Doctorem limitare ſupradictam doctrinam ad aliqua præcepta, & ad aliquod tempus, ut excludat tum præceptum dilectionis Dei ſuper omnia, & ſi quod aliud talem dilectionem includit: tum etiam caſum gravis tentationis, qui frequenter evenit. Credimus verò nullibi majorem exemptionem facere voluiſſe.

Aliud pro vera ſententia motivum. 174. Deinde probatur ratione primò: quia obſervatio cujuſlibet præcepti naturalis ſecundùm ſe, & diviſim accepta (non loquimur de præcepto dilectionis) neque ſuperat naturales vires liberi arbitrij, neque eſt incompoſſibilis cum actu hominis lapſi: ergo non eſt ei neganda potentia ad talem obſervationem. Conſequentia liquet: quia prædicta obſervatio ex nullo alio capite poteſt reddi impoſſibilis, niſi ex aliquo duorum, quæ in antecedenti referuntur. Antecedens autem quoad ſecundam partem videtur ſatis notum: nam ſecluſo præcepto dilectionis, & ſi quod aliud illud includit, nullius alterius adimpletio habet eſſe incompoſſibile cum peccato mortali habituali, & cum averſione à Deo, quæ conſtituunt ſtatum hominis lapſi, ut patebit diſcurrenti per ſingula. Quoad primam verò probatur ex ſupradictis: quia inter præcepta naturalia nullum ita excellit, vel adeo perfectas vires poſtulat, ſicut præceptum dilectionis ſuper omnia: quemadmodum nullus actus inter omnino naturales habet eſſe ita perfectum, ſicut prædicta dilectio: cùm ergo adhuc hujuſmodi præceptum non excedat vires naturales liberi arbitrij, ſed ſit eis proportionatum, ut in utroque dubio præcedenti oſtenſum eſt; planè ſit neque hujus, neque alterius obſervationem eſſe impoſſibilem per vires naturæ, quantum eſt ex iſto capite.

175. Dices, vires liberi arbitrij minorari, & debiliores fieri per continuam, aut multiplicem præceptorum adimpletionem: quia quælibet virtus per continuum exercitium, debilitatur, & conſumitur: eo quòd omne agens in agendo repatitur: juxta commune Philoſophorum axioma: quare licèt prædictæ vires ſufficiant pro quolibet præcepto aliquoties adimplendo, tandem poterunt ipſo exercitio ita debilitari, ut in eo ultra progredi non valeat. *Effugium.*

Sed contra: nam etſi loquendo de viribus corporalibus, & materialibus, quibus voluntas uti neceſſe habeat pro aliquorum præceptorum adimpletione, concedamus debilitari, & diminui per continuum exercitium; nequaquam id admittendum eſt de ipſa virtute immateriali voluntatis, penes quam eſt tota vis conſentiendi, aut diſſentiendi objectis, quæ ſibi proponuntur, atque adeo principalis facultas adimpletiva præceptorum, quorum obligatio indiſpenſabiliter urget: virtus enim ſpiritualis, & immaterialis non conſumitur, neque diminuitur per exercitium ſui; ſed potius roboratur, & confirmatur, redditurque promptior, & facilior ratione habituum, qui exercitio ipſo acquiruntur. Porro quòd liberum arbitrium poſſit, vel non poſſit adimplere præceptum in caſu hujus dubij, ſolùm eſt attendendum penes hanc poſteriorem virtutem: nam loquimur ex ſuppoſitione, quòd obligatio præcepti adimplendi permaneat, & urgeat; ad illa autem præcepta, quæ voluntas implere non valet, niſi per vires corporis, non aliter urget obligatio, quàm juxta quantitatem, & ſufficientiam harum virium: & ideo illis deficientibus, vel ita diminutis, ut in actum prodire non valeant (ſive hic defectus ex continuato exercitio, ſive ex ſubjecti ægritudine, vel aliunde ortum ducat) ſuſpenditur obligatio præcepti, quod per illas adimplendum erat: ac proinde ceſſat caſus hujus quæſtionis. Debemus ergo circa eam ita diſcurrere, ut vel corporales vires in ſua integritate permaneant, quantum ſatis eſt ad præceptum per eas adimplendum: vel reducatur quæſtio ad illa præcepta, quæ adimplentur, vel violantur ſolo conſenſu, vel diſſenſu voluntatis: cujus virtus neque minuitur, neque impeditur, niſi tollatur, vel impediatur judicium rationis, ac proinde libertas: quo caſu ceſſat etiam præſens quæſtio: quia ablata libertate, non habet locum obligatio præcepti. *Præcluditur.*

Ad hæc: admittamus viris liberi arbitrij ſive ſpiri- *Aperitur via*

Digitized by Google

hujus impugnationis.

ſpirituales, ſive ſenſitivas diminui, & debilitari per ſuum exercitium; adhuc noſtra ratio manet in ſuo robore,& evaſio adducta facile præcluditur in hunc modum. Aut prædictæ vires per obſervationem primorum præceptorum in tantum diminuuntur, ut non jam ſufficiant ad aliud, & aliud, quæ ſuperſunt adimplenda; vel non ita diminuuntur, ſed conſervant ſufficientem vim ad eorum adimpletionem? Si hoc ſecundum habemus intentum, verum quippe eſt poſſe liberum arbitrium adimpleto quolibet præcepto, aliud,& aliud, ac proinde omnia diviſim adimplere: licèt fortè difficilius poſteriora,quam priora. Si autem primùm dixeris; tollitur caſus hujus dubij: nam eo ipſo ceſſabit obligatio præcepti denuo occurrentis, pro quo non ſufficiunt prædictæ vires: obligatio enim cujuſlibet præcepti prærequirit vires ſufficientes ad illud adimplendum: hiſque deficientibus tollitur, vel ſuſpenditur obligatio. Quocirca in caſu noſtro, ubi obligatio permanet, non eſt dicendum vires ita diminui, ut ad prædictum munus non ſufficiant. Exemplis doctrina hæc fiet clarior. Supponamus præceptum, quod occurrit, eſſe præceptum laborandi ad propriam, vel filiorum ſuſtentationem, aut faciendi iter ad ſubveniendum, vel obediendum parentibus, ad quæ vires corporales omnino requiruntur. Si vires iſtæ vel per infirmitatem, vel per laſſitudinem deficiant; eo ipſo ceſſat obligatio talium præceptorum. At ſi præceptum ſit non concupiſcendi verbi gratia, ad cujus adimpletionem ſufficit diſſenſus voluntatis; parùm vel nihil refert, quòd vires ſenſibiles ſint defatigatæ, aut diminutæ: quia virtus voluntatis, à qua eliciendus eſt talis diſſenſus, ſemper manet integra, dum manet libertas. Non ergo admittendus eſt caſus, in quo præceptum urgeat, & ob defectum, vel laſſitudinem virium adimpleri non valeat.

Urgentius pro eadem affertur argumentum.

176. Tertiò probatur concluſio alia ratione, per quam præcedens magis confirmatur. Nam homo lapſus etiam ſi deſtitutus ſit omni gratia, tenetur toto vitæ curſu adimplere præcepta naturalia ſingillatim, & diviſim, ut ſibi occurrunt, & quodcumque non adimpleat, peccat in ejus omiſſione, vel tranſgreſſione: ergo adhuc ſecluſa omni gratia, poteſt prædicto modo illa adimplere. Antecedens ſupponitur ab omnibus Theologis: omnes enim in agitatione hujus dubij ſermonem faciunt de præceptis, quorum obligatio urget, quorum omiſſio vel tranſgreſſio ad culpam imputatur. Unde juxta communem illorum aſſenſum in eandem quæſtionem redit, an homo ſine gratia poſſit adimplere ſingula præcepta? & an poſſit vitare ſingula peccata? quia neque peccatum committitur niſi violatione alicujus præcepti; neque ullum præceptum naturale ſine peccato violatur. Conſequentia verò ſuadetur: quia obligatio adimplendi aliquod præceptum, ſupponit vires neceſſarias ad talem adimpletionem; cùm nemo teneatur ad id, quod eſt ſibi impoſſibile: vel ergo dicendum erit hominem gratia deſtitutum non teneri obſervare ſingula naturalia præcepta; quod nullus admittet: vel habere ſufficientes vires ad uniuſcujuſque adimpletionem.

Evaſio.

177. Dices ſatis eſſe, quòd homo poſſit adimplere præcepta viribus gratiæ, ut ad id teneatur; quamvis non poſſit viribus naturæ. Nam ut ait Divus Thomas 2. 2. quæſt. 2. articulo 5. ad 1. *Ad multa tenetur homo, quæ non poteſt facere ſine gratia: ſicut ad diligendum Deum, & ad credendum articulos fidei.* Et in præſenti artic. 4. ad 2. *Dicendum* (inquit) *quòd illud, quod poſſumus cum auxilio divino, non eſt nobis omnino impoſſibile ſecundùm illud Philoſoph. in 3. ethic. Quæ per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus*, &c.

D. Thom.

Confutatur.

Sed hoc non enervat noſtram rationem: nam cùm omnes homines, ubi ad uſum rationis perveniunt, & deinceps, urgeantur naturalibus præceptis, prout in diſcurſu vitæ occurrunt; plures autem, dum ea ſic occurrunt, neque gratiam accipiunt, neque eſſe poſſibilem, minus verò paratam, aut ſibi repromiſſam agnoſcant; fit in pluribus hominibus non poſſe haberi recurſum ad gratiæ auxilia pro potentia ad adimplendum prædicta præcepta. Nam ut *dub. 3. numero* 110. dicebamus, ut homo dicatur poſſe aliquid per auxilia gratiæ, quæ Deus promiſit, & præparata habet, neceſſe eſt, quòd ea promiſſio, & præparatio ipſi homini innoteſcat, & ab eo credatur, ut ex hac fide, & notitia excitari poſſit ad talia auxilia poſtulanda, & conſequenda. Cui enim nulla eorum notitia confertur, non habet in ſua poteſtate uti ſimilibus auxiliis, ſicut neque ea petere, aut conſequi: ac proinde illa præparatio, & promiſſio reſpectu talis habet ſe, quaſi non eſſet: & ideo non eſt quo pacto virtute talium auxiliorum, homo dicatur poſſe adhuc per amicum, id, quod non diceretur poſſe, ſi promiſſa, aut præparata non fuiſſent. Porrò eſſe quam plures, qui neque gratiæ promiſſionem, neque præparationem agnoverunt, conſtat in innumeris barbaris, & gentilibus, qui nihil de fide audierunt, per quam duntaxat illa promiſſio, & præparatio innoteſcit. Et licèt concedamus conferri omnibus ad uſum rationis pervenientibus ſufficientia auxilia, quibus ſi bene utantur, & ad Deum convertantur, conſequentur juſtificationis gratiam: ea tamen auxilia præſertim in illis, qui non convertuntur cito tranſeunt, & pro tempore ſequenti, in quo ſuccedit occurſus multorum præceptorum, habent ſe, quaſi non fuiſſent. Neque eſt certum fundamentum, ut dicamus iterum eis à Deo conferri toties quoties præcepta naturalia occurrunt. Ergo, vel omnibus prædictis neganda eſt potentia, & conſequenter obligatio ad prædicta præcepta adimplenda: vel concedenda eſt talis potentia per vires naturæ ſine recurſu ad gratiam.

Poteſtque impugnatio confirmari ex eo, quod contingeret, ſi homo conderetur in puris naturalibus, permaneretque ibi nullo ſibi præſtito ſpeciali auxilio, ſed cum ſolo generali concurſu. In illo enim ſtatu eadem eſſent naturalia præcepta, quæ modò exiſtunt: ſicut idem eſſet lumen naturalis rationis, à quo dictantur: darenturque proinde cum ſolo prædicto generali concurſu vires ſufficientes ad illa diviſim adimplenda: cùm ergo homini lapſo non ſint minores vires, quam in puris naturalibus conſtituto quantum ad proſequendum bonum morale, & præcepta adimplenda (ſaltem excepto præcepto dilectionis ſuper omnia de quo ſuprà; & caſu gravis tentationis, de quo infrà) dicendum eſt ſufficere prædictas vires, etiam gratia ſecluſa ad talem adimpletionem.

Neque obeſt illud, quod adducitur ex D.Thoma. Nam cùm Angelicus Doctor recurrit ad potentiam, quæ eſt per gratiam, non loquitur in ordine ad adimplenda præcepta naturalia ſolùm diviſivè: ſed in ordine ad adimplenda quovis modo ſupernaturalia, aut naturalia collectivè. Et loquitur de his hominibus, quibus de facto auxilia gratiæ offeruntur, ſaltem quantum ſatis eſt, ut

poſſint

poſſint petere, & impetrare, quæ neceſſaria ſunt ad talem obſervationem. Quod autem D. Thomas nihil aliud intendat; ex eo liquet: quia ſi ſola promiſſio, & præparatio gratiæ etiam non cognita induceret hominibus obligationem ad illud, quod ſine gratia non poſſunt adimplere; omnes quantumvis fidei lumine deſtituti tenerentur ad actus fidei, ſpei, & charitatis, pro quibus ſicut pro aliis eſt à Deo gratia præparata, & repromiſſa: atque adeo omnes peccarent in illorum actuum omiſſione; & nulli remanerent infideles negativè; neque in aliquo daretur ignorantia invincibilis myſteriorum ſupernaturalium: cujus oppoſitum oſtendit Divus Thomas, 2. 2. *quæſt.* 10. *articulo* 1. & docent communiter Theologi.

D. Thom.

Aliud effugium.

178. Dices fortè impotentiam hominis lapſi eſſe impotentiam conſequentem, & voluntariam in cauſa: eo quòd initio uſus rationis accipiunt omnes ſufficientia auxilia, quibus ſi bene utantur, & faciant, quod in ſe eſt, conſequenter quidquid ulteriùs requiritur, ut poſſint deinceps præcepta adimplere. Propterea verò multi id non conſequuntur: quia prædictis auxiliis voluntariè non utuntur: & ex hac voluntaria omiſſione redduntur etiam illis voluntariæ, tum impotentia, quæ deinceps ſuccedit, quæque propterea dicitur *impotentia conſequens*, tum etiam tranſgreſſiones, & omiſſiones præceptorum, quæ ex hujuſmodi impotentia per totum vitæ ſpatium conſequuntur. Sicut ille, qui navim ingrediens non vellet ferre ſecum Breviarium, aut illud in mare projiceret, imputarentur ut voluntariæ omiſſiones recitationis divini officij, quæ toto navigationis tempore ſuccederent.

Præcluditur.

Verùm neque iſta evaſio, aut ejus doctrina (quæ aliàs, & ex parte veritatem continet (ullius momenti eſt ad præſens. Tum quia ex ea non minus, quàm ex præcedenti ſequitur neminem illorum, qui ad uſum rationis perveniunt, etiam ſi nihil de fide audierint, excuſari à præceptis ſupernaturalibus credendi, ſperandi, & diligendi, aut habere ignorantiam invincibilem (ſeu non voluntariam) myſteriorum ſupernaturalium: quandoquidem nullus eſt, qui ſi initio uſus rationis feciſſet, quod in ſe erat per auxilia tunc ſibi collata, non ſtatim conſequeretur gratiam juſtificationis, & virtutes, quibus poſſet præcepta illa adimplere. Quæ tamen ſequela etſi aliquibus ex antiquis Theologis fuerit probata, modò communiter rejicitur, improbaturque à Divo Thoma articulo citato, de quo rurſus dicemus infra *diſp.* 6. *num.* 7. & jam aliquid diximus *in tractatu de pecc. diſput.* 13. *à num.* 12. Tum etiam quia ut *ibidem numero* 16. diximus, non quidquid ſequitur ex actu, vel omiſſione voluntaria; eo ipſo voluntarium eſt; ſed id duntaxat, quod aliquo modo fuit præviſum unà cum obligatione illud cavendi. Quo ſenſu accipi debet, quod dicitur de projiciente Breviarium in mare, ut ſequentes omiſſiones tanquam voluntariæ in cauſa illi imputentur. Porrò qui perveniunt ad uſum rationis cum iis tantùm auxiliis, quæ omnibus communiter conferuntur, neque prævident, neque prævidere poſſunt futuras præceptorum tranſgreſſiones, vel omiſſiones, quorum periculo exponuntur. Non eſt ergo, cur tales omiſſiones, vel tranſgreſſiones, aut impotentia ad præcepta adimplenda cenſeantur illi voluntariæ ob rationem in iſta evaſione contentam. Vide ſi placet, quæ diximus *in Tractatu illo de peccatis diſput.* 10. *num.* 152. *&* 141. ubi adduximus conditiones requiſitas, ut aliquis affectus cenſeatur præviſus, & voluntarius in cauſa. Alia adjiciemus *infra diſp. & num. citatis.*

§. V.

Nonnulla contra primam aſſertionem referuntur, & enervantur.

Sententia primæ aſſertioni contraria.
Scotus.
Durandus.
Gabriel.

179. QUamvis prior noſtra aſſertio ſit adeo certa, ut vidimus *num.* 161. nihilominus contraria ſententia tribuitur Soto *in* 2. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. Durando *eadem diſt. quæſt.* 3. *&* 4. & Gabrieli, *quæſt.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. Et licèt non ita apertè loquantur, quin aliqua ratione exponi valeant, vel de præceptis naturalibus abſolutè, non extendendo doctrinam ad collectionem; vel quod ſolùm negent neceſſitatem gratiæ, quæ ſit donum habituale, & permanens, quidquid ſit de aliis auxiliis: plura tamen admiſcent in diſcurſu quæſtionis, quibus neutra explicatio omnino cohæret: & ideo non immeritò pro prædicta ſententia referuntur. Pro qua arguitur primò aliquibus Scripturæ teſtimoniis, in quibus ſignificari videtur totam obſervationem naturalium præceptorum non ſuperexcedere naturales hominis vires. Hujuſmodi eſt illud Deut. cap. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum*, &c. Ubi nomine mandati intellexit Moyſes totam legem, ad cujus obſervationem populum hortabatur: atque prædictam obſervationem non eſſe ſupra populum, neque procul ab eo: quia non erat ſupra illorum vires proprias. In idem confert illud Eccleſ. cap. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui: adjecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te.* Ubi apertè ſignificatur poſitum eſſe in voluntate, & facultate uniuſcujuſque obſervare in integrum divina præcepta. Ad idem quoque facit locus Rom. cap. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*, &c. Per ea enim, quæ legis ſunt, intelligit præcepta legis naturalis, quæ Judæi ſcripta habebant, gentiles verò ipſo tantum naturali lumine agnoſcebant. Ly verò *naturaliter* idem denotat, ac per proprias, & naturales vires. Et loquitur Apoſtolus de omnibus præceptis: tum quia ſine limitatione ait. *Ea, quæ legis ſunt faciunt.* Tum etiam quia ita intellexit Chryſoſt. ad illum locum homil. vel ſerm. 5. ubi ait: *Propterea ſi quidem dicit, admiratione digna ſunt gentes, quòd lege non ſunt uſæ; & tamen omnia legis præſtiterunt.* Ergo, &c.

Primum argumentum ab auctoritate.
Deuter. 30.
Eccleſ. 15.
Ad Rom. 2.
D. Chryſoſt.

Solvitur argumentum, & teſtimonia ſcripturæ explicantur.

Reſpondetur hæc, & ſimilia teſtimonia ſcripturæ intelligenda eſſe vel de obſervatione præceptorum ſingillatim, & diviſim, ſicut ipſa de facto occurrunt: vel de obſervatione per vires naturæ non nudè ſumptas, ſed ut elevatas, & adjutas viribus gratiæ: vel non erit ſermo de homine in natura lapſa, ſed in natura integra, prout à Deo fuit conditus.

Quovis autem modo intelligantur, non officiunt noſtræ aſſertioni. Poſteriorem intelligentiam petit locus Eccleſ. ut conſtat ex illis ejus verbis, *Deus ab initio conſtituit hominem*, &c. ubi apertè eſt ſermo de homine, prout à Deo primò fuit conditus in juſtitia originali. Et quamvis eſſet ſermo de homine lapſo, ſufficienter exponeretur vel de potentia ad obſervanda præcepta diviſim, ſicut occurrunt: vel ad obſervanda illa cum adjutorio

Digitized by Google

torio gratiæ juxta primam, vel ſecundam intelligentiam. Utramque etiam admittit locus Deuteronomij; quia ex una parte nullum eſt verbum, quo ſatis denotetur loqui Moyſem de potentia ad ſervanda omnia præcepta collectivè: ex alia vero loquebatur populo Judæorum, quibus vel collata erat gratia, vel ejus promiſſio, & præparatio erat ſatis manifeſta, ut poſſent à Deo poſtulare, & conſequi majora auxilia. Teſtimonio ex epiſtola ad Romanos, non ita congruit prima intelligentia: nàm ſermo eſt de obſervatione actuali præceptorum: in qua non habet locum diſtinctio penes *collectivè*, & *diviſivè*. Præſertim juxta gloſſam Chryſoſtomi extendentis prædictam obſervationem ad omnia præcepta legis. Et ideo intelligendum eſt juxta ſecundam: ut cum Divo Auguſtino intellexit Divus Thomas, *in præſenti art.* 4. *ad* 1. Et latiùs ſuper citatum locum Pauli *lect.* 3. ubi ſic ait: *Commendat in eis* (ſcilicet gentibus) *legis obſervantiam, cùm dicit: naturaliter faciunt, quæ legis ſunt, id eſt, quæ lex mandat, ſcilicet quantum ad præcepta moralia, quæ ſunt de dictamine rationis naturalis: ſicut & de Iob dicitur, quod erat juſtus, ac timens Deum, & recedens à malo. Sed quod dicit, naturaliter, dubitationem habet: videtur enim patrocinari Pelagianis, qui dicebant, quòd homo per ſua naturalia poterat omnia præcepta legis ſervare. Unde exponendum eſt naturaliter, id eſt, per naturam gratiâ reformatam. Loquitur enim de gentibus ad fidem converſis, qui auxilio gratiæ Chriſti cæperant moralia legis ſervare. Vel poteſt dici, naturaliter, id eſt, per legem naturalem oſtendentem eis, quid ſit agendum ſecundùm illud Pſalm.* 4. *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona, ſignatum, &c. Quod eſt lumen rationis naturalis, in qua eſt imago Dei: & tamen non excluditur, quin neceſſaria ſit gratia ad movendum affectum*, &c.

D. Auguſt. D. Thom.

Secundum argumentum.

180. Secundò arguitur: quia homo in natura integra viribus ipſius naturæ poterat ſervare omnia præcepta naturalia etiam collectivè: ergo etiam poterit in natura lapſa. Patet conſequentia: quia in utroque ſtatu eadem eſt hominis voluntas, & cum eadem naturali perfectione, amiſſa tantùm ſupernaturali.

Dices nullam eſſe conſequentiam: quia in primo ſtatu natura erat ſana, & robuſta: ac proinde opus perfectum, qualis eſt obſervatio prædicta, erat illi proportionatum: modò verò eſt ægra, & infirma, & per conſequens impotens ad prædictum opus: certum quippè eſt non eſſe æquales vires hominis infirmi, ac ſani.

Obvia reſponſio impugnatur.

Sed contra eſt, quòd voluntas penes quam eſt præcipua vis adimpletiva præcepti, non amiſit aliquid ſuæ naturalis perfectionis; ſicut non amiſit aliquid intenſionis, vel entitatis: ſed tota infirmitas per peccatum incurſa conſiſtit in deordinatione appetitus ſenſitivi, & repugnantia ejus ad rationem: hæc autem deordinatio, & repugnantia quamvis reddat difficiliorem conſenſum, aut diſſenſum voluntatis, quo adimplenda ſunt præcepta; non tamen reddit illum impoſſibilem: ſicut non tollit libertatem, qua manente integrum eſt voluntati conſentire, aut diſſentire cuilibet objecto, quod ſibi proponatur: ergo licèt ob prædictam repugnantiam, & infirmitatem non poſſit voluntas promptè, & faciliter, quod poterat in natura integra; non eſt tamen cur abſolutè, vel ſaltem cum difficultate id non poſſit. Eò præſertim, quia dum voluntas manet libera, non eſt tanta repugnantia ſenſitivi appetitus, quin abſolutè poſſit ab ea contranitente ſuperari, & devinci; licèt in hac pugna vim & difficultatem patiatur: ergo non impedit, aut tollit à voluntate potentiam ad illud, quod poſſet; ſi talis repugnantia non eſſet, licèt difficiliùs exequendum. Patet conſequentia: nam impedimenta, quæ poſſunt ab aliqua cauſa ſuperari, non tollunt abſolutè ejus potentiam; ſicut non tollunt, quo minus illis ſuperatis ſuum effectum conſequatur.

Et confirmatur: nam ſi voluntas per peccatum manſit impotens ad adimplendum collectivè omnia præcepta, vel hæc impotentia eſt phyſica, & cui ab intrinſeco repugnat prodire in effectum: vel eſt ſolùm impotentia moralis, cui non eſt talis repugnantia? Non primum: quia potentia phyſica voluntatis non eſt aliud, quàm ejus phyſica entitas, una cum indifferentia judicij intellectus, cujus per peccatum nihil deperiit. Si autem dicatur ſecundum: non erit univerſaliter vera prima concluſio: quia impotentia ſolùm moralis non reddit effectum abſolutè impoſſibilem, ſed ita difficilem, ut vel raró, vel nunquam in exequutione ponatur.

181. Reſpondetur ad argumentum, negando (ut negata eſt) conſequentiam ob rationem ibi tactam, quam expendimus ſuperiùs *à numero* 166. Impugnatio verò, & quidquid in ea continetur, ſuadet manere in voluntate quantumvis ægra, & infirma potentiam ad unumquodque præceptum ſingillatim obſervandum (ſaltem cum difficultate, & extra caſum gravis tentationis) & ad evincendam ſeorſim quamlibet appetitus impugnationem, quæ poſſet impedire ejus conſenſum; vel diſſenſum: quia ut hæc poſſit voluntas, ſatis eſt, quòd maneat libera, & indifferens ad utrumlibet. Nequaquam tamen convincit remanere potentiam ad conjungendas adhuc cum difficultate obſervationes omnium præceptorum, ſeu eorum, quæ occurrunt longo tempore, in nullo deficiendo: quia hæc potentia nòn cohæret cum illa deordinatione, & repugnantia appetitus ſenſitivi, ex qua eſt infirmitas naturæ lapſæ. Rationem tradidimus *à numero* 167. quia eo ipſo, quòd principium operativum hominis lapſi coaleſcat partim ex perfectione propter illam, quam dicit voluntas ſecundùm ſe; & partim ex defectu propter prædictam appetitus repugnantiam: ſuopte jure petit, ut cauſa prima, & communis ejus providentia non diu uniformiter cum illo concurrat; ſed alternantibus viribus attenta utriuſque partis conditione: ac proinde præmovendo quandoque ad operationem rectam, ſicut ex parte perfectionis exigitur, & quandoque permittendo peccaminoſam, ſicut poſtulatur ex parte defectus: aliter verò concurret non juxta, ſed ſupra exigentiam talis principij: quod ſpectat jam ad providentiam gratiæ. Et quia hæc ratio non innititur alicui ſubſtractioni, vel diminutioni entitatis, aut perfectionis voluntatis; ſed admixtioni defectus, & repugnantiæ ſenſitivi appetitus, à qua voluntas per proprias vires eſt inſeparabilis, non enervatur ex vi propoſiti argumenti, aut impugnationis in eo factæ.

Rata reſponſio defenditur.

Ad confirmationem reſpondetur prædictam impotentiam eſſe phyſicam, & ex natura rei: quia quòd voluntas hominis lapſi per proprias vires ſuperet difficultatem, quæ ex longa, & continua præceptorum obſervatione conſurgit, ab intrinſeco ei repugnat: ſicut quòd abjiciat à ſe admixtionem repugnantiæ, & defectus appetitus ſenſitivi: aut quòd exiſtente in homine hujuſmodi defectu,

Digitized by Google

defectu, non poſtulet concurſum, ſeu permiſſionem cauſæ primæ ad interpolatè deficiendum. Quare potentia phyſica ad non deficiendum in tota collectione, non utcumque dicit entitatem, & libertatem voluntatis, ſed unà cum connotatione abſentiæ illius defectus, à quo petitur prædicta permiſſio.

Tertium argumentum. 182. Arguitur tertiò: nam Deus ut legiſlator, & auctor naturæ non præcipit homini, quod ei per naturales vires eſt impoſſibile: ſed ut auctor naturæ præcipit obſervare omnia præcepta legis naturalis, & in nullo deficere: quod eſt ſervare collectivè: ergo hæc obſervatio poſſibilis eſt per prædictas vires. Major videtur nota ex communi principio, quod Deus impoſſibilia non jubet: & quia ut auctor naturæ agit cum homine ſine recurſu ad gratiam, ac ſi ſolus eſſet naturæ ordo. Minor verò ſuadetur: tum quia ita paſſim jubemur in ſacra ſcriptura: ut videre eſt Deut. 5. *Cuſtodite igitur, & facite, quæ præcipit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Et cap. 6. *Præcepit nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc.* Et cap. 8. *Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter, ut facias.* Et Jacob. cap. 1. num. 4. *Ut ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes.* Et alibi ſæpè. Tum etiam quia homo habet præceptum nunquam peccandi juxta illud primæ Joann. cap. 2. *Hæc ſcribo vobis, ut non peccetis.* Idem eſt autem præceptum nunquam peccandi, ac præceptum ſervandi totam legem. Tum denique nam ſi quis haberet hunc actum, *Nolo ſervare totam legem*, aut *volo in aliquo præcepto deficere*, ſine alicujus determinatione, talis actus utpote peccaminoſus eſſet contra aliquod præceptum: non autem niſi contra præceptum ſervandi totam legem, aut non peccandi; ergo datur hujuſmodi præceptum.

(Margin: Deut. 5. — Jacob 1. — 1. Ioan. 2.)

Reſponſio. Reſpondetur conceſſa majori, negando minorem ad hunc ſenſum, quòd non datur aliquod unum præceptum à reliquis diſtinctum generale, & commune, quo Deus præcipiat obſervantiam omnium illorum, aut totius legis. Nam Deus imponendo præcepta hominibus, non procedit indefinitè, aut in communi; ſed determinatè, & in particulari præcipit, vel prohibet hoc, & illud, quæ ejus lex æterna præcipienda aut prohibenda dictat: neque aliter actus humani habent eſſe materia præcepti, niſi ita in particulari ſumpti, ſicut in re occurrunt: & ideo tot debent eſſe præcepta affirmativa, aut negativa (præſertim loquendo de præceptis naturalibus) quot ſunt ſpecie actus exequendi vel fugiendi. Iis autem ita in particulari exiſtentibus, ſi perfluit novum, & diſtinctum præceptum præcipiens in communi eoſdem actus, quos reliqua præcepta ſingillatim complectuntur. Præſertim cùm nullus remaneat actus, qui ſit materia talis præcepti, niſi iidemmet, quibus cætera adimplentur. Adde non eſſe aſſignandum præceptum, cui directè, & immediatè non opponatur aliquod peccatum; præcepto autem non peccandi ut ſic, vel ſervandi in communi totam legem nullum opponitur peccatum mediatè, & directè: quia nullum eſt peccatum, aut tranſgreſſio legis in communi, & ut ſic: ergo nec procedens ſolum in communi.

Ad primam probationem dicendum eſt verba illa, & ſimilia, quamplura, quæ in ſcriptura reperiuntur, continere admonitiones obſervantiæ ipſorum præceptorum, quæ in particulari, & juxta uniuſcujuſque materiæ exigentiam lata ſunt; non verò aliquod aliud præceptum ſuperadditum, & diſtinctum.

Ad ſecundum negatur etiam dari præceptum nunquam peccandi, præter ipſa particularia, & ſpecialia, quibus ſingula peccata prohibentur: quibus cuſtoditis nunquam peccabitur. Et hoc eſt, quod Joannes admonet, potius quàm præcipiat, verbis illis: *ut non peccetis.*

Dices hoc, quod eſt nunquam peccare, aut ſervare totam legem, non eſt ſolùm conſilium: ergo habet rationem præcepti. *Inſtantia diſpellitur.*

Reſpondetur neque eſſe propriè, & immediatè præceptum, neque conſilium; ſed magis finem, ad quem pervenitur per obſervantiam ſingulorum præceptorum. Quòd ſi largè, & mediatè velis id præceptum dicere, quia conſequitur ex prædicta obſervatione; ſenſus erit, quem modò explicuimus.

Ad tertiam probationem dicas præceptum, cui immediatè opponitur ille actus, non eſſe præceptum ſervandi totam legem, aut non peccandi in communi, ſicut ipſe actus non eſt peccatum in communi, neque violatio totius legis. Sed eſt præceptum ſingulare, & determinatum ſicut cætera. Ejus autem determinatio, ſicut & ſpecies illius peccati, ſumenda eſt ex motivo, quo ducitur voluntas ad talem actum eliciendum, ut explicuimus *in Tract. de peccat. diſp. 13. num. 73.* Ex quibus omnibus patet, quod licèt homo non poſſit ſervare propriis viribus omnia præcepta collectivè, non ideò præcipitur ei aliquid, quod non poſſit: quia ſolùm præcipitur, ut obſervet ſingula, ſeu omnia diviſim, & ſingillatim, ſicut occurrunt: ad quod inſunt ei vires ſufficientes.

183. Neque obeſt ſi urgeas, tum quòd non videtur ita conſonum divinæ bonitati ita durè agere cum hominibus, & tot onera illis imponere, ut in aliquibus ſaltem vagè ſumptis, neceſſe ſit cadere; ſive ea unico præcepto, ſive multis injungat: at ſi non poſſunt ſervare omnia præcepta collectivè, neceſſe eſt, ut ſaltem vagè deficiant in aliquibus: debet ergo prædicta potentia illis concedi. Tum etiam quod D. Thomas oppoſuit ſibi hoc idem argumentum *in præſenti art. 4.* ubi eſt ſecundum in ordine, & *art. 8.* ubi eſt primum: & ne cogeretur concedere, quòd Deus præcipiat homini aliquid impoſſibile, recurrit in ſolutione ad potentiam, quæ eſt per vires gratiæ, & ad axioma illud *quod per amicos poſſumus*, &c. intellexit ergo vel adeſſe præceptum ſervandi omnia præcepta collectivè, ad quod non ſufficiunt vires naturæ: vel quòd adhuc diviſim accepta non poſſint hujuſmodi viribus obſervari. *Replica.*

Hæc, inquam, non obſtant. Ad primum enim reſpondetur conſonum valde eſſe, ut Deus naturæ humanæ provideat, ſicut ipſa poſtulat: adhibeatque illi ea præcepta, & regulas, quæ ad ſui regimen, & rectam gubernationem requirit: & quia hujuſmodi ſunt omnia præcepta legis naturalis (nullum enim in ea continetur, quod ipſa natura non poſtulet) nequaquam dedecet; immò valdè congruit divinæ pietati, & bonitati injungere hominibus prædicta præcepta. *Reſponſio.*

Accedit, quòd omnia illa cedunt in bonum, immò in melius naturæ humanæ; cum ordinentur ad eam perficiendam, & in proprium finem dirigendam, quem aliter conſequi non valeret: ob idque minus æquo prædicto bono conſultum eſſet, ſi talia præcepta à Deo lata non fuiſſent. Non enim ſine illis proprio, & rationali modo homo gubernaretur, ſed more irrationabilium, & ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus: deeſſetque ei maxima perfectio, cujus eſt capax, quæ eſt perfectio partis intellectivæ, & rationalis. Accedit

Digitized by Google

cedit ſecundò, quòd homo per prædicta præcepta ſive pauca, ſive multa non gravatur ultra vires; cùm nullum ſit, quod per naturales, & ſibi proprias adimplere non valeat eo modo, quoad ejus obſervantiam adſtringitur. Immò nec gravatur in totum, quod poteſt: quia plura alia poteſt, quæ non ſunt præcepta. Non itaque ex hac parte durè cum eo actum eſt, nec poteſt rationabiliter de Deo conqueri. Quòd verò in diuturna præceptorum obſervatione neceſſe habeat aliquando deficere, non provenit ex ipſis præceptis, aut ex eorum multiplicitate (deficeret enim eodem modo, vel fortè magis, quamvis pauciora fuiſſent) ſed oritur ex propria hominis defectibilitate; quæ in cauſa eſt, ut ſibi relictus non niſi defectibiliter operetur, neceſſeque ei ſit, ut in eo ipſo, quod poteſt rectè facere, crebrò impingat. Et quamvis Deus in multis hominibus huic difficultati ſuccurrat per auxilia gratiæ, paratuſque ſit omnibus ſuccurrere; non tamen tenetur, neque natura humana attenta communi providentia illa exigit. Et ideo quibuſcumque tribuuntur, ex miſericordia tribuuntur: ut verò negarentur, ſufficeret ipſa ratio beneficij in debiti abſque alio motivo, niſi ut divina libertas ſplendeat. De facto tamen nulli denegantur, niſi ex juſtitia in pœnam alicujus præcedentis peccati ſaltem originalis, ut docet Divus Thomas, 2. 2. *quæſtione ſecunda, articulo quinto, ad primum.* D. Thom.

184. Ad ſecundum reſpondet Curiel, *citato articulo octavo, dubio tertio*, integram ſolutionem argumenti Divi Thomæ conſtare duabus partibus: prima eſt hominem ſine gratia, & in peccato exiſtentem poſſe vitare ſingula peccata mortalia, proindeque ſingula præcepta adimplere; non tamen omnia, niſi per gratiam. Et hæc prima pars continet doctrinam utriuſque noſtræ aſſertionis, & quidquid neceſſarium erat ad argumentum diluendum. Secunda eſt non excuſari hominem à peccato, eo quòd non habeat gratiam, qua poſſit omnia præcavere: quia hoc provenit ex ejus defectu, qui non vult ad gratiam ſe diſponere. Et hæc eſt alia ſolutio, ex qua ſumitur objectio contra nos facta. Sed iſta non proponitur à Divo Thoma ex neceſſitate, quaſi intellexerit, vel quòd detur aliquod præceptum vitandi omnia peccata, aut ſervandi omnia præcepta collectivè: vel quòd potentia ad id requiſita (quæ ſine gratia dari nequit) neceſſaria ſit, ut defectus circa obſervationem contingentes ad culpam imputentur: vel denique quòd gratia ſecluſa non maneat ſufficiens facultas ad unumquodque præceptum diviſim obſervandum. Nihil horum Divus Thomas putavit: ſed ex abundantia addidit illam ſolutionem, ut explicaret, quid de facto habemus ex Dei miſericordia quantum ad potentiam vitandi omnia peccata mortalia: & ſimul excluderet apparentem excuſationem, quam peccator poſſet prætendere, ſcilicet ſe non habere gratiam, quæ ad prædictum effectum neceſſaria eſt. Ac ſi diceret Divus Thomas non eſſe eam excuſationem ſufficientem; cùm ex defectu ipſius peccatoris proveniat, quòd careat gratia, dum non vult ad eam ſe diſponere. Ita Curiel. Quæ Divi Thomæ doctrina veriſſima eſt pro his, qui fide inſtructi ſciunt gratiam ſibi eſſe repromiſſam: non tamen locum habet, vel ſaltem certum non eſt, quòd locum habeat in multis aliis, qui nihil de fide audierunt, ut diximus *num.* 112. Et ideo ut in nullo caſu remaneat difficultas præeligenda nobis fuit alia univerſalior via juxta priorem D. Thomæ ſolutionem; quam hucuſque ſecuti ſumus. Curiel.

§. VI.

Argumenta contra ſecundam aſſertionem proponuntur, & diluuntur.

185. Contra ſecundam aſſertionem neminem ita apertè ſentientem vidimus, ut nequeat juxta eam probabiliter exponi, exceptis illis, qui pro quovis bono opere gratiam neceſſariam eſſe affirmant: de quo egimus toto dubio 2. Ex aliis verò ſunt, qui negant poſſe hominem ſine gratia ſervare omnia præcepta etiam diviſim: ſed proculdubiò loquuntur ita, vel propter præceptum dilectionis Dei, vel propter occurſum gravis tentationis: qui non ſunt caſus hujus dubij, ut num. 160. obſervavimus. Extra illos verò (vel ſi qui alij ad eos reducuntur) cenſemus non poſſe probabiliter negari naturæ humanæ vires ſufficientes ad ſervandum quodvis præceptum naturale diviſim acceptum. Sunt tamen in contrarium duo principalia argumenta. *Quæ poſſint ſecunda aſſertioni oppont.*

Primum eſt: quia dantur multi actus cadentes aliquando ſub obligatione legis naturalis, qui non poſſunt elici ſolis viribus naturæ: ergo præcepta talium actuum nequeunt etiam diviſim viribus illis adimpleri. Antecedens probatur inductione. Primò in actu naturalis pœnitentiæ, qui ſit efficax, & abſoluta deteſtatio peccati, quatenus eſt offenſa Dei ut auctoris, & finis naturalis: hujuſmodi enim actus ſicut eſt incompoſſibilis cum culpa mortali; ita haberi non poteſt ſine gratia, per quam remittitur talis culpa. Secundò in actu diligendi proximos, ſicut noſmetipſos, qui videtur non minus difficilis, quàm obſervatio totius legis juxta illud ad Romanos 13. *Qui diligit proximum, legem implevit:* Sicut ergo ad ſervandam totam legem neceſſaria eſt gratia, ſic ad prædictum actum. Tertiò in amore inimicorum, quem etiam lex, & ratio naturalis ſaltem aliquando illis exhibendum eſſe dictat: & tamen adeo eſt difficilis, ut communiter numeretur inter egregia Sanctorum opera, quæ gratiæ adſcribuntur. Quartò in actu ſervandi caſtitatem, qui proculdubiò cadit ſub naturali præcepto: & tamen impoſſibilem eſſe ſine gratia, docere videtur Sapiens cap. 8. dum ait: *Scivi, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia ſcire, cujus eſſet hoc donum.* Denique in actu eximiæ fortitudinis, quo vita exponitur pro defenſione juſtitiæ, aut alterius virtutis naturalis: qui non ſemel cadit ſub naturali præcepto: & tamen non videtur poſſe affirmari, quod ad illum vires naturæ ſufficiant: ergo &c. Hos omnes actus numerat Suarez ubi ſupra: & fortè ſunt alij, qui poſſent adduci in argumentum. *Primum argumentum.* Ad Rom. 13. Sapient. 8.

Reſpondetur concedendo poſſe ita creſcere difficultatem aliquorum actuum ex iis, qui cadunt ſub naturalibus præceptis, ut ſolis naturæ viribus ſuperari non poſſint: quod & nihil aliud ſuadent exempla, quæ in argumento referuntur. Cæterùm cauſæ illius difficultatis reducentur vel ad amorem Dei ſuper omnia incluſum in aliquo illorum actuum, vel ad caſum gravis tentationis: quorum neutrum præſens dubium comprehendit: aut etiam ad difficultatem, quæ ex permanentia, & continuatione in bene operando conſurgit: qui caſus *Solutio.*

Digitized by Google

caſus potius continetur ſub prima concluſione, quam ad ſecundam pertineat. Extra hos verò nullus aſſignabitur in quo non ſufficiant vires naturæ pro eliciendo quolibet opere lege naturali præcepto.

Explicantur exempla in contrarium adducta.

186. Unde ad primum exemplum de actu naturalis pœnitentiæ dicendum eſt hujuſmodi actum, ſi ſit per modum contritionis, atque adeo perfecta deteſtatio peccati, ut habet eſſe Dei offenſa (eo modo, quo intra ordinem naturæ contritioni locus eſſe queit) debere includere dilectionem Dei ſuper omnia ut finis naturalis: ſicut contritio naturalis, & ſimpliciter dicta includit ſimilem dilectionem ſupernaturalem. Unde ea ratione, & eo modo, quo requiritur gratia ad prædictam dilectionem naturalem, erit etiam neceſſaria ad actum illum pœnitentiæ. Si verò actus pœnitentiæ naturalis ſolum ſit per modum attritionis ex aliquo motivo creato naturali peccatum deteſtantis, negamus fieri non poſſe viribus naturæ. Neque hinc fit dolorem requiſitum ad ſacramentum pœnitentiæ poſſe elici ſine auxilio gratiæ. Quia non quælibet attritio ad id ſufficit: ſed debet eſſe ex impulſu, & motione Spiritus ſancti: proindeque ex gratia, ut docet Trident. *ſeſſione* 14. *cap.* 4.

Primum.

Conc. Trid.

Secundum.

Secundum exemplum de dilectione proximi non procedit de ea, quæ nobis in ſacra Scriptura commendatur, & præcipitur: quia hæc eſt dilectio ſupernaturalis, qua tenemur diligere proximum, ut conſortem ſupernaturalis beatitudinis: & de ea primariò intelligitur locus Pauli. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Unde neque ſpectat ad præſens dubium. Alia eſt dilectio proximi naturalis ordinis dictata ab ipſo naturali lumine: & hæc eſt, quæ poteſt cadere ſub naturali præcepto. Nec ſatis conſtat, an hoc præceptum obliget aliquando ad ipſum actum internum diligendi proximum, volendo illi bonum ut ſic, per affectum communis benevolentiæ. An vero ſufficiat non ei nocere, & ubi neceſſitas occurrit, benefacere. Quidquid horum teneatur, dicendum eſt poſſe fieri viribus naturæ diviſim, ſicut præceptum obligat. Non tamen ſine gratia fiet perfectè, & permanenter (loquendo, ut loquimur de amore virtuoſo, & honeſto) quia ad hoc neceſſe eſt permanenter obſervare cætera legis præcepta, quæ bonum proximi concernunt. Quo ſenſu poſſet etiam de iſto amore intelligi citatus locus Pauli: *Qui diligit proximum,* &c. Hic verò caſus potius pertinet ad primam concluſionem hujus dubij, quæ adſtruit neceſſitatem gratiæ ad ſervanda præcepta, quam ad ſecundam, quæ eam excludit.

Tertium.

187. Eodem ferè modo dicendum eſt ad tertium de amore inimicorum: nam iſte amor habet ſe ex additione ad præcedentem: & ideo ſi ſermo ſit de amore permanenti, & perfecto; requiret ſimiliter gratiam ob rationem modo dictam. Atque etiam propter aliam, videlicet propter affectum malevolentiæ, & propter appetitum vindictæ: qui (ſuppoſito, quod inimicitia ſit gravis) communiter inſurgunt, & inducunt gravem tentationem prædicto amori contrariam: ad quam opus erit gratia, ut honeſte vincatur. Sed jam talis caſus non eſt præſentis dubij, ut *num.* 160. animadvertimus. Si autem ſermo ſit de amore imperfecto, & citò tranſeunte; attendendus eſt gradus, vel qualitas inimicitiæ: nam ſi ſit levis, & in cauſa minoris momenti fundata, regulariter non inducet gravem tentationem; & ideo ſufficient vires naturæ ad inimicitiam deponendam, vel ſaltem ad contrarium amorem, ſeu ad id, quod ſub præcepto cadit, exercendum. Si autem ſit gravis, & in aliqua gravi offenſa, vel injuria fundata, ut plurimùm inducet prædictam gravem tentationem, remanebitque extra caſum hujus dubij.

188. Per quod patet ad quartum exemplum de caſtitate: nam ſi ſermo ſit de uno, vel altero actu volendi abſtinere à delectationibus illicitis, immò & de quolibet ſeorſim ſumpto extra caſum gravis tentationis poterit haberi ſine gratia. Si verò talis tentatio accedat, aut ſi ſermo ſit de abſtinentia à prædictis delectationibus continua, & permanenti (ſicut requiritur, ut aliquis abſolutè dicatur *continens*) non ſufficient communiter vires naturæ, præſertim in matrimonio ſolutis. Uterque tamen hic caſus eſt extra ſecundam noſtram concluſionem. Diximus præſertim *in matrimonio ſolutis:* nam ut bene obſervat Suarez, qui matrimonio juncti ſunt, & illo facilè uti poſſunt, in ipſo habent naturale remedium contra concupiſcentiam, non tam reſiſtendo, quam ei ſine peccato conſentiendo. Unde non mirum quod aliqui etiam ſine recurſu ad gratiam, poſſint etiam longo tempore caſtitatem conjugalem obſervare. Adhuc tamen communiter id non continget: quia etiam in conjugatis ut plurimùm non deficiunt ad longum tempus aliquæ graves tentationes, ſaltem ad internum deſiderium, vel delectationem moroſam, pro quibus evincendis neceſſaria ſit gratia. *Quartum.*

Ad ultimum de actu exponendi vitam pro ſervanda juſtitia, vel alia virtute patet etiam ex dictis: nam amor naturalis ipſius vitæ, & paſſio timoris ingerunt difficultatem, & tentationem graviſſimam contra bonum talis virtutis: & ideo opus erit gratia ſaltem in homine lapſo, ut ea tentatio ſuperetur, & ne prædictum bonum propter illam deſeratur: de quo agemus ex profeſſo dub. 8. *Quintum.*

189. Secundum principale argumentum ſumitur ab incohærentia ſecundæ aſſertionis cum prima in hunc modum. Eo ipſo, quod homo ſine gratia poſſit implere ſingula præcepta, poteſt implere omnia collective: hoc poſterius negavimus in prima aſſertione: ergo non bene in ſecunda prius illud aſſerimus. Minor & conſequentia conſtant. Major verò probatur: tum quia ex parte actus non differunt adimplere ſingula præcepta, ſeu omnia diviſive, & adimplere omnia collective: ergo ſimiliter ex parte potentiæ: idem enim quod habet, & præſtat actus actu, habet, & præſtat potentia poſſibiliter. Tum etiam uam vel illa potentia ad adimplendum ſingula præcepta eſt reducibilis ad actum ſecundum per vires naturæ, vel non? Si non eſt reducibile: non erit vera potentia, attentis duntaxat prædictis viribus. Si autem ſit reducibilis; ſupponamus reduci de facto: & tunc cùm in actu ſecundo idem ſit adimplere ſingula præcepta, & adimplere omnia; eiſdem naturæ viribus fiet reductio ad utrumque. *Aliud argumentum.*

Confirmatur: nam virtus, quæ permanens ad horam poteſt in illa producere unum effectum, ſi conſervetur eodem modo per quinquaginta horas verbi gratia, poterit in eo tempore tot effectus, quot horas habuerit, producere: eadem enim eſt proportio unius horæ ad productionem unius effectus, & quinquaginta horarum ad quinquaginta effectus: unde ſi ignis conſervatus *Confirmatio.*

Digitized by Google

vatus ad horam comburit unum lignum; conſervatus per horas viginti ligna ſucceſſivè ſibi appoſita comburet. Si ergo virtus liberi arbitrij conſervata per horam, vel diem poteſt ſervare unum præceptum, quod tunc occurrit; etiam conſervata multo tempore, puta mille diebus poterit millies idem, vel aliud præceptum, ſi toties occurrat obſervare.

Argumentum difficultatis. Ad hæc: per hoc, quòd homo adimpleat unum præceptum, non minuuntur ejus vires ad aliud adimplendum; neque per adimpletionem iſtius ad adimplendum aliud, & ſic de reliquis: immo quo plura adimplet, eò majorem acquirit facilitatem, & habilitatem ad adimplendum ea, quæ ſuperſunt: ergo non eſt, cur non poſſit cuncta adimplendo percurrere: ſola enim diminutio, aut attenuatio virium poterat eſſe ratio impotentiæ ad talem adimpletionem percurrendam. Ut autem vis hujus probationis melius percipiatur, ſupponamus minorem numerum præceptorum, quæ homo non poteſt collective adimplere, eſſe uſque ad decem. Cùm enim talia præcepta ſint finita, & limitata, aſſignabilis erit prædictus numerus, & ſaltem Deus certò illum cognoſcet. Supponamus ergo eſſe denarium: ſanè in eo, quòd homo collectivè adimpleat uſque ad novem, nulla eſt repugnantia: aliàs non eſſet numerus denarius minor, qui non poteſt impleri. Vel ergo novem illis expletis remanet potentia ad decimum, quod adimplendum ſupereſt, vel non? Si remanet: poterit per eam utique adimpleri, & adjungi cæteris: quod erit implere omnia collective. Quod autem non remaneat, dici non poteſt: tum quia vires liberi arbitrij ad operandum bonum non minuuntur, dum exercentur; ſed augentur potius, ut nuper dicebamus: atque adeo non erit minor aut debilior ejus virtus, poſtquam novem præcepta impleta fuerint, quàm ſi impleta non fuiſſent: quo caſu nemo dubitat, quòd eſſet ſufficiens ad decimum, vel aliud quodcumque adimplendum. Tum etiam quia ſi per obſervationem novem præceptorum diminuerentur prædictæ vires, ita ut jam non ſufficerent ad adimplendum aliud, quod poſtea occurret, eo ipſo non peccaret homo omittendo obſervationem hujus ultimi, neque ad eam teneretur: quia nullus peccat omittendo illud, quod facere non poteſt, aut faciendo, quod non poteſt non facere: ſicut neque aliquis tenetur facere, quod eſt ſibi impoſſibile: ergo, &c.

Quædam reſponſio. 190. Dices numerum præceptorum, quæ homo poteſt adimplere, non habere terminum intrinſecum, ad quem poſſit pertingere, & ultra non progredi: ſed ſolùm habere terminum extrinſecum, ad quem pertingere nequit, eſſeque hujuſmodi terminum non novem, aut decem præcepta: ſed totam eorum collectionem. Ad hanc autem quotquot homo adimpleat, nunquam pertinget; quia ſemper ſuperſunt alia, vel eadem iterum adimplenda. Sicut enim pleraque præcepta, quæ non toties occurrent, quin iterum, & iterum occurrere valeant: & ideo quotieſcumque adimpleantur, adhuc ſupereſt aliquid adimplendum, quod eſt pars prædictæ collectionis: comprehenduntur enim ſub tali collectione non ſolùm ſpecies præceptorum, ſed etiam numerus, & occaſiones in quibus poſſunt occurrere.

Ejus inſufficientia. Hæc tamen ſolutio non ſatisfacit: nam ſi eſſet vera, poſſemus dicere non eſſe contra noſtram, & communem ſententiam in prima aſſertione propoſitam, quòd homo gratia deſtitutus poſſit ad longum tempus, puta per quinquaginta annos ſervare omnia præcepta in nullo deficiendo: quia non idcirco ſervaret omnia collective: ſiquidem adhuc ſupereſſent aliqua, vel eadem, quæ iterum obſervanda occurrerent. Immò coincideret hoc, quod dicimus *ſervare omnia præcepta collective*, cum eo, quod eſt perſeverare in eorum adimpletione uſque ad finem vitæ (ut intuenti conſtabit) ad quod non ſufficit gratia communis, ſed requiritur donum perſeverantiæ. Nullum autem horum poteſt admitti, cùm ſit apertè falſum. Et ideò neceſſariò dicendum eſt dari certum, & determinatum numerum præceptorum, ſaltem ex parte temporis, ad quem ſine defectu adimplendum ſufficiant vires naturæ, & ultra quem ſine defectu pertingere nequeant. Supponamus ergo minorem numerum, ſeu tempus, pro quo non ſufficiunt eſſe integrum annum; majus verò, ad quod poſſunt pertingere, eſſe tempus una hora, vel inſtanti anno minus: & ſupponamus etiam tranſegiſſe hominem hoc poſterius tempus ſine alicujus præcepti violatione. Vel ergo poteſt eodem modo ultra pertingere, & ſervare præceptum, quod in duratione immediatè ſequenti, adeoque in ultima integri anni occurrat, vel non poteſt? Si primum: conſequenter poterit ſervare collectivè præcepta totius anni; ſi quidem poteſt ſervare illud ultimum, quod tantùm deeſt prædictæ collectioni. Si ſecundum: ſequitur dari aliquod unum præceptum certum, & determinatum, quod non poſſit ſervare: illud nimirum, quod occurrit in ultima anni duratione; ac proinde ſequitur, vel quòd non peccet præceptum illud tranſgrediendo; vel quòd peccet in eo, quod facere aut vitare non poteſt.

191. Sunt, qui ab hoc argumento implexo ſatis, & prolixo, citius æquo ſe expediant *Aliorum reſponſio.* putantes ſatis eſſe pro ejus ſolutione negare omnes conſequentias: quia procedunt à diviſa ad copulatam, involvuntque proinde fallaciam compoſitionis, & diviſionis. Sed licèt hoc ita ſit; majore tamen labore opus eſt, ut prædicta fallacia radicitus aperiatur, & animus tradita rei ratione, quieſcat. Unde alij dicunt argumentum convincere de potentia phyſica, quæ non differt ab ipſa libertate, & entitate liberi arbitrij, ſolumque attendit, an effectus ex natura rei repugnet, vel non repugnet: ſecus verò de potentia morali, ad quam requiritur, ut attentis omnibus poſſimus prudenter judicare, quòd actus non modo non repugnet ex natura rei, ſed nec ſit ita difficilis, quin attentis omnibus, poſſimus prudenter judicare, ſaltem aliquando eventurum. Dicunt itaque quantum ad potentiam phyſicam bene inferri, quòd ſi homo per vires naturæ poſſet diviſim obſervare unumquodque præceptum, poſſet etiam ſervare omnia collectivè: quia libertas, & virtus phyſica noſtri arbitrij eadem eſt, & æqualiter ſe habet ad utrumque. Cæterùm potentia moralis quamvis extendatur ad unumquodque præceptum ſecundùm ſe, & diviſim acceptum: quia de nullo poſſumus determinatè judicare non eſſe adimplendum, non tamen extenditur ad totam collectionem: quia adeo eſt difficile omnia ſine defectu percurre-

re, ut prudenter judicemus, id nunquam eventurum.

Fulcitur. Arist. Quæ doctrina habet fundamentum apud Ariſtotelem *lib.* 2. *de Cælo cap.* 11. ubi diſtinguit duplex impoſſibile, aliud quia eſſe non poteſt (& hoc eſt impoſſibile phyſicè) aliud quia nec citò eſſe poteſt (& hoc eſt impoſſibile moraliter.) Sicut enim per impoſſibilitatem, aut repugnantiam effectus; ita per difficultatem elongatur cauſa ab ejus productione: & ideo ſi difficultas adeo creſcat, ut ob eam effectus nunquam ſit futurus, merito pro impotentia reputatur. Sic ergo accidit in caſu noſtro: in nullo enim præcepto ſeorſim ſumpto tanta apparet difficultas, ut poſſimus determinatè judicare non eſſe adimplendum: & ideo nullo ex capite ejus obſervatio poteſt dici impoſſibilis. Cæterùm quòd voluntas valdè defectibilis inter tot paſſiones, & occaſiones ad defectum impellentes ſuis viribus relicta nunquam deficiat; adeo eſt perdifficile, ut meritò credatur non eſſe futurum, proindeque moraliter impoſſibile judicetur. Eſt autem ſatis accommodatum hujus rei exemplum in doctrina ejuſdem Ariſtotelis, *libro* 2. *de Cælo, cap.* 12. ubi ait: *Rectè autem agere, aut multa, aut ſæpè difficile eſt: veluti talos Coenſes mille projicere, impoſſibile eſt; ſed unum vel duos facilius eſt.* Quaſi dicere in cauſis contingentibus, & defectibilibus difficile eſt, ſeu impoſſibile eſſe multoties rectè, & uniformiter operari; quamvis pro unaquaque vice difficile non ſit: ut videre eſt in ludo talorum, in quo pro nulla vice ſignata difficile eſt, quod talus optatum reddat ſignum, etiam ſi millies projici contingat: eſt autem difficile, immò impoſſibile, quòd millies projectus ſignum illud ſemper oſtendat. Sicut ergo in hoc ludo non valet argumentum; poteſt talus qualibet vice ſignata reddere prædictum ſignum, etiam ſi millies projiciatur: ergo poterit ſemper illud reddere, & nunquam deficere: ita in caſu noſtro non valet, poteſt homo propriis viribus adimplere quodcumque ſeorſim ſumptum, in qualibet anni parte occurrat: ergo poterit implere omnia, quæ toto anno occurrunt, in nullo deficiendo.

Non ſatisfacit. Sed licèt hæc ſolutio nihil falſum affirmet, exemploque, & doctrina Ariſtotelis rectè ad præſens utatur, adhuc tamen non ſatisfacit, neque ſufficienter rem explicat. Tum quia non reddit rationem, quare prædicta difficultas, vel impotentia moralis adſit reſpectu collationis præceptorum; non verò reſpectu ſingularium, quæ collectionem integrant: & quare cùm in actu ſecundo idem ſit adimplere ſingula, & adimplere omnia; potentia, quæ eſt ad unum, non ſit ad aliud. Tum etiam quia confirmatio argumenti pergit ultra ad caſum, quo adimpleta ſint præcepta occurrentia uſque ad ultimam anni durationem excluſive; & ſolùm deſit adimplendum, quod in illa duratione occurrit. Qua ſuppoſitione admiſſa, urget adhuc difficultas: quare cùm ſuppetat potentia etiam moralis ad hoc ultimum præceptum, non ſuppetat ad collectionem, quæ ejus obſervatione adæquatur. Quouſque autem horum diſcriminum origo detegatur; nulla ſolutione animus quieſcit. Adde non videri ſatis tutum impotentiam, quam Theologi agnoſcunt in libero arbitrio deſtituto omnino gratia, ad ſolam difficultatem etiam gravem, aut graviſſimam reducere; quia ſi tantùm eſt difficultas, & non vera impoſſibilitas: non eſt, cur licèt rarò, aliquando tamen liberum arbitrium non poſſit contra eam operari, & effectum ſuum conſequi.

192. Legitima ergo, & adæquata ſolutio ſumenda eſt ex doctrina à nobis tradita, præſertim *à numero* 170. *&* *à numero* 175. ubi diximus impotentiam liberi arbitrij ad ſervandum collectivè omnia præcepta longo tempore, non oriri ex eo, quòd in ipſo libero arbitrio non ſit perfectio, & virtus ſufficienter proportionata in actu primo cum obſervatione uniuſcujuſque præcepti: aut ex eo, quòd talis virtus per exercitium debilitetur, vel diminuatur: ſed ex eo, quòd ex concupiſcentia & fomite ſenſitivi appetitus habet admixtum tantundem, vel plus imperfectionis, & defectibilitatis: & ratione hujus admixtionis poſtulat, ut cauſa prima in diſpenſando ſuum concurſum (ſine quo nulla cauſa ſecunda operatur de facto etiam illud, ad quod habet ſufficientem virtutem, & potentiam) non attendat duntaxat perfectionem, & virtutem ipſius liberi arbitrij; ſed etiam ejus imperfectionem, & defectibilitatem, & quod utrique prædictum concurſum accommodet: atque adeo poſtulat, ut nec ſemper talis concurſus ſit ad bene operandum, nec ſemper ad permittendum defectum: ſed alternantibus vicibus res diſponatur, & quandoque unum, quandoque aliud contingat; neutrique parti vel ſemper concedatur concurſus ad illud, quod poteſt; vel ſemper negetur; ſed viciſſim uni, & alteri concedatur, & negetur: & hac ratione utriuſque jura ſerventur. Quod enim utrique ſimul prædictus concurſus tribuatur, repugnantiam involvit: ſicut quod homo ſimul peccet, & non peccet, aut ſimul præceptum obſervet, & tranſgrediatur. Quæ omnia perſpicuè habentur ex ſupra dictis. *Legitima argumenti moderatio.*

Quin etiam habetur, quod quamvis liberum arbitrium ob rationem traditam poſtulet prædictam diſparitatem concurſus; non tamen omnino in particulari determinat, quando uno modo, quando verò alio tribuendus ſit; ſed hoc relinquitur cauſæ primæ, & ejus providentiæ, ut *numero* 167. diccbamus. Et ita abſolutè loquendo, pro nulla vice ſignata liberum arbitrium petit determinatè concurſum ad actum adimpletivum præcepti, neque determinatè ad materiale actus tranſgreſſivi: ſed manet potens, & indifferens ad utrumlibet, cum ſola exigentia vagè, & in communi, ut nec ſemper, vel diu ad unum, nec ſemper, vel diu ad aliud; ſed veluti promiſcuè prædictus concurſus tribuatur. Diximus *abſolutè loquendo*, &c. Nam facta aliqua ſuppoſitione, evenire poterit, ut determinatè petatur unus ex prædictis concurſibus, & alius excludatur: fieri enim poteſt, quòd Deus tanto tempore concurrerit cum ſola ea parte liberi arbitrij, quæ dicit perfectionem; ut altera, quæ dicit defectibilitatem, poſtulet jam, ne ejus concurſus diutius ſuſpendatur. Et in hoc caſu, attentaque hac ſuppoſitione, nequibit liberum arbitrium ultra progredi ſine defectu. Non quia non habeat, & conſervet in ſe ſufficientem virtutem in actu primo ad bene agendum, & præceptum, quod occurrit adimplendum; ſed quia ex defectibilitate adjuncta, & ex connotatione, quòd iſti fuerit denegata permiſſio tanto tempore; petitur, ut non jam negetur, neque oppoſitus concurſus ad bene operandum protrahatur.

193. Ad

Digitized by Google

Applicatur doctrina tradita.

193. Ad argumentum reſpondetur negando majorem, ſeu ſequelam. Et ad primam probationem dicendum eſt potentiam liberi arbitrij ad obſervandum diviſivè omnia præcepta non in eo ſitam eſſe, quòd poſſit ſingula percurrere, in nullo deficiendo: hoc enim idem eſſet, ac poſſe ſervare omnia collectivè; ſed in eo, quòd ita ſe habet ad unumquodque, ut nullum determinatè à ſua facultate, & proportione excludat: quia nullum eſt deſignabile, circa quod neceſſe habeat deficere: quamvis neceſſe ſit, ut adimplens aliqua deficiat etiam in aliquibus, prout divina providentia per diſpenſationem ſui concurſus determinaverit. Unde actus ſecundus proportionatus prædictæ potentiæ, & illi correſpondens, non eſt ſervare ſingula, nullum prætermittendo; ſed ſervare aliqua, quæcumque ſint, in quibuſlibet aliquibus deficiendo. Qui ſanè actus omnino differt ab eo, qui correſpondet potentiæ, quæ eſt ad obſervanda omnia collective, in quo nullus admittitur defectus: ac proinde etiam debent diſtingui ipſæ potentiæ.

Ad ſecundam reſpondetur prædictam potentiam eſſe reducibilem ad actum ſecundum ſibi proportionatum; non verò ad improportionatum: ſicut autem illa eſt virtus, & potentia defectibilitate admixta: ita ejus actus debet eſſe obſervatio præceptorum admixta defectibus, atque adeo obſervatio aliquorum deficiendo in aliis.

Neque obeſt ſi urgeat, quod ſi actus non eſt obſervare ſingula præcepta, ſed obſervare aliqua, deficiendo in aliquibus, neque ipſa potentia erit ad ſervanda ſingula; ſed duntaxat ad ſervandum aliqua. Reſpondetur enim ſatis eſſe, ut prædicta potentia dicatur ad obſervanda ſingula, quod ex omnibus ſingillatim recenſitis nullum determinatè excludit; ſeu quod nullum ſit, de quo in particulari, & determinatè verificetur, quod non poſſit per illam adimpleri. Quia verò ob admixtam defectibilitatem ab intrinſecò poſtulat, ut in ejus operatione defectus conſurgat; conſequenter petit, ut dum adimplet aliqua, deficiat in aliquibus, quæcumque hæc ſint: atque adeo, quòd ejus actus non ſit actualis obſervatio ſingulorum nullo prætermiſſo; ſed obſervatio aliquorum, aliquo, vel aliquibus prætermiſſis.

Solvitur confirmatio.

Ad confirmationem dicas, diſcurſum illum procedere in cauſis, & potentiis determinatis ad unum, ſicut eſt ignis, aut ita perfectis, ut non habeant admixtam defectibilitatem: hujuſmodi enim cauſæ, dum in eſſe conſervantur, uno & æquali modo ſe habent ad operationem (ſaltem ſecundùm communem gradum operationis rectæ) nulloque ex capite debetur eis diſpar concurſus vel permiſſio ad deficiendum. Secus autem in cauſis, & potentiis coaleſcentibus ex perfectione, & defectibilitate, & ob id contingentibus, & indifferentibus ad operationem rectam, & defectuoſam. In iſtis namque ipſa admixtio defectibilitatis, & perfectionis poſtulat, ne ſemper detur eis par concurſus ad agendum; ſed ut quandoque rectè operentur, & quandoque deficere permittantur: hacque ratione tam perfectio, quàm defectibilitas cauſæ reluceat in effectibus. Unde non ſequitur, quòd ſi ſemel & iterum poſſint ſine defectu operari, poſſint etiam longo tempore: quia non eſt neceſſe, ut ad breve tempus manifeſtetur in operatione omnis conditio cauſæ, ſicut neceſſe eſt manifeſtari ad longum.

Ad augmentum difficultatis reſponſio.

194. Ad illud, quod additur, conceſſo antecedente, negatur conſequentia, & probatio illi adjuncta, videlicet quòd ſola diminutio virium liberi arbitrij poſſit eſſe ratio impotentiæ ad percurrendam ſine defectu præceptorum collectionem. Nam cùm prædictæ vires quantumvis in ſuo robore permaneant, ſemper habeant defectibilitatem admixtam ex conſenſu appetitus & fomitis; hæc eſt ſufficiens ratio, ut longo tempore non continuò detur illis concurſus cauſæ primæ ad rectè agendum; ſed aliquoties negetur: hacque ratione, ſi reliqua præcepta tempore illo concurrentia obſervata fuerint, in ultimo certus ſit caſus, non quidem ex defectu, vel diminutione virium conſtituentium potentiam, & actum primum; ſed ex defectu motionis primæ cauſæ, & applicationis ad actum ſecundum. Per quod patet ad alia contenta in argumento, & in impugnatione primæ ſolutionis ibi traditæ. Non enim renuimus ſuppoſitiones illas admittere: dicimus verò præceptum illud ultimò occurrens, & quod additum reliquis integrat collectionem, poſſe propriis viribus adimpleri abſolutè, & ſecundùm ſe, ſeu in ſenſu diviſo: quia prædictæ vires manent in ſuo robore, habentque ſufficientem proportionem in actu primo cum tali præcepto ſecundùm ſe ſpectato; de facto tamen non adimplebitur: immò neque adimpleri poterit in ſenſu compoſito, & ut complet collectionem. Quia ſuppoſito, quòd circa alia defectus non præceſſerit, ipſa tamen defectibilitas liberi arbitrij poſtulat, ut in ultimo contingat: ſicut poſtulat, quòd Deus neget concurſum ad alicujus adimpletionem, & quòd tota collectio non ſine defectu percurratur: cum qua negatione vel exigentia, ſicut nequit componi adimpletio omnium, abſolutè loquendo; ita neque adimpletio illius ultimi, caſu quo cætera adimpleta ſupponantur. Ex hoc autem fit, tum quòd nullum ſit præceptum in tota collectione, etiam comprehendendo illud ultimum, quod ſecundùm ſe, & diviſim acceptum non poſſit viribus liberi arbitrij adimpleri, ac proinde in cujus tranſgreſſione homo non delinquat: quia nullum eſt, quod non poſſit diviſim accipi, & pro quo ſic accepto non ſit ſufficiens virtus, & potentia in actu primo, ut dicebamus. Tum etiam quòd ex data hypotheſi non poſſit adimpleri præceptum illud ultimum in ſenſu compoſito, & ut collectionem complet; ſubindeque abſolutè & ſimpliciter ipſa collectio: quia in hac adimpletione clauduntur aliqua inter ſe incompoſſibilia.

Replica.

195. Neque obeſt, ſi dicas, tum quòd defectibilitas liberi arbitrij pro nullo determinato præcepto poſtulat permiſſum deficiendi, licèt pro aliquo vagè, & in communi id poſtulet: immò ſi pro aliquo ſignato hoc peteret, jure inferremus, non ineſſe libero arbitrio virtutem ſufficientem in actu primo ad tale præceptum adimplendum, ut ſupra dicebamus: cùm ergo illud, quod ultimatè occurrit; ſit certum, & ſignatum, nequibit prædicta permiſſio pro eo poſtulari. Tum etiam, quòd in eo ſenſu aſſerenda, vel neganda eſt potentia ad adimplendam collectionem præceptorum, in quo aſſeritur, vel negatur ad obſervandum illud, per quod collectio ipſa adæquatur, & completur: ergo vel reſpectu collectionis non erit impotentia abſolutè & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & in ſenſu compoſito, vel reſpectu illius ultimi præcepti debet

Digitized by Google

etiam eſſe talis impotentia abſolutè & ſimpliciter, & non tantùm in prædicto ſenſu.

Evacuatur. Reſpondetur ad primum ita eſſe abſolutè loquendo, & nulla facta ſuppoſitione; ſecus verò ſi ſupponatur, quòd reliqua præcepta obſervata ſint, & tantundem ſit ultimum. Quia per hanc ſuppoſitionem illa exigentia permiſſionis, quæ alias ſolùm erat reſpectu alicujus præcepti vagè ſumpti, determinatur ad illud ultimum, eo quòd ſupponitur nonупereſſe jam aliud, in quo poſſit defectus contingere. Ex hoc autem non infertur deeſſe libero arbitrio vires ad adimplendum tale præceptum abſolutè, & ſecundùm ſe: quia prædicta determinatio non provenit ex diminutione virium, ſed ex data ſuppoſitione.

Ad ſecundum dicas, hoc eſſe diſcrimen inter collectionem, & illud ultimum præceptum in ordine ad potentiam, vel impotentiam adimplendi, quod collectio ſecundùm ſe, & ex proprio conceptu importat illud, quod facit ſenſum compoſitum inter extrema incompoſſibilia: quia ſecundùm ſe habet includere omnia præcepta, circa quorum aliquod petitur permiſſio deficiendi, quæ non eſt compoſſibilis cum adimpletione collectionis: & ideo reſpectu iſtius non habet locum diſtinctio potentiæ, aut impotentiæ penes ſenſum compoſitum, & diviſum; ſed quælibet impotentia eſt talis abſolutè, & ſimpliciter juxta id, quod *numero* 170. dicebamus. At verò præceptum ultimum, licèt conſideratum, prout connotat obſervantiam aliorum, cum quibus conſtituit, & complet collectionem, importet eandem compoſitionem, quam importat collectio; & ideo ſecundùm hanc rationem ſit impoſſibilis ejus adimpletio: quia tamen totum hoc ſe habet extra conceptum talis præcepti, & ſi abſolutè ſecundùm ſe conſideretur, neque connotat alia præcepta, neque habet, quòd collectionem compleat, ſed dicit duntaxat illum gradum difficultatis, quem ex ſe affert ſicut unum ex reliquis: inde eſt, ut reſpectu talis præcepti rectè diſtinguamus potentiam penes ſenſum diviſum, vel compoſitum, & penes *ſecundùm ſe* vel *ut complet collectionem*: & quòd conceſſa prædicta potentia in primo ſenſu negetur in ſecundo. Meritò itaque uſque modò ubi loquuti ſumus de collectione, negavimus abſolutè per proprias vires potentiam ad illam: quia nullus eſt ſenſus, in quo verificetur, quod tota collectio poſſit per eas adimpleri. Ubi autem loquimur de illo ultimo præcepto, prædicta diſtinctione utimur: quia in uno ſenſu verificatur, quod poſſit adimpleri, & in alio, quod non poſſit. Et eſt ubique ſermo de potentia, & impotentia phyſica, & non tantum morali, prout ex dictis conſtare poterit. Per quæ ſatis ſuperque factum credimus omnibus, quæ in argumento adferuntur, ſine recurſu ad ſolutiones, quæ ibi impugnantur.

DUBIUM SEXTUM.

Quæ gratia neceſſaria ſit, & ſufficiat, ut poſſit homo longo tempore ſervare omnia divina præcepta?

Sermo eſt de præceptis naturalibus & obligantibus ad culpam mortalem, de quibus hucuſque actum eſt, & oſtenſum non poſſe abſque gratia ſervari ab homine per longum tempus. Cùm enim in ordine gratiæ præcipua ſit habitualis, & ſanctificans, quæ non habet locum in peccatoribus; extra hanc verò dentur aliæ omnibus fidelibus communes, ut habitus fidei, ſpei, & multa auxilia, quibus potentiæ etiam ſine habitibus elevantur, & moventur ad agendum ſupra proprias vires: difficultas eſt, an ſufficiat ad effectum ſervandi prædicta præcepta ſola hæc poſterior gratia, vel requiratur etiam illa prior: de cujus ſufficientia adjunctis auxiliis nemo ambigit. Proceditque difficultas attenta rei natura, & communi lege ordinis gratiæ: quia de potentia abſoluta non eſt dubium poſſe Deum, ita jugibus auxiliis peccatori ſuccurrere, ut circa nullum prædictorum præceptorum graviter delinquat: proindeque omnia collective obſervet. In cujus difficultatis reſolutione non multum immorabimur: quia haud obſcure colligitur ex fundamentis dubio antecedenti præjactis.

§. I.

Vera D. Thomæ ſententia elucidatur.

196. Dicendum eſt requiri neceſſario ex parte hominis gratiam juſtificantem ad hoc, ut poſſit ſervare per longum tempus omnia præcepta naturalia collective. Hæc concluſio Divi Thomæ in præſenti articulo 4. ubi dicit non poſſe hominem in ſtatu naturæ corruptæ ſervare omnia mandata divina ſine gratia ſanante. Et articulo 8. ſequenti ubi hæc habet: *Similiter antequam hominis ratio, in qua eſt peccatum mortale, reparetur per gratiam juſtificantem, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundum aliquod tempus: quia non eſt neceſſe, quod continuo peccet in actu; ſed quod diù maneat abſque mortali, eſſe non poteſt.* Idem docet libro 3. contra gent. cap. 160. & de verit. qu. 24. articulo 12. & aliis locis, quæ infra dabimus. Quibus locis corrigit, quæ ſcripſerat in 2. diſt. 28. quæſtione 1. articulo 2. Sanctum Doctorem ſequuntur communiter Theologi citati dubio præcedenti. Nam major pars illorum, quos ibi retulimus, loquuntur de neceſſitate gratiæ juſtificantis, ſive habitualis, ut illos conſulenti innoteſcet. *Concluſio.* *D. Thom.*

Probatur autem primo teſtimoniis Scripturæ, & Conciliorum, quæ eo loco *numero* 163. adduximus: nam in eis ſatis expreſsè fit ſermo de gratia, qua juſtificamur, & vitam æternam conſequimur, ut conſtat tum ex eorum lectione, tum ſpecialiter ex Concilio Milevitano 2. can. 3. ibi hæc habentur: *Si quis dixerit gratiam Dei, qua juſtificamur per Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur; anathema ſit.* Tum denique quia Divus Auguſtinus cujus verbis, & doctrina Concilia ipſa utuntur, apertè docet requiri juſtificantem gratiam ad hoc, ut poſſimus totam legem diù obſervare, & collectivè adimplere, ut videre eſt *de Spiritu & littera cap.* 4. & 5. & 13. & 17. & 20. & 26. ubi explicans verba Apoſtoli ad Romanos 2. *Factores legis juſtificabuntur*, inquit: *Sic intelligendum eſt. Factores legis juſtificabuntur, ut ſciamus aliter eos non eſſe factores legis, niſi juſtificentur: ut non juſtificatio factoribus accedat, ſed ut factores legis faciat. Quid eſt enim aliud juſtificati, quàm juſti facti, ab illo ſcilicet, qui juſtificat impium, ut ex impio fiat juſtus.* Similia habet *libro de gratia, & libero arbitrio cap.* 18. & alibi ſæpè. *Fundamentum ab auctoritate.* *Concil. Milevit.* *D. Auguſt.*

197. Nec refert, ſi dicas Pelagium non negaſſe *Evaſio.*

giſſe gratiam habitualem, ut conſtat ex dictis *diſp. præced. cap.* 4. §. 4. ergo Concilia, & Patres dum determinant gratiam eſſe neceſſariam ad obſervandum præcepta, non loquuntur de gratia habituali à Pelagio admiſſa, ſed de gratia actuali, Reſolvitur. & auxiliante, quam ipſe negabat. Non, inquam, hoc refert. Tum quia Pelagius in ſua hæreſi varios ſtatus habuit, & initio plura negavit, quæ tandem vel coactus conceſſit, ut ex dictis loco citato ſatis liquet: unde licèt gratiam habitualem nonnunquam conceſſerit, quia tamen ipſam aliquando negaverat; meritò Concilia, & Patres ejus neceſſitatem docuerunt, ut Pelagij errores pro omni ſtatu proſcriberent: ſicut etiam reperimus Concilia non ſemel alia diffiniiſſe, quæ ipſe Pelagius tandem conceſſit, ut eo loco oſtendimus: atque non eſt fundamentum in præſenti, ut reſtringamus Conciliorum, & Patrum decreta ad ſolam gratiam actualem; ſed debet etiam ad habitualem extendi. Præſertim cùm ipſa Conciliorum, & Patrum verba gratiam habitualem juſtificantem ſatis apertè ſignificent. Tum etiam, & præcipuè, quoniam etſi Pelagius conceſſerit neceſſitatem gratiæ habitualis; erravit tamen affirmando, ſaltem in aliquo ſuæ hæreſis ſtatu, prædictam gratiam ſolùm deſervire vel ad remiſſionem peccatorum, vel ad animæ ornatum; ſecus verò ad deinceps non peccandum: exiſtimavit enim ad id ſufficere vires naturæ, vel ad ſummum requiri aliam gratiam inferiorem: quocirca opus fuit, ut Concilia, & Patres Pelagium in eodem ſenſu admonerent, adſtruendo utriuſque gratiæ neceſſitatem. Idque apertiſſimè ſignificavit Concilium Milevitanum in verbis ſupra relatis. Tum denique quia præcipua controverſia Catholicorum cum Pelagio fuit circa gratiam actualem ab intrinſeco efficacem, quam ille inviſam perpetuò habuit, & maximè odit, ut loco citato §. 5. & 6. oſtendimus: quamobrem Patrum doctrina contra Pelagium utplurimùm reſpicit gratiam actualem, & præcipuè ab intrinſeco efficacem, magis, quàm habitualem: & idcirco ſæpius, & expreſſius illius mentionem oſtendimus, quàm iſtius. Sed tamen nec hujus neceſſitatem pro obſervatione divinæ legis Patres pœnitus omiſerunt, ſed illam etiam affirmarunt contra Pelagium, ut conſtat ex relatis teſtimoniis.

Confirmatur. Confirmatur denuo iſtud fundamentum ex Sacris litteris: nam in eis edocemur, quod quicumque obſervat diu omnia præcepta legis naturalis, eſt juſtus coram Deo: quæ juſtitia importat, ut liquet, gratiam habitualem: ſed hujuſmodi juſtitia, ſeu juſtificatio non conſequitur obſervationem legis quaſi ab ea infallibiliter illata: ergo antecedit eam, ut ejus cauſa. Conſequentia non indiget probatione, ſicut nec ma- Ad Rom. 2. jor: eſt enim expreſſa Apoſtoli ad Rom. 2. *Non enim* (ait) *auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* Minor verò pro- Ad Rom 3. batur. Tum ex eodem Apoſtolo *ad Rom.* 3. ubi ait, quod *ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo,* ſcilicet Deo: adjuncta expo- D. Thom. ſitione D. Thomæ ibidem lectione 3. ubi hæc habet: *Tertio modo poteſt accipi juſtificatio quantum ad cauſam juſtitiæ, ut ſcilicet ille dicatur juſtificari, qui juſtitiam denuo accipit: ſic autem non intelligitur hic, quod factores legis juſtificentur, quaſi per opera legis juſtitiam acquirant: hoc quidem eſſe non poteſt neque quantum ad opera ceremonialia, quæ gratiam juſtificantem non conferebant; neque etiam quantum ad moralia: ex quibus habitus juſtitiæ (id eſt gratia) non acquiritur, ſed potentiam per habitum juſtitiæ infuſum hujuſmodi opera facimus.* Et eodem modo loquitur S. Doctor ad cap. 15. Joann. lect. 2. *Obſervatio (ait) mandatorum eſt effectus divinæ dilectionis non ſolum ejus, qua diligimus; ſed ejus qua ipſe diligit nos: eo enim ipſo, quod ipſe diligit nos, movet nos, & adjuvat ad implendum mandata ejus, quæ impleri non poſſunt niſi per gratiam.* Et infra lect. 3. ad illa verba Joan. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis: Sciendum* (inquit) *quod mandatorum obſervatio non eſt divinæ amicitiæ cauſa; ſed ſignum.* Quod etiam tradit Auguſtinus ubi proximè, & *Tract.* D. Auguſt. 27. & 28. *in Joannem.* Et conſtat inſuper ratione efficaci: nam obſervatio legis naturæ, cum ſit opus ordinis inferioris, nequit conjungi infallibiliter cum gratia juſtificante ſicut cum effectu: Unde ſi de facto nequit ſeparari ab illa, ideo eſt, quia ſupponit eam ut cauſam, ſicut modò ex D. Thoma vidimus. Evaſiones autem, quibus Vazquez, & Monteſinos vim hujus confirmationis elevare ſtuduerunt, ſunt adeo debiles, ut ſupervacaneum ſit in eis præcludendis immorari: & eas impugnatas habet Lector apud Godoy *in præſenti diſp.* 44. *num.* 22. cum ſequent.

198. Secundò probatur aſſertio alia ratione Ratio fundamentalis. deducta ex his, quæ dubio præcedenti ſtabilivimus. Nam ad hoc, ut homo poſſit ſervare diu omnia præcepta naturalia collectivè, debet habere formam, ſeu virtutem, quæ comprimat defectibilitatem liberi arbitrij, & ita ſibi ſubjiciat, ut jam non petat infallibiliter explicari pro tunc in actu peccaminoſo; ſed poſſit extra miraculum, & providentiam extraordinariam ab illo abſtinere: ſed hujuſmodi forma nequit in præſenti ſtatu eſſe alia, quam gratia ſanctificans: hæc igitur neceſſaria eſt, ut homo poſſit ſervare diu omnia præcepta naturalia collectivè. Major conſtat ſufficienter ex dictis dubio præcedenti. Minor verò probatur: quia illa duntaxat virtus, ſeu forma poteſt comprimere defectibilitatem liberi arbitrij, ita ut jam non exigat infallibiliter explicari in actum peccati, quæ illi dominatur, & fortiori vinculo conjungit bono honeſto; quam ſit inclinatio illius ad peccatum, ſive ad bonum virtuti contrarium: quia ut ex terminis liquet inter æquales vires nequit eſſe victoria, ſaltem continua; ſed ad id opus eſt, ut una earum longè excedat aliam. Conſtat autem quod in ſtatu integritatis, qui modò non competit hominibus, nulla alia forma poteſt dominari perfectè libero arbitrio, illudque ſibi ſubjicere, niſi gratia habitualis: quæ quia eſt forma ſuperioris ordinis, & participatio formalis naturæ divinæ, habet ex ſe dominari voluntati creatæ, eique conferre vires, quibus ſi velit uti, poſſit per longum tempus propriam defectibilitatem coërcere, ne in peccatum labatur.

Confirmatur, & explicatur hoc amplius: nam Confirmatio. modus operandi debet ſequi modum eſſendi, & cum illo proportionari: ſed diu ſervare naturalia præcepta importat ex parte modi uniformitatem, & conſiſtentiam ſe habendi circa bonum rationis; ſiquidem nullum explicat defectum gravem: ergo debet ſupponere principium, quod in actu primo habeat ſimilem uniformitatem, & conſiſtentiam circa idem bonum: atqui homo nequit ſecundùm præſentem providentiam habere hujuſmodi uniformitatem, & conſiſtentiam in actu primo, niſi per gratiam juſtificantem: hæc igitur neceſſaria eſt, ut homo ſecũdùm præſentem

Digitized by Google

providentiam longo tempore obſervet naturalia præcepta. Cætera ſatis liquent. Et minor ſubſumpta probatur: nam in primis homo ſibi relictus non importat prædictam uniformitatem, & conſiſtentiam circa bonum; cum potius ex ſe habeat diſſidium, & oppoſitionem inter appetitum, & rationem, & conſtat inclinationibus repugnantibus, quarum una conatur explicare virtutem, & altera defectibilitatem principij, ut fusè explicuimus dubio præcedenti. Rurſus in præſenti ſtatu non datur recurſus ad integritatem ordinis naturalis, quæ poſſet aliàs difformem illam repugnantiam compeſcere, & rebellionem appetitus ſuperiori parti ſubjicere. Denique auxilia actualia nequeunt prædictam uniformitatem, & conſiſtentiam ex parte actus primi impertiri; cùm ipſa non habeant conſiſtentiam, ſed conferantur per modum tranſeuntis, & cito vel cum, vel abſque operationis effectu dilabantur. Non apparet, autem, quid aliud præter hæc poſſit ſecundùm præſentem providentiam hujuſmodi uniformitatem, & conſiſtentiam ex parte actus primi communicare, niſi gratia ſanctificans: hæc enim cùm ſit habitualis, & formalis divinæ naturæ participatio, optimè valet præſtare uniformitatem illam, & conſiſtentiam circa bonum, & exigere, reddereque ſibi connaturaliter debita auxilia, quæ pro diuturna præceptorum non tranſgreſſione requiruntur.

Objectio. 199. Dices uniformitatem, & conſiſtentiam circa bonum, quam portat diuturna mandatorum obſervatio, non conſiſtere in alio, quam in eo, quod plures operationes præceptorum adimpletivæ continuò ſuccedant in omnibus, & ſingulis occaſionibus, in quibus intra ſpatium longi temporis præcepta occurrunt: quod non importat aliquid unum ſimpliciter, ſed collectionem tantùm omnium prædictarum operationum: atqui huic uniformitati ex parte actus ſecundi ſufficienter correſpondet, & proportionatur collectio auxiliorum tranſeuntium, quæ pro ſingulis occaſionibus adimplendi præcepta diviſim conferantur: ſicut enim ſe habet unum auxilium ad unam operationem, & ſingula ad ſingulas; ita collectio omnium auxiliorum per longum tempus ad collectionem omnium operationum, quæ diuturno tempore exercendæ ſunt: ergo præter hujuſmodi auxilia pro ſingulis occaſionibus data, opus non ex parte actus primi conſtituere aliud principium habituale, & ſimpliciter unum, cujuſmodi eſt gratia juſtificans.

Solvitur. Reſpondetur proportionem in hac objectione aſſignatam ſolùm eſſe quaſi materialem, & in eſſe entis, non verò formalem, & qualis inter principium, & opus deſideratur. Et ratio eſt: quia cùm ipſa auxilia debeant connaturaliter diſpenſari juxta exigentiam, & diſpoſitionem principij, cui conferuntur; nequit fieri uniformis, continua, & velut conſtans, ac firma auxiliorum diſtributio pro continua, aut ſucceſſiva adimpletione præceptorum, qua lõgo tempore occurrunt, niſi prius ex parte principij, aut ſuppoſiti operantis aſſignetur aliquid conſtituens ipſum ineſſe uniformis, & conſiſtentis circa bonum, quodque naturaliter exigat illam continuam auxiliorum collectionem, & collationem. Aliter enim licet per omnia illa auxilia cuncta præcepta obſerventur; nihilominus & auxiliorum diſtributio, & præceptorum adimpletio fiet innaturaliter, & cum quadam, ut ſic dicamus, extraneitate ſuperante diſpoſitionem, & exigentiam principij. Unde ad hanc innaturalitatem ſuperandam adſtruimus neceſſitatem alicujus perfectionis habitualis, quæ diſſidentes hominis appetitus componat, illamque ad quamdam uniformitatem reducat: & hac ratione expoſcat auxilia requiſita, ut præcepta longo tempore occurrentia abſque interruptione per gravem alicujus tranſgreſſionem obſerventur. Et hæc habitualis perfectio (ſuppoſito, quòd non detur integritas ordinis naturalis) nequit eſſe aliud, quàm gratia ſanctificans: hæc enim, cùm ſit natura ordinis ſuperioris, conſtituatque hominem in novo eſſe divino, & radicet virtutes, quæ perficiunt habitualiter potentias operativas, & queunt retardare impetum appetitus; conſtituit hominem in ea diſpoſitione, & perfectione, ut & collectio auxiliorum, & continuatio bonorum operum per longum tempus fiant ipſi connaturales in ordine gratiæ: quæ continua auxiliorum diſtributio, ſi illam habitualem hominis diſpoſitionem non ſupponeret, non ſolùm eſſet gratia, ſed etiam eſſet aliquid præternaturale intra ipſum gratiæ ordinem.

200. Poteſtque hæc doctrina exemplis illuſtrari: nam dubium non eſt, quòd ſi Deus homini non habenti ſcientiam habitualem, ſive habenti etiam habitum erroris conferret ſucceſſivè auxilia ad ſciendum omnes concluſiones, poſſet homo illis auxiliis adjutus cunctas concluſiones ſcire abſque permixtione erroris: & tamen ubi non ſupponeretur habitus ſcientiæ, prædictus concurrendi modus eſſet innaturalis, & extra communem providentiam: hæc enim expoſcit, ut Deus concurrat juxta diſpoſitionem, & exigentiam principij operantis, quod in prædicto caſu jugem illam auxiliorum diſtributionem non expoſceret; cùm in actu primo, & habitualiter non eſſet diſpoſitum ad operandum adeo bene, & abſque defectu in illa materia. Quocirca, ut homo rectè continuò attingat concluſiones, opus habet ſcientiæ: ſin minus vel id abſolutè non præſtabit; vel præſtabit ex inſolita, & innaturali providentia. Sic ergo ut homo continuò, & diu rectè ſe gerat in præceptorum adimpletione; debet in ſeipſo firmari, & velut ad unitatem reduci per gratiam habitualem, cui auxilia ad prædictum opus fiunt connaturalia: aliter autem licèt obſervatio mediis auxiliis contingat; innaturaliter fiet, & præter providentiam communem adhuc intra ordinem gratiæ. Et ſicut poſſibilis auxiliorum collatio pro omnibus actibus ſcientificis; non excludit, quòd habitus ſcientiæ ſit connaturaliter neceſſarius ad talem effectum: ita quod continua auxiliorum diſpenſatio pro continua adimpletione præceptorum non repugnet; minimè evincit, quòd gratia habitualis non ſit connaturaliter requiſita ad hujuſmodi effectum. Similiter ſi Deus vellet, quod homo infirmus percurreret longum ſpatium; dupliciter poſſet id executioni mandari: uno modo retenta hominis infirmitate, & ſucceſſivè ſubminiſtrando auxilia pro ſingulis paſſibus: & hoc eſſet miraculum, aut ſaltem quid excedens communem providentiam rerum diſpoſitioni conſonam. Altero modo reſtituendo homini ſanitatem: & tunc tam curſus per longum ſpatium, quàm concurſus Dei ad id requiſitus adeſſent modo connaturali. Idemque in noſtro caſu dicendum eſt: nam licèt non implicet, quòd homo infirmus infirmitate peccati, ſi adjuvetur continua auxiliorum ſerie; obſervet continuo divina præcepta; nihilominus id connaturaliter præſtare non valet, niſi priùs languorem *Reſponſio amplius explicatur.*

rem

rem deponat, & ſanetur per gratiam juſtificantem.

Aliud ejuſdem aſſertionis fundamentum.

201. Denique probatur eadem concluſio, & præcedens fundamentum magis roboratur alia ratione, qua utitur D. Thomas quæſt. 14. de verit. art. 12. ubi poſtquam oſtendit hominem cum communi gratia juſtificante non poſſe vitare omnia peccata venialia collectivè; probat illius neceſſitatem & ſufficientiam ad vincenda per longum tempus omnia mortalia. Et quia rem optimè declarat, aliaque perutilia adjungit; placet verba S. Doctoris tranſcribere. *Alio*, inquit, *modo contingit aliquid in nobis, quaſi repente ex inclinatione habitus: ut enim Philoſophus dicit in 3. Ethic. fortioris eſt in repentinis timoribus impavidum, & imperturbatum eſſe, quam in præmanifeſtis. Ab habitu enim eſt magis operatio, quanto minus eſt ex præmeditatione: præmanifeſta enim, id eſt, præcognita, aliquis præeliget ex ratione, & cognitione ſine habitu; ſed repentina ſunt ſecundum habitum. Nec hoc eſt intelligendum, quod operatio ſecundùm habitum virtutis poſſit eſſe omnino abſque deliberatione; cùm virtus ſit habitus electivus; ſed quia habenti habitum jam eſt in ejus electione finis determinatum: unde quandocumque aliquid occurrit, ut conveniens illi fini, ſtatim eligitur, niſi ex aliqua attentiori, & majore deliberatione impediatur. Homo autem, qui eſt in peccato mortali habitualiter peccato inhæret. Quamvis enim non ſemper habeat habitum vitij; quia ex uno actu luxuriæ habitus non generatur, voluntas tamen peccantis derelicto incommutabili bono, bono commutabili quaſi fini adhæſit: & hujuſmodi adhæſionis vis, & inclinatio in cauſa manet, quouſque iterato bono incommutabili quaſi fini inhæreat. Et ideo quando homini ſic diſpoſito occurrit aliquid faciendum, quòd præcedenti electioni conveniat; repentè fertur in illud per electionem, niſi multa deliberatione ſeipſum cohibeat. Nec tamen per hoc, quod ſic repente illud eligit, à peccato mortali excuſatur, quod aliqua deliberatione indiget: quia deliberatio illa ſufficit ad peccatum mortale, qua perpenditur id quod eligitur eſſe peccatum mortale, & contra Deum. Iſta autem deliberatio non ſufficit ad retrahendum eum, qui eſt in peccato mortali: non enim retrahitur aliquis ab aliquo agendo, in quod inclinatur, niſi inquantum illud ſibi proponitur, ut malum. Ille autem, qui jam bonum incommutabile repudiavit pro commutabili bono, non jam exiſtimat ut malum à bono incommutabili averti, in quo ratio peccati mortalis perficitur: unde non retrahitur à peccando per hoc, quod avertit aliquid eſſe peccatum mortale; ſed oportet ulteriùs in conſiderando procedere, quouſque perveniatur ad aliquid, quod poſſit non exiſtimare malum, ſicut eſt miſeria, vel aliquid hujuſmodi. Unde antequam tanta deliberatio fiat, quanta requiritur in homine ſic diſpoſito ad vitandum peccatum mortale, præcedit conſenſus in peccatum mortale. Et ideo ſuppoſita adhæſione liberi arbitrij ad peccatum mortale, ſive ad finem indebitum, non eſt in poteſtate ejus, quod vitet omnia peccata mortalia; quamvis unumquodque poſſit vitare, ſi contranitatur. Quia etſi hoc vel illud vitaverit adhibendo tantam deliberationem, quanta requiritur; non tamen poteſt facere, quin aliquando ante tantam deliberationem præveniat conſenſus in peccatum mortale: cùm impoſſibile ſit hominem ſemper, vel diu in tanta vigilantia eſſe, quanta ad hoc requiritur propter multa, in quibus mens hominis occupatur. Ab hac autem diſpoſitione non removetur, niſi per gratiam: per quam ſolam efficitur, ut mens humana bono incommutabili per charitatem tanquam fini adhæreat. Patet ergo ex dictis, quod nec liberum arbitrium tollimus; cùm dicimus, quodlibet peccatum ſingulariter poſſe vitare, vel facere: nec iterum tollimus neceſſitatem gratiæ; cum dicimus hominem non poſſe vitare omnia peccata venialia, quamvis poſſit ſingula vitare. Et cum dicamus hominem in peccato mortali exiſtentem non poſſe omnia peccata mortalia vitare, niſi gratia superveniat; quamvis ſingula poſſit vitare; & hoc propter adhæſionem voluntatis habitualem ad finem inordinatum: quæ duo Auguſtinus comparat curvitati tibiæ, ex qua ſequitur neceſſitas claudicandi. Sic verificantur Doctorum ſententiæ, quæ circa hoc variæ videntur. Quorum quidam dicunt hominem abſque habituali gratia gratum faciente poſſe peccatum mortale vitare; quamvis non ſine divino auxilio, quo hominem ſua providentia ad bona agenda, & mala vitanda gubernat: hoc enim verum eſt cum contra peccatum conari voluerit: ex quo contingit, ut poſſint ſingula vitare. Alij verò dicunt, quod non poteſt homo ſine gratia diu ſtare, quin peccet mortaliter. Quod quidem verum eſt quantum ad hoc, quod non diu contingat hominem eſſe habitualiter diſpoſitum ad peccandum, quin occurrat ſibi repente aliquid operandum, in quo ex inclinatione mali habitus labitur in conſenſum peccati mortalis; cùm non ſit poſſibile hominem diu eſſe vigilem ad hoc, quod ſufficientem ſolicitudinem adhibeat ad vitandum peccatum mortale*, Hæc D. Thomas, quæ perſpicuè continent noſtram aſſertionem, & ipſe magis elucidat 3. contra gent. cap. 160. ubi videri poteſt.

D. Thom.

Objectiones contra rationem D.Thom.

202. Nec refert, ſi objicias propoſitam rationem eſſe inefficacem ad intentum, pro quo eam adduximus. Tum quia D. Thomas non excludit in ea, ſed potius includit caſum gravis tentationis, ut conſtat ex *ſolutione ad 11. ad 12. ad 15. & ad 23.* ubi requirit gratiam juſtificantem ad vitandum peccatum per longum tempus: quia ſine illa non poteſt homo reſiſtere omnibus tentationibus, quæ intra prædictum tempus occurrunt: at ſic eſt, quòd noſtra aſſertio procedit de neceſſitate gratiæ ad obſervanda collectivè præcepta independenter ab occurſu gravis tentationis: ergo non rectè ad eam adſtruendam utimur præmiſſa ratione D. Thomæ. Tum etiam quia ratio Angelici Doctoris ſolùm procedit de illo, qui per propriam phyſicè voluntatem converſus eſt ad bonum commutabile ſicut ad ultimum finem; non verò de illo, qui per voluntatem phyſicè alienam, & ſolum moraliter propriam averſus eſt à Deo, nec converſus eſt habitualiter ad objectum diſſonum rationi, ut contingit in his, qui ſolùm peccato originali ſunt infecti: hoc enim apertè deducitur ex poſterioribus verbis prædictæ rationis: atqui noſtra concluſio intelligenda eſt de homine lapſo ſive in peccato perſonali, ſive etiam in originali tantùm, ut liquet ex dictis in limine dubij præcedentis, in quo ſenſu præſentem difficultatem diſcutimus: ergo idem quod prius.

Tum præterea quia ratio S. Doctoris innititur in hoc, quod in repentinis operamur ſecundùm habitum, & finem in habitu præconceptum: ſed ſæpe is, qui eſt in peccato mortali non habet habitum vitioſum, quo ſit inclinatus habitualiter ad objectum diſſonum rationi: quia ex uno actu peccati non generatur habitus: ergo prædicta

ratio

Digitized by Google

ratio non eſt univerſaliter efficax pro omnibus exiſtentibus in peccato mortali habituali. Tum denique quia homo per peccatum mortale non convertitur ad objectum peccaminoſum ſicut ad finem ultimum, quem proinde ſequi debeat in repentinis, ut ſupponere videtur D. Thomas; ſed hujuſmodi finis eſt proprij ſuppoſiti bonum, quod præſcindit à creato, & increato, honeſto, & inhoneſto, ut ſtatuimus *in Tract. de ultimo fine diſp. 4. dub. 3.* ex eo autem quod homo operetur conformiter ad hujuſmodi finem non peccat, eo quod actus noſtri deſumunt ab illo bonitatem, aut malitiam, ut diximus loco citato: ergo cum ratio adducta innitatur in hoc, quod homo ſequitur inclinationem habitus præexiſtentis, & operatur conformiter ad finem, ad quem eſt ultimo converſus, niſi maxima præmeditatione, & vigilia in contrariis ſe cohibeat; nullius videtur eſſe momenti ad convincendam noſtram concluſionem. Præſertim cùm ſæpe ille, qui averſus eſt à Deo per peccatum furti, verbi gratia, proſequatur odio, & diſplicentia hujuſmodi objectum antequam ad ſtatum gratiæ revertatur: nam in hoc caſu etiamſi illi repente occurrant plura convenientia furto, ſive inclinationi præteritæ, & contraria Deo; non rapietur ab illis ex vi præcedentis adhæſionis, & peccati commiſſi contra juſtitiam, utpote quæ jam in tædio ſunt.

Reſpondetur ad 1.

203. Non itaque hæc referunt: nam ratio D. Thomæ univerſalis eſt, & efficax pro adſtruenda neceſſitate gratiæ in omnibus exiſtentibus in peccato mortali, ſive perſonali, ſive originali, & ſive habeant comitem habitum vitij, ſive non: quia ſolùm innititur in eo, quod peccator averſus eſt à Deo, & converſus ad bonum commutabile ſicut ad finem ultimum, quæ duo inſeparabilia ſunt à quolibet peccato mortali habituali, ut modò ſupponimus ex vera doctrina, quam ſtatuimus *Tract. 13. de peccat. diſput. 16. dub. 3. num. 68.*

Unde ad objectionem propoſitam in contrarium reſpondetur negando antecedens. Et ad primam illius probationem neganda eſt major: quia D. Thomas in ſolutione illorum argumentorum non reddit pro cauſa neceſſitatis gratiæ juſtificantis ad vitandum peccatum per longum tempus occurrentiam gravis tentationis, quæ nequit vinci abſque prædicta gratia: ſed ſimpliciter aſſerit hominem lapſum in peccato opus habere gratia habituali ad vincendas graves tentationes, quæ per longum tempus occurrunt. Quæ propoſitio & veriſſima eſt, & longè diverſa à præcedenti, eamque ſæpius iteravit D. Thomas quia id exigebat ſolutio argumentorum, quibus ſatisfaciebat: intendebant quippe probare neceſſariam non eſſe gratiam homini lapſo ad vincendas tentationes, quæ per longum tempus occurrunt: quod negat S. Doctor. Non tamen illarum occurſui, & victoriæ obligavit vim ſuæ rationis; ſed independenter ab hoc principio, nullaque facta mentione gravis tentationis, ſtatuit opus eſſe gratia habituali ad hoc, ut ille, qui ſemel lapſus eſt in peccato mortali, poſſit obſervare diu totam legem, & vitare omnia peccata. Idque oſtendit ratione valde univerſali: quia nimirum cùm peccator averſus ſit à Deo, & converſus ad creaturam; nequit perſiſtere diu abſque novo alio peccato, niſi per gratiam ſanctificantem ad debitum finem reparetur, ut conſtat ex proceſſu litteræ, ubi nec tentationis vocem offendes.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam probationem etiam neganda eſt major: quia ut nuper dicebamus, ratio D. Thomæ procedit univerſaliter de exiſtente in peccato mortali, quodcumque illud ſit: nec oppoſitum colligitur ex poſterioribus verbis litteræ: quia ibi per inclinationem *mali habitus*, per quem aſſerit peccatorem eſſe habitualiter diſpoſitum ad peccandum non intelligit habitus vitiorum, aut aliquam aliam formam, aut qualitatem; ſed ſolam privationem gratiæ, ſeu averſionem à Deo, & converſionem ad bonum commutabile: quæ duo inſeparabilia ſunt à peccato habituali etiam originali, ut oſtendimus *loco ſupra citato.* Deſumiturque hæc ſolutio ex illis verbis propoſitæ rationis: *Homo, qui eſt in peccato mortali, habitualiter peccato inhæret: quamvis enim non ſemper habeat habitum vitij, quia ex uno actu luxuriæ habitus non generatur; voluntas tamen peccantis, derelicto incommutabili bono, bono commutabili quaſi fini adhæſit. Et hujuſmodi adhæſionis vis, & inclinatio in ea manet quouſque iterato bono incommutabili quaſi fini inhæreat.* Ubi ut vides, nomine inclinationis ad peccandum non intelligit D. Thomas habitum vitij, aut aliquam aliam formam, præter averſionem à bono incommutabili, & converſionem ad commutabile bonum, quæ importat quodlibet peccatum habituale etiam originale.

Quibus adde primò peccatum originale importare de materiali concupiſcentiam, quæ poteſt dici habitus, non ſolùm quia includit potentias animæ, quatenus ſecundùm ſe propendunt in bonum delectabile, & ſenſibile; ſed etiam quia per illum tales potentiæ amiſſo retinaculo originalis juſtitiæ; quo ſub ratione continebatur, redditæ ſunt expeditæ, & habiles ad inordinatè concupiſcendum, ut optimè explicat idem D. Thomas *in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 3. ad 2.* ubi videri poteſt. *D. Thom.*

Adde ſecundò neminem ex adultis eſſe in peccato originali tantùm: quia cùm primò pervenit ad uſum rationis, vel convertitur ad Deum diligendo eum ſuper omnia, ut tenetur; & ſic juſtificatur: vel non convertitur; & ita adjungit peccato originali aliud perſonale, ut ſuperiùs diximus, & latè oſtendimus *Tract. 13. de peccat. diſp. 20. dub. 1. & 2.* Unde admiſſo, quòd ratio D. Thomæ procedat tantùm de illo, qui eſt in peccato perſonali, nihil ſui roboris amittit; ſed probat optimè noſtram aſſertionem: quia ſolùm in prædicto caſu poteſt habere locum difficultas, quam in ea reſolvimus. Verum tamen eſt prædictam rationem ita eſſe diſpoſitam, & univerſalem, quòd ſi adultus per poſſibile, vel impoſſibile eſſet lapſus in ſolo peccato originali; opus haberet gratia juſtificante ad obſervandam diu totam legem, cavendaque omnia peccata: quia innititur principiis generalibus peccati habitualis, ut eam expendenti conſtabit.

204. Ad tertiam probationem dicendum habitum peccati, quem juxta mentem D. Thomæ ſequi debet in repentinis is, qui exiſtit in ſtatu peccati mortalis, non eſſe habitum vitij, ut conſtat ex verbis modò adductis S. Doctoris; ſed eſt ipſum peccatum habituale, quod conſiſtit formaliter in privatione gratiæ, & importat pro materiali converſionem ad bonum proprium ſicut ad ultimum finem: appellat namque S. Doctor prædictum peccatum *habitum*, quia habitui aſſimilatur, non ſolum in eo quod habitualiter permanet; ſed etiam quia cum de ratione habitus ſit diſponere bene, vel male in ordine ad naturam, & ordinare, vel inordinatas reddere ejus partes, ut ex diffinitione habitus conſtat; *Ad tertiam.*

quid

Digitized by Google

quidquid prædicto modo diſponit, non omnino impropriè dicitur *habitus*. Unde quia per privationem gratiæ partes humanæ naturæ male ſe habent, ſuntque in ordine ad ipſam naturam pravè diſpoſitæ; merito talis privatio dicitur habitus.

Ad quartam. Ad quartam probationem reſpondetur finem ultimum peccatoris tam in re, quàm ex mente D. Thomæ non eſſe aliquid ſecundùm ſe inordinatum, ſed eſſe proprium ipſius peccatoris bonum ſub hac communi ratione boni proprij ſine ulla alia reſtrictione, connotando tamen privationem gratiæ, & charitatis, per quam privationem excludit ſubordinationem ad bonum divinum ſecundùm ſe, & fit irreferibile ad illud. Unde peccator plus amat bonum proprium, etiam ſi contrarium ſit bono divino, quàm ipſum divinum bonum. Tum quia propter illud receſſit ab iſto. Tum etiam quia finis ultimus eſt, qui maximè diligitur. Et ideo quotieſcumque peccatori occurrat volendum aliquid conveniens bono proprio, & repugnans bono divino; amplectetur illud, niſi prævia matura conſideratione in contrarium ſe cohibeat: quia ut optimè perpendit D. Thomas, tam *in hoc loco*, quàm *in 3. contra gentes cap. 160. ratione 2.* illud, ad quod mens magis ſe habet, eligit, niſi per rationis diſcuſſionem ab eo quadam ſolicitudine abducatur. *D. Thom.* Unde cùm impoſſibile ſit mentem hominis eſſe diu continuoque in ea vigilantia, ut per maturam rationem diſcutiat, quidquid debet velle, vel agere; & alias in diſcurſu longi temporis neceſſariò ei occurrant plura delectabilia ſecundùm ſenſum, convenientia bono proprio, & repugnantia bono divino: inde fit non poſſe eum cohibere ſe diu ab omni peccato, omniaque divina mandata obſervare; ſed infallibiliter, in aliquo deficiet, niſi per gratiam juſtificantem convertatur ad debitum finem, diligendo bonum divinum, plus quàm bonum proprium.

Per quod patet ad ultimam probationem: nam licet is, qui ob amorem pecuniæ à Deo receſſit, mutatus ſit in contrariam voluntatem, qua præterita culpa ſibi diſpliceat; quoad uſque tamen aſſequatur gratiam juſtificantem, manet habitualiter converſus ad bonum proprij ſuppoſiti, ut comprehendit honeſtum, & inhoneſtum, ſicut ad ultimum finem, quem præfert bono divino. Unde quotieſcumque ſibi occurrat volendum objectum conveniens fini proprio, & repugnans bono divino, cujuſmodi ſunt delectationes tactus, & ſimiles; amplexabitur illud ex vi adhæſionis habitualis ad bonum proprium, in qua exiſtit, niſi ſeria diligentique conſideratione ab hujuſmodi affectu retrahatur. Cumque in proceſſu longi temporis neceſſariò ei occurrant plura objecta extra materiam furti exorbitantia à bono divino; non poterit non rapi ab aliquo ex illis, & ſic peccare; quantumvis præterita culpa furti ſibi diſpliceat.

§. II.

Duplex ſententia in contrarium.

Opinio Vazquez. 205. CONtra noſtram aſſertionem duplex militat ſententia. Prima, quam tuetur Vazquez *in præſenti diſp. 196. cap. 3. & diſp. 210. cap. 8.* aſſerit ad ſervanda collectivè omnia præcepta naturalia ſufficere auxilia naturalia gratuita ordinis naturalis, qualia ſunt cogitationes congruæ, illæ nimirum, quæ infallibilem habent connexionem cum opere honeſto, ad cujus executionem excitant voluntatem. Unde licèt prædictus Auctor concedat nexum aliquem inter obſervationem legis naturalis, & gratiam: eum quippe manifeſtè convincunt teſtimonia Scripturæ, & alia, quæ ſupra dedimus: nihilominus negat, quòd gratia ſe neceſſariò habeat antecedenter ad prædictam obſervationem; ſed ponit eam conſequenter: quia obſervanti inquit, legem naturalem promiſſa eſt gratia juſtificans. Quam doctrinam, quæ ſatis ſingularis eſt, examinabimus *diſput. ſequenti dubio 9.* Modò verò quantùm ad rem præſentem, fundamentum hujus opinionis eſt: quia tota impotentia hominis lapſi ad ſervanda diu, & collectivè divina mandata, provenit ex defectu congruæ cogitationis excitantis ad actum honeſtum: ergo congrua cogitatio eſt, quæ tribuit potentiam ad prædictam obſervationem. *Fundamentum.* Conſequentia eſt perſpicua. Antecedens verò ſuadetur: Tum quia etiamſi homo habeat gratiam habitualem, non poterit elicere actum honeſtum, niſi congrua cogitatione excitetur; excitatus verò etiam ſine gratia eliciet illum. Tum etiam quia ideo Div. Thomas negat poſſe hominem lapſum vitare omnia peccata, quia non poteſt eſſe diu, continuoque in tanta conſideratione, quanta neceſſaria eſt ad reſiſtendum appetitui, & inclinationi peccati habitualis: ergo impotentia ad ſervandum diu divina præcepta, & abſtinendi ab omni peccato provenit ex defectu congruæ cogitationis, ſive conſiderationis.

Diruitur. Reſpondetur negando antecedens: quia cogitatio congrua nequit conferre poſſe ad actum voluntatis, ad quem movet. Tum quia operatio intellectus nequit conferre vires intrinſecas voluntati, ut infrà latè oſtendemus *diſput. 5. dub. 4.* Tum etiam quia potentia libera ad aliquem actum non habet per ſe infallibilem connexionem cum illo; congrua autem cogitatio, ut vult hujus opinionis Auctor, connectitur infallibiliter cum operatione voluntatis, ad quam movet: ſive id proveniat ex eo, quòd voluntas nata eſt ſequi ultimum judicium rationis, ſive aliunde. Unde prædicta cogitatio non ſe tenet ex parte actus primi, ſed ex parte actus ſecundi, qui præſupponit potentiam, ſeu actum primum. Et conſequenter impotentia hominis ad ſervandum omnia præcepta collectivè non eſt ultimò revocanda in defectum prædictæ cogitationis; ſed in radices illas, quas ſupra ex D. Thoma aſſignavimus. Ad primam autem probationem in contrarium reſpondetur, quòd licèt juſtus nullam eliciat operationem honeſtam abſque cogitatione congrua; non tamen ab ea accipit potentiam ad rectè operandum; ſed vel ab inclinatione naturali, vel à gratia juſtificante: in quarum virtute poteſt ſe movere per congruam cogitationem ad rectè operandum. Eſtque manifeſta inſtantia in præmotione phyſica, ſine qua nihil operatur voluntas creata, & qua poſita infallibiliter eliciet operationem ad quam præmovetur: & tamen non ſortitur ab ea potentiam ad rectè agendum; neque per carentiam præmotionis fit impotens ad actum honeſtum. Et ratio eſt eadem utrobique: quia nec præmotio phyſica, nec congrua cogitatio ſe tenet ex parte potentiæ ad operandum, ſed magis ex parte actus ſecundi.

Ad ſecundam probationem conceſſo antecedenti negamus conſequentiam: quia aliud eſt carentia conſiderationis actualis, aliud verò carentia potentiæ ad conſiderandum. Prima autem non excludit

Digitized by Google

excludit à peccatore poſſe ad ſervanda diu divina præcepta; ſed ſecundò: in quam S. Doctor prædictam impotentiam refudit, ut conſtat ex ejus verbis. Non enim ait peccatorem non poſſe ſubſiſtere diu abſque peccato, quia non conſiderat ea, quæ neceſſum eſt conſiderare ad vitanda peccata; ſed quia non poteſt eſſe diu in tanta vigilia, & conſideratione, quanta ad hoc requiritur propter multa, in quibus mens hominis occupatur.

Replica.

206. Dices: ſi Deus jugibus congruis cogitationibus, ſubveniret peccatori in ſingulis occaſionibus peccandi, poſſet iſte diu eſſe abſque peccato, ſervareque proinde omnia præcepta naturalia collectivè: ſed Deus poteſt conferre peccatori prædictas cogitationes abſque gratia habituali, ut quæ non habent cum illa neceſſariam connexionem: ergo neceſſaria non eſt hujuſmodi gratia ad hoc, ut homo lapſus poſſit diu cavere omnia peccata; ſed ſufficiunt ad id prædictæ cogitationes.

Solvitur.

Reſpondetur minorem eſſe veram, loquendo de potentia abſoluta; ſecus verò de potentia ordinaria, & communi etiam ordinis gratiæ: quia dum homo eſt in peccato, non habet formam, & diſpoſitionem, cui connaturales ſint omnes illæ cogitationes congruæ; ſed potiùs ſunt ei extraneæ, & quaſi violentæ ob propenſionem, quam habet in contrarium, cum ratione propriæ defectibilitatis, tum ratione appetitus ſenſitivi, & peccati habitualis, in quo exiſtit. Unde quouſque hujuſmodi peccatum auferatur, & homo ſanetur, & roboretur per gratiam ſanctificantem, non poteſt Deus conferre homini omnes prædictas cogitationes; niſi utendo intra ipſum ordinem gratiæ ſua abſoluta potentia: quæ non attendit, quid congruum, & debitum ſit naturis rerum, ſed abſolvitur ab hoc reſpectu.

Alia ſententia.

207. Secunda ſententia docet non eſſe neceſſariam homini lapſo gratiam juſtificantem ad ſervanda collectivè, & per longum tempus omnia divina præcepta; ſed ſufficere ad id auxilia actualia, & tranſeuntia, quæcumque illa ſint. Hanc opinionem tuentur D. Bonaventura *eadem diſt. art.* 1. *quæſt.* 3. Durand. *quæſt.* 4. Gabriel *art.* 2. Marſilius, & alij.

D.Bonavent. Durandus. Gabriel. Marſilius.

Primum argumentum.

Poteſtque ſuaderi primò: quia ad hoc, ut homo obſervet unum præceptum naturale, ſufficit unicum auxilium: ergo, ad hoc, ut obſervet omnia, ſufficit idem auxilium, ſi conferatur per ſingulas vices, ſeu occaſiones obſervandi præcepta: nam ſicut ſe habet unum auxilium ad obſervationem unius præcepti; ita ſe habent multa auxilia ad obſervationem plurium præceptorum: ſed prædictum auxilium poteſt conferri à Deo homini lapſo abſque gratia habituali pro omnibus momentis, in quibus urgent præcepta: non enim adeſt ratio in contrarium: ergo, &c.

Confirmatio nis. D.Cyrillus.

Confirmatur primò ex D. Cyrillo *lib.* 10. *in Ioann. cap.* 8. ubi ait, quòd obſervatio mandatorum Dei efficit charitatem: ergo charitas, & idem eſt de gratia habituali, non antecedit obſervationem omnium mandatorum, ſed potius ſubſequitur ad illum: ergo gratia, quæ neceſſariò antecedit prædictam obſervationem eſt gratia actualis, ſive auxilians, non verò juſtificans.

Iſaiæ 1.

Confirmatur ſecundò: quia Iſaiæ 1. injungitur hominibus, ut vaccent honeſtis operibus, & obſervationi divinæ legis, & ſtatim ſubditur: *Venite, arguite me, ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Ubi peccatorum dealbatio, quæ habetur per juſtificationem, promittitur obſervatoribus legis: ergo legis obſervatio non ſupponit ut principium gratiam juſtificantem; ſed poteſt illam præire, & vel ex ſe, vel ex divino decreto inferre juxta illud Jacobi cap. 2. *Ex operibus juſtificatur homo.* Iacob 2.

Reſpondetur argumento.

Reſpondetur ad argumentum negando minorem ſubſumptam, loquendo, ut in præſenti loquimur, de potentia Dei ordinaria, & communi ordinis gratiæ: nam ad hoc, ut juxta ordinem, & diſpoſitionem hujus providentiæ conferantur homini tot auxilia, opus eſt, ut habeat in ſe formam, ſeu diſpoſitionem, quæ vel exigat illa, vel ſaltem cui ſint connaturalia. Sicut enim homini, cui non eſt connaturalis curſus velox, nequeunt conferri à Deo de lege ordinaria auxilia, quibus plures, frequenteſque curſus velociter conficiat; ita homini lapſo ſecundùm potentiam ordinariam providentiæ gratuitæ nequeunt conferri tot auxilia, quod neceſſaria ſunt ad obſervandum diu, & collectivè omnia Dei mandata, ad quorum obſervationem eſt impotens propriis viribus; licèt non ſit contra ordinem prædictæ providentiæ, quòd ei unum, vel alterum ex prædictis auxiliis concedatur, ut ſupra à *num.* 198. fuſiùs explicuimus.

Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem reſpondetur obſervationem præceptorum efficere charitatem quantum ad illius intenſionem, & augmentum; non verò quantum ad ejus ſubſtantiam: quia illa efficientia non eſt phyſica, ſed moralis ſive meritoria: quæ ſolùm poteſt dari reſpectu intenſionis charitatis, non verò reſpectu ſubſtantiæ illius: quia nulla opera præcedentia charitatem ſunt ſimpliciter meritoria, ut dicemus *in Tractat. de Merito diſp.* 3. *dub.* 1. & *diſp.* 4. *dub.* 1.

D. Hieron. D.Baſilius.

Ad ſecundam confirmationem dicendum cum D. Hieronymo, & Baſilio homines, quos ibi allicit Scriptura ad exercitium virtutis eſſe juſtificatos: nam ante illa verba præmiſerat Vates: *Lavamini, & mundi eſtote:* quæ munditiès nequit haberi abſque juſtificationis gratia. Unde nomine peccatorum, de quibus poſtea ſubdit, *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum,* &c. intelliguntur vel pœnæ peccatorum relictæ ex peccatis mortalibus præcedentibus, vel peccata venialia: in quæ frequenter juſtus impingit, ut videbimus *dub. ſeq.*

Ad teſtimonium D. Jacobi reſpondetur hominem juſtificari ex operibus, id eſt, oſtendere ſe juſtum: quia ut ſupra diximus ex D.Thoma, obſervatio mandatorum non eſt cauſa juſtificationis, ſed ſignum: unde qui mandata obſervat, exhibet ſignum, quo oſtenditur juſtus.

Secundum argumentum.

208. Arguitur ſecundò ab inconvenientibus: quia ſi homo nequit abſque gratia juſtificante ſervare longo tempore præcepta naturalia; ſequitur *primò* poſſe hominem certò evidenter cognoſcere ſe eſſe in gratia; ſiquidem poteſt evidenter judicare, quòd longo tempore non violaverit aliquod præceptum grave; ſi reipſa ita ſe geſſit in præceptorum adimpletione: conſequens eſt omnino falſum, ut nos ipſi oſtendemus infra *diſp.* 9. *dubio unico:* ergo ad diuturnam præceptorum naturalium adimpletionem non requiritur determinatè gratia juſtificans. Sequitur *ſecundò* peccatorem teneri ſub mortali ad procurandum ſibi remedium gratiæ juſtificantis, vel recipiendo Sacramenta pœnitentiæ, vel eliciendo actum contritionis: quod eſt nimis durum, & contra communem Theologorum ſententiam. Sequela autem oſtenditur: nam ſub mortali tenetur vitare, quantum in ſe eſt, periculum proximum peccandi mortaliter:

mortaliter: ſed juxta noſtram ſententiam exiſtens in ſtatu peccati non diu permanebit, quin novum aliud mortale infallibiliter committet, niſi reparetur per gratiam juſtificantem: ergo peccator tenetur ſub culpa gravi quærere juſtificationis remedium.

Confirmatur. Confirmatur: quia ſi rationes à nobis factæ bene perpendantur; probant, quod nec ipſa gratia juſtificans ſit ſufficiens, ut homo poſſit longo tempore ſervare præcepta, & vitare peccata: conſequens eſt falſum, & quod aperit viam adjiciendi alia, & alia auxilia ſine termino ad effectum, pro quo neceſſitatem gratiæ juſtificantis adſtruimus: ergo ſicut prædictæ rationes non deſtruunt ſufficientiam gratiæ juſtificantis, ita nec probant, quòd auxilia actualia non ſufficiant, ut homo poſſit longo tempore præcepta naturalia obſervare. Sequela videtur manifeſta: nam prædictæ rationes fundantur in eo, quòd homo eſt quaſi diviſus in oppoſitas inclinationes, & patitur rebellionem appetitus, & nequit continuo proſpicere omnes occaſiones peccandi, tantamque adhibere vigilantiam, ut motiva peccandi ſuperet, & propulſet per oppoſita, & ſatis bene conſiderata motiva: ſed hæ rationes etiam urgent in homine juſtificato: licèt enim ſanetur ſecundùm mentem; relinquitur tamen cum infirmitate, & rebellione partis inferioris, retinetque inclinationes valde contrarias, & alios defectus, ne poſſit permanere in vigilantia adeo magna, qualem ſupra ex D. Thoma deſcripſimus: ergo prædictæ rationes probant, quod neque ipſa gratia juſtificans ſufficiat ad effectum, pro quo aſſerimus ejus neceſſitatem.

Diluitur argumentum. Ad argumentum reſpondetur nullum inconveniens inferri ex noſtra, & communi ſententia. Ad *primum* negamus ſequelam. Tum quia licèt ſententia noſtra ſit veriſſima, & valde communis; nihilominus opinio contraria non videtur omni probabilitate pœnitus deſtitui: unde aſſertio noſtra nequit eſſe principium ad judicium illud adeò evidens, & certum: quale in objectione proponitur. Tum etiam quia etſi fieri poſſit, quod homo certo non ſciat ſe peccaſſe in aliqua notabili temporis duratione; fieri tamen non valet, ſecluſa Dei revelatione, quòd certò ſciat ſe nullum peccatum commiſiſſe: ſecretum enim eſt cor hominis, & quod ipſi homini non ſatis patet, juxta illud Apoſt. 1. ad Corinth. 4. *Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.* Tum denique quia primo illo, & ſecundo conceſſo, adhuc tamen non plenè conſtat, quantum ſit illud tempus, quod in præſenti materia dicitur diuturnum, & longum: & ita ex vi hujus nequit homo determinari ad certum judicium, quo reputet ſe habere gratiam juſtificantem, ſine qua nemo longum tempus decurrit, quin novum peccatum grave committat. Ad ſecundum etiam negamus ſequelam. Cujus probatio ex proximè dictis ſatis diluitur, quin opus ſit alia adjicere. *1. ad Cor. 4.*

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem reſpondetur nos in præſenti ſolùm intendere, quod ad diuturnam præceptorum obſervationem, ſecundùm communem, & ordinariam providentiam ordinis gratiæ, non ſufficiunt auxilia tranſeuntia, & quod requiritur gratia habitualis juſtificans: quod ſatis evincunt rationes ſupra factæ: minimè verò determinamus, an hujuſmodi gratia ſe ſola, & abſque indigentia alterius ſpecialis auxilij ſufficiat: ſed id decidendum relinquimus ad *diſp. ſeq. dub.* 10. ubi propriam ſedem habet. Quòd ſi probatio, quam confirmatio urget, efficax fuerit, non abnuemus ſequelam admittere: quod *loco cit.* plene conſtabit.

DUBIUM VII.

Utrum ad vitanda omnia peccata venialia collectivè requiratur ſpeciale gratia privilegium, & cui fuerit conceſſum.

Dubiis præcedentibus examinavimus vires arbitrij noſtri per comparationem ad ea, quæ obligant ſub mortali: nunc autem videndum eſt, quid valeat in ordine ad cavenda peccata venialia. Pro cujus difficultatis perfecta deciſione neceſſarium eſt aliqua prælibare, ex quibus ejus intelligentia, ut fiat ſpecialis, dependet; & in ſimul ſtatuere, ac relinquere ut certa, quæ ſunt citra controverſiam præſentem, atque illius reſolutioni deſerviunt.

§. I.

Obſervantur aliqua ad dubij deciſionem neceſſaria.

109. Peccatum veniale, ut ſumitur ex Div. Thoma *in hac* 1. 2. *quæſt.* 87. *art.* 1. *& quæſt.* 7. *de Malo*, *art.* 1. *ad* 1. & alibi ſæpe, in hoc præcipuè diſtinguitur à mortali, quod iſtud eſt ſimpliciter contra legem; ſecus verò illud. Ut enim quis graviter delinquat, neceſſarium eſt, quòd tendat contra legem ſimpliciter, ly *ſimpliciter* cadente tum ſupra legem, quam violamus, tum ſupra modum tendendi adverſùs ipſam: nam & lex debet eſſe lex ſimpliciter, hoc eſt, graviter obligans, neceſſariaque ad aſſequendum ultimum finem; & illius tranſgreſſio debet eſſe ſimpliciter voluntaria. Ubi autem unum iſtorum deficit, quia vel lex non eſt neceſſaria ſimpliciter ad ultimi finis aſſecutionem; vel actus, quo violatur, non eſt voluntarius ſimpliciter; nequit peccatum eſſe grave, ſed ſolùm eſt veniale: quod proinde in eo conſiſtet, quòd vel ſit præter legem, vel ſolùm opponatur legi ſecundùm quid. *Diſtinctio peccati venialis à mortali.*

110. Unde oritur diviſio peccati venialis frequentiſſima apud Theologos, & cujus notitia præſentis dubij reſolutioni ſubſidio eſt. Aliud enim vocatur veniale *ex genere*, ut verbum otioſum: quia ex proprio objecto, & materia nulli legi ſimpliciter tali opponitur: & ideo quantumcumque intra proprium genus creſcat, nunquam evadit mortale. Aliud dicitur veniale *ex parvitate materiæ*, ut furtum unius ovi, quod licèt opponatur legi gravi, tamen non attingit ſimpliciter materiam illius, ſed ſolùm ex parte, nempè materiam ſecundùm quid. Aliud denique appellatur veniale *ex imperfecta deliberatione*, ut motus contra fidem ſemiplenè deliberatus; quoniam etſi opponatur legi graviſſimæ, & attingat materiam ſatis magnam; nihilominus attingit illam imperfectè ob defectum perfectæ deliberationis: & ideo eſt incapax malitiæ mortalis. Quæ & alia huc ſpectantia latè tradidimus *to.* 4. *Tr.* 13. *diſp.* 19. per totam. *Diviſio peccatorum venialium.*

111. Circa poteſtatem ergo, vel impotentiam vitandi peccata venialia plures invenimus errores, quorum nonnullos commemorare libet, ut per eorum excluſionem gradum faciamus ad difficultatem in hac parte præcipuam. Primus eſt eorum, qui aſſerunt hominem, quantumcumque auxilio gratiæ adjuvetur, impotentem eſſe vel ad unicum peccatum veniale vitandum; ſed in omni opere *Primus error in hac materia.*

Digitized by Google

ſaltem venialiter delinquere. Hunc errorem, cujus jam ſupra *dub.* 2. *num.* 18. meminimus, tenuerunt Lutherus, ut conſtat ex bulla Leonis X. ubi *num.* 32. damnatur hæc illius propoſitio: *Hoc opus bonum optimè factum eſt peccatum veniale.* Calvinus *lib.* 3. *Inſtitut. cap.* 14. §. 9. ubi ait: *Nullum à ſanctis exire poteſt opus, quod non mereatur juſtam opprobrij mercedem.* Kemnitius *in examine Concilij Tridentini*, & alij ſectarij apud Bellarm. *lib.* 4. *de Iuſtificat. cap.* 10. Sed hujus delirij falſitatem ſupra oſtendimus *loco citato.* Modò verò meminiſſe ſufficiat prædictum errorem damnari à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 25. his verbis: *Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, &c. anathema ſit.*

Lutherus. Calvinus. Kemnitius. Conc.Trid.

212. Huic errori fuit extremè oppoſitus error alius Joviniani, qui, ut refert D. Hieronymus *lib.* 2. adversùs eundem, docebat hominem ſemel gratiam conſequutum non poſſe amplius vel venialiter peccare. Quod dogma poſtea ſuſcitavit, & amplexus eſt Joannes Hus, ut conſtat ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 15. *num.* 16. ubi prædictus error damnatur. Cui etiam magna ex parte adhæſerunt Begardi, atque Beguinæ aſſerentes poſſe hominem ad talem perfectionis gradum in hac vita pervenire, ut amplius nequeat ullo modo peccare. Quamobrem damnati ſunt in Concilio Viennenſi, ubi inter illorum errores hîc primo loco refertur; & habetur Concilij definitio in Clementina *Ad noſtrum* de hæreticis. Iterumque prædictam hæreſim refellit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. his verbis: *Licèt enim in hac mortali vita quantumvis ſancti, & iuſti, in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant; non propterea deſinunt eſſe iuſti: nam iuſtorum illa vox eſt & humilis, & verax; Dimitte nobis debita noſtra.* Et canon. 25. *Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, anathema ſit.* In qua hæretica poſitione impugnanda modò non immoramur: quia illius falſitas liquidò apparebit ex his, quæ toto dubio dicemus. Videatur Caſtro *lib.* 12. adversùs hæreſes, verbo *Peccatum,* hæreſi 9.

Iovinianus. Ioan. Hus. Begardi. Beguinæ. Conc.Vien. Conc.Trid. Caſtro.

213. Tertiò erravit in hac materia Pelagius, qui tantum virium detulit arbitrio noſtro, ut aſſeruerit poſſe hominem abſque ulla gratia vitare omnia peccata venialia collectivè: docebant enim Pelagiani poſſe noſmetipſos conſervare propriis viribus immaculatos prorſus, ac innocẽtes ab omni culpa, ut apertè colligitur ex Auguſt. *lib.* 1. *contra duas epiſt. Pelag.* per totum, & Hieronymo *lib.* 2. *contra Pelagianos cap.* 1. Hic tamen error ſatis convincitur falſitatis ex dictis *dub.* 5. ubi latè oſtendimus non poſſe hominem propriis viribus ſervare omnia peccata naturalia, & vitare per longum tempus, quin incidat in aliquod peccatum mortale. Hinc enim liquidò etiam evincitur impotentia, quam gratia deſtituti habemus ad vitandum omnia peccata venialia per longum tempus: hæc quippè innumera ſunt, multoque frequentius occurrunt, quàm lethalia, atque minorem expoſcunt deliberationem, ut incurrantur: unde ſi nequit homo propriis viribus præcavere omne mortale per longum tempus; multo minus valebit abſque gratia in nullum veniale per longum tempus incidere.

Tertius error. Pelagius.

214. Unde in præſenti dubio non diſcutimus, an ſit neceſſaria aliqua gratia ad vitandum per longum tempus omnia peccata venialia collectivè: ſed id ut certum, & ſatis, ſuperque convictum ex dictis loco citato ſupponimus. Immò verò non ſufficere qualemcumque gratiam ad id connaturaliter præſtandum; ſed requiri gratiam habitualem ſanctificantem liquet ex *dub. præced.* quamvis enim poſſet Deus præſervare hominem ab omni culpa veniali, adjuvando ipſum per continuum influxum auxiliorum tranſeuntium, quibus applicaretur ad bonum, & averteretur ab omni malo, nihilominus ut hujuſmodi diſpenſatio auxiliorum connaturaliter fieret, deberet ſupponere in homine aliquod intrinſecum, à quo exigerentur, & cui proportionarentur prædicta auxilia. Ad hanc autem diſpoſitionem intrinſecam nequit non pertinere gratia habitualis: quia nulli niſi juſto, & amico Dei valet ineſſe tanta perfectio, ut petat concurſum divinum ad nunquam vel in levibus peccandum. Sed difficultas eſt, utrum ad vitandum omnia venialia collectivè ſufficiant gratia habitualis, & auxilia divina, quæ connaturaliter exigit, eique correſpondent; an autem deſideretur aliquid ultra prædictam gratiam, & auxilia ſibi correſpondentia.

Aliqua gratia neceſſaria eſt ad nunquã venialiter peccandum.

Itaque (ut quæ diximus, breviter colligamus) in hoc dubio ſupponimus contra Lutherum poſſe hominem vitare peccata venialia ſaltem diviſivè ſumpta, vel per proprias vires; vel ſaltem per vires gratiæ. Supponimus contra Jovinianum hominem juſtum viatorem poſſe peccare venialiter, & peccatum veniale cum ſtatu gratiæ conjungere. Supponimus præterea contra Pelagium non poſſe hominem propriis viribus omne peccatum veniale ita præcavere per longum tempus, quin aliquod incurrat. Denique ſupponimus, quod ut homo valeat omne peccatum veniale vitare, debet exornari, ac fulciri gratia ſanctificante. Dubium autem in eo conſiſtit, an juſtus queat per gratiam ſanctificantem, quæ communiter datur, & per auxilia illi correſpondentia vitare omnia venialia; ita ut excluſio omnis culpæ etiam venialis per longum tempus ſit actus proportionatus homini juſto, eique connaturalis intra ordinem gratiæ communis: an verò ad hoc præſtandum requiratur aliquid aliud, quod intra ordinem ipſius gratiæ habeat rationem ſpecialis privilegij? Et utrum hujuſmodi privilegium conceſſum fuerit alicui? Quamvis enim hæc poſterior dubij pars poſſet in alio loco, & fortè commodiùs pertractari; morem tamen gerimus Theologis modernis, qui illam in præſenti communiter inſerunt, & diſcutiunt.

Difficultatis cardo.

§. II.

Statuitur prima concluſio reſpondens primæ parti quæſtionis.

214. Dicendum eſt primò hominem per ſolas vires communes gratiæ ſanctificantis, & auxiliorum illi correſpondentium non poſſe vitare per longum tempus omnia peccata venialia; ſed ad hoc neceſſarium eſſe ſpeciale gratiæ privilegium. Hæc concluſio eſt de fide definita in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 6. *can.* 23. his verbis: *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum poſſe tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Idemque docuerunt communiter ſancti Patres, Ireneus *lib.* 3. *cap.* 37. Nazianzenus *orat.* 2. *in Iulianum* Cyprianus *lib. de opere, & eleemoſynis, & epiſtola de immortalitate animæ Chriſti homil.* 20. *in Matthæum*, Hilarius *Pſalm.* 118. ad illud: *Amputa opprobrium meum,* Hierony

Communis aſſertio.

Conc.Trid. D.Ireneus. Nazianz. Cyprianus. Hilarius.

Digitized by Google

Hieronym. Ambroſ. Auguſt. Gregor. Bernardus. D. Thom.

Hieronymus *lib. 1. & 3. adverſus Pelagium*, Ambroſius *in Pſal.* 118. ad illud, *Fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam*, & in Iſaiam, quem refert Auguſt. *lib. de gratia Chriſti, cap.* 40. Ipſe Auguſtin. *ibidem* & infra locis referendis. Gregorius *cap. 13. lib. 1. Reg. & homil. 17. in Evangelia*, Bernardus *epiſt.* 47 *& lib. de præcepto, & diſpenſatione*, D. Thomas *in præſenti articulo* 8. *&* 9. *& 3. part. quæſt. 87. articulo 1. ad 1. & quæſt. 24. de veritate art.* 12. Quod ſequuntur unanimiter Scholaſtici cum Magiſtro *in 2. diſt.* 28. & Theologi cum Angelico Doctore in præſenti ubi videri poſſunt Medina artic. 8. §. *Eſt aliud dubium.* Joannes à S. Thoma *diſp. 20. art.* 4. Arauxo *dub.* 3. Curiel *dub.* 2. Monteſinos *diſp. 29. quæſt.* 1. Godoy *diſp.* 45. & alij expoſitores.

Medina. Joan à S. Th. Arauxo. Curiel. Monteſin. Godoy.

Fundamentum ex ſacra Scriptura.

215. Hujus autem veritatis, utpote Catholicæ, fundamentum præcipuum ex ſacris litteris deſumendum eſt; illud tamen valemus ad hanc formam reducere: quoniam ſi gratia ſanctificans, & auxilia illi correſpondentia præſtarent homini vires ſufficientes ad vitandum per longum tempus hujuſmodi peccata venialia, aliqui juſti prædicta gratia, & auxiliis fulti vitarent de facto per longum tempus hujuſmodi peccata: conſequens eſt falſum: ergo gratia ſanctificans, & auxilia illi correſpondentia non conferunt vires ſufficientes ad vitandum per longum tempus omnia peccata venialia collectivè. Sequela videtur manifeſta: tum quia ad ſuavem providentiam, quam Deus obſervat tam in ordine naturæ, quàm in ordine gratiæ, pertinet, quòd virtus, ſeu potentia attingat ſaltem in aliquibus individuis actum ſibi proportionatum, & pro quo habet ſufficientes vires: ergo ſi gratia ſanctificans eas conferret homini ad vitandum per longum tempus omnia peccata venialia collectivè, proculdubio id præſtarent ſaltem aliqui juſti. Tum etiam quia ſi gratia ſanctificans ſimul cum auxiliis ſibi correſpondentibus daret vires proximas ad vitanda peccata venialia per longum tempus, peteret ex ſe concurſum divinum ad non deficiendum venialiter ſaltem in aliquibus individuis: ergo ſervata ſuavi providentia, ſecundùm quam Deus attendit ad exigentias rerum, eiſque ſatisfacit, aliqui juſti vitarent per longum tempus omne peccatum veniale. Tum denique quia unumquodque agitur, ſicut natum eſt agi: ſi ergo gratia juſtificans cum auxiliis, quæ ſecum trahit, reddit hominem potentem ad vitandum per longum tempus omnia venialia; nonnulli juſti id re ipſa præſtarent, quamvis alij plures ob innatam defectibilitatem ad hoc præſtandum non attingerent.

Jacob. 15. 3. Reg. 8. Proverb 24. Pſalm. 31. Matthæi 6. 1. Ioan. 1. Iacob 3. Conc. Mil.

Minor autem eſt omnino certa, & probatur primo ex ſacra Scriptura: nam Jacob. 15. dicitur: *Nemo mundus à ſorde.* 3. Reg. 8. *Non eſt homo, qui non peccet.* Proverb. 24. *Septies in die cadit juſtus.* Pſal. 31. *Remiſiſti iniquitatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus.* Matth. 6. *Dimitte nobis debita noſtra.* 1. Joann. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Jacob. 3. *In multis offendimus omnes.* Quæ ad minus convincunt nullum eſſe juſtum, qui ſecundùm legem communem, & ordinariam gratiæ providentiam non peccet ſaltem venialiter. Secundò probatur ex Conciliis: nam in Milevit. *can.* 6. hæc habentur: *Item placuit, quòd ait Ioannes Apoſtolus, ſi dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia ita verè eſt, anathema ſit.* Et can. 7. *Item placuit, ut quicumque dixerit in oratione dominica ideo dicere ſanctos: dimitte nobis debita noſtra, ut non pro ſe ipſis hoc dicant, ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores, anathema ſit.* Et can. 8. *Item placuit, ut quicumque verba ipſa dominicæ orationis ubi dicimus: dimitte nobis debita noſtra, ita volunt à ſanctis dici ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit.* Quæ Catholica doctrina iterum eiſdem verbis ſancitur in Concilio Africano, ut refert Curiel in præſenti, & tandem ſtatuitur in Tridentino, ut ſupra vidimus *num.* 212.

Africanum. Tridentinū.

Tertiò ſuadetur ex ſanctis Patribus, quos ſupra dedimus *num.* 114. & præcipuè ex D. Auguſtino eorum in hac parte duce, & cujus ore loquuntur alij: nam *lib. de bono perſeverantiæ cap.* 8. docet, quod inter tria dogmata, quæ Eccleſia adverſus Pelagianos defendit, *Unum eſt in quantacumque juſtitia, ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere,* & *lib. de ſpiritu & litera cap.* 2. inquit: *Nam ſi teſtimonia ſcripturarum, quibus exiſtimo definitum nullum hominem hic viventem, quamvis utatur libero arbitrio, inveniri ſine peccato.* Et cap. ultim. *Illud eſſe conſequens video, ut quamlibet, vel quantamlibet in hac vita potuerimus definire juſtitiam, nullus in ea ſit hominum, qui nullum habeat omnino peccatum.* Et lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 14. *Neque enim* (inquit) *quiſquam ſic deſipit, ut dicat ad baptizatos dominicum illud non pertinere præceptum: Dimittite, & dimittetur vobis. Luc. 6. Nullus autem in Eccleſia rectè poſſet ordinari miniſter, ſi dixiſſet Apoſtolus: ſi quis ſine peccato, ubi ait: ſi quis ſine crimine eſt, 1. Timoth. 3. Aut ſi dixiſſet nullum peccatum habentes, ubi ait: Nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles ſunt ſine crimine* (criminis nomine intelligit S. Pater culpam gravem) *ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus, adverſus nos inflentur, & dirumpantur inſania. Non quia aliquid peccati remaneat, quod in baptiſmate non remittatur; ſed quia in nobis in hujus vitæ infirmitate manentibus quotidie fieri non quieſcunt, quæ fideliter orantibus, & miſericorditer operantibus quotidie remittantur. Hæc eſt fidei Catholicæ ſanitas, quam ſanctus ubique ſeminat ſpiritus; non pravitatis hæreticæ vanitas, & præſumptio ſpiritus.* Idemque repetit *lib. 5. contra Iulianum cap. 9. In Enchyridio cap. 64. & ſuper Pſal. 118. ſerm. 3. & lib. 2. retract. & lib. de perfectione juſtitiæ in* fine. Videatur Joannes Driedo *lib. 1. de gratia, & libero arbitrio cap. 1. parte* 2. ubi alia adducit teſtimonia, quibus veritas hæc amplius valeat roborari.

D. Auguſt.

Eadem veritas roboratur.

216. Confirmatur urgenter: quia ſi gratia, quæ communiter confertur juſtis, & auxilia illi correſpondentia communicarent vires ſufficientes ad vitandum per longum tempus omnia peccata venialia, viri perfectiſſimi, ac ſanctiſſimi, qui ſummo ſtudio procurant venialia vitare, id reipſa aſſequerentur: nulla quippè rationabilis cauſa deſignari poteſt, cur reipſa non ſic eveniat ſaltem in aliquibus. At ſic eſt, quòd ſecundum providentiam communem ordinis gratiæ, nec perſonæ ſanctiſſimæ id aſſequuntur, ut ſint abſque omni peccato veniali per longum tempus: ergo id fieri non valet per vires communes gratiæ juſtificantis, & auxiliorum illi correſpondentium. Minor probatur: tum ex omnibus auctoritatibus, quas dudum adduximus: generales

Digitized by Google

quippè ſunt, & neminem excludentes, & quæ ſaltem debent verificari ſervata communi providentia ordinis gratiæ. Tum etiam quia Noë, Job, & Daniel fuerunt viri ſanctiſſimi, ut
Ezech.14. conſtat Ezech. 14. ubi hi ſoli ob inſignem virtutem dicuntur poſſe liberari à quadam calamitate: & tamen peccarunt venialiter: nam Noë incidit in ebrietatem Gen. 9. quæ fuit peccatum veniale ob defectum advertentiæ, licèt
Iob 14 & 41. ex genere ſit mortale. Job autem inquit cap. 14. *Sed parce peccatis meis*, & cap. 42. *Ipſe me re-*
Daniel.9. *prehendo, & pœnitentiam ago.* Daniel etiam *cap.* 9. de ſeipſo ait: *Cum orarem, & confiterer peccata mea:* Denique Apoſtoli inſignem inter omnes electos obtinuerunt ſanctitatem, maximè verò poſtquam Spiritum ſanctum in die
D. Thom. Pentecoſtes acceperunt, ut docet D. Thomas *ad Rom.* 8. *lect.* 5. ad illa verba. *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes*, & 1. *ad Corinth.* 12. *lect.* 3. ad illa verba: *Quoſdam quidem Deus poſuit in Eccleſia, primos Apoſtolos*, & *ad Epheſ.* 1. *lect.* 3. ad illa verba, *Quæ ſcilicet gratia abundavit in nobis*, ubi ſic concludit: *Ex quo apparet temeritas illorum (ut non dicam, error) qui aliquos ſanctos præſumunt comparare Apoſtolis in gratia, & gloria.* Et nihilominus poſt eximiam hanc ſanctitatem, & poſt acceptum Spiritum ſanctum, adhuc Apoſtoli committebant aliqua venialia, ut colligitur ex illo ad
Ad Galat.2. Galatas 2. *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Quod non diceret Paulus, niſi Petrus ſaltem venialiter deliquiſſet. Et ex illo Jacob. 3. *In*
Iacob.3. 1.Iſaiæ.1. *multis offendimus omnes*, & 1. Iſaiæ 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, &c. quæ Joannes, & Jacobus ſcripſerunt poſt acceptum Spiritum ſanctum. Nullus igitur eſt, quacumque ſanctitate, & ſtudio virtutis fulgeat, qui ſecundùm communem gratiæ providentiam diu permaneat abſque omni culpa veniali.

Primum effugium. 217. Quæ ratio, & confirmatio ita manifeſtè evincunt veritatem noſtræ aſſertionis, ut facilè evaneſcant ſolutiones, quibus poſſet utcumque illis occurri. Primò enim diceret aliquis ſacram Scripturam aſſerere omnes peccatores, non quia omnes actu delinquant ſaltem venialiter; ſed vel ratione peccati originalis, per habitudinem ad quod meritò vocamur peccatores, vel ratione fomitis, ſeu concupiſcentiæ, quæ frequenter peccatum dicitur, quia à peccato eſt, & ad peccatum inclinat, ut declarat Trident. *ſeſſ.* 5. in decreto de peccato originali. Potuit ergo Joannes dicere: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus:* quia ſemper habemus fomitem peccati. Idemque ſenſus poſſet applicari cæteris teſtimoniis.

Præcluditur. Sed hoc effugium ipſæmet auctoritates ſincerè intellectæ præcludunt: nam in primis Joannes poſt verba relata, ſtatim ſubjecit: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra.* Peccatum autem originale jam ſupponebatur remiſſum, fomes verò non remittitur, cùm non habeat rationem culpæ propriè dictæ: Unde nec de peccato originali, nec de fomite illud teſtimonium poteſt exponi; ſed ſolùm de peccatis perſonalibus. Qua etiam de cauſa nequit in ſenſum hujus evaſionis detorqueri illud, *Dimitte nobis debita noſtra*, & multo minus illud, *ſepties in die* (hoc eſt, frequenter) *cadit juſtus:* quia peccatum originale non ſepties, ſed ſemel contrahitur; nec juſtus dicitur cadere ex eo, quòd habeat fomitem, cui reſiſtit, ſed magis dicitur conſiſtere adverſus eum. Denique abſurdus ille interpretandi modus excluſus manet ex Conciliis, & ſanctis Patribus, ut conſtat ex iis, quæ adduximus. Unde in eo refutando non oportet ampliùs immorari.

218. Secundò reſpondebis ex Scriptura Conciliis, & Patribus, ſolùm haberi, quòd non *Alia evaſio.* poſſit homo vitare omnia peccata venialia per totam vitam, minimè verò determinari, quod nequeat illa præcavere in aliqua vitæ periodo, tametſi hoc ſpatium ſit notabile. Unde ex illis inefficaciter ſuademus noſtram aſſertionem, nempè hominem cum gratia, & cum auxiliis ſibi correſpondentibus non poſſe vitare omnia venialia collectivè per longum tempus: valde quidem diverſa ſunt hæc duo, videlicet vitare venialia per totam vitam, & vitare venialia per longum tempus: Nam licèt ab infantiâ uſque ad mortem non vitaret quis omnia venialia, poſſet tamen illa per aliquod notabile ſpatium devitare, utputà poſtquam aſſecutus eſt inſignem gradum perfectionis uſque ad extremum vitæ. Et illud tantùm videtur haberi ex hactenus dictis; maximè verò ex definitione Concilij Tridentini, quam ſupra expendimus *num.* 214.

Propter hanc evaſionem non defuerunt Theologi moderni, qui aſſererent aſſertionem noſtram *Confutatur.* non eſſe de fide, ut videre eſt apud Vazquez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 120. *cap.* 5. Illi tamen minimè audiendi ſunt, ſed eorum evaſio acriter refellenda eſt ex hactenus dictis. *Primò:* quia ut ipſi admittunt, nequit homo vitare omnia peccata venialia per totam vitam: at ſic eſt, quod ſpatium vitæ multoties eſt brevius, quam notabilis duratio, ut patet in his, qui poſtquam perveniunt ad uſum rationis, citò moriuntur: ergo nec prædeterminatum ſpatium vitæ, ſi ſemel eſt longum, valet homo omnia venialia præcavere. *Secundò:* quoniam ut optimè notavit Curiel *loc. cit.* §. 3. *verſ. & ſi quæras* Concilium Trident. *tota vita*, non deſignat tempus quia vitæ, ſed quia longum, eo quod vita regulariter duret per notabile ſpatium. Unde qui diceret eum, qui poſtquam acceſſit ad uſum rationis, brevi mortuum eſſe, nullum commiſiſſe peccatum veniale, non eſſet dignus cenſura, ſaltem gravi; cùm poſſit homo breve tempus percurrere, quin peccet venialiter, ut infrà dicemus *num.* 240. Unde affirmare, quòd quis ex gratia, & auxiliis communibus poſſit exiſtere in longo, notabili ſpatio abſque omni peccato veniali; directè contradicit menti Concilij. *Tertiò:* nam ideo non poteſt homo vivere abſque omni culpa veniali; quia occaſiones peccandi venialiter ſunt innumeræ, & magna eſt defectibilitas arbitrij noſtri: ſed hæc ratio æque urget pro longo ſpatio vitæ, ac pro tota vita, ut conſideranti conſtabit: ergo, &c. *Quartò:* quia omnes ferè auctoritates, quibus uſi ſumus, loquuntur abſolutè, & abſque determinatione ad totum ſpatium vitæ: ergo intelligendæ ſunt de ſpatio abſolutè, & moraliter tali, hoc eſt notabili, ſive adæquet vitam, ſive non. *Quintò*, & præcipuè: quoniam ſi aliquo ſpatio, ſeu duratione magna poſſet homo vitare omnia venialia, maximè cùm copioſa gratia abundat, & ſummopere ſtudet virtuti, ac intendit Deum vel leviſſimè non offendere, uti ſe habebant Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum: ſed nec ſtantibus his circunſtantiis valet homo ſecundùm ordinariã gratiæ providentiam

Digitized by Google

tiam omnia venialia vitare, ut conſtat ex dictis *num.* 216. ubi oſtendimus nec ipſos Apoſtolos poſt acceptum Spiritum ſanctum fuiſſe uſque ad mortem immunes ab omni labe: ergo nec per totam vitam, nec per aliquod notabile illius ſpatium poteſt homo ſecundùm vires communes gratiæ non peccare venialiter.

Altera reſponſio. Vega.

219. Reſpondebis tertiò, & ultimò cum Andrea Vega *lib.* 14. *in Tridentinum cap.* 21. impotentiam hominis juſti ad non peccandum venialiter per longum tempus ſolùm eſſe moralem, & ortam ex impedimentis extrinſecis; non autem phyſicam, & ob defectum virium intrinſecarum: hæ quippè ſi attendamus ad libertatem arbitrij, & ad adjutorium gratiæ ſanctificantis, ſufficiunt ad omnia venialia præcavenda; licèt ob impedimenta, & occaſiones extrinſecas, illa in exercitio nunquam devitent totaliter. Unde ex eo, quòd nullus ſecundum providentiam communem vitaverit omnia venialia, ut auctoritates ſupra adductæ convincunt; minimè habetur, quòd homo non poſſit abſolutè illa præcavere; ſed tantùm, quòd ſit perdifficile, ac proinde moraliter impoſſibile. Quam doctrinam amplectitur re ipſa Godoy, ubi ſupra §. 4. & 5.

Godoy. Refellitur.

Sed contra: quia in primis hæc doctrina non ſatis cohæret verbis Concilij Tridentini, quibus anathema dicitur aſſerenti *poſſe* hominem abſque ſpeciali privilegio omnia venialia vitare; cum tamen Vega admittat hominem adjutum auxiliis communibus, ac proinde citra omne privilegium *poſſe abſolutè* illa præcavere, etſi de facto nunquam id præſtet, aut præſtiturus ſit: quod vocat impotentiam moralem. *Deinde*: quia vel illa impotentia moralis, ſeu magna difficultas eſt ſuperabilis per vires gratiæ, vel non? Si primum: ergo non eſt impoſſibile adhuc moraliter, quòd quis vitet omnia venialia; ſiquidem omnis difficultas in hoc eventu poteſt ſuperari per gratiam. Si ſecundum: ergo non eſt poſſibile phyſicè, & abſolutè; quandoquidem gratia non dat vires ad illas difficultates ſuperandas, & quibus non ſuperatis nequeunt omnia venialia vitari. *Præterea*: quoniam ubi dantur vires ſufficientes ex parte principij ad aliquem actum, ſpectat ad ſuavem Dei providentiam removere impedimenta extrinſeca, & præmovere, ac promovere principium, ut in actum ſibi proportionatum prorumpat, ſaltem in aliquibus individuis: & oppoſitum eſſet proculdubio quoddam genus violentiæ: ergo ſi homo juſtus ex vi gratiæ, & auxiliorum communium habet, ut adſtruit Vega vires ſufficientes, & proportionatas in actu primo ad vitanda omnia peccata venialia, id aliquando conſequetur in nonnullis individuis: Ergo dum hic Auctor admittit primum, inconſequenter negat poſterius. Nos autem, qui ex Scriptura, & Patribus edocemur hoc ultimum nunquam contingere, meritò colligimus antecedens eſſe impoſſibile ſecundùm communem providentiam ordinis gratiæ.

Radix impotentiæ ad vitandum omnia venialia ex D. Thom.

Quæ omnia robur, & lucem accipient detegendo radicem hujus impotentiæ phyſicæ, quam habet juſtus, ſi privilegium ſecludamus, ad vitanda omnia venialia collectivè per longum tempus. Hoc autem optimè oſtendit Angelicus Doctor *in præſenti articulo* 8. his verbis: *In ſtatu autem naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali ſanante naturam, ad hoc, ut omnino à peccato abſtineat: quæ quidem ſanatio primò fit in præſenti vita ſecundùm mentem appetitu carnali nondum omnino reparatò. Unde Apoſtolus ad Roman.* 7. *in perſona hominis reparati dicit. Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. In quo quidem ſtatu poteſt homo abſtinere ab omni peccato mortali, quod in ratione conſiſtit, ut ſupra habitum eſt quæſtione* 74. *articulo* 4. *Non autem poteſt homo abſtinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis: cujus motus ſingulos ratio reprimere poteſt, (Et hoc habet rationem peccati, & voluntarij) non autem omnes: quia dum uni reſiſtere nititur, fortaſſis alius inſurgit, & etiam quia raro non ſemper poteſt eſſe pervigil ad hujuſmodi motus vitandos.* Quod ampliùs explicat *quæſtione* 24. *de veritate articulo* 12. *in corpore*, ubi hæc habet. *Dupliciter autem aliquid in nobis quaſi repentinè fit. Uno modo ex impetu paſſionis. Motus enim iræ, & concupiſcentiæ interdum deliberationem rationis prævenit. Qui quidem motus in illicitum tendens ex corruptione naturæ peccatum veniale eſt. Et ideo poſt ſtatum naturæ corruptæ non eſt in poteſtate liberi arbitrij omnia hujuſmodi peccata vitare, quia ejus actum effugiunt; quamvis poſſit impedire aliquem iſtorum motuum, ſi contra conetur. Non eſt autem poſſibile, quòd homo continuo contra conetur ad hujuſmodi motus vitandos propter varias humanæ mentis occupationes, & quietem neceſſariam. Quod quidem contingit ex hoc, quòd inferiores vires non ſunt totaliter rationi ſubjectæ, ſicut erant in ſtatu innocentiæ, quando homini hujuſmodi peccata omnia, & ſingula per liberum arbitrium vitare facillimum erat, eo quòd nullus motus in inferioribus viribus inſurgere poterat, niſi ſecundùm dictamen rationis. Ad hanc autem rectitudinem homo in præſenti per gratiam non reducitur communiter loquendo: ſed hanc rectitudinem expectamus in ſtatu gloriæ. Et ideo in hoc ſtatu miſeriæ poſt reparationem gratiæ homo non poteſt omnia peccata venialia vitare; cùm tamen hoc in nullo libertati arbitrij præjudicet.* Hæc S. Doctor.

221. Ex quibus deſumitur ratio à priori communis, ac veræ ſententiæ: quoniam illa ſola gratia dat vires ſufficientes ad vitanda omnia peccata venialia per longum tempus, quæ ligat, vel extinguit fomitem, ſive appetitum ſenſitivum: ſed gratia, quæ communiter confertur, nec ligat, nec extinguit fomitem, ut conſtat tum ex ſe, tum ex verbis Apoſtoli *ad Roman.*7. quæ inducit Divus Thomas: ergo gratia, quæ communiter datur, non communicat vires ſufficientes ad diu vitanda omnia venialia; atque ideo erit neceſſarium ſpeciale privilegium pro prædicto effectu præſtando. Minor, & conſequentia liquent. Major autem ſuadetur: quoniam fomes non extinctus, nec ligatus eſt ſeminarium innumerabilium motuum tendentium contra rationem, eamque prævenientium, atque allicientium ad malum: pro quibus perfectè, & abſque omni defectu etiam levi compeſcendis requiritur continua vigilia, & advertentia ad omnes circunſtantias: ſed gratia, quæ non extinguit, vel ligat fomitem, multò minus præſtabit vires, ad perpetuò vigilandum,& evitandum omnem inadvertentiam etiam levem: ergo ſola illa gratia dat vires ad non peccandum venialiter per longum tempus, quæ fomitem extinguit, vel ligat.

Ratio fundamentalis veræ, & communis ſententiæ.

Confirmatur. Confirmatur primò: nam ideo homo in ſtatu innocentiæ poterat vitare omne peccatum veniale per longum tempus, quia habet appetitum perfectè ſubjectum rationi, quin ullam ab illo moleſtiam, aut contradictionem pateretur: ergo è converſo ubi appetitus non ſubditur perfectè rationi, ſed illam ſuis motibus prævenit; neceſſarium eſt, quòd homo aliquod veniale committat; ac proinde ſola illa gratia præſtabit vires, ſive diſpoſitionem ſufficientem ad vitanda omnia venialia per longum tempus, quæ perfectè appetitum ſubjicit rationi, ſeu quæ fomitem ligat, vel extinguit.

Confirmatur ſecundò: quia eo ipſo, quòd appetitus non ſit ligatus, vel extinctus; ſed expeditus, atque effrenis petit connaturaliter exire in proprios actus etiam contra rationem, ſaltem citra gravem culpam: ergo quod Deus non permittat defectus ſaltem leves in ſuppoſito habente hujuſmodi diſpoſitionem eſt ſupra omnem exigentiam, & diſpoſitionem ejuſdem ſuppoſiti: ergo cùm gratia communiter collata non liget, aut extinguat appetitum, minimè confeset vires, & diſpoſitionem ad vitanda omnia venialia; ſed ultra prædictam gratiam, & auxilia ei connaturaliter debita erit neceſſarium ſpeciale aliud privilegium. Poſſuntque majorem hujus rationis confirmationem deſervire, quæ ſupra *dub.* 5. adduximus ad probandum non poſſe hominem ſuis viribus vitare omne peccatum mortale per longum tempus, ut conſideranti conſtabit.

Objectio. 222. Dices: hinc fieri, quòd homo non teneatur vitare peccatum veniale per longum tempus; quandoquidem id præſtare non valet nec per vires proprias, nec per vires communes gratiæ: & nemo tenetur ad id, quod eſt impoſſibile ſecundùm providentiam communem, licet non repugnet per privilegium vel miraculum.

Diluitur. Hæc tamen objectio nullam ingerit difficultatem, cui non ſatisfecerimus loco nuper citato. Nam etiam homo conditus in puris non poſſet nec per vires proprias, nec per vires gratiæ, utpote quæ nec data, nec promiſſa tunc eſſet, vitare omne peccatum mortale per longum tempus; & tamen teneretur non peccare mortaliter, ut ex ſe liquet: idem ergo in præſenti proportionabiliter dicendum eſt. Et eadem ratio militat utrobique: quoniam nulla lege communi, vel particulari obligamur ad vitanda omnia peccata ſimul, & collectivè: non quidem communi, quia non datur diſtincta à particularibus; nec etiam particulari, nam hæc præcipit actum determinatum ſecundùm ſe, & præſcindendo à concurſu alterius actus per aliam legem injuncti. Unde obligatio ex legibus conſurgens eſt actus ſecundùm ſe, & prout occurrunt: quo pacto cadunt ſub naturali hominis poteſtate, ut fuſiùs eo loco explicuimus. Idemque aſſerendum de juſto in ordine ad peccata venialia: quia nullum eſt peccatum veniale, quod ſecundùm ſe, & ſecundùm difficultatem, quam affert, non poſſit præcaveri viribus gratiæ communis: & ideo imputatur homini, quod illud non vitet; licet nequeat omnia ſimul evitare.

§. III.

Concluſio, per quam reſolvitur ſecunda dubij pars.

223. Dicendum eſt ſecundò privilegium vitandi omnia venialia collectivè per longum tempus ſoli Beatæ Virgini fuiſſe conceſſum. Hæc concluſio habet duas partes, prima eſt Beatam Virginem habuiſſe prædictum privilegium: ſecunda eſt nulli alteri conceſſum fuiſſe. Prior ergo probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſione 6. canon.* 23. ubi hæc habentur: *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine Maria tenet Eccleſia, anathema ſit.* Unde hanc aſſertionem eſſe de fide docent communiter Theologi moderni; quamvis Franciſcus Sylvius *3. parte, quæſt. 27. art.* 4. obſervet, Concilium non definire, quòd Eccleſia id tenet tanquam dogma fidei, ac proinde non damnat contrariam ſententiam tanquam hæreticam. Sed profectò temeritatis, vel etiam erroris cenſura inurendus eſſet, qui oppoſitum affirmaret: quia univerſalis Eccleſia, teſtante ſacro Concilio, prærogativam hanc attribuit Beatæ Virgini; quidquid ſit, an Concilium id determinaverit tanquam dogma fidei. Idem dicitur ſtatutum fuiſſe in Claromontano, cui præfuit Urbanus ſecundus, ut videri poteſt apud Vegam *lib. 14. in Trident. cap.* 15. Hoc tamen non eſt omnino certum: nam Dominicus Sotus in iis, quæ ſcripſit de natura, & gratia ad Patres Concilij Tridentini, hæc habet lib. 3. cap. 4. *Hinc ſancta præſens Synodus Tridentina determinat can. 23. ſub anathematis cenſura, ne quis poſt hac dicat aliquem in hac vita peccata omnia vitare poſſe, niſi ſpeciali Dei privilegio. Quemadmodum*, inquit, *de Beata Virgine Eccleſia tenet. Cœtum enim Patrum, ac Theologorum Eccleſiæ nomine cenſuit: quoniam inter Eccleſiæ decreta non id hactenus fuerat relatum.* Sed quidquid ſit de qualitate certitudinis noſtræ, ac communis aſſertionis.

Alia concluſio habens duas partes. *Suadetur quoad primam partem.* *Conc. Trid.* *Conc. Clar.* *Dom. Soto.*

224. Probatur, & ſimul occurritur objectioni Calvini in antidoto prædicti canonis Tridentini: quia licet regula fidei ſit nullum juſtum ſecundùm gratiam communem poſſe vitare omne peccatum veniale per longum tempus, ut conſtat ex dictis §. *præcedenti*; minimè tamen docet fides, quòd hoc nequeat fieri ex ſpeciali privilegio: nam cum lege communi, ac generali, quam Scriptura ſacra docet, optimè ſtat privilegium in contrarium, ut in aliis legibus contingit. Quod enim poſſit quis ex ſpeciali privilegio gratiæ, & Dei auxilio vitare per longum tempus omnem culpam etiam levem; ex eo ſatis liquet, quòd poteſtas gratiæ eſt major infirmitate noſtra, ut arguit Auguſtin. *epiſt.* 95. *& lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 6.* ergo licet attenta noſtra infirmitate non poſſimus omnia venialia vitare, quod regulæ generales Scripturæ adſtruunt; id tamen fieri poterit adjutorio gratiæ ſaltem ſpecialiſſimæ: quod de facto fuiſſe communicatum Beatæ Virgini tenet Eccleſia. *D. Auguſt.*

Objectio. 225. Dices hinc ſolùm fieri, quòd hujuſmodi privilegium potuerit Virgini communicari; minimè tamen, quod ei communicatum fuerit: ſed

Digitized by Google

ſed magis infertur oppoſitum: quia regula generalis, quod omnes peccant ſaltem venialiter, habetur expreſsè in Scriptura divina; exceptio autem pro Beata Virgine non habetur expreſsè. Unde abſque fundamento aſſeritur, quòd fuerit ab omni culpa etiam veniali immunis, & temerè derogamus legi univerſali.

Diſpellitur. Reſpondetur, quòd licèt hoc privilegium non ſignificetur expreſsè in Scriptura divina; nihilominus non temerè, ſed maximo fundamento Eccleſia docet exceptionem Virginis à lege, vel potius neceſſitate communi peccandi venialiter in longo tempore: quia legitima intelligentia Scripturæ, & regularum, quæ in ipſa continentur, accipienda eſt juxta traditionem Eccleſiæ,& communem expoſitionem ſanctorum Patrum. Sacri autem Doctores Beatam Virginem aſſerunt immunem ab omni culpa etiam veniali.

Roboratur eadem aſſertio ex Patribus. D.Cyprian. Gregor. Neocæſar. Ephren. Hieronym. Ambroſ. Damaſcen. Sophronius. Theodoret. Bernard. Anſelmus. Rupertus. Damianus. S.Bruno. Richard. de S.Vict. S.Birgitta.

Cyprianus *ſerm. de Nativitate Chriſti*. Gregor. Neocæſarienſ. *in expoſitione ſalutationis angelicæ.* S. Ephren *in initio ſuæ lamentationis*. Hieron. *ſupra cap.* 10. *Eccleſiaſtes*. Ambroſ. *Pſal.* 118. *verſ. ultimo.* Damaſcen. *orat.* 2. *de Aſſumpt.* Sophronius, *in epiſtola Synod.* quæ habetur ſexta Synodo generali *actione* 11. Theodoret. *lib.* 3. *in cant.* Bernard. *epiſt.* 174.& *ſerm.* 2. *de Aſſumpt.* Anſelmus, *lib. de conceptu virginali cap.* 15. Rupert. *lib.* 7. *de glorificat. Trinit. cap.* 13. Iſiſictius, *ſerm. de Beata Virgine tom.* 2. *Biblioth.* Damianus, *ſerm. de Nativit. Virginis*. S. Bruno, *Pſalmo* 101. Ricardus de S. Victore *lib.* 2. *de Emmanuele cap.* 31. Aretas, *in cap.* 12. *Apocal.* S. Birgitta, *lib.* 13. *Revelat. cap.* 3. Idem habent omnes Liturgiæ Græcorum, in quibus Beata Virgo frequenter prædicatur, quòd ſit omnibus modis irreprehenſa, & penitus incontaminata, ut videre eſt apud Caniſium *lib.* 1. *de Maria Deipara cap.* 10. Et denique id communiter omnes Rabini crediderunt de Matre futura Meſſiæ, ut oſtendit Galatinus, *lib.* 7. *de arcanis catholicæ veritatis cap.* 2. 4. & 11. docentque vel ipſi Mahumetani *in ſuo Alcorano cap.* 75.

Ex D. Auguſtino. 226. Et quod ſummi ponderis eſt, Auguſtinus, cui plurimum defert Eccleſia in his, quæ ad gratiam, & vires liberi arbitrij ſpectant, ex cujus ore alios Patres loqui intelligimus, ne videretur Beatam Virginem ſub doctrina communi comprehendere, illam apertè excludit *libro de natura, & gratia cap.* 36. his verbis. *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Ubi non ſolùm explicuit Beatam Virginem non comprehendi ſub regulis communibus fidei, quas Sanctus Doctor urget in hac parte contra Pelagium; verùm etiam firmiſſimè aperit hujus exceptionis fundamentum, videlicèt, quia Sancta Virgo concepit, & peperit Chriſtum cujuſcumque culpæ expertem. Hujus autem argumentum robur optimè expendit Angelicus

Ex D.Thoma. Præceptor, 3. *p. quæſt.* 27. *art.* 4. *in corpore*, quin opus ſit aliquid illius verbis adjicere, quæ ſic ſe habent.

Dicendum, quòd illos, quos Deus ad aliquid elegit ita præparat, & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, ſecundùm illud 2. *ad Corinthios* 3. *Idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti. Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut eſſet Mater Dei: & ideo non eſt dubitandum, quòd Deus per ſuam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, ſecundum quod Angelus ad eam dicit: Inveniſti gratiam apud Deum, ecce concipies, &c. Non autem fuiſſet idonea mater Dei, ſi peccaſſet aliquando. Tum quia honor parentum redundat in prolem ſecundùm illud Proverb.* 17. *Gloria filiorum patres eorum. Unde & per oppoſitum ignominia matris ad ipſum redundaſſet. Tum etiam quia ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem* 2. *ad Corinthios* 6. *Quæ conventio Chriſti ad Belial? Tum etiam quia ſingulari modo filius, qui eſt Dei ſapientia, in ipſa habitavit, non ſolùm in anima, ſed etiam in utero: dicitur autem Sapient.* 1. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Et ideo ſimpliciter fatendum eſt, quòd Beata Virgo nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale, ut ſic in ea impleatur, quod dicitur Cant.* 4. *Tota pulcra eſt amica mea, & macula non eſt in te.*

227. Secundam autem aſſertionis partem, nimirum nullum præter Virginem, diù vitalſe, quin aliquod veniale commiſerit, docent communiter Theologi, uno, aut altero excepto, quos infra referemus. Et quamvis non omnes æqualem certitudinem huic concluſioni attribuant; immò aliqui vindicare contendant à cenſura: nobis tamen adeo certa videtur, ut cenſeamus eſſe de fide. *Altera ejuſdem aſſertionis pars oſtenditur.* Quod etiam tenet Lorca, *diſputatione* 14. *difficult.* 4. Arauxo, *dub.* 3. *num.* 66. Granados, *tract.* 2. *diſp.* 4. *ſect.* 4. Godoi, *diſputatione* 45. *num.* 35. Et quod pluris eſt, idem exprimit Auguſt. *lib.* 1. *contra duas epiſtolas Pelag.* ubi poſtquam dixit: *Sine peccato autem neminem in hac vita eſſe dixerim*, &c. concludit: *Hæc eſt fidei Catholicæ ſanitas*, &c. ut vidimus ſupra *num.* 215. Deinde *lib. de perfectione juſtitiæ, capite ultimo*, inquit: *Quiſquis autem dicit poſt acceptam peccatorum remiſſionem ita quemquam hominem juſtè vixiſſe in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apoſtolo Ioanni, qui ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Non enim ait habuimus, ſed habemus.* Ubi, ut vides, loquitur de facto, & attendendo ad ea, quæ in Eccleſia contingunt ſive ex gratia communi, ſive ex privilegio: & tamen aſſerit eſſe contrarium Scripturæ aſſerere, quòd aliquis Sanctorum vixerit, aut vivat ſine omni peccato.

Lorca. Arauxo. Granados. Godoy. D.Auguſt.

Præcipuum pro hac parte motivum. 228. Fundamentum ſumitur ex dictis §. *præcedenti*, poteſtque (excludendo ſemper cum Auguſtino Beatam Virginem) ad hanc formam reduci: quoniam de fide eſt nullum hominem vivere longum tempus abſque omni prorſus macula ſaltem venialis peccati: ergo idem aſſerendum eſt de ſingulis hominibus, niſi eis adfuerit aliquod ſpeciale privilegium, quale Beatæ Virgini conceſſit Deus: atqui nullum eſt fundamentum alicujus momenti ad aſſerendum prædictum privilegium alicui Sanctorum conceſſum fuiſſe: ergo nullus eſt, qui diu vixerit abſque culpa veniali, & oppoſitum contradicit fidei. Probatur minor: quia fundamentum ad tribuendum alicui Sancto hujuſmodi privilegium, vel deſumeretur ab Auctoritate Doctorum, vel ab aliqua ſpeciali revelatione, vel ab inſigni perfectione illius Sancti, vel ab excellentia muneris, ad quod deſtinatus eſt: hæc enim ſunt fundamenta propter quæ vindicat Eccleſia Virginem Beatam ab uni-

verſali lege: ex nullo autem iſtorum capite adeſt rationabile, & urgens fundamentum, ut eximamus aliquem Sanctorum à generali canone fidei. Non quidem ab auctoritate; ſiquidem noſtra ſententia eſt communis; oppoſita verò ſolùm aſſeritur ab uno, aut altero Theologo, iiſque non multæ auctoritatis: ſed nec ex aliqua revelatione, quia vel nulla eſt, vel non eſt authentica: nec præterea ex perfectione inſigni, quia nulla excedit ſanctitatem Apoſtolorum, quos tamen conſtat peccaſſe venialiter, ut ſupra oſtendimus *numero* 216. nec denique ob excellentiam muneris, cùm munus Apoſtolicum ſit excellentiſſimum; & tamen non reddiderit Apoſtolos immunes ab omni culpa.

Confirmatur. Confirmatur primò: quia ſi aliquis Sanctorum vitavit omnem culpam venialem, maximè Beatus Joannes Baptiſta; huic enim in ſpeciali attribuunt Adverſarij hujuſmodi prærogativam: ſed neque Joannes fuit ab omni prorſus culpa immunis: ergo nullus. Probatur minor tum ex *D. Bernard.* D. Bernardo *epiſt.* 174. ubi apertè docet Beatum Joannem Baptiſtam habuiſſe aliquod peccatum *D. Auguſt.* veniale. Tum ex D. Auguſtino *lib. de natura, & gratia cap.* 36. *ubi refert* Pelagianos opponere plures Sanctos, *qui non modo non peccaſſe, verum etiam juſte vixiſſe referuntur, Abel, Enoch, & alios plures, inter quos commemorabant Ioſeph, cui deſponſata erat Virgo Maria, & Ioannem.* Et tamen Sanctus Doctor Joannem non excipit à communi Scripturæ regula, quæ aſſerit omnes peccare; ſed poſtquam aſſeruit ſe de Sancta Virgine Maria nullam habere quæſtionem, ut *num.* 226. dicebamus, ſic concludit: *Hac ergo virgine excepta, ſi omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare utrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? Virùm hoc, quod iſte dicit, an quod Ioannes Apoſtolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, nonne una voce clamaſſent: ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt?* Videant ergo, qui nimis liberales ſunt in contrario privilegio cudendo, ne plus ſapiant, quàm oportet: Auguſtinus enim piiſſimus cultor Sanctorum fuit, quibus tamen detulit, quæ ex Scriptura edocemur; non alia, quæ indocta pietas confingit.

Roboratur amplius. Confirmatur ſecundò: quia non minùs univerſalis eſt regula fidei, quæ docet homines adultos aliquando peccare, quàm quæ ſtatuit omnes ab Adamo per ſeminalem propagationem deſcendentes contrahere peccatum originale: atqui ob univerſalitatem hujus poſterioris articuli, nullus eſt (Beata Virgine excepta) quem poſſimus aſſerere fuiſſe conceptum abſque peccato originali; ſed de fide eſt ſingulos homines illud contrahere, ut conſtat ex Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 5. *can.* 2. *Conc. Trid.* ubi dicitur, quòd prædictum peccatum omnibus ineſt, unicuique proprium, & docet omnis ſententia Theologorum, ut vidimus ſupra, *quæſtione* 81. *in commentario articuli* 3. *numero* 3. ergo pariter nemo eſt adultus, & diu vivens, qui aliquod veniale non committat, vel qui gaudeat privilegio ad vitandum omnia. Et qui non obſtantibus teſtimoniis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, aſſerit aliquem ſanctorum nunquam peccaſſe venialiter; pari licentia poterit illum vindicare à peccato originali: ſicut enim fides docet, quòd omnes in Adam peccavimus, ita etiam docet, quòd in multis offendimus omnes.

229. Curiel licèt communem amplectatur ſententiam; ut contrariam vindicet à cenſura, vim noſtræ rationis, & ultimæ confirmationis elevare contendit. Rationi reſpondet ſolùm concludere, quòd de lege ordinaria nulli fuerit communicata major copia gratiæ, & auxiliorum, quam Apoſtolis; minimè verò quòd hoc privilegium, cujus non apparet adeo urgens neceſſitas ad officium Apoſtolatus, fuerit collatum alicui ſancto, & non Apoſtolis: hoc enim præjudicat communi regulæ, ſecundùm quam nullus ſanctior Apoſtolis dicendus eſt. Confirmationi autem occurrit negando conſequentiam: & differentia, inquit, deſumenda eſt ex parte privilegiorum: eò quòd non incurriſſe peccatum originale ſit privilegium excellentius, quam caruiſſe culpa veniali; ac proinde exigit majus fundamentum, ut ſine cenſura poſſit alicui ſanctorum attribui. Unde licèt erraret contra fidem, qui aſſereret Beatum Joannem Baptiſtam non fuiſſe conceptum in peccato originali; hanc tamen cenſuram non meretur, qui contendit Joannem abſque omni labe venialis culpæ vixiſſe. *Occurrit Curiel.*

Cæterùm hæc minimè ſatisfaciunt, ſed facilè refelluntur. Et ad primum quidem ſolutio adhibita ſuſtineri non poteſt: quoniam ſi ſecundum generales regulas fidei nullus Apoſtolis præferendus eſt, ut hic Auctor docet: ergo attribuere alteri ſancto tantam perfectionem, ut nullam culpam actualem habuerit; cùm tamen hoc Apoſtolis denegetur, nequit non adverſari regulis fidei, niſi contrarium privilegium illis derogans exhibeatur. Porrò cùm prædictum privilegium nequeat probari ex aliqua ſpeciali, & fide digna revelatione, nec ex auctoritate Sanctorum; neceſſarium eſt recurrere ad perfectionem ejus, pro quo aſſeritur, vel ad dignitatem finis, ad quem promovetur à Deo: aliàs temerè prorſus, & irrationabiliter eximitur à communibus regulis, & non abſque injuria illorum. Cùm ergo non detur major ſanctitas, aut dignitas, quam Apoſtolica; optimè infertur nulli Sanctorum fuiſſe conceſſum privilegium vitandi omnia venialia, ſi ſemel non eſt conceſſum Apoſtolis. *Impugnatur.*

Adde primò Sanctos Patres, à quibus edocemur modum procedendi in hac materia, evincere hoc privilegium fuiſſe conceſſum Virgini ex inſigni excellentia finis, ad quem electa eſt, nempe ut decenter gigneret Chriſtum Dominum: at infra dignitatem matris Dei nulla eſt in Eccleſia, quæ excedat Apoſtolicam: ergo ſi huic non fuit annexum privilegium vitandi omnia venialia; abſque fundamento alterius juſti ſanctitati conceditur. Adde ſecundò, quòd ſi ſanctitas, & dignitas Beati Joannis Baptiſtæ non fuit major, quam ſanctitas, & dignitas Apoſtolorum; nullo firmo fundamento denegatur hoc privilegium Apoſtolis, & aſſeritur pro Joanne. Plane ea, quæ affert Catharinus, leviſſima ſunt, ut infrà ea diluendo conſtabit.

Nec majoris momenti eſt ſolutio adhibita confirmationi: quia illius robur non innititur qualitati privilegiorum; ſed univerſalitati prorſus æquali, qua Scriptura divina docet omnes filios Adami maculari culpa originali, & omnes juſtos peccare venialiter: quod enim detur differentia, & inæqualitas inter privilegia his regulis non ſubjecta eſt diverſitas prorſus materialis, & tenens ſe ex parte objectorum, ſupra quæ cadit teſtimonium divinæ revelationis. Et eſto, quòd privilegium immunitatis à peccato originali ſit majus privilegio vitandi omnia venialia;

Digitized by Google

nialia; tamen neutrum poteſt admitti abſque ſufficienti, & urgenti fundamento. Sicut autem hoc non adeſt pro illo primo, ita nec oſtendi poteſt pro ſecundo, ut hactenus dictum eſt: Unde qui ultimum adſtruit pari licentia, ſed ſub eadem cenſura poterit aſſerere primum.

§. IV.

Proponuntur, & reſolvuntur nonnullæ quæſtiunculæ incidentes.

Incidens quæſtiuncula.

120. EX iis, quæ diximus, ſuboriuntur aliæ quæſtiones minoris momenti, quibus oportet in præſenti reſpondere: neque enim afferunt tantam difficultatem, ut petant ſeorſim examinari. Primo ergo inquiri poteſt, in quonam conſiſtat privilegium ſive ſpecialiſſima gratia, quam diximus eſſe neceſſariam, ut homo poſſit vitare omnia venialia per longum tempus? Cui quæſtioni reſpondet Suarez *tom. 2. in 3. part. ſect. 4. art. 4.* hoc privilegium conſiſtere in dono confirmationis ad non peccandum venialiter.

Suarij placitum.

Reijcitur.

Sed hæc doctrina falſa eſt, & inſufficiens: quia privilegium hoc conſiſtit in eo, quòd homo poſſit vitare omnia venialia, ut ſatis apertè ſumitur ex verbis Tridentini, *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio*, &c. Hujuſmodi autem potentia non includit, nec poſtulat confirmationem in bono, ſeu ad non peccandum: ergo inſufficienter explicatur hoc privilegium per illam confirmationem in bono. Minor liquet in Adamo, qui habuit potentiam ad non peccandum venialiter, aut mortaliter per longum tempus: & tamen non habuit confirmationem in illo bono; ſiquidem defecit ab eo per peccatum.

Conc. Trid.

Roboratur impugnatio.

Confirmatur: quia Suarez per confirmationem in bono intelligit impotentiam ſaltem conſequentem ad peccandum venialiter, ut loco citato ſatis explicat: ſed ad ſalvandum hoc privilegium, ſive quod idem eſt, potentiam ſufficientem ad diu vitandum omnia venialia, non eſt neceſſaria illa impotentia conſequens: ergo nec confirmatio, quam adſtruit prædictus Auctor. Minor probatur, tum exemplo proximè adducto; ſiquidem Adamus habuit potentiam ad vitanda omnia peccata mortalia collectivè, & per longum tempus: & tamen habuit impotentiam conſequentem ad peccandum mortaliter; ſiquidem de facto ita peccavit: ergo pariter poteſt ſalvari potentia ſufficiens ad diu vitanda omnia venialia, etiam ſi non detur impotentia conſequens ad peccandum venialiter; ac proinde hæc non eſt neceſſaria ad ſalvandum prædictum privilegium. Tum etiam ratione: quia ſicut optimè ſtat hominem juſtum habere potentiam ad nunquam peccandum mortaliter; & tamen de facto peccare; quia hæc duo & ſi valde diverſa, tamen nullam habent inter ſe repugnantiam: ita & ob eandem rationem optimè poteſt componi, quòd poſſit quis ex privilegio gratiæ non peccare venialiter, & quòd nihilominus actu peccet: qui autem actu peccat, non habet impotentiam illam ad peccandum: ergo, &c. Ad hæc: ex eo, quòd quis habeat privilegium, ſeu potentiam ad non peccandum venialiter; non infertur, quòd ſit impeccabilis adhuc conſequenter: nam optimè cohærent potentia antecedens ad nunquam peccandum venialiter, in quo conſiſtit privilegium, & potentia antecedens, & conſequens ad venialiter peccandum: illa enim non excludit iſtam, nec affert impotentiam conſequentem, aut donum confirmationis, quod adſtruit Suarez.

Præcluditur quædam evaſio.

231. Nec huic Auctori favet, quod loquebatur de hujuſmodi privilegio, quatenus fuit in Beata Virgine, cui certum eſt etiam adfuiſſe donum confirmationis. Non, inquam, favet: quia licèt illa duo privilegia concurrerint in Beata Virgine; tamen primum non includebat eſſentialiter ſecundum; & ideo etiam ſi non conjungeretur ipſi, foret ejuſdem rationis: ſicut gratia hominis non confirmati in bono eſt ejuſdem rationis cum gratia hominis in bono confirmati: quia donum confirmationis eſt extra eſſentiam gratiæ, & hujus privilegij. Unde corruit illa conſecutio Suarij; ubi loquens de Beata Virgine ait: *Unde fit ſimpliciter concedendum eſſe in prima ſanctificatione fuiſſe confirmatam in bono, ut nunquam peccaret, quia hæc confirmatio idem eſt cum prædicto privilegio*, &c.

Reſolutio Vaſquez.

232. Minus adhuc placet doctrina Gabrielis Vaſquez, *in præſenti diſputat.* 189. *cap.* 16. *num.* 14. Ubi ſtatuit privilegium hoc conſiſtere in eo, quòd Deus præveniat hominem per ſingulas occaſiones peccandi venialiter, communicando illi cogitationem congruam, qua præſcit vitaturum eſſe omnia peccata venialia. Et quamvis aſſerat prædictam cogitationem eſſe etiam neceſſariam ad vitanda omnia mortalia; nihilominus inquit non habere rationem privilegij, cùm confertur ad vitanda omnia mortalia, benè autem, cùm datur ad nunquam peccandum venialiter: quia illud primum frequenter, & in multis contingit; hoc autem poſterius perquam rarò, & in uno duntaxat, aut alio: & de ratione privilegij eſt, ut paucis, & rarò concedatur. Cui doctrinæ affinis omnino eſt illa, quam tradit *infrà, diſput.* 212. *capite* 2. *à num.* 17. ubi apertè docet impotentiam vitandi omnia venialia collectivè, & per longum tempus non eſſe antecedentem, ſeu tenentem ſe ex parte principij; ſed ſolùm conſequentem ortam ex ſuppoſitione, quòd Deus præviderit congruam cogitationem pro vitandis peccatis venialibus non eſſe communicandam homini in omnibus, & ſingulis occaſionibus, ſed tantùm in aliquibus.

Refellitur.

Hæc, inquam, doctrina minimè nobis arridet. Et ut ab ultima illius parte incipiamus, falſum eſt hominem habere potentiam antecedentem, ſeu ſufficientem ex ſe ad vitandum omnia venialia collectivè. Tum quia contrarium ſatis ſuperque oſtendimus §. 2. Tum inſuper, quia ſi homo habet ex ſe potentiam ſufficientem, & proportionatam ad vitandum omnia venialia collectivè: ergo actualis evitatio eſt actus omnino proportionatus, ac proinde connaturalis: ad actum autem omnino connaturalem non eſt neceſſarium ſpeciale privilegium, immò nec ulla gratia ſpecialiter dicta: ergo nec ad vitandum omnia venialia: cujus contrarium definit Tridentinum. Tum præterea: quia ſi ex parte potentiæ in actu primo adeſt omnibus hominibus eadem virtus ad vitandum venialia, nempè vis proxima, adæquata, & ſufficiens: ergo citra omne privilegium fieri poteſt, & debet, quòd aliqui vitent omnia in actu ſecundo. Sicut quia omnis juſtus habet virtutem ſufficientem ad vitandum omne peccatum mortale collectivè, plures ſunt, qui illa de facto vitant abſque ſpeciali privilegio, ſed juxta ſuavem, & communem providentiam ordinis gratiæ. Tum denique & præcipuè: quia

Digitized by Google

quia juxta prædictam Vaſquez doctrinam non minorem impotentiam habet homo ad vitandum unicum peccatum veniale, quàm ad vitandum omnia collectivè, & è converſo tantam habet potentiam ad vitandum omnia collectivè, quàm ad vitandum unicum diviſivè. Si enim Deus præſcit, quòd non præveniet hominem cogitatione congrua ad vitandum hoc peccatum veniale determinatum; ſequitur quòd ille homo habeat impotentiam conſequentem, ſicut habet ille, quem Deus præſcit non fore præveniendum cogitatione congrua ad vitandum omnia. Si autem Deus præſcit, quòd præveniet hominem cogitatione congrua ad vitandum omnia; ſequitur, quòd habeat eandem potentiam ad omnia, quam habet ad unicum, nimirum antecedentem ex propriis viribus, aut viribus communibus gratiæ; conſequentem autem ex præviſione congruæ cogitationis futuræ. Quo quid abſurdius?

Ad hæc: in præſenti non inquirimus, quæ peccata venialia homo vitaturus ſit, vel quid Deus prævideat futurum eſſe abſolutè, aut conditionatè: ſed inquirimus, quid juſtus poſſit ex communibus auxiliis gratiæ, quatenus præintelligitur ad omnem eventum futurum, ſeu conſequentem: quæ hypotheſis pertinet ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Vel ergo poteſt ſine novo privilegio vitare omnia venialia collectivè, quod videtur Vaſquez docere: & hoc eſt contra Concilium Tridentinum. Vel id non valet præſtare abſque novo privilegio: & ita habet impotentiam nedum conſequentem, ſed etiam antecedentem, hoc eſt, defectum virtutis, ac virium ad vitandum omnia, ſive ad non deficiendum in aliquo, quod intendimus.

Maior Vaſquez impugnatio.

233. Per quod impugnatum manet id, quod Vaſquez aſſerit de privilegio ad vitandum venialia: quoniam hoc privilegium confert homini virtutem ad vitandum omnia venialia collectivè, quod ex ſe, & ex communi gratia non poterat: ſed hæc impoſſibilitas ſive impotentia non conſiſtebat in carentia cogitationis congruæ, ut nuper oſtendimus: ergo privilegium non conſiſtit in communicatione prædictæ cogitationis.

Confirmatur primò.

Confirmatur primò: quia hoc privilegium vel conſiſtit in unica cogitatione, vel in pluribus? Non in unica: quia ſicut peccata venialia ſunt plura, habentque diverſa motiva; ita evitantur per diverſas cogitationes congruas. Sed nec conſiſtit in pluribus: quia vel ſunt ſimul? & ita non poterit intellectus omnibus illis uti: vel dantur ſucceſſivè? & ita non habetur privilegium uſque ad ultimam: hoc autem vel ex eo falſum eſſe liquet, quòd Beata Virgo à ſua ſanctificatione habuit privilegium, ſive potentiam ad vitanda omnia venialia collectivè, ut conſtat ex ſupra dictis.

Secundò.

Confirmatur ſecundò: quia Vaſquez non diſcernit inter privilegium ad vitanda omnia venialia, & exercitium actuale vitandi illa, vel ſaltem aſſerit illud privilegium eſſe ab hoc exercitio inſeparabile; cùm illud conſtituat in cogitationibus congruis, quibus Deus prævidet omnia venialia vitanda fore de facto: at ſic eſt, quòd privilegium ſeu poteſtas ad vitanda omnia venialia eſt ſeparabilis ab exercitio vitandi omnia, ut ſupra oſtendimus contra Suarez: optimè enim cohæret, quòd homo poſſet vitare omnia venialia, & tamen, quòd actu non vitet; ſicut poteſt juſtus non peccare unquam mortaliter, & nihilominus peccat: ergo, &c.

Tertiò.

Confirmatur ultimò: quia vel in homine privilegiato ad vitandum omnia venialia datur diſpoſitio aliqua intrinſeca petens à Deo continuam communicationem auxiliorum, aut ſanctarum cogitationum pro vitandis peccatis venialibus: vel nihil intrinſecum datur, quòd id exigat à Deo? ſi dicatur primum: ergo in illa intrinſeca diſpoſitione conſiſtit hujuſmodi privilegium, cùm ſit prima radix exigendi cogitationes congruas, non verò in iis, quæ ſupponunt illam radicem, ac proinde & privilegium ad vitandum venialia. Si autem eligatur ſecundum: ergo homo privilegiatus non habet majorem vim ad vitandum venialia, quàm homo non privilegiatus, ſed tantum differunt ex parte actus ſecundi, quatenus unus vitat omnia, non verò alius. Quod minimè congruit verbis Tridentini, quæ attribuunt homini privilegiato ſpecialem potentiam, qua carent alij: ſic enim habet. *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio*, &c. *Conc. Trid.*

Legitima quæſtionis reſolutio.

234. His ergo, & aliis modis dicendi relictis reſpondemus prædictum privilegium conſiſtere in aliquo intrinſeco, per quod fomes extinguitur vel ligatur. Ita ſumitur ex Divo Thoma, *in præſenti, & 3. part. quæſt. 27. art. 3. & 4.* Idemque docent Arauxo, *in præſenti, dub. 3. in fine*, Labat, *dub. 4. §. 5.* Curiel, dub. 2. §. 3. verſ. *Dico ſecundo, hac potentia.* Monteſin. *ubi ſupra num. 10.* & alij Thomiſtæ. Fundamentum hujus reſolutionis eſt: quoniam radix impotentiæ ad vitanda omnia peccata venialia eſt fomes peccati, ſive appetitus ſenſitivus effrenis, præveniens ſuis motibus, atque obnubilans rationem: ergo privilegium, ſeu potentia ad diu vitanda omnia venialia conſiſtit in aliquo intrinſeco, per quod prædictus fomes extinguatur, vel ſaltem ligetur. Antecedens conſtat ex ſupra dictis §. 2. Conſequentia autem videtur manifeſta: quia hujuſmodi privilegium, ſeu potentia debet excludere, vel ſaltem ligare radicem oppoſitæ impotentiæ. *D. Thom. Arauxo. Labat. Curiel. Monteſinos.*

Confirmatur, & ſimul diluitur tacita objectio: quia ligato, vel extincto fomite, non poſſunt fieri peccata venialia ex imperfecta deliberatione, vel antecedenter ad judicium rationis: hæc quippe peccata ſic facta conſiſtunt in motibus, vel in deliberatis appetitus ſenſitivi, vel ortum trahentibus ex ſollicitatione illius: ergo licèt poſſint fieri peccata venialia ex genere, & cum perfecta deliberatione, poterunt nihilominus omnia abſolutè vitari. Probatur conſequentia: quia, ut infrà dicemus, poteſt juſtus ex viribus gratiæ communis ita ſe gerere, quòd nullum peccatum veniale cum perfecta deliberatione committat.

Porro hoc intrinſecum, quo aſſerimus ligari, aut extingui fomitem, non eſt aliqua forma diſtincta à gratia habituali ſanctificante; ſed eſt ipſamet gratia cum quodam ſpeciali modo, per quem ita afficitur, ut ſubjiciat rationi appetitum ſenſitivum, impediatque, ne aliquis motus præveniat rationem, & illam trahat ad malum. Prædictum autem modum participavit perfectè gratia primorum parentum, & per illum tanquam per diſpoſitionem, aut connotatum conſtituebatur in ratione juſtitiæ originalis (neque enim hoc diſtinguitur ſpecie, & ex parte recti à juſtitia noſtra, ſed ſolum modaliter, & ex parte connotati) unde ex vi illius habuerunt primi homines,

Digitized by Google

mines, & appetitum perfectè ſubjectum; & poteſtatem vitandi omnia venialia per longum tempus, ut explicuimus *tractatu 13. diſput. 16. dubio 1. §. 1.* Sic ergo privilegium ad vitanda venialia, quod Deus poteſt nunc etiam conferre, in eo conſiſtit, quòd communicet gratiam cum aliquo modo intrinſeco participante modum juſtitiæ originalis. Quem ſi gratia noſtra perfectè omnino participet, auferet inclinationem appetitus ad malum: quod vocant Theologi antiqui *extinguere fomitem.* Si autem non ita perfectè participet, impediet ſaltem, ne in aliquem motum inordinatum prorumpat, licèt habeat inclinationem ad illum: per quod dicunt *fomitem ligari.* De quo videndus eſt D.Thom. *loco ſupra citato ex 3. parte.* D. Thom.

Objectio. 235. Sed objicies: quia ſi per hoc privilegium deberet appetitus ſenſitivus ligari, ac ſubjici rationi; non ſolùm haberet homo potentiam ad non peccandum venialiter, verùm etiam haberet impotentiam ad ſic peccandum, antequam peccaret mortaliter, & prædictum privilegium amitteret: conſequens eſt abſurdum, ut oſtendimus *num. 230.* & conſtat in Beata Virgine, quæ licet habuerit prædictum privilegium, ut poſſet non peccare venialiter, & ut nunquam re ipſa peccaverit, potuit tamen venialiter peccare: ergo minus rectè rationem prædicti privilegij explicamus. Sequela oſtenditur: nam ideo D. Thomas *in hac 1. 2. quæſtione 89. articulo 3.* probat primum hominem non potuiſſe in ſtatu innocentiæ peccare venialiter, quia in eo ſtatu appetitus erat ſubjectus rationi: ergo ſi privilegium ad vitanda omnia venialia importat prædictam ſubjectionem; ſequitur, quòd excludat potentiam ad peccandum venialiter.

Diſpellitur. Reſpondetur negando ſequelam, quam probatio minimè evincit: quia D. Thomas, non ex quacumque ſubjectione appetitus ad rationem infert impotentiam ad peccandum venialiter, quandiu duraret ſtatus: ſed id colligit ex perfectiſſima diſpoſitione prædicti ſtatus, ratione cujus appetitus ſubjiciebatur rationi, & in ipſa ratione pars inferior, quæ attendit ad temporalia, ſubjiciebatur parti ſuperiori, quæ reſpicit æterna, & adhuc in parte ſuperiori non poterat dari ullus defectus, niſi deficiendo priùs circa potiſſimam rationem æternam, quæ eſt ultimus finis, ut videri poteſt in ſancto Doctore, *quæſt. 7. de Malo, art. 7. & in 2. diſt. 21. quæſt. 2.* Stante enim hac ſubjectione rationum, & potentiarum nullum veniale poterat contingere: non quidem ex indeliberatione, ut ex ſe liquet: nec etiam ex genere, vel parvitate materiæ: quia defectus deliberatus circa ultimum finem (qui ut diximus, debebat in eo ſtatu eſſe primus defectus, atque cæterorum origo) non eſt levis ex genere ſuo, nec admittit materiæ parvitatem. Ut autem homo gaudeat privilegio ad vitandum venialia, non petit tantam perfectionem, ac ſubordinationem inter vires animæ: ſed ſufficit, quòd habeat appetitum rationi ſubjectum, nulliſque illius motibus præveniatur, & ſtimuletur ad malum. Cum quo tamen rectè ſtat, quòd ex parte rationis non detur æqualis ſubordinatio partis inferioris ad ſuperiorem: ſed poſſit illa pro libito verſari circa aliqua temporalia, quæ ſunt peccatum veniale vel ex genere ſuo, vel ob parvitatem materiæ; quamvis pars ſuperior retineat ſubjectionem, ac ſubordinationem Deo debitam. Unde poterit dari peccatum veniale ante mortale, ac proinde potentia vitandi venialia non excludet neceſſariò potentiam illam committendi. D. Thom.

236. Secundò inquiri ſolet in præſenti, utrùm poſſit juſtus cum communibus gratiæ auxiliis vitare ſaltem omnia peccata venialia ex genere; licèt nequeat vitare omnia venialia abſolutè, hoc eſt, in nullo veniali deficiendo. Pro cujus reſolutione animadvertendum eſt cum Conrado in præſenti, quòd duobus modis poteſt quis committere peccata ex genere ſuo venialia: uno modo cum imperfecta deliberatione, ut cùm quis ob minorem advertentiam profert mendacium: altero modo cum deliberatione perfecta, ut ſi quis ex propoſito, & cum plena advertentia mentiatur. Quo ſuppoſito, opinio ſatis communis eſt inter Theologos, quod nequit homo cum communibus gratiæ auxiliis vitare omnia venialia ex genere, etiam ſi loquamur de illis ut committendis cum deliberatione perfecta. Quod inter alios tuentur Sotus, *libro 3. de natura, & gratia capite 4.* Curiel, *in præſenti*, Arauxo, *concluſ. 2.* & Lorca difficultate 3. Quibus favere videtur Divus Thomas, *in 2. diſtinct. 28. quæſtione 1. articulo 2. in corpore*, ubi ait: *Quod enim non poſſumus omnia peccata venialia vitare, ſed ſingula, præcipuè propter primos motus dicitur, ad quos non requiritur de liberatio conſenſus,* &c. Quibus verbis ſatis indicat non poſſe hominem vitare omnia venialia, quæ ex deliberatione fiunt, aliàs non adderet illam particulam præcipuè. *Alia quæſtiuncula.* Conradus. *Quorundam opinio.* Sotus. Curiel. Arauxo. Lorca. D. Thom.

237. Nihilominus ſatis probabile, immo & vero ſimilius nobis videtur, quod poſſit juſtus per auxilia communia gratiæ vitare longo tempore peccata venialia ex genere, ut committenda cum perfecta deliberatione, vel quod poſſit, & in idem reddit, ita ſe habere, ut cum perfecta deliberatione, & ex propoſito non peccet venialiter. Ita etiam Durandus, *in 2. diſt. 28. quæſtione 3.* Conradus, *in præſenti*, Granadus, *ubi ſupra ſectione 5. in fine*, Tapia, *tom. 1. Catenæ moralis libro 5. quæſt. 1. articulo 10. num. 9.* Favetque Suarez, *tom. 2. diſputatione 13. ſect. 4.* Fundamentum ſumitur ex dictis: quoniam præcipua ratio ad oſtendendam impotentiam hominis ad vitandum per longum tempus omnia venialia collectivè, ſumitur ex eo, quòd ob corruptionem appetitus inſurgunt plures motus vitioſi, quos ſimul ratio compeſcere non valet, unde infallibiliter deficit in aliquo, ut ſupra num. 220. vidimus, ex Divo Thoma: hæc autem ratio non urget in peccatis venialibus ex genere, ut faciendis cum perfecta deliberatione, quandoquidem ſic conſiderata nec præveniunt rationem, nec ita frequentia ſunt: ergo poſſumus illa declinare cum communibus gratiæ auxiliis. *Verior ſententia.* Durandus. Conradus. Granadus. Tapia. Suarez. *Probatur.*

Confirmatur, & declaratur amplius: quoniam, ut ſalvemus veritatem primæ aſſertionis, quam fides docet, ſatis ſuperque eſt, quod homo nequeat abſque peccatis venialibus diu vivere: ad quod ſufficit impotentia vitandi omnia abſolutè. Deinde defectibilitas noſtra ſatis oſtenditur in eo, quòd frequentiſſimè peccemus ſaltem ex defectu advertentiæ, vel ex impetu paſſionis: ac proinde affatim occurrit Deus providentiæ ſuavi, & communi permittendo defectus indeliberatos, tametſi impediat in aliquibus individuis, & præſertim eximiæ ſanctitatis, ne aliqua venialia ex propoſito, & perfecta deliberatione committant. Nullo ergo auctoritatis, vel rationis pondere obligamur ad denegandum juſto poteſtatem, ut valeat dici non peccare venialiter ex perfecta deliberatione. Nec Divus Thomas nobis contrarius eſt: quia in illo articulo non loquitur de homine ut adjuto gratia, ut conſtat ex *Roboratur.*

ipſo

Digitized by Google

ipſo articulo: nos autem hanc potentiam non tribuimus peccatori, quem fatemur eſſe impotentem ad vitandum collective, & per longum tempus omnia peccata tam mortalia, quàm venialia etiam, ut committenda ex perfecta deliberatione.

Objectio.

238. Sed objicies cum Soto: nam occaſiones committendi peccata venialia ex perfecta deliberatione ſunt frequentiſſimæ, & multò plures, quàm occaſiones peccandi mortaliter: ergo nequis juſtus habere potentiam, ut in nulla occaſione deliberatè deficiat: neque id poteſt ſuaderi ex potentia, quam habet ad præcavendum mortalia. Deinde hoc ipſo, quod ſciamus per hæc peccata venialia non impediri amicitiam Dei, nec amitti gratiam, nec incurri pœnam æternam, reddimur promptiores ad illa perpetranda; & caremus timoris fræno, quo juſti magnopere ſolent coerceri, ne ad mortalia declinent: ergo dato, quod juſtus poſſit cum communibus gratiæ auxiliis diu vitare omnia mortalia; non tamen omnia venialia, quæ committuntur cum advertentia perfecta.

Solutio.

Reſpondetur occaſiones committendi peccata venialia ex perfecta deliberatione non eſſe ita frequentes, ut Sotus exaggerat: quamvis enim ea, in quibus venialiter utcumque peccamus, ſint innumera; attamen non ſemper occurrunt, quæ extorquere ſolicitent conſenſum ut deliberatum. Et quamvis plures ſint occaſiones peccandi venialiter, quam mortaliter: nihilominus objecta prohibita ſub mortali acrius, ac vehementius provocant, quàm vetita ſub veniali, ut experientia liquet: unde ſatis compenſantur. Ad ſummum ergo hæc objectio (quod non negamus) convincit difficilius eſſe nullum abſolutè committere peccatum veniale, quàm vitare omnia mortalia.

Id autem, quod Sotus addit, ſuadet profectò non multos eſſe, qui omnia venialia etiam deliberata vitent, ſed multo plures incurrere illa. In iis enim juſtis, qui ad perfectionis apicem non aſpirant, quos fatemur plurimos eſſe, magna licentia regnat peccandi venialiter, etiam ſi adſit advertentia pleniſſima: ſatis quippe exiſtimant ſibi fore, ſi divinam amicitiam non violent; & hinc parvi faciunt in minimis delinquere. Cæterum quos perfectionis ardor ſtimulat, & flamma diviniſſimæ charitatis accendit, peccata venialia ſummopere abhorrent, nihilque magis timent, quam Deum vel in leviſſimis offendere: unde potius ſubire mallent mortem, & martyria, quam vel unum peccatum veniale cum perfecta deliberatione committere. Cujus veritatis fideliſſimum teſtem poſſumus in medium producere M. N. S. Thereſiam, cujus aliqua verba *ex libro via perfectionis cap.* 41. placuit tranſcribere: quia maximum huic doctrinæ robur adjiciunt. *De los pecados veniales* (inquit accendens ſorores ad perfectionis ſtudium) *eſteis con mucho cuidado de no hazerlos de advertencia: que de otra ſuerte, quien eſtara ſin hazer muchos? Mas ai una advertencia mui penſada, y otra tan de preſto, que caſi haziendoſe el pecado venial, advirtiendoſe es todo uno, que no nos pudimos entender. Mas pecado mui de advertencia, por mui chico, que ſea, Dios nos libre del: que yo no ſè como tenemos tanto atrevimiento, como es ir contra un tan gran Señor, aunque ſea en mui poca coſa: quanto mas, que no ay poco, ſiendo contra una tan gran Mageſtad, y viendo, que nos eſtà mirando. Que eſto me parece à mi es pecado ſobre penſado, y como quien dize: Señor, aunque os peſe, harè eſto, ya veo que lo veu, y sè que no lo quereis, y lo entiendo: mas quiero mas ſeguir mi antojo, y apetito que no vueſtra voluntad. Y que en coſa deſta ſuerte ai poco? A mi no me parece leve la culpa ſino mucha, y mui mucha.* Hactenus illuminatiſſima Virgo: quam dum audimus gravitatem culpæ venialis ex deliberatione commiſſæ ita accuratè perpendentem, ac refugientem, meritò exiſtimamus à prædictis culpis venialibus ita commiſſis prorſus declinaſſe in notabili aliquo ſpatio vitæ ſuæ, maximè verò poſtquam inſignem ſanctitatis gradum attigit. Idque à fortiori piè credimus de Apoſtolis, poſtquam Spiritum ſanctum acceperunt, de Joanne Baptiſta, de Joſepho Virginis ſponſo, & aliis perſonis ſanctiſſimis.

D. M. N. Thereſia.

239. Conſultò autem in reſolutione hujus quæſtiunculæ diximus, *longo tempore*, &c. non verò *per totam vitam*: quia vix audemus concedere alicui, quòd nullum unquam peccatum ex deliberatione commiſerit; licèt enim in hoc non inveniamus repugnantiam ex parte virium, quas confert gratia communis: tamen ad non peccandum venialiter cum perfecta deliberatione eſt neceſſaria debita ponderatio, & ſedula conſideratio gravitatis peccati venialis, inſigniſque amor in Deum: quæ non ſolent haberi ſtatim poſt uſum rationis, ſed expoſcunt aliquem temporis tractum, in quo plerumque aliquod veniale cum plena advertentia committitur. Et oppoſitum expoſcit inſigne privilegium. **Nota.**

240. Tertia quæſtio, quæ ſolet in præſenti pertractari, eſt utrùm homo juſtus cum auxiliis, quæ ſecundùm legem ordinariam ſolent communicari, poſſit per aliquod breve temporis ſpatium eſſe abſque omni peccato veniali, tam quoad culpam, quàm quoad reatum. Ad quam reſpondemus affirmativè. Ita Divus Thomas, 3. *parte quæſt.* 79. *artic.* 4. *ad* 2. Driedo, *libro* 1. *de gratia & libero arbitrio cap.* 5. Soto, *de natura, & gratia, libro* 3. *capite* 4. Vega, *lib.* 14. *in Tridentinum capite* 19. Curiel ubi ſupra, *concluſ. ultima*, Montecinos, *num.* 17. & communiter Theologi. Probatur *primò* ex ſanctis Patribus: quia ita docent Hieronymus, *libro* 3. *adverſus Pelagianos, cap.* 1. *& cap.* 4. Hilarius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, *libro de natura, & gratia, à capite* 62. & alij plures. *Secundò*: nam cùm quis rectè diſpoſitus ſuſcipit ſacramentum Baptiſmi, conſequitur remiſſionem omnium peccatorum etiam venialium, nedum quantum ad culpam, ſed etiam quantum ad pœnam, ut docent Theologi cum Divo Thoma, 3. *part. q.* 69. *articulo* 1. *&* 2. Sed non eſt neceſſarium, quòd ſtatim peccet: ergo poteſt exiſtere ſaltem aliqua brevis temporis morula abſque omni peccato veniali.

Tertia quæſtiuncula reſolvitur.

D. Thom. Driedo. Soto. Vega. Curiel. Montecinos. Hieronym. Ambroſ. Chryſoſt. Auguſt.

Confirmatur: nam poteſt quis confiteri venialia cum dolore ſe extendente ad omnia commiſſa, ut ſi habeat dolorem ex motivo univerſali, quòd ſint peccata, & aliqualiter Deum offendant: ſed in ſacramento pœnitentiæ fit remiſſio omnium peccatorum, quorum pœnitens habet ſufficientem dolorem: ergo prædictus homo conſequitur remiſſionem omnium venialium; ac proinde fieri poterit, ut nullum habeat, ſaltem pro aliquo modico tempore. Adde nonnullos fuiſſe, qui immediatè poſt mortem evolarunt in Cœlum, ut conſtat ex hiſtoriis Eccleſiaſticis, & revelationibus fide dignis: ergo tempore mortis nullum habebant peccatum veniale:

Confirmatio præcedentis reſolutionis.

Digitized by Google

veniale: aliàs ab illo deberent in purgatorio mundari.

Objectio. *1. Joan. 1.* 241. Sed huic doctrinæ oppones auctoritatem 1. Joann. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt:* Si autem poſſet homo eſſe per breve tempus abſque omni culpa, poſſet veraciter dicere ſe nullum habere peccatum: quod contradicit Apoſtolo. Unde Auguſtinus *libro de fide ad Petrum*, docet ſolos pueros baptizatos ante uſum rationis exiſtere abſque omni peccato.

Conc. Milev. Confirmatur: quia in Concilio Milevitano canon. 8. diffinitum eſt, quod omnis juſtus veraciter, & ſuo nomine debet dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*: ergo nullum eſt tempus, in quo juſtus maneat nudus ab omni culpa veniali; aliàs non pro tali duratione recitaret veraciter, & ſuo nomine prædicta verba.

Ad hæc; ſi poſſet homo vitare, & exuere omnia venialia per aliquod breve tempus, etiam poſſet per totam vitam, ut contingeret caſu, quo poſt uſum rationis citò moreretur, ſi ſemel in illa brevi morula non peccaret: hoc autem videtur contra Tridentinum determinans nullum abſque ſpeciali privilegio poſſe vitare omnia venialia per totam vitam: ergo, &c.

Diluitur. *D. Thom.* Ad objectionem patet ſolutio ex Divo Thoma *loco citato ex 3. parte*, ubi cùm eſſet hoc argumentum: *Si peccata venialia per hoc ſacramentum* (nempe Euchariſtiæ) *remitterentur, qua ratione remittitur unum, remittuntur & omnia: ſed non videtur, quod omnia remittantur: quia ſic frequenter aliquis eſſet abſque omni peccato veniali contra id, quod dicitur 1. Joann. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus: non ergo per hoc ſacramentum remittitur aliquod peccatum veniale:* reſpondet Sanctus Doctor his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quòd illud verbum non eſt intelligendum, quin aliqua hora poſſit homo eſſe abſque omni reatu peccati venialis, ſed quia vitam iſtam ſancti non ducunt ſine peccatis venialibus.* Et quia tempus illud breve, in quo caret homo omni culpa, non evidenter innoteſcit; ſed meritò poſſumus ſemper timere, ne aliquòd latens habeamus peccatum: propterea ſe ipſum ſeducit, ac mentitur, qui certò aſſerit ſe nullum habere peccatum. *Quantalibet enim juſtitia* (inquit Auguſtinus libro de perfectione juſtitiæ cap. 19.) *ſit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inveniatur eſſe culpandum.* *D. Auguſt.* Quamobrem de ſolis pueris baptizatis poteſt certò aſſeverari, quòd ſint abſque omni peccato, ut docet ipſe Auguſtinus loco in objectione citato.

Unde etiam patet ad confirmationem: nam ut veraciter & in propria perſona poſſimus, & debeamus dicere, *Dimitte nobis debita noſtra*, ſufficit, quòd frequentiſſimè peccemus venialiter, & quòd nullum ſit tempus quantumvis breve, in quo evidenter cognoſcamus, quòd ſumus immunes ab omni culpa. Ad id, quod ultimò additur, reſpondetur admittendo ſequelam intellectam de vita adeo brevi, ac ibi deſcribitur. Neque huic doctrinæ contradicit Tridentinum: quia nomine vitæ intellexit tempus diurnum, quale periodus humanæ vitæ ſolet inſumere, vel aliquod notabile ſpatium vitæ; non verò breviſſimum aliquod ſpatium, quod moraliter pro nullo reputatur.

Ultima quæſtiuncula deciditur. 242. Quartò poteſt inquiri, quodnam ſit reputandum breve ſpatium in hac materia? Huic interrogationi reſpondent Soto, & Vega deſignando unum integrum diem. Sed hæc videtur Curieli nimis magna duratio: unde ipſe deſignat ſpatium trium, aut quatuor horarum. Cæterùm neque hoc nobis placet: ſed cenſemus prædictum ſpatium non poſſe deſignari ab hominibus, ſed ſoli Deo notum eſſe, qui noſtram fragilitatem, & varias inclinationes perfectiſſimè cognoſcit. *D. Hierom.* Quod in ſimili dixit Divus Hieronymus, *lib. 3. adverſus Pelagianos capite 1. circa finem*, ubi inquit: *Hoc & nos dicimus poſſe hominem non peccare, ſi velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea.* Et capite 4. *Hoc eſt, quod tibi in principio dixeram, in noſtra eſſe poſitum poteſtate vel peccare, vel non peccare: ſed hoc pro modo, & tempore, & conditione fragilitatis humanæ.* Ubi ut vides, nullam aliam temporis determinationem deſignat. Alias quæſtiones, quæ in præſenti poſſent excitari, meditatò omittimus: & quia leves, & quia non adeo ſunt annexæ præſenti difficultati.

§. V.

Referuntur ſententiæ adverſæ, & earum argumentis occurritur.

Sententia prima aſſertioni contraria. 143. Adverſùs primam, & catholicam aſſertionem noſtram fuit vetus error aſſerentium poſſe hominem per totum ſpatium vitæ, etſi longiſſimum, omnia peccata venialia vitare. Et hoc fuiſſe Syrorum hæreticorum dogma commemorat Hieronymus in prologo ad dialogos contra Pelagium. Ortumque traxit hic error ab Stoicis, qui docebant poſſibiles eſſe hominibus ſapientibus imperturbationes, ſive vacuitates omnium affectuum. *Origenes.* Pro quibus ſtare videtur Origenes *in Pſal. 17.* ubi tractans illa verba: *Tota nocte increpuerunt me renes mei*, docet eam nos poſſe conſequi perfectionem, ut nulla tentatione tangamur, nec afficiamur mala cogitatione. Quod meritò reprehendit Hieronymus. Hunc etiam errorem ſuſcitavit poſtea, & tutatus fuit Pelagius, *Pelagius.* qui ut refert Auguſtinus *libro de natura, & gratia cap. 7.* docebat homines abſque omni ſpeciali privilegio, immò abſque ulla gratia poſſe vitare peccata venialia per totam vitam. Unde aſſerebat omnes ſanctos, quorum peccata Scriptura non refert, caruiſſe prorſus omni peccato, ut videre eſt apud Auguſtinum, *ubi ſupra cap. 37.* In cujus dogmatis confirmationem Cæleſtius Pelagij diſcipulus inculcabat ſexcenta, & eo plura divinæ Scripturæ teſtimonia, in quibus aſſeri videtur, quod homo poſſit eſſe immaculatus, & abſque omni crimine, & querela, ut refert ipſe Auguſtinus *in lib. de perfectione juſtitiæ.* *Vega.* Ex catholicis autem Andreas Vega *lib. 14. cap. 19. 20. & 21.* huic parti nonnihil favere videtur, & doctrinæ noſtræ adverſatur: licèt enim aſſerat, quòd abſque gratia nequeat homo vitare diu omnia venialia (in quo ſe diſcernit à ſectariis) & quòd adhuc poſita gratia, habeat impoſſibilitatem moralem ad illa vitanda, quatenus nunquam vitabit (quo pacto credit ſatisfactum in decreto Trident.) nihilominus docet, quòd gratia communis abſque ſpeciali privilegio præſtat homini vires ſufficientes, ut poſſit ſimpliciter vitare per longum tempus omnia peccata venialia collectivè, in quo ſe opponit communi placito Theologorum, quod hactenus explicuimus, ut ipſemet cognoſcere, &

Digitized by Google

reformidare videtur capite 21. in principio dum dicit: *Quoniam autem hoc novum, & durum pleriſque videbitur, ſicut & mihi ſæpe viſum eſt, adnitar fortiſſimis illud quibuſdam argumentis communire*, &c. Et quia hoc eſt, quod directè adverſatur noſtræ aſſertioni; pro eo formabimus argumenta tum Vegæ, tum Pelagianorum, tametſi iſti aliquid amplius, quàm ille, ſuadere contenderint.

Primum fundamentum ab auctoritate. 1. Ioan. 2. ad Philip. 2. 2. Petri. Tobiæ 4.

244. Probatur primò prædicta ſententia ab auctoritate: nam in ſcriptura divina monemur, & excitamur, ut nunquam peccemus, 1. Joannis 2. *Hæc ſcribo vobis, ut non peccetis.* ad Philippum 2. *Ut ſitis ſine querela.* 2. Petri: *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Tobiæ 4. *Multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato:* ſi autem non eſſet poſſibile per vires communes gratiæ id præſtare; fruſtranea proculdubio, & vana eſſet prædicta exhortatio: ſiquidem monemur ad aliquod impoſſibile.

Confirmatur primò. ad Coloſ. 1. Iacob. 1.

Confirmatur primò: quia etiam in divinis litteris monemur ut ſimus perfecti, ad Coloſ. 1. *Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu*, & Jacobus cap. 1. *Ut ſitis perfecti in nullo deficientes.* Sed perfecti eſſe non poſſumus niſi vitando omnia peccata venialia: quia peccatum veniale eſt aliqua imperfectio, & malum conſurgit ex quocumque defectu; perfectum dicitur, cui nihil deeſt: ergo poſſibile eſt per vires communes gratiæ mundos nos præſervare ab omni culpa.

Secundo.

Confirmatur ſecundò: quia per illa verba orationis Dominicæ. *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*; petimus ut Deus nos liberet ab omni malo, hoc eſt, ab omni peccato abſolutè, & quòd non permittat, ut ab aliqua tentatione vincamur: ſed petimus id, quod Deus facit ſecundùm providentiam ordinariam; non verò aliquod privilegium, vel miraculum: ergo fieri poteſt ſecundùm communes vires gratiæ, ut vitemus ſemper omne peccatum. Id quod
Eccleſiaſt. 7. ipſe Deus promittit Eccleſiaſt. 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Et non nullos conſequutos idipſum fuiſſe aperte indicat ſcriptura; cum eos vocet
Pſ. 14. & 118. immaculatos. Pſal. 14. *Qui ingreditur ſine macula*, & Pſal. 118. *Beati immaculati in via.* Et de
Luc 1. parentibus Baptiſtæ Lucæ 1. quod erant *ſine querela.*

Roboratur amplius. Concil. Arauſic.

Quod amplius confirmare nititur Vega cap. 21. tum auctoritate Concilij Arauſicani 2. in quo habetur hæc definitio: *Hoc etiam ſecundùm fidem catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, poſſint, & debeant, quæ ad ſalutem pertinent, ſi fideliter liberare voluerint, adimplere.* Conſtat autem, quod vitare peccata venialia pertinet ad ſalutem, licèt non ſit ad illam ſimpliciter neceſſarium: ergo poſſumus illa vitare. Tum
D. Auguſt. auctoritate Auguſtini: nam *lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 6.* inquit: *Nam qui dicunt eſſe poſſe, in hac vita hominem ſine peccato, non eſt continuò incauta temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti, vel miſericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.* Et ſtatim: *ſi à me*, inquit, *quæratur, utrùm homo ſine peccato eſſe poſſit in hac vita, confitebor, eſſe poſſe per Dei gratiam, & liberum ejus arbitrium.* Quod etiam apertè docet *in lib. de perfectiône juſtitiæ.*

D. Ambroſ. Et urgentius roborari poteſt ex Ambroſio. Luc. 1. ubi ad illa verba; *Erant autem ambo juſti incedentes in omnibus juſtificationibus Domini ſine querela*, refert aliquos aſſerere neminem in hac vita eſſe poſſe ſine peccato, qui ſi loquantur de eo, quod frequenter contingit, *libenter*, inquit, *convenimus in eorum ſententiam. Si autem eum, qui veterem errorem correxit, & in eam ſe vita transformavit qualitatem, ut temperet à peccato, negant abſtinere poſſe ab omnibus delictis, non poſſumus in eorum convenire ſententiam.* Sentit ergo Ambroſius poſſe juſtum omnem culpam devitare. Hie-
D. Hieron. ronymus etiam pro hac parte ſtare videtur in dialogo primo: nam objiciens Critobulo in perſona Pelagij: *Confiteris ergo poſſe hominem ſine peccato eſſe per Dei gratiam?* Reſpondet: *Non ſolùm fateor, ſed & libere proclamo.*

Occurritur teſtimoniis ſcripturæ.

245. Reſpondetur ad argumentum deſumptum ex auctoritatibus ſacræ Scripturæ illas interpretandas communiter eſſe de peccato gravi, quod frequentiùs intelligitur peccati nomine, cùm abſolutè profertur. Sed inſuper reſpondemus ad ſingula teſtimonia: ad *primum* dicendum eſt per illa verba *ut non peccetis*, minimè deſignari, quod poſſimus omne peccatum ita vitare, ut in nullo etiam minimo deficiamus; ſed exhortatur Joannes ut peccata, cum actu occurrunt, (occurrunt autem non collectivè ſed diviſim) devitemus: quod fatemur eſſe poſſibile per vires communes gratiæ. Ad *ſecundum* dicendum, quòd querelæ nomine intelligitur grave peccatum, ut docet Auguſtinus *epiſtola 95. Tertium* exponunt Patres Concilij Tridentini *ſeſſione 6. capite 11.* nimirum, quòd hæc facientes, id eſt opera bona, non peccabitis: quia in operibus bonis non eſt peccatum, ut determinat Concilium canone 25. contra Lutherum aſſerentem hominem in quolibet opere, quantumvis bono peccare. *Quartum* autem loquitur de peccato ſimpliciter tali, quod eſt mortale. Quibus addimus in iis, & aliis teſtimoniis non ſemper deſignari aliquod præceptum, vel conſilium; ſed magis ſignificatur finis utriuſque nempè ſanctitas, & emundatio à peccato: hic autem finis non habetur perfectè in præſenti vita, ſed illum ſperamus in futura beatitudine, cùm Deus exhibeat ſibi *Eccleſiam glorioſam non habentem maculam, nec rugam*, ut dicitur 5. ad Epheſios. 5. ad Epheſ.

Solvitur prima confirmatio.

Ad primam confirmationem reſpondetur ex Divo Thoma 2. 2. *quæſt. 26. art. 6.* perfectionem noſtram conſiſtere in unione cum Deo per charitatem: unde ad totalem perfectionem requiritur totalis unio ad Deum, & remotio eorum per quæ à Deo ſeparamur. Et ideo diſtinguenda eſt triplex perfectio: alia excludens peccata mortalia, per quæ ſolùm corrumpitur charitas: & hæc non ſolùm eſt poſſibilis, ſed ab omni juſto de facto habetur. Alia excludens non ſolùm lethalia, ſed etiam excludens extrinſeca impedimenta, & occupationes, quibus præpedimur, ne in Deum feramur media cognitione, & amore: & hæc non eſt in præcepto, ſed eſt de conſilio, habeturque, ab aliquibus in hac vita. Alia denique eſt perfectio, qua homo Deo conjungitur per affectum inſeparabilem: & hæc nequit obtineri ex communibus gratiæ auxiliis in hac vita, ſed eſt propria beatorum. Inter hujuſmodi autem perfectiones hæc eſt differentia, quod hæc poſterior excludit omnia peccata venia

Digitized by Google

venialia, omnemque imperfectionem: unde nullus eſt in hac vita, qui citra ſpeciale privilegium prædicto modo ſit perfectus juxta illud Apoſtoli ad Epheſios tertiâ, *Non quod jam perfectus ſim.* Duæ autem priores perfectiones in hac vita haberi poſſunt, ſed non excludunt totaliter peccata venialia. Et de hac perfectione loquuntur teſtimonia prædictæ confirmationis; vel deſignant potius finem ad quem debemus aſpirare, & quem conſequimur poſt hanc vitam.

ad Epheſ. 3.

Secunda diluitur.

Ad ſecundam dicendum eſt verba illa Dominicæ orationis referri ad ſingula peccata, & ad ſingulas tentationes, quæ occurrunt, & prout occurrunt, à quibus hoc modo acceptis poteſt homo liberari per communia auxilia gratiæ, quamvis nequeat non in aliquo ſaltem veniali deficere. Videatur etiam Divus Thomas 2. 2. *quæſtione 83. articulo tertio*, in corpore ubi per illam vocem *à malo*, intelligit pœnalitatem præſentis vitæ. Teſtimonium autem Eccleſiaſticum quod in eadem confirmatione inſeritur, per non peccare in æternum, ſignificat non mori in peccato mortali: finalis enim impœnitentia ſolet vocari peccatum in æternum, quia firmat voluntatem in malo pro tota æternitate. Ex hoc verò, quòd aliqui in ſcriptura dicantur immaculati, non infertur, quòd caruerint omni culpa veniali: hæc enim cùm ſit defectus ſecundùm quid, non inducit ſimpliciter maculam, ut docet Divus Thomas Pſalm. 15. ac proinde nec tollit à juſto, quod poſſit dici abſolutè immaculatus. Adde etiam juſtos in hac vita vocari etiam immaculatos, non quia tales omnino ſint, ſed quia ad id tendunt, & deſiderant, ut docet Auguſtinus, *in libro de perfectione juſtitiæ.* Quo modo exponitur illud: *Qui ingreditur ſine macula:* ingredi enim eſt tendere ad immaculatam vitam. Quod autem parentes Baptiſtæ dicantur vivere ſine querela, noſtræ doctrinæ non adverſatur: nam querelæ vocabulo ſignificatur grave peccatum, ut ſupra diximus, & infra etiam oſtendemus ex Auguſtino.

D. Thom.

D. Auguſt.

Diluitur tertia.

Ad tertiam dicendum eſt Concilium Arauſicanum ſolùm determinaſſe, quòd juſtus poteſt per gratiam præſtare ea, quæ pertinent ſimpliciter ad ſalutem: ad hoc autem ſufficit, ut poſſit vitare omnia peccata mortalia, quamvis nequeat vitare, aut non vitet venialia: quia etiam ſi in his deficiat, non impeditur à ſalute conſequenda. Auguſtinus autem ſolùm aſſerit, quòd poſſit homo per gratiam vivere ſine peccato; an autem ſufficiat ad hoc præſtandum gratia, quæ communiter confertur juſtis; an verò ſit neceſſaria alia ſpecialiſſima, quæ de lege ordinaria non confertur, non explicat in illis locis. Sed hoc ultimum ſatis exprimit in aliis, quæ pro aſſertione expendimus: & ideo illis ſtandum eſt. Ambroſius faciliùs adhuc explicatur: quia ibi non loquitur de quibuſvis peccatis, ſed de delictis ut ex ipſis verbis conſtat: delicti autem vocabulo majus quid indicat, quàm peccatum veniale. Loquitur etiam Sanctus Pater de peccatis, quibus ſimpliciter maculamur, ut ipſe textus indicat: quod ſolùm adaptari valet mortalibus, ut ſupra diximus. Hieronymus denique in loco, qui nobis opponitur, ſolùm admittit, quòd homo per Dei gratiam poteſt eſſe ſine peccato: an autem poſſit per totam vitam, an ſolùm per breve tempus, minimè determinat ibi, ſed dialogo tertio, ubi noſtram docet ſententiam illis verbis: *Hoc eſt, quod à principio tibi dixeram, in noſtra eſſe poſitum voluntate per Dei gratiam non peccare, ut liberum ſervetur arbitrium: ſed pro modo, & tempore, & fragilitate conditionis humanæ: perpetuitatem autem impeccantiæ ſoli reſervari Deo, & ei, qui Verbum caro factum eſt. Nec quia ad breve tempus poſſum, coges me, ut jugiter poſſim.*

D. Hieron.

246. Hæc ſunt fundamenta ſententiæ adverſæ, quæ videbantur aliquid difficultatis habere, & quibus oportuit occurrere. Alia autem argumenta è ratione petita, quæ urget Vega, eandem prorſus difficultatem continent, ac illa, quæ enodavimus dubio quinto, ubi ſtatuimus non ineſſe homini vires naturales ad ſervanda omnia præcepta naturalia collectivè per longum tempus, & nihilominus naturaliter teneri ad ſingula diviſim, & prout occurrunt: unde ſupervacaneum foret ea in præſenti iterum inculcare.

Alia argumenta remiſſivè.

247. Sed priuſquam ab hoc loco diſcedamus; ut ea, quæ de Zacharia, & Elizabeth obiter, & breviter diximus, meliùs intelligantur, & magis conſtet ad auctoritatem Ambroſij ſuperiùs inductam; neſcimus quo fundamento, Vaſquez *tomo 2. in 3. parte, diſputat.* 120. *capite quinto, numero* 92. hæc ſcripſerit, *Sanè ſcio Auguſtinum libro de natura, & gratia capite 63. putaſſe Ambroſium in ea fuiſſe ſententia, ut crederet Zachariam, & Eliſabeth ſine peccato uſque ad finem vixiſſe.* Et magis neſcimus, qua animoſitate adjecerit: *Nihilominus ego cenſeo Ambroſium id non dixiſſe, quod ei Auguſtinus tribuit.* Quoniam in primis à veritate procul exorbitat Vaſquez; deinde loquitur de Auguſtino irreverentia quadam minimè diſſimulanda. Nam Sanctus Doctor hæc habet: *Sanctus autem Ambroſius revera in illo loco, quem iſte commemorat, illis reſiſtit, qui dicunt hominem non eſſe poſſe ſine peccato in hac vita. Ut enim ea diceret, accepit occaſionem de Zacharia, & Elizabeth, quod in Evangelio commemorati ſunt ambulaſſe in omnibus juſtificationibus legis ſine querela. Nunquid tamen negat gratia Dei fieri per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum?* Ubi, ut vides, ſolum refert Ambroſium dixiſſe, quod poteſt homo eſſe in hac vita ſine peccato: quod quidem veriſſimum eſt, ut conſtat ex ſupra dictis *numero* 240. poteſt enim per breve tempus eſſe mundus ab omni culpa. Minimè autem ait Auguſtinus, quòd Ambroſius dixerit Zachariam, & Eliſabeth, *vixiſſe ſine peccato uſque ad finem vitæ*, ut Vaſquez imponit, neque talia verba in Sancto Doctore inveniuntur. Sed dixit, quòd Sanctus Ambroſius ad aſſerendam præmiſſam ſententiam, nempe poſſe hominem eſſe in hac vita ſine peccato, occaſionem acceperat ex his, quæ de Zacharia, & Eliſabeth in Evangelio ſcribuntur: in quo tamen non habetur, quòd nunquam peccaverint venialiter. An autem poſſit homo eſſe abſque omni peccato tam mortali, quàm veniali, tam per breve tempus, quàm per longam durationem, tam per gratiam communem, quàm per privilegium; minimè determinat Auguſtinus ibidem, nec refert, quòd Ambroſius determinaverit, ut conſtat tum ex verbis, tum ex ratione Sancti Doctoris: eo quippe tantum collimabat, ut oſtenderet eſſe neceſſariam gratiam, ut vivamus ſine peccato. Cenſeat ergo Vaſquez *Ambroſium id non dixiſſe, quod ei Auguſtinus tribuit:*

Obſervatio contra Vaſquium.

D. Auguſt.

Digitized by Google

tribuit: nos verò cenſemus Auguſtinum id non dixiſſe, quod ei Vaſquez tribuit; ſed eſſe manifeſtam impoſturam. Quidquid autem Auguſtinus tribuit Ambroſio, id libenter, & reverenter credimus ab Ambroſio dictum: & cum dolore legimus, quòd Vaſquez corrigat Auguſtinum. Huic enim ſummi ingenij acumen, & quod præcipuum eſt, divinæ veritatis radius affulſit; maximè verò in iis, quæ ſcripſit de gratia, ut vidimus diſputatione præcedenti cap. 7. §. 1. in illo autem nihil æquale videmus, quod revereamur.

Error contra primam partem ſecundæ aſſertionis. Calvinus. Sarcerius. Brentius. Gregorius.

248. Adversùs primam partem ſecundæ aſſertionis docent moderni hæretici affirmando Beatiſſimam Virginem habuiſſe peccata actualia. Ita Calvinus *in harmon. circa caput 1. Lucæ*, ubi ait: *Non magnopere laborandum eſt, ut Mariam purgemus ab omni culpa.* Sarcerius, *in 1. & 2. caput Lucæ*, Brentius, *in 12. caput Matthæi.* Centuriatores, *centur. 1. de vita Mariæ*, & alij, quorum delirium (quod mirandum eſt) tenuit olim, ſaltem ex parte, Gregorius, *in 2. diſtinctione 30. quæſtione ſecunda.*

Probatur primò. D.Chryſoſt.

Probatur primò: quia Beata Virgo videtur humana quadam ambitione petiiſſe à filio miraculum Joann. 2. Unde Chryſoſtomus homil. 20. verſans illa verba, *Vinum non habent*, dicit, *quod volebat ſe ipſam clariorem facere per filium, & fortaſſis quid humanum patiebatur.* Quod etiam videntur ſignificare Irænæus *lib. 3. contra hæreſes capite 18.* Athanaſius, *ſerm. 4. contra Arianum*, & aliqui alij Patres. Et confirmatur ex verbis Chriſti Domini, *Quid mihi & tibi eſt mulier?* per quæ videtur petitionem matris increpare: increpatio autem ſupponit aliquam culpam.

Reſponſio. S.P.N.Cyrillus. D.Bernard. D.Thom. Caniſius. Iuſtinus Martyr.

Reſpondetur negando antecedens: quia petitio illa Virginis non proceſſit ex aliquo ambitioſo, & vitioſo affectu; ſed ex magna fide, & providentia, ut docent S. P. N. Cyrillus, *lib. 1. in Ioann. capite 22. & 24.* Divus Bernardus, *ſermone 46. in cantic.* & alij. Ad auctoritatem Chryſoſtomi reſpondet Divus Thomas, *3. p. quæſt. 27. artic. 4. ad 3.* his verbis: *Dicendum, quòd in verbis illis Chryſoſtomus exceſſit. Poſſunt tamen exponi, ut intelligatur in ea Dominum cohibuiſſe non inordinatum inanis gloriæ motum quantum ad ipſam, ſed id, quod ab aliis poſſet æſtimari.* Et idem reſpondendum eſt ad alios Patres. *Sic Thomas* (inquit optimè Caniſius, *libro quarto, de Maria Deipara cap. 39.*) *ut doctiſſimus, ita humaniſſimus Chryſoſtomum civilior excuſat, ſatisque ſuo monet exemplo, quo nos candore in veterum ſcriptis judicandis, & leniendis potius, quàm damnandis illorum dictis, ſi quæ occurrant duriuſcula, verſari debeamus.* Porro verba Chriſti Domini nullam continent reprehenſionem: quia ut rectè dixit Juſtinus Martyr quæſt. 136. ad gentes: *Non verbo matrem objurgavit, qui facto honoravit.*

Vaſquez inſurgit contra D.Auguſt.

Variis autem modis exponuntur à Patribus, ut videre eſt apud Suarez, *tom. 2. in 3. parte, diſp. 4. ſect. 4.* Vaſquez, *ibidem diſputat. 120. cap. 4.* ubi *num. 66.* refert expoſitionem D. Auguſtini, *tract. 8. & tract. 119. in Ioan. & lib. 1. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 5.* Sed S. Doctorem excludit Vaſquez his verbis: *Hæc interpretatio mihi non placeat*, & ad marginem, *Refellitur*, poſt pauca, *Hanc autem expoſitionem non parum extortam eſſe quis non videat?* Certè ut verum dicamus, nullus videt, niſi cujus oculos acuunt irreverentia in Patres, & impugnandi libido. Viderunt expoſitionem Auguſtini Gregorius, *libro 8. epiſt. 42.* Beda, D.Thomas, Gloſſa, & alij plures in locum Joannis, & nullus vidit extortam, ſed omnes illam probarunt, & amplexati ſunt. Solus eſt Vaſquez, qui corrigat Auguſtinum, & expoſitionem novam à numero 70. excogitet abſque ullo Sanctorum patrocinio: ſed quam omnes vident extortam, recentem & ſingularem. Exponit ergo Auguſtinus illa verba, *Quid mihi, & tibi eſt mulier*, ita ut referantur ad divinitatem Chriſti. Petierat enim Virgo miraculum: & quia virtus faciendi miracula non convenit Chriſto ratione humanitatis, quam accepit à matre, ſed per divinitatem, quam habet à patre, ideo dixit, *Quid mihi, & tibi*, hoc eſt, *Quid mihi tecum eſt*, quod ad miraculum faciendum pertineat? Non enim ex te divinitatem, ſed humanitatem habeo. Adjecitque, *Nondum venit hora mea*, id eſt, hora mortis, in qua demonſtraturus ſum carnis infirmitatem, & quod à te veram humanitatem acceperim: tunc te commendans Joanni, te matrem apertè cognoſcam, quam nunc repellere videor. Hæc in ſumma Auguſtinus, & alij Patres: per quæ ſatis piè, & cohærenter verba Chriſti Domini declarantur, quia aliquam increpationem contineant; licèt aſperitatem ſpecie tenus videantur habere.

D. Auguſtinus defenditur.

Aliud hæreticorum fundamentum.

249. Secundò probatur prædictus error: nam videtur, quòd Beata Virgo Chriſtum publicè prædicamento interpellaverit ex humana quadam ambitione, ut ſatis judicat Chryſoſtomus, *homilia 45. in Matth.* Propter quod videtur Chriſtus illam acerbe reprehendiſſe illis verbis: *Quæ eſt mater mea?* Matth. 12. Marc. 3. & Luc. 8.

Convellitur. D.Hilarius. D.Gregor. Bernardus. Ambroſ.

Reſpondetur nullam eſſe in illo facto Virginis ſpeciem ambitionis, vel imprudentiæ: bono enim animo, & convenienti modo quærebat filium. Sed alij aſtantes, & audientes ſermonem Domini illum intempeſtivè, ac importunè allocuti ſunt: Unde increpatio Chriſti ad iſtos, non verò ad matrem directa eſt. Et fortè (quod pluribus Patribus arridet) verba Chriſti non continent reprehenſionem, ſed inſtructionem. Unde Hilarius, *Canone 11. in Matth.* docet: *Chriſtum non faſtidiosè de ſua matre ſenſiſſe, ſed docere voluiſſe propinquitatis jus, atque nomen non jam de conditione naſcendi, ſed de Eccleſiæ communione retinendum.* Et ſimilia habent Gregorius, *hom. 3. in Evang.* Bernardus, *ſerm. 2. Dominicæ 1. poſt Epiphaniam.* Ambroſius, *lib. 6. in Lucam*, & alij Patres. Si autem aliquid aliud Chryſoſtomus attribuat Virgini; reſpondebimus cum D.Thom. quod exceſſit.

Aliud motivum. D. Auguſt.

250. Tertiò probatur auctoritate D.Auguſtini, *in lib. quæſt. veteris, & novi teſtamenti qu. 73.* ubi ait, quòd Beata Virgo in morte Domini ſtupore quodam dubitavit: & ita interpretatur illa verba, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* Lucæ 2. Sed dubitare in his, quæ pertinent ad fidem, peccatum eſt: ergo Beata Virgo non fuit immunis ab omni culpa actuali.

Enervatur. D. Thom.

Sed ad hoc optimè reſpondet Divus Thomas, *loco citato ex 3. parte ad 2.* his verbis. *Quidam per gladium dubitationem intelligunt. Quæ tamen non eſt intelligenda dubitatio infidelitatis, ſed admirationis, & diſcuſſionis: dicit enim Baſilius in epiſtola ad Optimum, quòd Beata Virgo aſſiſtens cruci, & aſpiciens ſingula, poſt teſtimonium Gabrielis, poſt ineffabilem divinæ conceptionis notitiam, poſt ingentem miraculorum*

oſtenſio

Digitized by Google

oſtenſionem, animo fluctuabat, ex una ſcilicet parte videns eum pati abjecta, & ex alia parte conſiderans ejus mirifica. Quæ amplius elucidat optime Cajetanus: *In reſponſione* (inquit) *ad ſecundum notate garruli prædicatores paſſionis Chriſti, tot fœmineos clamores, motus*, &c. *attribuentes Beatæ Virgini in dolore paſſionis: penſate verba Baſilij in littera allata, & percipite ipſam contemplationi admirativæ tunc vacaſſe, conferendo divina priùs viſa, & ſibi certa humanis, quæ tunc videbat, ſumma infimis, & è contra: & conſequenter affectum cogitationibus conſonum ſecundùm rectam rationem habentem, ut condoleret, ut compateretur, cùm tam excelſum tam vilibus ſubjectum ex charitate propria pro ipſius matris, & mundi ſalute proſpiceret.*

Cajet.

Ultimum argumentum.

251. Ultimò arguitur fundamento Gregorij: nam quicumque habuit peccatum originale, committit poſtea aliqua actualia; & è converſo qui nunquam commiſit actuale, bene convincitur, quòd non contraxerit originale, ut frequenter docet Auguſtinus: ſed Beata Virgo fuit concepta in peccato originali: ergo habuit aliqua peccata actualia.

Conc. Milev.

Confirmatur: quia in Concilio Milevitano, *can.* 6. & 8. definitum eſt omnes poſſe, & debere dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Quod etiam credendum eſt Beatam Virginem oraſſe. Ergo habuit ſaltem aliqua venialia, quæ illi remitterentur.

Diluitur.

Ad argumentum reſpondetur negando minorem: quia Beata Virgo non contraxit peccatum originale: unde argumentum retorquendum eſt in Gregorium.

Ad confirmationem reſpondetur illum canonem Milevitani procedere ſecundùm regulas communes, & non comprehendere Beatam Virginem, ut conſtat ex proximè dictis. Potuit autem Sancta Virgo prædicta illa verba recitare, non quia ignoraverit ſe nunquam peccaſſe, ut aliqui falsò reſpondent; ſi quidem veriſimilius eſt, quod ſicut hoc privilegium fuit illi conceſſum, ita fuit illi à Deo revelatum, ne anxia in hac parte foret: ſed quia illa verba dicebat pro aliis, & nomine totius Eccleſiæ: pro ſe verò gratias agebat ob accepta beneficia, in eiſque conſervari petebat.

Ultima ſententia contra ſecundam partem ſecundæ aſſertion.

Catharinus.

252. Contra ſecundam ejuſdem aſſertionis partem eſt ſententia Catharini *libro* 2. *de eximia prædeſtinatione Chriſti*, poſt medium, ubi docet ex illis, quos ipſe vocat inſigniter prædeſtinatos, aliquos (pauciſſimos tamen) eſſe, qui habuerunt privilegium vitandi omnia peccata venialia per totam vitam: & hujuſmodi, inquit, fuiſſe Beatum Joannem Baptiſtam. Quod etiam docet Galatinus *lib.* 7. *de arcanis cap.* 9. hiſque multùm favet Keliſonius, 3. *p. quæſt.* 27. *art.* 4. *dub.* 2. ubi inquit: *Nolo hac in re contradicere devotioni multorum Chriſtianorum, qui putant Ioannem Baptiſtam, & fortè aliquos alios, nunquam peccaſſe venialiter.*

Galatinus.

Keliſonius.

Probatur.

D. Gregor.

Beda.

Probatur primò hæc ſententia auctoritate Patrum, quos congerit Caniſius, *lib.* 1. *de corruptelis verbi Dei cap.* 10. Nam D. Gregorius, *lib.* 3. *cap.* 5. ex profeſſo probat perpetuam Joannis innocentiam per totam vitam. Beda in homilia de collatione Joannis inquit: *Quis noſtrum dicere audeat Beatum Ioannem actu, vel dicto, vel habitu, vel victu peccaſſe?* Athanaſius, *ſerm.* 4. *contra Arianos*, aſſerit Joannem fuiſſe purum ab omni crimine.

Confirmatur primò.

D. Auguſt.

Confirmatur primo ex D. Auguſtini *libro de Spiritu, & littera cap.* 2. ubi docet: *Si quis doceat aliquem fuiſſe, qui non ex viribus liberi arbitrij, ſed ſingulari gratia privilegio illa vitaverit, nec pernicioſè errare.* Nullus autem poſt Beatam Virginem eſt, cui aptiùs, quàm Joanni, hoc privilegium tribuamus: ergo piè credendum eſt, quòd illud habuerit. Unde Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 24. *ſect.* 4. tenet poſſe hanc partem probabiliter ſuſtineri.

Suarez.

Secundò.

Confirmatur ſecundo: quoniam de Joanne canit Eccleſia.

Antra deſerti teneris ſub annis
Civium turmas fugiens petiſti
Ne levi ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.

Et rurſus.

O nimis felix, meritique celſi
Neſciens labem, nivei pudoris.

Hæc autem ſatis indicant Beatum Joannem fuiſſe immaculatiſſimæ vitæ: ergo dicendum eſt, quòd nullum commiſerit peccatum mortale, vel veniale.

Tertiò.

Confirmatur tertiò: quoniam Eccleſia celebrat Joannis nativitatem, ut ſanctam: ergo ſanctitas illius nullam ex tunc ſubitura erat maculam etiam venialem. Probatur conſequentia: quia ideo Eccleſia celebrat ſanctitatem aliorum beatorum in morte, quia ex tunc incipit eſſe immutabilis, & inamiſſibilis, & nequit defectibus ſubjacere.

Occurritur argumento.

Reſpondetur ad argumentum, quod Sancti Patres ſummis quidem laudibus prædicant Joannis ſanctitatem; minimè verò aſſerunt eum fuiſſe ab omni culpa etiam leviſſima immunem. Nam Gregorius, & Beda, ut probent Joannem injuſtiſſimè fuiſſe damnatum ad mortem, docent nihil externum commiſiſſe, quod homines offenderet, aut mortem mereretur. Cum quo tamen rectè ſtat, ut aliqua venialia interna commiſerit. Unde ipſe Beda explicans illud Jacobi 3. *In multis offendimus omnes*, docet nullum juſtum poſſe vivere abſque omni prorſus peccato, confirmatque ex illo Job 15. *Cœli non ſunt mundi in conſpectu illius.* Auctoritas Athanaſij minus adhuc urget: quia criminis vocabulum ſoli peccato mortali, propriè loquendo, tribuitur juxta illud Auguſtini libro primo, contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 14. *Multi quippe baptizati fideles ſunt ſine crimine: ſine peccato autem in hac vita minime dixerim.*

Beda.

Solvuntur confirmationes.

Ad primam confirmationem reſpondetur veriſſimam eſſe Auguſtini ſententiam: ex ea autem ſolùm haberi, quòd poſſit abſque errore de aliquo dici, quòd vitaverit omnia venialia; ſi ad hoc privilegium aſſerendum exhibeantur ſufficientia fundamenta. Hæc autem ſolùm adſunt pro Beata Virgine; non verò pro alio ſancto, quantumvis inſigni, ut conſtat ex ſupra dictis. Et ideo quantum ad alios ſtandum eſt communibus regulis ſcripturæ.

Ad ſecundam reſpondemus ex hymno Eccleſiæ ſolum haberi, quòd Joannes declinaverit hominum conſortium ad evitandum peccata linguæ; & quòd non commiſerit peccatum mortale contra caſtitatem, quod ſignificatur nomine *labis*: propter quod meritò dicitur *nivei candoris*. Sed minimè hinc ſequitur, quòd non commiſerit alia peccata venialia.

Ad tertiam negatur conſequentia: quia ut Eccleſia celebret nativitatem Joannis; ſufficit, quòd fuerit in gratia confirmatus ab utero matris

Digitized by Google

ſuæ : nam hoc ipſo habuit ſanctitatem inamiſſibilem ; tametſi permixtam aliquibus culpis levibus: eæ quippe nec deſtruunt gratiam, nec impediunt confirmationem in illa.

Aliud ejuſdem ſententiæ fundamentum.

253. Secundò probat eandem ſententiam Catharinus hac ratione : quoniam dari talem gradum ſanctitatis in aliquibus, ut nunquam peccaverint venialiter, eſt ſimpliciter poſſibile, ut patet in Beata Virgine : ſed aliàs hoc cedit in majorem gloriam Dei, ut ejus virtus declaretur in hoc effectu ; cedit etiam in majorem excellentiam meritorum Chriſti, ut ſingulariſſimè in aliquibus reſplendeat, & denique cedit in majorem perfectionem Eccleſiæ, ut in ea reperiatur gradus adeo ſingularis ſanctitatis : ergo aſſerendum eſt, quòd ita de facto contingat, in perſonis aliquibus ſanctiſſimis.

Proſternitur.

Reſpondetur negando conſequentiam, ut pote quæ ſi legitimè inferretur ex præmiſſis, pari modo poſſet ſuadere aliquos præter Virginem, fuiſſe abſque originali conceptos, nullum habere fomitem peccati, gaudere innocentia originali, aliaque habere privilegia : quæ cordatus Theologus reputat deliria. In iis ergo, quæ ex ſola Dei voluntate pendent, non ad argutias noſtras; ſed ad teſtimonia divinæ Scripturæ recurrendum eſt. In hac autem edocemur omnes peccare, nullumque eſſe, qui à ſorde culparum penitus immunis ſit. Unde cui non adeſt oppoſitum privilegium (quale in ſola Beata Virgine prædicat Eccleſia) ſub communibus regulis debet cenſeri comprehenſus. Illis autem motivis convenientiæ, quæ expendit Catharinus præter alia omnia, quæ ſupra expendimus, longè præponderat doctrina Tridentini, *ſeſſione 5. de peccato originali numero 5.* Ubi dicitur, quod concupiſcentia, ſeu fomes peccati perſeverat in baptizatis ad agonem, & coronam. Stante autem fomite, nulloque accedente fræno ſpecialiſſimæ gratiæ ; nequeunt non inſurgere aliqui motus contra rationem : in quorum aliquo neceſſarium eſt, quòd homo diu vivens quandoque deficiat, & peccet venialiter, ut conſtat ex ſupra dictis.

DUBIUM OCTAVUM.

Utrùm homo lapſus, vel in puris conſtitutus poſſit abſque gratia vincere graves tentationes.

HActenus conſideravimus vires humanæ naturæ per comparationem ad actus naturales ſumptos ſecundùm ſe, hoc eſt, ſecundùm difficultatem, quam ex ſe, & ex proprio objecto afferunt : quæ ſolet appellari difficultas intrinſeca. Supereſt, inveſtigemus jam eaſdem vires per reſpectum ad actus ipſos naturales, quatenus induunt majorem difficultatem ex ingruentium tentationum occurſu ; quæ dici conſuevit difficultas extrinſeca. Sed antequam ad dubij deciſionem accedamus, oportet aliqua prælibare, quæ & titulum explicent, & expeditam nobis ſternant viam, ut difficultatem præſentem cum majori luce reſolvamus.

§. I.

Præmittuntur aliqua notabilia.

120. TEntare, ut obſervat Divus Thomas, *1. quæſt.* 114. *articulo* 5. eſt experimentum ſumere de aliquo, ut ſciatur aliquid circa ipſum : & ideo finis proximus cujuſlibet tentationis eſt ſcientia. Finis autem remotus poteſt eſſe duplex, bonus ſcilicet, cùm quis experiri vult virtutem alterius, ut cum promoveat ad majus bonum : malus verò, quando id præſtat, ut ipſum ſubvertat, deprimat, ac decipiat. Unde Auguſtinus, *libro 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 30.* diſtinguit duplex genus tentationum, unum ad probandum, alterum ad ſeducendum. Quod in cauſa eſt, ut ſacra Scriptura aliquando neget Deum homines tentare, ut repetit Jacob. 1. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt. Ipſe autem neminem tentat.* Quia videlicet, Deus neminem ea intentione probat laboribus, aut alio modo ; ut intendat ſubverſionem, ac peccatum illius juxta illud 1. Petri 3. *Deus neminem vult perire.* Quandoque verò aſſerit, quòd Deus nos tentat, ut Geneſ. 22. *Tentavit Deus Abraham*, & Deut. 8. *Adduxit te Dominus quadraginta annis per deſertum, ut affligeret te atque tentaret.* Quia nimirum intendebat, ut per illorum certaminum, & calamitatum victoriam virtus eorum appareret : non quia Deus per hujuſmodi experimenta aliquam ſibi ſcientiam, quæ, ut diximus, ſolet eſſe finis tentationis, compareт ; ſed quoniam intendit, & facit, quòd alij ſciant. Quod rectè notavit D. Thomas *loco citato*, his verbis : *Deus tentare dicitur, ut ſciat eo modo loquendi, quo dicitur ſcire, quod facit alios ſcire : unde Dicitur Deut. 13. Tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrùm diligatis eum.* Et *in 2. diſtinct. 21. quæſt. 1. art. 1.* inquit : *Non ad hoc Deus tentavit Abraham, ut fidei ejus cognitionem acciperet, quam prius ſciebat ; ſed ut aliis manifeſta eſſet in exemplum.* Et de hujuſmodi tentatione, ſeu examine ad laudem tentati, & exemplum aliorum non procedit præſens difficultas, ut ex ſe liquet ; ſed de tentatione ad peccatum inducente.

Quid ſit tentatio. — *D. Thom.* — *D. Auguſt.* — *Iacob. 1.* — *1. Petr. 3.* — *Geneſ. 22.* — *Deut. 8.* — *D. Thom.*

255. Tentare autem homines ad nocendum, & peccandum proprium eſt diaboli : quia diabolus, inquit Sanctus Doctor loco citato ex 1. parte, *ſemper tentat, ut noceat in peccatum præcipitando : & ſecundùm hoc dicitur proprium officium ejus tentare.* Quod ſatis exprimit divina Scriptura, cum tentatoris nomen antonomaſticè diabolo attribuit, ut 1. ad Theſſal. 3. *Ne fortè tentaverit vos is, qui tentat, id eſt, diabolus,* (inquit gloſſa interlinealis) *cujus officium eſt tentare*, & 1. Petri 5. appellatur per excellentiam *adverſarius noſter.* Cujus ardens nocendi ſtudium, & innumeras tentandi artes non eſt, qui ſatis poſſit exprimere ; quamvis non nihil declarat B. Ambroſius, *lib. 4. in Luc.* his verbis : *Multi laquei, quacumque progredimur, tenduntur à diabolo : laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, laquei in crepidinibus parietum, laquei in Philoſophis, laquei in cupiditatibus, laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in ſtudio caſtitatis. Exiguis enim momentis mens inclinatur humana, & huc, atque illuc pro verſutia ſuadentis frequenter impellitur. Videt aliquem diabolus religioſum virum*

Proprium diaboli tentare ad peccatum. — *D. Thom.* — *1. ad Theſſ. 3.* — *1. Petri 5.* — *D. Ambroſ.*

Digitized by Google

Deo venerabiliter deferentem; in ipſa eum religione ſupplantat, &c. Hujus autem iniquiſſimi ſtudij ratio triplex potiſſimum deſignari poteſt: prima odium in creatorem; ſecunda invidia in hominem; & tertia deſperatio propriæ ſalutis, ut ſumitur ex Auguſtino *in lib. quæſt. de veteri Teſtamento quæſtione* 2. & de utroque mixtim *quæſtione* 115.

Alij, quæ excitant tentationes. Quaſi verò huic potenti noſtrûm adverſario vires defecerint, ſuppetias quàm maximas illi deferunt alij duo ingratiſſimi animæ hoſtes, caro videlicet,& mundus: unde communiter Theologi recenſent hos tres ſalutis noſtræ inimicos. Porrò mundi nomine ea intelliguntur impedimenta boni, & incentiva mali, quæ ex hominum convictu, & mundi pompa animum alliciunt ad vitia, vel ab ſtudio boni disjiciunt. Quo ſenſu D.Auguſt. Auguſtinus ſerm. 12. de ſanctis, *Duplicem*, inquit, *mundus aciem producit contra militem Chriſti. Blanditur, ut decipiat: terret, ut frangat.* Carnis autem vocabulo ſignificatur pars hominis inferior, vel appetitus ſenſitivus, qui ad delectabilia ſecundùm ſenſum, & rationi, ac legi frequenter adverſa vehementer propendit: unde moleſtiſſimum bellum parti ſuperiori inducit juxta illud Apoſtoli ad Rom. 7. (Ad Rom. 7.) *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*, & ad Galat. 5. (Ad Galat. 5.) *Caro concupiſcit adversus ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem.* Quod perpendens Auguſtinus (D. Auguſt.) de verb. Apoſt. ſerm. 43. *Videte*, inquit, *quale bellum propoſuit, qualem rixam.* Dicuntur autem mundus, & caro tentare, non quia directè, & per ſe intendant, quòd peccemus; hoc quippè ſolius diaboli eſt, vel hominis diabolici: ſed quia vel malo exemplo, aut pravis motibus nos trahunt ad objecta, quæ aliàs ſolent eſſe prohibita: in quorum proinde proſecutione, vel refutatione apparet hominis virtus, vel infirmitas, ut obſervavit D.Thom. (D. Thom.) *loco jam citato* ex prima parte his verbis: *Caro etiam, & mundus dicuntur tentare inſtrumentaliter, ſeu materialiter, inquantum ſcilicet poteſt cognoſci, qualis ſit homo, ex hoc, quod ſequitur, vel repugnat concupiſcentiis carnis, & ex hoc, quòd contemnit proſpera mundi & adverſa.*

Tentatio à diabolo prætermittenda in hoc dubio. 256. Quamvis autem præſens dubium poſſet omnes has tentationes amplecti; conſultò nihilominus eas, quæ à diabolo ſunt, ab illo duximus relegare. Quoniam in præſenti inveſtigamus vires hominis purè naturales, & quæ ipſi competerent, tam in ſtatu naturæ puræ, quàm in ſtatu naturæ lapſæ: ac proinde debemus illas conferre cum illis tentationibus, quæ utrique ſtatui ſunt communes, & valent in uno ac altero ſtatu ſecundùm providentiam communem occurre. Si autem homo in puris naturalibus conderetur, veroſimilius eſt, quòd non tentaretur à diabolo. Tum quia diabolus tentat hominem propter odium Dei auctoris ſupernaturalis, & ut hominem impediat à beatitudinis ſupernaturalis conſecutione: homo autem in puris naturalibus conſtitutus, nec Deum ut auctorem ſupernaturalem reſpiceret, nec in beatitudinem ſupernaturalem tenderet. Tum etiam quia tentatio à diabolo non eſt mere naturalis, ſed eſt bellum ultra vel ſupra naturam ex altiori providentia permiſſum, ut benè obſervarunt Caietanus (Caietanus.) in hac quæſt. art. 2. §. *Ad tertium fundamentum dicitur.* Alvarez (Alvarez.) *lib. 5. Reſponſ. cap. 4. num.* 17. & Suarez (Suarez.) *tom. 1. de Gratia lib. 1. cap. 23. num.* 3. at in puris naturalibus nihil eſſet ſupra, vel contra naturam hominis, ſed juxta illam gubernaretur à Deo. Tum denique, & præcipuè, quoniam ex ſuppoſitione, quòd Deus decerneret nullum gratiæ auxilium conferre homini, ut utique ſtatueret, ſi illum in puris naturalibus conderet; ad ſuavem illius providentiam ſpectabat nullatenus permittere, quod verſutiſſimus, ac potentiſſimus hoſtis diabolus eum tentationibus urgeret, & ab illo ſtatu in alium deteriorem brevi, ac facile dejiceret. Incredibile quippè videtur, quòd Deus optimus ex una parte nullas vires indebitas homini conferret, vel promitteret, & ex alia parte exponeret hominem tentationibus illius hoſtis, cui nulla poteſtas comparatur ſuper terram, ut dicitur *Iacob.* 4. & 41. Quæ omnia ſatis evincunt hominem conditum in puris naturalibus non potuiſſe, ſervata communi, ac ſuavi Dei providentia, eſſe ſubjectum diaboli tentationibus. Idque videtur apertè ſupponere Auguſt. (D. Auguſt.) Pſalm. 61. circa finem, ubi inquit: *Quòd Deus, qui dat diabolo licentiam tentandi, dat tentatis miſericordiam*, hoc eſt, gratiam. Et ideo hujus tentationis victoria Deo ſpecialiter attribuitur juxta illud Apoſt. Roman. ultimo: *Deus conterat Satanam ſub pedibus veſtris.* Unde abſque dubio ſi non conferret homini in eo ſtatu gratiam; minimè daret diabolo, ut eum tentaret, licentiam.

Prætermittitur etiam tentatio contra finem ſupernaturalem. 257. Propter hæc igitur removenda, & excludenda eſt ab hoc dubio tentatio, quæ inducitur à diabolo. Et pari ratione omittere oportet tentationes, quæ urgent contra finem ſupernaturalem. Tum quia hujuſmodi tentationes non eſſent in ſtatu naturæ puræ; ſiquidem ut ſupponitur, natura in prædicto ſtatu nec intrinſecè, neque extrinſecè ad prædictum finem ordinaretur. Tum etiam quia tentatio ad omittendum actum ſupernaturalem, quando urget præceptum pro illius elicientia, non poteſt ſuperari niſi per poſitionem prædicti actus: conſtat autem actum ſupernaturalem non poſſe elici abſque gratia: unde certum eſt ad vincendam prædictam tentationem, & alias ſimiles circa ſupernaturalia, non ſufficere vires naturæ. Quamobrem relictis hujuſmodi tentationibus, procedit præſens difficultas circa tentationes carnis, & mundi, quæ ſunt contra legem, & finem ordinis naturalis: eæ quippè independenter ab hoſtilitate diaboli, comitantur naturam humanam ſibi relictam, & urgent hominem, ſi conderetur in puris. Quod rectè vidit D. Thomas (D. Thom.) ſupra *quæſt.* 80. *art.* 4. ubi loquens de diabolo inquit: *Directè autem non eſt cauſa omnium peccatorum humanorum, ita quod ſingula peccata perſuadeat. Quod Origenes probat ex hoc, quod etiamſi diabolus non eſſet, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, & ſimilium: qui poſſet eſſe inordinatus, niſi ratione ordinaretur: quod ſubjacet libero arbitrio.* Idque ſatis liquet ex eo, quòd natura humana ſibi relicta eſt quaſi diviſa in duos appetitus inter ſe contrarios, quorum unus ſcilicet rationalis tendit in bonum conforme rationi; alter verò, nempè ſenſitivus, inclinat ad bonum conſonum ſenſui, quod frequenter rationi contrarium eſt. Unde oritur rebellio appetitus ſenſitivi contra rationem, & quod eam ad malum vehementi tentatione ſolicitet. Accedit etiam, quòd hominis in puris conſtituto eadem motiva tam ex parte carnis, quàm mundi ſe ſe offerrent, quæ de facto occurrunt, utpote delectabilia ſecundùm tactum, maximi honores, graves injuriæ, amor filiorum, timor mortis, appetitus vindictæ, & alia hujuſmodi,

modi, quæ illum vel ad malum vetitum traherent, vel à bono præcepto removerent, ut conſideranti conſtabit.

Tentatio alia gravis, & alia levis.

258. Deinde obſervandum eſt, quòd tentatio tam carnis, quàm mundi bipartitur in gravem, & levem, ut deſumitur ex illo Pauli 1. ad Corinth. 10. *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana: fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Ubi ſatis apertè ſignificat Apoſtolus dari aliquam tentationem levem, quam vocat humanam: alias verò eſſe graviores, quibus Deus, inquit, non permittet eos tentari, ut obſervat Chryſoſt. homil. 24. in priorem ad Corinth. Quæ differentia non ſumitur præcipuè ex parte materiæ, quaſi illa ſit tentatio gravis, quæ incitat ad grave malum perpetrandum, vel ad magnum omittendum; illa verò levis, quæ verſatur circa levia: nam certum eſt in materia gravi poſſe leves tentationes inveniri, ut apparet in juſto, cui motivum parum urgens occurrat ad odium Dei. Unde prædicta diſtinctio magis ex modo deſumenda eſt: nam illa dicitur tentatio levis, quæ offert ex parte intellectus remiſſam ſuaſionem, ac motiva parum urgentia, ex parte verò voluntatis, aut appetitus debilem inclinationem. Gravis autem tentatio, dicitur, quæ vehementer ſolicitat, & propter ingentem propenſionem affectus ad objectum, quod proponitur; & propter magna motiva, homini occurrunt ad deſerendum bonum rationis, & amplectendum malum illi contrarium. Sic enim utramque tentationem, deſcribunt communiter Doctores.

1. ad Cor. 10.

Quæ tentatio dicatur gravis.

Suarij reſolutio.

259. Quibus tamen, & magis rationi contrarius eſt in hac parte Suarez *lib. 1. de gratia, cap. 23. num. 2.* ubi inquit: *Tentatio levis dicitur, quæ vel ex parte intellectus parvam, vel inefficacem habet ſuaſionem, vel appetitus debilem inclinationem: vel etiam eſt levis, quæ ad momentum, ſeu breviſſimo tempore durat, quamvis alioqui intenſa, ſeu vehemens videatur. Gravis autem dicitur, quæ pertinaciter ſuadet multo tempore conſtanter, ac moleſtè.* Et cap. 24. ſequenti num. 34. amplius ſe explicat dicens: *Si uno tantùm momento temporis tentatio duret, non æſtimabitur ſimpliciter gravis, quantumvis intenſa videatur.* Quibus apertè docet nullam tentationem, quæ breviſſimo tempore, vel, ut ipſe loquitur, quæ uno momento temporis durat, reputandam eſſe gravem. Cujus doctrinæ uſum, & applicationem infrà latiùs confutabimus: nunc verò opus eſt ipſam doctrinam falſitatis convincere. Quia vel nomine momenti, ſeu breviſſimi temporis intellexit Suarez aliquod inſtans metaphyſicum, quod non ſufficiat ad perfectè deliberandum, & conſequenter ad graviter peccandum. Et hoc modo certum eſt, tunc non urgere gravem tentationem: quia propriè loquendo nec urget tentatio: hæc quippè connotat ſufficientem uſum arbitrij, ut ſic poſſit mutua pugna, ac concertatio inveniri: ubi enim nullus eſt, qui reſiſtat, nequit eſſe ullus per tentationem congreſſus. Vel intellexit breviſſimum illud tempus, quod poteſt appellari inſtans morale, & requiritur ad deliberandum circa tentationem; ut homo ei liberè ſuccumbat, vel reſiſtat. Idque poſterius ſatis expreſſit *cap. 24.* ubi poſt verba relata ſtatim adjecit. *Dummodò poteſtatem, & phyſicam, & moralem conſiderandi, & deliberandi relinquat,* nempè tentatio. Et in hoc ſenſu falſum omnino eſt, quòd tentatio in illo inſtanti morali occurrens, quantumvis vehemens, & intenſa ſit, non poſſit eſſe, & debeat dici gravis. Tum quia paſſio vehemens ad objectum lege prohibitum eſt vehemens, & gravis tentatio: ſed potuit prædicta paſſio excitari abſque uſu rationis, & deinde continuari, & conſervari, uſque ad illud primum inſtans morale incluſivè, in quo voluntas valet perfectè deliberare, ut experientia liquet: ergo in prædicto inſtanti morali, quantumvis brevi, poteſt tentatio gravis occurrere. Tum etiam quià ſi prædicta paſſio, quæ in illo primo, & unico inſtanti morali occurrit, non eſſet tentatio gravis, poſſet facilè ſuperari; quandoquidem non ita arduum eſt vincere leves tentationes: atqui valde difficile eſt prædictæ tentationi occurſum ire, & illum motum appetitus compeſcere: ergo ſignum eſt prædictam tentationem eſſe gravem, etiam pro illa brevi morula, atque independenter à ſubſequenti duratione. Tum præterea, quia ubi proponitur magnum motivum ad malum cum ingenti ſuaſione ex parte cognitionis, & vehementi inclinatione ex parte appetitus, nullus cordatus dicet non urgere gravem tentationem: ſed omnia hæc poſſunt concurrere in illo breviſſimo tempore, quod ad perfectè deliberandum requiritur: ergo pro eodem breviſſimo tempore poteſt occurrere gravis tentatio. Minor conſtat in nobili, cui plebejus colaphum coram aliis incuteret: ubi enim primùm poſſet deliberare, plurima ei, eique urgentia motiva occurrerent ad vindictam; idque ratio vehementer proponeret, atque in idem maximo impulſu propenderet appetitus. Quod adeo verum eſt, ut etſi poſt illud inſtans morale ſtatim moreretur; omnes nihilominus prudenter judicarent, illum habuiſſe gravem tentationem, ut vindictam ſumeret de inimico. Doctrina ergo illa Suarij, quòd nulla eſt tentatio gravis, niſi longo tempore duret, falſa eſt, nec deſervire poteſt ad legitimam hujus dubij deciſionem.

Multipliciter refellitur.

260. Quibus circa differentiam, & diverſitatem inter graves tentationes, & leves, ſtatutis, ſupponimus non eſſe neceſſariam ſpecialem gratiam ad ſuperandas tentationes leves diviſivè ſumptas; ſed ad id ſufficere vires proprias naturæ humanæ. Quod, quantumvis contradicat Vazquez *diſp. 189.* per totam, tradunt communiter Theologi. Et quidem meritò: tum quia levis tentatio nullam, vel modicam addit ſupra bonum opus morale: ſed ad faciendum aliquod bonum opus morale ſufficiunt vires humanæ naturæ, ut latè oſtendimus *ſupra dub. 2.* ergo eædem vires ſufficiunt ad reſiſtendum levi tentationi. Videantur, quæ ibi diximus *num. 47.* Tum etiam, quia etſi levis aliqua tentatio occurreret, verbi gratia, odio habendi parentes; ipſe amor naturalis erga illos ſufficiens foret ad tentationem ſuperandam, cùm prædictus amor poſſit, & ſoleat eſſe valde intenſus: quare cùm prædictus amor ſit à natura; non eſt cur requiratur gratia ad victoriam illius tentationis. Idemque poſſet probari inductivè in aliis levibus tentationibus. Tum denique, & præcipuè, quia omnia teſtimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quibus Vazquez præcipuè fidit (rationes enim parum illi ſuffragantur) minimè evincunt eſſe neceſſariam gratiam ad victoriam levium tentationum: ſi enim id adſtruerent, fur eſſet proculdubio, & latro, atque injurius gratiæ Chriſti, qui oppoſitum aſſereret, & meritò incurreret infame prædictæ cenſuræ ſtigma. Conſequens autem eſt falſum, ſiquidem Pius V. & Gregorius XIII. condemnant

Ad victoriam levium tentationum non requiritur ſpecialis gratia.

Digitized by Google

nant 29. propoſitionem Michaëlis Baij, qui illi noſtram, & communem aſſertionem hæc ſcripſerat: *Fures ſunt, & latrones, qui dicunt tentationi ulli ſine gratiæ Chriſti adjutorio, poſſe reſiſti, ita ut in eam non incidat, & ab ea ſuperetur.* Ergo abſque fundamento aſſeritur eſſe neceſſariam gratiam Chriſti ad levium tentationum victoriam. Unde Lorca *in præſenti diſp.6.* docet illam opinionem Vazquij, quem citat in margine, non videri probabilem, & adverſari communi Theologorum doctrinæ. Sed quidquid ſit de hac cenſura, ſatis nobis eſt in præſenti ſupponere illam ſententiam eſſe falſam, & non eſſe neceſſariam gratiam ad victoriam levium tentationum, inveſtigamus autem utrùm ſit neceſſaria ad reſiſtendum gravibus.

261. Pro quo denique animadvertendum eſt, quod tribus modis poteſt homo vincere aliquam tentationem. *Primò* ſuccumbendo alteri tentationi urgentiori, ut cùm quis reſiſtit tentationi avaritiæ, & labitur in peccatum luxuriæ; vel è converſo cùm quis deſinit mœchari ob magnum, & vitioſum affectum ad pecuniam: Nam ſicut clavus clavo pellitur, ut ait Hieronym. *epiſtola 4. ad Ruſtic.* ita ſolet homo reſiſtere uni cupiditati victus ab alia. Et hoc modo certum eſt poſſe hominem viribus propriis non ſuccumbere alicui tentationi: tum quia hoc propriè loquendo non eſt reſiſtere tentationi, vel illam vincere, ſed eſt cedere majori tentationi omittendo minorem: in quo nulla virtus, aut laus apparet juxta illud Auguſtini lib. 3. ad Bonifacium contra duas epiſt. Pelag. cap. 4. *carnalis cupiditas cupiditate alia non ſanatur.* Tum etiam quia prædicta abjectio unius tentationis eſt peccaminoſa; cùm oriatur ex affectu peccaminoſo ad objectum malum magis movens: certum eſt autem, quòd Deus non impertitur gratiam pro operationibus peccaminoſis, aliàs peccatum attribuendum eſſet Deo.

Quibus modis poſſit victoria gravis tentationis conſurgere.

D.Auguſt.

Secundò poteſt quis reſiſtere tentationi cum proventu, & merito vitæ æternæ, ut inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. *Sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Quam reſiſtentiam D. Thomas *in 2. diſtinct. 28. quæſt. 1. art. 2. ad 6.* dicit eſſe propriè victoriam tentationis, ſic enim habet: *Aliud eſt reſiſtere peccato, & aliud victoriam de peccato habere. Quicumque enim vitat peccatum, peccato reſiſtit. Sed ille propriè vincit peccatum, qui poteſt pertingere ad hoc, contra quod eſt pugna peccati; hoc autem non poteſt eſſe niſi in eo, qui opus meritorium operatur: unde talis victoria vitam æternam meretur,* &c. Hujuſmodi autem victoriam non poſſe abſque gratia haberi dogma Catholicum eſt contra Pelagianos; cùm ſola gratia ſit principium prædicti meriti juxta illud Joan. 3. *Et fiet in eo fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam.* Unde in præſenti ſupponimus non poſſe hominem prædicto modo reſiſtere tentationi per vires proprias liberi arbitrij.

1. ad Cor. 10.

D. Thom.

Joan. 3.

Tertiò poteſt aliquis ſuperare tentationem abſque eo, quòd in dicta reſiſtentia interveniat vel meritum, vel peccatum, ut contingit in eo, qui exiſtit in peccato mortali, & aliàs reſiſtit tentationi ob aliquem rectum finem, utputa odio vehementi in parentes ob pietatem, quæ illis debetur. Nam qua parte illa reſiſtentia habet rectum finem, objectum, & circunſtantias, ut ſupponimus, nequit eſſe peccatum; & qua parte fit à peccatore nequit eſſe meritoria: ſed eſt moraliter bona, ut ſupra *num. 72.* de bonis operibus dicebamus. Et de hoc poſteriori modo reſiſtendi tentationibus procedit præſens difficultas. Comprehendimus autem ſub uno, & eodem dubio hominem conſideratum cùm in puris naturalibus, cùm in ſtatu naturæ lapſæ: quia difficultates circa utrumque ſtatum vix queunt ab invicem ſeparari, ut dubij progreſſus oſtendet. Nullum tamen vidimus Auctorem ex iis, quos præ manibus habemus, qui hanc difficultatem circa hominem conſideratum in puris ſingillatim verſet, & determinate reſolvat: ſed omnes ad hominem ſecundùm præſentem ſtatum attendunt; licet occaſione argumentorum nonnihil, etſi tranſcurſim, dicant etiam de homine, prout conſideratur in puris. Cæterùm nos priùs hanc difficultatem decidemus reſpectu hominis in puris conſiderati; ut exinde gradum faciamus ad eundem prout eſt lapſus in peccato: & ideo ſit

Quæ victoria ad præſens dubium pertineat.

§. II.

Reſolutio difficultatis quantum ad hominem conſideratum in puris.

262. Dicendum eſt primò hominem conditum, & exiſtentem in puris naturalibus poſſe abſque ſpeciali gratia reſiſtere gravibus tentationibus illius ſtatus. Hanc concluſionem docent omnes Auctores, qui id ipſum aſſerunt de homine lapſo, quos dabimus *num. 294.* illi etiam non parum favent, qui majores vires attribuunt homini in puris, quàm lapſo, ut videbimus *num. 287.* Pauci autem ſunt, qui ei in propriis terminis, & prout jacet, contradicant: nam qui docent non poſſe hominem propriis viribus reſiſtere gravibus tentationibus, loquuntur de homine lapſo: inter quem, & hominem conſtitutum in puris eſt latum diſcrimen, ut ex dicendis conſtabit. Videatur Alvarez *lib. 6. de auxiliis diſp. 47. & diſp. 54. in ſolutione ad 7. & lib. 5. Reſponſ. cap. 4.*

Prima concluſio:

Alvarez.

Probatur unica, & fundamentali ratione: quoniam homo conſtitutus in puris naturalibus tenetur reſiſtere gravibus tentationibus contra legem naturalem, ſeu, quod idem eſt, tenetur ſervare præcepta naturalia, quantumvis ad eorum tranſgreſſionem vehementibus tentationibus urgeretur: at in prædicto ſtatu nullis viribus ſibi gratuitò ſuperadditis gauderet; ſed tantùm propriis: ergo poſſet per vires proprias, & abſque gratia ſuperare tentationes graves, quæ tunc occurrerent. Major eſt certa. Minor etiam conſtat ex ſupradictis *diſp. 1. cap. 2.* ubi prædictum purorum naturalium ſtatum deſcripſimus. Conſequentia autem liquet: quia nullus tenetur ad id, quod per nullam potentiam poteſt juxta illud Auguſt. in lib. de duabus animabus: *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis, & inſaniæ eſt:* ergo ſi homo tenebatur vincere graves tentationes; & ad id præſtandum non recipiebat gratiam, poterat utique illas vincere per naturam.

Unicum eius fundamentum.

D. Auguſt.

263. Huic tamen rationi poteſt occurri pluribus viis, quas expendemus, ut præcludamus, & ex earum confutatione magis appareat veritas noſtræ aſſertionis. Primò ergo reſpondebis negando minorem: quia ex ſuppoſitione, quòd homo conditus in puris teneretur reſiſtere gravibus tentationibus; teneretur etiam Deus conferre, vel ſaltem offerre illi auxilia ſufficientia ad reſiſtendum. *Deus enim,* ut inquit, Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet,* &

Prima reſponſio.

Conc. Trid.

Digitized by Google

& facere, quod poſſit, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſit. Quamobrem cùm homo in puris conditus eſſet maximè defectibilis, imparque ponderi gravium tentationum, ad providentiam Dei ſpectabat illum auxiliis ſuæ gratiæ adjuvare. Unde non ſequitur, quod ſolis ſuis viribus potuerit, & debuerit ſuperare graves tentationes.

Nec poſſet dici, inquit Suarez *prolog.4.cap.2. num.15.* in fine, illam providentiam non eſſe debitam ex parte ipſius naturæ; ſed ſolùm veluti ex naturali miſericordia Dei quia talis natura eſſet indigens; & divinæ ſapientiæ, ac liberalitati omnino conſentaneum eſſet, ut illi provideret. Quod latè proſequitur *lib. de neceſſitate gratiæ, cap.28.* ubi prædicta via ſalvare contendit hominem in prædicto ſtatu conſtitutum potuiſſe obſervare totam legem naturæ, & conſequi ultimum finem naturalem.

Quorundam additamentū Joan. à S.Th. Addit etiam M. Joannes à S. Thoma in præſenti diſp.19. art.4. §. *Ad tertium dicitur*, quod Deus per ſuam legem naturalem poteſt obligare ad aliquid impoſſibile, per naturam gratia deſtitutam; poſſibile tamen per gratiam. Unde ſicut ſi Deus juberet, ut videremus: non juberet ut videremus ſine luce, ſed ea mediante: ita poteſt obligare ad aliquid, quod fieri abſque gratia non poteſt: quia non præcipit, ut illud exequamur per ſolam naturam, ſed per naturam adjutam gratia. Quocirca ex eo, quòd homo lege naturali teneatur reſiſtere gravibus tentationibus, minimè infertur, quòd id præſtare queat abſque divinæ gratiæ adjutorio. Eodem modo reſpondet Gonet *in præſenti diſput. 1. artic.6. §. 3.* & Godoy *diſput.43.§.4.* *Gonet. Godoy.*

Impugnatur. Cæterùm inſufficientia hujus ſolutionis facilè oſtendi poteſt: quoniam etſi verum ſit, quòd ſicut homo conditus in puris tenetur reſiſtere gravibus tentationibus contra legem naturalem; ita etiam Deus deberet conferre illi vires, atque auxilia ſufficientia ad reſiſtendum: falſum tamen, quòd hujuſmodi vires, & auxilia haberent rationem gratiæ ſpecialis. Nam homo in puris naturalibus conſtitutus nullum haberet donum diſtinctum à dono creationis, & ab illis, quæ humanæ naturæ ex generali providentia debentur: in hoc quippè conſiſtit ſtatus purorum, ut loco ſupra citato deſcripſimus, quod videlicet natura humana relinquatur ſibi, & cum ſibi propriis: ergo quidquid confertur naturæ exiſtenti in prædicto ſtatu, non haberet rationem gratiæ ſpecialis. Atqui non poſſet non Deus illi communicare vires, & auxilia ſufficientia ad reſiſtendum gravibus tentationibus, ut hæc ſolutio admittit: ergo natura in puris conſtituta poſſet reſiſtere gravibus tentationibus abſque ſpeciali gratia, adeoque per proprias vires. Porro dicere, quòd prædicta auxilia habent rationem gratiæ, eò quòd communicentur naturæ debili, ac impari ad reſiſtendum gravibus tentationibus, eſt manifeſta petitio principij, ut conſideranti conſtabit: id quippè eſt, quod revocatur ad examen in præſenti, an videlicet natura conſtituta in puris naturalibus habeat tales vires ad reſiſtendum gravibus tentationibus, ut petat auxilia, ſeu concurſum Dei ad hoc, quòd actu reſiſtat. Si enim illa petit, ut nos contendimus; ſequitur prædicta auxilia non habere rationem gratiæ ſpecialis: ſed pertinere ad communem illius ſtatus providentiam; atque ideo naturam in eo conſtitutam poſſe citra ſpecialem gratiam reſiſtere gravibus tentationibus.

Confirmatur, & explicatur primo: nam potuit Deus producere naturam humanam, quin illi conferret, vel offerret aliquam gratiam ſpecialem: ſed natura humana carens omni gratia accepta, vel promiſſa, adhuc teneretur reſiſtere gravibus tentationibus: ergo ſic deſtituta haberet potentiam ad reſiſtendum: ergo hujuſmodi potentia conveniret illi ex propriis, & independenter à gratia. Utraque conſequentia liquet ex præmiſſis. Major etiam patet ex terminis: nam poteſt Deus producere naturam, & ei denegare id, quod non debetur illi. Si enim eſt indebitum, non eſt neceſſarium, quòd conferatur. Minor autem conſtat: quoniam etſi natura deſtitueretur omni gratia, adhuc retineret lumen naturale dictans, verbi gratia, quòd odium Dei eſt malum, per quod lumen intimatur nobis lex naturalis prohibens prædictum odium: ergo adhuc homo teneretur non odiſſe Deum, quantumvis gravis tentatio ad prædictum odium urgeret. *Confirmatur.*

264. Confirmatur ſecundò: quoniam obligatio reſiſtendi gravibus tentationibus nequit ſeparari à potentia ſufficienti ad prædictam reſiſtentiam; ſed hæc illam indivulsè comitatur: nemo enim tenetur ad impoſſibile: ſed obligatio reſiſtendi gravibus tentationibus contra legem naturalem eſt ſeparabilis ab omni gratia data, vel præparata, aut promiſſa: ergo poteſt dari potentia ſufficiens ad reſiſtendum gravibus tentationibus, ſeparata, & independens à gratia ſpeciali: ergo natura in puris naturalibus, quantumvis eſſet deſtituta omni gratia, adhuc poſſet reſiſtere gravibus tentationibus contra legem naturalem. Utraque conſequentia liquet ex præmiſſis. Minor autem ſuadetur: tum quia prædicta obligatio ſervandi legem naturalem, proindeque reſiſtendi gravibus tentationibus adversùs illam neceſſariò comitatur creaturam rationalem: gratia autem hoc ipſo, quòd gratia ſit, non connectitur neceſſariò cum creatura; aliàs jam non eſſet gratia ſuperaddita, ſed accidens connaturale inſeparabile, ut liquet ex terminis: ergo prædicta obligatio eſt ſeparabilis ab omni gratia data, vel promiſſa. Tum etiam, quia natura humana eo ipſo, quòd producatur, & conſervetur à Deo, petit per ſe loquendo regi, ac gubernari ab illo per legem naturalem, atque ideo obligari ad reſiſtendum gravibus tentationibus contra ipſam legem: atqui non exigit gratiam; cùm hæc ſit ſupra debitum, ac exigentiam naturæ: ergo prædicta obligatio, & gratia ſunt ab invicem ſeparabiles. *Roboratur amplius.*

Confirmatur tertiò, & ſimul præcluditur illa evaſio Suarij: quia in præſenti non inveſtigamus, quid poſſet Deus miſericorditer communicare naturæ in puris conſtitutæ; ſed quid deberet ex vi prædictæ productionis, ac inſtitutionis illi conferre: atqui potuit Deus producere naturam humanam relinquendo illam ex una parte cum obligatione reſiſtendi gravibus tentationibus; ſiquidem hujuſmodi obligatio neceſſariò connectitur cum illa; & ex alia parte negare illi omnem gratiam ſuperadditam; quandoquidem hæc non habet cum illa neceſſariam connexionem, ut conſtat ex dictis: ergo quidquid ſit, an Deus conferret illi naturæ aliqua auxilia indebita, quibus faciliùs poſſet ſervare legem naturalem, nihilominus independenter ab iis auxiliis, debet ſalvari potentia ad ſervandam legem naturalem, & reſiſtendum gravibus tentationibus contra illam. Eo vel maximè, quòd ubi obligatio eſt certa; non oportet recurrere ad potentiam incertam: *Major ejuſdē reſponſionis impugnatio.*

obligatio

Digitized by Google

obligatio autem reſiſtendi gravibus tentationibus certò urget in ſtatu naturæ conditæ in puris: collatio autem gratiæ non eſſet certa; cùm nec eſſet debita, nec exacta, nec neceſſariò promiſſa: ergo ad ſalvandam potentiam reſiſtendi gravibus tentationibus in illo ſtatu, non rectè recurritur ad auxilia gratiæ.

Aliquorum additamentum inſufficiens. 265. Per quod etiam manet impugnatum id, quod additur ex Joanne à S. Thoma: quoniam etſi verum ſit, quòd poſſit Deus obligare ad aliquid impoſſibile per naturam, quando dat, præparat, aut promittit gratiam, ut poſſimus per eam id, quod per naturam non poſſumus: quo ſenſu dicebat Apoſtolus ad Philip. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat:* nihilominus quando Deus ex una parte præcipit aliquid, & ex alia nullam dat, vel promit gratiam; neceſſariò eſt concedendum illud fieri poſſe per naturam: aliàs obligaret Deus ad aliquid ſimpliciter impoſſibile reſpectu ſubjectu obligati, quod eſt abſurdum. Cùm ergo Deus poſſet conſtituere naturam in puris naturalibus, & relinquere illam abſque ullo prorſus dono ſuperaddito gratiæ datæ, vel promiſſæ, ut nuper oſtendimus, & latè ſtatuimus *loc. ſæpe citato:* & aliàs valeret Deus hominem in prædicto ſtatu conſtitutum obligare, & de fato obligaret, ad obſervationem legis naturalis, & reſiſtendum tentationibus ei oppoſitis: neceſſariò infertur hominem ita conditum, atque obligatum potuiſſe per vires naturales reſiſtere tentationibus gravibus, quæ tunc occurrerent: quippè ex oppoſito fieret hominem teneri ad aliquid ſibi impoſſibile ſimpliciter ſecundùm diſpoſitionem, ac providentiam illius ſtatus; quod nemo admittet. Id, quod vel ipſo exemplo in contrarium adducto convincitur: ſi Deus ex una parte decerneret nullam homini conferre gratiam, & ex alia juberet elicere viſionem; optimè colligeremus lucem ad videndum neceſſariam, non eſſe gratiam; ſed aliquid homini debitum, ac connaturale.

(Ad Philip. 4.)

Nota circa legitimam aſſertionis intelligentiam. 266. Cùm autem aſſerimus hominem in puris conſtitutum adſtringi lege naturali, & teneri ad reſiſtendum tentationibus illi oppoſitis; loquimur de præceptis naturalibus primariis, quæ ipſam naturam humanam neceſſario comitantur ubique, & quæ per ipſum naturale rationis lumen promulgantur juxta illud Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine:* qualia eſſe decem præcepta Decalogi (excepta circunſtantia ſabbathi, quæ partim moralis, partim cæremonialis eſt) docet D. Thomas ſupra *quæſt.* 100. *art.*1. & 2.2. *quæſt.* 122. *art.*1. ubi inquit: *Præcepta Decalogi ſunt prima principia legis, & quibus ſtatim ratio naturalis aſſentit, ſicut manifeſtiſſimis principiis.* Poteſt verò Deus (quod non renuimus) etiam ut auctor naturæ imponere alia præcepta circa actus naturales, quæ non valeant adimpleri abſque gratia entitativè naturali, utputà obligare ad amorem ipſius Dei firmum, diuturnum, & non interruptum. Sed data prædicta hypotheſi, neceſſariò præpararet, aut daret gratiam ſufficientem ad tales actus: in quibus proinde verificaretur doctrina evaſionis, quam impugnamus. Id autem minimè contingeret in ſtatu naturæ puræ: quippè in eo nec conferretur gratia, nec obligaretur homo ad ea, pro quibus gratia deſideratur, ut conſtat ex dictis.

(Pſalm. 4. — D. Thom.)

Secunda reſponſio. 267. Reſpondebis ſecundò noſtræ rationi, negando, quòd in ſtatu naturæ puræ occurrerent homini graves tentationes, quas devinceret: nam ex ſuppoſitione, quòd Deus nullam homini conferret, aut præpararet gratiam, per quam illius infirmitati ſuccurreret; ad ſuavem ejus providentiam ſpectabat non permittere, quod ulla gravis tentatio hominem impugnaret, à qua infallibiliter ſciebat ſuperandum fore ſi ſuis viribus, quæ debiliſſimæ forent, relinqueretur. Par quippe erat impedire bellum inter hominem infirmum, ac tentationem fortem, ut æqualitas ſervaretur inter pugnantes. Atque ideo ſolùm permitteret leves tentationes, quæ cum debili hominis in puris conſtituti virtute proportionem haberent. Et planè, quod concupiſcentia, quæ eſt præcipuus hoſtis, hominem de facto ſuis motibus impugnans, non eum urgeret in prædicto ſtatu conſtitutum, videtur ſignificari à D. Thoma ſupra *quæſt.* 81. *art.* 3. *ad* 1. ubi inquit: *Ad primum ergo dicendum, quòd quia in homine concupiſcibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiſcere eſt homini naturale, inquantum eſt ſecundum rationis ordinem: concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam.* Et ſimilia habet *quæſt.*91. *art.*6. *ad* 3. Cùm ergo homo in puris conſtitutus habeat ea, quæ ſunt ſibi connaturalia, ſecus verò illud, quod eſt contra naturam: ſequitur, quòd in prædicto ſtatu concupiſceret ſecundùm regulas rationis: Unde nulla, vel ſaltem gravi concupiſcentiæ tentatione turbaretur. Porro ſi ab hujus potentiſſimi inimici incurſibus exemptus foret; nulla eſſet ratio, cur tentationibus mundi ſubjectus eſſet. Et ita opinantur aliqui apud Bellarminum de Gratia primi hominis *lib. unico cap.*5. & Suarium *prolog.*4. *cap.*2. D.Thom.

268. Hæc verò ſolutio non minus, ac præcedens, principium petit, dum adſtruit abfuturas eſſe tentationes graves in ſtatu naturæ puræ, eo quòd non ſuppeterent homini vires ſufficientes ad illas ſuperandas; cùm tamen de hoc ſit controverſia. Et deinde falſam abſque dubio continet doctrinam, quam facile eſt impugnare. Tum quia confundit ſtatum naturæ in puris cum ſtatu naturæ integræ: inter quos dari latum diſcrimen ſupra oſtendimus *diſp.* 1. *cap.* 2. Tum etiam, quia Deus ſervata communi naturali providentia, potuit homini denegare omnem gratiam ſuperadditam dono creationis; eo quòd gratia, etiam attenta communi naturali providentia, non debetur; aliàs non eſſet gratia: ſed hominem non pati graves tentationes eſt magna gratia: ergo poſſet Deus denegare, & de facto denegaret prædictum privilegium homini condito in puris. Tum præterea, nam in prædicto ſtatu adeſſent principia intrinſeca, quæ de facto excitant graves tentationes; ſiquidem homo ex una parte haberet appetitum rationalem, qui tendit ad bonum rationi conſonum; & ex alia haberet appetitum ſenſitivum, qui inclinat ad bonum ſenſibile, ac rationi frequenter contrarium: unde fieret, quòd etiam reluctantem rationem appetitus allicere conaretur ad approbationem, & proſecutionem boni ſenſibilis, quantumvis lege prohibiti, quæ eſſet, ut ex ſe conſtat, gravis, moleſta, ac periculoſa tentatio. Tum denique, quoniam ſervata communi providentia illius ſtatus, occurrerent homini objecta vehementer allicientia ad actum peccaminoſum, utputà pulchritudo corporum, & alia delectabilia ſecundùm tactum: occurreret etiam amor vitæ, aut filiorum, qui frequenter movet ad comparandas divitias ultra juſtitiæ, atque rationis limites: occurreret præterea honoris, ac famæ aviditas, ob quæ conſequenda non refugit homo injuſtiſſima facinora committere. *Confutatur.*

Hæc,

Digitized by Google

Hæc,inquam,omnia tunc occurrerent; cùm fundentur in ipſa natura, & modo vivendi hominibus connaturali, ut ſatis præſentis ſtatus decurſus oſtendit, & docuerunt antiqui Philoſophi, qui nec vires gratiæ, nec peccatum originale deprehendebant; ſed ſolam naturam ſecundùm ſibi propria conſiderabant: & tamen prædictos defectus cognoverunt, ut videre eſt apud Ariſtot. *lib.* 2. *Ethic. & 1. Politic. cap.* 2. & Cicer. *lib.* 3. *de Republica.*

Ariſtot. Cicer.

Motiva præcedentis reſponſionis convelluntur.

269. Ea autem, quæ prædicta ſolutio in ſui favorem adducit, nullius roboris ſunt: quoniam etſi Deus nullam homini conferret gratiam, nec illum à tentationum eximeret incurſibus, neutiquam iniquitatis arguendus foret; cùm nec gratia, nec immunitas a tentationibus debeatur humanæ naturæ, ſed ſit ſupra exigentiam illius. Quo ſenſu dixit Auguſt. lib. 1. Retract. cap. 9. *Ignorantia, & difficultas, etſi eſſent hominis primordia naturalia; nec ſic culpandus Deus; ſed laudandus eſſet.* Quia videlicet ignorantia, ac difficultas non imprimuntur natura à Deo, quaſi ab extrinſeco, & ut vitium ſuperadditum: ſed ſunt defectus conſequentes naturaliter naturam humanam ſibi relictam, ſicut rubigo comitatur ferrum: & aliæ imperfectiones alias naturas. Nec D.Thomas nobis contrarius eſt, cùm docet,quòd concupiſcere tranſcendendo limites rationis *ineſt homini contra naturam*: quoniam, ut obſervavimus *ad prædict. art.* per ly *contra naturam* ſolum deſignat S. Doctor naturam ſecundùm inclinationem, quam ei indit Auctor naturæ, quæ inclinatio ſolùm eſt ad appetendum ſecundùm regulas rationis; minimè verò ad concupiſcendum ultra rationis limites. Cum quo tamen rectè ſtat, quod inſit naturaliter naturæ humanæ appetitus boni ſenſibilis, quantumvis legi, atque rationi contrarij: quia hujuſmodi defectus non debet refundi in Deum naturæ auctorem, ſed in ipſammet naturam, ſecundùm quòd ex ſe eſt defectibilis, quia facta eſt ex nihilo, ut declaravimus *in Tract. de peccatis diſp.* 12. *dub.* 2. Et quod D. Thomas aliud non intendat, liquet tum ex ipſo ſtatu, tum ex eadem *quæſt. art.* 1. *ad* 3. ubi inquit: *Ex peccato originali ſequitur aliqua inclinatio in actum inordinatum, non directè, ſed indirectè, ſcilicet per remotionem prohibentis, ideſt, juſtitiæ originalis, quæ prohibebat inordinatos motus.* Ubi apertè ſignificat, quòd abſente juſtitia originali, ut certè abeſſet, ſi homo conderetur in puris; natura humana proclivis foret ad motus inordinatos, proindeque expoſita gravibus tentationibus. Idemque docet 1. *part. quæſt.* 95. *art.* 1. *& in* 2. *diſt.* 31. *quæſt.* 1. *art.* 1. & alibi.

Auguſt.

D.Thom.

Tertia reſponſio.

270. Tertiò poſſet quis noſtræ rationi reſpondere, quòd ſi vera ſunt, quæ hactenus diximus, videlicet fieri poſſe, quòd homo ex una parte omni auxilio gratiæ deſtituatur, & ex alia patiatur graves, ac urgentes tentationes; minimè peccabit, quamvis illis ſuccumbat: eo quòd nequit imputari ad culpam id, quod evitare non poteſt. Homo autem abſque auxilio gratiæ eſt impotens ad vincendam gravem tentationem; atque ideo prædicto auxilio deſtitutus, (uti eſſet conditus in puris) non peccabit, etſi illi cedat. Pro qua doctrina refert aliquos Vazquez *diſput.* 189. *cap.* 20. & referri ſolet Andreas Vega *lib. de juſtificatione & gratia, cap.* 12. *&* 13. Pro eadem etiam refert Ludovicus de Molina *in concordia, diſp.* 19. *membro* 1. Medinam 1. 2. *quæſt.* 10. *art.* 3. ubi docet nullam paſſionem, quantumcumque accreſcat, neceſſitare voluntatem ad conſenſum, niſi tentatio ſit vehemens, liberumque arbitrium cum ſolo generali Dei concurſu relinquatur. Unde ſubinfert Molina: *Et conſequenter dicere tenetur non peccare, eſto illi conſentiat.* In qua tamen illatione plurimùm Molina decipitur, & crimen immeritò quærit, quòd calumnietur; cùm revera apud Medinam non inveniatur: minimè enim affirmat tentationem vehementem neceſſitare voluntatem neceſſitate abſoluta, quæ libertati opponitur, atque à peccato excuſat; ſed neceſſitate ex conſequenti, & ex ſuppoſitione, quæ relinquit abſolutè libertatem ad non peccandum. Nec loquitur de homine exiſtente in puris; ſed de homine conſtituto in præſenti ſtatu, cui præſto ſunt auxilia divinæ gratiæ, quibus, ſi uti voluerit, poteſt vincere tentationes quantumvis graves. Qua fortè ratione Curiel, qui in præſenti art. 8. dub. 3. §. *Secundò reſpondent*, prædictum dicendi modum expreſsè attribuit Vegæ, nullam mentionem fecit Medinæ. Videatur etiam Suarez *lib.* 1. *de gratia, cap.* 24. *num.* 21. ubi illam impoſitionem Molinæ, ſuppreſſo illius nomine excludit. Nemo autem expreſſiùs videtur doctrinam hujus reſponſionis tenuiſſe, ac quidam Joannes de Mercuria, cujus plures articulos damnavit Facultas Pariſienſis anno 1344. ut videre eſt *in Biblioth. V. Patrum tom.* 14. *pag.* 344. nam *artic.* 14. dicebat. *Item, quòd ſi aliquis habens uſum liberi arbitrij, incidens in tentationem tantam, quòd non poſſit illi reſiſtere, moveatur ad illecebram cum aliena uxore, non committit adulterium: & ſic de aliis peccatis.*

Vega.

Molina.

Mercuria.

Multipliciter refellitur.

271. Sed cujuſcumque doctrina hujus reſponſionis ſit, nequaquam ſuſtineri poteſt. *Primò* quia incredibile eſt, quòd odium Dei elicitum ab homine ſui compote, atque libero non ſit peccatum; cùm ſit ab intrinſeco, atque objectivè malum: ſed homo conditus in puris,omnique auxilio deſtitutus, quantumvis urgeretur gravi tentatione ad odium Dei; adhuc tamen, ſi ſuccumberet tentationi, eliceret prædictum odium cum advertentia,atque libertate: ergo peccaret, atque ideo licèt gravi urgeretur tentatione, & deſtitueretur ſpecialis gratiæ auxilio, deberet prædictæ tentationi reſiſtere. Probatur minor: quoniam prædicta tentatio non impediret, nec ligaret uſum rationis: id quippè ſi efficeret, non eſſet propriè, & formaliter tentatio; ſed valde impropriè, ut contingit in dormientibus, atque amentibus: atqui ſtante uſu rationis, atque indifferentia ex parte illius, nequit non eſſe libertas in voluntate, ut probat D. Thomas 1. *part. quæſt.* 85. *art.* 1. ergo, &c. *Secundo:* quoniam ex oppoſito fieret, ut quoties alicujus gravis flagitij occaſio occurreret, utputà rapinæ, cædis, ſacrilegij, adulterij, &c. vehementibuſque appetitus motibus urgeretur homo ad illud perpetrandum, perpetraretque; toties excuſaretur à peccato: conſequens eſt omnino abſurdum, & ipſi rationi naturali contrarium; cùm omnes gentes puniant ſimilia delicta: ergo teneretur homo ad ea vitanda, quantumvis gravi tentatione prematur,& omni gratuito deſtituatur auxilio. *Tertiò:* quoniam Philoſophi gentiles, qui nulla gratiæ auxilia cognovere, ſed ſolùm vires proprias naturæ, vitio vertebant, damnabantque, quod quis prædicta facinora committeret; tametſi quis ad ea facienda vel motibus internis, vel motivis externis alliceretur: ergo ipſo naturali lumine cognoſcebant teneri hominem ad ea cavenda, etiam in præſentia gravium tentationum. *Quartò:* quia lex naturalis dictat abſolutè non

D. Thom.

Digitized by Google

non eſſe, verbi gratia, mentiendum: ergo tenetur homo ad non mentiendum abſolutè hoc eſt, ſive urgeat gravis tentatio, ſive non, & ſive gratia communicetur, ſive non communicetur. *Quartò* & ultimò: nam ſolutio, quam impugnamus falſo nititur principio, vel ut minus incerto, nimirum, quòd homo in puris conſtitutus non habeat potentiam ad reſiſtendum gravibus tentationibus contra legem naturalem; confugitque ad ipſam concluſionem, quam ventilamus. Nos autem ex principio certo, lumine naturali evidenti, atque ab omnibus admittendo, nempè, quòd homo in puris conſtitutus teneretur ad obſervandum legem naturalem, & reſiſtendum tentationibus illi contrariis, concludimus hominem in prædicto ſtatu habere potentiam ſufficientem, ut prædictas tentationes ſuperet. Cumque homo in illo ſtatu nullam haberet gratiam ſuperadditam; ſed ea præcisè, quæ ſibi tanquam connaturalia debentur: neceſſario infertur hominem in puris conditum habere ſufficientes vires naturales, ac proprias, ut ſecundum providentiam communem illius ſtatus, & ſecluſa ſpeciali gratiâ valeat ſuperare tentationes graves, quæ tunc occurrerent.

Ultima reſponſio. Godoy. 272. Quartò, & ultimo reſpondebis ex doctrina Godoy *diſp.* 43 §. 5. quod ut non reſiſtentia tentationis gravis imputetur homini ad culpam, ſufficit habere potentiam antecedentem ad ei reſiſtendum, licèt deſit potentia conſequens, ut patet in eo, qui in præſenti ſtatu caret auxilio efficaci, ut reſiſtat. Unde ex eo, quòd homo conſtitutus in ſtatu purorum, peccaret ſuccumbendo tentationi, ſolùm infertur, quòd haberet potentiam antecedentem ad reſiſtendum: non verò, quòd id poſſet potentia conſequenti. Atque ideo non excluditur neceſſitas gratiæ ſpecialis, ut ſimpliciter, hoc eſt, tam antecedenter, quàm conſequenter poſſet homo in puris conſtitutus tentationi gravi reſiſtere.

Refellitur. Addes ex eodem Auctore *ibid. num.* 42. quòd ut non adimpletio præcepti, urgente tentatione gravi, habeat rationem peccati, ſatis eſt, quòd homo poſſit ponere rem præceptam ex motivo inhoneſto, & peccaminoſo, & quòd reipſa, vel hoc modo rem præceptam non exequatur: ſatisfaceret enim præcepto ſi rem ſibi juſſam, licet ex inhoneſto motivo, ut patet in eo, qui audit ſacrum ex motivo inanis gloriæ. Ut autem quis dicatur vincere tentationem, non ſufficit, quòd rem præceptam, à qua tentatio avertit, utcumque faciat: ſed requiritur, quòd operetur ex aliquo honeſto motivo, ut ſupra *n.* 261. præmiſimus. Quocirca ex eo, quòd homo in puris conſtitutus peccaret ſuccumbendo tentationi, ſolùm evincitur, quòd poſſet rem ſibi præceptam facere ſaltem ex motivo turpi: quod facilè conceditur: minimè autem infertur, quòd valeret eandem rem, dum urgeretur gravi tentatione, exequi ex motivo honeſto: in quo, & non illo reſiſtentiæ modo conſiſtit gravis tentationis victoria.

Cæterùm neque iſta reſponſio diluit vim rationis noſtræ; ſed poteſt efficaciter refelli. Tum quia præſens difficultas præcipuè reſpicit potentiam antecedentem, ſeu vires ſufficientes ad reſiſtendum gravi tentationi; quidquid ſit de actuali reſiſtentia: ergo dum homini condito in puris concedatur potentia antecedens, ut gravi tentationi reſiſtat; habemus intentum noſtræ aſſertionis. Tum etiam nam ſi ſecundùm providentiam, quæ hominem in puris conditum gubernaret, ineſſent homini vires ſufficientes ad ſuperandum gravem tentationem; ad eandem profectò providentiam pertineret reducere aliquando prædictas vires ad exercitium: eſto, hæc reductio fieret rarius, & in paucioribus: ſed providentia gubernans hominem in puris conditum, & ſuæ naturæ relictum, nullam ſpecialem gratiam ei diſpenſaret; ſiquidem in hoc conſiſteret nuditas prædicti ſtatus, ut ſæpius diximus: ergo homo in puris conditus non ſolùm haberet vires ſufficientes ad reſiſtendum, quod pertinet ad potentiam antecedentem; ſed etiam abſque ſpeciali gratia aliquando reſiſteret, quod importat potentiam conſequentem. Tum præterea quia ubi adeſt virtus ſufficiens in actu primo ad aliquem actum, concurſus Dei, qui complet potentiam conſequentem, non habet rationem gratiæ ſpecialis, ut inductivè poteſt oſtendi: ſed homo in puris conditus haberet virtutem ſufficientem ad reſiſtendum gravi tentationi; aliter enim ſuccumbendo non peccaret: ergo concurſus Dei cū prædicto homine, ut reſiſteret, non haberet rationem gratiæ ſpecialis; nec hujuſmodi gratia neceſſaria foret, ut homo haberet potentiam conſequentem ad reſiſtendum. Tum ultra nam ille, qui habet potentiam antecedētem ad aliquem actum, eatenus dicitur nōn habere in ſe potentiam conſequentem ad eum eliciēdum, quatenus habet in ſe aliquod impedimentum, quod nec valet per ipſum actum excludere, vel cum ipſo actu conjungere, ut ſatis liquet ex ſupra dictis *dub.* 4. atqui ſuppoſito, quòd homo in puris conſtitutus gauderet potentia antecedenti ad reſiſtendum gravi tentationi, nullum haberet in ſe impedimētum, quod non poſſet cum reſiſtentia componi, nec per reſiſtentiam expelli: neque enim tale impedimentum eſt aſſignabile, ut conſideranti conſtabit: ergo ſi haberet potentiam antecedentem, ut reſponſio ſupponit, & ratio noſtra convincit; non careret potentia conſequenti. Tum denique ad hominem ex his, quæ prædictus Auctor *diſp. cit.* §. 3. docet contra Loream, & alios aſſerentes hominem lapſum habere potentiam phyſicam pro reſiſtentia gravis tentationis, carere tamen potentia morali, ac ſubinde indigere gratia, ut reſiſtat, quin ex hac indigentia, & impotentia excuſetur à peccato. Quos impugnat, & meritò: quia ſuppoſita potentia phyſica, impotentia moralis ſolùm poteſt importare difficultatem aliquam magnam, ſuperabilem tamen per potentiam phyſicam; alioquin nec hujuſmodi potentia adeſſet. Atqui ſuppoſita poteſtate antecedenti, ſeu virtute ſufficiente in homine condito in puris ad reſiſtendum gravi tentationi, nihil eſt, quod impediat reſiſtentiam actualem, niſi ipſa difficultas reſiſtendi ob tentationis vehementiam: quæ tamen difficultas ſuperabilis eſt per potentiam antecedentem. Ergo ſuppoſito, quòd homo in puris conſtitutus poſſet potentia antecedenti abſque ſpeciali gratia gravi tentationi reſiſtere, non eſt ratio, quare negetur ipſum ſemper, & univerſaliter carere potentia conſequenti.

273. Illud verò, quod in eadem reſponſione additur, etiam diſpellitur. *Primò* quia licèt illud, quod in ea ſupponitur, non implicet contradictionem; nihilominus tale genus libertatis vel in adimplendo præcepta, vel in ſuperando tentationes cum neceſſitate ad peccandum vagè non convenit per ſe viatoribus, ſed eſt propria damnatorum, qui habent voluntatem obſtinatam in malo, & quibus negatur omnis concurſus Dei ad opus moraliter bonum: neque prædictus Auctor licet Sapientiſſimus, prædictam doctrinam potuit confirmare, niſi damnatorum exemplo: unde nimis durum eſt illam accommodare homini condito in puris, qui verè viator eſſet, & poſſet *Impugnatur amplius.*

ſuum finem conſequi, & operari omne bonum morale ordinis naturalis, ſaltem diviſivè, & ſecundùm ſe conſideratum, ut conſtat ex dictis *in hac diſput.* & præcipuè *dub. 2. & 5.* ergo poſſet diſſentire tentationi, non tantùm ex fine pravo, & ſuccumbendo alteri tentationi, ſed etiam ex motivo honeſto ordinis naturalis, & non peccando: cùm tamen, ut ſupponimus, nulla adjuvaretur gratia ſpeciali. *Secundò:* quia ſi urgente gravi tentatione ad odium parentum, homo in puris conditus poſſet non conſentire ex aliquo motivo turpi, parum tamen impellente, verbi gratia, ob inanem gloriam, multò magis poſſet ad reſiſtendum fulciri ex ipſo amore naturali honeſto erga parentes, vel ex ipſo horrore ad peccandum. Unde ſi primum illud admittitur, non videtur rationi conſonum negare ſecundum. Præſertim cùm in pluribus tentationibus circa actus internos non facilè appareat quodnam aliud pravum motivum poſſit ab eorum elicientia avertere, ut conſideranti conſtabit. *Tertiò,* & præcipuè, quia fieri poſſet, ut homo in vitæ decurſu graviter tentaretur ad omittendum actum amoris Dei ſuper omnia, urgente tunc (ſicut quandoque urgeret) præcepto ad talis amoris elicientiam, cui tentationi non aliter poſſet homo reſiſtere, niſi eliciendo prædictum actum: ſed hujuſmodi actus nequit fieri ex motivo turpi, ſed importat eſſentialiter modum honeſtatis, ut docet prædictus Auctor *diſput. citata, num. 43. & 44* in fine: ergo ejus doctrina non valet huic actui accommodari: ac proinde oportet quòd independenter ab illa ſalvemus hominem conditum in puris poſſe potentia antecedenti, & conſequenti tentationi gravi reſiſtere.

§. III.

Deciſio dubij quantum ad hominem in ſtatu naturæ lapſæ auctoritate fulcitur.

Alia concluſio. 274. Dicendum eſt ſecundò hominem in ſtatu naturæ lapſæ non poſſe abſque ſpeciali gratia reſiſtere gravibus tentationibus, etiam ſi diviſivè ſumantur. Hic non determinamus, qualis ſit hæc hominis lapſi impotentia, conſequens ne, an antecedens, mediata vel immediata: id enim ex infra dicendis conſtabit: ſed ſolum adſtruimus gratiæ neceſſitatem pro gravis tentationis victoria. Et concluſio ſic intellecta eſt valde communis inter Theologos: illam enim amplectuntur ex Thomiſtis Capreol. *in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. §. Ad omnia iſta dicitur* Deza Hiſpal. ibidem *quæſt. 1. artic. 4. §. Ad argumenta Gregor.* Sotus *lib. 1. de natura & gratia, cap. 2. §. Secundum teſtimonium.* Medina *1. 2. quæſt. 10. art. 3.* & *in præſenti art. 4. concluſ. 4.* Zumel ibidem *art. 2. diſp. 6. ad 5.* Alvarez *de auxiliis diſp. 54. & lib. 5. Reſponſ. cap. 10.* Arauxo *in præſenti art. 4. dub. 3.* Joannes à S.Thoma *diſp. 19. art. 4.* Gonet *diſp. 1. art. 6. §. 3.* Godoy *diſp. 43. §. 2.* Labat *Tract. de gratia diſp. dub. 3.* & alij plures. Quibus conſentiunt D. Bonavent. *in 2. diſt. 28. art. 2. quæſt. 2. num. 38. & 44.* cum ſequentibus. Greg. ibidem *quæſt. 2. art. 1.* Marſilius *in 1. quæſt. 20. art. 1.* Guillelmus Eſtius *in 2. diſt. 26. §. 44. propoſit. 4.* Lorca *in præſenti diſp. 6.* Monteſinos *diſp. 27. quæſt. 5.* Bellarm. *lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 7.* Valentia *in præſenti diſp. 8. quæſt. 1. puncto 5. in ſolutione ad 4.* Vazquez *diſp. 189.* per totam, & præcipuè *cap. 15. & cap. 16.* Averſa *quæſt. 109. ſect. 12.* Granados *de gratia tract. 2. diſp. 3. ſect. 2.* & eſſe hanc ſententiam jam communem inter Theologos teſtatur Suarez *lib. de neceſſit. grat. cap. 24. num. 8.*

Capreol. Deza hiſpal. Sotus. Zumel. Alvarez. Arauxo. Joan. à S.Th. Gonet. Godoy. Labat. D.Bonavent. Gregor. Marſilius. Lorca. Monteſin. Bellarm. Valentia. Vazquez. Averſa. Granados.

Inter eos autem neſcimus, an debeat recenſeri perdoctus hic Auctor: nam licèt loco proximè citato noſtræ, & communi ſententiæ ſubſcribat his verbis: *Dicendum eſt ad vincendas graves tentationes, & unamquamque earum neceſſarium eſſe ſpeciale gratiæ auxilium.* Nihilominus *cap. 23. num. 13.* ſic determinat: *Dicendum eſt non eſſe neceſſarium ſpeciale gratiæ auxilium ad quamcumque tentationem in particulari vincendam: quia homo ſuâ libertate utens poteſt vincere ſingulas tentationes, ſeu quamcumque illarum ſecundùm ſe ſpectatam.* Hæc autem poſterior aſſertio directè, & contradictoriè opponitur primæ, ut quivis utriuſque terminos inter ſe conferens facilè deprehendet. Quod fortè in cauſa fuit, ut Alvarez *loco ſupra cit. ex lib. 5. Reſp.* referret Suarium pro contraria ſententia. Unde non eſt ita expeditum explicare, quid hic Auctor teneat in præſenti difficultate; cum in uno capite aſſerat non eſſe neceſſariam gratiam ſpecialem ad vincendam ullam tentationem, & cap. immediatè ſequenti doceat eſſe neceſſariam ſpecialem gratiam ad vincendas graves tentationes. Durum enim videtur Suarium vel inconſequentiæ, vel oblivionis arguere, præſertim in tam exigua ſuorum exceſſuum diſtantia. Accedit, quòd poſtquam Suarez noſtram, & communem aſſertionem ſtatuit, ſtatim adjecit: *Aſſertio non poteſt ex Scriptura, & Patribus efficaciter probari: quia reſponſiones, quas de levibus tentationibus dedimus, ad graves etiam applicari poſſunt.* Ubi ut vides principale robur communis aſſerti enervare contendit; nec ſe ad illud ſequendum patitur Scripturæ, ac Patrum auctoritate obligari. Unde meritò dubitamus, an Suarez re ipſa, quidquid aliud verba ſignificent, ſtet pro nobis, an pro adverſis: ſed nec hoc admodum intereſt. *Dubia Suarij ſententia.*

275. Præcipuum, atque urgentius noſtræ aſſertionis fundamentum deſumitur ex teſtimoniis ſacræ Scripturæ, Summorum Pontificum, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum, in quibus frequenter edocemur neceſſarium eſſe adjutorium gratiæ ad ſuperandas graves tentationes. Nam Sapientiæ 8. dicitur: *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det,* ubi continentiæ nomine caſtitas ſignificatur juxta expoſitionem Auguſtini *lib. de continentia cap. 1. & 3. & lib. 10. Confeſſ. cap. 29. & epiſt. 89.* Teſtimonium autem hoc, ut bene obſervavit Bellarminus intelligendum eſt, cùm urget gravis tentatio: nam ubi deeſt tentationis ſtimulus, non eſt difficile continere. Et Pſalmo 17. *In te eripiar à tentatione.* Et Matthæi 26. *Orate, ne intretis in tentationem.* Et 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentare ſupra id, quod poteſtis.* Ubi apertè ſupponitur eſſe tentationes adeo graves, quibus nequeat liberum arbitrium reſiſtere per proprias vires, & abſque auxilio divinæ gratiæ, ut optimè exponit Divus Thomas 2. *ad Corinthios 1. libro 3.* ad illa verba: *ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem,* ubi inquit: *Sed contra 1. ad Corinth. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Et ſtatim ſubdit: *Reſpondeo dicendum, quòd pati ſupra virtutem poteſt intelligi dupliciter: vel ſupra virtutem naturalem, & de hac loquitur hic, ſupra quam Deus aliquando permittit ſanctos tentari. Vel ſupra virtutem gratiæ, & de hac intelligitur illud 1. ad Corinthios 10. Fidelis Deus,*

Præcipuum aſſertionis fundamentum ex Scriptura. Sap. cap. 8. Pſalm. 17. Matthæi 26. 1. ad Cor. 10. D. Thom.

Ad Rom. 7.

Deus, &c. Eandem veritatem exprimit idem Apoſtolus *ad Rom.* 7. ubi poſtquam deſcripſit moleſtiſſimam impugnationem appetitus, & carnis adverſus ſpiritum, & rationem, concludit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quæ omnia ſatis apertè evincunt nos in præſenti ſtatu naturæ lapſæ non poſſe ſuperare graves tentationes abſque divino, & ſpeciali gratiæ adjutorio.

Ex Innocentio primo.

Unde hanc doctrinam videtur determinare Innocentius primus in epiſtola ad Concilium Carthaginenſe apud Auguſt. *epiſt.* 91. ubi hæc habet: *Niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat, nequicquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conamur errores; cum pares nos ad reſiſtendum non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium.* Quibus verbis damnat hæreſim Pelagianorum, quam Synodus Milevitana refert, & proponit in epiſtola ad eundem Innocentium apud Auguſt. *epiſt.* 92. his verbis: *Illud, ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum dicunt* (Pelagiani) *tanquam divinum adjutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: ſed hoc in noſtra eſſe poſitum poteſtate, & ad hoc implendum ſolam ſufficere voluntatem hominis.* Et prædictum aſſertum tanquam hæreticum, ac divinæ paginæ adverſum, volens, nolens revocavit ipſe Pelagius in Synodo Palæſtina apud Auguſt. *epiſt.* 106. ubi Patres ſic ſtatuerunt. *Fateatur* (videlicet Pelagius) *quando contra tentationes, concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem; non tamen ex illa, ſed ex adjutorio Dei provenire victoriam.*

Synod. Mil.

Ex S. Patribus.

D. Cyprian.

Eandem veritatem ſancti Patres, ac Doctores frequenter repetunt, ut videre eſt apud Cyprianum ſerm. 7. de oratione Dominica, *Quando rogamus*, inquit, *ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus; ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbe, atque arroganter aliquid aſſumat.*

D. Chryſoſt.

Chryſoſtom. hom. 24. in priorem ad Corinth. *Sunt*, inquit, *tentationes, quas ſufferre non poſſumus: Et quænam ſint illa? Omnes, ut ita dicam. Poſſibilitas enim in divino nutu eſt, quem noſtra allicimus voluntate. Quare ut cognoſcas non ſolum illas, quæ virtutem noſtram exuperant, non poſſe ſine divino auxilio facilè ſuſtinere, ſed ne has quidem humanas, addidit: ſed faciet cum tentatione proventum.* Ubi apertè ſupponit dari aliquas tentationes ita graves, ut virtutem noſtri arbitrij ſuperent, niſi fulciatur divino auxilio. Quod magis expreſſit homil. de Adam, & Eva, iis verbis. *Cum dicitur homo tradi deſideriis ſuis, ex ipſa propagine fit reus: quia deſertus à Deo cedit cupiditatibus, atque conſentit, capitur, trahitur, poſſidetur.*

D. Baſilius.

D. Baſilius Magn. in regulis moralibus regula 62. *Quod ſi divinitus permiſſum ſit, ut in tentationes quis incidat, precibus à Deo poſcere debet facultatem, per quam illas poſſit ſuſtinere.*

D. Ambroſ.

D. Ambroſius Pſalm. 43. *Quis eſt tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, niſi ei Dominus adjutor aſſiſtat.*

D. Auguſt.

D. Auguſt. Pſal. 89. *Sine Dei adjutorio tentationes huius vitæ ſuperare non poſſumus.* Et Pſalm. 106. *Deo deſiſtente ab adjutorio laborare potes, vincere non potes.* Idem docet *ſerm.* 13. *de verbis Apoſtol.* & alibi ſæpe.

Leo Primus.

S. Leo primus *epiſtola* 9. *ad Epiſcopum Narbonenſem: Si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expaveſcamus, quaſi illi adverſitati propriis ſit viribus reſiſtendum; cum & conſilium noſtrum, & fortitudo noſtra ſit Chriſtus.*

Greg. Magn.

Divus Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 10. *Nemo ſine Dei gratia in tentatione ſubſiſtit.* Et in Pſalm. 3. pœnitent. ad illa verba: *Ne derelinquas me Domine Deus meus*, inquit: *Illos proculdubio Dominus derelinquit, quibus conſtantiam in tribulatione non tribuit. Neceſſario enim ſequitur, ut omni tentationi ſit ſubditus, quicumque à Deo fuerit derelictus.*

Proſper.

D. Proſper lib. adversùs collatorem cap. 35. *Quiſquis in tribulatione non deficit, ab illo ſe non dubitet adiuvari, ad quem quotidie corda univerſorum fidelium clamant: Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo.*

Richard. de S. Victore.

Richardus de Sanct. Victore parte 2. ad illud: *Scuto circundabit te veritas eius*, Pſalm. 90. *Violenta*, inquit, *tentatio eſt, quæ vix, aut nullo modo humana induſtria ſuperari poteſt, quæ humanæ mentis vires fatigationis ſuæ vehementia ita enervat, ut tentanti malo, niſi divinitus aſpirata reſiſtere omnino non valeat.* Idemque tradunt alij Patres, & Doctores, quorum teſtimonia inveniet Lector apud Modernos, & præcipuè apud Bellarminum, Eſtium, & Vazquez locis ſupra citatis. Nos autem eas duntaxat Scripturæ, Conciliorum, & Patrum auctoritates ſeligere ſtuduimus, quæ, ut credimus, aſſertionem noſtram ſpecialiter, & ſatis apertè convincunt: alias autem meditato ſubticuimus, eo quòd procedant circa tentationes á Dæmone, quarum in præſenti noluimus habere rationem propter ea, quæ diximus *num.* 257.

Prima reſponſio ex Suario.

276. Verùm etſi robur harum auctoritatum pro communi, & vera ſententia ſit adeo magnum; illud tamen elidere, atque elevare ſatagunt quidam Juniores, quorum expoſitiones, evaſioneſque ſubjiciemus, ut ex earum confutatione veritas dilucidior appareat. Primo enim P. Suarez (ut vidimus *num.* 274.) reſpondet nihil poſſe in hac parte ex Scriptura, & Patribus efficaciter concludi: *quia reſponſiones*, inquit, *quas de levibus tentationibus dedimus, ad graves etiam applicari poſſunt.*

Reiicitur.

Sed certè hæc reſponſio indigna eſt prudenti ſui Auctoris ingenio, atque judicio. *Primò* quoniam tentatio gravis, & levis maximè differunt inter ſe; & toto cœlo, ut ſic loquar, diſtant; cùm *tentatio levis ferè nihil perturbet*, ut inquit Suarius *cap.* 23. *num.* 19. in fine: tentatio verò gravis poteſt ita vehementer perturbare, *ut iam contra actuale dictamen rationis* (ait prædictus Auctor cap. 24. num. 33.) *voluntas eligat:* ergo non eodem modo philoſophandum eſt de gravibus tentationibus, ac de levibus: atque reſponſiones, quæ de levibus dantur, nequeunt gravibus rationabiliter applicari.

Secundò, & quod præcipuum caput eſt, quia Scriptura, & Patres eam edocti reducunt impoſſibilitatem vincendi graves tentationes ad earumdem magnam difficultatem, ac gravitatem: conſtat autem hanc rationem minimè urgere in tentationibus levibus; quippè quæ hoc ipſo, quod leves ſint, nequeunt magnam difficultatem importare: ergo reſponſiones, quæ rectè adaptantur tentationibus levibus, non poſſunt prudẽtèr applicari gravioribus. Major liquet ex ipſis teſtimoniis, ut loc. cit. Pauli ad Cor. 2. *Gravati ſumus ſupra modum, ſupra virtutem.* Et 1. ad Cor. *Supra id, quod poteſtis.* Et Chryſ. *Illas, quæ virtutem noſtram ſuperant.* S. Leo *Si vehementior tribulatio, &c.* Proſp. *Quiſquis in tribulatione non deficit, &c.* Tribulatio autem non ſuboritur ex levi tentatione, ut ex ſe conſtat. Gregor. *Quibus conſtantiam in tribu-*

Ad Cor. 2. — D. Chryſ. — Proſper. — Gregor.

latione non tribuit, &c. Et eodem ferè modo loquuntur alij Patres.

Tertiò, quoniam etſi interdum videantur Patres loqui de univerſis tentationibus, rectè intelliguntur morali modo de tentationibus alicujus gravitatis, & momenti: quia quæ leves ſunt, quaſi nihil moraliter reputantur: quæ ſunt verba Suarij *cap. 23. num.* 28. ergo ſaltem hæc reſponſio, quam Suarius, & quidem ſatis prudenter, adhibuit Scriptura, ac Patrum teſtimoniis, quibus, utpote generaliter aliquando loquentibus, convinci videbatur eſſe neceſſariam ſpecialem gratiam ad victoriam cujuſvis tentationis, minime applicari poteſt ipſorum teſtimoniis, cùm ſingillatim, & expreſſe determinant indigere ſpeciali auxilio ad ſuperandum tentationes graves. Immo verò, quamvis non meminiſſent expreſsè tentationum gravium, cum adſtruunt indigentiam gratiæ ad vincendas tentationes; de gravibus debebant exponi: quoniam ea, quæ levis eſt, *quaſi nihil moraliter reputatur*, ut Suarius ſcitè docet: non ergo oportet eodem modo exponi Scripturam, & Patres circa graves, ac circa leves tentationes.

Aliud effugium ex Molina. 277. Secundò reſpondet Molina *in Concordia diſp. 19. memb.* 5. prædicta teſtimonia interpretanda eſſe de victoria, ſeu reſiſtentia tentationis meritoria, ſeu conducente ad vitam æternam: eo quòd Pelagius aſſerebat poſſe non propriis viribus, atque independenter à gratia, vitam æternam promereri, quod damnant Concilia, & Patres, cum determinant non poſſe hominem tentationibus ſine gratiæ reſiſtere, reſiſtentiâ videlicet non qualicumque, ſed meritoria. Quod videtur conſonum Auguſt. *lib. 21. de civitate Dei, c.* 16. ubi inquit: *Tunc victa vitia deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur, quem, niſi Deus ipſe, non donat.* (D. Auguſt.)

Præcluditur. Sed contra eſt, quod Pelagius duos inter alios plures aſſeruit errores, valde inter ſe diverſos. Primus fuit poſſe hominem propriis viribus conſequi remiſſionem peccatorum, gratiam, & vitam æternam: ad quod ſolùm velut univerſaliſſimum caput revocat Fauſtus *lib. 1. de gratia Dei, cap.* 1. illius hæretici dogmata, his verbis: *Dicit Pelagius, quòd ad obtinendum ſalutem natura hominis ſibi ſola ſufficiat.* (Fauſtus.) Secundus fuit poſſe hominem abſque adjutorio gratiæ ſuperare graves tentationes. Quod ſatis conſtat ex Auguſt. *in lib. de geſtis contra Pelagium in Concilio Palæſtino cap.* 11. ubi Cæleſtius Pelagij diſcipulus dixiſſe refertur: (Cæleſtius.) *Si gratia Dei eſt, quando vincimus peccata; ergo ipſe in culpa eſt, quando à peccato vincimur: quia omnino cuſtodire nos aut non potuit, aut noluit.* Et cap. 13. *Noſtra eſt victoria, quoniam noſtra propria voluntate arma ſuſcipimus; ſicut è contrario noſtrum eſt, quando vincimur, quoniam armari propria voluntate contempſimus.* Quem errorem coactus eſt Pelagius anathematizare, ne anathematizaretur & ipſe, ut conſtat ex Auguſt. *lib. nuper citato, & epiſt.* 106. Ergo independenter ab hoc, quòd victoria tentationum gravium ſit meritoria, vel non, ſalvari debet neceſſariam eſſe ſpecialem gratiam ad eas abſolutè ſuperandas. Aliàs ſuperflua foret nova determinatio contra Pelagium; ſed ſufficeret ſtatuiſſe neceſſitatem gratiæ ad meritum vitæ æternæ.

Impugnatur amplius. Confirmatur primò, & urgenter hæc ratio: quia aliàs pari licentia, ſecludendo rationem meriti, poſſet concedi, hominem valere ex propriis viribus ſuperare tentationes graves, quæ per totam vitam occurrunt, & ſe præſervare à peccato: conſequens autem nequit apud Catholicos admitti; cum ſit apertum Pelagianiſmum, ut conſtat *ex lib. Auguſt. citato*, ubi *cap.* 13. loquens de Pelagianis inquit: (D. Auguſt.) *In actibus noſtris Dei adjutorium denegant, dicentes: Ut non peccemus, impleamuſque juſtitiam, poſſe ſufficere naturam humanam, quæ condita eſt cum libero arbitrio, eamque eſſe Dei gratiam, quia ſic conditi ſumus, ut hoc voluntate poſſis.* Et poſt pauca ſubdit S. Doctor: *Hæc hæreſis cùm plurimos decepiſſet, ut fratres, quos non deceperat, conturbaret*, &c. Ergo impoſſibilitas reſiſtendi gravi tentationi non eſt revocanda in ſolam rationem meriti; ſed in magnam ejus difficultatem abſolutè acceptam.

Refellitur ulterius. Confirmatur ſecundò: quia prædicta Molinæ interpretatio manifeſtè contradicit intentioni Scripturæ, & ſanctorum Patrum in teſtimoniis adductis: nam Molina revocat neceſſitatem gratiæ ad rationem reſiſtentiæ quatenus meritoriæ, nulla habita ratione difficultatis ipſius reſiſtentiæ, & infirmitatis humanæ: Scripturæ autem Patrumque teſtimonia, quæ ſupra expendimus illam reducunt ad gravitatem tentationum, & debilitatem liberi arbitrij. Quod ea legenti perſpicuum fit; hoc enim denotant illa verba Apoſtoli: *Non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis:* ſignificant quippè eſſe in tentationibus, quoſdam, ut ſic dicamus, gradus, ſub quorum aliquo, nempè ſub remiſſo poteſt ſuſtineri per vires hominis lapſi; ſecus verò ſub alio, videlicet ſub gravi, atque intenſo, ut rectè interpretatur Theophilactus ibidem iis verbis: (Theophil.) *Non ſinet vos tentari ultra vires veſtras; ſed tentationem viribus veſtris tolerabilem adoriri vos faciet.* Ubi, ut vides, non habetur ratio meriti, aut demeriti; ſed difficultatis in reſiſtendo. Idemque poſſet ponderari in aliis teſtimoniis ſacræ Scripturæ ſupra relatis. Quod adhuc magis expreſſere Patres. Ambroſius: (Ambroſ.) *Quis*, inquit, *eſt tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur?* &c. Leo primus: (Leo primus.) *Si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expaveſcamus, quaſi illi adverſanti propriis ſit viribus reſiſtendum.* Cyprianus, (Cyprianus.) *Quando rogamus, ne in tentationes incidamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis noſtræ.* Et eorum ferè modo loquuntur alij Patres, ut eos conſulens deprehendet: omnes enim attendunt ad gravitatem tentationis, & infirmitatem voluntatis humanæ, quin meriti faciant mentionem.

Confutatur ultimò. Confirmatur tertiò: quia ex oppoſito fieret divinam gratiam eſſe æquè neceſſariam ad reſiſtendum levibus tentationibus, atque ad ſuperandas graves; quandoquidem ratio meriti vitæ æternæ in nullius tentationis victoria poteſt inveniri abſque gratia: conſequens eſt abſurdum; cùm teſtimonia relata fundent indigentiam gratiæ ad reſiſtendum gravibus tentationibus in earum moleſtia, ac gravitate, quæ non invenitur in levibus, ut ex ſe liquet: ergo, &c. Fieret etiam non eſſe magis neceſſariam gratiam ad reſiſtendum tentationibus in ſtatu naturæ lapſæ, quàm in ſtatu naturæ integræ: in nullo quippè ſtatu valet dari meritum vitæ æternæ ſine adjutorio gratiæ: ſequelam autem nemo concedet, cùm debilior ſit natura in hoc, quàm in illo ſtatu, ut ex ſe liquet; ac proinde eſt minus valida ad reſiſtendum, & magis indiget gratia.

Neque teſtimonium Auguſtini ſuffragatur Molinæ: tum quia agit de perfecta, & conſummata vitiorum victoria, quæ nequit ſine gratia ſanctificante, & amore inveniri, ut conſtat ex dictis dubio præcedenti. Tum quia loquitur de

victoria

Digitized by Google

victoria vitiorum, ut conducente ad vitam æternam, per modum meriti, quam conſtat non abſque amore Dei inveniri. Modo vero loquimur de victoria tentationum abſolutè accepta, atque independenter à merito: quam vel ita acceptam Scriptura, & Patres negant homini lapſo abſque divinæ gratiæ adjutorio.

Alia ejuſdem Molinæ reſponſio.

278. Tertiò reſpondet idem Auctor loco citato prædicta teſtimonia intelligenda eſſe de victoria tentationum gravium collectivè ſumptarum, non autem diviſivè: nam licèt cuivis tentationi ſingillatim acceptæ, quantumlibet gravis ſit, valeat homo per vires proprias reſiſtere; omnes tamen collectivè ſumptas abſque auxilio gratiæ ſuperare non poteſt: ſicut queit homo lapſus ſuis viribus ſervare quodcumque præceptum naturale diviſivè acceptum; non vero omnia collectivè ſumpta, ut vidimus *dub.* 5.

Impugnatur.

Cæterùm hæc reſponſio non eſt minus repugnans Scripturæ, ac Patribus, quàm præcedens: nam ut ex illorum teſtimoniis conſtat, ſæpeſæpius loquuntur de una tentatione gravi determinatè, & in particulari ſumpta, ad quam tamen ſuperandam adſtruunt eſſe neceſſarium auxilium divinæ gratiæ. Quod facile eſt oſtendere: nam illud Pſalm. 17. *In te eripiar à tentatione*, de ſingulari tentatione, ut ipſa verba præ ſe ferunt, intelligitur. Pariter & illud Chriſti Domini, *Orate, ne intretis in tentationem:* ſermo enim erat de illa tentatione, quæ jam jam imminebat. Quod urgentiùs convincitur ex Patribus Synodi Palæſtinæ, qui ut vidimus ſupra *num.* 275. præceperunt Pelagio *ut fateatur, quando contra tentationes, concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, ex adjutorio Dei provenire victoriam.* Nam adverbium *quando*, quod idem valet, ac *quoties*, non permittit expoſitionem Molinæ, ſed pro unaquaque victoria tentationis gravis diſtribuendum eſt. Si enim non pro ſingulis victoriis, ſed pro earum tota collectione deſideratur auxilium Dei, poſſet reſpondere Pelagius ſe aliquando, videlicet in hac, vel illa occaſione ſuperaſſe abſque adjutorio Dei tentationem gravem. Patres etiam ſatis apertè loquuntur de tentationibus gravibus diviſivè, & in particulari conſideratis, ut Leo primus, *Si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expaveſcamus, quaſi illi adverſitati*, &c. D. Proſper, *Quiſquis in tribulatione non deficit*, D. Gregorius *Quibus conſtantiam in tribulatione non tribuit.* Richardus de S. Victore *Violenta tentatio eſt*, &c. In quibus, ut vides, non de collatione omnium tentationum, quæ poſſunt occurrere per totam vitam, fit ſermo; ſed de quibuſdam tentationibus gravibus in particulari ſumptis; ſeu, quod idem eſt, de iſta, aut illa tentatione gravi occurrente: ad quam tamen ſuperandam ſtatuunt Patres eſſe neceſſarium divinæ gratiæ adjutorium.

Synodus Palæſtina.

Augetur vis impugnationis.

Adde primò, quòd ſi homo lapſus haberet ſufficientes vires ad ſuperandam quamcumque tentationem in particulari occurrentem, non verò ad reſiſtendum omnibus collectivè; jam hæc impotentia non in difficultatem uniuſcujuſque tentationis gravis, ſed in earum multitudinem revocanda foret, ſicut contingit in victoria tentationum levium, vel evitatione peccatorum venialium. Hoc autem eſt minus conſonum prædictis teſtimoniis, in quibus fit, ut in plurimum mentio difficultatis tentationum gravium; non verò, aut raro attenditur ad earum multitudinem ut conſtat ex dictis *numero* 276.

Adde ſecundo Molinam nihil magis, aut ferè nihil tribuere divinæ gratiæ in victoria tentationum gravium, quàm levium: quandoquidem ſicut ad vincendum omnes tentationes graves collectivè requiritur gratia; ita etiam ad ſuperandas omnes leves collectivè: & ſicut tentatio levis in particulari occurrens poteſt vinci ſine ſpeciali gratia; ita quævis tentatio gravis, & graviſſima poteſt juxta expoſitionem Molinæ abſque adjutorio gratiæ ſuperari, quando ſingillatim occurrit. In quo tamen plurimùm defertur hominis infirmi arbitrio.

Objectio.

Adde tertiò prædictam Molinæ expoſitionem æquè procedere in tentationibus gravibus, ac in levibus. Patres autem loquuntur de tentationibus gravibus, quatenus graves ſunt, & quia graves, ut *num.* 276. contra Suarium oſtendimus.

279. Dices: quando Patres docent eſſe neceſſariam gratiam ad victoriam levium tentationum, rectè exponuntur vel de victoria cum fructu, ac merito vitæ æternæ, vel de victoria tentationum levium collectivè ſumptarum, ut communiter docent Theologi contra Vazquez: ergo eodem modo poſſunt explicari, cum loquuntur de neceſſitate gratiæ ad ſuperandas graves. Qui reſpexiſſe videtur Suarius, cum aſſeruit auctoritates Scripturæ, & Patrum non multum urgere in hac materia: quia eodem modo poteſt eis occurri in tentationibus gravibus, ac in levibus.

Diluitur.

Reſpondetur negando conſequentiam: tum quia tentatio levis affert modicam difficultatem, neque excedit facultatem noſtræ voluntatis, quæ hoc ipſo, quòd extincta non ſit, poteſt ſicut exercere opus facile, ita & vincere tentationem non difficilem. Unde ſi quando Patres docent eſſe neceſſariam gratiam ad victoriam levium tentationum, exponendi ſunt vel de victoria conducente ad vitam æternam, vel de victoria omnium levium collectivè: ne dicamus, quod abſit, earum determinationem eſſe rationi contrariam. In tentatione autem gravi, etiam ſecluſo merito, & continuatione victoriæ, adeſt inſignis, ac notabilis difficultas, ad quam proinde ſuperandam meritò intelliguntur Patres ſtatuiſſe neceſſitatem gratiæ. Tum etiam, & præcipuè, quia non eſt locus interpretationi, ubi Patres liquidò revelant intentionem ſuam. Ipſi verò apertè loquuntur de aliquibus tentationibus in particulari, ac diviſivè acceptis, nullamque meritò mentionem faciunt, ſed revocant impotentiam noſtræ voluntatis ad ejus infirmitatem, & ingruentem difficultatem gravis tentationis, ut hucuſque oſtendimus. Unde vanè quæritur alia interpretatio: ſed ingenuè oportet fateri juxta legitimum, & planum ſenſum teſtimoniorum, quæ adduximus non poſſe hominem lapſum abſque ſpeciali gratia reſiſtere tentationibus gravibus diviſivè ſumptis.

Ultima reſponſio refellitur.

280. Per quod etiam excluſa manet quarta, & ultima ſolutio, qua poſſet quis prædictis auctoritatibus occurrere, videlicet quòd intelligantur de victoria tentationum gravium, vel contra finem ſupernaturalem, vel ex ſuggeſtione Dæmonis: ad quas ſuperandas requiritur gratia, non verò de aliis tentationibus contra finem naturalem, ortumque habentium ex ſola concupiſcentia, quantumvis graves, & urgentes ſint, quibus, ut reſiſtat, ſibi ſufficit voluntas.

Hoc, inquam, manet præcluſum ex dictis: tum quia in prædictis teſtimoniis non fit mentio tentationum, quæ ſunt contra finem ſupernaturalem à Dæmone, ſed vel indefinitè proceditur, vel apertè

apertè ſignificantur aliæ tentationes, quæ ab intrinſeco appetitus fomite ſunt: ut videre eſt in determinatione Innocentij: *Niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat, nequidquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conamur errores*, &c. Tum etiam quia Patres, ut ſæpè inculcavimus, revocant neceſſitatem gratiæ pro vincendis gravibus tentationibus ad magnam difficultatem, quæ in prædicta victoria datur: ſed hæc ratio etiam militat in tentationibus gravibus contra finem naturalem, & ex propria concupiſcentia ortis, ut facilè conſideranti apparebit: ergo abſque fundamento limitarentur Conciliorum, & Patrum decreta ad ſolas tentationes graves contra finem ſupernaturalem, vel immiſſas à Diabolo.

Innocentius.

§. IV.

Eadem veritas ratione probatur.

Pro formanda præcedentis aſſertionis ratione, nota 1.

281. Difficile eſt aſſignare aliquam rationem pro communi ſententia, & præſertim nobis: qui concedentes homini in puris conſtituto vires ſufficientes, ut abſque ſpeciali gratia poſſet gravi tentationi reſiſtere, id negamus homini lapſo; cùm tamen utrobique videantur eædem vires, eadem difficultas, & eadem difficultas, & eadem ratio. Nihilominus non leve fundamentum ſumitur ex teſtimoniis, quæ hactenus expendimus, & ponderavimus, illudque ſatis indicat D. Thomas in hac *quæſt. artic.* 8. & *lib. 3. contra gentes, cap.* 160. Sed pro illius intelligentia duo præſupponenda breviter ſunt, quorum veritas magis apparebit ex dicendis. Primùm ſit vires voluntatis, aut alterius potentiæ non conſiſtere in entitate nudæ ipſius potentiæ ſecundùm ſe conſideratæ; ſed in eadem diſpoſita tali, vel tali modo. Quod ſatis conſtat ex eo, quòd entitas potentiæ ſemper eſt eadem; & tamen non ſunt eædem ſemper vires potentiæ: eadem quippè eſt voluntas hominis in ſtatu naturæ puræ, & in ſtatu naturæ integræ; & nihilominus majores vires ad bonum in hoc ſtatu, quàm in illo. Quamobrem ſolent Theologi diſtinguere in voluntate potentiam remotam, & proximam ad eliciendum aliquem actum: appellantque potentiam remotam ipſam entitatem voluntatis, prout abſtrahit ab immediata, & proxima proportione: potentiam verò proximam vocant eandem entitatem voluntatis, quatenus habet diſpoſitionem, ac proportionem ultimò requiſitam, ut proximè exeat in actum. Idque videtur innuere Auguſtinus *lib. de gratia & libero arbitrio, cap.* 17. ubi inquit: *Qui vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam; ſed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit, & robuſtam.* Ubi apertè diſtinguit inter entitatem voluntatis, & potentiam, ac expeditam voluntatis. Quod exemplo intellectus reſpectu concluſionum, verbi gratia, Geometricarum explicari poteſt: ſi enim habeat prima principia proxima, ex quibus illæ concluſiones inferuntur, dicitur habere potentiam proximam ad eis aſſentiendum: quando verò non aſſentitur prædictis principiis, ſolùm eſt in potentia remota ad aſſentiendum concluſionibus.

D. Auguſt.

Nota 2.

Secundum ſit inter ea, quæ intra ordinem naturæ ſibi relictæ, & independenter à gratia poſſunt ſuperaddi voluntati humanæ, quo illius vires ad rectè operandum augeantur, præcipuum locum tenere converſionem actualem, vel habitualem ad Deum tanquam ad finem naturalem amatum ſuper omnia. Quoniam finis ita ſe habet in operabilibus, ſicut prima principia in ſpeculabilibus: unde aſſenſus primorum principiorum dat vires, & proportionem, ſeu potentiam proximam intellectui ad hoc ut rectè attingat concluſiones; ita converſio, ſeu affectus ad Deum ſicut ad ultimum finem ſuper omnia dilectum, præbet vires, atque efficacitatem quam magnam voluntati ad hoc, quòd rectè ſe gerat in iis, quæ conducunt ad prædictum finem, vel ab eo avertuntur. Hincque ortum magna ex parte dicebant vires, quibus gauderet homo in ſtatu naturæ integræ integritate ſolius ordinis naturalis: in eo quippè nulla daretur diſpoſitio voluntatem in ſe ipſa magis corroborans in ordine ad rectè operandum, quam converſio ad Deum tanquam ad ultimum finem naturalem amatum ſuper omnia, ut conſideranti conſtabit. Has quippè vires affert amor; maximè cum efficax, & firmus eſt. Quæ optimè declarat Angelicus Doctor in 3. diſt. 27. quæſt. 1. art. 1. in corpore his verbis: *Amor nihil aliud eſt, quàm quædam transformatio affectus in rem amatam. Et quia omne, quod efficitur forma alicujus, efficitur unum cum illo: ideo per amorem amans fit unum cum amato, quod eſt factum forma amantis. Et ideo dicit Philoſophus 9. Ethicor. quod amicus eſt alter ipſe. Et 1. ad Corinth. 6. Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. Unumquodque agit ſecundùm exigentiam ſuæ formæ, quæ eſt principium agendi, & regula operis. Bonum autem amatum eſt finis: finis autem eſt principium in operabilibus, ſicut prima principia in cognoſcendo. Unde ſicut intellectus formatus per quidditates rerum ex hoc dirigitur in cognitione principiorum, quæ ſcitis terminis cognoſcuntur: & ulteriùs in cognitionibus concluſionum, quæ notæ fiunt ex principiis. Ita amans, cujus affectus eſt informatus ipſo bono, quod habet rationem finis, quamvis non ſemper ultimi, inclinatur per amorem ad operandum ſecundùm exigentiam amati: & talis operatio eſt maximè ſibi delectabilis, quaſi formæ ſuæ conveniens. Unde amans quidquid facit, vel patitur pro amato totum eſt ſibi delectabile*, &c.

D Thom.

282. Ex his formatur ratio in hunc modum: quoniam ad actum excedentem vires, & proportionem voluntatis requiritur ſpecialis gratia, quæ voluntatis defectum ſuppleat: ſed victoria gravis tentationis, excedit proportionem, & vires voluntatis hominis lapſi: ergo eſt neceſſaria ſpecialis gratia, ut voluntas hominis lapſi vincat gravem tentationem. Major, & conſequentia conſtant. Minor autem ſuadetur: nam victoria gravis tentationis eſt actus præcipuè difficilis inter eos, qui naturæ ſibi relictæ valent occurrere: ergo petit ad ſui exercitium præcipuas vires, quas natura ſibi relicta, & ſecluſa gratia, poteſt habere, ut ſic detur debita proportio inter actum, & principium illi correſpondens: atqui voluntas hominis lapſi caret prædictis viribus: ergo victoria gravis tentationis excedit proportionem, & vires voluntatis hominis lapſi. Minor ſubſumpta liquet ex dictis: quia forma, quæ præcipuè vires communicat naturæ intra ordinem naturæ ſibi relictæ, eſt converſio ad Deum, tanquam ad ultimum finem naturalem, & ſuper omnia dilectum: voluntas autem hominis lapſi caret prædicta converſione: ergo, &c.

Expenditur ratio pro communi ſententia.

Confir

1. Confirmatio. Confirmatur primò: quoniam omnes vires, quas homo haberet in ſtatu naturæ puræ eſſent neceſſariæ ad ſuperandum gravem tentationem; cùm hic ſit actus difficilior omnium, qui poſſent homini ita conſtituto occurrere: ſed vires hominis lapſi ſunt minores, quàm vires hominis exiſtentis in puris: ergo homo lapſus non habet vires ſufficientes ad reſiſtendum gravi tentationi; atque ideò ad id præſtandum indiget ſpeciali gratiæ auxilio. Suadetur minor: quoniam vires voluntatis, ut ſupra obſervavimus, non conſiſtunt in entitate ejuſdem ſecundum ſe conſideratæ; ſed quatenus eſt hoc, vel illo modo diſpoſita: conſtat autem voluntatem hominis lapſi eſſe minus bene diſpoſitam in ordine ad bonum, quàm voluntatem hominis exiſtentis in puris: quandoquidem iſte vel eſſet converſus ad bonum rationis, & ad Deum ſicut ad ultimum finem; vel ſaltem, dum retineret talem ſtatum, nihil haberet incompoſſibile cum prædicta converſione: ille verò & eſt averſus à Deo per peccatum, & eſt impotens ad conjungendum cum ſtatu lapſus talem converſionem. Sicut enim intellectus rectificatus circa prima principia explicat majores vires, & potentiam proximam ad intelligendum concluſiones; quàm intellectus, qui vel ignorat principia, vel circa illa errat: ita voluntas converſa, & bene affecta ad Deum, ſeu bonum rationis, obtinet majores vires, & potentiam proximam, quam voluntas à prædicto fine averſa: habet enim ſe finis ut principium.

2. Confirmatio. Confirmatur ſecundò: quoniam ſi tyrannus comminaretur mortem alicui, niſi ab unius Dei auctoris, & finis ultimi naturalis vero cultu recederet; illamque iſte mallet obire, quàm flagitium adeo magnum patrare: omnes cordati prudentiſſimè cenſerent prædictum hominem pluris facere cultum veri Dei, quàm vitam propriam, & omnia, quæ cum ipſa vita amittuntur; perindeque diligere ipſum Deum ſuper omnia: ſed homo exiſtens in peccato mortali nequit abſque ſpeciali gratia diligere Deum ſuper omnia tanquam ultimum finem naturalem, ut conſtat ex ſupra dictis *dubio* 4. ergo nequit prædictam tentationem ſuperare abſque gratia ſpeciali. Et quod de hac tentatione diximus, poſſet etiam inductivè oſtendi diſcurrendo per alia genera tentationum: nam quòd aliquis, cùm urgenter tentatur ad libidinem, ardentique concupiſcentiæ ſtimulo, atque opportuna occaſione, vel etiam ulteriùs externa ſolicitatione provocatur ad malum, non recedat à bono rationis: nequit non oriri ex converſione efficaci, & affectu firmo ad ipſum rationis bonum, tanquam ad finem: & ita judicabunt prudentes. Homo autem lapſus non eſt bene affectus ad bonum rationis; ſed ab illo per peccatum receſſit, ipſumque exoſum habet: ergo homo lapſus non habet efficacitatem, & potentiam proximam ad reſiſtendum gravi tentationi, niſi adjuvetur gratia. Deſumiturque hujus

D. Thom. confirmationis diverſus ex Divo Thoma, 3. *contra gentes*, *cap.* 160. ubi hæc habet: *Cùm enim mens hominis à ſtatu rectitudinis declinaverit, manifeſtum eſt, quòd receſſit ab ordine debiti finis. Illud igitur, quod deberet eſſe in affectu principium, tanquam ultimus finis efficitur minus dilectum illo, ad quod mens inordinate converſa eſt, ſicut in ultimum finem. Quandocumque igitur occurrerit aliquid conveniens inordinato fini, repugnans fini debito; eligitur, niſi reducatur ad debitum ordinem, ut finem debitum omnibus preferat: quod eſt gratiæ effectus.* Et *in hac quaeſt. articulo* 8. inquit: *Cùm enim homo non habet cor ſuum firmatum in Deo, ut pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando ab eo ſeparari vellet, occurrunt multa, propter quæ conſequenda, vel vitanda homo recedit à Deo contemnendo præcepta ipſius, & ita peccat mortaliter. Præcipuè quia in repentinis homo operatur ſecundùm finem præceptum, ut Philoſophus docet in* 3. *Ethicorum.* Et 2. 2. *queſt.* 136. *art.* 3. inquit: *Dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in libro de patientia, via deſideriorum facit tolerantiam laborum, & dolorum: & nemo niſi pro eo, quod delectat ſponte ſuſcipit ferre, quod cruciat. Et hujus ratio eſt: quia triſtitiam, & dolorem ſecundùm ſe abhorret animus. Vnde nunquam eligeret eam pati propter ſe; ſed ſolùm propter finem. Ergo videtur, quòd illud bonum, propter quod aliquis vult pati mala, ſit magis volitum, & amatum, quàm illud bonum, cujus privatio ingerit dolorem.*

283. Confirmatur tertiò, & aperitur ampliùs vis confirmationis præcedentis: quoniam concurſus Dei cum homine lapſo, ut vincat gravem tentationem, non eſt concurſus generalis exhibitus ſecundùm providentiam communem: ergo habet rationem gratiæ ſpecialis, ſine qua proinde non valebit homo lapſus tentationi gravi reſiſtere. Suadetur antecedens: nam cùm Deus diſpenſat concurſum generalem, & juxta diſpoſitionem communem; attendit ad diſpoſitionem cauſarum ſecundarum, & operatur ſecundùm illarum exigentiam: ſed quando homo lapſus graviter tentatur; dantur hic, & nunc ex parte cauſarum ſecundarum diſpoſitiones exigentes lapſum, non autem victoriam: ergo quòd Deus non permittat lapſum, ſed conferat reſiſtentiam non eſt concurſus generalis exhibitus ſecundùm providentiam communem. Minor liquet conſiderando tum debilitatem voluntatis humanæ lapſæ, & ſibi relictæ, tum averſionem ejus à bono rationis, tum converſionem ad bonum commutabile, tum denique ingruentiam gravis tentationis, quæ vel voluntatem robuſtam incurſibus ſuis fatigat. Nam voluntas humana ſibi relicta eſt ſatis debilis, & inconſtans, imparque ferè ad ſufferendum gravis tentationis moleſtiam, Averſio verò à bono rationis excludit vires, & efficacitatem proximam, quæ ex converſione ad ipſum bonum accreſcunt. Porrò converſio ad finem inordinatum ex præhabita ſui intentione ad ſibi congruas, perindeque inordinatas electiones ſolicitat, ut meritò dixerit Cajetanus, 1. 2. quæſt. 109. articulo 8. *Si cum extrinſeco ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris, quomodo cum intrinſeco perverſo fine, ſeu affectu non perverteris?* Tentatio denique gravis ita vehementer proponit convenientiam in proſecutione objecti mali, ut vix permittat apparere bonum honeſtum, quod alias poſſet voluntatem à malo avertere juxta illud Pſal. 9. *Auferentur judicia tua à facie ejus.* Tot ergo concurrentibus, ut voluntas cedat tentationi; nullo verò adjuvante, ut ei reſiſtat; juxta exigentiam cauſarum ſecundarum, atque diſpoſitionum in tentatione gravi hic, & nunc occurrentium, eſt actu deficere; non verò ſuperare tentationem.

3. Confirmatio. Cajet. Pſalm. 9.

D. Thom. Confirmatur ultimò ex Divo Thoma qui exponens illa verba Pſal. 37. *Curvatus ſum uſque in finem*, inquit: *Hæc incurvatio poteſt referri ad depreſſionem animi propter gravedinem peccati: quia peccata faciunt ſicut grave onus, quod hominem incurvat, & facit terram aſpicere. Ita peccata faciunt inferiora aſpicere, & non per-*

mittunt per affectum tendere ad ſuperiora. Homo ergo ſic incurvatus, & depreſſus non poterit viribus propriis ſuſtinere inſigne pondus, quod gravis tentatio affert; & adverſus illam firmiter ſe erigere, eique conſtanter obluctari. Quemadmodum infirmus corporaliter, & viribus attenuatus, etſi valeat exiguum pondus, & ad breve tempus ſuſtinere; nequit tamen magnum etiam ad breve tempus portare, ſed ei neceſſariò ſuccumbit: eo quòd magnum pondus eſt improportionatum viribus infirmis, & exigit robur, & vegetam ſanitatem. Ergo ſicut infirmus abſque additione, ſeu recuperatione virium nequit ingens pondus ſufferre: ita homo lapſus, & infirmus infirmitate peccati non valet abſque adjutorio gratiæ ſuſtinere, ac ſuperare grave tentationis pondus: ſed gratia deſtitutus ipſe ſuccumbet.

§. V.

Objectiones contra dicta §. præcedenti, & earum ſolutio.

Prima objectio cōtra noſtram rationem.

284. Sed adversùs rationem, & confirmationes, quibus noſtram aſſertionem ſuadere ſtuduimus, plures ſe offerunt difficultates, quibus neceſſe eſt occurſum ire. Primò ergo adversùs rationem, & primam illius confirmationem objicies falsò, ac libenter nos in illis ſupponere, quòd voluntas hominis in puris conſtituti ſit potentior, quàm voluntas hominis lapſi; cùm potius aſſerendum ſit eam utrobique eiſdem prorſus viribus naturalibus gaudere. Tum quia ita ſumitur ex Divo Thoma, *1. parte quæſt. 95. art. 1.* in corpore ubi inquit: *Manifeſtum eſt, quòd illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin poſt peccatum manſiſſet, cùm etiam in dæmonibus data naturalia poſt peccatum permanſerint, ut Dioniſ. cap. 4.* Cùm ergo vires, quæ competerent naturæ in puris, ſint merè naturales; ſequitur, quòd omnes, & eædem maneant in homine poſt lapſum. Quod etiam ſignificat Sanctus Doctor, *eadem 1. part. quæſt. 87. art. 7.* dicens, *hominem amiſiſſe juſtitiam originalem, & ſua naturæ fuiſſe relictum:* hæc quippe ſatis denotant hominem per peccatum exuiſſe quidem dona ſuperaddita, retinuiſſe verò perfectiones proprias naturæ, quales ſunt vires puræ naturales. Tum etiam, quia homo in puris, & poſt peccatum ſolùm differunt tanquam nudus, & nudatus, quatenus carentia juſtitiæ originalis, & donorum eam concomitantium, quæ in uno habet rationem meræ negationis, in altero ſortitur conditionem privationis, ut communiter docent Theologi: ſed ex vi hujus non diſtinguuntur in aliquo poſitivo, ut ex ſe liquet: ergo cùm vires naturales ad benè operandum ſint aliquid poſitivum; ſequitur, quòd homo in puris, & poſt lapſum non differant in viribus naturalibus. *(D. Thom.)*

Tum præterea, quia ſi vires naturales voluntatis fuiſſent diminutæ poſt lapſum; talis diminutio fieret vel per ablationem alicujus entitatis à voluntate, vel per additionem alicujus qualitatis nocivæ: non enim apparet alius modus, quo poſſit fieri hæc virium diminutio: atqui nec à voluntate eſt ablatum per peccatum aliquid entitatis; cùm incorruptibilis ſit: nec ei ſuper addita eſt ulla qualitas morbida, ut communiter determinant Doctores contra Gregorium de Arimino: ergo, &c. Tum deinde, quia ſi peccatum diminueret vires naturæ, etiam diminueret inclinationem ejus ad bonum rationis, ac proinde per repetitionem peccatorum poſſet illa inclinatio totaliter deſtrui; cùm omne finitum per ablationem continuam tandem finiatur: conſequens eſt abſurdum, & contra Divum Thomam, *1. 2. quæſt. 85. articulo 2.* ubi docet impoſſibile eſſe, quòd inclinatio voluntatis ad bonum rationis totaliter deſtruatur, manente natura humana. Tum denique, quia eſto, alia peccata perſonalia, & poſitiva queant diminuere vires, & inclinationem voluntatis ad bonum, quatenus generant habitus vitioſos, qui malè diſponunt voluntatem eamque inclinant ad actus rationi diſſonos; id tamen minimè admitti poteſt in peccato originali: hoc quippe non importat in nobis aliquid poſitivum, vel ullam poſitivam converſionem ad malum; ſed meram privationem juſtitiæ originalis, & averſionem à Deo: ergo cùm peccatum originale ſit ſufficiens ad conſtituendum hominem in ſtatu naturæ lapſæ; ſequitur, quòd homo in natura lapſa non habeat minores vires, quam in puris. Quæ doctrina ſic arriſit Medinæ 1. 2. quæſt. 85. art. 3. §. *Secundò infertur*, ut de eo dixerit: *Hæc eſt vera, divinaque Theologia, quam docent univerſi Theologi, nominatim Cajetanus 1. 2. qu. 85. art. 3. & quæſt. 109. art. 2. Marſilius in 2. quæſtione 18. art. 1. Doctiſſimus Pater Soto 1. libro de natura, & gratia cap. 13.* Idemque poſtea amplexati ſunt Suarez, *prolog. 4. capite 8. & libro primo, de neceſſitate gratiæ cap. 36.* & alij plures. *(Medina.) (Suarez.)*

Unde argumentum à nobis factum poteſt in nos retorqueri: quoniam homo lapſus habet eaſdem prorſus vires, ac homo in puris, ut patet ex nuper dictis: ſed homo in puris habet vires ſufficientes ad ſuperandam quamcumque gravem tentationem contrariam legi naturali diviſivè ſumptam, ut ſtatuimus ſupra num. 262. ergo homo lapſus gaudet ſufficienti virtute, ut ſine ſpeciali gratia valeat reſiſtere cuivis gravi tentationi diviſivè acceptæ.

285. Reſpondetur huic objectioni negando antecedens: neque enim pro libito ſupponimus ineſſe minores vires homini lapſo, quam in puris conſtituto; ſed id oſtendimus auctoritate, & ratione. Quod poteſt inſuper communiri tum ex iis, quæ affert Divus Thomas ſuprà *quæſt. 85. art. 1. in argumento ſed contra*, ubi inquit: *Sicut dicitur Luc. 10. homo deſcendens à Hieruſalem in Ierico, ideſt, in defectum peccati expoliatur in gratuitis, ut vulneratur in naturalibus, ut Beda exponit: ergo peccatum diminuit bonum naturæ.* Per quam parabolam docent frequenter Sancti Patres, & præcipuè Auguſtinus *libro de natura & gratia cap 7.* & Ambroſius *lib. 7. in Lucam*; ſignificari ſtatum, in quem homo per peccatum devenit. Illis autem verbis: *Quem etiam deſpoliaverunt*, ſignificatur ablatio donorum, & juſtitiæ originalis, quæ gratis fuerant ſuperaddita naturæ. Unde per ſubſequentia: *Et plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto*, nequit non denotari defectus alicujus naturalis perfectionis, atque efficacitatis: aliàs fruſtra hæc verba ſuperadderentur parabolæ; nec Divus Thomas rectè ex illis collegiſſet, ſicut colligit, quòd homo vulneratur in naturalibus. Tum ex eodem Sancto Doctore loco citato in corpore, ubi inquit. *Medium bonum naturæ, ſcilicet ipſa naturalis inclinatio ad virtutem diminuitur per peccatum. Per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad ſimiles actus, ut ſuprà habitum eſt. Oportet autem, quòd ex hoc, quod aliquid inclinatur ad unum contrarium,* *(Occurritur objectioni.) (D. Thom.)*

Digitized by Google

rium, diminuatur ejus inclinatio ad illud. Unde cùm peccatum ſit contrarium virtuti, ex hoc ipſo, quòd homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quod eſt inclinatio ad virtutem. Idemque docet 4. *contra gentes, cap.* 71. ubi enumerans effectus peccati ait: *Tertium eſt quædam debilitatio naturalis boni, ſecundum quod homo peccando redditur pronior ad peccandum, & tardior ad bene agendum.* Et *in præſenti quæſtione art.* 7. in corpore inquit: *Bonum autem naturæ corrumpitur, inquantum natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non ſubjecta: hoc enim ordine ſublato, conſequens eſt, ut tota natura hominis peccantis inordinata remaneat.* Conſtat autem, quòd homo in puris conſtitutus non eſſet infectus maculâ, atque inordinatione peccati, quæ homo contraxit per lapſum: ergo ſecundum mentem D. Thomæ, & rectam rationem negari non poteſt, quòd eorum vires ſint inæquales, pluresque competant homini in puris, quàm poſt lapſum.

Replica.

286. Nec refert, ſi dicas, Divum Thomam in omnibus his teſtimoniis loqui de peccato actuali, & perſonali, non verò de originali; inter quæ reperitur latum diſcrimen in præſenti difficultate conſiderandum. Nam actuale importat actum peccantis, per quem generatur inclinatio ad objectum rationi diſſonum, ac proinde diminuitur inclinatio ad bonum virtutis: originale autem nullum actum, vel inclinationem poſitivam in nobis importat, ſed meram privationem juſtitiæ originalis: unde non eſt, cur per illud diminuatur inclinatio ad virtutem, & vires ad bonum. Ut autem homo ſit in ſtatu naturæ lapſæ ſatis eſt, quod habeat peccatum originale.

Solutio. D. Thom.

Hoc, inquam, non refert. Primò quia Divus Thomas *citata quæſt.* 85. *art.* 3. extendit ſuam doctrinam ad omnia peccata: recenſens enim vulnera inflicta naturæ humanæ per peccatum originale inquit: *In quantum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantiæ: in quantum verò voluntas deſtituitur ordine ad bonum, eſt vulnus malitiæ: in quantum verò iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis: in quantum verò concupiſcentia deſtituitur ſuo ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentiæ. Sic igitur iſta quatuor ſunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. Sed quia inclinatio ad bonum virtutis* (perpendat Lector verba) *in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis patet, etiam iſta ſunt quatuor vulnera ex aliis peccatis conſequentia, in quantum ſcilicet per peccatum & ratio hebetatur, præcipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & major difficultas bene agendi accreſcit, & concupiſcentia magis exardeſcit.* Quo nihil clarius potuit pro nobis dici; cùm Sanctus Doctor infirmitatem virium naturalium per prius attribuat peccato originali, & deinde extendat ad actualia. Videantur, quæ diximus *in comment. art.* 1. & 2. prædictæ quæſtionis.

Secundò, & præcipuè, quia etſi libenter admitteremus peccatum originale non minuere vires voluntatis ad bonum, adhùc tamen ratio à nobis constructa in ſuo robore perſiſteret. Quoniam nullus eſt adultus in ſtatu naturæ lapſæ, qui ſimul cum peccato originali non habeat aliud actuale, & perſonale. Cùm enim omnis homo ad uſum rationis perveniens teneatur ſe convertere ad Deum auctorem naturalem, tanquam ad ultimum finem ſuper omnia dilectum, conſequens eſt, ut vel prædictum præceptum adimpleat, amittatque proinde ſtatum naturæ lapſæ, qui cum illa converſione incompoſſibilis eſt: vel prædicto præcepto non ſatisfaciat, atque ideo incurrat novum peccatum proprium actuale, ac perſonale. Quam doctrinam tradit Divus Thomas, *in hac* 1. 2. *quæſt.*89. *art.*6. in corpore, & *ad* 3. & *quæſt.*7. *de Malo art.*10. *ad* 9. & *in* 2. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 5., & alibi ſæpe, eamque ſtatuimus *in Tract. de peccatis diſp.* 10. *dubio* 1. Unde ſi peccatum perſonale, & actuale diminuit vires naturæ, ut apertè intendit Sanctus Doctor locis citatis nec ipſi Adverſarij inficias ibunt; plane infertur homini in natura lapſa debiliores vires ineſſe, quam in puris.

287. Probationes autem in contrarium non multi negotij ſunt: quia omnes ferè procedunt ex defectu intelligentiæ diſtinctionis inter entitatem potentiæ, ſeu potentiam radicalem, & vires potentiæ, ſeu proportionem, & proportionem proximam; quam diſtinctionem præmiſimus ſupra *num.*281. & ea ſuppoſita contraria motiva facilè diluuntur. Ad primum dicendum eſt Divum Thomam loqui de perfectionibus naturalibus ſe habentibus adinſtar potentiarum, ſeu proprietatum naturæ; non verò de omnibus operationibus conſequentibus naturam, vel de omni inclinatione ad bonum, qualis eſt illa, quæ comitatur amorem Dei ſuper omnia. Sumiturque hæc ſolutio ex ipſo Sancto Doctore ſupra *qu.*85. *art.* 1. ubi inquit: *Bonum naturæ humanæ poteſt tripliciter dici. Primo ipſa principia naturæ, ex quibus ipſa natura conſtituitur, & proprietates ex his cauſata, ſicut potentiæ animæ, & alia hujuſmodi. Secundò quia homo à natura habet inclinationem ad virtutem, ut ſupra habitum eſt; ipſa inclinatio ad virtutem eſt quoddam bonum naturæ. Tertio modo poteſt dici bonum naturæ donum juſtitiæ originalis, quod fuit in primo homine collatum toti naturæ. Primum igitur bonum naturæ nec tollitur, nec diminuitur per peccatum. Tertium verò bonum naturæ totaliter eſt ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturæ, ſcilicet ipſa inclinatio naturalis ad virtutem diminuitur per peccatum*, &c. Et ad 1. quod ſic ſe habebat: *Peccatum hominis non eſt gravius, quàm peccatum dæmonis: ſed bona naturalia in dæmonibus manent integra poſt peccatum, ut Dionyſ. dicit in* 4. *de divin. nominib. ergo peccatum etiam bonum naturæ humanæ non diminuet*; reſpondet in hunc modum: *Dicendum, quod Dionyſius loquitur de bono primo naturæ.* Et *in ſolutione ad* 2. inquit: *Ipſa natura ſecundùm ſe non variatur propter variationem voluntariæ actionis: ſed ipſa inclinatio variatur ex illa parte, quæ ordinatur ad Deum.* Per quod etiam patet ad id, quod addebatur ex Sancto Doctore *quæſt.* 87. *art.* 7. reſpondetur enim hominem poſt peccatum fuiſſe relictum ſuæ naturæ; ſed non naturæ puræ, ſed naturæ fauciatæ, ac infectæ per peccatum, ut bene declarat Alvarez *lib.*5. *Reſponſ. cap.*4. *num.* 19.

Satisfit ſingulis probationibus in contrarium.

Prima. D. Thom.

Ad ſecundum reſpondetur ex dictis *diſputat. præcedenti cap.* 2. analogiam illam hominis in puris, & poſt lapſum ad hominem nudum, & nudatum ſolùm intelligendam eſſe in ordine ad gratuita: quia utrobique eſt carentia gratiæ, quæ in ſtatu purorum habet rationem ſimplicis negationis, & denominat hominem nudum; ſed in ſtatu lapſus ſortitur conditionem privationis propriè dictæ, & denominat hominem nudatum. Cum quo tamen rectè ſtat, ut in ordine ad naturalia detur magna differentia inter utrumque ſtatum:

Secunda.

Digitized by Google

ſtatum : nam homo adultus in puris exiſtens eſſet actualiter, vel habitualiter converſus ad Deum tanquam ad ultimum finem ſuper omnia dilectum : prædictam quippe converſionem eliceret in primo inſtanti uſus rationis ; aliàs caderet ab ſtatu purorum, & declinaret in peccatum. Homo autem adultus, & lapſus & caret prædicta converſione, & convertitur ad bonum proprium, ut explicatum eſt. Quare cùm converſio efficax ad bonum rationis conferat efficaces vires ad operandum propter ipſum ; averſio vero ab illo, & præcipue ſi conjungatur contrariæ converſioni, ut §. *præcedenti* ex Divo Thoma vidimus, & deinceps videbimus : prædictas vires excludat: neceſſariò concedendum eſt hominem in puris habere majores vires, quàm poſt lapſum, & conſequenter non ſe habere intra ordinem naturalem ſicut nudum, & nudatum, ſed ſicut amore Dei indutum, & eo ſpoliatum ; nec prædictos ſtatus comparari inter ſe ſicut privationem, & negationem, ſed magis ſicut privationem, & habitum.

Tertia. Ad tertium conſtat ex proximè dictis diminutionem virium naturalium in homine lapſo non fieri per ſubſtractionem entitatis potentiæ, nec per additionem qualitatis morbidæ, quam excogitavit Gregorius : ſed per excluſionem converſionis ad Deum tanquam ad ultimum finem ſuper omnia dilectum, & converſionem ad bonum proprium. Et ideo neganda eſt major : quia ut inquit Angelicus Doctor 4. contra gentes cap. 112. (D. Thom.) *Subjectum fit minus potentia ad formam, non quidem per ſolam ſubſtractionem alicujus partis ſubjecti, vel per hoc, quod aliqua pars potentiæ ſubſtrahatur : ſed per hoc, quod potentia impeditur per contrarium actum, ne in actum formæ exire poſſit, ſicut ſubjectum tanto eſt minus potentia frigidum, quantò in eo magis calor augetur.*

Quarta. Ad quartum negamus ſequelam ; quoniam diminutio virium, quam peccatum inducit, non fit per ſubſtractionem entitatis ſubjecti ; ſed per appoſitionem indebiti finis, & excluſionem converſionis, ſeu affectus ad finem honeſtum : quod non tollit, nec tollere poteſt radicalem inclinationem ſubjecti ad bonum rationis, ſicut neque ipſum deſtruere. Unde ſimilem objectionem diluens Divus Thomas ſupra, (D. Thom.) *quæſt.* 85. *art.* 2. inquit : *Ad ſecundum dicendum, quod objectio illa procedit, quando fit diminutio per ſubſtractionem : hìc autem fit diminutio per appoſitionem impedimenti, quod neque diminuit radicem inclinationis.* Et tradiderat rationem in corpore articuli iis verbis. *Dupliciter igitur poteſt intelligi ejus* (nempè inclinationis ad virtutem) *diminutio. Uno modo ex parte radicis : alio modo ex parte termini. Primo quidem modo non diminuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminuit ipſam naturam, ut ſupra dictum eſt : ſed diminuitur ſecundo modo, in quantum ſcilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum. Si autem primo modo diminueretur, oporteret, quod quandoque totaliter conſumeretur, natura rationali totaliter conſumpta. Sed quia diminuitur ex parte impedimenti, quod opponitur, ne pertingat terminum ; manifeſtum eſt, quòd diminui quidem poteſt in infinitum : quia in infinitum poſſunt impedimenta apponi, ſecundum, quod homo poteſt in infinitum addere peccatum peccato. Non poteſt tamen totaliter conſumi : quia ſemper manet radix talis inclinationis, &c.* Quod late, & optime oſtendit idem S. Doctor *qu.* 2. *de Malo art.* 2.

Ultimum jam manet ſolutum ex ſupra dictis *num.* 143. *& num.* 282. Quamobrem non videmus, cur contraria noſtræ doctrinæ Theologia celebretur ut divina ; & multo minus quomodo Medina pro illa referat univerſos Theologos; cùm multo plures nobis, quàm ipſi ſuffragentur. Inæqualitatem enim virium in ſtatu naturæ puræ, & naturæ lapſæ, atque illarum diminutionem per peccatum docent ex Thomiſtis Capreol. *in* 2. *diſt.* 24. *quæſt. unica art.* 1. *concl.* 3. Ferrara *contra gentes cap.* 112. Conradus 1. 2. *quæſt.* 85. *art.* 1. *&* 2. Alvarez *de auxiliis diſp.* 45. *&* 46. *& lib.* 5. *Reſponſ. cap.* 4. Joannes à Sancto Thoma *in præſenti diſp.* 19. *art.* 1. §. *Reſpondetur ergo, &* §. *ſolum adverto.* Labat *tom.* 4. *diſp.* 1. *dub.* 1. §. 2. Monteſinos *ſupra quæſt.* 85. *art.* 2. *diſp.* 16. *qu.* 1. *concl.* 2. & alij. Quibus etiam conſentiunt Alexander 2. *parte quæſt.* 94. *memb.* 8. *art.* 4. *in corpore, & ad* 2. Gregorius *in* 2. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. *art.* 2. Gabriel ibidem *quæſt.* 2. *art.* 1. Ocamus à Gabriele relatus. Ricardus ibidem *quæſt.* 1. Eſtius *diſt.* 31. §. 3. Henricus *quodlib.* 1. *quæſt.* 27. Jacobus Naclantius ſuper *ad Romanos* 5. ad illa verba. *Non ergo regnet peccatum.* Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 45. Guillelmus Altiſſiod. Jacobus Almainus, Robertus, Holchot. apud Salas 1. 2. *diſp.* 11. *ſect.* 2. & alij plures. Ex iis autem, qui referri ſolent pro contrario dicendi modo, plures & præcipuè Cajetanus ſolùm intendunt potentiam remotam, ſeu virtutem radicalem non fuiſſe diminutas per peccatum ; ſed minimè loquuntur de viribus, ac potentia proximis. Unde argumentum à nobis factum nec debet, nec valet in nos retorqueri.

(*Ultima.* Capreol. Ferrara. Conradus. Alvarez. Joann. à S. Thom. Labat. Monteſinos. Alexander. Gregorius. Gabriel. Richardus. Eſtius. Henricus. Naclantius. Corduba. Almainus. Robertus. Holchot.)

288. Sed replicabis : nam fieri poteſt, ut homini in puris conſtituto, & pervenienti ad uſum rationis, priuſquàm ſe convertat ad Deum finem naturalem, occurrat gravis tentatio vel omittendi illam converſionem, vel operandi contra aliud præceptum : quàm tentationem teneretur, perindeque poſſet ſuperare viribus naturæ juxta ſupra dicta §. 2. At in prædicto caſu non haberet, niſi voluntatem nudè ſumptam, ut ex ſe liquet : ergo voluntas nuda ab omni converſione ad Deum finem naturalem habet ſufficientes vires, ut poſſit ſuperare graves tentationes contra legem naturalem. Cùm ergo prædicta voluntas ſit in homine lapſo ; ſequitur, quòd hic retineat ſufficientes vires ad reſiſtendum gravibus tentationibus. *Replica.*

Confirmatur : quia impotentia, quam tribuimus homini lapſo ad ſuperandas graves tentationes viribus propriis, præcipuè fundatur in converſione illius actuali, & perſonali ad bonum commutabile, ut conſtat ex dictis à *num.* 282. ergo ſi illi occurrat gravis tentatio ante dictam converſionem ; poterit illam ſuperare : cùm igitur poſſet ei occurrere in primo inſtanti uſus rationis, vel antequam ſe convertat ad bonum proprium, ſequitur, quòd ſaltem pro illo inſtanti habeat vires requiſitas ad gravis tentationis victoriam.

Reſpondetur primò caſum illum replicæ non eſſe poſſibilem ſecundùm providentiam communem : ad eam quippe ſpectat, ut ſicut præceptum convertendi ſe ad Deum tanquam ad ultimum finem, eſt ſimpliciter primum omnium ; ita illius obligatio ante omnia alia occurrat puero pervenienti ad uſum rationis, nihilque urgentiùs ſolicitet pueri animum, quàm hujuſmodi obligatio. *Primum enim* (inquit Divus Thomas ſupra quæſt. 89. articulo 6. ad 3.) *quod occurrit homini diſcretionem habenti eſt, quod de ſe ipſo cogitet,* *Diluitur primo.* (D. Thom.)

ad

ad quem alia ordinet ſicut ad finem, finis enim prior eſt in intentione. Et cùm intimatio, ſeu manifeſtatio clara prædictæ legis pertineat ad auctorem naturæ, & aliàs quælibet gravis tentatio obnubilet, ac perturbet uſum rationis: ad eundem auctorem ſpectat ita omnia diſponere, ut nulla gravis tentatio pro illo inſtanti occurrat, quæ animum pueri ita præoccupet, ut non poſſit facilè ad prædictam legem perſpicue cognitam attendere, eique ſatisfacere, ut explicuimus *Tract. citato diſp. 20. dub. 1.* Accedit etiam, quòd ſecluſa ſuggeſtione diaboli (cujus tentationes jam excluſimus à principio hujus dubij) non apparet, quæ gravis tentatio, ſervata providentia ordinaria, poſſit puero pro inſtanti illo primo occurrere. Nam moleſtia carnis vel nulla tunc eſt, vel ſatis remiſſa: pompa verò, & vanitas mundi puerorum animos, & maximè in ætate parum ſolet allicere. Quamobrem caſus replicæ ad providentiam extraordinariam ſpectat: ſecundùm quam ſi auctor naturæ operaretur permittendo in illo inſtanti gravem tentationem, deberet ſpecialia auxilia diſpenſare, quibus amplius puer in bono fulciretur. Sed hoc non pertinet ad præſens dubium, in quo hominem in puris, & ſecundùm providentiam ordinariam ſe habentem conſideramus.

Diluitur ſecunda. Per quod patet etiam ad confirmationem: nam eandem ſuppoſitionem, & difficultatem includit: atque ideo eadem reſponſione diluitur.

Secundò poteſt reſponderi admittendo, quòd homo in puris exiſtens, antequam ſe actu convertat ad Deum ultimum finem, poſſet ſuperare viribus propriis gravem tentationem in primo inſtanti uſus rationis occurrentem: negamus tamen, quòd id poſſit præſtare homo lapſus. Et ratio differentiæ eſt: quoniam homo in puris, licèt pro priori ad conſummationem illius inſtantis non eſſet poſitivè converſus in Deum, tamen non eſſet ab illo averſus: & ſic nihil haberet incompoſſibile cum affectu efficaci ad bonum rationis, ob cujus amorem, ſaltem interpretativum, ſuperanda eſt gravis tentatio, & relinquenda convenientia, quæ per ipſam proponitur: poſſetque proinde homo in prædictum affectum, ſeu converſionem actu prorumpere, & conſequenter tentationem ſuperare, licet hoc rarò, & in paucioribus contingeret. Cæterùm homo lapſus non habet voluntatem puram, ſeu nudam; ſed affectam, aut potius infectam converſione vitioſa ad bonum commutabile, vel ſaltem averſione à bono honeſto: hæc quippe averſio comitatur peccatum mortale, quodcumque ſit. Porrò cùm prædicta averſione non poteſt componi dictamen efficax practicum, & affectus converſionis ad bonum honeſtum: nec prædicta averſio valet excludi, niſi per gratiam. Unde cùm victoria gravis tentationis nequeat, præſertim naturaliter obtineri abſque converſione ad bonum honeſtum ſaltem interpretativa; conſequens eſt, ut homo lapſus non poſſit abſque auxilio ſpeciali gratiæ ſuperare gravem tentationem.

Ex quibus ſolvitur confirmatio: nam homo lapſus ad uſum rationis perveniens habet ſaltem averſionem ab ultimo fine, cum qua eſt incompoſſibilis appreciatio ejuſdem finis, & affectus efficax ad bonum honeſtum, in cujus virtute repellitur gravis tentatio. Unde ſemper ſalvatur, quòd nequeat abſque ſpeciali gratia tentationi gravi reſiſtere: quamvis hoc urgentiùs convincatur ex eo, quòd omnis adultus lapſus, priuſquam graviter tentetur, habeat ſimul cum peccato originali aliquod perſonale, ut revera in omnibus contingit.

289. Deinde adversùs ſecundam confirmationem eſt gravis objectio, per quam ea etiam, quæ immediate diximus, impugnantur: quoniam ad vincendum generaliter quamcumque tentationem gravem non apparet, cur ſit neceſſaria converſio efficax ad bonum determinate honeſtum ſuper omnia dilectum. Nam plura, circa quæ poteſt homo graviter tentari, ſunt contraria bono proprio ipſius peccatoris, quod habet rationem ultimi finis reſpectu ipſius. Unde in virtute amoris ad bonum proprium poterit peccator repellere tentationes contrarias: atque ideo non erit neceſſaria ad id ſpecialis gratia. Nec hinc fiet, quòd labatur in aliud peccatum, dum tentationi reſiſtit: quia converſio ad bonum proprium univerſaliter ſumptum non eſt vitioſa, quippe quæ terminatur ad bonum proprium, quod non eſt determinatè bonum, nec malum moraliter, ſed abſtrahit ab utroque, ut diximus *tom. 3. Tract. 8. diſp. 4. dub. 3.* *Alia difficilis objectio.*

Reſpondetur, quòd ſicut in ſpeculabilibus principia univerſaliſſima nequeunt immediate per ſe ſola inferre concluſionem particularem, ſed debent particulari alicui principio aſſociari, per quod determinentur, & trahantur ad illationem concluſionis ſpecialis: ita ex ſolo affectu ad bonum proprium univerſaliſſimè ſumptum nequit efficaciter ſequi refutatio gravis tentationis; ſed deſideratur aliquis finis magis particularis, ob cujus amorem ſe ſe opponat homo gravi tentationi, eique reſiſtat. Et ratio eſt: quoniam gravis tentatio, quatenus rejicitur, ac propulſatur, habet rationem mali, à quo recedit reſiſtens. Omnis autem fuga alicujus mali oritur ex proſecutione alicujus boni, ad quod homo afficitur, & propter quod deſerit objectum, ad quod aliàs induceretur. Unde affectus ad bonum, propter quod reſiſtitur tentationi, debet eſſe incompoſſibilis cum affectu ad objectum tentationis, eumque excludere. Hoc verò minimè convenit affectui ad bonum proprium univerſaliter ſumptum, ad quod peccator eſt habitualiter converſus tanquam ad ultimum finem: quia prædictus affectus optimè conjungitur cum proſecutione objecti tentationis. Quod ex eo liquet: nam etſi peccator ſuccumbat gravi tentationi, adhuc retinet habitualem converſionem ad bonum proprium in communi: immo verò prædictum bonum finalizat actionem peccaminoſam, qua quis tentationi ſuccumbit. Quamobrem nulla incompoſſibilitas inter prædictos affectus reperitur, nec unus excludit alium; ſed neceſſarium eſt recurrere ad alium magis ſpecialem, nempe ad converſionem actualem, vel habitualem in bonum rationis tanquam in ultimum finem. *Reſponſio.*

290. Replicabis: nam licèt peccator nequeat reſpicere bonum rationis, ſeu honeſtum tanquam ultimum finem, cùm ſit averſus ab eo: valet tamen ſine gratia illud attingere, ut finem particularem hujus, vel illius actionis, in hac, vel illa materia particulari, verbi gratia ſolvere debitum propter bonum juſtitiæ: aliàs non poſſet abſque ſpeciali gratia efficere aliquod opus bonum morale, quod eſt abſurdum, ut conſtat ex ſupra dictis *dubio 2.* Hoc autem ſufficit, ut poſſit aliquas graves tentationes vincere ſine gratia, & abſque converſione ad bonum rationis tanquam ad ultimum finem, etſi nequeat omnes, & graviſſimas ſuperare: ergo non eſt univerſaliter verum hominem lapſum indigere ſpeciali gratia *Replica.*

Digitized by Google

ad victoriam cujuſvis gravis tentationis. Explicatur, & ſuadetur minor: etenim ſi quis ex una parte vehementer tentaretur ad adulterium verbi gratia, & ex alia perpenderet periculum infamiæ, poſſet ob amorem, & conſervationem famæ reſiſtere tentationi, idque non ſemel contingit: & tamen prædictus affectus ſolùm terminatur ad aliquod bonum honeſtum particulare; non verò ad bonum rationis abſolute, & in omni linea, ut ex ſe liquet: ergo affectus ad bonum rationis particulare ſufficit ad reſiſtentiam alicujus gravis tentationis. Idemque poteſt oſtendi in eo, qui vehementer tentatur ad vindictam, ſeu necem inimici, à qua tamen abſtinet, ne patiatur bonorum, & honoris jacturam, qui eſt finis particularis honeſtus.

Solutio. Reſpondetur negando minorem intellectam de victoria gravium tentationum ſimpliciter dicta, hoc eſt, tam quoad affectum, quàm quoad effectum, quàm quoad effectum. Quoniam, ut ſupra obſervavimus *numero* 261. non dicitur ſimpliciter ſuperare tentationem, qui labitur in aliud peccatum mortale. Quamvis autem affectus ad aliquod bonum rationis particulare queat impedire effectum externum, ad quem peccator graviter tentatur; minimè tamen ſufficit ad excludendum affectum internum peccaminoſum, ſeu, quod idem eſt, deſiderium, aut complacentiam moroſam circa objectum pravum. Idque exemplis in contrarium adductis conſtat: nam qui graviter tentatur ad adulterium, licèt ob amorem famæ abſtineat ab opere externo; tamen ſtante gravi tentatione, & ſecluſa gratia, infallibiliter conſentiet delectationi internæ: & graviter tentatus ad vindictam, quamvis ob timorem jacturæ bonorum, atque honoris non inferat necem; nihilominus delectabitur de ea apprehenſa: & infirmus, qui accenditur ad venerem, etſi ob periculum vitæ, quod metuit, recuſet actum; attamen operam dabit delectationi moroſæ. Unde nullus ex affectu ad illa particularia bona honeſta vincit ſimpliciter contrarias tentationes: licèt enim non peccet in effectu, ſeu opere externo; conſentit tamen illis in affectu. Et ratio eſt eadem in omnibus; quoniam eatenus affectus ad bona illa honeſta particularia poſſet excludere ſubjectionem, & conſenſum in tentationes, quatenus ipſa prædicta bona haberent incompoſſibilitatem cum objectis tentationum. Illa autem ſolùm habent incompoſſibilitatem cum objectis tentationum. Illa autem ſolùm habent incompoſſibilitatem ſecundùm quid, ſive in effectu; ſecus verò ſimpliciter, ſive tam in effectu, quàm in affectu: nam fama non læditur per conſenſum internum, ſed per opus externum; nec imminet jactura bonorum ob affectum vindictæ, ſed propter necem illatam. Unde licet affectus ad prædicta bona ſufficiat ad excludendum executionem adulterij, necis, & veneris; minimè verò excludit delectationem internam de illis, maximè cùm urget gravis tentatio: hæc quippe ſi non executionem, delectationem tamen extorquet. Quocirca neceſſariò recurrendum eſt ad affectum efficacem ad bonum rationis abſolutè acceptum: nam ſicut hoc bonum non compatitur cum aliquo peccato mortali ſive interno, ſive externo: ita affectus efficax ad ipſum ſufficit, & requiritur ad excludendum affectum contrarium, pro quo tentatio gravis ſolicitat.

Objectio contra datam reſponſionem. 291. Sed objicies: nam hinc fieret non qualemcumque gratiam ſufficere ad victoriam gravium tentationum; ſed determinatè requiri gratiam habitualem, & ſanctificantem: conſequens eſt ſatis durum, immo abſurdum; cùm peccatores quandoque reſiſtant gravibus: quod minimè præſtarent ſi eſſet neceſſaria gratia habitualis, qua in ſenſu compoſito ſtatus peccati ſunt omnino deſtituti: ergo, &c. Sequela oſtenditur: quoniam, ut hucuſque diximus, nequit homo vincere gravem tentationem abſque converſione actuali, vel habituali ad bonum honeſtum tanquam ad ultimum finem, ſed ex ſuppoſitione, quòd quis ſit in peccato mortali, atque adeo averſus à prædicto bono, & fine, nequit abſque gratia ſanctificante converti ad ipſum, ut latè oſtendimus ſuprà *dub.* 4. ergo erit neceſſaria gratia ſanctificans, ut homo lapſus ſuperet gravem tentationem.

Reſpondetur negando ſequelam: quia ſicut medium unicum ad conſervandam vitam modo naturali eſt ſumptio alimenti: & nihilominus ſi Deus vellet uti alia extraordinaria providentia, poſſet hominem per alia media abſque cibo conſervare: ita quamvis ſecluſa gratia, non poſſit homo ſuperare gravem tentationem niſi ex affectu formali, vel virtuali ad Deum, vel ad bonum honeſtum tanquam ad ultimum finem; qui affectus ex ſuppoſitione, quòd quis fuerit lapſus in peccatum grave, nequit haberi abſque gratia ſanctificante: attamen intra latitudinem gratiæ ſunt plures modi, quibus homo valeat non ſubſterni tentationi, ſed eam devincere, aut devitare. Primò per communicationem gratiæ ſanctificantis: hæc enim perfectiſſimè convertit in Deum, & avertit ab omni objecto illi contrario. Deinde per magnam illuminationem intellectus, quæ faciat magnopere appetere bonum virtutis, & expellat apparentiam convenientiæ in objecto, ad quod tentamur, cùm enim tentatio gravis fiat magna ex parte invincibilis ab homine lapſo, ex eo quòd vim rationis obtundit, & obſcurat, nec permittit apparere efficaciter motiva ob quæ deberet rejici; conſequens fit ut è converſo ſuperari poſſit, ſi Deus perfectè illuminet rationem, faciatque ut appareant peccatori plures diſconvenientiæ in ſubjectione, ad tentationem etiam interna, vel quoad affectum. Præterea per bonum affectum voluntatis: poteſt quippe Deus, cùm gravis tentatio urget, producere in voluntate magnam affectionem ad bonum virtutis contrarium objecto tentationis, & inſimul ingentem diſplicentiam de objecto, ad quod urgebat tentatio: quibus affectibus ſtantibus voluntas parum inclinabitur ad objectum, quod aliàs ex parte ſua vehementer tentat, ac ſolicitat ad conſenſum; ac proinde aderunt voluntati pares, vel majores vires, quàm ſit tentatio, etſi gravis. Denique ſuſpendendo concurſum requiſitum ad conſenſum pro materiali peccati: quæ ſuſpenſio in eo eventu haberet rationem gratiæ: ſicut donum perſeverantiæ eſt gratia ſatis magna; & tamen ſolet importare ſimilem ſuſpenſionem, ut videbimus *diſputatione ſequenti dubio* 11. §. 1. Cùm ergo hæc omnia media queant inveniri ſine gratia ſanctificante, ſequitur, quòd voluntas illis roborata valeat abſque prædicta gratia gravi tentationi reſiſtere. Quæ poſſunt explicari exemplo attritionis ad ſacramentum pœnitentiæ requiſitæ: non enim poſtulat ad ſui elicientiam gratiam ſanctificantem, ſed aliam longè minorem: & tamen importat propoſitum abſolutum, & efficax non peccandi, ortum quidem non ex amore Dei ultimi finis, ſed ex alio motivo inferiori. Quod propoſitum, ſive affectus, etſi non ſufficiat ad expellendum *Diluitur.*

lendum peccatum habituale, in quo homo præexiſtit; ſufficit tamen, ſaltem quandiu durat, ad excludendum à voluntate conſenſum, ſive affectum actualem ad peccatum grave, quia eſt incompoſſibilis cum illo: nullus quippe actu peccans queit habere veram attritionem; neque qui vere atteritur, valet in ſenſu compoſito peccare. Cum ergo poſſit Deus ſimilem affectum in homine peccatore graviter tentato producere; ſequitur, quòd hic valeat abſque gratia ſanctificante gravi tentationi reſiſtere.

Proponitur altera difficultas. 292. Denique contra tertiam, & quartam confirmationem oppones ex illis ſolum convinci, quòd detur magna difficultas, ac proinde impotentia moralis in victoria gravis tentationis per vires proprias; non verò aliqua impotentia, vel repugnantia phyſica: ſed remota hac poſteriori impotentia, valet voluntas abſolutè, quamvis cum difficultate ſuperare gravem tentationem, ut ex ſe liquet: ergo prædictæ confirmationes minimè convincunt eſſe neceſſariam gratiam, ut homo lapſus vincat gravem tentationem. Minor, & conſequentia liquent. Major etiam videtur perſpicua: nam omnia, quæ ibidem recenſuimus, ſunt quid extrinſecum, & accidentarium voluntati, neque ejus entitatem, vel intenſionem diminuunt: ergo licet cauſent difficultatem, ſeu impotentiam moralem; minimè tamen deſtruunt potentiam phyſicam voluntatis, quæ ab illius entitate, & intenſione non differt: ergo ſicut voluntas ante lapſum habet potentiam phyſicam ad reſiſtendum gravi tentationi, ità & poſt illum.

Satisfit objectioni. Reſpondetur negando minorem, quam probatio inducta minimè convincit: quoniam licèt tota voluntas maneat entitative poſt lapſum, nihilominus non remanet in eſſe potentiæ proximæ, & expeditæ ad omnia, quæ poterat ante lapſum, ut ſuprà latè oſtendimus *dubio* 4. Et ratio eſt: quoniam eſſe, & denominatio potentiæ non convenit voluntati ratione ſolius entitatis abſolutæ acceptæ, ſed ratione ejuſdem, quàtenus connotat alia requiſita, & præcipuè concurſum Dei ſibi præparatum, ſecundùm providentiam communem. Deus autem cùm concurſum præparat ſecundùm providentiam communem, non attendit ad ſolam voluntatem hominis, ſed ad totum hominem, hoc eſt, ad omnes diſpoſitiones, ſub quibus hic, & nunc reperitur. Unde cùm in homine lapſo, & actu graviter tentato nulla ferè ſit diſpoſitio ad victoriam; plurimæ verò, & urgentiſſimæ ad lapſum, ut in prædictis confirmationibus ſingillatim oſtendimus: fit, ut Deus operans ſecundùm providentiam communem non præparet concurſum ad reſiſtentiam; ſed lapſum permittat. Quamobrem etſi in peccatore detur potentia antecedens radicalis, & remota ad ſuperandum tentationem gravem, quæ potentia nil aliud eſt, quam entitas voluntatis connotans indifferentiam judicij, caret tamen potentia proximè expedita ad prædictam reſiſtentiam: quia hujuſmodi potentia non eſt ſola voluntas entitativè, ſed voluntas connotans concurſum Dei ex lege communi præparatum, & remotionem eorum, quæ actum voluntatis impediunt, ut loco proximè citato latiùs explicuimus, & hic ſupponimus ex dictis *num.* 281.

§. VI.

Refertur contraria ſententia, & duo illius fundamenta convelluntur.

293. NOn reperimus Auctorem, qui primam noſtram aſſertionem expreſsè, licet aliqui ſatis apertè illi contradicere videantur, dum probant ſecundam: utuntur enim motivis, quæ utrique ſtatui, & naturæ in puris, & naturæ lapſæ communia ſunt: ſed ea majori ex parte diluimus §. *præced.* etſi quæ ſuperſunt, ex reſponſione ad argumenta opinionis ſtatim referendæ robur amittent: fundantur enim utplurimum in ſimilitudine, & æqualitate virium utriuſque ſtatus; quas tamen non eſſe prorſus æquales conſtat ex dictis, & amplius ex dicendis conſtabit. Poteſt tamen ſpecialiter opponi: quoniam victoria alicujus tentationis gravis contra legem naturalem importat tantam difficultatem, quanta reperitur in obſervatione omnium præceptorum naturalium collectivè ſumptorum: ſed homo in puris conſtitutus non habet vires ſufficientes ad obſervandum omnia præcepta naturalia collectivè ſumpta, ut conſtat ex dictis *dub.* 5. *n.* 162. ergo neque ad reſiſtendum cuidam tentationi gravi contra legem naturalem. Probatur major: quia mortem fortiter obire, quam tyrannus minitaretur, ut quis à legitimo unius Dei cultu recederet, importat tantam difficultatem, quanta reperitur in obſervatione omnium præceptorum naturalium collectivè ſumptorum: ergo hujus tentationis victoria tantam difficultatem importat, quanta in illa obſervatione reperitur. *Argumentum contra primam concluſionem.*

Reſponſio. Reſpondetur negando majorem: & ad probationem negamus antecedens. Nam quòd homo nequeat abſque gratia obſervare omnia præcepta naturalia collectivè ſumpta, provenit ex eo, quòd ab intrinſeco petit aliquando deficere: unde quòd in nullo præceptorum vel occurrentium ſimul, vel longo tempore ſuccedentium deficiat: eſt ſupra propriam hominis diſpoſitionem; atque ideo provenit ex alia providentia gratuita, ut latè explicuimus *loc. cit. à n.* 170. Cæterùm hæc propria, & velut connaturalis hominis diſpoſitio non expoſcit determinatè in aliquo determinato præcepto, aut tempore determinato deficere: quocirca poteſt homo per ſe loquendo obſervare quodlibet præceptum naturale, prout occurrit, & ſecundùm omnem difficultatem, quam ſecundùm providentiam naturalem ex quolibet capite affert, ut ea, quæ *loc. cit. nu.* 192. diximus, ſatis convincunt. Unde quia præceptum colendi unum verum Deum poteſt ſimul cum gravi illa tentatione, quæ in objectione refertur, naturaliter occurrere: conſequens eſt, quod homo per ſe loquendo valeat abſque ſpeciali gratia, adhuc in præſentia prædictæ tentationis, illud obſervare, ut arg. §. 2. expenſum efficaciter probat. Dicimus *per ſe loquendo*, ut complectamur omnes vires, & efficacitatem, quas homo poteſt naturaliter habere: inter quas illæ præcipuè computandæ ſunt, quæ voluntati accedunt ex converſione naturali ad Deum ultimum finem juxta ſuperius dicta numero 281. cum ſequentibus: nam in vi hujus converſionis, quandiu actualiter, vel habitualiter perſiſtit, valet obſiſtere cuilibet gravi tentationi ſecundum communem providentiam ortæ contra legem naturalem. Quòd ſi hanc converſionem amittit, & ea uti non vult; impotentia, quæ inde provenit, eſt ſimpliciter conſequens, ejuſque vitio tribuenda

Digitized by Google

eſt, ſicut accidit in homine lapſo, ut infra dicemus *numero* 301. Poteſtque exemplum antecedentis in contrarium allatum retundi exemplo amoris naturalis Dei ultimi finis ſuper omnia: qui videtur importare tantam difficultatem, quantam habet obſervatio omnium præceptorum naturalium collective ſumptorum; ſi quidem dicit propoſitum efficax ea obſervandi. Et tamen re ipſa tantam difficultatem non importat: quia obſervatio illa præter difficultatem, quæ in quolibet præcepto ſeorſim accepto invenitur, importat, quod defectibilitas arbitrij ita comprimatur, aut impediatur, ut non exeat in proprium actum: quod tamen non dicit amor prædictus: ita enim elicitur, quod non comprimit, aut impedit continuò defectibilitatem arbitrij, ut latius explicuimus *dubio 3. à numero* 121. *& dubio 5. numero* 192. Idem ergo in caſu objectionis dicendum eſt: quia victoria unius tentationis quantumvis gravis ſecundum ſe, & diviſivè accepta non tollit, quod defectibilitas arbitrij ſe explicet, aut explicuerit in alia occaſione: & ita non importat tantam difficultatem, aut improportionem reſpectu arbitrij, quanta reperitur in hoc, quod homo obſervet omnia naturalia præcepta in nullo deficiendo.

Sententia ſecunda aſſertioni contraria.

294. Adversùs ſecundam, & præcipuam aſſertionem noſtram ſenſerunt non ſolum Pelagius, & Cæleſtius, ſed etiam illi, qui poſtea appellati ſunt Semipelagiani, ut videre eſt in Caſſiano *collat.* 13. *capite* 14. Iſtorum autem error eò pervenit, ut aſſererent poſſe hominem viribus propriis non ſolum vincere gravem tentationem diviſive, & ſecundum ſe acceptam; ſed etiam meritoriè, & victoria conducente ad vitam æternam: propter quod damnati ſunt ab Eccleſia. Ex Catholicis autem licèt nullus admittat hoc poſterius; non deſunt tamen, qui defendant primum, nimirum poſſe hominem lapſum abſque ſpeciali gratia ſuperare quamcumque gravem tentationem diviſive ſumptam, ſaltem cum durat ſolum per breve tempus. Ita Ægidius *in 2. diſtinctione 28. quæſtione 1. articulo 4. poſt dubium 1. literale ad* 1. Guillelmus de Rubione eadem diſtinctione §. *Quantum ad tertium*. Ricardus *articulo 7. contra Lutherum §. Tractantur, verſ. Hæc confirmantur*. Staplet. *libro 2. de juſtificatione capite 4. & 13.* Molina, *in Concordia diſputatione* 19. *memb.* 2. Nam licèt hic Auctor ſecundùm extimam verborum ſpeciem videatur hanc difficultatem problematicè tractare; introſpectus tamen prædictam opinionem unicè amplectitur, & totis viribus defendere conatur. Pro qua refert plures Doctores, & nonnullos antiquitate, atque doctrina inſignes, quos hoc præclaro elogio reſpergit: *Apertiſſimum eſt Durandum, Scotum, & Gabrielem uſque adeo in oppoſitam partem inclinare* (nempe in eam, quæ arridet Molinæ) *ut ipſammet hæreſim Pelagianam abſque ulla pro ratione illorum temporum culpa ſequi videantur*, &c. Quibus verbis plurimùm defert Pelagio, dum illius aſſeclas ſaltem materiales recenſet Scholaſticos adeo inſignes. Non tamen levem injuriam his impingit: nam vel ſupponit illos ignoraſſe dogma Pelagianorum ab Eccleſia damnatum, & ſic eis attribuit ignorantiam ſatis craſſam, & damnandam in Doctore Theologo: vel exiſtimat (quod abſit) ipſos ſecutos fuiſſe dogma, quod damnatum eſſe ſciebant, & ita ipſos accenſet inter hæreticos. Sed addit ſtatim Molina piam ſatis excuſationem, nempe: *Abſque ulla pro ratione illorum temporum culpa*: quaſi antiquos Doctores Scholaſticos immenſa ignorantiæ caligo obvolverit; ſolis autem Modernis ſplendidiſſimus veritatis radius illuxerit. Quod an ita ſit, judicent alij, quorum intereſt prædictos Scholaſticos ab injuriis vindicare, & præcipuè Doctorem ſubtilem.

Ægidius. Guillelm. de Rubion. Ricardus. Staplet. Molina. Molina calumnia in antiquos Doctores.

Vindicatur D.Thom.

Cæterùm, quod noſtrum eſt, diſſimulare non poſſumus in prædicto Molina, quod de Angelico Doctore tradit his verbis: *Eandem ſententiam ſequitur idem Divus Thomas 1.2. quæſtione 109. artic. 8. & 9. dum docet hominem in ſtatu naturæ lapſæ ſuis viribus naturalibus vitare poſſe ſingula lethalia peccata, quemadmodum ſervare præceptum quodcumque legis naturalis in quocumque eventu, ad longum tamen tempus vitare non poſſe peccata omnia lethalia. Quæ verba affert, & expendit Sotus 1. de natura, & gratia cap. 22. concluſ. 4. & 5. ad probandam ſententiam, quam Divum Thomam ſequi affirmamus.* In quibus plura continentur apertè falſa: nam in primis falſum eſt, quod Divus Thomas in illis locis doceat poſſe hominem lapſum ſervare præceptum quodcumque legis naturalis *in quocumque eventu*: quia hæc verba neque formaliter, neque æquivalenter inveniuntur apud Sanctum Doctorem, ut ſola lectio textus evincet. Unde immeritò Molina tribuit Divi Thomæ ſententiam, quam ipſe poſtea *membr.* 6. fatetur cenſeri in variis provinciis minus tutam.

Deinde falſum eſt, quòd Sotus afferat illa verba Divo Thomæ, quæ refert Molina: quia minimè reperiuntur apud Sotum.

Tandem falſum eſt, quòd Sotus utatur verbis Sancti Doctoris ad probandam ſententiam, quam Molina aſſerit defendi à Divo Thoma: tum quia Sotus non probat ibi talem ſententiam: tum quia adducit verba Divi Thomæ ad confirmandam hanc concluſionem: *Nemo in ſtatu naturæ lapſæ valet abſque auxilio ſpeciali gratiæ vitare omne peccatum*: hæc autem non eſt ſententia, quam Divo Thomæ attribuit Molina, ſed alia longè diverſa, ut vel cæcus recognoſcet. Ne nimis autem ſcrupuloſi plus æquo videamur: quos debitus Divo Thomæ affectus ad hæc compellit, ne tantum Doctorem vel ſpecie tenus habeamus adverſum, vel illius defraudemur auctoritate. Sed his relictis.

Fundamentum ab auctoritate S Thom.

295. Probatur primò prædicta ſententia ex D.Thoma *in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 2.* ubi ad ſextum argumentum, quod ſic ſe habebat: *Quicumque tentationi reſiſtit, tentantem vincit: ſed vincenti præmium æternum promittitur Apoc. 2. & 3. Cum ergo ad præmium æternum nullus ſine gratia venire poſſit, videtur, quod nec ſine ea aliquis poſſit tentationi reſiſtere peccatum vitando*: reſpondet S. Doctor in hunc modum: *Ad ſextum dicendum, quod aliud eſt reſiſtere peccato, & aliud victoriam de peccato habere. Quicumque enim vitat peccatum, peccato reſiſtit. Unde hoc poteſt fieri etiam ſine gratia, nec oportet, quòd tunc homo reſiſtendo peccato mereatur præmium æternum. Sed ille propriè vincit peccatum, qui poteſt pertingere ad hoc, contra quod eſt pugna peccati: hoc autem non poteſt eſſe niſi in eo, qui opus meritorium operatur: unde talis victoria vitam æternam meretur, & ſine gratia non fit.* Ergo ex mente D. Thomæ licèt ſit neceſſaria gratia ad vincendum gravem tentationem per victoriam meritoriam; non tamen ut illi homo lapſus reſiſtat abſolutè, & citra meritum.

Confirmatur primò. D. Thom.

Confirmatur primò ex eodem Sancto Doctore *quæſtione 24. de veritate articulo* 12. ubi proponit hoc argumentum, quod eſt in ordine duodecimum

decimum: *Auguſtinus in libro retractat. dicit: Cogenti cupiditati voluntas reſiſtere non poteſt: ſed cupiditas ad peccatum inducit: ergo voluntas humana ſine gratia non poteſt peccatum vitare.* Ad quod reſpondet: *Dicendum, quod cupiditas non poteſt intelligi eſſe cogens abſolute liberum arbitrium: quia ſemper eſt liberum à coactione: ſed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis: cui tamen poteſt reſiſti, licet cum difficultate.* Cupiditas autem vehementer inclinans affert ex ſe gravem tentationem: ergo ſi poteſt quis abſque gratia, licèt cum difficultate reſiſtere prædictæ cupiditati, pariter poterit ſuperare gravem tentationem. Quod amplius exprimit Divus Thomas *loco citato ad 23.* his verbis: *Dicendum, quòd deſertus à luce gratiæ neceſſe eſt, ut aliquando cadat, non tamen neceſſe eſt, ut in qualibet tentatione ſuccumbat.*

Secundo. D.Thom. Confirmatur ſecundò ex eodem Divo Thomà *in hac 1. 2. quæſtione 10. articulo 3. ad 1.* ubi inquit: *Dicendum, quod etſi voluntas non poſſit facere, quin motus concupiſcentiæ inſurgat, de quo Apoſtolus dicit Romanorum 7. Quod odi malum, illud facio, id eſt, concupiſco: tamen poteſt voluntas non velle concupiſcere, & ſic non ex neceſſitate ſequitur concupiſcentiæ motum.* Et in corpore dixerat: *In quantum ratio manet libera, & paſſioni non ſubjecta, in tantum voluntatis motus, qui manet, non ex neceſſitate tendit ad hoc, ad quod paſſio inclinat. Et ſic aut motus voluntatis non eſt in homine; ſed ſola paſſio dominatur: aut ſi motus voluntatis ſit, non ex neceſſitate ſequitur paſſionem.* Ergo ex mente Divi Thomæ, vel tentatio tollit libertatem, & infert neceſſitatem, ac proinde excuſat à peccato; vel relinquit potentiam ſufficientem, ut voluntas illam rejiciat abſolutè, & independenter à gratia: alias ſibi relicta neceſſitaretur ad conſentiendum.

Ad fundamentum. Ferrara. 296. Ad primam auctoritatem deſumptam *ex libro 2. ſententiar.* poſſumus reſpondere cum Ferrara *3. contra gent. capite 160. §. Advertendum tamen*, & cum Hiſpalenſi *in 2. diſtinct. 28. quæſtione 1. articulo 3. notabil. 1.* in fine, *quod de hac concluſione* (inquit Deza) *Sanctus Thomas* Deza. *aliter videtur ſentire in primo opere, ſcilicet in ſcriptis ſuis ſuper Magiſtrum ſententiarum, & aliter in ſecundo opere, videlicet in ſummis, & in quæſtionibus de Veritate, ac in quodlibet, & in aliis, quæ poſt ſcripta ſuper ſententias edidit. Verum eſt tamen, quod quibuſdam diſtinctionibus, & suppletionibus, aut determinationibus poſſent utraque dicta ad concordem ſenſum trahi. Sed quia id non videtur eſſe de mente ipſius, prætermittimus, tenentes illa, quæ poſt ſcripta ſuper ſententias in pluribus locis ſcripturæ ſuæ docuit. Ubi ſicut nobis apparet, corrigere voluit, quæ prius dixerat.*

Secundò & fortè meliùs reſpondetur Sanctum Doctorem ſolum excludere neceſſitatem gratiæ habitualis pro victoria gravis tentationis; minimè verò neceſſitatem gratiæ auxiliantis. Quod ſatis apertè deducitur ex ipſo textu: tum D. Thom. quia in fine corporis ſic concludit Divus Thomas. *Peccatum autem committendum poteſt homo vitare etiam ſine gratia, quantumcumque in peccato mortali exiſtat. Si tamen gratia intelligatur aliquis habitus infuſus, & non ipſa divina voluntas, per quam omnia bona cauſantur, & mala repelluntur.* Nomine autem divinæ voluntatis circumſcribit omnia auxilia, quibus movemur à Deo. Tum etiam ratione: quia Sanctus Doctor ſolùm intendit, quod ad reſiſtendum gravi tentationi abſolutè non ſit neceſſaria illa gratia, quæ per ſe requiritur ad meritum vitæ æternæ, ut conſtat ex ipſa litera; hujuſmodi autem eſt gratia ſanctificans: unde iſtius præciſe neceſſitatem excludit.

Et eodem modo occurrendum eſt teſtimoniis primæ confirmationis: nam ibi ſolummodo neceſſitatem gratiæ habitualis, ut conſtat ex corpore articuli in fine, ubi inquit D. Thomas. *Sic verificantur Doctorum ſententiæ, quæ circa hoc variè videntur. Quorum quia tamen dicunt hominem abſque habituali gratia gratum faciente poſſe peccatum mortale vitare; quamvis non ſine divino auxilio, quod hominem ſua providentia ad bona agenda, & mala vitanda gubernat*, &c. Idemque evidentius apparet *in reſponſione ad 17.* & ex iis, quæ tradit *in præſenti articulo 8.* in corpore, ubi quæ alibi minus expreſſe tradiderat, perſpicuè docet his verbis: *Antequam hominis ratio, in qua eſt peccatum mortale, reparetur per gratiam juſtificantem, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundùm aliquod tempus*, &c. Unde prædicta teſtimonia nobis minimè adverſantur: quia ad victoriam cujuſvis gravis tentationis non aſſerimus eſſe neceſſariam gratiam habitualem, ſed aliquam gratiam. *Ad primam confirmationem.* D. Thom.

Auctoritates ſecundæ confirmationis (quas tanti fecit Molina, ut dixerit Divum Thom. non ſequi ibidem ſuam ſententiam *apertè, & ſine ulla obſcuritate*) nihil convincunt: quoniam Sanctus Doctor ſolùm excludit à voluntate, cum paſſionibus urgetur, neceſſitatem antecedentem, & abſolutam, quæ libertati opponitur; minimè autem neceſſitatem conſequentem, & ex ſuppoſitione, quæ optimè cum libertate cohæret, ut conſtabit ex dicendis. Neque ad hoc, ut voluntas liberè conſentiat tentationi, ſeu paſſioni, opus eſt, ut poſſit ei reſiſtere viribus propriis: ſed ſatis eſt, quòd valeat reſiſtere abſolutè, hoc eſt, vel per vires proprias, vel per auxilium divinæ gratiæ. Molina autem malè, & frequenter in his controverſiis peccat in eo, quod ex impotentia per vires naturæ infert impotentiam, ac neceſſitatem abſolutam; cùm deberet attendere ad vires gratiæ, vel datæ, vel ſaltem promiſſæ: quam quia inviſam habuit Pelagius, in errores adeo enormes prolapſus eſt. *Ad ſecūdam.*

297. Secundò arguitur ratione, quæ eſt in hac materia principalis: quoniam ſi homo lapſus non haberet vires ſufficientes ad reſiſtendum gravi tentationi, non peccaret illi ſuccumbendo; cùm nemo peccet in eo, quod evitare non valet: conſequens eſt abſurdum, ut conſtat tum ex ſe, tum ex dictis *à num. 261.* ergo dicendum eſt, quòd homo lapſus habet vires ſufficientes ad ſuperandam quamcumque gravem tentationem diviſim ſumptam. *Primum argumentum.*

Huic argumento variè occurrunt Auctores noſtræ ſententiæ, quorum ſolutiones operæ pretium duximus in medium afferre, ut ex earum examine, & vires argumento propoſito accedant, & appareat legitima via ad illud diluendum. In primis ergo Alvarez, Arauxo, Godoy, Gonet, & alij reſpondent negando ſequelam: quia ut homo abſolutè teneatur ad aliquid, illudque omittendo peccet, ut poſſit illud præſtare per vires gratiæ, quamvis nequeat per vires proprias, ut conſtat in obligatione eliciendi actus ſupernaturales. Homo autem lapſus, licèt non habet ex ſe vires ſufficientes ad reſiſtendum gravi tentationi, poteſt tamen illam ſuperare virtute *Quorundam reſponſio.* Alvarez. Arauxo. Godoy. Gonet.

divini auxilij ſibi gratuito communicati, vel ſaltem præparati, ac promiſſi. Unde quòd tentationi cedat, illius culpæ tribuendum eſt.

Diſplicet. 298. Cæterùm quamvis hæc reſponſio contineat veram doctrinam, & minimè aliàs contemnendam, difficultati tamen propoſitæ non ſatisfacit. Primò: quoniam etſi plures homines lapſi cognoſcant divinam gratiam eſſe ſibi præparatam, & promiſſam, poſſintque ad illius adjutorium recurrere; nonnulli tamen ſunt, qui gratiæ pro victoria gravis tentationis præparationem, immo & poſſibilitatem invincibiliter ignorant: quales ſunt omnes, qui laborant infidelitate negativa. His autem non magis prodeſt gratia præparata, ac promiſſa, ut ex vi illius dicantur aliquid poſſe, quàm ſi præparata, vel promiſſa, immo & poſſibilis non eſſet: quoniam ut aliquis dicatur poſſe per amicum, quod per ſe non poteſt, oportet, ut cognoſcat amicum, illiuſque ſubſidium valeat expoſcere. In his igitur infidelibus negativè urget argumentum factum: quia cùm non dicantur poſſe vincere tentationes per gratiam, ſequitur, quod ſi nequeant per vires proprias, habeant impotentiam abſolutam ad reſiſtendum. Videantur quæ diximus dub. 3. numero 110. & in hoc dub. num. 265. quibus poterit impugnatio facta amplius roborari.

Secundò & præcipuè (etiam admiſſo, quod omnes adulti aliquam gratiam ſupernaturalem auxiliantem reipſa recipiant: de quo infra *diſp.6. dub. 3.*) non ſatisfacit adducta reſponſio: quoniam licèt de facto Deus homini lapſo det, vel promittat gratiam, & queat reſiſtere gravibus tentationibus; attamen potuit, ſalva providentia communi, prædictam gratiam omnino denegare: quippe, quæ non connectitur neque cum natura ſecundùm ſe, ut liquet, neque cum natura ut lapſa; aliàs hæc commodum ex peccato reportaret, & gratia non eſſet gratia. Demus igitur, ut fieri potuit, quòd Deus hominem condiderit in puris, & quod hic fuerit in peccatum lapſus. Tunc vel homo ita lapſus non haberet potentiam ad reſiſtendum gravibus tentationibus, quæ poſt lapſum illi occurrerent: & ſic minimè peccaret non reſiſtendo, perſtatque argumentum factum. Vel haberet potentiam: & ita habebit illam ex ſe, & ſecundùm proprias vires; cùm in hypotheſi facta, nullum gratiæ detur, aut promittatur auxilium. Ergo recurſus ad gratiam datam, vel promiſſam eſt inſufficiens, ut argumento propoſito occurratur.

Suarii reſponſio. 299. Unde aliter reſpondet Suarez *lib. 1. capite 24. à numero 28.* nempe impotentiam hominis lapſi ad ſuperandas graves tentationes non eſſe phyſicam: quia hæc inferret neceſſitatem abſolutam, & auferret libertatem, quoad exercitium, ſed eſſe impotentiam moralem, id eſt, debilitatem quamdam mentis, & voluntatis ad conſtanter operandum. Deinde *numero* 34. in fine obſervat, prædicta impotentia moralis non eſt reſpectu alicujus inſtantis determinati, pro quo durat tentatio: quia ad peccandum mortaliter, inquit, neceſſaria eſt potentia moralis vitandi peccatum ſaltem per eo tempore, vel momento, quo peccatur, quia debet actus eſſe humanus. Quamobrem concludit *numero ſequenti*, quòd homo lapſus habet potentiam phyſicam ad reſiſtendum gravi tentationi, quamvis longo tempore duret, caret tamen potentia morali ad reſiſtendum per longum tempus. Sed quia pro ſingulis illius temporis momentis diviſivè ſumptis habet ſimul cum potentia phyſica potentiam etiam moralem ad reſiſtendum, idcirco illi imputatur, quod non reſiſtat.

Hæc tamen ſolutio in pluribus deficit, & tandem argumento non ſatisfacit. Nam in primis vel nomine impotentiæ moralis intelligitur carentia virium ad reſiſtendum, vel magna difficultas in reſiſtendo. Si primum, ergo prædicta impotentia eſt non ſolùm moralis, ſed etiam phyſica: quia nomine impotentiæ phyſicæ nil aliud intelligimus, quam carentiam virium ad aliquid præſtandum. Si ſecundum: ergo homo lapſus poteſt ſimpliciter abſque gratia, quamvis ægrè, & cum difficultate ſuperare gravem tentationem: & conſequenter gratia non erit ſimpliciter neceſſaria ad vincendum abſolutè, ſed ſolum ad faciliùs vincendum. Quod tamen ut ipſe Suarius fatetur *num.* 30. videtur accedere ad Pelagianum errorem. *Reſellitur.*

Deinde falſum eſt, quod in illo tempore, vel momento, in quo homo conſentit gravi tentationi, habeat ex ſe, & abſque gratia potentiam tam phyſicam, quàm moralem ad reſiſtendum. Quoniam ſi in illo tempore, vel momento adeſt homini ad reſiſtendum tanta, & tam expedita potentia, reſiſtentia actualis gravis tentationis erit actus valde porportionatus prædictæ potentiæ; & conſequenter non gratuitò habitus: dabitur ergo aliquando in homine lapſo victoria gravis tentationis abſque gratia, quod tamen Suarez non audet apertè concedere.

Præterea hic Auctor docens, quod licèt homo non habeat abſque gratia potentiam moralem ad reſiſtendum gravi tentationi pro toto tempore, quo durat, bene autem pro ſingulis momentis: nomine momenti non poteſt rationabiliter, intelligere aliquod inſtans mathematicum, ſed illam durationem, quæ requiritur, ut tentatio gravis proponatur, & homo deliberet. Nam ipſe *numero* 23. docet: *omnem tentationem gravem includere aliquam temporis moram, & perſeverantiam: nam ſi uno tantùm momento temporis duret, non æſtimabitur ſimpliciter gravis, quantumvis intenſa videatur, dummodo poteſtatem & phyſicam, & moralem conſiderandi, & deliberandi relinquat.* Demus ergo, quòd tentatio gravis non durat, niſi pro illo tempore, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad hoc, ut tentatio ſit gravis, & citra quod, hoc eſt, in minori tempore, non eſſet gravis. Vel pro illo igitur tempore habet homo potentiam tam phyſicam, quàm moralem ad reſiſtendum, vel non? Si primum: ergo reſiſtentia actualis habebitur adæquatè per vires proprias arbitrij, & independenter à gratia.

Si ſecundum: ergo falsò dicitur, quòd habet homo potentiam moralem ad reſiſtendum gravi tentationi licèt non pro toto tempore, quo durat, bene tamen pro ſingulis inſtantibus: ſiquidem prædicta tentatio indiget toto illo tempore, ut ſit gravis, & alias gravis non eſt, ut liquet ex hypotheſi facta. Recolantur ſupra dicta *numero* 259. ubi radicem hujus reſponſionis extirpavimus.

300. Tertio Vaſquez *diſputatione* 189. *capite* 20. *numero* 174. reſpondet, quòd tentatio gravis movet quidem neceſſariò voluntatem hominis lapſi; at non neceſſitate antecedente, & cum omnimoda determinatione arbitrij, ſed ſola neceſſitate conſequente, & ſupponente ipſum eventum. Porro licèt neceſſitas antecedens excludat potentiam ad oppoſitum, & excuſet à peccato; neceſſitas tamen conſequens minimè excuſat, cùm ſolùm ſit neceſſitas ſecundùm quid, innitaturque ſuppoſitioni liberæ. Explicat autem *Alia Vaſquii reſponſio.*

Vaſquez

Vaſquez prædictam neceſſitatem conſequentem conſiſtere in eo, quòd arbitrium contra talem tentationem non præveniatur bona cogitatione congrua, qua ſciebat Deus tentationem vincendam eſſe vel in eo, quòd Deus ſinat tentationem in tali gradu, in quo ſcit eam victurum arbitrium: ſic enim ſupponitur eventus conſentiendi in peccatum, hoc ipſo quòd ſupponatur negatio talis cogitationis præparantis, & prævenientis voluntatem, qua ſine dubio vinceretur tentatio. Hæc autem neceſſitas, cùm ponat ſcientiam Dei circa eventum; ſupponit etiam liberum eventum: ac proinde conſequens eſt, nec ullo modo noſtram libertatem impedit. Hæc prædictus Auctor, quibus exiſtimat omnia in præſenti dubio facillimè componi.

Confutatur. At hic ſatis obſcurus dicendi modus minimè ſatisfacit difficultati, ſed pluribus impugnationibus eſt obnoxius. Tum quia in præſenti non inveſtigamus quid voluntas hominis lapſi poſſit ex ſuppoſitione, quòd operetur, aut prævideatur operari; ſed quid poſſit ex ſe, & ante liberam ſuppoſitionem, quod operetur, vel operari præſciatur. Pro illo ergo priori ad operationem, & ſcientiam liberam, vel habet vires ex ſe ſufficientes ad vincendam gravem tentationem, vel non? Si primum: ergo poteſt abſque gratia illa ſuperare: quod negat Vaſquez. Si ſecundum: ergo habet impotentiam phyſicam ad reſiſtendum, ſeu neceſſitatem antecedentem ad ſuccumbendum; quod prædictus Auctor vitare contendit. Tum etiam quia priuſquam Deus per ſcientiam mediam cognoſcat, an voluntas hominis lapſi conſenſura ſit tentationi in hac occaſione; vel non; cognoſcit quid prædicta voluntas poſſit, vel non poſſit: hoc quippe non eſt aliquod objectum conditionatè futurum, quod pertinet ad ſcientiam mediam; ſed aliquid præcedens omnem futuritionem, ſpectanſque proinde ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: ergo vanus eſt recurſus ad ſcientiam mediam, cum inveſtigamus vires arbitrij. Tum deinde, quia ex oppoſito fieret hominem lapſum non habere minorem impotentiam ad ſuccumbendum tentationi, quàm ad reſiſtendum illi: & conſequenter, quod ſicut de homine lapſo dicitur, quod non poteſt reſiſtere tentationi; ita de eodem, & in eodem ſenſu diceretur, quod non valeret tentationi conſentire. Quo quid abſurdius? Sequela autem oſtenditur: nam impotentia, quam adſtruit Vaſquez ad reſiſtendum, fundatur in eo, quòd Deus prævideat conſenſum futurum, cum qua præſcientia non poteſt conjungi reſiſtentia, ſeu diſſenſus: ſed etiam Deus prævidet futuram aliquando reſiſtentiam, cum qua eſt inconjungibilis conſenſus, ſive lapſus: ergo in eodem ſenſu, in quo dicitur homo non poſſe reſiſtere tentationi, dicetur non poſſe tentationi conſentire, videlicet ex ſola ſuppoſitione libera conſenſus, vel diſſenſus futuri. Tum denique, quia ſi ex præviſione futuri conſenſus in tentationem datur impoſſibilitas ad reſiſtendum, & neceſſitas ad lapſum: ergo ex ſuppoſitione contrariæ præviſionis adeſt homini potentia tam phyſica, quàm moralis, tam antecedens, quàm conſequens ad reſiſtendum: ergo non eſt neceſſaria aliqua gratia intrinſeca adjuvans vires voluntatis, ut ſuperet gravem tentationem; ſed ſufficit illa extrinſeca ſuppoſitio, quod Deus per ſcientiam mediam non prævideret futurum eſſe conſenſum. Talem autem gratiam non negaret Pelagius.

Mens Vaſquij impugnatio. Confirmatur primò: quoniam Vaſquez numero 176. docet, *Quod de quavis tentatione occurrente, quæ re ipſa vincit arbitrium, verè dicimus poſſe arbitrium ei non conſentire poſſibilitate ex parte cauſæ; non conſiderata ſcientia Dei, & menſura cogitationis cum arbitrio, quæ ſine hac ſcientia non fit: ſcientia autem Dei ſequitur eventum noſtræ voluntatis.* Atqui ſcientia media, nec dat, nec aufert vires voluntati humanæ; cùm non ſit factiva objecti: ergo ſi conſiderata poſſibilitate ex parte cauſæ, adſunt ei vires ſufficientes ad non conſentiendum tentationi; ſequitur, quòd gratia nullas det vires ad ei reſiſtendum; ſed talis gratia adæquatè conſiſtet in eo, quòd Deus non prævideret conſenſum futurum. Quod autem Deus non præſciverit conſenſum eſſe futurum, ortum ducit ex ipſo libero arbitrio ut non conſenſuro in tali hypotheſi; ſi quidem in via admittentium ſcientiam mediam non ideo aliquid eſt futurum, quia prævidetur à Deo; ſed è converſo ideo præſcitur, quia futurum eſt. Ergo totam gratiam, ſi quæ datur in tali caſu, refundit Vaſquez in vires proprias arbitrij lapſi non conſenſuri in tali hypotheſi, nec conſentientis in actu. Unde teſtimonia Conciliorum, & Patrum, quæ luculenter hic Auctor congeſſit ad convincendam neceſſitatem gratiæ pro victoria gravium, immo & levium tentationum evincent duntaxat gratiam, & adjutorium Dei conſiſtere in eo, quòd homo prævideatur non conſenſurus, Neſcimus autem qualiter hoc mereatur vel nomen gratiæ; cùm ex ſuppoſitione, quod homo non ſit conſenſurus, id neceſſariò prævideatur à Deo.

Urgetur impugnatio. Confirmatur ſecundò ex his, quæ habet Franciſcus Suarez *capite* 24. *citato numero* 27. quæ tranſcribere voluimus, ne quaſi extranei opinionem Vaſquij ſugillare videamur. *Hic vero occurrunt Auctores ponentes hanc gratiam in ſola cogitatione congrua, & habente congruitatem ex ſola præſcientia propter futurum effectum, quem ſupra etiam congruitatem tantùm conſequentem appellavimus. Occurrunt, inquam, & fatentur poſſe quidem contingere, ut liberum arbitrium reſtiturum ſit in aliqua occaſione per vires ſolius arbitrij honeſta aliqua cogitatione naturali excitati: & tunc id præſcire Deum. Et nihilominus reſiſtentiam illam non fieri ſine gratia: quia jam illa cogitatio eſt congrua, & gratis datur. Veruntamen jam revolvimur in id, quod ſæpe dictum eſt, hoc modo defendi gratiam nomine, non re, neque ſecundum mentem Patrum, ſed magis Caſſiani, & ſequacium: quia illa cogitatio ſola, ſi eſt merè naturalis, & ex generali curſu cauſarum, non eſt gratia, ſed doctrina congrua: & conſequenter ſi cum illa ſola poteſt cum effectu vinci tentatio, licèt hoc Deus præſciat; profectò ſciet vincendam eſſe viribus naturæ, non gratiæ, ſicut Proſper dixit contra Caſſianum.* Hæc Suarez, quibus nihil oportet addere.

Legitima argumenti ſolutio. 301. His ergo, & aliis modis dicendi relictis, quorum aliquos ſuprà impugnavimus §. 2. ad argumentum *numero* 297. propoſitum breviter reſpondetur impotentiam hominis lapſi ad vincendam gravem tentationem eſſe impotentiam phyſicam, & nihilominus teneri hominem ad reſiſtendum gravi tentationi, illique ſuccumbendo peccare: eo quòd prædicta impotentia non eſt ſimpliciter antecedens, quæ libertati repugnat, ſed eſt abſolutè conſequens, & orta ex ſuppoſitione libera, ac voluntaria homini lapſo, ac proinde quæ nec tollit libertatem, nec

hominem reddit immunem à tranſgreſſione præcepti. Cùm enim prædicta impotentia ortum ducat ex averſione ab ultimo fine honeſto, & converſione ad bonum proprium peccantis, & homo tàm averſionem, quàm converſionem liberè conſtituerit, ac voluntariè conſervet: & ſimul habeat poteſtatem antecedentem ad converſionem naturalem in Deum ultimum finem juxta dicta *dubio quarto*, fit, quòd prædicta impotentia non ſit antecedens, & ex ſe determinans voluntatem, ſed conſequens liberam voluntatis determinationem. Unde non inducit neceſſitatem abſolutam, ſed dumtaxat quaſi conditionatam, & ex ſuppoſitione, quòd quis peccet mortaliter, & velit in peccato mortali permanere. Quæ reſponſio ſumitur ex Divo Thoma 3. *contra gentes capite* 160. *numero tertio*, ubi diluit ſimilem objectionem his verbis: *Quamvis autem illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent, vel ponant, ut oſtenſum eſt, niſi auxilio gratiæ præveniantur: nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur: ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quòd per ebrietatem committit, quam ſua culpa incurrit.* Et ſimilia habet Divus Bonaventura *in* 2. *diſtinct.* 28. *articulo* 1. *quæſtione ſecunda*, ubi inquit: *Dicendum, quod de aliqua tentatione per ſe non poteſt: ſi tamen conſentiat, non eſt à culpa immunis: quia ex propria ſua culpa devenit in illam neceſſitatem. Et hoc eſt, quod dicit Auguſtinus, quòd quia homo noluit vitare peccatum dum potuit, inflictum eſt ei, quod non poſſit, cùm velit.*

D. Thom.

D. Bonavent.

Illuſtratur amplius.

Quod poteſt explicari ex his, quæ ſupra diximus *dubio citato*, ubi ſtatuimus hominem lapſum non poſſe abſque gratia diligere Deum Auctorem naturalem amore efficaci, & ſuper omnia; & nihilominus teneri independenter à gratia data, aut promiſſa ad prædictum amorem, illumque omittendo peccare: eo quòd prædicta impotentia non eſt antecedens, ſed conſequens, & conſiſtens in impedimento peccati, quod liberè appoſitum eſt, & conſervatur. Ita in præſenti, quamvis homo lapſus habeat impotentiam phyſicam ad reſiſtendum gravi tentationi; adhuc tamen tenetur illam ſuperare: quia prædicta impotentia non eſt antecedens, ſed conſequens ad objectionem liberam debiti finis, & converſionem ad pravum. Objectiones autem, quæ poſſent huic dicendi modo in præſenti opponi diluimus majori ex parte loco citato: unde non oportet in eis enodandis amplius immorari.

Replica.

302. Adhuc tamen inſtabis: nam licèt impotentia conſequens voluntarium perſonale non excuſet à peccato; tamen impotentia conſequens voluntarium in alio, qualis eſt illa, quæ derivatur ex peccato originali, excuſat: alioquin nemo excuſaretur ab omiſſione actuum ſupernaturalium, pro quibus requiritur ſupernaturalis gratia, quam amiſimus in Adam: quod eſt falſum, ut infra *diſputatione ſexta*, *dubio primo*, contra Cornelium Janſenium dicemus. Conſtat autem, quòd ut homo ſit in ſtatu naturæ lapſæ, ſufficit voluntarium in alio, ſeu peccatum originale. Ergo impotentia ex hoc peccato proveniens excuſabit hominem lapſum à peccato, dum gravi tentationi ſuccumbit.

Diluitur.

Reſpondetur primò neminem adultorum poſſe ſecundùm communem providentiam habere peccatum dumtaxat originale, ſed ſimul habere aliquod perſonale grave, quod etiam fundat impotentiam conſequentem ad reſiſtendum, ut ſtatuimus *Tract.* 13. *diſputatione* 2c. *dub.* 2. Unde hac via nequit excuſatio prætendi. Accedit, quòd antequam homini occurrat gravis tentatio, fit per voluntarium perſonale impotens ei reſiſtere: quia omnes in originali concepti, niſi per gratiam ſanentur, peccant infallibiliter in primo uſus rationis inſtanti, non ſe convertendo ad Deum ultimum finém naturalem, quod facere poſſunt, & debent, ut ſupra explicuimus *numero* 156. Ante illud verò momentum, immò & in ipſo nulla gravis tentatio urget, ut diximus *numero* 288. Et ſic gravis tentatio, & in eam conſenſus ſemper ſupponunt impotentiam conſequentem aliquod voluntarium perſonale.

Reſpondetur ſecundò doctrinam illam contra Janſenium loco citato ſtatuendam habere locum in præceptis ſupernaturalibus poſitivis: ad quorum adimpletionem, ſecluſa gratia, nulla relinquitur poteſtas conſequens, vel antecedens in natura: quocirca ſimilis impotentia, dum conſequitur voluntarium præcisè in alio, excuſat à novo peccato perſonali in non adimpletione ſupernaturalium præceptorum, ſi nulla gratia conferatur, aut ſaltem offeratur, ut ibidem explicabimus. Sed hæc doctrina non habet locum in præſenti: ubi ſimul cum impotentia conſequenti orta ex peccato vel originali, vel perſonali adeſt poteſtas antecedens tum ad amorem Dei ultimi finis naturalis ſuper omnia, tum eo amore mediante ad gravis tentationis victoriam. Potentia autem antecedens ſufficit, ut non operanti imputetur peccatum. Unde ſicut ob hanc rationem homo lapſus non excuſatur à culpa, cùm prædictum amorem, inſtante præcepto, omittit, ita neque excuſatur cum gravi tentationi contra legem naturalem ſuccumbit.

§. VII.

Satisfit aliis ejuſdem opinionis argumentis.

303. Tertiò arguitur: quoniam gravis tentatio hominis lapſi non tollit, ut ſupponitur, indifferentiam judicij, ſive uſum rationis; alias non foret tentatio, niſi valde materialiter: ſed ſtante indifferentia judicij, poteſt voluntas ex ſe quamcumque extremorum partem eligere; cùm prædicta judicij indifferentia ſit radix libertatis in voluntate: ergo ſicut homo lapſus poteſt liberè ex ſe conſentire tentationi; ita poterit liberè ex ſe ei diſſentire, ac reſiſtere: ergo non eſt neceſſaria ſpecialis gratia ad reſiſtendum. *Aliud ejuſdem ſententiæ motivum.*

Confirmatur: quia tam conſenſus, quam diſſenſus poſſunt eſſe actus entitativè naturales, contenti in virtute proximè activa voluntatis hominis lapſi, eidemque proinde proportionati: ſed voluntas non indiget gratia ad eliciendum actum entitativè naturalem, ſibique proportionatum, atque in ſua virtute præcontentum, ut ex ſe conſtare videtur, & poteſt inductivè oſtendi in aliis potentiis reſpectu ſuorum actuum: ergo licet urgeat gravis tentatio, poteſt voluntas ex ſe, & abſque gratia elicere actualem diſſenſum, quo tentationem rejiciat.

Ad argumentum reſpondemus præclaris verbis D.Tho

D. Thomæ *queſt.* 14. *de Veritate art.* 12. *in corpore*, ubi inquit: *Homo autem, qui eſt in peccato mortali, habitualiter peccato inhæret. Quamvis enim non ſemper habeat habitum vitij: quia ex uno actu luxuriæ habitus non generatur; voluntas tamen peccantis derelicto incommutabili bono, bono commutabili quaſi fini adhæſit. Et hujuſmodi adhæſionis vis, & inclinatio in ea manet, quouſque iterato bono incommutabili quaſi fini inhæreat. Et ideo quando homini ſic diſpoſito occurrit aliquid faciendum, quod præcedenti electioni conveniat, repentè fertur in illud per electionem, niſi per multam deliberationem ſeipſam cohibeat. Nec tamen per hoc, quod ſic repentè illud eligit, à peccato mortali excuſatur: quòd aliqua deliberatione indiget; quia deliberatio illa ſufficit ad peccatum mortale; quæ perpenditur id, quod eligitur, eſſe peccatum mortale, & contra Deum. Iſta autem deliberatio non ſufficit ad retrahendum eum, qui eſt in peccato mortali. Non enim retrahitur aliquis ab aliquo agendo, in quod inclinatur; niſi in quantum illud ſibi proponitur, ut malum. Ille autem, qui jam incommutabile bonum repudiavit pro commutabili bono, non jam exiſtimat ut malum à bono incommutabili averti, in quo ratio peccati mortalis perficitur. Unde non retrahitur à peccando per hoc ipſum, quod advertit aliquid eſſe peccatum mortale, ſed oportet ulterius in conſiderando procedere, quouſque perveniatur ad aliquid, quod non poſſit non exiſtimare malum, ſicut eſt miſeria, vel aliquid hujuſmodi. Unde antequam tanta deliberatio fiat, quanta requiritur in homine ſic diſpoſito ad vitandum peccatum mortale, præcedit conſenſus in peccatum mortale*, &c. Itaque aliud eſt loqui de advertentia ſufficienti ad peccandum; & aliud de conſideratione deſiderata ad evitandum peccatum: & multò minor advertentia ſufficit, ut quis peccet, quàm ſit conſideratio requiſita, ut peccatum propulſet. Quoniam ad peccandum ſatis eſt cognoſcere, quòd aliquid eſt contrarium rationi; & nihilominus illud amplecti: ad vitandum verò peccatum, maximè cùm quis vehementer incitatur ad illud, deſideratur, quòd attenta, & alta conſideratione perpendat plura motiva ad illud effugiendum: aliàs inclinatio ad ipſum prævalebit, & voluntatem trahet ad conſenſum. Cùm ergo homo lapſus vehementer tentatur, habet quidem ſufficientem uſum rationis ad cognoſcendum malum; ſed non habet ſufficientem conſiderationem, & affectum ad bonum, ut tentationi efficaciter reſiſtat, niſi adjuvetur per gratiam. Et ideo licèt retineat libertatem propter indifferentiam judicij; nihilominus facultas eligendi reſpectu conſenſus in tentationem eſt velut virtus omnino proxima, & expedita: at reſpectu diſſenſus, ſeu reſiſtentiæ ſolùm eſt potentia radicalis, & proximè impedita. Quod impedimentum non excuſat à culpa: quia voluntariè apponitur, & conſervatur.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd licèt reſiſtentia gravis tentationis ſit actus entitativè naturalis, & contineatur radicaliter in virtute voluntatis creatæ: nihilominus non eſt actus proportionatus voluntati lapſæ, & infirmæ per peccatum; ſed duntaxat voluntati ſanæ per amorem boni honeſti, aut ſaltem non infirmæ per culpam. Et ratio differentiæ conſtat ex dictis. Poteſtque declarari exemplo amoris efficacis, & ſuper omnia Dei Auctoris naturalis, qui eſt actus entitativè naturalis, ac proinde præcontentus in potentia naturali voluntatis: & nihilominus ex ſuppoſitione, quòd voluntas ſit affecta peccato mortali, nequit abſque gratia elicere prædictum actum; atque explicare in actu propriam virtutem radicalem, ut ſupra oſtendimus *dub.* 4. Ita in præſenti, licèt voluntas præcontineat in ſua virtute reſiſtentiam gravis tentationis, nequit tamen, quandiu eſt averſa à bono rationis, in eam prorumpere, niſi adjuvetur per gratiam.

304. Dices: ut homo committat novum peccatum, & mereatur novam pœnam, debet actu habere poteſtatem ad non peccandum; aliàs defectus præſens non erit novum peccatum, ſed pœna præcedentis peccati: ſicut ſe habent defectus naturæ, qui ex peccato primi parentis ad poſteros deducuntur: ergo cùm homo lapſus ſuccumbit tentationi, vel non committit novum peccatum, quod eſt abſurdum; vel retinet potentiam ſufficientem ad vitandum peccatum; & conſequenter non indiget gratia. *Replica.*

Reſpondetur, quòd ut aliquis committat novum peccatum, ſufficit habere indifferentiam rationis, & retinere potentiam antecedentem ad vitandum peccatum, licèt careat efficacitate proxima, & expedita: præſertim quando carentia talis efficacitatis eſt voluntaria peccanti, & voluntariè conſervatur ab illo. Unde cum homo per peccatum mortale contraxerit infirmitatem ad reſiſtendum tentationi gravi hactenus explicatam, & voluntariè permaneat in illa, uſque dum convertatur ad bonum honeſtum tanquam ad ultimum finem (quæ converſio, ut *num.* 156. declaravimus, haberi non poteſt abſque gratia ſanctificante) hinc eſt, quòd carentia reſiſtentiæ non ſe habeat ut pura pœna, vel defectus conſequens peccatum præteritum; ſed ſit cum proprietate novum, & diſtinctum peccatum actuale. Et explicari poteſt exemplo ſæpius inculcato amoris naturalis Dei ſuper omnia, ad quem homo lapſus non habet potentiam proximè expeditam: & nihilominus quia retinet potentiam antecedentem, & indifferentiam judicij; & alias illud potentiæ impedimentum eſt conſequens, ac voluntarium: propterea omiſſio prædicti amoris habet rationem novi, ac diverſi peccati ab illo, per quod prædictam impotentiam contraxit. *Solutio.*

305. Quartò arguitur: quoniam licèt homo ſit valde intensè converſus ad bonum rationis, & quamvis vehemēter moveatur ad aliquod bonum faciendum, atque propoſitione prædicti boni maximopere alliciatur; poteſt nihilominus potentia antecedenti, & conſequenti, & tam remotè, quàm proximè prædictum bonum relinquere, & oppoſitum malum amplecti: ergo pariter licèt peccator ſit intenſe converſus ad bonum commutabile, & urgenter tentetur ad aliquid faciendum contra rationem, & propoſitio ad malum alliciens ſit valde intenſa, & apparens: adhuc homo habebit ex ſe potentiam remotam, & proximam, antecedentem, & conſequentem ad prædictum malum refutandum, & contrarium bonum proſequendum: ergo ſicut in caſu antecedentis non eſt contra providentiam ordinariam, quòd juſtus deficiat: ita in caſu conſequentis non erit neceſſaria ſpecialis providentia, ut peccator reſiſtat, & non cadat; & conſequenter non deſiderabitur ſpecialis gratia, ut homo lapſus gravi tentationi reſiſtat. *Proponitur quartum argumentum.*

Et confirmatur primò: quoniam homo lapſus poteſt propriis viribus ſubire mortem propter aliquod motivum temporale, ut puta ob amorem famæ perpetuæ: ergo poterit etiam propriis viribus mortem perferre ob bonum virtutis, ſaltem in aliqua materia particulari, v. g. ob bonum ca- *Triplex confirmatio.*

Digitized by Google

ſtitatis. Confirmatur ſecundò : quia hæretici ſe exponunt periculo mortis, ut defendant aliquam veritatem, quam propriis viribus, & humana fide aſſequuntur : ſed mortem ſubire pro veritatis defenſione, eſt ſuperare tentationem gravem, ut ex ſe liquet : ergo homo lapſus poteſt abſque gratia gravi tentationi reſiſtere.

Confirmatur tertiò : quia frequenter contingit, ut priuſquam labatur in peccatum, habeat aliquam virtutem acquiſitam, & valde intenſam, ut puta habitum caſtitatis ; ſed prædicta virtus manet etiam poſt peccatum, ſaltem in eſſe habitus : ergo etiam poſt lapſum inclinabit vehementer ad proprios actus, & ad reſiſtendum actibus contrariis : ergo poterit homo lapſus in vi prædicti habitus ſuperare tentationes graves illi oppoſitas.

Reſponſio ad argumentum. Ad argumentum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et diſparitas eſt ſatis manifeſta : quia hoc, quod eſt deficere, convenit creaturæ ex ſe ; atque ideo non obſtante, quod valde afficiatur ad bonum rationis, adhuc habet potentiam proximam ad illud deſerendum. Cæterum non deficere urgente gravi tentatione, non convenit naturæ lapſæ niſi ex adjutorio gratiæ : & propterea non habet ex ſe potentiam proximam ad reſiſtendum. Cujus differentiæ radix habetur ex dictis : nam gratia, quæ communiter confertur, non tollit à creatura potentiam proximam, ſive expeditam, ut avertatur à Deo, & convertatur ad finem pravum. Ex ſuppoſitione autem, quod creatura per peccatum averſa fuerit à Deo, & converſa ad bonum proprium, non habet vires ad deſtruendum illam averſionem, & converſionem : ſed id eſt proprius effectus gratiæ ſanctificantis, ut docet D. Thomas infra *quæſt.* 113. *art.* 2. Unde cùm reſiſtentia gravis tentationis viribus propriis facta ſit, ſaltem interpretativè, converſio ad bonum honeſtum tanquam ad ultimum finem, ut ſupra diximus *num.* 282. & prædicta converſio repugnet in ſenſu compoſito naturæ lapſæ : propterea hæc non retinet potentiam proximam, ſive expeditam, ut gravi tentationi reſiſtat.

Ad 1. confirmationem. Ex quibus patet ſolutio ad primam confirmationem : nam quod aliquis vitam expendat ob aliquod motivum temporale, aut ſenſibile, minimè expoſcit ullam converſionem, & affectum ad bonum rationis : neque habet rationem actus honeſti, ſed potiùs peccaminoſi ; cùm ſit contra prudentiam mortem ſubire ob gloriam mundanam, vel alia vilia motiva. Quo ſenſu dixit Au- D. Auguſt. guſtinus *lib.* 4. *contra Iulianum cap.* 4. *Quod autem fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt. Poſſunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus, à quibus fiunt. Bonum eſt enim, ut ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti : ſed ille, qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis, quam Dei facit, non bene bonum facit : quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit. Abſit enim, ut ſit, vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in ſeipſa, non in Domino gloriatur.* Et infra loquens de illis, qui vitam pro patria videntur periculis expoſuiſſe, eorum virtutes contemnit his verbis: *Minus enim Fabricius, quàm Catilina punietur, non quia ille bonus, ſed quia iſte magis malus ; & minus impius, quam Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, ſed à veris virtutibus non plurimum deviando. An fortè, & iſtis, qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute civili non vera, ſed veroſimili dæmonibus, vel humanæ gloriæ ſervierunt, Fabricius videlicet, & Regulis, & Fabiis, & Scipionibus, & Camillis, cæteriſque talibus*, &c. Ex quibus liquet quòd ad prædicta, cùm ſint peccaminoſa, non deſideratur, nec concurrit gratia Dei, ſed ſola defectibilitas creaturæ, quæ pluris inordinatè facit humanam famam, quam vitam. Mortem autem perferre ob purum bonum virtutis claudit converſionem efficacem ad prædictum bonum tanquam ad ultimum finem, qui ſupra vitam, & alia temporalia diligitur. Unde cùm hujuſmodi converſio haberi abſque gratia non valeat ; ſequitur hanc eſſe neceſſariam ad prædictam victoriam, & alias ſimiles. Addendum eſt, quòd gratis admiſſo, & non conceſſo, quòd Gentiles aliquando obtinuerint gravis alicujus tentationis victoriam honeſtam, & ſecundùm rectam rationem fortiter pro patria, aut alio honeſto fine occubuerint ; minimè concedendum eſt, quòd hæc præſtiterint abſque aliquo ſpeciali auxilio : quòd duplici titulo habuit rationem gratiæ : tum quia indebitum erat ; tum quia connaturaliter debebat ſupponere juſtitiam naturalem, aut ſupernaturalem, juxta ea, quæ diximus *num.* 291. & Gentiles utraque carebant.

Per quod etiam ſolvitur ſecunda confirmatio: *Ad ſecundam.* nam hæreticus non moritur pro aliqua veritate Catholica, quia veritas in re ſit, vel quia Catholica ſit ; cùm eodem animo, & diſpoſitione mortem ſubeat pro quolibet errore, cui aſſentitur. Pertinacia ergo in proprio judicio, quod omni humano incommodo præfert, in cauſa eſt, ut parvi pendat diſpendium vitæ. Unde licèt ſufferre mortem in prædicto caſu non ſit malum ex parte materiæ ; eſt tamen malum ex parte modi : quia non moritur ob aliquod motivum determinatè bonum, ſed ob generalem pertinaciam, qua inhæret omni judicio proprio ſive vero, ſive falſo. Quamobrem mirum non eſt, quòd id præſtet viribus propriis, & abſque gratia : hæc quippè non concurrit ad actus ex aliqua parte vitioſos, ut *in Tract. de fide* oſtendemus. Videatur D. Auguſt. *lib. de Patientia cap.* 27. Videatur *D. Auguſt.* etiam Caietanus infra *quæſt.* 136. *art.* 3. ubi Mar- *Caietanus.* tino de Magiſtris ſimilia objiciens reſpondet.

Ad tertiam confirmationem dicendum eſt ha- *Ad tertiam.* bitus virtuoſos acquiſitos manere quidem in homine poſt peccatum, & inclinare, quantum eſt de ſe, ad actus ſimiles iis, per quos fuerint acquiſiti, illoſque non ſemel elicere in abſentia gravis tentationis. Cæterùm quia homo per peccatum, relicto bono virtutis, converſus eſt ad bonum proprium, etiamſi rationi contrarium ſit ; & nihil magis dominatur in ſuppoſito, quam converſio ejus ad ultimum finem, utpote de cujus ratione eſt omnia ſibi ſubjicere : & aliàs tentatio gravis vehementer impellat hominem ad malum : propterea inclinatio bonorum habituum impares, atque inſufficientes vires communicat homini, ut tentationi gravi efficaciter reſiſtat. Et ideò neceſſarium eſt adjutorium divinæ gratiæ.

306. Ultimò arguitur : quoniam gratia in- *Ultimum argumentum.* trinſeca auxiliaris ſemper eſt in ordine ad aliquem actum, ut ex ſe liquet : ſed tentatio poteſt ſuperari abſque omni actu per ſolam non exhibitionem conſenſus, ut contingeret in eo, qui graviter tentaretur ad odium Dei, vel proximi : qui proculdubio tentationem vinceret ex hoc ſolum, quod omnem actum odij ſuſpenderet : ergo non

eſt

eſt neceſſarium auxilium internum gratiæ, ut quis ſuperet gravem tentationem.

Confirmatur primò. Confirmatur primò: quia voluntas, cùm potentia libera ſit, poteſt è duobus bonis ſibi propoſitis illud eligere, quod minus bene proponitur, vel in quo non apparet tanta convenientia: ergo quamvis urgente gravi tentatione, bonum virtutis minus appareat, & minus alliciat, quàm illud bonum ſenſibile, ad quod tentatio ſtimulat; poterit nihilominus voluntas pro libito ſuo relinquere bonum ſenſibile, & proſequi bonum honeſtum.

Secundò. Confirmatur ſecundò: quoniam plura ſunt opera naturalia, quæ ob ſuam difficultatem ſatis deterrent voluntatem, & movent ad ſui omiſſionem: & tamen voluntas hominis lapſi poteſt viribus propriis exequi quodcumque opus bonum naturale, ſeu, quod idem eſt, adimplere quodlibet legis naturalis præceptum, diviſivè ſumptum, excepto præcepto amoris Dei ultimi finis, cujus adimpletio eſt inconjungibilis cum ſtatu peccati mortalis, ut ſupra diximus *dub.* 4. & 5. ergo poterit etiam reſiſtere propriis viribus cuivis gravi tentationi, quantumvis alliciat ad malum: ejuſdem quippè rationis eſt declinare à malo, & facere bonum.

Reſponſio ad argumentum. Reſpondetur argumento negando minorem: quia licèt tentatio movens ad odium Dei, ſufficienter intelligeretur devicta per ſuſpenſionem omnis actus in voluntate: nihilominus impoſſibile eſt naturaliter, quòd voluntas ſuſpendat omnem actum circa objectum cognitum, & ſufficienter ſibi propoſitum. Tum quia voluntas eſſentialiter eſt inclinatio, ac propenſio in bonum: unde infallibiliter fertur in ipſum, niſi detur aliud majus bonum, ad quod magis afficiatur: & tunc fuga ab illo importat proſecutionem iſtius, quæ abſque omni actu intelligibilis eſt. Tum etiam, quia ſicut intellectus eſt naturaliter determinatus ad operandum circa objecta, quæ repræſentantur in phantaſmatibus; & ideo cùm ſenſus communis, & phantaſia non ſunt ligata, repugnat, quòd intellectus omnem ſuam operationem ſuſpendat: ita voluntas eſt determinata circa objecta, quæ repræſentantur in intellectu; quocirca repugnat, quòd ſtante repræſentatione actuali ex parte intellectus, detur omnimoda ſuſpenſio ex parte voluntatis, ut diximus *Tract.* 13. *diſp.* 5. *dub.* 2. *à num.* 27.

Adde primò, quòd licèt voluntas ſufficienter reſiſteret proximè non eliciendo actum, nihilominus ſi ſemel illa elicientia eſt voluntaria, ac libera, deberet fieri ex motione objecti voluntatis, quod eſt bonum: prædicta autem motio actus poſitivus eſt, nempè amor boni. Ac proinde ad victoriam gravis tentationis requiritur ſaltem præſuppoſitivè actus aliquis, & pro iſto gratia.

Adde ſecundò, & melius, quòd gratis conceſſo reſiſtentiam gravis tentationis poſſe exerceri abſque omni actu; in eo tamen eventu ipſa negatio concurſus Dei ad materiale peccati haberet rationem gratiæ ſpecialis: quia homo lapſus occurrente gravi tentatione non exigit eam ſuſpenſionem novi peccati: & ipſa ſuſpenſio concurſus, ne conſentiat, habet rationem gratiæ ſpecialis, ut ſupra diximus *num.* 283.

Solutio primæ confirmationis. Ad primam confirmationem reſpondetur antecedens de eo, quod ſecundum ultimum judicium intellectus apparet minus bonum, falſum eſſe, ut explicuimus *Tract.* 10. *diſp.* 1. *dub.* 1. *à num.* 14. Quia ſicut voluntas non poteſt amare aliquid, niſi ſit bonum cognitum ab intellectu: ita nequit eligere unum objectum præ alio, niſi intellectus dictet unum eſſe melius, & eligibilius, quàm aliud. Sed quidquid ſit de hac doctrina, licet alias veriſſima; & admiſſo, quòd voluntas, metaphyſicè loquendo, poſſit aliquando eligere illud, quod apparet minus bonum, & quod minus allicit: id tamen nequit extendi ad voluntatem lapſam, & non adjutam gratia in caſu gravis tentationis. Nam cùm gravis tentatio proponat objectum, non utcumque melius, & apparentius; ſed vehementer, & obnubilando bonum oppoſitum, maximamque difficultatem importet, quæ connaturaliter ſuperari non poteſt niſi ex affectu contrario ad bonum honeſtum, qui affectus in voluntate hominis lapſi non invenitur: propterea nequit prædicta voluntas ſibi relicta tenere firmiter bonum honeſtum, & objectum tentationis efficaciter propulſare.

Diluitur ſecunda. Ad ſecundam confirmationem conſtat ex ſupra dictis *dub.* 5. ubi latè oſtendimus nullum opus bonum naturale, ſecluſa præſentia gravis tentationis, & difficultate perſeverantiæ per longum tempus, afferre notabilem difficultatem, quæ ſuperet vires voluntatis lapſæ, vel quæ poſſit difficultati gravis tentationis comparari. Unde ex eo, quòd poſſit homo lapſus efficere quodlibet opus bonum naturale diviſivè ſumptum, & pro brevi tempore, nempè cùm præceptum inſtat; minimè ſequitur, quòd valeat propriis viribus gravi tentationi reſiſtere: nam hoc poſterius addit ſupra illud difficultatem adeo magnam, quod ſuperat vim expeditam, & diſpoſitionem proximam hominis lapſi.

ARTICULUS V.

Utrum homo poſſit mereri vitam æternam ſine gratia.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur, quòd homo poſſit mereri vitam æternam ſine gratia. Dicit enim Dominus *Matth.* 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: ex quo videtur quod ingredi vitam æternam, ſit conſtitutum in hominis voluntate. Sed id, quod in noſtra voluntate conſtitutum eſt, per nos ipſos poſſumus: ergo videtur, quod homo per ſeipſum poſſit vitam æternam mereri.

Præterea, vita æterna eſt merces, vel præmium, quæ hominibus redditur a Deo, ſecundum illud *Matth.* 5. Merces veſtra multa eſt in cœlis: ſed merces, vel præmium redditur a Deo homini ſecundùm opera ejus ſecundum illud *Pſalm.* 61. Tu reddes unicuique ſecundum opera ejus: cùm igitur homo ſit dominus ſuorum operum, videtur, quod in ejus poteſtate conſtitutum ſit ad vitam æternam pervenire.

Præterea, vita æterna eſt ultimus finis vitæ humanæ: ſed quælibet res naturalis per ſua naturalia poteſt conſequi finem ſuum: ergo multò magis homo, qui eſt altioris naturæ, per ſua naturalia poteſt pervenire ad vitam æternam abſque aliqua gratia.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit *ad Roman.* 6. Gratia Dei, vita æterna: quod ideò dicitur, ſicut gloſſa ibidem dicit, ut intelligeremus Deum ad vitam æternam pro ſua miſeratione nos perducere.

Reſpondeo dicendum, quòd actus perducentes ad finem, oportet eſſe fini proportionatos. Nullus

Digitized by Google

Nullus autem actus excedit portionem principij activi. Et ideo videmus in rebus naturalibus, quòd nulla res poteſt perficere effectum per ſuam operationem, qui excedat virtutem activam, ſed ſolùm poteſt producere per operationem ſuam effectum ſuæ virtuti proportionatum. Vita autem æterna eſt finis excedens proportionem naturæ humanæ, ut ex ſupradictis patet. Et ideo homo per ſua naturalia non poteſt producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, ſed ad hoc exigitur altior virtus, quæ eſt virtus gratiæ. Et ideo ſine gratia homo non poteſt mereri vitam æternam. Poteſt tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale: ſicut laborare in agro, bibere, manducare, & habere amicum, & alia hujuſmodi, ut Auguſt. dicit in tertia reſponſione contra Pelagianos.

Ad primum ergo dicendum, quòd homo ſua voluntate facit opera meritoria vitæ æternæ: ſed ſicut Auguſt. in eo lib. dicit, ad hoc exigitur quòd voluntas hominis præparetur à Deo per gratiam.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut Gloſſ. dicit *Rom. 6.* ſuper illud: Gratia Dei, vita æterna, Certum eſt vitam æternam bonis operibus reddi: ſed ipſa opera, quibus redditur, ad Dei gratiam pertinent; cùm etiam ſupradictum ſit, quòd ad implendum mandata legis ſecundùm debitum modum per quem eorum impletio eſt meritoria, requiritur gratia.

Ad tertium dicendum, quod objectio illa procedit de fine homini connaturali. Natura autem humana ex hoc ipſo, quod nobilior eſt, poteſt ad altiorem finem perduci, ſaltem auxilio gratiæ, ad quem inferiores naturæ nullo modo pertingere poſſunt: ſicut homo eſt melius diſpoſitus ad ſanitatem, qui aliquibus auxiliis medicinæ poteſt ſanitatem conſequi: quam ille, qui nullo modo, ut Philoſophus introducit *in ſecundo de cælo.*

CONCLUSIO EST NEGATIVA.

DE hac difficultate ex profeſſo agemus infra *in Tract. de Merito diſput. 3. dub. 1.* ubi ex mente D. Thomæ determinabimus, qualis gratia ad meritum vitæ æternæ deſideretur; quod in præſenti S. Doctor expreſsè non reſolvit.

ARTICULUS VI.

Utrum homo poſſit ſeipſum ad gratiam præparare per ſeipſum abſque exteriori auxilio gratiæ.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quòd homo poſſit ſeipſum ad gratiam præparare per ſeipſum abſque exteriori auxilio gratiæ. Nihil enim imponitur homini, quod ſit ei impoſſibile, ut ſupradictum eſt: ſed Zachar. 1. dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos: nihil autem eſt aliud ſe ad gratiam præparare, quam ad Deum converti: ergo videtur, quòd homo per ſeipſum poſſit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio gratiæ.

Præterea. Homo ſe ad gratiam præparat faciendo quod in ſe eſt: quia ſi homo facit, quod in ſe eſt, Deus ei non denegat gratiam. Dicitur enim *Matth.* 7. quod Deus dat ſpiritum bonum petentibus ſe. Sed illud in nobis eſſe dicitur, quod eſt in noſtra poteſtate: ergo videtur, quòd in noſtra poteſtate ſit conſtitutum, ut nos ad gratiam præparemus.

Præterea, ſi homo indiget gratia ad hoc, quòd præparet ſe ad gratiam, pari ratione indigebit gratia ad hoc, quod præparet ſe ad illam gratiam, & ſic procederetur in infinitum, quod eſt inconveniens: ergo videtur ſtandum in primo, ut ſcilicet homo ſine gratia poſſit ſe ad gratiam præparare.

Præterea, Proverb. 16. quod hominis eſt præparare animum: ſed illud dicitur eſſe hominis, quod per ſeipſum poteſt: ergo videtur, quòd homo per ſeipſum ſe poſſit ad gratiam præparare.

Sed contra eſt, quod dicitur *Ioann.6.* Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: ſi autem homo ſeipſum præparare poſſet, non oporteret, quòd ab alio traheretur: ergo homo non poteſt ſe ad gratiam præparare abſque auxilio gratiæ.

Reſpondeo dicendum, quòd duplex eſt præparatio voluntatis humanæ ad bonum. Una quidem, qua præparatur ad bene operandum, & ad Deo fruendum: & talis præparatio voluntatis non poteſt fieri ſine habituali gratiæ dono, quod ſit principium operis meritorij, ut dictum eſt. Alio modo poteſt intelligi præparatio voluntatis humanæ ad conſequendum ipſum gratiæ habitualis donum. Ad hoc autem, quòd præparet ſe homo ad ſuſceptionem hujus doni non oportet præſupponere aliquod aliud donum habituale in anima: quia ſic procederetur in infinitum: ſed oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam moventis, ſive inſpirantis bonum propoſitum. His enim duobus modis indigemus auxilio divino, ut ſupra dictum eſt. Quod autem ad hoc indigeamus auxilio Dei moventis manifeſtum eſt. Neceſſe enim eſt, cum omne agens agat propter finem, quod omnis cauſa convertat ſuos effectus ad ſuum finem: & ideo cum ſecundum ordinem agentium, ſive moventium ſit ordo finium, neceſſe eſt, quod ad ultimum finem convertatur homo per motionem primi moventis, ad finem autem proximum per motionem alicujus inferiorum moventium: ſicut animus militis convertitur ad quærendum victoriam ex motione ducis exercitus, ad ſequendum autem vexillum alicujus aciei ex motione Tribuni. Sic igitur cum Deus ſit primum movens ſimpliciter, ex ejus motione eſt, quod omnia in ipſum convertantur ſecundum communem intentionem boni, per quam unumquodque intendit aſſimilari Deo ſecundùm ſuum modum. Unde Dion. *in lib. de. div. nom.* dicit, quòd Deus convertit omnia ad ſeipſum ſicut ad ſpecialem finem, quem intendunt, & cui cupiunt adhærere ſicut bono proprio, ſecundum illud *Pſalm.* 72. Mihi adhærere Deo bonum eſt. Et ideo quòd homo convertatur ad Deum, hoc non poteſt eſſe niſi Deo ipſum convertente: hoc autem eſt præparare ſe ad gratiam quaſi ad Deum converti. Sicut ille, qui habet oculum averſum à lumine ſolis, per hoc ſe præparat ad recipiendum lumen ſolis, quod oculos ſuos convertit versùs ſolem. Unde patet, quòd homo non poteſt ſe præparare ad lumen gratiæ ſuſcipiendum niſi per auxilium gratuitum Dei interius moventis.

Ad primum ergo dicendum, quòd converſio hominis ad Deum fit quidem per lib. arb. & ſecundùm hoc homini præcipitur, quòd ſe ad Deum convertat: ſed lib. arb. ad Deum converti non poteſt, niſi Deo ipſum ad ſe convertente. Secundùm

cundùm illud *Ierem.* 31. Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Et *Threnorum ultimo.* Converte nos Domine ad te, & convertemur.

Ad ſecundum dicendum, quòd nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moveatur, ſecundum illud *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere: & ideo cum dicitur homo facere, quod in ſe eſt, dicitur, hoc eſt in poteſtate hominis ſecundum quod eſt motus à Deo.

Ad tertium dicendum, quòd illa objectio procedit de gratia habituali, ad quam requiritur aliqua præparatio: quia omnis forma requirit ſuſceptibile diſpoſitum: ſed hoc, quod homo moveatur a Deo, non præexigit aliquam aliam motionem, cum Deus ſit primum movens, unde non oportet abire in infinitum.

Ad quartum dicendum, quòd hominis eſt præparare animum: quia hoc facit per lib. arb. ſed tamen hoc non facit ſine auxilio Dei moventis, & ad ſe attrahentis, ut dictum eſt.

Prima Conclusio.

Ut voluntas ſe præparet ad operandum meritoriè, indiget gratia habituali, quæ ſit principium meriti.

Secunda Conclusio.

Ut homo ſe præparet ad conſequendam gratiam habitualem, non indiget alio dono habituali.

Tertia Conclusio.

Ut homo ſe præparet ad conſequendam gratiam habitualem, indiget auxilio Dei moventis animam, & inſpirantis bonum.

Prima concluſio pertinet ad Tract. de Merito, ubi illam propugnabimus *diſp. 3. dub.* 1. Tertiam concluſionem late exponemus, & extendemus ad omnem diſpoſitionem etiam remotam *diſput. ſequenti dub. 6.* cum ſequenti, ubi explicabimus legitimum ſenſum illius propoſitionis, quam aſſumit argumentum ſecundum hujus articuli. *Facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam.*
Curiel. Circa ſecundam concluſionem obſervat Curiel ex ea manifeſte deduci, quod juxta ſententiam
D.Thom. D. Thomæ actus ultimò diſponentes ad gratiam ſanctificantem non procedunt ab ipſa tanquam à principio effectivo. Sed fallitur, ut oſtendemus infra *in Tract. de Iuſtificat. diſp. 3. dub. 5.* per totum ubi §. 4. explicabimus, quæ S. Doctor in præſenti affirmat: à quo proinde ſtudio nunc ſuperſedemus. Sufficiat modo adnotare illa verba D. Thomæ, quæ Curiel ſibi favere exiſtimat. *Ad ſuſceptionem hujus doni*, inquit, *non oportet præſupponere aliquod aliud donum habituale in anima: quia ſic procederetur in infinitum.* Ipſa autem gratia ſanctificans non eſt donum aliud habituale, nec ea præſuppoſita proceditur in infinitum, ſed in ea ſiſtitur. Unde ex vi hujus nequit inferri, quòd ipſa gratia habitualis non requiratur. Simillimo loquendi modo utitur D. Thomas *infra art.* 10. ubi ait: *Ad perſeverantiam habendam homo in gratia conſtitutus non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, ſed divino auxilio.* Ex quibus nemo colliget ipſam gratiam habitualem ſanctificantem non præſupponi ad perſeverantiam actualem, & non eſſe principium illius. Oppoſitum enim docet Divus Thomas, & eſt omnino certum. Idem ergo in præſenti dicendum eſt.

ARTICULUS VII.

Utrum homo poſſit reſurgere à peccato ſine auxilio gratiæ.

Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quòd homo poſſit reſurgere à peccato ſine auxilio gratiæ. Illud enim, quod præexigitur ad gratiam fit ſine gratia: ſed reſurgere a peccato præexigitur ad illuminationem gratiæ. Dicitur enim *ad Epheſios* 5. Exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus: ergo homo poteſt reſurgere à peccato ſine gratia.

Præterea, Peccatum virtuti opponitur, ſicut morbus ſanitati: ut ſupra dictum eſt: ſed homo per virtutem naturæ poteſt reſurgere de ægritudine ad ſanitatem ſine auxilio exterioris medicinæ propter hoc, quod intus manet principium vitæ, à quo procedit operatio naturalis: ergo videtur, quod homo ſimili ratione poſſit reparari per ſeipſum, redeundo de ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ abſque auxilio exterioris gratiæ.

Præterea, Quælibet res naturalis poteſt redire ad actum convenientem ſuæ naturæ: ſicut aqua calefacta per ſeipſam redit ad naturalem frigiditatem, & lapis ſurſum projectus per ſeipſum redit ad ſuum motum naturalem: ſed peccatum eſt quidam actus contra naturam, ut patet per Damaſ. in 2. lib. ergo videtur, quod homo poſſit per ſeipſum redire de peccato ad ſtatum juſtitiæ.

Sed contra eſt, quod Apoſt. dicit *ad Gal.* 2. Si data eſt lex, quæ poteſt juſtificare, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, id eſt, ſine cauſa: pari ergo ratione ſi homo habet naturam per quam poteſt juſtificari, Chriſtus gratis, id eſt, ſine ea mortuus eſt: ſed hoc eſt inconveniens dicere: ergò non poteſt per ſeipſum juſtificari, id eſt, redire de ſtatu culpæ ad ſtatum juſtitiæ.

Reſpondeo dicendum, quòd homo nullo modo poteſt reſurgere a peccato per ſeipſum ſine auxilio gratiæ. Cùm enim peccatum tranſiens actu remaneat reatu (ut ſupra dictum eſt) non eſt idem reſurgere à peccato, quod ceſſare ab actu peccati: ſed reſurgere a peccato eſt reparari hominem ad ea, quæ peccando amiſit. Incurrit autem homo triplex detrimentum peccando, ut ex ſupradictis patet, ſcilicet maculam, corruptionem naturalis boni, & reatum pœnæ. Maculam quidem incurrit inquantum privatur decore gratiæ ex deformitate peccati. Bonum autem naturæ corrumpitur, inquàntum natura hominis deordinatur voluntate hominis Deo non ſubjecta: hoc enim ordine ſublato, conſequens eſt, ut tota natura hominis peccantis inordinata remaneat. Reatus vero pœnæ eſt, per quem homo peccando mortaliter meretur damnationem æternam. Manifeſtum eſt autem de ſingulis horum trium, quod non poſſunt reparari niſi per Deum. Cum enim decor gratiæ proveniat ex illuſtratione divini luminis, non poteſt talis decor in anima reparari niſi Deo denuo illuſtrante: unde requiritur habituale donum, quod eſt gratiæ lumen. Similiter ordo naturæ reparari non poteſt, ut ſcilicet voluntas hominis Deo ſubjiciatur, niſi Deo voluntatem hominis ad ſe trahente, ſicut dictum eſt. Similiter etiam reatus pœnæ æternæ remitti non poteſt, niſi à Deo, in quem eſt offenſa commiſſa, & qui eſt hominum judex: & ideo

requi

Digitized by Google

requiritur auxilium gratiæ ad hoc, quòd homo à peccato reſurgat, & quantùm ad habituale donum, & quantum ad interiorem Dei motionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd illud indicitur homini, quod pertinet ad actum liberi arbitrij, qui requiritur in hoc, quòd homo à peccato reſurgat: & ideo cùm dicitur, Exurge, & illuminabit te Chriſtus, non eſt intelligendum, quòd tota exurrectio à peccato præcedat illuminationem gratiæ, ſed quia cùm homo per liberum arbitrium à Deo motum ſurgere conatur à peccato, recipit lumen gratiæ juſtificantis.

Ad ſecundum dicendum, quòd naturalis ratio non eſt ſufficiens principium hujus ſanitatis, quæ eſt in homine per gratiam juſtificantem, ſed hujus principium eſt gratia, quæ tollitur per peccatum; & ideo non poteſt homo per ſeipſum reparari, ſed indiget, ut denuo ei lumen gratiæ infundatur: ſicut ſi corpori mortuo reſuſcitando denuo infunderetur anima.

Ad tertium dicendum, quòd quando natura eſt integra, per ſeipſam poteſt reparari ad id, quod eſt ſibi conveniens, & proportionatum: ſed ad id, quod ſuperexcedit ſuam proportionem, reparari non poteſt ſine exteriori auxilio. Sic igitur humana natura defluens per actum peccati, quia non manet integra, ſed corrumpitur (ut ſupra dictum eſt) non poteſt per ſeipſam reparari, neque etiam ad bonum ſibi connaturale, & multo minus ad bonum ſupernaturale juſtitiæ.

Conclusio.

Ut homo reſurgat à peccato, indiget auxilio gratiæ & quantum ad habituale donum, & quantum ad interiorem Dei motionem.

De hac materia ex profeſſo agemus infra in Tract. de Juſtificat. diſp. 2. dub. 5. cum ſequent.

ARTICULUS VIII.

Utrum homo ſine gratia poſſit non peccare.

AD octavum ſic proceditur. Videtur, quòd homo ſine gratia poſſit non peccare. Nullus enim peccat in eo, quod vitare non poteſt: ut Auguſt. dicit *in lib. de duabus animabus, & de lib. arb.* ſi ergo homo exiſtens in peccato mortali, non poſſit vitare peccatum, videtur, quòd peccando non peccet, quod eſt inconveniens.

Præterea, Ad hoc corripitur homo, ut non peccet: ſi igitur homo in peccato mortali exiſtens, non poteſt non peccare, videtur quòd fruſtra ei correptio adhibeatur, quod eſt inconveniens.

Præterea, *Eccleſ.* 15. dicitur. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi: ſed aliquis peccando non deſinit eſſe homo: ergo adhuc in ejus poteſtate eſt eligere bonum, vel malum, & ita poteſt homo ſine gratia vitare peccatum.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit *in lib. de perfectione juſtitiæ:* Quiſquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem, negat autem hoc, quod contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed ſola lege accepta humanam ſufficere voluntatem, ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum eſſe non dubito.

Reſpondeo dicendum, quòd de homine dupliciter loqui poſſumus. Uno modo ſecundùm ſtatum naturæ integræ. Alio modo ſecundum ſtatum naturæ corruptæ: Secundum ſtatum quidem naturæ integræ etiam ſine gratia habituali poterat homo non peccare nec mortaliter, nec venialiter; quia peccare nihil aliud eſt, quàm recedere ab eo, quod ſecundùm naturam, quod vitare homo poterat in ſtatu naturæ integræ: non tamen hoc poterat ſine auxilio Dei, in bono conſervantis, quo ſubſtracto etiam ipſa natura in nihilum decideret. In ſtatu autem naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali ſanante naturam ad hoc, quod omnino à peccato abſtineat: quæ quidem ſanatio primo fit in præſenti vita ſecundum mentem, appetitu carnali nondum omnino reparato. Unde Apoſtolus *ad Rom.* 7. in perſona hominis reparati, dicit: Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. In quo quidem ſtatu poteſt homo abſtinere ab omni peccato mortali, quod in ratione conſiſtit, ut ſupra habitum eſt. Non autem poteſt homo abſtinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis, cujus motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt (& ex hoc habent rationem peccati, & voluntarij) non autem omnes: quia dum uni reſiſtere nititur, fortaſſis alius inſurgit: & etiam quia ratio non ſemper poteſt eſſe pervigil ad hujuſmodi motus vitandos, ut ſupra dictum eſt. Similiter etiam antequam hominis ratio, in qua eſt peccatum mortale, reparetur per gratiam juſtificantem, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundùm aliquod tempus, quia non eſt neceſſe, quod continuo peccet in actu, ſed quod diu maneat abſque peccato mortali, eſſe non poteſt. Unde & Gregor. dicit ſuper Ezech. quod peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit. Et hujus ratio eſt, quia ſicut rationi ſubdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio ſubdi debet Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis. Per finem autem oportet, quod regulentur omnes actus humani, ſicut per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut ergo in inferiori appetitu non totaliter ſubjecto rationi, non poteſt eſſe, quin contingant inordinati motus in appetitu ſenſitivo: ita etiam ratione hominis non totaliter exiſtente ſubjecta Deo, conſequens eſt, ut contingant multæ inordinationes in ipſis actibus rationis. Cùm enim homo non habet cor ſuum firmatum in Deo, ut pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando ab eo ſeparari vellet, occurrunt multa propter quæ conſequenda vel vitanda homo recedit à Deo, contemnendo præcepta ipſius, & ita peccat mortaliter, præcipuè quia in repentinis operatur homo ſecundum finem præconceptum, & ſecundum habitum præexiſtentem, ut Phil. dicit in 3. Ethicor. quamvis ex præmeditatione rationis homo poſſit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus. Sed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundum conſequentiam voluntatis deordinatæ à Deo, niſi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur.

Ad primum ergo dicendum, quòd homo poteſt vitare ſingulos actus peccati, non tamen omnes niſi per gratiam, ut dictum eſt. Et tamen quia ex ejus defectu eſt, quod homo ſe ad gratiam habendam non præparet, propter hoc à peccato non excuſatur, quod ſine gratia peccatum vitare non poteſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd correptio utilis eſt, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur. Si tamen qui corripitur, filius

eſt

eſt promiſſionis, ut ſtrepitu correptionis forinſecus inſonante, aut flagellante, Deus in illo intrinſecus occulta inſpiratione operetur & velle; ut Auguſt. dicit *in libro de correptione & gratia.* Ideo ergo neceſſaria eſt correptio: quia voluntas hominis requiritur ad hoc, quod à peccato abſtineat, ſed tamen correptio non eſt ſufficiens ſine Dei auxilio. Unde *Eccl.* 7. Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.

Ad tertium dicendum, quod ſicut Auguſt. dicit in Hyponoſticon, verbum illud intelligitur de homine ſecundùm ſtatum naturæ integræ, quando nondum erat ſervus peccati, unde poterat peccare, & non peccare, nunc etiam quodcumque vult homo datur ei, ſed hoc, quod bonum velit habet ex auxilio gratiæ.

Prima Conclusio.

Homo in ſtatu naturæ integræ poterat abſque gratia habituali vitare peccata mortalia, & venialia.

Secunda Conclusio.

Homo in ſtatu naturæ corruptæ, & non reparatus per gratiam poteſt vitare ſingula mortalia, non tamen diu vitare, quin novum mortale committat.

Tertia Conclusio.

Homo in ſtatu naturæ corruptæ reparatus per gratiam poteſt vitare omnia mortalia.

Quarta Conclusio.

Homo in ſtatu naturæ reparatus per gratiam non poteſt vitare omnia peccata venialia.

Quæ D.Thom. in hoc artic. reſolvit, explicata jam relinquimus. In quo conſiſteret ſtatus naturæ integræ, diximus *diſput.* 1. *cap.* 2. *num.* 29. & 40. Ex quibus locis facilè depromitur ratio primæ concluſionis, quam S.Doctor ſtatuit. Secundam aſſertionem quoad utramque ejus partem diſcuſſimus *diſp. præced. dub.* 5. De tertia egimus *dub.* 6. & ad qua inſuper addemus *diſp. ſequenti dub.* 10. & 11. Denique veritatem quartæ oſtendimus *diſp. præced. dub.* 7. Qua autem ratione ſtatus naturæ reparatæ per gratiam vocetur à D. Thom. ſtatus naturæ corruptæ diximus *diſput.* 1. *numero* 33.

ARTICULUS IX.

Utrum ille, qui jam conſecutus eſt gratiam, per ſeipſum poſſit operari bonum, & vitare peccatum abſque auxilio gratiæ.

Ad nonum ſic proceditur. Videtur, quòd ille, qui jam conſecutus eſt gratiam, per ſeipſum poſſit operari bonum & vitare peccatum abſque alio auxilio gratiæ. Unumquodque enim aut fruſtra eſt, aut imperfectum, ſi non implet illud ad quod datur. Sed gratia ad hoc datur nobis, ut poſſimus bonum facere, & vitare peccatum: ſi igitur per gratiam hoc homo non poteſt, videtur, quod vel gratia ſit fruſtra data, vel ſit imperfecta.

Præterea, Per gratiam ipſe Spiritus ſanctus in nobis habitat ſecundùm illud 1. *ad Cor.* 3. Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Sed Spiritus ſanctus, cùm ſit omnipotens, ſufficiens eſt, ut nos inducat ad bene operandum, & ut nos à peccato cuſtodiat: ergo homo gratiam conſecutus poteſt utrumque prædictorum abſque alio auxilio gratiæ.

Præterea. Si homo conſecutus gratiam, adhuc alio auxilio gratiæ indiget ad hoc, quod rectè vivat, & à peccato abſtineat, pari ratione, etſi illud aliud auxilium gratiæ conſecutus fuerit, adhuc alio auxilio gratiæ indigebit procederetur ergo in infinitum: quod eſt inconveniens. Ergo ille qui eſt in gratia, non indiget alio auxilio gratiæ ad hoc, quod bene operetur, & à peccato abſtineat.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit *in lib. de natura & gratia*, quod ſicut oculus corporis pleniſſimè ſanus niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere, ſic & homo perfectiſſimè etiam juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Sed juſtificatio fit per gratiam ſecundùm illud *Rom.* 3. Juſtificati gratis per gratiam ipſius. Ergo etiam homo jam habens gratiam, indiget alio auxilio gratiæ ad hoc, quod rectè vivat. Ad Rom. 3.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, homo ad rectè vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta ſanetur, & etiam ſanata elevetur ad operandum opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum.

Quantum igitur ad primum auxilij modum homo in gratia exiſtens, non indiget alio auxilio gratiæ quaſi aliquo alio habitu infuſo: indiget tamen auxilio gratię ſecundùm alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum: & hoc propter duo. Primò quidem ratione generali propter hoc, quod ſicut ſupra dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire niſi virtute motionis divinæ. Secundò ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ: quæ quidem licèt per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur *ad Rom.* 7. Remanet etiam quædam ignorantiæ obſcuritas in intellectu, ſecundùm quam (ut etiam dicitur *Rom.* 8.) quod oremus ſicut oportet neſcimus. Propter varios enim rerum eventus, & quia etiam noſmetipſos non perfectè cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire quid nobis expediat. Secundum illud *Sapient.* 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Et ideo neceſſe eſt nobis, ut à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia poteſt. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam, convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem: & Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, &c. quæ in oratione Dominica continentur ad hoc pertinentia. Ad Rom. 7. & 8. Sapient. 9.

Ad primum ergo dicendum, quòd donum habitualis gratiæ non ad hoc datur nobis, ut per ipſum non indigeamus ulterius divino auxilio: indiget enim quælibet creatura, ut à Deo conſervetur in bono, quod ab eo accepit. Et ideo ſi poſt acceptam gratiam homo adhuc indiget divino auxilio, non poteſt concludi, quod gratia ſit in vanum data, vel quod ſit imperfecta: quia etiam in ſtatu gloriæ quando gratia erit omnino perfecta, homo divino auxilio indigebit.

Digitized by Google

Hic autem aliqualiter gratia imperfecta eſt, inquantum hominem non totaliter ſanat: ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd operatio Spiritus ſancti, quæ nos movet, & protegit, non circumſcribitur per effectum habitualis doni, quod in nobis cauſat: ſed præter hunc effectum nos movet, & protegit ſimul cum Patre, & Filio.

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa concludit, quòd homo non indigeat alia habituali gratia.

Prima Conclusio.

HOmo in gratia exiſtens non indiget alio habituali dono ad operandum bonum, & vitandum peccatum.

Secunda Conclusio.

HOmo in gratia exiſtens, ut bonum operetur, & peccatum vitet, indiget auxilio gratiæ.

De hac difficultate agemus *diſp. ſeq. dub.* 10. ubi explicabimus, qua ratione auxilium requiſitum, ut juſtus rectè ſe gerat, habeat rationem gratiæ ſpecialis.

ARTICULUS X.

Utrum homo in gratia conſtitutus indigeat auxilio gratiæ ad perſeverandum.

AD decimum ſic proceditur. Videtur, quòd homo in gratia conſtitutus non indigeat auxilio gratiæ ad perſeverandum. Perſeverantia enim eſt aliquid minus virtute, ſicut & continentia, ut patet per Phil. *in 7. Eth.* Sed homo non indiget auxilio gratiæ ad habendum virtutes, ex quo eſt juſtificatus per gratiam. Ergo multò minus indiget auxilio gratiæ ad habendum perſeverantiam.

Præterea. Omnes virtutes ſimul infunduntur. Sed perſeverantia ponitur quædam virtus. Ergo videtur, quòd ſimul cum gratia infuſis aliis virtutibus perſeverantia detur.

Ad Rom. 5. Præterea. Sicut Apoſtolus dicit *ad Roman.* 5. plus reſtitutum eſt homini per donum Chriſti, quam amiſerit per peccatum Adæ. Sed Adam accepit, unde poſſet perſeverare. Ergo multo magis nobis reſtituitur per gratiam Chriſti, ut perſeverare poſſimus: & ita homo non indiget gratia ad perſeverandum.

Auguſt. Sed contra eſt, quòd Auguſt. dicit *in lib. de perſeverantia.* Cur perſeverantia poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? an & iſta irriſoria petitio eſt, cum id ab eo petitur, quo ſcitur, non ipſum dare, ſed ipſo non dante eſſe in hominis poteſtate? Sed perſeverantia petitur etiam ab illis, qui ſunt per gratiam ſanctificati: quod intelligitur cum dicimus, ſanctificetur nomen tuum, ut ibidem Auguſt. confirmat per verba Cypriani. Ergo homo etiam in gratia conſtitutus indiget, ut ei perſeverantia à Deo detur.

Reſpondeo dicendum, quòd perſeverantia tripliciter dicitur. Quandoque enim ſignificat habitum mentis, per quem homo firmiter ſtat, ne removeatur ab eo, quod eſt ſecundùm virtutem per triſtitias irruentes, ut ſic ſe habeat perſeverantia ad triſtitias, ſicut continentia ad concupiſcentias, & delectationes, ut Philoſoph. dicit 7. *Ethic.*

Alio modo poteſt dici perſeverantia habitus quidam ſecundum quem homo habet propoſitum perſeverandi in bono uſque ad finem. Et utroque iſtorum modorum perſeverantia ſimul cum gratia infunditur, ſicut & continentia, & cæteræ virtutes.

Alio modo dicitur perſeverantia continuatio quædam boni uſque ad finem vitæ. Et ad talem perſeverantiam habendam, homo in gratia conſtitutus non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, ſed divino auxilio ipſum dirigente & protegente contra tentationum impulſus, ſicut ex præcedente quæſtione apparet. Et ideo poſtquam aliquis eſt juſtificatus pr gratiam, neceſſe habet à Deo petere prædictum perſeverantiæ donum, ut ſcilicet cuſtodiatur à malo uſque ad finem vitæ: multis enim datur gratia, quibus non datur perſeverare in gratia.

Ad primum ergo dicendum, quòd objectio illa procedit de primo modo perſeverantiæ, ſicut & ſecunda objectio procedit de ſecundo. Unde patet ſolutio ad ſecundum.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut Auguſt. dicit *lib. de natura & gratia:* homo in primo ſtatu accepit donum, per quod perſeverare poſſet, non autem accepit, ut perſeveraret: nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt & donum gratiæ, quo perſeverare poſſunt, & ulterius eis datur, quod perſeverent. Et ſic donum Chriſti eſt majus, quàm delictum Adæ. Et tamen facilius homo per gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum, quam nunc poſſimus, quando reparatio gratiæ Chriſti etſi ſit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen eſt conſummata quantum ad carnem, quod erit in patria: ut homo non ſolum perſeverare poterit, ſed etiam peccare non poterit. Auguſt.

Prima Conclusio.

PErſeverantia ſumpta vel pro habitu, quo homo confirmatur in bono contra ingruentes triſtitias, vel pro habitu qui eſt principium propoſiti perſeverandi in bono uſque in finem infunditur homini ſimul cum gratia.

Secunda Conclusio.

UT homo in gratia conſtitutus perſeveret in bono uſque ad finem, indiget auxilio Dei dirigentis, & protegentis.

Pro majori intelligentia primæ concluſionis videndus eſt D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 137. ubi agit de habitu perſeverantiæ, qui eſt pars fortitudinis, & poſſunt recoli, quæ diximus *Tract. de virtutibus, in earum arbore n.* 104. De ſecunda vero concluſione agemus ex profeſſo *diſp. ſequenti, dub.* 11.

DISPU

Digitized by Google

DISPUTATIO TERTIA.

DE NECESSITATE GRATIÆ

AD EA, QUÆ SUNT ORDINIS SUPERNATURALIS.

DIVINA gratia, quam præcipuè Concilia, & Patres commendant, & cujus notitiæ Tractatus hic principaliter deſervit, magis ſplendet in illis operibus, quæ ad ordinem divinum ſpectant, quam in eis, quæ purè ſunt naturalia. Nam gratia, quæ per ſe deſideratur ad opera naturalis ordinis, eumdem ordinem non egreditur; illa autem, quæ concurrit ad operationes ſupernaturales, longè transvolat totum naturalem ordinem, habetque ad Deum ſpeciale confinium: unde nequit non gratiam entitativè naturalem magno intervallo anteire. Sicut autem gratia ſupponit naturam; oportuit, quod diſputatio de gratia in ordine ad opera naturalia præcederet eam, quæ neceſſitatem gratiæ ad opera ſupernaturalia conſiderat: hac enim methodo velut per quoſdam gradus ducitur intellectus, ut ab infimis ad ſuperiora conſcendat. Et eumdem obſervavit D. Thom. nam in primis quatuor hujus quæſt. articulis præcipuè diſſeruit de neceſſitate gratiæ ad ea, quæ ſunt naturalia: deinceps vero agit de his, quæ ad ordinem ſupernaturalem pertinent, vel utrique ordini communia ſunt. Quocirca ſuperatis difficultatibus, quæ in conſideratione gratiæ deſideratæ ad opera naturalia occurrebant, æquum eſt, ut de neceſſitate gratiæ ad ſupernaturalia jam diſſeramus. Quod diſputationis genus ſicut alias hujus tractatus partes dignitate antecellit, ita excedit difficultate, cùm ob materiæ præſtantiam, cùm ob univerſalitatem: plurima enim, quæ alibi tractant Theologi, utputa de Fide, Spe, Charitate, actibus virtutum infuſarum, & diſpoſitionibus requiſitis tam ad valorem Sacramentorum, quam ad receptionem gratiæ habitualis, pertinent ad præſentem diſputationem. Et ideo ipſius divinæ gratiæ auxilium principio implorandum eſt, ut poſſimus verum attingere, propriaque hujus loci ſeligere, reſciſſis extraneis, & falſis. Sicut autem in diſputatione præcedenti prius oſtendimus neceſſitatem gratiæ ad operationes naturales intellectus, quam ad opera voluntatis, eo quod ille iſtam neceſſario præcedit. Ita in præſenti prius diſputabimus de neceſſitate gratiæ, ut intellectus attingat objecta ſupernaturalia; & poſtea agemus de gratia requiſita ad operationes ſupernaturales voluntatis, vel utrique potentiæ communes.

DUBIUM I.

Utrum homo per proprias vires poſſit inveſtigare myſteria fidei.

Nota. 1. PRo tituli intelligentia animadvertendum eſt intellectum noſtrum poſſe bifariam comparari ad myſteria fidei: uno modo ante omnem illorum revelationem, aut propoſitionem extrinſecam; altero modo ſuppoſita eorum revelatione. Dubium autem procedit in priori acceptione, & inquirimus: an intellectus noſter valeat per propriam induſtriam, & inventionem, omni revelatione ſecluſa, notitiam myſteriorum fidei comparare. Et nomine myſteriorum fidei eas veritates intelligimus, quæ per ſe cadunt ſub fidei objecto, ut puta Deum eſſe trinum, & Chriſtum eſſe Deum; non autem illas, quæ purè ſunt naturales in ſe, licèt alias poſſint à Deo teſtificari, qualis eſt Abraham habuiſſe duos filios. Quam difficultatem ſolent Theologi alibi attingere, ut 1. *part. quæſt.* 32. *art.* 1. agentes de myſterio Trinitatis, & 3. *part. quæſt.* 1. diſputantes de myſterio Incarnationis, & 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 3. oſtendentes notitiam fidei eſſe neceſſariam ad ſalutem. Nullibi tamen congruentius examinatur, ac in præſenti, ubi & vires hominis, & neceſſitas gratiæ ad operationes intellectus circa objecta ſupernaturalia perpendi debent. Cæterùm ſtudebimus dubium in communi verſare, & ad particularia myſteria non deſcendere, ut difficultates ſpeciales ſuis inſerendas tractatibus relinquamus.

§. I.

Statuitur vera, & communis ſententia.

2. DIcendum eſt hominem ſibi relictum, & abſque luce divinæ revelationis non poſſe inveſtigare myſteria fidei. Hanc concluſionem docet D. Thom. loc. ſupra cit. & 1. *p. q.* 1. *art.* 1. & 2. 2. *q.* 6. *art.* 1. & *quæſt.* 10. *de veritat. art. ult.* cui ſubſcribunt communiter Theologi, quos proinde D.Thom.

Digitized by Google

Durandus. Curiel. Alvarez. Arauxo.

opus non eſt in particulari referre. Videatur Durandus *in prologo ſent. quæſt.* 2. Curiel *in præſenti art.* 1. *dub.* 3. §. 1. Alvarez 1. 2. *diſp.* 28. & Arauxo *diſp.* 1. *præambula ſect.* 5. & 6.

Probatur authoritate. ad Hebr. 11.

Probatur primò ex ſacris litteris: nam ad Hebræos 11. fides vocatur argumentum non apparentium, quia videlicet ea, quæ per ſe cadunt ſub fide divina, occulta ſunt intellectui noſtro, niſi per teſtimonium Dei revelētur, juxta illud Eccleſ. 3. *Plurima ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi*, & Matth. 11. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Quod altè ſignificavit Apoſtolus 1. *ad Corinth. cap.* 2. dicens: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam autem non hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur; ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo principum hujus ſæculi cognovit.* Quæ verba elucidans D. Tho. *ibidem lect.* 1. & 2. adjecit hæc: *Primò poſſunt dici principes hujus ſæculi reges, & potentes: ſecundo dæmones: tertiò philoſophi. Hæc autem ſapientia eſt, quam nemo principum hujus ſæculi cognovit. Quod verum eſt de quibuſcumque principibus intelligatur: ſæculares enim principes hanc ſapientiam non cognoverunt: quia excedit rationem humani regiminis. Philoſophi etiam eam non cognoverunt: quia excedit rationem humanam. Unde dicitur Baruc.* 3. *Exquiſitores prudentiæ, & ſcientiæ viam ſapientiæ neſcierunt. Dæmones etiam eam non cognoſcunt: quia excedit omnem creatam ſapientiam. Unde dicitur Iob.* 28. *Volucres quoque cœli latet.*

Eccleſiaſt. 3. Matthæi 11. 1. ad Cor. c. 2. D. Thom.

Confirmatur. ad Epheſ. 3. D. Thom.

Confirmatur ex eodem Apoſtolo *ad Epheſ.* 3. ubi inquit: *Ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Quæ verba ſic exponit D. Thom. lect. 3. *Notandum eſt, quòd ſunt quædam rationes myſteriorum gratiæ totam creaturam excedentes: & hujuſmodi rationes non ſunt inditæ mentibus Angelorum, ſed in ſolo Deo ſunt occultæ. Et ideo Angeli non cognoſcunt eas in ſeipſis, neque etiam in Deo, ſed cognoſcunt eas ſecundum quod in effectibus explicantur*, &c. Si ergo myſteria fidei adeo excellunt, ut lateant etiam mentes Angelicas, nec valeant cognoſci, niſi revelentur à Deo; ſequitur à fortiori, quod excedant captum humanum, niſi ei divinitus proponatur. Quod planè determinat Concilium Arauſic. *can.* 8. ubi diffinit *neminem poſſe ſuis viribus conquirere myſteria ſalutis.*

Conc. Arauſ.

Probatur ratione.

3. Secundò probatur ratione: quoniam intellectus humanus nequit ſuis viribus, & per viam inventionis cognoſcere niſi ea, quæ aliquando continentur in primis principiis naturalibus: ſed in prædictis principiis nullo modo continentur myſteria fidei: ergo intellectus noſter non poteſt per proprias vires, & induſtriam myſteria fidei inveſtigare. Major eſt certa: quia prædicta principia ſunt ſeminarium totius cognitionis naturalis, ex quibus procedit noſter intellectus ad omnia, quæ proprio labore conquirit: ergo impoſſibile eſt, quòd intellectus per propriam induſtriam inveniat, quod in dictis principiis aliquando non continetur. Minor etiam conſtat: quia myſteria fidei, utpote ſupernaturalia, nequeunt in principiis naturalibus contineri.

Confirmatio 1.

Confirmatur primò: nam quidquid cognoſcitur, vel eſt notum per ſe, vel manifeſtatur per aliud: ſed myſteria fidei, neque ſunt nota per ſe, neque per aliud manifeſtantur, niſi revelentur à Deo: ergo nequeunt cognoſci à nobis, niſi excitatis eorum revelatione. Minor quoad primam partem ſatis ex ſe conſtat. Quoad ſecundam verò probatur: nam quod cognoſcitur per aliud, vel cognoſcitur à priori & per cauſam, vel cognoſcitur à poſteriori, & per effectus: ſed myſteria fidei nequeunt cognoſci per cauſas naturales; ſiquidem non continentur in illis; neque ab eis cauſantur: nec valent attingi per effectus naturales; cum ij ſolùm poſſint inducere notitiam cauſæ naturalis à qua per ſe pendent: ergo myſteria fidei non poſſunt nobis innoteſcere per aliud, quàm per divinam revelationem.

Confirmatio 2.

Confirmatur ſecundò: quia ſicut ens dividitur in naturale, & ſupernaturale, ita verum dividitur in naturale, & ſupernaturale: ſed ens ſupernaturale, ut communiter definiunt Theologi, excedit omnem naturam creatam, & creabilem, nec valet produci à creatura, niſi elevetur per aliquam virtutem ſupernaturalem: ergo verum ſupernaturale excedit omnem intellectum creatum ſibi relictum, nec poteſt attingi niſi medio lumine ſupernaturali, ſaltem externæ revelationis: atqui myſteria, quæ per ſe cadunt ſub objecto fidei ſunt ſupernaturalia: ergo nequeunt inveſtigari à noſtro intellectu, niſi illi ab extrinſeco revelentur, & proponantur.

Effugium.

4. Dices minorem noſtræ rationis eſſe falſam: quia myſteria fidei aliquando continentur in lumine naturali noſtri intellectus: tum quia de facto cognoſcimus prædicta myſteria per ſpecies naturales, ſeu acquiſitas; neque enim opus eſt alias ſpecies infundi: non poſſent autem hujuſmodi ſpecies deſervire ad cognitionem myſteriorum fidei, niſi illa aliquando repræſentarent, & in ſuo genere continerent. Unde cùm ſpecies habeant vim luminis, ſiquidem manifeſtant objectum, nequeunt non myſteria fidei, aliquando contineri in lumine naturali noſtri intellectus. Tum etiam quia ſuppoſita revelatione myſteriorum fidei, poteſt ille intellectus per principia naturalia probabiliter ſuadere, ut videre eſt apud D. Tho. 1. *part. quæſt.* 27. *art.* 2. & 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 1. & alibi ſæpe: implicat autem quòd intellectus procedat ex principiis ad concluſiones, niſi iſtæ in illis aliquo modo contineantur: & rurſus principia naturalia ex vi extrinſecæ myſteriorum revelationis non incipiunt continere, quod antea non continebant. Unde ſequitur myſteria fidei contineri aliquo modo in principiis naturalibus: & conſequenter ſicut poſita divina revelatione, poteſt intellectus ex dictis principiis naturalibus ad myſteria fidei procedere, ita poterit anteaquam prædicta myſteria revelentur.

D. Thom.

Præcluditur.

Sed contra arguitur: quoniam, ut expendimus in prima confirmatione, nequit unum contineri in alio tanquam in medio per quod cognoſcitur, niſi eo modo, quo effectus continetur in cauſa, vel cauſa reſidet virtualiter in effectu: ſed myſteria fidei neutro ex his modis continentur in objectis, vel principiis naturalibus, per quæ intellectus naturaliter procedit: ergo nullum principium, aut objectum naturale per modum medij continentis myſteria fidei deſervire noſtro intellectui, ut prædicta myſteria cognoſcat. Probatur, & explicatur minor: quia vel prędicta myſteria ſunt aliquid intra ipſum Deum ſecundum modum, quem habet in ſe, v. g. Trinitas perſonarum: & hoc pacto nequeunt principia naturalia continere per modũ cauſæ prædicta myſteria, ut ex ſe liquet: neque etiã valent ea continere per modum effectus; ſiquidem effectus reſpiciens Deum ſecundum proprium modum eſſendi, quem habet in ſe, non eſt entitas naturalis, ſed ſupernaturalis, ut conſtat in gratia,

&

& charitate. Vel prædicta myſteria ſunt aliquid extra Deum: & tunc cùm dependeant ex libera voluntate Dei, ut agentis ſupernaturalis, nequeunt contineri ſaltem proximè niſi in cauſa ejuſdem ordinis ſupernaturalis, quâ Deus uti voluerit ad operandum dicta myſteria. Quare cùm objecta naturalia, per quæ procedit noſter intellectus, non pertineant proximè ad ordinem ſupernaturalem, ut conſtat ex terminis, non valent per modum cauſæ ita continere myſteria fidei, ut ducant in eorum cognitionem.

Diximus *dicta myſteria non contineri ſaltem proximè*, &c. quia licet quælibet creatura habeat capacitatem paſſivam & potentiam obedientialem, ut per virtutem ſuperadditam elevetur ad producendum entia ſupernaturalia; nihilominus non poteſt illa proximè continere, & actu producere, uſque dum recipiat efficaciam proximam ordinis ſupernaturalis. Ex quo etiam relinquitur manifeſtum, quòd myſteria fidei ad extra non continentur in aliquo naturali tanquam in effectu: nam virtus ſupernaturalis debet vendicare effectum ſupernaturalem, & in illo reſidere: naturalis quippè effectus quatenus talis ſufficienter cauſatur per naturalem virtutem.

Refelluntur exempla in contrarium.

5. Nec oppoſitum ſuadetur exemplis in contrarium adductis: non quidem primo, nam quod ſuppoſita divina revelatione utamur ſpeciebus naturalibus ad cognoſcendum myſteria fidei, non oritur ex eo, quod hæc in illis aliquo modo contineantur tanquam in cauſa, aut effectu: eodem enim modo ſe haberent ſpecies naturales, etiamſi repugnarent myſteria ſupernaturalia: quod ſatis indicat hæc in illis nullatenus contineri. Sed provenit ex eo, quod intellectus noſter eſt diſcurſivus, & comparativus: & ideo ſi illi proponatur objectum, cujus ſpeciem non habet, utitur ſtatim ſpeciebus præhabitis, ut queat illud utcumque apprehendere, & de eo aliqualiter judicare. Et ideo myſteria fidei ſolent explicari pluribus comparationibus, & per analogiam ad objecta naturalia, quorum habemus ſpecies, ut docent D. Dionyſ. *cap.* 1. *Cæleſtis Hierarchiæ* & D. Thom. 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 9. Quod non eſſet ita neceſſarium, ſi ſpecies naturales continerent aliquo modo myſteria fidei, ſive objecta ſupernaturalia. Sed de hoc iterum dicemus *dub.* 3.

D. Dionyſ. D. Thom.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd cùm inducimus rationes probabiles ad ſuadendum myſteria revelata, minimè intendimus ea ſufficienter oſtendere per principia naturalia tanquam per cauſam, aut effectum, ſiquidem naturalia, & ſupernaturalia non comparantur prædicto modo, ut conſtat ex nuper dictis. Sed ſolùm conamur probare, quòd myſteria fidei non repugnant rectæ rationi, ſed cohæreant cum veritatibus naturalibus: quod magis eſt frangere, & enervare rationes ſuadentes myſteria fidei eſſe impoſſibilia, quam horum poſſibilitatem, aut exiſtentiam poſitivè oſtendere. Quod optimè docuit D. Tho. 1. *p. q.* 32. *art.* 1. *ad* 2. his verbis: *Dicendum, quod ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio. Uno modo ad probandum ſufficienter aliquam radicem. Alio modo inducitur ratio, non quæ ſufficienter probet radicem, ſed quod radici jã poſita oſtendat congruere conſequẽtes effectus. Primo ergo modo poteſt induci ratio ad probandum Deum eſſe unum, & ſimilia. Sed ſecundo modo ſe habet ratio, quæ inducitur ad manifeſtationem Trinitatis: quia ſcilicet Trinitate poſita hujuſmodi rationes: non tamen ita, quod per has rationes ſufficienter probetur Trinitas perſonarum. Idemque de aliis fidei myſteriis proportionabiliter intelligendum eſt. Ad hujuſmodi autem procedendi modum non requiritur, quòd concluſiones contineantur in principiis; ſed ſatis eſt, quòd congruant principiis, ita ut inter principia, & concluſiones formetur aliqualis comparatio, & detur quædam analogia proportionalitatis; licèt habitudo cauſæ, & effectus, vel alia connexio ibi non intercedat, ut ſi dicas: Homo ſe intelligens producit verbum: ergo Deus ſe intelligens illud producit: quia ita ſe habet Deus ad ſuum intelligere, ſicut homo ad ſuum.*

D. Thom.

6. Inſtabis: Implicat aliquid deduci ex eo, in quo aliqualiter non continetur: ſed in quacumque argumentatione, ſive demonſtrativa, ſive probabili conſequens deducitur ex præmiſſis; ſiquidem omnis diſcurſus conſiſtit in eo, quod intellectus ex uno colligat aliud: ergo ad quamcumque argumentationem requiritur, quod conſequens contineatur in præmiſſis: atque adeo cùm ex principiis naturalibus argumentamur, ſaltem probabiliter, ad myſteria fidei, non poterunt non hæc in illis aliqualiter contineri. *Replica.*

Reſpondetur primò, quòd licèt nihil poſſit in re, deduci ex eo in quo aliqualiter non continetur; nihilominus poteſt aliquid deduci apparenter ex alio, quamvis in eo nullo modo contineatur. Quod frequenter contingit in argumento probabili, ſeu opinativo, ſiquidem multoties ex antecedenti falſo, quod apparet verum, & cauſa conſequentis, colligimus aliquod conſequens verum, quod in antecedenti minimè continetur, ut ex ſe liquet: & è converſo ex antecedenti poſſibili deducimus probabiliter conſequens aliquod eſſe poſſibile, cùm tamen reipſa repugnet, & in antecedenti non cõtineatur. Et ita cõtingit in præſenti materia: nam ex principio naturali ſolũ apparenter, & probabiliter poſſumus inferre veritatẽ fidei: unde non oportet, quod illud præcontineat revera hanc concluſionẽ. *Diluitur primò.*

Reſpondetur ſecundò, & explicatur amplius præcedens ſolutio animadvertendo præmiſſas, & concluſionem eſſe in duplici differentia: aliæ enim ſunt objectivæ: aliæ verò formales, aut mentales. Præmiſſæ objectivæ dicuntur illud motivum, ex quo intellectus colligit aliquid; ſicut & conſequẽs objectivũ appellatur illa res, aut veritas, quę ex tali motivo infertur. Præmiſſæ autẽ formales vocãtur actus ille, quo intellectus cognoſcit motivum objectivum: conſequens vero formale dicitur alter actus, quo attingit veritatẽ objectivã conſequentis ob motivũ prius attactũ. Quæ omnia liquent in hoc diſcurſu: *Homo eſt rationalis: ergo homo eſt riſibilis*: nam rationalitas eſt antecedẽs objectivũ; riſibilitas autem eſt conſequẽs objectivũ: actus vero, quo intellectus cognoſcit hominem eſſe rationalem, eſt, præmiſſa, ſeu antecedẽs formale; & denique actus attingẽs riſibilitatem convenire homini ob rationalitatẽ prius cognitam conſequens formale appellatur. Inter hæc autem hoc reperitur diſcrimẽ, quod antecedens formale ſẽper eſt cauſa conſequentis formalis: antecedens verò objectivum non ſemper eſt cauſa cõſequentis objectivi. Si enim arguas: Homo eſt riſibilis: ergo & rationalis, antecedens objectivum nẽpè riſibilitas, non eſt cauſa conſequẽtis objectivi, videlicet rationalitatis, ut ex ſe conſtat: & tamen antecedens mentale, nimirum actus attingens riſibilitatem, eſt cauſa conſequentis mentalis, ſcilicet illius actus, qui rationalitatem attingit: nam primus aſſenſus determinat intellectum, ut eliciat ſecundum, induitque proinde rationem cauſæ reſpectu illius, ut docent N. Complut. *in logic. diſput.* 17. *quæſt.* 3. Idemque contingit quoties procedimus ab effectu ad cauſam, vel cum ex aliquo falſo, & im- *Alia ſolutio.* *Complut.*

poſſibili, quod apparet poſſibile, & verum, aliquam veritatem probabiliter colligimus.

Ad rem ergo: licet in omni argumentatione conſequens mentale deducatur revera ex antecedenti mentali, utpote cum ab eo in aliquo genere cauſæ dependeat: attamen conſequens objectivum non ſemper in re deducitur ex antecedenti objectivo; cùm multoties non comparentur in ſeipſis per modum cauſæ, & effectus, ſed in ſola exiſtimatione probabili: Et ideo cùm in propoſita objectione infertur: Ergo in omni argumentatione conſequens debet contineri in præmiſſis, ſub diſtinctione reſpondendum eſt: Conſequens mentale in præmiſſis mentalibus, concedo conſequentiam: Conſequens objectivum in præmiſſis objectivis, ſubdiſtinguo: Debet contineri à parte rei, nego conſequentiam: Debet contineri ſaltem apparenter, tranſeat conſequens. Et deinde negatur abſolutè ſecunda conſequentia objectionis: nam ut legitimè evinceret myſteria fidei contineri in principiis naturalibus, per quæ probabiliter ſuadentur; opus erat oſtendere, quod in omni argumentatione conſequens objectivum continetur in antecedenti objectivo: quod tamen eſt falſum, ut conſtat ex dictis.

§. II.

Convelluntur argumenta contrariæ ſententiæ.

Sententia contraria. 7. ADverſus noſtram concluſionem vix invenitur, qui ſentiat: eſt enim adeo certa, ut vel inſignis ille gratiæ perſecutor Pelagius auſus non fuerit ei contradicere: admiſit enim neceſſitatem divinæ revelationis ad cognoſcenda myſteria fidei, ut videre eſt apud Auguſtinum *lib.* 1. *de gratia Chriſti contra Pelagium c.* 7. ubi ejus hæc verba refert: *Adjuvat nos Deus per Doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit,* &c. Et in hac extrinſeca revelatione myſteriorum fidei in priori ſui dogmatis ſtatu totam gratiam, quam Scriptura commendat, poſuit, ut apertè colligitur ex Concilio Milevit. *can.* 4. & Auguſt. ubi proximè, & *lib.* 2. *de gratia Chriſti cap* 26. & *hæreſi* 88. & *epiſt.* 95. Solus in hac parte videtur eſſe Raymundus Lullus, qui aſſeverat myſteria fidei per aliqua principia, quæ ipſe in quadam arte præſcribit, inveſtigari, & probari poſſe à quolibet in tali arte perito. Cæterum hujus Auctoris doctrina (quantumcumque redament Lulliſtæ ipſum ut beatum, ac verum martyrem reverentes:) falſam, inexplicabilem, inutilem, & ridiculam reputant communiter viri docti. Immo verò plures aſſerunt damnatam fuiſſe à Gregor. XI. ut videre eſt apud Prateolum in Elencho hæreſum verbo *Raymundus Lullus.* Gualterum *in tabula Chronographica,* Bzovium *tom.* 14. *annalium Eccleſiaſt. anno Chriſti* 1372. *n.* 9. Joannem Marianam *de rebus Hiſpanicis lib.* 15. *c.* 4. & alios. Et quamvis Gabr. Vazq. *tom.* 2. *in* 1. *part. diſp.* 133. *cap.* 4. Lullum à prædicta cenſura vindicare, & auctoritatem bullæ Gregorij elevare contendat; apud nos tamen majoris ponderis ſunt, quæ tradunt alij Scriptores: maximè cùm poſt tot hiſtorias, & excuſationes, quas Vazquez inculcat, ſciamus in ſacra Congregatione S. Officij anno 1617. artic. 70. & eo amplius decerptos ex Lulli libris repræſentatos fuiſſe partim hæreticos, partim erroneos, & temerarios, ut refert Bzov. *to.* 16. *anno Chriſti* 1433. *n.* 20. Sed quidquid ſit de hoc.

[Margin: D. Auguſt. — Conc. Mil — Raymund. — Gregor. XI. Prateol. Gualter. Bzovius. — Ioan. Maria. — Bzovius.]

Primum argumentum. 8. Arguitur primò contra ſententiam communem: quoniam intellectus noſter poteſt ſuis viribus inveſtigare, & attingere objectum ſibi proportionatum: ſed myſteria fidei pertinent ad objectum proportionatum noſtri intellectus: ergo hic valet ſuis viribus illa inveſtigare, & attingere. Probatur minor: nam objectum ſpecificativum potentiæ eſt eidem proportionatum, ut conſtat in colore, qui eſt objectum proportionatum potentiæ viſivæ, quia illam ſpecificat: ſed myſteria fidei pertinent ad objectum ſpecificativum noſtri intellectus, ſiquidem continentur ſub ente in communi: ergo prædicta myſteria pertinent ad objectum proportionatum noſtri intellectus.

Solutio. Reſpondetur huic argumento diſtinguendo majorem, etſi intelligatur de objecto proportionato proportione ſolius commenſurationis eſſentialis, neganda eſt; ſi autem intelligatur de objecto proportionato proportione tam commenſurationis eſſentialis, quam efficacitatis proximæ, concedatur. Minor autem ſolũ poteſt verificari in priori ſenſu: & ideo negatur cõſequentia abſolutè. Etenim reſpectu potentiarum ſuperiorum, & quæ valent elevari ad attingẽdum ſupra proprias vires objectum ſuperexcedens, duplex objectum proportionatum diſtinguunt communiter Theologi. Alia enim eſt proportio commenſurationis eſſentialis, quæ conſiſtit in eo, quod potentia attingat ſuis viribus, vel viribus ſuperadditis objectum: nam ſolum importat coaptationem eſſentialem inter objectum, & potentiam, & vim quaſi radicalem, ut hæc illud attingat. Alia autem eſt proportio efficacitatis proximæ, quæ ſupra proportionem eſſentialem addit quantitatem virtutis undequaque ſufficientis ad attingendum objectum. Quamvis autem omne objectum ſpecificativum potentiæ ſit etiam eidem proportionatum proportione commenſurationis eſſentialis; nihilominus fieri poteſt, ut potentia careat proportione efficacitatis proximæ reſpectu illius. Quod adhuc intra ordinem naturalem apparet in viſu noctuæ, qui comparatus ad lucem ſolis habet priorem proportionem, cum corroborari poſſit ad illam attingendam; & tamen caret ſecunda, ſiquidem actu non habet ſufficiens robur, ut videat ſolem. Unde ex eo quòd myſteria fidei pertineant ad objectum ſpecificativum noſtri intellectus, ſolum infertur, quod eidem proportionetur proportione commẽſurationis eſſentialis, & quod ſuppoſita revelatione, aut elevatione intellectus, valeant ab ipſo cognoſci. Minimè tamen ſequitur quod ſpectent ad objectum proportionatum proportione efficacitatis proximæ, & quod abſque revelatione valeant attingi: oppoſitum enim conſtat ex dictis. Recolantur, quæ diximus *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 1. *dub.* 3. *à num.* 47.

Replica. 9. Sed contra hanc ſolutionem inſurges: quoniam ubi eſt una, & eadem ratio formalis ex parte objecti, ſufficit una, & eadem virtus ex parte potentiæ; cum uni rationi una virtus ſufficienter correſpondeat: ſed ratio formalis ſub qua objecti noſtri intellectus eſt unica, complectiturque omnia entia tam naturalia, quam ſupernaturalia: ergo unica, & eadem virtus ſufficit ex parte intellectus ad attingendam prædictam rationem; & quidquid cadit ſub illa; & conſequenter per eandem virtutem, per quam proportionatur ad cognoſcendum entia naturalia, attinget etiam ſupernaturalia, quia opus ſit ei addere aliam virtutem.

Multipliciter urgetur. Confirmatur primo evertendo diſtinctionem illam objecti proportionati: nam quælibet potentia reſpicit immediatè ſuum ſpecificativum; cum nil ſit illi immediatius, aut intimius, quam propria ſpecificatio, quæ in reſpectu ad ſpecificativum conſiſtit: ſed reſpectus potẽtiæ eſt reſpectus virtutis;

virtutis; ſiquidem omnis potentia activa virtus aliqua eſt: ergo omnis potentia reſpicit immediate ſuum ſpecificativum tanquam virtus ad ipſum attingendum: ac proinde omnis potentia eſt proportionata reſpectu ſui objecti ſpecificativi; non ſolùm proportione commenſurationis eſſentialis, ſed etiam proportione virtutis, ſeu efficacitatis immediatè & proximè.

Confirmatur ſecundò: nam quidquid potentia connaturaliter reſpicit, poteſt etiam connaturaliter attingere; ſiquidem reſpicit objectum ut attingat ipſum: atqui omnis potentia reſpicit connaturaliter ſuum objectum ſpecificativum adæquate acceptum; ergo poteſt illud connaturaliter attingere: & conſequenter habet proportionem virtutis proximæ reſpectu ipſius. Probatur minor: quia nihil eſt unicuique rei magis connaturale, quam propria quidditas; ſed quidditas potentiæ conſiſtit in reſpectu ad ſuum objectum ſpecificativum adæquate acceptum: ergo omnis potentia reſpicit connaturaliter illud.

Confirmatur tertiò: quia potentia & objectum ſumptum in ratione objecti, ſive in eſſe attingibili, debent eſſe ejuſdem ordinis: qua ratione potentia immediate operativa increatis debet eſſe accidentalis, eo quod ſpecificatur ab operatione accidentali: ſed intellectus noſter eſt potentia naturalis; cum dimanet à natura animæ, & cauſetur à Deo ut auctore naturali: ergo omne objectum noſtri intellectus debet eſſe naturale ſaltem in ratione objecti, ſive in eſſe attingibili: conſtat autem intellectum gaudere virtute & efficacitate proxima ad attingendum objectum naturale in eſſe objecti: ergo habet reſpectu illius proportionem non ſolum commẽſurationis eſſentialis, ſed etiam virtutis, ſeu efficacitatis proximæ.

Ad replicam. Hæc tamen non evertunt traditam ſolutionem, ſed ſolùm compellunt eam amplius explicare; quod præſtabimus diluendo, quæ objiciuntur. Ad replicam ergo reſpondetur unicæ rationi formali ſe tenenti ex parte objecti correſpondere ſufficienter unicam virtutem ex parte potentiæ. Cæterùm hujuſmodi virtus ſolùm eſt coaptatio, ſeu aptitudo eſſentialis ad attingendum objectum: & hæc præſcindit à modo attingendi illud in exercitio, ac proinde ab hoc, quod eſt attingere objectum naturaliter, vel ſupernaturaliter, & per proprias vires, vel per virtutem elevantem ſibi communicatam. Nam ſicut ens verbi gratia, quod eſt objectum ſpecificativum intellectus, ſi ſumatur eſſentialiter in ratione objecti, ſolùm exprimit rationem entis, & abſtrahit ab hoc, quod eſt eſſe ens naturale, vel ſupernaturale: ita intellectus eſſentialiter conſideratus in ratione virtutis cognoſcitivæ ſolùm exprimit coaptationem, & aptitudinem eſſentialem ad cognoſcendum ens, & præſcindit ab hoc, quod eſt habere virtutem naturalem, vel obedientialem, aut elevantem. Unde cum infertur intellectum per eandem virtutem attingere objecta naturalia, & ſupernaturalia, dicendum eſt id verificari de virtute eſſentiali, non verò de virtute naturali, aut ſuperaddita.

Ad confirmationes. Ad primam confirmationem reſpondetur potentiam reſpicere immediatè ſuum ſpecificativum reſpectu quidem eſſentiali, & in actu ſignato: abſtrahere tamen à modis, quibus illud attingit in actu exercito, quatenus verſatur circa objecta inadæquata: ij enim modi ſunt accidentales reſpectui eſſentiali potentiæ. Et ideo licèt quævis potentia comparetur immediate ad ſuum objectum ſecundùm ſe conſideratum, per modum virtutis ad ipſum attingendum; nihilominus non ideo dicetur habere proportionem efficacitatis proximæ reſpectu ipſius: quia hæc proportio importat reſpectum immediatum non ad objectum ſecundùm ſe conſideratum, ſed ad ipſum prout occurrit in actu exercito, & attendendo ad omnes difficultates, quamvis accidentales ſint reſpectu objecti ſumpti ſecundum ſe.

Ad ſecundam negatur minor: quia potentia non reſpicit objectum ſpecificativum determinatè connaturaliter, ſed ſolùm reſpicit eſſentialiter: modus enim reſpiciendi connaturaliter addit ſupra eſſentiam potentiæ aliquid accidentale, videlicet quantitatem virtutis proximæ ad illud prout in exercitio occurrit, attingendum: à quo tamen eſſentia potentiæ præſcindit. Sicut enim objectum eſſentialiter acceptum abſtrahit à modis, quibus in exercitio occurrit, ac proinde à ratione objecti connaturalis, vel innaturalis: ita potentia eſſentialiter conſiderata præſcindit à modis, quibus in exercitio attingit objectum, ac proinde à modo attingendi ipſum connaturaliter: & ſolum explicat commenſurationem eſſentialem, ut poſſit illud attingere. Ad probationem autem in contrarium dicendum eſt eſſe quidem connaturale, ſive intrinſecum potentiæ reſpicere ſuum objectum reſpectu eſſentiali, & abſtrahente à modis accidentalibus; & ideo neganda eſt conſequentia, ſi ly *connaturaliter* denotet, ut debet, quantitatem virtutis, vel aliquid ſupra eſſentiam potentiæ: hoc quippe importat modum eidem accidentalem.

Ad ultimam reſpondemus, quòd licèt intellectus in eſſe accidentis, & relati ad ſubjectum ſit quid naturale; tamen in eſſe potentiæ, & comparative ad objectum ſpecificativum neque eſt virtus naturalis, neque ſupernaturalis: ejus quippe ſpecificativum non eſt determinate naturale, neque ſupernaturale, ſed ens ab utraque ratione præſcindens, & ideo ſimilem ſpecificativum transfundit. Quod optimè ſignificavit D. Thomas *1. parte quæſtione 79. articulo 7.* his verbis: *Intellectus reſpicit ſuum objectum ſecundùm communem rationem entis, eo quod intellectus poſſibilis eſt, quod eſt omnia fieri: unde ſecundum nullam differentiam entis diverſificatur differentia intellectus poſſibilis.* Quam doctrinam deſumpſit ex Ariſtotele *3. de Anim. text. 4.* ubi docet intellectum noſtrum non habere aliam naturam, niſi hanc, quod eſt poſſe fieri omnia. Dicitur tamen communiter potentia naturalis, & quia eſt naturalis entitativè, & quia objectum ejus proportionatum debet eſſe aliquid naturale. Ex quo tamen minimè infertur objectum ejus ſpecificativum eſſe naturale, aut naturaliter determinatè poſſe attingi. *D. Thom.*

10. Secundò arguitur: quia homo per vires naturales poteſt inveſtigare, & judicare fidem eſſe debitam Deo aliquid teſtificanti: ſed fides, quæ debetur teſtimonio Dei, eſt ſupernaturalis: ergo homo valet per proprias vires inveſtigare aliquid ſupernaturale; & conſequenter alia myſteria fidei; cùm ſit quantum ad hoc par ratio de omnibus. Major eſt certa: quia non excedit vires naturales noſtri intellectus judicare, quod Deus poteſt aliquid teſtificari, & quod Deo loquenti debetur omnimoda fides. Minor etiam conſtat: quoniam non excedit merita divini teſtimonij fides ſupernaturalis; ergo debetur illi. *Secundum argumentum.*

Confirmatur primò: nam credibilitas myſteriorum fidei eſt ſupernaturalis ſicut ipſa fides: ſed intellectus noſter poteſt per proprias vires *Confirmatur.*

Digitized by Google

inveſtigare credibilitatem myſteriorum fidei; cùm valeat eiſdem viribus judicare, quod prædicta myſteria ſunt evidenter credibilia, ut docent Cajetanum, 2. 2. *quæſtione* 1. *articulo* 4. Bañez, *ibidem dubio* 3. Arauxo, *dubio* 2. Ferrara, 3. *contra gentes capite* 4. & communiter Thomiſtæ: ergo intellectus noſter poteſt per ſe ipſum, & ſeclusa revelatione inveſtigare, & cognoſcere entia ſupernaturalia. Major ſuadetur: tum quia credibilitas myſteriorum fidei eſt proprietas ipſorum: ergo debet eſſe ejuſdem ſupernaturalis ordinis cum illis: ſicut ſcibilitas concluſionum eſt ejuſdem ordinis cum eis, quia eſt proprias illorum. Tum etiam: quia fides non inclinat niſi in objecta ſupernaturalia: inclinat autem, ut judicemus myſteria fidei eſſe credibilia: ergo credibilitas myſteriorum fidei eſt ſupernaturalis.

Cajet. Bañez, Arauxo, Ferrara.

Confirmatur amplius. Confirmatur ſecundò: nam qui perfectè cognoſcit aliquod prædicamentum, poteſt inveſtigare omnia, quæ continentur in illo: ſed intellectus noſter poteſt per proprias vires cognoſcere perfectè prædicamentum qualitatis: & in hoc prædicamento continetur fides ſupernaturalis: ergo poteſt per proprias vires inveſtigare fidem ſupernaturalem. Major ſuadetur: nam qui perfectè cognoſcit aliquod principium, poteſt inveſtigare concluſiones, quæ continentur in eo, illaſque ex ipſo deducere: ergo pariter qui perfectè cognoſcit aliquod prædicamentum, poteſt inveſtigare ea, quæ continentur in illo. Minor quoad primam partem conſtat: quia lumen naturale definit quidditativè prædicamenta, ut videre eſt apud Ariſtotelem, *in libro Categoriarum à capite* 5. definitio autem quidditativa importat perfectam cognitionem rei definitæ. Secunda etiam pars eſt manifeſta: nam fides ſupernaturalis eſt vera qualitas: ergo continetur in prædicamento qualitatis.

Reſponſio ad argumentum. Reſpondetur ad argumentum, quod intellectus per proprias vires ſolum poteſt cognoſcere vires naturæ, non autem vires ſupernaturales gratiæ, ut conſtat ex ſupra dictis: & conſequenter licèt valeat cognoſcere, quod Deo loquenti debetur omnimoda fides poſſibilis haberi per vires naturæ, nequit tamen cognoſcere, quod debetur fides poſſibilis per vires gratiæ, atque ideo non poteſt ſibi relictus comparare fidei ſupernaturalis notitiam. Nam licet divinum teſtimonium exigat, quantum eſt de ſe, fidem ſupernaturalem; hæc tamen abſolutè non debetur niſi juxta qualitatem virium credentis. Unde ille, cui Deus non confert vires ſupernaturales, non deberet exhibere niſi naturalem fidem, & huius poſſibilitatem poteſt noſter intellectus ſibi relictus inveſtigare: quod & non amplius argumentum convincit.

Ad 1. confirmat. Ad primam confirmationem negatur major: quia credibilitas myſteriorum fidei non eſt aliquid intrinſecum eiſdem, aut ejuſdem ordinis cum ipſis; ſed conſiſtit in aliquibus ſignis, aut motivis extrinſecis, quæ nos inducunt, ut judicemus prædicta myſteria eſſe digna fidei: ſicut probabilitas alicujus concluſionis conſiſtit in motivis inducentibus, ut illi aſſentiamur. Et quemadmodum componi poteſt, quod habeamus evidentem probabilitatem rei impoſſibilis, eo quòd adſunt omnia requiſita ad formandum judicium probabile; licèt alias cadat ſupra aliquid impoſſibile: quod ſatis oſtendit probabilitatem non ſemper eſſe proprietatem rei probabilis, ſed aliquid illi extrinſecum. Ita etiam componi poteſt, quod judicemus cum fundamento aliquid eſſe evidenter credibile, quia videlicet concurrunt omnia motiva deſiderata ad credendum; quamvis actus credendi cadat alias ſupra aliquid repugnans: quod etiam aperte declarat credibilitatem non eſſe proprietatem rei credibilis, ſed aliquid externum, & ab ea diſtinctum. Quod etiam exemplo convincitur: nam utraque opinio, & quæ aſſerit, & quæ negat verbi gratia, materiam primam poſſe exiſtere ſine forma, eſt probabilis, & credibilis: in re tamen una illarum poſitionum eſt impoſſibilis: quod non contingeret, niſi poſſibilitas, & credibilitas rerum differrent à rebus ipſis. Unde rectè etiam cohæret, quod myſteria fidei ſint in ſe ſupernaturalia, & quod eorum credibilitas ſit naturalis: ac proinde quod intellectus nequeat ſuis viribus illa inveſtigare; hanc vero, ſuppoſita myſteriorum revelatione, & ſufficientibus motivis ad credendum valeat naturaliter attingere. Ex quibus patet ad utramque probationem in contrarium: ad primam quidem, nam ſcibilitas, ſicut, & intelligibilitas, & veritas conſequitur intrinſece naturam rei, & provenit ex cauſis ejus: & ideo debet eſſe ejuſdem ordinis cum ipſa. Ad ſecundam etiam: quia fides non inclinat per ſe, ut judicemus myſteria revelata eſſe evidenter credibilia; ſed inclinat, ut credamus: actus autem, quo prævie judicamus prædicta myſteria eſſe credibilia, quique ad prudenter credendum deſideratur, habetur vel per vires noſtri intellectus, vel per aliud lumen. Sed de hoc ex profeſſo agemus 2. 2. *Tract. de Fide, diſputatione* 1. *dubio* 5. & *diſputatione* 3. *dubio* 1.

Ad ſecundam. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando majorem: nam ut aliquis perfectè cognoſcat aliquem conceptum genericum, ipſumque quidditativè definiat, non deſideratur notitia omnium ſpecierum, quæ in illo continentur, vel quod eæ poſſint ex vi illius inveſtigari. Perfectè enim cognoſcimus, & quidditative definimus rationem genericam verbi gratia ſubſtantiæ creatæ, cujus tamen ſpecies poſſibiles non valemus ex vi hujus inveſtigare: alias poſſemus cognoſcere omnes creaturas poſſibiles, quæ in genere ſubſtantiæ continentur; quod eſt abſurdum. Idemque à fortiori dicendum eſt de genere qualitatis; cùm in hoc collocentur qualitates non ſolum naturales, ſed etiam ſupernaturales: quod non contingit in prædicamento ſubſtantiæ, ſiquidem repugnat ſubſtantia ſupernaturalis creata. Et ratio utrobique eſt eadem: quia videlicet differentia ſpecifica addit ſupra conceptum genericum, & in noſtro caſu qualitas ſupernaturalis evehit conceptum qualitatis ad ordinem ſuperiorem: unde ex eo, quòd valeamus cognoſcere genus ſecundùm ſe acceptum, non ſequitur, quod poſſimus eiſdem viribus inveſtigare quamcumque ſpeciem illius. Ad probationem autem in contrarium conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia: & ratio diſparitatis eſt, quod principium determinat intellectum ad cognoſcendum concluſionem, & cum ea ſpecialiter connectitur, dicitque ad eam habitudinem propriæ cauſæ, aut proprij affectus; (Etſi his conditionibus deſtituitur, nequit ſortiri officium principij erga concluſionem.) Unde quod continetur in principio, poteſt ex vi illius perfectè cogniti inveſtigari. At genus eſt quid potentiale, & indifferens, atque abſtrahens ab ſpeciebus: & ideo cum nulla ſpecie determinate connectitur, nec comparatur ad eam per modum cauſæ, aut effectus: quamobrem continentia

Digitized by Google

nentia ſpecierum in genere eſt inſufficiens, ut Intellectus ex vi generis perfecte cogniti inveſtiget ſingulas ejus ſpecies, maxime cum aliquæ ſunt ordinis ſupernaturalis, ut in præſenti contingit.

Nota. 11. Ubi obſerva (ut tacitam replicam obiter diluamus) quod intellectus noſter poteſt multipliciter conſiderari. Primo ſecundum eſſentiam: quo pacto ſolum exprimit coaptationem eſſentialem ad cognoſcendum quidquid participat rationem entis; abſtrahitque ab hoc, quod eſt habere, vel non habere efficacitatem proximam ad illud attingendum. Secundo in eſſe potentiæ naturalis: qua ratione ſupra coaptationem eſſentialem addit vires naturales proximas ad attingendum determinate entia naturalia ſibi proportionata: quæ vires licèt non diſtinguantur realiter ab intellectu, accidunt tamen eidem ſecundum eſſentialia conſiderato. Tertiò in ratione potentiæ obedientialis nude ſumptæ: ſecundum quam conſiderationem ſolum dicit capacitatem remotam ad attingendum entia ſupernaturalia, & carentiam efficacitatis proximæ, ſive impotentiam ad ea reipſa attingenda. Quartò in ratione potentiæ obedientialis jam ſupernalizatæ: quo pacto ſupra totam entitatem propriam addit vires ſupernaturales illi ab extrinſeco communicatas: per quas dicit ſpecialem & proximam habitudinem ad entia ſupernaturalia.

Ita proportionabiliter poteſt genus qualitatis multipliciter conſiderari. Primo ſecundum eſſentialia: qua ratione abſtrahit ab hoc, quod eſt eſſe qualitatem naturalem, vel ſupernaturalem: & hic conceptus correſpondet intellectui ſecundum ſuam eſſentiam conſiderato. Secundo prout eſt contractum per differentiam naturalem: quo pacto importat qualitates naturales; & poteſt ſecundum omnes ſuas ſpecies ſaltem diviſive acceptas cognoſci per intellectum, ut eſt potentia naturalis. Tertiò quatenus contrahitur per differentiam ſupernaturalem: qua ratione importat qualitates ſupernaturales, & correſpondet intellectui ſecundum quod eſt potentia obedientialis. Unde quemadmodum intellectus nequit operari per modum potentiæ obedientialis uſque dum ſupernalizetur per aliquid divini ordinis ſibi ſuperadditum: ita qualitas ut ſupernaturalis non poteſt à noſtro intellectu cognoſci uſque dum manifeſtetur per divinam revelationem. Hac autem poſita poteſt prædicta qualitas dupliciter attingi: uno modo ſub motivo ſupernaturali, & hac ratione petit cognoſci per lumen ſupernaturale additum intellectui: altero modo ſub motivo naturali, & ita per lumen naturale cognoſci valet. Idemque de aliis gentibus, in quibus inveniuntur entia ſupernaturalia, proportionabiliter dicendum eſt.

Tertium argumentum. 12. Tertiò arguitur: quoniam imago ducit naturaliter in cognitionem ejus, cujus eſt imago: ſed homo ſecundum mentem eſt imago Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ eſt ſupremum myſterium fidei: ergo cùm homo valeat ſe ipſum per proprias vires cognoſcere, poterit eiſdem viribus inveſtigare prædictum myſterium, & conſequenter alia; cum iſtud excedat omnia (Qua de cauſa circa nullum aliud in particulari formabimus argumenta.) Major videtur per ſe nota.

D. Hilarius. D. Thom. Minor autem aſſeritur à Divo Hilario *libro 4. de Trinitate*, circa medium, & à Divo Thoma *1. parte quæſtione 93. articulo quinto*, in corpore ubi ait: Dicendum eſt in homine eſſe imaginem Dei, & quantum ad naturam divinam, & quantum ad Trinitatem perſonarum.

Reſponſio. Nec vim hujus argumenti effugies, ſi reſpondeas cum eodem Sancto Doctore *in ſolutione ad tertium*. Quod ratio illa procederet, ſi imago Dei eſſet in homine perfecte repræſentans Deum. Sed ſicut Auguſtinus dicit *in decimo quinto, de Trinitate*, maxima eſt differentia hujus Trinitatis, quæ eſt in nobis, ad Trinitatem divinam. Et ideo (ut ipſe ibidem dicit) Trinitatem, quæ eſt in nobis, videmus potius, quam credimus. Deum vero eſſe Trinitatem credimus potius, quam videmus. Auguſt.

Impugnatur. Hoc, inquam, non ſatisfacit: quoniam licèt ex hac ſolutione habeatur, quod homo non poſſit per prædictam imaginem, utpote imperfectam, comparare notitiam perfectam Trinitatis; minime tamen habetur, quòd per hujuſmodi imaginem nequeat Trinitatem ſaltem imperfecte cognoſcere. Sed magis infertur oppoſitum: quoniam ſicut imago utcumque deſervit ad cognoſcendum utcumque imaginatum, & imago perfecta ad cognoſcendum illud perfecte: ita oportet, quod imago imperfecta conducat ad cognoſcendum ſaltem imperfecte id, cujus eſt imago. Et declaratur exemplo: etenim ſicut homo eſt imago imperfecta Dei, quantum ad Trinitatem perſonarum, ita eſt imago imperfecta Dei quantum ad naturam: & tamen quia eſt imago imperfecta naturæ, deſervit naturaliter ad ipſius cognitionem, juxta illud Apoſtoli ad Romanos 1. *Inviſibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: ergo ex eo, quod homo ſit imago imperfecta Trinitatis, non tollitur, quod ducat in notitiam imperfectam illius. Conſtat autem ſufficere, ut intellectus dicatur poſſe ſuis viribus inveſtigare myſteria fidei, quod valeat per eaſdem vires illa imperfecte cognoſcere: ergo intellectus ſibi relictus poteſt myſteria fidei inveſtigare. Ad Rom. 1.

Defenditur data reſponſio. Reſpondetur ſuſtinendo ſolutionem D. Thomæ, quæ optima eſt: nam hoc intereſt diſcrimen inter imaginem perfectam, & imperfectam, quod imago perfecta debet eſſe ejuſdem ordinis cum principio, cujus eſt imago: repugnat quippe rem inferioris ordinis eſſe perfectam imaginem rei ordinis ſuperioris, illamque adæquate repræſentare: & ideo eædem vires, quæ ſufficiunt ad cognoſcendum imaginem perfectam, ſufficiunt etiam ad cognoſcendum imaginatum; ipſumque in prædicta imagine cognita perfecte intuetur. Cæterum hac ratione nulla creatura eſt imago Dei, cum in infinitum diſtet ab ipſo: ſed ſolum verbum divinum eſt perfecta imago Patris, ipſum adæquate exprimens, juxta illud, quod de ſe, inquit Joannes 14. *Philippe, qui videt me, videt, & Patrem meum.* Imago autem imperfecta non petit eſſe ejuſdem ordinis cum principio, ſed poteſt multum ab eo diſſidere, & ſolum ſecundum quandam analogiam illi aſſimilari: ad eum modum, quo juvenis pulcher, & alatus Angelum repræſentat; quamvis ſimpliciter differat. Et per hujuſmodi imaginem non poſſumus devenire in notitiam rei imaginatæ, quando eſt ordinis ſuperioris; ſed tantùm deſervit, ut ſuppoſita aliunde rei ſuperioris notitia, inveniamus in imagine aliquas proprietates, per quas imaginatum aliquo modò explicemus, ut patet in exemplo nuper adducto: & ſimul etiam conducit, ut nos excitet ad novam cognitionem imaginati antea, & aliunde præcogniti. Homo ergo ſecundum mentem dicitur imago Trinitatis hoc poſteriori Joann. 14.

D. Auguſt. poſteriori modo: quia, ut inquit Auguſtinus Maxima differentia eſt hujus Trinitatis, quæ eſt in nobis ad Trinitatem divinam: & propterea hujuſmodi imago nequit deſervire, ut inveſtigemus Trinitatem, ſed ut Trinitatem fide cognitam aliquo exemplo explicemus, & cognoſcamus iterum

Ex quibus liquet ad probationem in contrarium: nam imago ut ſic non ducit determinate in cognitionem imaginati, ut nunquam præcogniti; ſed vel in hanc notitiam, vel in notitiam ejus, quod antea, & aliunde præcognovimus. Et ideo non ſequitur, quod independenter à revelatione myſterij Trinitatis, poſſimus illud inveſtigare intuendo, & conſiderando nos ipſos: ſed tantùm infertur, quòd ſuppoſita prædicta revelatione, inveniamus in nobis aliquas conditiones, nempe productionem verbi, & amoris quibus poſſimus utcumque explicare dictum myſterium, & excitari ad novam illius cognitionem. Nec oppoſitum ſuadetur exemplo in contrarium adducto: tum quia ut per hominem tanquam per imaginem ducamur in notitiam naturæ divinæ, eſt neceſſarium præhabere aliquam notitiam ejuſdem naturæ divinæ: hanc autem comparamus per creaturas, non tanquam per ſimilitudines, ſed velut per effectus primæ cauſæ, quod ſolùm docet Apoſtolus, & tradit Divus Thomas, *1. parte quæſtione 4. articulo 3.* in fine corporis. Tum etiam: quia poteſt quoad præſens reddi diſparitas ſufficiens inter illud exemplum, & rem, pro qua adducitur: quoniam Deus, ut unus eſt objectum naturale, atque ideo cognoſcibile per vires naturales, per quas etiam ipſius imago cognoſcitur: unde poſſunt ex vi ejuſdem luminis, & cognitionis attingi. Deus autem ut Trinus eſt objectum ſupernaturale, ut modo ſupponimus, & conſequenter vires naturales excedit: atque ideo non infertur, quod poſſit cognoſci per vires, per quas attingitur illius imago. Unde ſicut Deum eſſe eſt propoſitio naturaliter nota, Deum autem eſſe Trinum eſt propoſitio de fide: ita hominem eſſe imaginem Dei quantum ad naturam, poteſt cognoſci naturaliter; eſſe verò imaginem Dei quantum ad Trinitatem, ſolum per revelationem habetur. Quod profundè ſignificavit Divus Thomas ultimis illis verbis ſolutionis: *Trinitatem, quæ in nobis eſt, videmus potius, quam credimus. Deum vero eſſe Trinitatem credimus potius, quam videmus.*

D. Thom.

D. Thom.

Ultimum argumentum. 13. Quartò & ultimo arguitur: quoniam per vires naturales, & abſque ulla revelatione poſſumus inveſtigare ſubſtantias ſeparatas, quas Angelos vocamus: ergo eodem modo poſſumus inveſtigare myſteria fidei. Antecedens conſtat: quia Philoſophi gentiles, quibus nullum divinæ revelationis lumen affulſit, prædictas ſubſtantias cognoverunt, ut patet apud Ariſtotelem, *8. Phyſic. & 12. Metaphyſic.* apud Platonem in Timæo, & Cratillo, & *libro 10. de legibus*, & Apuleium *in libro de Deo*, hoc eſt de Angelo Socratis. Conſequentia verò probatur: nam ſubſtantiæ ſeparatæ non continentur in principiis, ſeu rebus naturalibus nobis notis, tanquam in cauſa; cum hujuſmodi res non habeant ullum influxum in Angelos: neque continentur in eis, tanquam in effectu; ſiquidem hæc inferiora non fuerunt per Angelos producta, ut docet D. Thomas, *1. parte quæſtione 65. articulo tertio*, ſed ob defectum prædictæ continentiæ denegavimus poſſe myſteria fidei cognoſci per principia naturalia: ergo ſi hoc non obſtante poſſunt ſubſtantiæ ſeparatæ per principia naturalia inveſtigari; pariter poterimus inveſtigare myſteria fidei.

D. Thom.

Duæ ſolutiones. Huic argumento poſſemus primo reſpondere negando antecedens, quod inducta probatio non inducit: nam Philoſophi potuerunt habere notitiam ſubſtantiarum ſeparatarum vel ex lectione librorum ſacrorum, qui erant apud Hebræos, ut ſumitur ex Auguſtino, *libro 7. Confeſſ. cap. 9.* vel quia ipſæ ſubſtantiæ ſeparatæ ſeſe illis manifeſtabant, & ad ſuæ naturæ cognitionem trahebant: quod frequenter faciebant Dæmones in idolis. Unde non concluditur ex vi hujus, quod Philoſophi prædictas ſubſtantias inveſtigaverint propria induſtria, & abſque ſubſidio externæ revelationis.

D. Auguſt.

Secundò reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ad cujus probationem dicendum eſt dari aliquem effectum naturalem ſubſtantiarum ſeparatarum, nempe motum cælorum, per quem potuerunt Philoſophi devenire ad notitiam ſaltem probabilem earumdem ſubſtantiarum; cum omnis cauſa reſideat virtualiter in effectu, quem producit. Porrò prædictū motum eſſe à ſubſtantiis ſeparatis ex eo cognoverunt Philoſophi, quoniam cœlum nequit moveri à ſe ipſo, ut pote homogeneo, & vitæ experte: nec valet moveri ab aliqua ſubſtantia viventi corporea; cum prædicta ſubſtantia ſit corruptibilis, & motus cœli quantum eſt de ſe, poſſit eſſe æternus, ſicut cælum ipſum: unde relinquitur, quòd cælum moveatur ab intelligentiis, aut ſubſtantiis ſeparatis. Quo diſcurſu utuntur Ariſtoteles locis in argumento citatis. Divus Thomas *1. parte quæſt. 70. articulo 3.* & ex eiſdem N. Complut. abbreviati, *in Tractatu de cælo diſputatione 3. à numero 22.* Hæc autem ratio non urget in myſteriis fidei: nam omnes effectus naturales, ſicut ſufficienter continentur in virtute naturalium cauſarum, ita ſufficienter in eas revocantur; quin opus ſit ad principia ſupernaturalia recurrere: & ideo per effectus purè naturales non poſſumus comparare notitiam myſteriorum fidei.

D. Thom. Complutenſ.

Confeſſio præcedentis doctrinæ. 14. Ex dictis in hoc dubio manifeſtè ſequitur revelationem myſteriorum fidei habere rationem gratiæ. Quoniam beneficium illud, quod excedit vires, & exigentiam totius naturæ nequit non habere gratiæ rationem, ut liquet ex dictis *diſputatione 1. numero 7.* Conſtat autem, quòd manifeſtatio myſteriorum fidei eſt quoddam inſigne beneficium; & alias excedit exigentiam, & vires naturæ humanæ, ut hactenus oſtenſum eſt: ergo habet rationem gratiæ. Quod apertè determinat Concilium Milevit. capite his verbis. *Qui dixerit gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adjuvare, quia per ipſam nobis revelatur, quid agere debeamus, & aperitur intelligentia mandatorum Dei, & non etiam, quia nos adjuvat*, &c. anathema ſit. Utrumque enim donum Dei eſt, & ſcire quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus. Idem communiter docent Sancti Patres, & ſpecialiter Sanctus Proſper duobus libris de vocatione Gentium.

Conc. Milev.

S. Proſper.

Objectio. 15. Dices: lex, ſeu manifeſtatio veritatum fidei diſtinguitur contra gratiam, juxta illud Joann. 1. *Lex per Moyſem data eſt; gratia per Chriſtum facta eſt:* ergo revelatio myſteriorum fidei non habet rationem gratiæ.

Joann. 1.

Confirmatur. Confirmatur: quoniam Pelagius admittebat neceſſitatem gratiæ ad fidem, gratiæ voce revelationem intelligendo, ut vidimus *diſputat. 1. num.*

D. Auguſt.

num. 153. & tamen Auguſtinus eum reprehendit, quod ſubdole loqueretur de gratia, ut veram gratiam negaret, ut conſtat ex libro de gratia Chriſti contra Pelagium *cap.* 7. *&* 10. *&* 11. revelatio igitur non eſt vera gratia.

Diluitur.

Reſpondetur legem, ſeu doctrinam, & revelationem myſteriorum fidei non diſtingui contra gratiam in communi acceptam; ſed ſub illa comprehendi, diſtingui tamen à gratia ut adjuvante, & conferente vires intrinſecas: has quippe lex ſolitarie accepta non confert. Et hunc ſenſum continet locus Joannis, ut optime declarat Divus Thomas ibidem lect. 10. his verbis: *Secundum Chryſoſtomum prima gratia, quam totum genus humanum accepit, fuit gratia veteris teſtamenti accepta in lege. Quæ quidem magna fuit juxta illud Proverb. 4. Donum bonum tribuam vobis &c. Magnum enim fuit, quod hominibus idolatris data ſunt præcepta à Deo, & unius veri Dei vera cognitio ad Romanos 3. Quid amplius Iudæo, aut quæ utilitas circumciſionis? Multum quidem per omne modum: primum quidem, quia credita ſunt eis, eloquia Dei. Pro gratia ergo iſta, quæ prima fuit, ſecundam longe meliorem accepimus, Zach. 8. Exæquabit gratiam gratiæ. Sed nunquid non ſufficiebat prima gratia? Reſpondeo dicendum, quod non: quia per legem ſolum cognitio peccati datur, non ablatio: neminem enim ad perfectionem adduxit lex. Et ideo erat neceſſe, quod alia gratia peccata auferens, & reconcilians Deo veniret, & ideo dicit: Gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Quæ expoſitio conſonat omnino verbis immediate præcedentibus, ſcilicet: *De plenitudine ejus omnes accepimus. Et gratiam pro gratia. Quia lex per Moyſem*, &c.

D. Thom. — Ad Rom. 3.

Ad confirmationem reſpondemus, quòd Auguſtinus non reprehendit Pelagium in eo, quòd legem vocaverit gratiam; ſed quia doloſè illa voce utebatur, & omnem aliam gratiam internam, & adjuvantem excluderet, ut conſtat ex *libro citato cap.* 8. ubi loquens de Pelagio inquit: *Hanc eum gratiam confiteri, qua demonſtrat, & revelat Deus, quid agere debeamus, non qua donat, & adjuvat, ut agamus.* Videatur Sanctus Doctor *lib.* 1. *de Peccator. merit. cap.* 22. Ubi inter ſpecialia gratiæ beneficia recenſet habere prædicatores veritatis. Et *ſuper pſal.* 134. ad illa verba: *Educens nubes ab extremo terræ*, ubi nubes exponit eſſe prædicatores, qui revelando Gentilibus myſteria fidei, eas excitaret ad pœnitentiam, & gratiam.

D. Auguſt.

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum Homo per proprias vires poſſet aſſentire myſteriis fidei ſicut oportet ad ſalutem.

16. Semel oſtenſo, quod homo nequit per proprias vires inveſtigare myſteria fidei, videndum eſt, utrum poſſit prædictis myſteriis jam revelatis, & ſufficienter propoſitis, aſſenſum fidei præſtare? Porro ad credendum myſteria fidei duo actus neceſſario concurrunt: alter intellectus, quo credimus, alter vero voluntatis, quo volumus credere: nam credere, ut inquit Divus Thomas 2. 2. *qu.* 4. *art.* 2. eſt actus intellectus, ſecundùm quod movetur à voluntate ad aſſentiendum. Cùm enim myſteria revelata non determinent ſufficienter intellectum ad aſſenſum, eo quod eorum veritas evidenter non apparet: opus eſt, ut accedat affectus voluntatis inclinans intellectum, & eum determinans ad aſſenſum. Unde Auguſt. *tract.* 36. *in Ioann.* inquit, *Intrare quiſquam in eccleſiam poteſt nolens: accedere ad altare poteſt nolens: accipere poteſt ſacramentum nolens. Credere non poteſt, niſi volens.* Dubium ergo præſens non procedit de affectu requiſito ex parte voluntatis: de hoc enim infra agemus dub. 4. Sed de actu intellectus, quo myſteriis revelatis aſſentimus. Hujuſmodi autem aſſenſus poteſt bifariam conſiderari: primò entitative, & quoad ſpeciem eſſentialem; ſecundo quantum ad modum intrinſecum, vel extrinſecum, quo conſtituitur in eſſe diſpoſitionis ad ſalutem, & finem ſupernaturalem; hæc quippe duplex conſideratio neceſſario hic admittenda eſt, ut dubium poſſit habere locum. Quod determinate verſatur circa aſſenſum fidei, ut conducit ad ſalutem: nam de illo entitativè accepto tractabimus in dubio ſequenti. Difficultatem autem hanc non ideo agitamus, quia in ea diſſideant Catholici, ſed ut veritatis, in qua conveniunt, præſciamus fundamentum, quod viam etiam aperiet ad ea, quæ controvertuntur.

Nota pro dubij deciſione. — D. Thom. — D. Auguſt.

§. I.

Veritas catholica ratione, & auctoritate firmatur.

Communis aſſert.

17. Dicendum eſt hominem ſuis viribus relictum non poſſe aſſentiri myſteriis fidei, ſicut oportet ad ſalutem. Hæc concluſio eſt de fide, quam ſtatuunt Summi Pontifices Innocentius I. *in epiſt.* 25. *ad Epiſcopos Africæ*, Cæleſtinus *epiſtola ad Epiſcopos Galliæ cap.* 10. Leo I. *epiſt.* 86. docentque communiter ſancti Patres, & præcipuè Auguſt. *lib.* 1. *retract. cap.* 23. *libro de gratia Chriſti cap.* 31. *libro de bono perſever. cap.* 1. *&* 2. *&* 3. *& capite* 17. *&* 19. Ubi pro eadem ſententia refert Divus Cyprian. Ambroſ. Gregor. Nazianz. & *epiſt.* 105. *&* 106. *&* 107. & denique toto fere libro de prædeſt. Sanctorum ubi *capite* 3. retractat antiquam, & oppoſitam ſententiam. D. Cyprian. *libro* 3. *ad Quiren. cap.* 4. Fulgent. *libro* 1. *de gratia Chriſti cap.* 20. Proſper, *libro contra Collatorem capite* 36. *&* 37. *& lib.* 1. *de vocat. gentium cap.* 23. *&* 24. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 6. *art.* 1. & ſuper Joann. *capite* 10. *lect.* 5. & alibi ſæpe. Idem docent communiter Scholaſtici, quos proinde ſupervacaneum foret in particulari referre. Videantur tamen Driedo *libro de captiv. & redempt. gener. hum. tract.* 4. Soto *de natura & gratia libro* 1. *cap.* 8. Bellarminus de gratia & libero arbitrio *libro* 6. *cap.* 2. Vega *de Iuſtificat. quæſt.* 9. Alvarez *de auxiliis diſput.* 49. Suarez *lib.* 2. *de neceſſ. gratiæ cap.* 2. Curiel *in præſenti art.* 1. *dub.* 3.

Innocent. I. — Cæleſtinus — Leo I. — D. Auguſt. — Cyprian. — Ambroſ. — Gregor. Nazianzen. — Fulgent. — Proſper. — D. Thom. — Driedo. — Soto. — Bellarminus. — Vega. — Alvarez. — Curiel.

Probatur primo auctoritate ſacræ ſcripturæ: quoniam Joann. 6. dicitur: *Hoc opus Dei, ut credatis.* Et infra, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Ubi apertè loquebatur Chriſtus Dominus de acceſſu per fidem, ut conſtat tum ex contextu, tum ex illo Apoſtoli ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere.* Deinde *ad Epheſ.* 2. dicitur: *Salvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Donum enim Dei*, & 1. ad Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* Quo teſtimonio convictus eſt Auguſtinus, ad hanc veritatem amplectendam, ut ipſe refert *libro de perfectione Sanctorum*

Probatur ex ſacris litteris. — Joann. 6. — ad Hebr. 11. — ad Epheſ. 2. — ad Cor. 4. — Auguſt.

rum capite 3. his verbis : *Non ſic pius , atque humilis, Doctor ille ſapiebat Cyprianum beatiſſimum loquor,qui dixit in nullo gloriandum , quando noſtrum nihil eſt. Quod , ut oſtenderet , adhibuit Apoſtolum teſtem dicentem. Quid autem habes, quod non accepiſti ? ſi autem accepiſti , quid gloriaris , quaſi non acceperis ? Quo præcipuè teſtimonio ipſe etiam convictus ſum , cum ſimiliter errarem , putans fidem , qua Deum credimus, non eſſe donum Dei , ſed à nobis eſſe in nobis,* &c. Et infra capite 4. *Hoc* , inquit , *Apoſtoli teſtimonium , ubi ad reprimendum hominis inflationem dixit : Quid enim habes, quod non accepiſti ? non ſinit quemquam fidelium dicere , habeo fidem , quam non accepi : reprimiturque omnino his Apoſtolicis verbis tota hujus reſponſionis elatio.*

Ex Conciliis. Conc.Milev. Conc.Arauſ.

Confirmatur ex Conciliis : nam hæc veritas definitur in Milevit. *can.* 4. & in Arauſicano. 2. *can.* 5. & 6. & 7. ubi dicitur : *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ , cogitare, ut expedit , aut eligere ; ſive ſalutari , id eſt , Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat abſque illuminatione , & inſpiratione Spiritus Sancti , qui dat omnibus ſuavitatem , in conſentiendo, & credendo veritati , hæretico fallitur ſpiritu non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis : Sine me nihil poteſtis facere , & illud Apoſtoli : Non quod idonei ſimus cogitare aliquid a nobis , quaſi ex nobis ; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Et *can.* 25. ait : *Ipſe ſcilicet Deus , nobis nullis præcedentibus bonis meritis , & fidem , & amorem ſui prius inſpirat.* Idemque poſtea expreſſiùs adhuc decrevit

Tridentin.

Trident. *ſeſſione 6. capite 6. & can.* 3. ubi hæc habet : *Si quis dixerit , ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione , atque ejus adjutorio hominem credere , ſperare , diligere , aut pœnitere poſſe , ſicut oportet , ut ei juſtificationis gratia conferatur , anathema ſit.*

Effugium Vaſquez.

18. Reſpondebis cum Vaſquez (quem impugnans ſuppreſſo nomine Curiel *ubi ſupra* §. 4. *verſ. Sed adverte* , & eo detecto Gregor. Martinez *articulo* 1. *dubio* 4. *concluſ.* 1.) ex determinatione Concilij Tridentini (& conſequenter aliorum , quæ Tridentinum imitatur,) ſolùm haberi , quòd non poſſit homo elicere actum fidei complexivè, aut collectivè ad actus ſpei , & amoris ; minime vero , quod non poſſit ipſum elicere diviſive ab illis. Non enim determinat Concilium , quod non poſſimus ſine adjutorio Spiritus Sancti *credere , ſicut oportet* , ſed quòd non poſſimus *credere , ſperare , diligere , & pœnitere.* Hinc autem ſolum fit , quod nequeat homo elicere prædictum actum , ut conjunctum cum omnibus aliis actibus , qui requiruntur pro ultima diſpoſitione ad gratiam : & inferunt juſtificationem. Poterit tamen ipſum elicere, quando eſt ſeparatus à prædictis actibus , quin hujus poteſtatis aſſertioni repugnet determinatio Concilij.

Præcluditur.

Sed contra : quia hæc interpretatio Concilij canoni contradicit ; cum non loquatur de illis actibus collective , ſed diſtributive , & ſub diſjunctione , ut conſtat ex ipſo textu , qui ſic habet : *Credere, ſperare, diligere , aut pœnitere poſſe :* illa enim diſiunctio *aut*, non ſolum actui pœnitendi , ſed omnibus actibus ſeorſim applicanda eſt ; quamvis , ne ſæpius repeteretur , cuilibet in particulari expreſſe applicata non ſit.

Refellitur amplius.

Confirmatur primò : quia Concilium Trident. loquitur omnino conſone ad decreta Concilij Arauſicani, & aliorum Conciliorum antiquorum: nam ut rectè obſervavit Suarez, *prolog. 6. de Gratia capite 6. numero* 10. quidquid præcedentia Concilia , & antiqui Patres , & Pontifices docuerant de gratia , & libero arbitrio ; Tridentinum poſtea graviſſime , ſapientiſſimè , & optima methodo confirmavit ; præcipuè *ſeſſ.* 5. & 6. & 14. Atqui Concilium Arauſic. loquitur determinate, & ſpecialiter de actu fidei, ut conſtat tum ex verbis ſupra relatis, ibi : *Salutari prædicationi conſentire poſſe* , &c. tum ex can. 5. ibi : *Qui fidem , qua in Deum credimus , dicunt eſſe naturalem, omnes eos, qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodo fides eſſe definiunt.* Ergo decretum Tridentini loquitur de actu credendi ſicut oportet , non ſolùm complexivè , aut collectivè ad alios actus , ſed etiam diviſivè , & per ſe. Eo vel maxime , quod auctoritates ſacræ Scripturæ ſupra relatæ , quibus innituntur Conciliorum decreta, ſingillatim commemorant actus fidei. Suarez.

Major effugij confutatio.

Confirmatur ſecundo : quia actus fidei habet eſſe , ſicut oportet ad ſalutem , non ex ſola conjunctione ad alios actus , qui ad juſtificationem deſiderantur , ſed per ſe , ex ſuo objecto , & intra proprium genus : hoc enim modo acceptus importat ſpecialem modum influxus , & concurſus , ut homo diſponatur ad gratiam , ut conſtat ex eodem Concilio Tridentino , *ſeſſione 6. capite 6.* ubi inquit : *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam , dum excitati divina gratia , & adjuti, fidem ex auditu accipientes liberè moventur in Deum , credentes vera eſſe , quæ divinitùs revelata , & promiſſa ſunt , atque illud in primis, impium iuſtificari per gratiam eius , &c.* Et capite 8. *Per fidem ideo iuſtificari dicimus , quia fides eſt humanæ ſalutis initium , fundamentum, & radix omnis iuſtificationis , ſine qua impoſſibile eſt placere Deo , & ad filiorum eius conſortium pervenire.* Ergo decretum Concilij non reſpicit præcisè omnes illos actus ſimul , & complexivè acceptos ; ſed etiam actum fidei diviſive conſideratum. Conc.Trid.

Nota contra Vaſquez.

29. Ex quibus liquidò conſtat prædictum interpretandi genus penes ſenſum diviſivum , aut complexivum , (licèt poſſit applicari rebus minoris momenti ,) periculose tamen deſervire materiæ adeo gravi , cum adducitur levi , aut nullo fundamento. Quod vel diſcere potuiſſe Vaſquez alienum periculum edoctus in Doctore ſuæ perilluſtris familiæ. Cùm enim perdoctus Suarez *tom. 4. in 3. parte diſputat.* 21. *ſect.* 4. *docuiſſet poſſe in aliquo caſu neceſſitatis Confeſſionem ſacramentalem fieri ſacerdoti abſenti, & ab eodem abſente abſolutionem conferri* , Clemens V I I I. prædictam Suarij opinionem damnavit *ad minus uti falſam, temerariam , & ſcandaloſam* , prohibens , ne deinceps ut probabilis defenderetur. Quod decretum extat apud Nugnum *in additionibus ad 3. partem quæſtione 9. articulo 3. difficultate 2. concluſione* 2. Cæterùm ut Suarez , quod ſemel ſcripſerat , aliqualiter videretur inconcuſsè tueri , quin cenſeretur decretum Clementis experiri ſibi contrarium ; curavit ita illud interpretari , ut diceret damnari quidem à Summo Pontifice hanc propoſitionem : *Poteſt confeſſio Sacramentalis fieri Sacerdoti abſenti , & ab eodem abſente poteſt abſolutio dari* , ſi illa particula & ſumatur *complexivè* , & denotet utrumque ſimul fieri poſſe ; minimè verò ſi accipiatur *diviſim* ; aut *diſiunctivè* , & ſolùm denotet unum tantùm illorum poſſe fieri. Sed hæc interpretatio adeo diſplicuit Pontifici , ut in eum graviter excanduerit, Clemens VIII. Nugn.

&

Digitized by Google

Arauxo. Paul. V. & Romam migrare juſſerit, ut refert Arauxo *3.p. q.84.art.3.dub.1.* Immo verò Paulus V. qui Clementi ſucceſſit, declaravit prædictam Suarij interpretationem minime ſubſiſtere, ut videre eſt apud N. Franciſcum à Jeſu Maria *tract. 6. cap.3. puncto* 4. *num.*26. Totaque illa Suarij ſectio in qua prædicta opinio continebatur, partim expuncta, partim ſucciſa invenitur juſſu S. Inquiſitionis. Quæ in medium produximus, quia æquum arbitrati fuimus vel hoc uno exemplo oſtendere, quanta moderatione illud interpretandi genus *complexivè*, & *diviſivè*, rei gravi (qualem nunc verſamus,) adhibendum ſit.

Ratio pro communi ſententia. 20. Secundò probatur aſſertio ratione fundamentali deſumpta ex auctoritatibus hactenus relatis, quæ poteſt ad hanc formam reduci: quoniam homo nequit propriis viribus ſe diſponere ad gratiam: ſed aſſentire myſteriis fidei, *ſicut oportet*, eſt diſpoſitio ad gratiam: ergo homo nequit ſuis viribus elicere prædictum aſſenſum, ſicut oportet. Minor conſtat ex terminis: nam hoc ipſo, quod actus fidei non diſponat, quantum eſt de ſe, ad gratiam; non elicitur, *ſicut oportet:* ergo ſi eliciatur, ſicut oportet, eſt diſpoſitio ad gratiam. Majorem autem ex profeſſo oſtendemus *inf.dub.*5.*&* 6.

Confirmatur. Confirmatur: quoniam natura nequit per ſe præſtare ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis: atqui actus fidei elicitus ſicut oportet, eſt ordinis ſupernaturalis: ergo natura nequit ſe ſola prædictum actum elicere; ſed indiget ſupernaturali auxilio. Major eſt manifeſta: quia ſupernaturale dicitur, quod eſt ſupra naturam: ergo ſi natura præſtaret per ſe ipſam ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, operaretur ultra id, quod poteſt operari: quæ eſt manifeſta implicatio. Minor etiam conſtat: tum quia aſſenſus fidei elicitus, ſicut oportet, dicit ordinem diſpoſitionis, vel conducentiæ ad gratiam ſupernaturalem; ſi enim non conduceret, eo ipſo non eliceretur, ſicut oportet: ergo ſub prædicta formalitate debet pertinere ad ordinem ſupernaturalem; ut ita detur debita proportio inter diſpoſitionem & formam. Tum etiam quia aſſenſus fidei factus ſicut oportet eſt initium juſtificationis juxta illud Pauli ad Hæbræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere:* & fundamentum juſtitiæ ſecundum illud ejuſdem Apoſtoli ad Rom.3. *Juſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti:* ſed initium & fundamentum debet eſſe ejuſdem ordinis cum re, cujus dicitur fundamentum, & initium: ergo cum id per quod juſtificamur, ſit ordinis ſupernaturalis, ſequitur, quod actus fidei elicitus, ſicut oportet, ad eundem ordinem ſupernaturalem ſpectet. Et quia vim hujus rationis amplius loco citato expendemus, idcirco in ea communienda, vel ab objectionibus vendicanda, nolumus immorari in præſenti.

Ad Hebr.11. Ad Rom.3.

§. II.

Refertur Error contrarius.

Sententia hæretica. 21. VEtus hæreſis fuit poſſe hominem ſuis viribus aſſentire, ſicut oportet myſteriis fidei. Hanc amplexati ſunt Baſilides, & Valentiniani, qui aſſerebant fidem eſſe homini naturalem, ut refert Clemens Alexand. *lib.*4.*Stromat.* In eodem errore fuit Ticonius, qui quamvis ad alia opera ſupernaturalia fatebatur neceſſitatem divini auxilij; fidem tamen dicebat à nobis ipſis eſſe, ut refert D.Auguſt. *lib.*3. *de doctrina Chriſtiana cap.* 33. In quo etiam hæſit ipſe Auguſt. cùm eſſet junior: nam in expoſitione quarundam propoſitionum *ex epiſt. ad Rom.* docuit fidem eſſe ex nobis. Quod poſtea retractavit *lib.*1. *Retract. cap.*25. *& lib. de Prædeſt. Sanct. cap.*3. Sed qui proterve pro hoc errore ſtetit, fuit Pelagius aſſerens fidem non eſſe donum Dei, ſed ineſſe nobis ex nobis, ut refert Auguſt. *epiſt.*106. *ad Paulinum, & epiſt.*107. *ad Vitalem, & lib. de hæreſ. hæreſi* 88.

Baſilides. Valentin. Ticonius. D.Auguſt. Pelagius.

Primum argumentum. Probatur primò: quia in Scriptura divina promittit Deus homini ſalutem, ſi ipſe exhibeat fidem, ut conſtat ad Rom.3. *Si credideris ſalvus eris,* & Marc.16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit,* in quibus teſtimoniis ſermo eſt de aſſenſu fidei elicito, ſicut oportet ad ſalutẽ, ut ex ipſis verbis liquet: ergo ſicut ſalus, quam Deus promittit, eſt in poteſtate Dei, ita fides, quam exigit ab homine, eſt in poteſtate hominis: alias fruſtra exigeret ab illo talem conditionem, vel diſpoſitionem. Conſtat autem poſſe hominem ſuis viribus præſtare, quidquid habet in ſua poteſtate: ergo homo poteſt ſuis viribus credere, ſicut oportet ad ſalutem. Ad Rom.3. Marc.16.

Confirmatio. D. Auguſt. Confirmatur ex D.Auguſt. *lib.de dono perſeverantiæ cap.*14. ubi inquit: *Tyrij, & Sidonij credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent. Sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum. Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ: quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Quibus verbis apertè ſignificat ex Deo quidem eſſe, quod revelentur homini myſteria fidei, & quod proponantur ſufficientia motiva, ut appareant credibilia: ex homine autem eſſe, quod virtute ſui ingenij prædictis myſteriis aſſentiat. Quod etiam docet D.Fulgentius *lib. de gratia Chriſti cap.*23. docens poſſe hominem naturaliter credere. Et loquuntur prædicti Patres de aſſenſu fidei elicito, ſicut oportet, & relato ad ſalutem, ut ex contextu liquet. D.Fulgent.

Diluitur argumentum. Reſpondetur ad argumentum, quòd credere aliter in noſtra poteſtate, ac ſalus eſt in poteſtate Dei: nam ſalus eſt in Dei poteſtate tanquam in prima cauſa, quæ à nullo alio principio recipit virtutem, nec illi in agendo ſubordinatur: credere autem eſt in poteſtate hominis tanquam in cauſa ſecunda, & inſufficienti ad prædictum actum, niſi elevetur, & applicetur à cauſa prima. Nec tamen fruſtra petitur ab homine, ut credat: quia licet nequeat abſque divino auxilio credere: ſicut oportet: nihilominus adhuc poſito auxilio libere credit, ac proinde ita aſſentit, ut poſſit diſſentire, vel non aſſentire, juxta doctrinam Concilij Trident. *ſeſſ.*6. *cap.* 5. ubi docet homines aſſentiendo, & cooperando divinæ gratiæ, ad juſtificationem diſponi: *ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe, qui illam & abjicere poteſt: neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Unde in ſacris literis cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos,* Zachar.1. *libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur* Thr.5. *Dei nos gratia præveniri confitemur.* Credere igitur ita eſt conditio, vel diſpoſitio ſe tenens ex parte hominis, & neceſſaria ad ſalutem: ut tamen ſit à Deo tanquam à primo, & ſpeciali principio nobis communicante vires, ut exhibeamus dictum aſſenſum. Unde dicitur 5. Paralipomenon capite 29. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Quam reſponſionem illuſtrat Conc.Trid. 1.Paralipom. cap.29.

illuſtrat Auguſtinus *libro 1. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10.* & Divus Proſper *libro contra Collatorem* (cujus eſt hoc argumentum) *cap. 23.* ubi ait : *Iam non ſolùm voluntatem boni , ſed etiam poſſibilitatem liber adſcribit arbitrio : tanquam ideo ab eis exigatur intelligentia , ideo juſtitia repoſcatur , quia poſſint hæc ſine Dei donis , de natura proferri bonis. Imperantur autem illa homini , ut ex ipſo præcepto Dei , qui ei hoc , quod accepit indicitur , agnoſcat id de ſuo vitio perdidiſſe , & non ideo iniquam eſſe exactionem , quia ad reddendum , quod debet, idoneus non eſt : ſed à littera occidente confugiat ad ſpiritum vivificantem , & facultatem, quam antea non invenit in natura , quærat ex gratia. Quod ſi facit, magna eſt miſericordia Domini ; ſi non facit, juſta eſt pœna peccati.*

D. Proſper.

Occurritur confirmationi.

Ad confirmationem dicendum eſt Divum Auguſtinum loqui de his , quæ deſiderantur ad congruentem propoſitionem credibilium , & ut appareant magis credibilia. Aliqui enim magis afficiuntur ad rem propoſitam hoc modo , quam alio , ut puta magis ad jucunda, quàm ad triſtia, aut è converſo. Quamobrem congruentius proponitur illis veritas , quando aſſociatur motivis, quæ naturaliter conſonant eorum inclinationi. Quo ſenſu Auguſtinus *libro ad ſimplicia quæſt. 2.* exponens illa verba Matth. 20. *Multi ſunt vocati , pauci vero electi , dixit : Illi enim electi, qui congruenter vocati ; illi autem , qui non congruebant , neque contemperabantur vocationi, non electi , quia non ſequuti , quamvis vocati. Videmus alios aliter eiſdem rebus , demonſtratis, vel ſignificatis ad credendum moveri. Et poſtquam id demonſtravit exemplis , concludit. Cum autem alius ſic , alius autem ſic moveatur ad fidem : eademque res ſæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat : aliumque moveat, alium non moveat : qui audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi , quo etiam Eſaü ad eam fidem mentem applicaret , voluntatemque conjungeret, in quo Iacob juſtificatus eſt.* Quibus verbis ſolùm ſignificat motionem moralem ſe tenentem ex parte objecti , & ea, quæ conducunt, ut melius , repræſentetur credibilitas ipſius. Et quia Tiriis, & Sidoniis negatum erat , ut crederent; negatum etiam fuit, ut fides eis congruenter hoc modo proponeretur. Per hæc autem minime excluditur neceſſitas auxilij intrinſeci , & elevantis ac moventis hominem ad credendum , ſed hanc frequenter adſtruit ipſe Auguſtinus, ut *Pſal. 87.* circa finem, ubi inquit : *Quomodo crederem , niſi audirem. Sed ut audita crederem, ipſe me attraxit.* Et *ſuper cap. 6. Ioan.* ubi ait : *Hæc ſi ab hominibus audiunt , tamen quod intelligunt , intus datur,* & aliis locis ſupra citatis.

D. Auguſt.

D. Auguſt.

Ad auctoritatem Divi Fulgentij reſpondemus, quòd per ly *naturaliter* ſolum deſignat potentiam remotam credendi , ſeu capacitatem ad habendam fidem : hujuſmodi autem capacitas convenit homini ex ſua natura , quia videlicet gaudet ratione , & libero arbitrio , quæ duo neceſſaria ſunt in credente. Per hoc autem non excludit neceſſitatem divini auxilij, cùm potius ſtatim ſubdat donati divinitus homini , ut credat. Quæ ſententia omnino conſonat Auguſt. *lib. 1. de prædeſt. Sanctorum cap. 5.* dicenti : *Poſſe habere fidem , naturæ eſt hominum , habere autem non niſi fidelium.*

D. Auguſt.

Adde etiam ly *naturaliter* poſſe ita exponi , ut ſignificet naturam reformatam , vel adjutam per gratiam. Quo pacto illud interpretatur D.Thom. exponens verba Apoſtoli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent , naturaliter , quæ legis ſunt , faciunt ,* ubi lect. 3. inquit : *Quod dicit naturaliter , dubitationem habet : videtur enim patrocinari Pelagianis : unde exponendum eſt naturaliter , id eſt, per naturam gratia reformatam.* Et hæc expoſitio valde congruit menti Fulgentij, inquit enim : *Arbitrium hominis ſanat Deus, atque illuminat , ut homo Deum naturaliter credat.*

D. Thom. — Ad Rom. 2. — D. Fulgent.

Secundum argumentum.

22. Secundò arguitur : quia repugnat hominem teneri ad id , quod non eſt in ſua poteſtate: ſed ſuppoſita ſufficiente propoſitione myſteriorum fidei , tenetur homo illis aſſentire : ergo in ejus poteſtate eſt , quod illis aſſentiatur : aſſenſus autem , quo homo debet credere myſteria revelata, eſt aſſenſus , ſicut oportet ad ſalutem ; ſiquidem per illum ſe convertit , ac diſponit ſaltem initiativè ad finem ultimum ſupernaturalem : ergo homo poteſt ſuis viribus elicere aſſenſum fidei , ſicut oportet.

Reſponſio ex D. Thom.

Huic argumento reſpondet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 2. art. 2. ad* 1. his verbis : *Dicendum , quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid, excluſo auxilio gratiæ , ſic ad multa tenetur homo , ad quæ non poteſt ſine gratia reparante : ſicut ad diligendum Deum, & proximum , & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ : quod quidem auxilium , quibuſcumque datur , miſericorditer datur : quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati , & ſaltem originalis peccati , ut Auguſt. dicit in libro de correct. & gratia cap. 5.* & *in hac quæſt. art. 4. ad 2.* inquit : *Dicendum, quod illud , quod poſſumus cum auxilio divino , non eſt nobis omnino impoſſibile , ſecundùm illud Philoſophi in 3. Ethic. cap. 3. quæ per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus.* Quod repetit, & amplius expendit *3. contra gentes, cap. 159.*

Replica.

Sed contra inſurges : demus, quòd homini, cui myſteria fidei ſufficienter proponuntur credibilia, Deus nullum auxilium internum conferat. Tunc vel homo crederet myſteria fidei, ſicut oportet : & ita habetur intentum , quod ſcilicet per proprias vires aſſentiatur fidei myſteriis , ut oportet ad ſalutem. Vel non crederet: & ita peccabit. Cumque nullus peccet in omiſſione ejus , quod non habet in poteſtate ; ſequitur , quod ſecluſo omni auxilio interno, habuerit prædictus homo poteſtatem ſufficientem ad eliciendum aſſenſum fidei : ac proinde poterit illum elicere per vires proprias. Nam illa doctrina D.Thom. quod homo rectè dicitur poſſe, quod per amicos poteſt , licet pro aliis actibus deſerviat, præſenti tamen difficultati adaptari nequit: eo quod homo eatenus poteſt aliquid per auxilia, quæ Deus offert, quatenus illa cognoſcit, & poteſt petere, ac impetrare : ſi enim ea non cognoſceret, vel impetrare non poſſet, perinde ſe haberent prædicta auxilia, ac ſi promiſſa, & præparata non fuiſſent : & conſequenter nullam homini potentiam conferrent intrinſecam aut extrinſecam. Fides autem eſt id , per quod cognoſcimus auxilia divina eſſe nobis præparata juxta illud Apoſtoli ad Hæbræos 11. *Accedentem ad eum oportet credere, quia eſt , & inquirentibus ſe remunerator ſit :* eſt etiam principium impetrandi dona gratiæ ſecundum illud Jacobi 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans,* & docet Auguſt. *ep.* 103. Vnde neceſſario ſequitur, quod ante aſſenſum fidei, nec cognoſcamus præparationem divinorum auxiliorum , nec illa poſſimus impetrare. Ergo ut homo dicatur poſſe elicere primum aſſenſum fidei, non prodeſt recurſus ad auxilia

ad Hebr. 11. — Jacob. 1. — D. Auguſt.

Digitized by Google

auxilia præparata: ſed dicendum eſt vel hominem non teneri credere; vel poſſe credere per ſolas vires naturæ.

Diluitur. Huic replicæ reſpondetur nullatenus admittendum eſſe, quod alicui ſufficienter proponantur myſteria fidei ut credibilia, & ſimul credendi obligatio; & quod Deus non conferat auxilia ſufficientia ad credendum. Quia nullus eſt, qui non maneat infidelis contrarie, ubi myſteria fidei ſufficienter ſibi propoſita non credit: quod non contingeret, ſi Deus illi omne auxilium internum denegaret: nihil enim haberet, quo poſſet ſe movere ad credendum; vel petendum Dei auxilia; atque ideo omiſſio credendi non eſſet culpabilis. Hujuſmodi autem auxilium, per quod homines invitantur, & alliciuntur ad fidem, frequenter apud Concilia, & Patres appellatur inſpiratio, atque illuminatio Spiritus ſancti de

D. Auguſt. qua loquitur Auguſt. cum *ſuper cap.6. Ioann.* inquit: *Hæc ſi ab hominibus audiunt; tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruſcat, intus revelatur.*

Admiſſo autem diſputationis gratiâ; quod Deus in prædicto caſu nullum internum auxilium conferret, certum eſt, quòd homo non eliceret aſſenſum fidei, ſicut oportet; cùm iſte poſtulet vires gratiæ, ut conſtat ex dictis. Poſſet tamen ille homo dupliciter ſe habere: primò negativè, nempe ſuſpendendo, aut potius non eliciendo aſſenſum: ſecundò poſitivè, & contrariè, eliciendo ſcilicet diſſenſum; ſeu diſcredendo. Et primo quidem modo non peccaret: quia cùm non poſſet elicere aſſenſum fidei, ſicut oportet, niſi ex gratia, & ſupponatur omni gratia deſtitutus; omiſſio prædicti aſſenſus erit involuntaria, & pura negatio. Secundo autem modo peccaret: quoniam homo per proprias vires naturales poteſt adimplere præceptum negativum non diſcredendi myſteria fidei ſufficienter propoſita; cùm ad hoc ſufficiat poſſe non elicere actum naturalem diſcredendi, quem certum eſt habere in ſua libera poteſtate.

Recurſus autem ad auxilia gratiæ à Deo præparata, quem conſiderat D.Thom. ut homo dicatur poſſe per ea, quod per ſe non poteſt; quamvis in aliis actibus ſupponentibus fidem magis appareat (ille enim, qui credit prædicta auxilia eſſe ſibi præparata, & ea non petit, manifeſtè convincitur iis nolle uti:) nihilominus etiam habet locum in præſenti materia, ut conſideranti conſtabit. Quoniam licet ante primum actum fidei non cognoſcat homo eſſe ſibi præparatum auxilium ad aſſentiendum, ſicut oportet: attamen ſi ſemel illi proponuntur myſteria fidei ut credibilia, habet etiam auxilium internum ſufficiens, ut ſe inchoative moveat ad credendum, juxta ea, quæ nuper diximus. Unde quod non utatur prædicto auxilio, ac proinde, quod non credat, illius vitio, & liberæ voluntati vertendum eſt. Si enim illo primo auxilio recte uteretur, crederet re ipſa, ſicut oportet, & poſſet etiam ulteriora auxilia impetrare. Alias objectiones meditato omittimus, quia æque militant in aliis diſpoſitionibus ad gratiam, de quibus infra ex profeſſo agendum eſt.

DUBIUM TERTIUM.

Utrum ſit neceſſaria gratia ad eliciendum aſſenſum fidei ſecundum ſubſtantiam acceptum.

STatuimus dubio præcedenti id, in quo conveniunt Catholici, videlicet non poſſe hominem abſque gratia aſſentire myſteriis fidei, ſicut oportet ad ſalutem: videndum nunc eſt, utrum ſaltem valeat per vires naturales prædictum aſſenſum elicere ſecundùm ſubſtantiam acceptum, in quo valde controvertunt Doctores. Ut autem majorem lucem dubio conciliemus, facilemque aditum ad illius reſolutionem aperiamus, oportet nonnulla præmittere: quæ ſimul deſervient, ut ſtatus quæſtionis evidentius cognoſcatur.

§. I.

Obſervationes aliquæ pro dubij deciſione.

23. ILlud in primis circa præſentem difficul- *Nota 1.* tatem animadvertendum eſt, quod cum inquirimus, an ſit neceſſaria gratia ad aſſenſum fidei ſecundum ſubſtantiam acceptum, minime ſupponimus (quod perperam alij in hoc dubio faciunt) prædictum aſſenſum eſſe entitative naturalem; nec ſupponimus eſſe entitative ſupernaturalem. Id quippe, ſi ſupponatur, ſtatum quæſtionis de medio tollit, & viam occludit concertationi: nam manifeſtum eſt actum entitative ſupernaturalem non poſſe fieri, ſaltem de lege ordinaria, abſque virtute elevante ejuſdem ordinis: ſicut è converſo certum eſt actum entitative naturalem non poſcere gratiam; vel ſaltem gratiam naturalem illi ſufficere. Unde præſens dubium eo præcipuè collimat, ut inveſtigemus, an aſſenſus fidei Chriſtianæ ſecundùm ſpeciem, & entitatem acceptus ſit ſupernaturalis: nam ſi id habeat, certum erit, quod non poſſit fieri per naturales vires.

24. Deinde obſervandum eſt cum Suarez *Nota 2.* *libro 1. de Gratia capite 4.* & Joanne à S.Thoma *in præſenti diſputatione 10. articulo 1.* ex triplici capite poſſe contingere, quod aliquid ſit ſupernaturale, nempe ex cauſa efficienti, finali, & formali: nam ex cauſa materiali ſupernaturalitas deſumi non poteſt, illa quippe conſiſtit in rebus aliquid ſupernaturale recipientibus, quæ utique entia naturalia ſunt, licet recipiant per potentiam obedientialem. Ex parte igitur cauſæ efficientis dicitur aliquid ſupernaturale, quando modo ſupernaturali fit, quamvis entitas facta ſit naturalis: quo pacto illuminatio cæci ſolet dici ſupernaturalis, quia potentia viſiva, licet naturalis ſit, reſtituitur ſupernaturaliter. Ex parte vero cauſæ finalis dicitur aliquid ſupernaturale, quando ordinatur ab extrinſeco in finem ſupernaturalem, quamvis id, quod ordinatur, in ſe naturale ſit: qua ratione actus temperantiæ naturales poſſunt eſſe ſupernaturales ex parte finis, ſi per charitatem ordinentur in finem ſupernaturalem, ut contingit, quotieſcumque fiunt meritorie. Denique ex parte cauſæ formalis dicitur aliquid ſupernaturale, quando illius ſpecificativum ſupernaturale eſt: ſpecificativum enim habet ſe per modum formæ, extrinſecæ quidem ſi comparetur ut terminus habitudinis, ſicut comparatur objectum

Quibus modis aliquid ſupernaturale dicatur.
Suarez. Ioann. à S. Thom.

objectum primarium ad actus, habitus, & potentias; intrinſecè verò, ſi comparetur per modum habitudinis intrinſecæ, ut ſe habet reſpectus potentiæ habitus, & actus ad objectum primarium. Et quia entitas, & ſubſtantia cujuſcumque rei convertitur cum ejus ſpecie, quæ ut diximus ab ſpecificativo deſumitur; tunc aliquis actus dicendus eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam & ſpeciem, quando illius objectum ſpecificativum fuerit ſupernaturale. Tunc quippe ratio ſpecifica, differentialis, & conſtitutiva eſt ſupernaturalis, ac proinde debet totum actum in eſſe ſupernaturalis ſimpliciter conſtituere. Unde etiam fit, quod conceptus generici in tali actu reperti non ſint naturales; ſed vel ſint ſupernaturales determinate, vel ſaltem præſcindant ab eſſe naturali, & ſupernaturali; quemadmodum conceptus genericus repertus in actu ſpirituali nequit eſſe corporeus; ſed vel eſt ſpiritualis, vel ab utroque præſcindit. Nam ſicut eſſe corporeum, & ſpirituale ſunt diverſæ, & oppoſitæ lineæ, ita etiam naturale, & ſupernaturale: unde non minus repugnat actum eſſe naturalem quoad gradum genericum, & ſupernaturalem quoad ſpecificum, quam actum ſecundum genus eſſe corporeum, & ſecundum differentiam ſpiritualem.

Nota 3. 25. Præterea in præſenti difficultate præſupponendum eſt habitum fidei theologicæ eſſe per ſe infuſum, & quoad ſpeciem ſupernaturalem. *Fides Theologica ſupernaturalis.* In hoc enim conveniunt jam omnes Theologi, ut videre eſt apud Arauxo, 2. 2. *quæſt.6. art.* 1. *dubio* 1. Arauxo. Et merito: tum quia videtur eſſe diffinitum in capite *Majores* de Baptiſmo, & in Clement.unica de Summa Trinitate & fide Catholica: & in Concilio Tridentino *ſeſſ.6. cap.7. & can.*11. *&* 12. Conc.Trid. & ideo non deſunt graves Doctores, qui doceant id eſſe certum ſecundum fidem. Tum etiam quia fides Theologica eſt ejuſdem ordinis cum gratia ſanctificante: quam certum eſt eſſe entitativè ſupernaturalem. Tum denique quia id ſatis perſpicue, & efficaciter evincit Divus Thomas, *in hac* 1. 2. *quæſt.*62. *articulo* 1. *in corpore,* D. Thom. ubi loquens de virtutibus Theologicis in communi inquit: *Per virtutem perficitur homo ad actus, quibus in beatitudinem ordinatur. Eſt autem duplex hominis beatitudo, ſive felicitas, ut ſupra dictum eſt. Una quidem proportionata humanæ naturæ, ad quam ſcilicet homo pervenire poteſt per principia ſuæ naturæ. Alia autem eſt beatitudo naturam hominis excedens, ad quam homo ſola divina virtute pervenire poteſt, ſecundum quamdam divinitatis participationem, ſecundum quòd dicitur* 2. *Petri* 1. *quod per Chriſtum facti ſumus conſortes divinæ naturæ. Et quia hujuſmodi beatitudo proportionem humanæ naturæ excedit, principia naturalia hominis, ex quibus procedit ad hanc agendum ſecundum ſuam proportionem, non ſufficiunt ad ordinandum hominem in beatitudinem prædictam. Unde oportet, quod ſuperaddatur homini divinitus aliqua principia, per quæ ita ordinetur ad beatitudinem ſupernaturalem, ſicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem, non tamen abſque adjutorio divino. Et hujuſmodi principia virtutes dicuntur Theologicæ: tum quia habent Deum pro objecto, in quantum per eas rectè ordinantur in Deum: tum quia à ſolo Deo nobis infunduntur: tum quia ſola divina revelatione in ſacra Scriptura hujuſmodi virtutes traduntur.* Quod ſpecialiter applicat fidei Theologicæ S. Doct. 2. 2. *quæſt.*6. *art.* 1. *&* 2. Videantur, quæ diximus *Tract.*12. *diſp.*3. *dub.*1. ubi plura tradidimus, quæ id, quod præſupponimus à fortiori confirmant.

Et quia frequenter in hoc dubio ad objectum prædictæ fidei recurremus, ideo oportet *Fidei infuſæ objectum.* breviter prælibare, quidnam ſit. Pro cujus luce advertendum eſt in objecto fidei, ſicut & in quolibet alio duplicem rationem diſtingui, nempe rationem *quæ*, & rationem *ſub qua*. Ratio igitur *quæ* primaria in objecto fidei eſt aliquid formaliter divinum; id quippe poſcit quæcumque virtus Theologica: & conſiſtit prædicta ratio *quæ* in Deitate, ut condiſtincta ab attributis, & relationibus divinis: hanc enim rationem per ſe primo reſpicit, ſicut & ſcientia beata, cujus eſt participatio, illiuſque notitiæ potiſſimum incumbit, ut dicemus *in Tract. de fide diſp.*1. *dub.*1. Alia verò objecta, quæ fides Theologica attingit, vel ſunt ſecundaria, vel modificationes objecti primarij, ut modò ſupponimus ex tractatu citato. Ratio autem *ſub qua* fidei Theologicæ conſiſtit in actuali revelatione Dei obſcura, ut ibidem dicemus quoniam ratio *diſp.* 1. *dub.* 2. *ſub qua* habitus cognoſcitivi eſt motivum, cui innititur in attingendo propriam rationem *quæ*: motivum autem, cui fides Theologica innititur, cum aſſentit credibilibus, eſt revelatio, ſeu teſtimonium Dei prædicta credibilia obſcure proponentis, ſiquidem ideo credimus Deum verbi gratia eſſe Trinum, quia Deus id teſtificatus eſt.

26. Præter hanc autem fidem ſupernaturalem, *Fides humana.* & per ſe infuſam, certum eſt poſſe dari aliquam fidem humanam, & acquiſitam, quæ myſteria à Deo revelata attingat. Tum quia non eſt inconveniens, quod objectum ſupernaturale reſpiciatur ab habitu naturali, dummodo attingatur ſub motivo naturali: nam prædictum objectum, ut ſtat ſub illa ratione, eſt naturale in eſſe objecti, valetque proinde ſpeciem naturalem transfundere: fides autem humana reſpicit myſteria revelata ſub motivo naturali, ut ex ſe liquet. Tum etiam quia myſteria fidei poſſunt proponi ut credibilia per motiva, & rationes naturales, quæ fundent aliqualem fidem humanam. Tum præterea quia hæreticus habet aliquam fidem circa articulos, quos credit: quæ utique non eſt Theologica, ut inquit D.Thom. 2.2. *q.*5.*art.*3.*in fine,* D. Thom. *& quæſt.*14. *de verit.art.*10. *ad* 10. ait: *Quod hæreticus aliqua credat, quæ ſupra naturalem cognitionem ſunt, non eſt ex aliquo habitu infuſo: quia ille habitus dirigeret eum in omnia credibilia æqualiter: ſed eſt ex quadam æſtimatione humana, ſicut Pagani aliqua de Deo ſupra naturam credunt.* Tum denique, quia id ſatis convincent argumenta, quæ pro contrariis opinionibus infra expendemus, docentque communiter utriuſque partis Auctores, ut teſtantur Alvarez *de auxiliis diſp.*49. Alvarez. *concluſ.*3. Et Suarez *lib.*2. *de gratia cap.*10.*n.*3. Suarez.

27. Præſens ergo difficultas ſupponit, & *Punctum difficultatis.* quod poſſimus myſteriis revelatis aſſentire per proprias vires aſſenſu quodam humano, & naturali: & quod non valemus per dictas vires talem eis aſſenſum præbere, qualem elicimus per fidem Theologicam, reduplicando illam formalitatem, vel habitudinem, quas actus participat ab habitu, per quem fit: quippe manifeſtum eſt id, quod eſt proprius effectus habitus, non poſſe abſque habitu fieri. Dubium autem eſt, utrùm poſſimus abſque gratia elicere illum aſſenſum ſecundum ſpeciem, & entitatem acceptum, qui alias fit per fidem Theologicam, illique correſpondet; quamvis non valeamus

eum

eum efficere, nec ſicut oportet ad ſalutem, nec ſub illo perfectionis modo, quem à prædicta fide habituali participat: ſicut actus logicalis, qui fit à Logica, queit abſolutè abſque habitu logicæ fieri, ſi conſideretur ſecundum ſpeciem, & præſcindat à modo, quem ex influxu logicæ habet. Itaque inquirimus utrum idem actus ſecundum ſpeciem, qui fit per fidem infuſam, poſſit fieri per vires naturales. Cui quæſtioni aliam annectunt Theologi moderni, nempe: an poſſimus per vires naturales aſſentire myſteriis revelatis ſub eodem motivo, ſub quo illa attingimus per fidem Theologicam, quamvis non per eumdem aſſenſum in ſpecie; ſed per actum ſpecie diſtinctum. Utramque vero difficultatem ſub hoc dubio comprehendimus: & quia nequeunt convenienter ſeparari; & quia deciſio unius viam parat ad reſolutionem alterius, ut conſtabit ex dicendis.

§. II.

Statuitur ſententia D.Thomæ, & rationibus munitur.

Prima concluſio ex D.Th.

28. Dicendum eſt primò non poſſe hominem per proprias vires efficere aſſenſum fidei Theologicæ ſecundum ſpeciem, aut ſubſtantiam acceptum. Hanc concluſionem perpetuo docet Divus Thomas (D. Thom.) & præcipuè *quodl. 2.quæſt.4. art.1. in corp.* ubi ait: *Credere eſt ſuper potentiam hominis naturalem: unde ex dono Dei provenit &* 2. 2. *quæſt.5. artic. 3. ad 1.* inquit: *Articulos fidei, de quibus hæreticus non errat, non tenet eodem modo, ſicut tenet eos fidelis, ſcilicet ſimpliciter inhærendo primæ veritati: ad quod indiget homo adjuvari per habitum fidei.* Et *quæſt.6. art.1.* inquit: *Cum homo aſſentiendo his, quæ ſunt fidei, elevetur ſupra naturam ſuam, oportet, quod hoc inſit ei ex ſupernaturali principio interius movente, quod eſt Deus. Et ideo fides quatenus ad aſſentiendum, qui eſt principalis actus fidei, eſt à Deo interius movente per gratiam.* Unde hanc ſententiam docent communiter Thomiſtæ Cajetanus *loco proximè citato*, ubi retractat alibi ſcripta. Ferrara 4. *contra gentes cap.*44. Cano *relect. de pœnit. part.*3. Bañez 2. 2.*qu.*5. *art.*2. *& q.6.art.*1. Alvarez *de auxiliis diſp.*44. Conradus & Medina *in præſenti art.*3. *&* 4. Arauxo *art.*7. *dub.*1. Greg.Mart.*art.*1. *dub.*4. Joan. à S.Th. *diſp.*20. *art.*1. Curiel *art.*1. *dub.*3. Zumel *diſp.*7. *concl* 2. Monteſ. *diſp.*27.*qu.*3. & alij S. Doctoris diſcipuli. Quibus etiam conſentiunt D. Bonavent. *in* 3. *diſt.*23. *art.*2. *qu.*2. Gregorius *ibidem.* Viguerius *in Inſtitut. cap.*10. §. 3. *verſiculo* 16. Vega *opuſc. de Iuſtificat. quæſt.*9. Suarez *lib.* 2. *de gratia cap.* 11. *num.*8. Valentia, 2. 2. *quæſt.*6. *art.*1. *quæſt.*1. Vaſquez *in præſenti diſp.*187. *cap.*2. Bellarminus *lib.*6. *de gratia cap.*2. Lorca *in præſenti diſp.* 9. Granad. *de gratia tract.* 1. *diſp.*4. *ſect.*1. Lugo *de virtute fidei diſp.* 9. *ſect.* 2. & alij plures. Quorum nonnulli oppoſitæ ſententiæ notam temeritatis, aut periculi in fide inurunt, ut videri poteſt apud Medinam 1. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. & apud Arauxo *loco citato ex* 2. 2. *dub.*1. Et fortè non immeritò, quia omnes auctoritates ſcripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ expendimus dubio præcedenti hanc etiam aſſertionem (licet non æquali certitudine) convincunt, ut ex ipſis, quæ jam ſubjicimus, conſideranti conſtabit.

Cajetanus. Ferrara. Cano. Bañez. Alvarez. Conradus. Arauxo. Gregor. Martinez. & alij. D.Bonavent. Gregorius. Viguerius. Vega. Suarez. Valentia. Vaſquez. Bellarminus. Lorca. Granadus. Lugo.

Ratio fundamentalis.

Primum, & principale fundamentum noſtræ aſſertionis ſumitur ex dictis dubio præcedenti, poteſtque ad hanc formam reduci: quoniam homo nequit per vires naturales elicere aſſenſum fidei, ſicut oportet ad ſalutem: ſed aſſenſus fidei Theologicæ ſecundùm ſuam ſpeciem, ac ſubſtantiam acceptus aliis circumſcriptis, eſt talis, qualem oportet eſſe ad ſalutem: ergo nequit homo per ſolas vires naturales elicere prædictum aſſenſum quoad ſubſtantiam, & ſpeciem. Conſequentia eſt legitima. Major conſtat ex dubio præcedenti. Minor autem ſuadetur, tum quia habitus fidei Theologicæ ſecundum entitatem, & ſpeciem acceptus eſt talis in ratione habitus, qualem oportet eſſe ad ſalutem, ut docet Divus Thomas, 2. 2. *quæſtione 6. articulò* 1. & 2. (D.Thom.) & cum eo communiter Theologi: ſed actus, & habitus debent eſſe ejuſdem ordinis; ſiquidem actus præſtat actu, quod habitus præſtat habitu: ergo aſſenſus fidei Theologicæ ſecundùm entitatem, & ſpeciem conſideratus eſt talis, qualis deſideratur ad ſalutem. Tum etiam, quia actus perfectius, & immediatius attingit terminum, ſeu finem, in quem habitus ordinatur, quam ipſe habitus; cum ſit immediata unio, ſeu attingentia illius: ſed fides Theologica ſecundum ſuam ſpeciem ordinatur in finem ſupernaturalem, & hac ratione habet per ſuam entitatem, & ſpeciem eſſe talem, qualem oportet eſſe ad prædictum finem: ergo à fortiori id habebit ejus actus ſecundum ſpeciem conſideratus. Tum denique, quia ſicut habitus fidei Theologicæ eſt quædam participatio ſcientiæ beatæ; ita aſſenſus fidei Theologicæ debet eſſe participatio actus prædictæ ſcientiæ, nempe viſionis beatificæ: ergo ſicut fides Theologica ob illam participationem eſt aliquid ſupernaturale, & conducit per ſuam entitatem ad ſalutem; ita illius actus debet ob ſimilem participationem eſſe ſupernaturalis, & diſponere, quantum eſt de ſe, ad ſalutem.

Adverſariorum reſponſio.

29. Huic rationi occurrunt Adverſarij negando, quod aſſenſus fidei Theologicæ conſideratus præcisè quoad ſpeciem, habeat eſſe, ſicut oportet ad ſalutem. Ad probationes autem in contrarium dicunt prædictum actum ſecundum entitatem acceptum non correſpondere determinatè fidei Theologicæ; ſed indifferentes ſe habere tum ad illam, tum ad virtutem naturalem noſtri intellectus, & poſſe ab una, aut altera elici. Unde ad hoc, ut fiat actus peculiaris prædictæ virtutis, debet inducere quendam modum, ratione, cujus dicat habitudinem ad ipſam fidem, tum ad objectum & finem ejus. Et per hunc modum conſtituitur in eodem ordine, in quo eſt fides: & habet eſſe, ſicut oportet ad ſalutem: aliter enim neque attingit finem fidei, neque eſt participatio viſionis beatificæ.

Confutatur.

Cæterùm hæc evaſio infirmo nititur fundamento, poteſtque efficaciter præcludi eiſdem probationibus, quibus uſi fuimus, ſi inſtaurentur, & expendantur in hunc modum. Quoniam ubi eſt poſſibilis tendentia habitualis, & in actu primo ad aliquem terminum, etiam debet eſſe poſſibilis tendentia in actu ſecundo, ſeu, quod idem eſt, actus tendens ad eumdem terminum, ut inductivè poteſt oſtendi: ſed poſſibilis eſt habitus fidei, qui tendit habitualiter, & in actu primo ad finem ſupernaturalem, ſicut oportet, ut adverſarij admittunt: ergo poſſibilis eſt actus, qui in actu ſecundo ad eundem finem tendat: hic autem non eſt alius, niſi aſſenſus fidei Theologicæ: hic ergo tendit in prædictum finem, ſicut

oportet. Quæ ratio procedit independenter à modo accidentali, & extra ſpeciem actus ut ex ſe liquet.

Præterea, unio actualis habitus cum objecto non eſt aliquis modus, ſed debet eſſe actus ſubſtantialiter, & entitativè acceptus: eo quod habitus non aliter utitur ſuo objecto, niſi illud cognoſcendo, vel amando; & cognoſcere, atque amare non eſt effectus modi, ſed alicujus actus ſecundum ſpeciem accepti, nempe cognitionis, vel amoris: ergo ſi ex unione, & attingentia objecti ſupernaturalis, colligitur fidem Theologicam eſſe, qualis oportet ad ſalutem; id à fortiori concedendum eſt actibus ejuſdem fidei: nam perfectius, intimius, & immediatius attingunt idem objectum.

Deinde ſi eſt poſſibilis habitus fidei, qui ſecundum ſuam ſpeciem ſit participatio ſcientiæ beatæ, & conſequenter ſicut oportet ad finem ſupernaturalem: nulla eſt ratio cur repugnet actus fidei, qui ſecundum ſuam ſpeciem ſit participatio viſionis beatificæ, & ad finem ſupernaturalem conducat: hic autem non eſt alius, quam aſſenſus fidei Theologicæ: ergo, &c.

Refellitur urgentius.

30. Quæ omnia confirmantur evertendo fundamentum, cui nititur hæc reſponſio: quoniam aſſenſus fidei Theologicæ habet eſſe ſicut oportet ad ſalutem: ſed id non habet per aliquem modum propriæ ſpeciei ſuperadditum: ergo per ſuam ſpeciem,& ſubſtantiam eſt, ſicut oportet ad ſalutem, proindeque fieri non poteſt fieri per ſolas vires naturales. Major, quæ ſola indiget probatione, probatur recenſendo modos,per quos Adverſarij explicant actum fidei conſtitui in eſſe diſpoſitionis conducentis ad ſalutem, eoſque refellendo.

Supernaturalitas aſſenſus fidei non eſt modus intenſionis.

Nam in primis prædictus modus nequit eſſe modus intenſionis, ut Scotus, Gabriel, & alij docent: tum quia intenſio eſt ejuſdem ordinis cum actu; cum nihil aliud ſit, quam magis eſſe ipſius: ergo ſi actus fidei Theologicæ eſt naturalis quoad ſubſtantiam, etiam erit naturalis quoad intenſionem, ac proinde ſecundum iſtum modum non erit, ſicut oportet ad ſalutem. Tum etiam quia ſtat bene hominem habere habitum fidei Theologicæ, & tamen elicere actum remiſſum: ergo effectus per ſe habitus fidei non eſt modus intenſionis: cum ergo actus fidei habeat eſſe, ſicut oportet ad ſalutem ſub illa ratione, ſecundum quam eſt effectus fidei Theologicæ, ut docent adverſarij; ſequitur modum intenſionis non deſiderari ad hoc, ut actus fidei fiat, ſicut oportet ad ſalutem. Tum denique quia perfectio requiſita in actibus pertinentibus ad ſalutem non conſiſtit in eorum intenſione, ut explicant communiter Theologi in materia de charitate, & pœnitentia: & ſatis apparet in ipſa gratia ſanctificante, quæ licet minima, & valde remiſſa ſit, ſufficit ad conferendam ſalutem: ergo idem de actu fidei diſponente ad ſalutem dicendum eſt. Quod aperte docuit Auguſtinus, *libro de prædeſtinatione Sanctorum, cap.* 2. ubi verſans illa verba Apoſtoli 1. ad Timoth. 1. *Miſericordiam conſequutus ſum, ut eſſem fidelis,* acute obſervavit Paulum non dixiſſe: *ut eſſem fidelior, ſed ut eſſem fidelis:* quia videlicet aſſenſus fidei Theologicæ abſolute, & independenter à modo intenſionis eſt beneficium gratiæ, & conducit ad ſalutem. *D. Auguſt.*

Nec modus facilitatis.

Nec valet prædictus modus conſiſtere in facilitate, ut vult Durandus: tum quia Concilia damnant eos, qui aſſerunt gratiam eſſe neceſſariam, ut ea, quæ ſimpliciter poſſumus per naturam, facilius poſſimus per gratiam, ut conſtat ex Milevitano *capite quinto*, ſed in ſententia, quam impugnamus, gratia ſolum requiritur ut actus fiat eo modo, quo oportet: ergo hic modus nequit in facilitate conſiſtere. Tum etiam quia potentia facile poteſt elicere actus ad quos habet virtutem completam, ut obſervavimus *Tractatu* 12. *diſputat. dubio* 3. *numero* 39. & ſatis apparet in omnibus actibus, eo quod ſint proportionati facultati potentiæ: ergo ſi actus fidei Theologicæ ſecundum ſuam ſpeciem acceptus eſt pure naturalis, & perinde proportionatus intellectui noſtro; poterit elici faciliter, quin habitus requiratur. Tum præterea: quia facilitas eſt ejuſdem ordinis cum actu, & poteſt per ipſum repetitum acquiri: ergo ſi poſſumus per vires naturales elicere aſſenſum fidei, poterimus etiam per eaſdem vires comparare facilitatem illius: ſed non valemus elicere, ſicut oportet: ergo ly *ſicut oportet* non determinat aliquem modum facilitatis. Tum denique, quia ut actus conducat ad ſalutem, non petit fieri cum facilitate: cujus ſignum eſt, quod etſi ex gratia fiat, ſolet cum difficultate fieri: ergo quod ſit, ſicut oportet, nequit in modo facilitatis conſiſtere. *Conc. Milev.*

Nec conſiſtit in modo certitudinis.

31. Nec etiam dici poteſt prædictum modum ſitum eſſe in certitudine, & firmitate aſſenſus, ut idem Durandus ſignificavit: tum quia certitudo aſſenſus pertinet ad ejus ſpeciem, ut inductive poteſt oſtendi: ergo certitudo non eſt modus aſſenſui accidentaliter ſuperadditus. Tum quia aſſenſus fidei Theologicæ habet ſuam certitudinem & firmitatem, ex motivo, cui innititur, nempe ex teſtimonio Dei revelantis: implicat enim aſſenſum innitentem divino teſtimonio non eſſe ex hoc ipſo maxime certum, & firmum; cum teſtimonio Dei nequeat ſubeſſe falſum: atqui aſſenſum fidei inniti divino teſtimonio non convenit ei per aliquem modum ſibi accidentaliter ſuperadditum; ſed per ſuam differentiam ſpecificam; ergo ſi habet eſſe, ſicut oportet, ex certitudine, & firmitate; ſequitur quod per ſuam ſpeciem habeat eſſe, ſicut oportet, & non per aliquem modum ſuperadditum. Tum denique, quia vel adverſarij loquuntur de firmitate objectiva: & hæc pertinet ad ſpeciem aſſenſus, ut immediate diximus. Vel loquuntur de firmitate ſubjectiva: & hæc nequit conducere, ut actus fidei ſupernaturalizetur, aut conducat ad ſalutem: nam hoc genere certitudinis aut firmitatis (quæ dum tenet falſum, potius eſt pertinacia) ſolent hæretici aſſentire ita firmiter ſuis erroribus, ſicut Catholici aſſentiunt myſteriis fidei.

Nec in aliquo accidentali aſſenſui ſuperaddito.

Denique prædictus modus non conſiſtit in ſpecie ſupernaturali, ſubſtantiæ actus ſuperaddita,quam Molina commentus eſt. Qui ut hanc opinionem à præmiſſis impugnationibus vindicet, docet aſſenſum fidei Theologicæ factum, ſicut oportet, habere duplicem ſpeciem; primam naturalem, & conſiſtentem in attingentia objecti: ſecundam vero ſupernaturalem, & extra genus cognitionis: quæ ſpecies conſiſtit in quadam commenſuratione, ſeu aptitudine, ut actus acceptetur à Deo in ordine ad finem, & formam ſupernaturalem. Nam cum naturalia non ſint prædicto fini proportionata, indigent illa ſpecie ſupernaturali ſuperveſtiri, ut ad talem finem conducat. Et quia hæc poſterior ratio ſupponit aſſenſum fidei in ſua ſpecie, & eſſentia conſtitutum, propterea dicitur ipſi accidentalis, *Molinæ opinio.*

Digitized by Google

talis; quamvis ſit prima ratio intrinſeca conſtituendi aſſenſum in ordine ſupernaturali. Ad eum modum, quo moralitas in actibus humanis ſupponit entitatem, & ſpeciem naturalem actus; & tamen conſtituit illum in alia nova ſpecie intra genus moris.

Multis modis refellitur. Non, inquam, poteſt prædictus modus in dicta ratione conſiſtere: quia hujuſmodi ratio voluntariè, id eſt, ad illudendum argumenta præmiſſa; manet tamen illis obnoxia, ut conſideranti conſtabit, & inſuper poteſt efficaciter refelli.

Prima Molinæ impugnatio. *Primò:* quia prædicta ratio ſupernaturalis eſt omnino extra genus cognitionis, ut inquit Molina: ergo aſſenſus fidei Theologicæ affectus adhuc illa ratione eſt prorſus in ſua ſpecie naturali, & inducta intra genus cognitionis eodem modo ſe habet, ac ſi non eliceretur ab habitu infuſo: atqui certitudo aſſenſus ad genus cognitionis ſpectat: ergo aſſenſus fidei Theologicæ, & conducentis ad ſalutem ſolum importat certitudinem naturalem, neque eſt magis certus, ac ſi non eliceretur per virtutem infuſam. Conſequens eſt adeo durum, ut meritò dubitemus, an Molina audeat illud admittere.

Secunda. *Secundò:* quia ex doctrina hujus Auctoris ſequitur non eſſe neceſſarium habitum fidei Theologicæ: nam illa coaptatio & proportio ad finem ſupernaturalem ſuperaddita actibus naturalibus poteſt optimè illis communicari abſque habitu ſupernaturali, qui proximè actum eliciat, ut conſtat in actibus virtutum naturalium, qui in homine juſto ſunt meritorij, habentque proinde aliquid intrinſecum ſupernaturale, per quod proportionentur, & ordinentur in finem ſupernaturalem, ut cum communi ſententia Theologorum dicemus *in Tract. de merito.* Ex quo ulterius fieret aſſenſum fidei Theologicæ ſecundum ſe conſideratum nihil magis habere, aut conducere ad finem ſupernaturalem, quam actus virtutum naturalium.

Tertia. *Tertiò:* quoniam habitus fidei, ſicut & quilibet alius, nequit influere, vel aliquid efficere, niſi ſimul concurrat potentia, cujus eſt habitus: tum quia habitus nil aliud eſt, quam elevatio, vel complementum potentiæ; cum qua proinde conſtituit unicum principium proximum agendi: tum quia influxus habitus debet eſſe vitalis, quod fieri nequit, niſi egrediatur à potentia. Sed actus adæquatus intellectûs in quo recipitur fides, eſt cognitio: ergo implicat, quòd habitus fidei aliquid cauſet in aſſenſu, niſi prius influat in ipſum, quatenus cognitio eſt, importet ſpeciem primariam, ut conſtat exemplo virtutum naturalium, quo utitur Molina; eæ quippè non efficiunt immediatè moralitatem, ſed entitatem actus, ut fundat moralitatem, & ea veſtitur, ut diximus *Tract. 12. diſp. 1. dub. 3. num. 5.* Conſtat autem, quòd quidquid fluit immediatè à fide, debet eſſe ejuſdem ordinis cum ea, & ad eumdem finem conducere: ergo aſſenſus fidei Theologicæ ſecundum ſuam ſpeciem acceptus eſt talis, qualis oportet ad ſalutem.

Ultima. 32. Ad hæc dicere, quòd aſſenſus fidei Theologicæ ſecundùm ſpeciem, & ſubſtantiam acceptus fiat à nobis per naturales vires, & quòd Deus per ſuam gratiam illum deinde perficiat, ut ſit, ſicut oportet ad ſalutem, non multùm diſtare videtur ab errore Pelagij; quem Auguſt. *loco nuper citato* refert; & impugnat his verbis: *Non ergo receditur ab ea ſententia, quam Pelagius ipſe in Epiſcopali judicio Palæſtino, ſicut eadem geſta teſtantur, damnare compulſus, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari; ſi non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus: ſed illud potius, quod propter hoc nobis datur, ut plenius, perfectiuſque credamus: ac per hoc initium fidei noſtræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis, & ſupplementum ejus, & ſi quid aliud fideliter poſcimus.* Et quod S. Pater loquatur de aſſenſu fidei Chriſtianæ, quatenus aſſenſus eſt, & prævenit illam ſecundariam ſpeciem, quam Molina excogitavit, conſtat ex ipſis, quæ ſubjicit: nam relato teſtimonio Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. *Non quia idonei ſumus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt,* inquit: *Attendant hic, & verba iſta perpendant, qui putant ex nobis eſſe fidei acceptum, & ex Deo eſſe fidei ſupplementum. Quis enim non videat prius eſſe cogitare, quam credere? Nullus quippè credit aliquid, niſi prius cogitaverit eſſe credendum. Si ergo non ſumus ſufficientes cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: profectò non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra, qua credere incipiamus ex Deo eſt.* Et infra relatis in confirmationem hujus veritatis quibuſdam teſtimoniis, proſequitur: *Nolens ergo his tam claris teſtimoniis repugnare, & tamen volens à ſeipſo eſſe, quod credit: quaſi componit homo cum Deo, ut partem fidei ſibi vendicet, atque illis partem relinquat: & quod eſt clarius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi: & in eo, quod dicit eſſe, amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.* Quod videtur accommodari ſenſui Molinæ; ſiquidem in eodem actu fidei, quem concedit eſſe duorum, nempè Dei, & hominis, unam partem, nempè ſpeciem naturalem, quæ eſt ſubſtantia actus, tribuit homini; & alteram partem nimirum ſpeciem ſupernaturalem, quæ eſt perfectio accidentalis, tribuit gratiæ. Et cùm illa ſpecies hanc præcedat: primam partem homini, ſequentem Deo confert: atque hominem priorem, & gratiam poſteriorem facit. — *Ad Cor. 3.* — *D. Auguſt.*

Molina motivum diſpellitur. 33. Illud autem, quòd ſolutio hactenus impugnata in ſui favorem adducebat, parum ſuffragatur illi. Nam Concilia, & Patres per illa verba, *ſicut oportet*, non deſignant, niſi rationem propriam, & ſpecialem aſſenſus fidei Theologicæ, ut conſtat ex hucuſque dictis. Quæ differentia, ſicut & quælibet alia poteſt non immeritò dici modus, quia determinat genus, & importat peculiarem modum aſſentiens. Sicut etiam modus proprius amoris, ut ſit charitatis, & ſicut oportet, eſt diligere Deum ſuper omnia: quod tamen pertinet ad ſubſtantiam, & ſpeciem prædicti amoris. Et hanc eſſe mentem Conciliorum ſatis expreſſit Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 6.* ubi inquit: *Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ à Deo revelata ſunt.* Ubi non utitur illis verbis, *ſicut oportet*, ſed aliis æquivalentibus, & explicantibus, quod ſit credere, *ſicut oportet:* nempè credere vera eſſe, quæ revelata ſunt à Deo: ita quod revelatio ſit unica, & adæquata ratio credendi, ut bene obſervat Suarez *lib. 2. de gratia, cap. 22. num. 12.* — *Conc. Trid.* — *Suarez.*

Adde Concilia uti illis verbis, ut expreſſius, & univerſalius comprehendant aſſerta Pelagij, quæ damnant: quidquid ſit, an omnes actus ſint ſecundùm ſubſtantiam naturales, vel ſupernaturales. Cum quo tamen rectè cohæret, quòd ſentiant aliquos actus ſecundùm ſuam ſpeciem excedere

cedere vires naturales, petereque proinde ſpeciale adjutorium gratiæ: inter quos computamus aſſenſum fidei Theologicę. Unde non conſentimus, quod aſſerit Curiel loco ſupra citato in calce dubij, nempè ex illis verbis neutram partem poſſe colligi, non ſolùm ut diffinitam, ſed neque ut inſinuatam à Conciliis. Oppoſitum conſtat tum ex dictis à nobis; tum ex ipſis, quæ ipſe Curiel adducit utens eodem diſcurſu concluſ. verſ. *Secundo probatur idem antecedens*, ubi inquit ſententiam noſtram colligi ex Conciliis: quod profectò falſum foret, ſi non eſſet ſaltem inſinuata à Conciliis, ut liquet ex ipſis terminis. *Curiel.*

Aliud fundamentum ſententiæ. D. Thom. 34. Secundò probatur noſtra concluſio alia ratione deſumpta ex D.Thom. 2.2. *quæſt.* 6. *art.* 1. quæ poteſt ad hanc formam reduci: quoniam aſſenſus fidei Theologicæ eſt ſupernaturalis ſecundum ſpeciem: ergo nequit fieri per ſolas vires naturæ, ſed indiget gratia ſupernaturali. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens verò probatur: quia ſpecies actus ſumitur ex motivo, cui innititur in attingentia objecti, hoc quippè ſe habet, ut ratio *ſub qua*, & objectum *quo* reſpectu illius: ſed motivum aſſenſus fidei Theologicæ eſt ſupernaturale: ergo prædictus aſſenſus eſt ſupernaturalis quoad ſpeciem. Minor liquet: nam idem eſt motivum habitus, & actuum, qui ab eo procedunt: conſtat autem motivum habitus fidei Theologicæ eſſe ſupernaturale; aliàs prædictus habitus ſupernaturalis non eſſet: ergo motivum aſſenſus fidei Theologicæ eſt ſupernaturale.

Confirmatur. Confirmatur: nam certitudo formalis ſe tenens ex parte aſſenſus debet eſſe ejuſdem ordinis cum certitudine objectiva ſe tenente ex parte motivi aſſentiendi: ſed certitudo objectiva aſſenſus fidei Theologicæ eſt ſupernaturalis: ergo certitudo formalis ejuſdem aſſenſus debet eſſe ſupernaturalis: & conſequenter, cùm certitudo formalis cognitionis pertineat eſſentialiter ad ejus ſpeciē; ſequitur aſſenſum fidei Theologicæ ſecundùm ſpeciem acceptum eſſe ſupernaturalem. Minor probatur: quia talis certitudo reſpicitur per ſe ab habitu fidei Theologicæ, quem conſtat ſupernaturalem eſſe, habitus autem ſupernaturalis non tendit per ſe niſi in ea, quæ ſupernaturalia ſunt.

Effugium. 35. Nec refert, ſi huic rationi reſpondeas aſſenſum Theologicæ non reſpicere motivum ejuſdem fidei, niſi quatenus participat ab illa quemdam modum elevationis, quo poſſit ejus objectum attingere: quemadmodum intellectus nequit in actu primo reſpicere objectum fidei, niſi ut elevatus per eamdem fidem. Hæc quippè proportio admittenda eſt inter actum primum, & ſecundum, ut ſicut actus primus, eſt intellectus elevatus per habitum fidei, ita actus ſecundus ſit actus intellectus elevatus per aliquid derivatum à fide. Unde ſicut ex eo, quòd intellectus poſſit attingere motivum fidei, non ſequitur eſſe ſupernaturalem quoad ſpeciem; ſed ſufficit, quòd ejus naturalis ſpecies elevetur per aliquid ſupernaturale: ita ad hoc, quòd aliquis actus attingat motivum fidei, non deſideratur eſſe ſupernaturalem quoad ſpeciem; ſed ſufficit, quod ejus ſpecies naturalis elevetur per aliquid ſupernaturale participatum à fide.

Præcluditur. Non, inquam, hoc refert: tum quia aſſenſus fidei Theologicæ per ſuam ſubſtantiam, & ut prævenit omnem modum accidentalem ſibi ſuperadditum, attingit objectum ſpecificativum fidei: quia non aliter attingit prædictum objectum, niſi cognoſcendo, & aſſentiendo: cognoſcere autem, & aſſentire pertinent ad ſubſtantiam aſſenſus. Tum etiam: quia aſſenſus fidei Theologicæ diſtinguitur eſſentialiter ſpecificè ab omni alio aſſenſu per hoc, quòd innititur motivo fidei Theologicæ: ſed id, per quod aliquid diſtinguitur ab aliis eſſentialiter ſpecificè; pertinet intrinſecè ad ejus ſpeciem; cùm idem ſit conſtitutivum, & diſtinctivum: ergo aſſenſus fidei Theologicæ ſecundum ſpeciem acceptus reſpicit motivum ejuſdem fidei. Tum præterea: quia habitus non tendit in exercitio ad ſuum objectum, niſi per actus, ut communiter docent Philoſophi: ſed actus non deſignat modum, ſed aliquid antevertens modum, ut patet ex communi modo concipiendi: ergo actus fidei per ſeipſum, & independenter à modo ſuperaddito, eſt tendentia in objectum fidei. Tùm etiam quia non repugnat actus cognoſcens fidei objectum, & attingens illius motivum; cùm intellectus ob ſuam univerſalitatem valeat verſari circa quodlibet objectum: ſed prædictus actus non eſſet alius, quàm aſſenſus fidei: hic ergo per ſeipſum cognoſcit objectum, & attingit motivum fidei.

Ex quibus patet ad id, quòd prædicta evaſio in ſui favorem adducebat: nam ex proportione inter actum, & potentiam non colligitur, quòd ſi potentia eſt naturalis entitativè, actus etiam debeat eſſe entitativè naturalis, ut apparet in viſione beatifica, quam omnes Theologi docent eſſe ſupernaturalem in ſua entitate; licet eliciatur ab intellectu creato, qui eſt entitas naturalis. Et ratio eſt: quia omnis potentia creata eſt proprietas alicujus ſubſtantiæ creatæ illi proportionata, & debita: unde repugnat, quod ſit ſupernaturalis entitativè; cùm ſupernaturale dicatur, quod excedit omnem naturam creatam, & exigentiam illius. Actus autem poteſt proportionari, & deberi non naturæ creatæ ſecundùm ſe, ſed alicui habitui ſupernaturali, vel naturæ, ut elevatæ per illum: hæc quippè etiam valet ex influxu principij ſupernaturalis, à quo elicitur, tendere in objectum ſpecificativum ſupernaturale: unde prædictus actus poteſt eſſe ſupernaturalis entitativè, ut liquet eodem exemplo viſionis beatæ. Sic ergo quamvis intellectus, qui eſt principium effectivum aſſenſus fidei, ſit entitas naturalis; tamen non influit proximè per naturalem virtutem: ſed tota virtus agendi proxima eſt virtus ſupernaturalis illum elevantis, & ideò transfundit aſſenſui ſupernaturalem ſpeciem. Nam licèt virtus ſupernaturalis non ſit adæquatum principium aſſenſus; ſed etiam intellectus per ſuam entitatem intret rationem principij; nihilominus ſolum eſt principium activum activitate elevabili, & quæ redditur proximè activa, & proportionata per virtutem ſupernaturalem, videlicet per fidem infuſam: & conſequenter huic potius, quàm intellectui debet aſſenſus aſſimilari.

36. Nec iterum refert, ſi ad confirmationem reſpondeas certitudinem objectivam aſſenſus fidei Theologicæ eſſe quidem ſupernaturalem ſubjectivè, & in ſe, non verò terminativè, & ut attingitur per aſſenſum: unde poterit bene correſpondere certitudini formali aſſenſus naturalis. *Reſponſio ad noſtram confirm.*

Non, inquàm, hoc refert: quia ſi certitudo divini teſtimonij non eſſet ſupernaturalis tam ſubjectivè, quàm motivè, tam in eſſe rei, quàm in eſſe objecti, non poſſet ſpeciem inferre habitui ſupernaturali fidei Theologicæ; quod eſt abſurdum. Si autem illa certitudo objectiva eſt ita ſupernaturalis, ut petat attingi per habitum ſupernaturalem, etiam petet attingi per actum ejuſdem *Confutatur.*

ejuſdem ordinis : eritque proinde ſupernaturalis in eſſe motivi reſpectu illius. Nulla quippè differentia poteſt quoad hoc inter actum, & habitum rationabiliter deſignari, ut conſideranti conſtabit.

§. III.

Difficili objectioni ſatisfit.

Urgens objectio. 37. SEd aſſertioni noſtræ, & motivis, quibus illam communivimus, oppones : nam aſſenſus ſumit ſuam ſpeciem à motivo, cui innititur : ſed homo viribus naturalibus poteſt credere ſub eodem motivo, cui innititur aſſenſus fidei Theologicæ : ergo homo viribus naturalibus poteſt elicere aſſenſum fidei Theologicæ ſaltem quoad ſpeciem, licèt abſque illo perfectionis modo, quem ab habitu fidei participat. Cætera conſtant. Et minor ſuadetur : quoniam motivum aſſenſus fidei Theologicæ nihil aliud eſt, quàm teſtimonium Dei aliquid revelantis : nulla autem repugnantia apparet in eo, quod homo viribus naturalibus aliquid credat innitendo teſtimonio Dei illud revelantis. Si enim poteſt credere alteri homini aliquid teſtificanti, multò magis poterit credere Deo dicenti ; cujus teſtimonium cognovit eſſe infallibile, & dignum omni fide.

Prima reſponſio. Hæc objectio difficultate non caret, nec ejus vis infringitur, ſi dicatur poſſe quidem hominem credere Deo dicenti, ejuſque teſtimonio inniti in credendo ; ſed non poſſe elicere aſſenſum prorſus infallibilem, qualis eſt aſſenſus fidei Theologicæ : eo quòd homo ſuis viribus relictus nequit omnino firmiter amplecti objectum inevidens, cujuſmodi eſt objectum fidei : & hujuſmodi firmitatem, atque infallibilitatem importat fidei Theologicæ aſſenſus, & hac ratione petit procedere à virtute excedente vires naturæ.

Non ſatisfacit. Hoc, inquam, non infringit robur prædictæ objectionis. Tum quia infallibilis certitudo aſſenſus ſumitur ex motivo, cui innititur : ubi enim motivum eſt omnino certum, parit ſimilem certitudinem in aſſenſu, ut inductivè poteſt oſtendi : ergo ſi homo viribus naturalibus poteſt credere innitendo Dei teſtimonio, quod eſt omnino infallibile ; pariter eiſdem viribus poterit elicere aſſenſum omnino infallibilem : qui proinde ex vi hujus non diſtinguetur ſaltem quoad ſpeciem ab aſſenſu fidei Theologicæ. Tum etiam quia abſque fundamento ſupponitur hominem viribus naturalibus non poſſe firmiter credere, & amplecti objectum inevidens, quod noſcit eſſe revelatum à Deo. Cùm enim lumen naturale evidenter dictet Deum eſſe infallibilem in ſuis dictis, & dignum omni fide ; poterit homo in virtute hujus dictaminis firmiter tenere, quidquid cognoſcit Deum revelaſſe.

Secunda reſponſio. 38. Quod ſi dicatur opus eſſe, ut teſtimonium Dei ſpecificet aſſenſum fidei infallibilis, quod certò conſtet de ejus exiſtentia, & quod proponatur per regulam infallibilem (aliter enim aſſenſus ex hac parte nutabit :) & ſub hac certitudine non poſſe proponi per vires naturæ, ſed per providentiam ordinis gratiæ, ſicut de facto contingit. Id, inquam, licèt dicatur, non ſatis diluit vim objectionis.

Eſt inſufficiens. *Primò :* quia nulla repugnantia apparet in eo, quòd Deus ut auctor naturæ loquatur cum Angelis, & aliquid illis proponat. Si enim unus Angelus poteſt naturaliter alteri loqui ſuum conceptum ad eum dirigendo : cur Deus auctor naturæ non poterit Angelo aliquid teſtificari, non manifeſtando objectum in ſeipſo ? In quo eventu Angelus, qui evidenter cognoſcit Deum eſſe infallibilis veritatis, amplectetur profectò objectum ex motivo divinæ revelationis, elicietque aſſenſum infallibilem tam ex parte motivi, quàm ex parte applicationis. Quo pacto primus, & ſupremus Angelus, ſi conderetur in puris, ſe gereret cum Deo aliquid ei teſtificante, utputa futurum aliquid contingens.

Secundò : & præcipuè, quia ſuppoſita infallibili certitudine (undecumque habeatur) circa exiſtentiam divini teſtimonij, objectio facta evincit, quòd homo per vires naturæ poſſit amplecti objectum à Deo revelatum innitendo ipſius teſtimonio : quod, ut ſupponitur, eſt motivum formale aſſenſus fidei Theologicæ à quo ſumitur hujus ſpecies : ergo ſuppoſitis aliis conditionibus circa exiſtentiam, & applicationem divini teſtimonij, vires naturales ſufficient ad eliciendum aſſenſum fidei Theologicæ quoad ſpeciem. Quod tamen non poſſumus admittere : opponitur enim ex diametro noſtræ aſſertioni.

39. Magis apparenter poſſet prædictæ objectioni occurri, ſupponendo duo principia ſatis certa. *Tertia ſolutio.* Primum eſt aſſenſum fidei dependere ex motione voluntatis, nedum quoad exercitium, verùm etiam quoad ſpeciem ; ita quod prædicta motio tranſit in rationem motivam objecti, illamque complet : credimus enim, non quia ad aſſenſum neceſſariò determinemur, ſed quia volumus, & objectum placet, ut modò ſupponitur ex dicendis *in Tract. de fide diſp. 5. dub. 1.* Aliud eſt motionem voluntatis neceſſariam ad aſſenſum fidei Theologicæ eſſe ſupernaturalem ut dicemus dubio ſequenti. Quibus ſuppoſitis poſſemus reſpondere, quòd licèt homo per vires naturales queat credere innitendo divino teſtimonio, ut hactenus dicta evincunt ; nequit tamen per illas vires habere motionem, ſive affectum ſupernaturalem credendi, ut ex ſe liquet. Quocirca non valet per vires naturales elicere aſſenſum fidei Theologicæ quoad ſpeciem : quia ſpecificativum adæquatum prædicti aſſenſus complectitur motionem ſupernaturalem, quæ ex parte voluntatis requiritur.

Sed nec in hac reſponſione, quæ veram alias *Non ſatis arridet.* continet doctrinam, poſſumus quieſcere. Nam quòd affectus credendi prærequiſitus ad aſſenſum fidei Theologicæ ſit ſupernaturalis, oſtendendum eſt ex eo, quod ejus objectum, nempè ipſe fidei aſſenſus, quem voluntas imperat, & ad quem afficitur, eſt ſupernaturalis, ut conſtabit ex dicendis dubio ſequenti : unde ut aſſignemus exceſſum prædicti aſſenſus ſupra vires naturæ, & neceſſitatem gratiæ ad eum eliciendum ; minus rectè regrederemur ad exceſſum illius affectus ſupra eaſdem vires : unde hac reſponſione uti non valemus abſque circulo vitioſo. Accedit etiam, quòd ſicut objectio intendit aſſenſum fidei Theologicæ ſecundum ſpeciem conſideratum non excedere vires naturæ ; ita & ſatis conſequenter intendet, quòd homo viribus naturæ valeat velle, & efficaciter imperare prædictum aſſenſum ; quin pro hujuſmodi applicatione opus ſit ad ſpecialem gratiam recurrere. Præſertim quia licèt motio ex parte voluntatis requiſita pertineat aliquo modo ad ſpeciem aſſenſus fidei ; nihilominus prima ratio hunc aſſenſum ſpecificans conſiſtit in motivo, cui innititur, nempè in teſtimonio dicentis, cui credimus, ut hic ſupponendum eſt ex dicendis *in Tract. de Fide diſp. 1. dub. 2.* Unde ſi ſemel evincitur

Digitized by Google

evincitur identitas ſpecifica ex parte motivi, ſeu teſtimonij Dei inter aſſenſum fidei Theologicæ, & aſſenſum viribus naturæ elicitum; haud difficile erit concludere, quod prædicti aſſenſus ſint ejuſdem ſpeciei; & conſequenter quod homo per vires naturales poſſit elicere aſſenſum fidei Theologicæ ſecundùm ſpeciem conſideratum.

Legitima reſponſio.

40. Ad objectionem ergo, his, & aliis ſolutionibus omiſſis, reſpondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum eſt proprium motivum fidei Theologicæ eſſe teſtimonium Dei ut auctoris, & finis ſupernaturalis, & quatenus fundat ſupernaturalem certitudinem. Homo autem per vires naturæ, licèt poſſit inniti teſtimonio Dei ut auctoris, & finis naturalis, & quatenus fundat naturalem certitudinem; nequit tamen per illas præcisè vires credere innitendo prædicto teſtimonio, prout eſt teſtimonium Dei auctoris, & finis ſupernaturalis, & ſupernaturalem certitudinem fundat. Unde non ſequitur, quod aſſenſus viribus naturæ elicitus innitatur eidem motivo fidei Theologicæ, nec quòd homo per vires naturæ valeat elicere aſſenſum, qui ſit ejuſdem rationis cum aſſenſu fidei Theologicæ ſecundùm ſpeciem conſiderato. Itaque duplex hic teſtimonium Dei diſtinguendum eſt; ſive, ut magis propriè loquamur, teſtimonium Dei bifariam conſiderari valet. Uno modo quatenus eſt à Deo ut ſupernaturali principio dirigente hominem ad ſupernaturalem finem: quo pacto fundat infallibilitatem ordinis ſupernaturalis. Altero modo quatenus eſt à Deo ut naturali principio dirigente creaturam in finem naturalem; qua ratione fundat infallibilitatem ordinis naturalis. Primo ergo modo conſideratum eſt motivum proprium fidei Theologicæ: & ſic acceptum nequit eſſe motivum ſpecificans aſſenſum purè naturalem, ſive per ſolas vires naturæ elicitum. Iſtæ enim tantùm valent elicere aſſenſum, qui innititur divino teſtimonio poſteriori modo ſumpto. Nam cùm aſſenſus ſpecificè naturalis ſolùm habeat certitudinem, ſive infallibilitatem ordinis naturalis; nequit mutuare ſpeciem à teſtimonio Dei ut exercite fundat infallibilitatem ſupernaturalem: & oppoſita imaginatio implicat in terminis.

Objectiones contra reſponſionem proximè datam.

1\. 41. Nec refert, ſi huic doctrinæ opponas *primò*: nam in Deo non diſtinguitur duplex bonitas, aut ſapientia alia naturalis, & alia ſupernaturalis: ergo nec diſtinguenda eſt duplex auctoritas divini teſtimonij, alia naturalis, & alia ſupernaturalis. Antecedens eſt certum, & ſatis liquet ex dictis *Tract. 5. diſp. 2. dub. 3.* ubi ſtatuimus providentiam Dei eſſe unicam in ſpecie atoma. Conſequentia autem probatur: nam infallibilis auctoritas teſtimonij divini fundatur in bonitate, & ſapientia Dei: quia enim Deus ſummè bonus eſt, fallere non valet; & quia ſummè ſapiens eſt, falli non poteſt: ergo auctoritas infallibilis divini teſtimonij nequit magis multiplicari, quam multiplicatur Dei bonitas, & ſapientia.

2\. *Secundò*: quia diſtinctio penes naturale, & ſupernaturale non convenit Deo in ſeipſo conſiderato: ſic enim acceptus ſibi connaturaliſſimus eſt, & ſupernaturalis reſpectu creaturæ: atqui infallibilitas divini teſtimonij eſt prædicatum conveniens Deo in ſeipſo; ſicut & bonitas, & ſapientia, in quibus talis infallibilitas fundatur: nec enim habet Deus ſecundùm aliquem accidentalem reſpectum ad effectus, quos producit: ergo abſque fundamento recurrimus ad diſtinctionem inter teſtimonium Dei, ut naturale, & idem teſtimonium, ut ſupernaturale.

Tertiò: quia nequit excogitari major infallibilitas teſtimonij, quam illa, cui repugnat fallere, & falli: ſed teſtimonium Dei quomodolibet acceptum importat hujuſmodi infallibilitatem: ergo habet omnem infallibilitatem excogitabilem: ergo ſi homo viribus naturæ valet credere Deo, innitendo ejus teſtimonio; ſequitur, quòd aſſenſus viribus naturæ elicitus habeat eandem infallibilitatem, quam habet aſſenſus fidei Theologicæ: & conſequenter non differt ab eo in ſpecie; & corruet diſtinctio proximè tradita. 3.

Quartò: nam ſuppoſita exiſtentia, & certa notitia teſtimonij Dei auctoris (ut loquimur) ut finis ſupernaturalis, nulla apparet repugnantia in eo, quòd homo viribus naturæ credat eliciendo aſſenſum, qui innitatur prædicto teſtimonio tanquam motivo: ergo in eo eventu aſſenſus viribus naturæ elicitus erit ejuſdem ſpeciei cum aſſenſu fidei Theologicæ: & conſequenter diſtinctio à nobis tradita non diluit vim objectionis, ſed difficultatem in ſuo ſtatu relinquit. 4.

Notanda pro objectionum enodatione.

42. Hæ, inquam, objectiones non evertunt veritatem reſponſionis à nobis adhibitæ, nec diſtinctionem illam, in qua fundatur. Prædictam enim diſtinctionem edocemur admittere, & explicare ex his, quæ Theologi in ſimili difficultate communiter docent. Nam ſumma bonitas Dei in ſeipſo non minorem indiviſibilitatem habet, ac ſumma, & infallibilis certitudo divini teſtimonij; nec minus, ac iſta, convenit Deo in ſe, & ad ſe: & tamen duplex amor Dei ſuper omnia communiter admittitur, qui ſpeciem habet ex Dei bonitate, prout eſt in ſe: alter ſupernaturalis, & à virtute charitatis procedens; alter verò naturalis, & viribus naturæ elicitus, juxta ea, quæ diximus *diſp. præcedenti dub. 3.* per totum, & præcipuè *n. 33.* Illa quippè indiviſibilis Dei bonitas, prout eſt in ſe, poteſt attingi, quatenus fundat communicationem in bonis naturalibus cum creaturis; & ſic eſt motivum ſpecificans amorem Dei naturalem: poteſt etiam conſiderari, quatenus fundat communicationem cum creatura rationali in ſupernaturalibus bonis; & ſic eſt motivum ſpecificans amorem ſupernaturalem charitatis: quin indiviſibilitas, quam prædicta bonitas habet in eſſe rei, præjudicet multiplicitati, quam importat in eſſe motivi: ad id enim ſatis eſt eminentialis illa diverſitas. Idem ferè contingit in religione, quæ reſpicit cultum Dei, ut habet rationem primi principij dantis nobis eſſe, ut tradit D. Thom. *in 3. diſt. 9. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1.* & alibi: quæ ratio etiam eſt indiviſibilis in ſeipſa: fundatur enim ſupra radicem vel intellectus, vel ſapientiæ, quæ non dividitur adhuc virtualiter. Et hoc non obſtante, duplex religio communiter, & neceſſariò diſtinguitur: altera naturalis, qualem haberet homo, ſi conderetur in puris, & multò magis ſi exiſteret in ſtatu integritatis naturalis: altera infuſa, quam habent exiſtentes in gratia. Nam ad hujuſmodi diſtinctionem ſufficit, quòd illudmet motivum, quod eſt indiviſibile in eſſe rei, fundet exigentiam diverſi cultus, quem religio exhibeat. Et ita Deus ſub ratione primi principij dantis eſſe naturale, exigit naturalem cultum, & ſpecificat, ſaltem per modum complementi, & obliqui religionem naturalem, ſeu acquiſitam: cæterùm ſub ratione primi principij dantis eſſe gratiæ, exigit ſupernaturalem cultum; & complet ſpecificativum proprium religionis infuſæ. Sic ergo licèt teſtimonium primæ veritatis, ſive prima veritas revelans, quæ eſt motivum ſpecificans aſſenſum

D. Thom.

Digitized by Google

aſſenſum fidei, quo credimus, ſit quid indiviſibile in eſſe rei, & fundetur in radice indiviſibili; habet nihilominus ſufficientem diverſitatem in eſſe motivi, poteſtque proinde movere ad actus ſpecie diverſos: quin verificetur, quòd aſſenſus viribus naturæ elicitus poſſit objectum attingere ſub motivo proprio fidei infuſæ. Nam motivum fidei acquiſitæ eſt teſtimonium Dei, ut communicat cum creaturis in bonis naturalibus per modum primi principij, & ultimi finis, & quatenus fundat naturalem infallibilitatem in aſſenſu credentis: idem verò teſtimonium, ut eſt verbum Dei communicans cum creatura in bonis ſupernaturalibus, eamque dirigentis in ſupernaturalem finem, & quatenus fundat certitudinem infallibilem, abſolutam, & in omni ordine, conſtituit motivum proprium fidei infuſæ. Nec enim minus fundamentum adeſt ad hujuſmodi diverſitatem, ac ad illam, quam afferunt exempla proximè adducta. Unde non poſſumus concedere, quod Angelus, aut homo viribus naturalibus poſſit credere Deo dicenti, & elicere aſſenſum, qui teſtimonio Dei innitatur, ab illoque ſpeciem mutuetur: id enim evincit objectio ſupra facta, quæ exemplis modò allatis poteſt magis fulciri. Cæterum ſicut in exemplis non verificatur, quod amor naturalis, & religio naturalis attingant idem objectum, & ſub eodem formaliter motivo, ſed ſub diverſo; ita in caſu objectionis dicendum eſt. A qua doctrina alieni non eunt Araùxo 1.2. *quæſt.4.art.8.dub.1. §. Ex ſecunda vero*, & Vincentius Ferre *in Tract. de Charitate, quæſt.1. §.3. num.24.*

Araùxo. Ferre.

43. Et hinc ſatis conſtabat ad omnes objectiones, quin opus eſſet ſingulis in particulari occurrere: nam æquè pugnant contra communem diſtinctionem duplicis amoris Dei ſuper omnia, & duplicis religionis, ut facilè conſideranti conſtabit. Sed majoris claritatis gratia unamquamque diluemus. Ad *primam* diſtinguendum eſt antecedens, & concedendum de diverſitate inter illas perfectiones in eſſe rei; ſed negandum eſt, ſi intelligatur de diverſitate in eſſe motivi, & objecti: nam ut proximè vidimus, eadem Dei bonitas ſpecificat actus ſpecie, immò & ordine differentes, quod fieri non poſſet, niſi illa bonitas, quæ eſt unica in eſſe entis, multiplicaretur in eſſe motivi. Idemque in noſtro caſu de divina veritate revelante, quæ eſt motivum fidei, dicendum eſt. Plus quippè requiritur ad multiplicitatem in eſſe rei, & in eſſe attributi, quàm ad multiplicitatem in eſſe motivi: ad hanc enim ſufficit vel minima diverſitas, etiam ſi ſumatur ex parte modi, vel connotati; ut inductione poteſt oſtendi. Per quod patet ad *ſecundum*: nam concedimus, quòd hæc diſtinctio non convenit Deo in ordine ad ſe, & in ſe: ex quo ſolùm evincitur, quod non detur hæc multiplicitas in motivo fidei ſumpto in eſſe rei. Sed per hoc non excluditur, quod hujuſmodi diſtinctio conveniat prædicto motivo ſumpto formaliter in eſſe motivi: nam hujus ratio non eſt omnino ad ſe, ſed importat modum terminandi aſſenſum, & concernit alia connotata, ex quibus variari poteſt in eſſe talis, atque adeo ſpecificare actus ſpecie, & ordine differentes, ut liquet etiam in exemplis proximè adductis. Præſertim cùm teſtimonium, ſive locutio divina ſit actus liber Dei, qui neceſſariò connotat aliquid ad extra, poſſitque hac ratione multiplicari, ſicut alij actus liberi Dei multiplicantur. Unde teſtimonium Dei ut dirigentis, & gubernantis creaturam in ordine ad finem naturalem queit ſpecificare aſſenſum fidei acquiſitæ, ſeu naturalis: & teſtimonium Dei ut dirigentis; & gubernantis creaturam in ordine ad ſupernaturalem finem valet ſpecificare aſſenſum fidei ſupernaturalis, ſeu infuſæ. Atque ideo meritò admittitur duplex fides, quæ teſtimonio tanquam motivo innitatur, altera naturalis, & altera ſupernaturalis; quin una valeat attingere objectum ſub motivo proprio alterius; & quin ſpecies unius confundatur cum ſpecie alterius.

Occurritur primæ objectioni.

Diluitur ſecunda.

44. Ad tertiam dicendum eſt teſtimonium Dei utrolibet modo acceptum eſſe prorſus infallibile; & pariter aſſenſum fidei, cuilibet Dei teſtimonio innitentem mutuari inde infallibilem certitudinem. Sed nihilominùs teſtimonium Dei ut auctoris, & finis ſupernaturalis explicat infallibilitatem majorem, ſive altioris ordinis: & conſequenter aſſenſus fidei infuſæ eſt magis, ſeu perfectiori modo infallibilis. Licet enim uni, & alteri repugnet decipi, & falli; magis tamen uni, quàm alteri repugnat; quia vendicat, & explicat perfectiora ſuæ certitudinis principia. Sicut etiam in ſcientiis principia, & concluſiones habent certitudinem infallibilem: & tamen principia certiora ſunt concluſionibus. Et aſſenſus ſcientificus naturalis eſt infallibilis: & tamen cedit in hac parte aſſenſui fidei Theologicæ, ut latiùs declarabimus *in Tract. de fide, diſp.2. dub.5.* Ratio autem quoad præſens hujus inæqualitatis in certitudine infallibili eſt; quoniam quòd Deus falli, aut fallere non valeat, provenit ex eo, quòd ſummè bonus, & ſapiens eſt: unde cùm Deus, ut explicat munus auctoris & finis ſupernaturalis, explicet majorem perfectionem, quam ſub expreſſione auctoris, & finis naturalis; ſicut unus eminet præ alio: ſequitur, quod teſtimonium Dei ut auctoris, & finis ſupernaturalis ſit magis, ſive perfectiori modo infallibile, quàm teſtimonium Dei ut auctoris, & naturalis. Et conſequenter aſſenſus fidei Theologicæ, qui teſtimonio Dei priori modo accepto innititur tanquam motivo, contrahit majorem, & excellentiorem certitudinem infallibilitatem, ac aſſenſus fidei acquiſitæ, quamvis uterque aſſenſus ſit infallibilis. Deſumiturque hæc doctrina ex D. Thom. *quæſt. unic. de Charit. art. 9. ad 1.* ubi ait: *Dicendum quòd objectum fidei eſt verum: unde ſecundùm quod contingit aliquid eſſe magis verum, ſic etiam contingit aliquid magis credere. Cum autem veritas conſiſtat in adæquatione intellectus, & rei, ſi conſideretur veritas ſecundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis, & minus; ſic non contingit aliquid eſſe magis, & minus verum. Sed ſi conſideretur ipſum eſſe rei, quod eſt ratio veritatis, ſicut ut dicitur 2. Metaph. eadem diſpoſitio verùm in eſſe, & veritate, quæ ſunt magis entia ſunt magis vera. Et propter hoc etiam in ſcientiis demonſtrativis, magis creduntur principia, quam concluſiones. Et ſic etiam contingit in eis, quæ ſunt fidei. Unde Apoſt. 1. ad Corinth. 15. probat reſurrectionem mortuorum futuram per reſurrectionem Chriſti.* Quæ non ſunt reſtringenda ad ſola objecta credita, ſed debent extendi ad motivum credendi, ſecundùm quod explicat majorem perfectionem, & indefectibilitatem, ut proximè explicuimus.

Reſpondetur ad tertiam.

D.Thom.

Ad *quartam* & ultimam negamus antecedens: nam cùm influxus exercitus motivi in eſſe motivi debeat proportionari influxui ex parte principij effectivi operationis; implicatorium eſt, quòd aſſenſus elicitus per virtutem purè naturalem attingat objectum ſub motivo ſupernaturali in eſſe motivi.

Ultimæ ſatisfit.

Digitized by Google

motivi. Quocirca licèt aliquis certò teneret Deum ut auctorem, & finem ſupernaturalem aliquid revelaſſe, & conaretur Dei teſtimonio ut ſupernaturali movendo inniti, nihilominus non poſſet ſub illo motivo credere, niſi elevaretur per fidem infuſam, ſed inniteretur exercitè teſtimonio Dei ut motivo naturali in eſſe motivi, hoc eſt, quatenus exercitè fundat naturalem duntaxat certitudinem in aſſenſu. Quod poteſt exemplo declarari: nam licèt aliquis per fidem cognoſceret motivum proprium amoris charitatis, immò licèt hoc motivum intueretur per viſionem beatam; ſi tamen nullam virtutem, aut elevationem ex parte voluntatis haberet, non poſſet amare Deum ſub illo motivo proprio charitatis infuſæ, ſed diligeret ſub alio motivo naturali, & inferiori, nempè quatenus Dei bonitas fundat communicationem in bonis naturalibus cum ſuis creaturis per modum primi principij, & ultimi finis. Idem ergo in caſu objectionis dicendum eſt. Quod magis adhuc conſtabit ex iis, quæ ſtatim dicemus.

§. IV.

Secunda concluſio ad completam dubij deciſionem.

Alia aſſertio. 45. DIcendum eſt ſecundò non eſſe poſſibilem actum entitativè naturalem, & ſpecie diſtinctum ab aſſenſu fidei Theologicæ, qui attingat iſtius objectum ſub eodem motivo, ſive idem objectum tam materiale, quàm formale fidei Theologicæ. Hanc concluſionem ſtatuimus adversùs aliquos modernos infra referendos, qui ex unà parte docent aſſenſum fidei Theologicæ eſſe entitativè ſupernaturalem, & ſpecie diverſum ab omni actu naturali; & ex altera tradunt poſſibilem eſſe aſſenſum naturalem entitativè, qui attingat idem objectum materiale, & formale, ſive terminativum, & motivum fidei infuſæ. Et ne incurrant Conciliorum decreta contra Pelagianos, & Semipelagianos, adſtruunt fidem naturalem non eſſe, *ſicut oportet* ad ſalutem; tametſi attingat omnia, quæ credimus per fidem Theologicam, & ſub eodem motivo: quia eſt, inquiunt, naturalis, & à principio naturali, & imperfecta comparata ad aliam fidem. Noſtram tamen aſſertionem tradit Angelicus Doctor ubicumque agit de ſpecificatione actuum: ſemper enim docet eorum diſtinctionem ſpecificam deſumi ab objectis formalibus, ſeu motivis, ut 1. *part. quæſt.*77. *art.*3. *& in* 1. *diſtinct.*17. *quæſt.*1. *art.*4. *& quæſt.*5. *de Veritate, art.*2. & alibi ſæpè. *D.Thom.* Illamque ſpecialiter docet in præſenti *quæſt. art.* 1. ubi inquit: *Si igitur intellectus humanus habet aliquam formam, ſcilicet ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia cognoſcẽda; ad ea ſcilicet in quorum cognitionem poſſumus per ſenſibilia devenire: altiora vero intelligibilia intellectus humanus cognoſcere non poteſt, niſi fortiori lumine perficiatur, ſcilicet lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, inquantum eſt naturæ ſuperadditum.* Si autem actus naturalis poſſet attingere objecta propria fidei, non eſſet neceſſarium lumen fidei ad ea attingenda, ſed ſufficeret ad id lumen naturale. Videatur etiam *quæſt.*63. *art.*4. in corpore, ubi generaliter ſtatuit virtutem acquiſitam, & infuſam ſpecie diſtingui ex parte objecti, & in reſponſione ad 1. inquit: *Dicendum quòd virtus infuſa, & acquiſita non ſolum differunt ſecundum ordinem ad ultimum finem; ſed etiam ſecundum ordinem ad propria objecta.* D. Thom. ſequuntur omnes ferè Doctores, quos ſupra adduximus pro prima concluſione: nam licèt aliqui ex antiquioribus noſtram concluſionem expreſſis verbis non doceant; illam tamen ſupponunt, ut ad præcipuam aſſertionem, quam ſupra ſtatuimus, procedant.

46. Probatur primò ratione deſumpta ex dictis pro prima concluſione: nam objectum aſſenſus fidei Theologicæ formaliter ſumptum, & ex parte motivi eſt ſupernaturale: ergo ita acceptum non poteſt attingi per ullum actum naturalem: ergo nullus actus naturalis poteſt attingere objectum formale aſſenſus fidei Theologicæ, ſive ut ſtat ſub ejus motivo. Antecedens conſtat ex ſupra dictis, & admittitur ab adverſariis. Secunda conſequentia legitimè infertur ex prima. Hæc autem oſtenditur: tum quia ſupernaturale in genere diffinitur, quod eſt ſupra omnem naturam creatam, & creabilem: ergo ſupernaturale in genere objecti eſt, quod excedit in ſua attingibilitate omnem naturam creatam, & creabilem, & conſequenter non poterit attingi per actum, qui à ſola natura procedit, qualis eſt omnis actus entitativè naturalis. Tum etiam quia ſi objectum, quod eſt ſupernaturale in eſſe objecti, poſſet attingi per actus naturales, eſſet, & non eſſet ſupernaturale in eſſe objecti: quæ eſt manifeſta implicatio. Eſſet quidem, quia ita ſupponitur: & non eſſet, quia in eſſe objecti non excederet actum naturalem: ſupernaturalia autem important exceſſum ſupra naturalia; etſi non adeſt hic exceſſus, non eſt, cur ſupernaturalia vocentur. *Firmum hujus aſſertionis fundamentum.*

47. Huic argumento reſpondet primò Granados conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: nam licèt ſit de ratione entis ſupernaturalis, quod non poſſit effici à ſola natura; poteſt tamen attingi per modum objecti ab actu merè naturali. Et reddit rationem differentiæ: quoniam cauſa efficiens communicat entitatem effectus: unde neceſſe eſt, quòd ei inſit virtus ſupernaturalis, ut poſſit effectum ſupernaturalem producere. Cæterùm actus attingens objectum non influit in ipſum, neque aliquid intrinſecum ei communicat; ſed ſolùm denominat ab extrinſeco attactum: quocirca non eſt inconveniens, quòd actus naturalis poſſit attingere objectum ſupernaturale. Et ideo concludit poſſe quodlibet objectum, quantumvis excellentiſſimum ſit, attingi ſaltem improportionatè, per actum ordinis naturalis. *Evaſio.*

Sed contra: nam licèt inter actum producentem effectum, & actum attingentem objectum detur illa differentia, quam adducit hæc ſolutio: nihilominus non diluit vim noſtræ rationis, ſed magis ſua proportione firmat. Quoniam ideo effectus ſupernaturalis nequit produci per virtutem naturalem, quia illam excedit in eſſe effectus: ſed objectum ſupernaturale excedit in eſſe objecti actum naturalem: ergo non poterit ab eo attingi per modum objecti. Minor liquet: quia non alia ratione effectus ſupernaturalis excedit virtutem naturalem, niſi quia ille eſt ſupernaturalis, hæc autem naturalis: ſed objectum ſupernaturale, & actus naturalis comparantur eodem modo: ergo illud excedit iſtum. *Præcluſio.*

Confirmatur primò: quia ſi aliquis effectus poſſet produci per virtutem naturalem, eo ipſo argueretur non excedere virtutem naturalem, & conſequenter non eſſet effectus ſupernaturalis: ergo objectum, quod poteſt attingi per virtutem, & actum naturalem, non excedit vires naturales,

neque

Digitized by Google

neque eſt objectum ſupernaturale. Probatur conſequentia: nam ſicut ſupernaturalitas effectus in eſſe effectus non poteſt explicari niſi per exceſſum ſupra cauſam naturalem: ita ſupernaturalitas objecti in eſſe objecti nequit exponi niſi per exceſſum ſupra principium attactivum naturale. Et hoc exceſſu ſublato, non apparet in quo conſiſtit ſupernaturalitas objectiva.

Objectio. Confirmatur ſecundò evertendo diſparitatem aſſignatam: nam ex duplici capite repugnat, quòd virtus naturalis producat principaliter effectum ſupernaturalem: primo quia cauſa principalis debet præcontinere effectum: ſecundo quia virtus principalis debet eſſe ejuſdem, vel ſuperioris ordinis cum effectu. At ſic eſt, quòd licèt actus attingens objectum non debeat illud præcontinere; attamen debet eſſe ejuſdem ordinis cum objecto primario, ſaltem cùm illud attingit abſque ulla elevatione ex parte principij: ergo adeſt ſufficiens ratio repugnantiæ, ut actus naturalis non valeat attingere objectum ſupernaturale in eſſe objecti: eſto magis repugnet, quòd effectus ſupernaturalis producatur principaliter per cauſam naturalem.

Diluitur. Dices: plura cognoſcit homo naturaliter, quæ nequit niſi ſupernaturaliter producere: ergo id, quod in eſſe effectus excedit virtutem naturalem, non excedit illam in eſſe objecti: ergo ſtat bene, quod ens ſupernaturale nequeat per virtutem naturalem produci, & tamen poſſit cognoſci per actum naturalem.

Reſpondetur antecedens verificari in his etiam, quæ ſunt ordinis naturalis: homo enim naturaliter cognoſcit, v. g. ſeipſum, cœlum, & alia, quæ tamen nequit naturaliter efficere. Ex quo ſolum ſequitur, quod difficilius ſit aliqua attingere per modum effectus, quàm per modum objecti: quod rationi noſtræ non præjudicat, ut conſtat ex ultima confirmatione. Si autem antecedens applicetur iis, quæ ad ſupernaturalem ordinem ſpectant: dicendum eſt, quòd ſumpta formaliter, ut ſunt ſupernaturalia tam in eſſe objecti, quàm in eſſe effectus, nec valent naturaliter cognoſci ob rationem ſupra traditam: quamvis ex pluribus capitibus repugnet ea effici, quàm cognoſci. Si verò ſumantur materialiter, licèt poſſint naturaliter cognoſci, nequeunt tamen effici naturaliter. Et ratio eſt: quia cognitio attingit objectum ſecundùm id, quod exprimit, quod in dicta conſideratione non eſt ſupernaturale: virtus autem producit effectum ſecundùm omne id, quod explicat, & implicat: unde ſufficit, quod materialiter, & implicitè ſit ſupernaturalis, ut non valeat naturaliter produci.

Aliud effugium. 48. Secundò occurrit noſtræ rationi idem Granados dicendo ex ſupernaturalitate objecti ſolùm colligi, quòd non poſſit cognoſci proportionatè per actus naturales; minimè verò, quod nequeat attingi improportionatè, atque ideo abſolutè: quæ improportio ſufficit ad explicandam excellentiam objecti ſupernaturalis, & ejus exceſſum ſupra virtutem naturalem noſtri intellectus; licet hic ob amplitudinem ſuæ facultatis valeat naturaliter omnia entia etiam ſupernaturalia, ſaltem cum difficultate, atque improportione attingere.

Confutatur. Sed contra: quia exceſſus objecti ſupernaturalis ſupra virtutem naturalem non dicit improportionem intra eumdem ordinem eo modo, quo lux ſolis excedit virtutem viſivam noctuæ; ſed importat improportionem ob diverſum ordinem vel ortam ex eo, quod unus ordo excedit eſſentialiter alium: eo modo, quo ſpirituale excedit corporeum: ergo repugnat, quod virtus naturalis noſtri intellectus nullo adjuta auxilio ſupernaturali tendat etiam improportionatè in objectum ſupernaturale quatenus tale. Probatur conſequentia: quia licèt quævis virtus poſſit ſaltem cum difficultate attingere ea, quæ pertinent ad ſuum ordinem; implicat tamen, quod virtus aliqua per vires proprias etiam cum difficultate egrediatur, & tranſcendat ordinem, in quo eſt; alias excederet ſeipſam: ſed objectum ſupernaturale eſt in eſſe objecti extra ordinem naturalem: ergo virtus naturalis noſtri intellectus nequit attingere objectum ſupernaturale in eſſe objecti.

Maior impugnatio. Confirmatur: quia ſi ſemel actus naturalis attingit objectum ſupernaturale ſub eadem ratione, & motivo, ſub quibus attingitur per actum fidei infuſæ; non poteſt explicari illa improportio, quam adſtruit hæc ſolutio: & conſequenter non ſervabitur, nec explicabitur propria ratio objecti ſupernaturalis: quod eſt abſurdum. Aſſumptum autem oſtenditur: nam in primis improportio, qua actus naturalis tenderet in objectum ſupernaturale, non conſiſteret in obſcuritate: nam etiam actus fidei infuſæ eſt obſcurus. Nec conſiſteret in defectu intenſionis: tum quia etiam actus fidei infuſæ ſolet eſſe valde remiſſus: tum quia non eſt ratio, cur ille actus naturalis, ſi ſemel eſt poſſibilis, non poſſit eſſe intenſior, quàm actus fidei ſupernaturalis. Nec conſiſteret in difficultate, qua ille actus naturalis fieret: quia vel ſermo eſt de difficultate objectiva deſumpta ex medio, ſeu motivo aſſentiendi: & hæc non eſſet major in actu naturali, quàm in ſupernaturali; ſiquidem in ſententia Adverſariorum habent idem omninò objectum motivum. Vel ſermo eſt de difficultate ſubjectiva: & hæc non eſſet major in actu ſupernaturali, quam in naturali; cùm fidelis ſoleat habere maximas difficultates ſubjectivas, quas non excludit indiſpenſabiliter ipſa fides infuſa, ut experientia liquet. Nec tandem conſiſteret in eo, quòd intellectus careret aliqua virtute, & complemento ad aſſentiendum: nam ad eliciendum actum entitativè naturalem, quem adſtruunt Adverſarij, ſeipſo eſt completus: vel ſaltem non indigebit elevatione ſupernaturali; ſed intra naturalem ordinem poterit compleri.

Alia reſponſio. Lugo. Reſpondebis cum Cardinali de Lugo prædictum actum tendere improportionatè, quia eſt naturalis: & ideo eſſe neceſſariam aliquam virtutem ſupernaturalem ex parte principij, ut tendat omnino commenſuratè ad objectum ſupernaturale, & ut cõducere queat ad finem ejuſdem ordinis.

Refellitur. Sed hæc reſponſio eſt manifeſta petitio principij: nam prædictus actus tendit per ſeipſum, & abſque ulla elevatione ex parte principij in objectum ſupernaturale ſub eodem motivo, & cum eadem facilitate, intenſione, & obſcuritate, quibus tendit actus ſupernaturalis, ut conſtat ex nuper dictis: ergo dicere, quòd tendit improportionatè, quia eſt naturalis, manifeſtè petit principium. Hoc enim eſt, quod inquirimus; cur ſi actus naturalis tendit in objectum eodem modo, & tendit actus ſupernaturalis, tendat improportionatè? Proportio quippè tendentiæ penſanda eſt penes modum tendendi, in quo illi actus ſunt æquales; & nõ penes entitatem tendentem, in qua ſolum diſtinguuntur. Si autem dicatur non poſſe entitatem tendentiæ eſſe diverſam, quin modus tendendi ſit diverſus, ſolutio deſtruit ſeipſam: quia cum in noſtro caſu illi duo actus non differant in aliquo modo accidentali, ut ſupra expendimus, neceſſarium eſt, quod ſi ſemel differunt in modo tendendi, hic modus ſit eſſentialis

tialis conſiſtens in eo, quod actus tendant ſub diverſis motivis: & conſequenter non attingent idem objectum tam materiale, quam formale, ut intendunt Adverſarij.

Id autem, cui in reſponſione hactenus impugnata innitebatur Granados, non urget: quia licèt ex amplitudine facultatis noſtri intellectus rectè colligatur poſſe cognoſcere omne cognoſcibile; minimè tamen infertur, quòd poſſit per virtutem naturalem cognoſcere adhuc improportionatè objecta ſupernaturalia, quatenus ſupernaturalia ſunt, in eſſe objecti, ſive ex parte motivi: ſed ſolùm ſequitur, quòd per lumen naturale valeat attingere omnia naturalia, ſaltem diviſivè; & quòd per lumen ſupernaturale ſibi ſuperadditum poſſit ſupernaturalia quatenus talia cognoſcere. Et ſi prædictum motivum urgeret, etiam convinceret poſſe intellectum per vires naturales cognoſcere ſaltem improportionatè Deum clare viſum, quod tamen nemo Theologorum concedit.

Ultima ſolutio. Ex quibus præcluſa manet alia evaſio, qua poſſet quis noſtræ rationi occurrere dicendo ex ſupernaturalitate objecti ſolùm inferri, quòd non poſſit per vires naturales inveſtigari, ut dubio primo ſtatuimus: non tamen quod ſuppoſita revelatione, & ſufficienti propoſitione credibilitatis ipſius, nequeat attingi per actum naturalem. Quod ſufficeret ad intentum contrariæ opinionis: hæc quippè ſolùm intendit poſſe objectum ſupernaturale attingi per actum fidei naturalis: quæcumque autem fides ſupponit revelationem objecti. Sufficeret etiam ad differentiam inter objectum naturale, & ſupernaturale, & ad ſalvandum exceſſum hujus ſupra intellectum ſibi relictum: nam illud poteſt inveſtigari viribus naturalibus, & miniſterio ſenſuum: iſtud vero non poteſt propria induſtria cognoſci; ſed neceſſariò poſtulat revelari ab extrinſeco, quamvis ſemel revelatum queat terminare actum fidei naturalis.

Impugnatur. Hoc, inquam, effugium manet præcluſum ex dictis: nam licèt vera ſit differentia inter objecta naturalia, & ſupernaturalia, quam deſignat hæc ſolutio; ex ea tamen ſolum habetur, quod ſuppoſita revelatione objecti ſupernaturalis, poſſit intellectus per proprias vires illud utcumque attingere ſub aliquo motivo naturali: qua ratione ſolum materialiter eſt objectum ſupernaturale, non verò formaliter in eſſe objecti. Minimè verò poteſt ex prædicta differentia inferri, quòd ſuppoſita revelatione valeat intellectus illud attingere ſub motivo ſupernaturali: nam ſicut ante revelationem non poterat illud illo modo cognoſcere, quia nullo modo apparebat: ita ſuppoſita revelatione nequit ipſum illo particulari modo attingere, quia prædicto modo excedit ejus vires, & proportionem, ut conſtat ex dictis.

Secunda pro eadem aſſertione ratio. Secundum fundamentum hujus aſſertionis deſumitur ex principiis veræ Philoſophiæ, & poteſt ad hanc formam reduci: quoniam actus habentes idem objectum materiale, & formale, ſive *quod*, & *quo* ſunt ejuſdem ſpeciei: ſed aſſenſus fidei infuſæ, & aſſenſus fidei naturalis nequeunt eſſe ejuſdem ſpeciei: ergo non poſſunt habere idem objectum materiale, & formale, ſive *quod*, & *quo*: ergo aſſenſus naturalis nequit attingere idem objectum aſſenſus naturalis, & ſub eodem motivo. Utraque conſequentia legitimè infertur ex præmiſſis. Minor conſtat ex dictis pro prima concluſione, & admittitur ab Adverſariis. Major autem probatur: quia actus ſpecificantur per objecta formalia, ut docent Ariſt. 2. *de Anima text.* 33. & D.Thom. 1. *part. quæſt.* 77. *art.* 3. & communiter Theologi, & Philoſophi: ergo actus habentes idem objectum materiale, & formale, ſive *quod*, & *quo* ſunt ejuſdem ſpeciei. *Ariſtot. D.Thom.*

49. Ut hujus argumenti vim infringant Adverſarij, tot vera principia negant, tot falſa inculcant; ut vel ex hoc præcisè capite, cuivis intellectui bene diſpoſito appareat manifeſtè veritas noſtræ aſſertionis, & falſitas adverſæ, quæ ad tales anguſtias obligat ejus Auctores. Referemus tamen aliquas eorum evaſiones, ut ex illorum confutatione veritas communis magis roboretur. Primò ergo reſpondent aliqui negando majorem: ad cujus probationem iterum negant antecedens, quia actus, inquiunt, per ſuas entitates conſtituuntur, & diſtinguuntur eſſentialiter: unde non eſt opus, ut pro eorum diſtinctione recurramus ad diſtinctionem ſpecificam objecti. *Prima Adverſariorum reſponſio.*

Rejicitur. Sed contra: nam in primis hæc ſolutio apertè contradicit Ariſtot. & D.Thom. & communi ſententiæ, ut meritò dixerit Suarez *lib.* 2. *de neceſſitate gratiæ cap.* 11. dictam reſponſionem totam Philoſophiam evertere: quod licèt fortè novitatis ſtudioſi parvi faciant, cordatus tamen Theologus reputabit maximum inconveniens. Deinde quia licèt omnia entia conſtituantur intrinſecè per differentias intrinſecas; nihilominus hoc intereſt diſcrimen inter entia abſoluta, & reſpectiva, quod differentiæ conſtitutivæ abſolutorum ſunt omnino abſolutæ, nec reſpiciunt terminum extrinſecum: differentiæ autem conſtitutivæ reſpectivorum nil aliud ſunt, quàm habitudines ad aliquid extrinſecum, ut patet in omnibus potentiis, habitibus, motibus, & relationibus: nam omnia reſpiciunt eſſentialiter aliquid diſtinctum à ſe, cui in ſuis eſſentiis commenſurantur, & adæquantur: idemque convenit actibus reſpectu ſui objecti primarij. Hoc autem, & non amplius intendimus, cùm affirmamus actus ſpecificari ab objecto: quia ly *objecto* non deſignat differentiam intrinſecam actus; ſed menſuram & regulam extrinſecam, ad quam actus dicit habitudinem eſſentialem, quæ intrinſecè in ſua ſpecie conſtituitur. *Suarez.*

Confirmatur & explicatur vis hujus impugnationis: nam ſpecificari ab aliquo extrinſeco nihil aliud eſt, quàm habere ſpeciem per ordinem ad ipſum, & juxta exigentiam ipſius: ſed actus habet ſpeciem per ordinem ad objectum primarium, & juxta exigentiam ipſius; ergo ſpecificatur ab illo. Minor liquet: tum quia eſſentia reſpectiva debet eſſe talis, qualem exigit terminus primariò inſpectus. Tum etiam quia reſpicit illud per ſe primò: ſi autem non haberet eſſentiam per ordinem ad ipſum, & juxta ejus exigentiam, non eſſet, cur illud eſſentialiter reſpiceret: ex eo enim entia abſoluta non habent ſpeciem per habitudinem ad aliud, quia nihil extra ſe reſpiciunt.

Ad hæc: idem debet eſſe principium diſtinctivum, & conſtitutivum, ita quidem, ut ſi diſtinguat intrinſecè, ſit etiam conſtitutivum intrinſecum; ſi vero diſtinguat ab extrinſeco, communicet etiam ab extrinſeco ſpeciem, in eaque conſtituat: ſed actus diſtinguuntur eſſentialiter ab extrinſeco per objecta primaria: ergo ſpecificantur, & conſtituuntur eodem modo per illa. Probatur minor: quia implicat actus attingentes primario objecta adæquata, eſſentialiter diverſa eſſe ejuſdem ſpeciei: ſicut implicat, quod potentiæ attingant objecta primaria, adæquata, eſſentialiter

Digitized by Google

tialiter diverſa; quin diſtinguantur ſpecie: eadem quippè ratio militat utrobique, ut conſideranti conſtabit: ergo actus diſtinguuntur eſſentialiter per objecta.

Aliorum ef fugium. Secundò reſpondent alij, quòd actus ſpecificatur non tantum ab objecto, ſed etiam à principio proximo, à quo elicitur: & quia diſtinctio eſt de genere mali, ſufficit ad diſtinctionem ſpecificam actus, vel quod attingat objecta ſpecificè diverſa, quamvis eliciantur ab eodem ſpecificè principio: vel quod eliciantur à diverſis ſpecie principiis; licèt attingant idem ſpecificè objectum. Quod autem actio ſpecificetur à principio, docet D. Thom. *1. part. quæſt. 24. art. 5.* (D.Thom.) ubi ait: *Omnis operatio ſpecificatur per formam, quæ eſt operationis principium*, & *1. 2. quæſt. 1. art. 3.* ubi inquit, *quod actio ſortitur ſpeciem ab actu, qui eſt principium agendi*, & *1. part. quæſt. 77. art. 3.* docuerat *quod ex his duobus actio ſpeciem recipit, ſcilicet ex principio, vel ex fine ſeu termino.* Quod alibi frequenter repetit. Unde cùm habitus fidei infuſæ diſtinguatur ſpecie à quolibet principio naturali, conſequens eſt, ut aſſenſus elicitus per fidem infuſam diſtinguatur etiam ſpecie ab aſſenſu fidei elicito per vires naturales: quamvis ambo aſſenſus attingant idem objectum, & ſub eodem motivo. Et ideo in noſtro caſu diſtinctio ſpecifica prædictorum aſſenſuum non eſt deſumenda ab objectis, ſed à principiis.

Confutatur primo. Sed contra eſt: primo, quia licèt diſtinctio ſpecifica actuum deſumatur in genere cauſæ efficientis à principiis elicitivis; cùm hoc nil aliud ſit, quam ſpeciem, ſicut & entitatem actuum à prædictis principiis produci, nihilominus in genere cauſæ formalis non deſumitur ab illis: ſed hoc poſterius erat neceſſarium, ut actus dicerentur ſpecificari à principiis elicitivis; cum ſpecificatio ſit effectus proprius cauſæ formalis: ergo actus, ſeu aſſenſus non ſpecificantur à principiis elicitivis. Minor, & conſequentia conſtant. Major autem oſtenditur: quia principia proximè operativa ſpecificantur ab operatione N. Complutenſ. *in lib. de Anima, diſput. 7. quæſt. 1.* (Complut.) ergo actus ſpecificantur à prædictis principiis. Patet conſequentia: quia alias eſſent ſimul cauſa, & effectus reſpectu ejuſdem, & in eodem genere cauſæ: quod tamen implicat contradictionem, ut docent prædicti Patres *in lib. Phyſic. diſput. 15. quæſt. 2. num. 22.* Videantur etiam, quæ diximus *Tract. 11. diſp. 1. dub. 4.* per totum.

Confirmatur. Confirmatur: quia in genere cauſæ formalis, ſpecificativæ actus ſunt priores ſuis principiis elicitivis, juxta illud Ariſtot. *2. de Anima text. 33.* Priores potentiis actus, & operationes ſecundùm rationem ſunt: ſed idem nequit eſſe prius, & poſterius in eodem genere cauſæ: ergo actus in genere cauſæ formalis ſpecificativæ non ſunt poſteriores potentiis, nec ſpecificantur ab illis.

Confutatur ſecundo. 50. Secundò refellitur prædicta ſolutio: quia habitus fidei infuſæ & habitus fidei acquiſitæ diſtinguuntur eſſentialiter, & adæquatè per objecta primaria: ergo idem de eorum actibus dicendum eſt: & conſequenter aſſenſus naturalis, & aſſenſus ſupernaturalis non poterunt attingere objectum, quòd ſit idem formaliter, & ſpecificè in genere objecti. Antecedens ſuadetur: tum quia alij habitus diſtinguuntur eſſentialiter per objecta, ut docent communiter Theologi, & admittit Granados 1. 2. (Granados.) *controverſia 2. de actibus humanis diſp. 4. num. 3.* ergo idem de prædictis habitibus dicendum eſt; cum non appareat conveniens ratio diſparitatis. Tum etiam: quia prædicta diſtinctio ſpecifica nequit deſumi a ſubjecto; iſtud quippè ſolum poteſt communicare diſtinctionem materialem: nec valet deſumi à cauſa efficiente; cùm uterque habitus poſſit ab eodem efficiente produci, nempè à Deo: ergo diſtinctio ſpecifica inter habitum fidei infuſæ, & habitum fidei acquiſitæ ab eorum objectis primariis, & adæquatis deſumenda eſt; quin opus ſit ad alia principia recurrere. Conſequentia autem videtur manifeſta: tum quia actus, ſaltem adæquatus, habet in actu ſecundo, quod habet habitus in actu primo: ergo ſi habitus habet ſpeciem adæquatè ab objecto primario, etiam actus habebit adæquatè ſpeciem à prædicto objecto. Tum etiam quia habitus, & actus illi adæquatus tendunt in idem: ſed objectum in quod primario tendit habitus confert illi ſpeciem adæquatè: ergo etiam actui communicabit illam. Tum denique: nam ideo habitus ſpecificatur adæquatè ab objecto primario, quia habitus ſecundum ſuam eſſentiam ordinatur per ſe primò ad attingendum illud: ſed etiam actus ſecundùm ſuam eſſentiam ordinatur per ſe primò ad attingendum ſuum objectum primarium: ergo ſpecificatur adæquatè ab eo. Si enim ille ordo in habitu, circumſcriptis aliis principiis, ſufficit, ut habitus ſpeciem capiat ab objecto: cur idem ordo in actu, non ſufficiet, ut actus ſpecificetur adæquatè ab objecto, quin ſit neceſſarius recurſus ad alia principia? Eodem ergo modo quantùm ad ſpecificationem philoſophandum eſt de actibus, ac de habitibus.

Confirmatur, & directè occurritur evaſioni Adverſariorum (*Confirmatur.*): quia licèt actus procedentes à principiis proximis eſſentialiter diſtinctis debeant eſſentialiter diſtingui: tamen falſum eſt, quòd actus procedentes à prædictis principiis poſſint attingere idem formaliter objectum in eſſe objecti: actus quippè diverſorum principiorum proximorum debent tendere in terminos, ſeu objecta formaliter diſtincta: atqui aſſenſus fidei naturalis, & ſupernaturalis procedunt à principiis proximis eſſentialiter diverſis, ut concedit hæc ſolutio: ergo nequeunt attingere idem objectum formale: vel ſi poſſunt illud attingere, poterunt etiam procedere ab eodem principio proximo; & conſequenter ex nullo capite diſtinguentur ſpecie. Aſſumptum oſtenditur ex nuper dictis: quia principia proxima operativa ſpecificantur ab objectis: ergo principia formaliter diverſa debent tendere in objecta formaliter diſtincta: ergo tendentiæ, ſeu actus habentes diverſa formaliter principia habent etiam diverſa formaliter objecta. Quam doctrinam tradit D. Thom. *quæſt. unica de unione Verbi art. 5.* (D.Thom.) in corpore, ubi ait: *Alio modo poteſt conſiderari unitas, vel pluralitas actionis ex parte principij, quo agens operatur. Et ex hoc actio dicitur eſſe una, vel plures ſecundum ſpeciem, ſicut viſio & auditio ſunt operationes ſpecie differentes, procedit enim actio ab agente ſecundùm rationem virtutis, qua agit. Nec obſtat, quod actiones recipiunt ſpeciem ſecundum objecta: quia determinatæ virtutes determinata objecta recipiunt.* Quibus verbis apertè docet non poſſe actiones habere principia eſſentialiter diſtincta, quin etiam habeant objecta eſſentialiter diverſa. Quod loquendo de objectis primariis, & totalibus conſtat

ſtat manifeſtè ex dictis: loquendo autem de objectis ſecundariis, & inadæquatis efficaciter etiam ex eodem principio evincitur. Nam objecta ſecundaria, & inadæquata attinguntur ſub ratione formali objecti primarij eis ſecundario, vel inadæquatè applicata, ut conſtat inductivè. Unde ſicut objecta adæquata, & primaria diverſorum principiorum proximorum ſunt ſemper formaliter diverſa in eſſe objecti: ita objecta ſecundaria, & inadæquata eorumdem diſtinguuntur formaliter in eſſe objecti; licèt poſſint non diſtingui in eſſe entis. Et conſequenter ſicut aſſenſus fidei naturalis,& ſupernaturalis eliciuntur à principiis formaliter diverſis, ita debent tendere in objecta formaliter diſtincta, & propria illorum principiorum: nam ut inquit D. Thom. 1. 2. quæſt. 1. art. 1. *Manifeſtum eſt, quod omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia, cauſantur ab ea ſecundum rationem ſui objecti.* Idemque de actionibus, quæ procedunt ab habitu ob eamdem rationem dicendum eſt.

D.Thom.

Motivum præcedentis rationis enervatur.

Id autem, quod evaſio hactenus impugnata in ſui patrocinium adducebat, illi non favet. Primò quia etſi admitteremus actionem ſpecificari à principio elicitivo, adhuc ratio noſtra in ſuo robore permaneret: quoniam, ut proximè dicebamus, principia formaliter diverſa tendunt in objecta formaliter diſtincta: ſed aſſenſus fidei infuſæ, & acquiſitæ procedunt à principiis formaliter diverſis, ut hæc ſolutio admittit, & hac ratione differunt ſpecie: ergo tendunt in objecta formaliter diverſa: & conſequenter aſſenſus fidei naturalis non attingit objectum formale fidei infuſæ; licèt utraque fides poſſit attingere idem materialiter objectum. Secundò & præcipuè: quia D. Thom. nunquam aſſerit actionem immanentem ſpecificari à potentia, vel principio elicitivo, ſed ſolùm aſſeri, ſpecificari à principio, vel ab actu, & forma, quæ ſunt principium operationis. Porro actus, vel forma, quæ ſe habent, ut principium operationis immanentis non eſt ipſa potentia, ſed objectum motivum: iſtud quippè complet, & determinat potentiam, ut ſit principium operationis. Unde in idem redit, quod actio immanens ſpecificetur ab actu, & forma, quæ ſunt operationis principium, & quod ſpecificetur ab objecto motivo: & ideo relata teſtimonia non contrariantur noſtræ doctrinæ, ſed optimè ipſi conſonant, & cohærent.

Confirmatio præcedentis doctrinæ ex D.Thom.
D.Thom.

Quod evidentius conſtat ex eodem Angelico Doctore 1. *part. quæſt.*77.*art.*3. ubi ſuam mentem, & noſtram ſententiam optimè declarat his verbis: *Dicendum, quòd potentia ſecundùm illud, quod eſt potentia ordinatur ad actum. Unde oportet rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur: & per conſequens oportet, quod ratio potentiæ diverſificetur, ut diverſificatur ratio actus. Ratio autem actus diverſificatur ſecundum diverſam rationem objecti: omnis enim actio vel eſt potentiæ activæ, vel paſſivæ. Objectum autem comparatur ad actum potentiæ paſſivæ, ſicut principium, & cauſa movens. Color enim inquantum movet viſum, eſt principium viſionis. Ad actum autem potentiæ activæ objectum comparatur, ut terminus, & finis. Sicut augmentativæ virtutis objectum eſt quantum perfectum, quod eſt finis augmenti. Ex his autem duobus actio ſpeciem recipit, ſcilicet ex principio, vel ex fine, ſeu, termino. Unde neceſſe eſt, quod potentiæ diverſificentur, ſecundum actus, & objecta.*

Ubi ut vides, S. Doct. nomine principij comprehendit objectum, quatenus movet ad actionem, & determinat potentiam ad peculiarem actum: unde idem re ipſa eſt actionem immanentem ſpecificari à principio, quod habet rationem actus, & formæ; ac ſpecificari ab objecto. Quod adhuc evidentius expreſſit D Thom. 1. 2. *quæſt.*9. *art.* 1. in fine corporis, ubi inquit: *Objectum movet determinando actum ad modum principij formalis, à quo in rebus naturalibus actio ſpecificatur, ſicut calefactio à calore.* D.Thom.

Differentia inter actionem immanentem, & tranſeuntem.

51. Diximus frequenter *actionem immanentem* (qualem eſſe aſſenſum fidei, evidentius eſt, ut indigeat probatione) non ſpecificari à potentia, ſed ab objecto, ut denotaremus nos in præſenti non loqui de ſpecificativo actionis tranſeuntis. Hæc enim quamvis in eſſe motus, & tendentiæ ſpecificetur à termino, quem per ſe primo producit, in quo convenit cum actione immanente; tamen in ratione egreſſus poteſt ſpecificari à potentia operativa, in quo ab actione immanenti diſtinguitur. Et ratio differentiæ eſt: quoniam ut inquit Div. Thom. 1. part. quæſt. 1. art. 3. *Unumquodque ſortitur ſpeciem ſecundum actum, & non ſecundum potentiam: unde ea, quæ ſunt compoſita ex materia, & forma, conſtituuntur in ſuis ſpeciebus per proprias formas.* Potentia autem tranſiens eſt purè activa: quia ex ſpeciali ſua ratione nec intrinſecè, nec extrinſecè petit compleri, ac determinari per aliud; ſed ſeipſa eſt ſufficienter conſtituta in actu primo: & conſequenter ſe habet ut actus, & forma. Omnis autem potentia immanens importat aliquo modo conceptum potentiæ paſſivæ, quia priuſquam in actum exeat, debet compleri, & determinari ſaltem extrinſecè per objectum: quod proinde ſe habet ut actus, & forma. Et ideo actio tranſiens in ratione egreſſus poteſt ſpecificari à potentia operativa: actio verò immanens debet adhuc in ratione egreſſus ſpecificari ab objecto. D.Thom.

Quam differentiam apertè adduxit D. Thom. *loco nuper citato:* nam poſt verba ſupra relata, immediatè ſubjunxit. *Et hoc etiam conſiderandum eſt in motibus propriis. Cum enim motus quodammodo diſtinguatur per actionem, & paſſionem; unumquodque horum ab actu ſpeciem ſortitur: actio quidem ab actu, qui eſt principium agendi, paſſio verò ab actu, qui eſt terminus motus noſtri. Unde calefactio actio nihil aliud eſt, quam motio quædam à calore procedens: calefactio verò paſſio nihil aliud eſt, quàm motus ad calorem:* diffinitio autem manifeſtat rationem ſpeciei. *Et utroque modo* (pende verba) *actus humani, ſive conſiderentur per modum actionum ſive per modum paſſionum, ſpeciem à fine ſortiuntur.* Finis autem nomine objectum ſignificat, ut liquet ex contextu. Videantur, quæ diximus *Tractat.* 11. *diſput.*1. *dubio* 4. *num.* 63. ubi aliam ſolutionem adduximus. Hanc autem ideo enucleare valuimus, tum quia magis conducit ad illuſtrandam præſentem materiam. Tum quia ea ſuppoſita illa, quæ N. Complut. abbreviati docent *in Logica diſp.* 16. *quæſt.* 1. §. 1. optimè cohærent iis, quæ tradunt *in lib. de Anima, diſp.* 6. *quæſt.* 1. §. 2. *in fine.* Nam in Logica ubi tradunt actionem ſpecificari à principio, ſeu potentia operativa loquebantur determinatè de actione tranſeunti, ut ibidem obſervant; in ſecundo autem loco ubi ſtatuunt actionem ſpecificari ab objecto, ſermonem faciebant Complut.

de

de actione vitali, & immanenti, & quatenus eſt unio potentiæ cum objecto, ut conſtat ex rationibus, quibus probant concluſionem.

Cui doctrinæ nonnihil lucis accedet, ſi animadvertemus actiones partis vegetativæ; quamvis maneant in eodem ſuppoſito, magis aſſimilari actionibus tranſeuntibus: quia non manent in eadem potentia, & eam ſupponunt adæquatè conſtitutam per ſeipſam in actu primo: unde poſſunt ſub conceptu egreſſus ab eadem ſpecificari. Omnes tamen actiones, ut ſunt tendentiæ ad objectum, ſpecificantur adæquatè ab eo: & ideo ſub prædicta ratione deſervire poſſunt ad ſpecificandum, & diſtinguendum potentias.

Alia evaſio confutatur. Conſultò omittimus confutare aliorum ſolutionem, qui licèt dicant actus immanentes ſpecificari adæquatè ad objecto; adhuc tamen conantur componere aſſenſus fidei ſpecie diſtinctos poſſe attingere idem objectum, & ſub eodem motivo. Dicunt enim prædictum motivum poſſe bifariam conſiderari: primò ut attingibile per lumen ſupernaturale, & ita ſpecificare aſſenſum ſupernaturalem. Secundò ut attingibile per lumen naturale, & ita ſpecificare aſſenſum naturalem. Hoc, inquam, omittimus: quia ſatis manet impugnatum ex ſupra dictis. Nam ly *ut attingibile*, &c. vel reduplicat ſolam denominationem extrinſecam provenientem ab habitu, aut actu, & ſecundùm hanc rationem objectum non ſpecificat habitum, aut actum; ſed eos ſupponit in ſpecie conſtitutos. Vel reduplicat non illam denominationem; ſed aliquid eam antecedens, ſe tenens ex parte objecti, & fundans, ſeu exigens diverſam attingentiam paſſivam, proindeque petens cognoſci per peculiarem habitum, & actum. Et hæc ratio ſpecificat quidem habitum, & actum: ſed non diſtinguitur ab objecto formaliter accepto, prout explicat motivum, vel rationem *ſub qua* conſtituitur, & reſpicitur. Et ideo aſſenſum fidei infuſæ ſpecificari ab objecto formali, ut attingibile per lumen ſupernaturale; nihil addit ſupra ſpecificari ab illo formaliter ſumpto in ratione objecti. Unde ſemper verificatur vel aſſenſus fidei infuſæ & naturalis non attingere idem objectum formale; vel eſſe ejuſdem ſpeciei. Cumque hoc poſterius non audeant Adverſarij concedere; debent confiteri primum.

§. V.

Reſpondetur argumentis primæ opinionis contrariæ.

Prima opinio primæ concluſioni contraria.

Scotus. Gabriel. Almain. Durandus. Major. Ocham. Tartaretus. Liquetus. Baſolis. Rubio. Caſtillo. Molina. Capreol. Paludan.

51. OPpoſitam primæ concluſioni ſententiam aſſerentem aſſenſum fidei Theologicæ eſſe entitativè & quoad ſubſtantiam naturalem, proindeque poſſe ſpecificè acceptum fieri per ſolas vires naturales tuentur Scotus *in 3. diſt. 23. quæſt. 1.* Gabriel *quæſt. 2. concluſ. 2.* Almain. *quæſt. 3. concluſ. 4.* Durandus *quæſt. 6. num. 8. & in 2. diſt. 28. quæſt. 1.* Major *diſt. 26. artic. 4.* Ocham *quodlib. 3. quæſt. 7.* Tartaretus, Liquetus, Baſolis, Rubio, quos refert, & ſequitur Caſtillo *in tract. de fide diſp. 7. quæſt. 3.* Quibus ſubſcripſit Molina *in Concord. quæſt. 14. art. 13. diſp. 7. & 8.* Eidem etiam ſententiæ videntur ex Thomiſtis ſuffragari Capreolus *in 1. diſtinct. 17. quæſt. 1. art. 3.* ad argumenta Aureoli, & *in 3. diſt. 24. quæſt. 1. ad 1. & 4. Scoti contra 2. concluſionem*, Palud. *in 4. diſt. 14. quæſt. 2.* Sotus *diſt. 17. quæſt. 2. art. 5. & lib. 1. de natura & gratia cap. 22. & lib. 2. cap. 8.* Victoria *relect. 1. de poteſt. Eccleſ. quæſt. 2.* Caiet. *in præſenti art. 3. & 4.* *Victoria. Caietan.* Quamvis fortè non omnes hi Auctores intendant aſſenſum elicitum viribus naturæ eſſe ejuſdem ſpeciei cum aſſenſu fidei infuſæ; ſed quod præcisè poſſumus per vires naturales aſſentire myſteriis, quibus per fidem Theologicam aſſentimus: quod noſtræ aſſertioni non contradicit, ut obſervavimus *num. 27.* Aliquas tamen rationes adducunt adeo faventes huic opinioni, ut meritò exiſtimentur illam tenere & poſſint allegari pro illa. Sed quidquid de hoc ſit.

Fundamenta præcipua hujus ſententiæ conſiſtunt in evaſionibus, quibus excludere contendit neceſſitatem gratiæ ad aſſenſum fidei infuſæ ſecundum ſubſtantiam acceptum: illas tamen jam majori ex parte adduximus, & confutavimus, ut conſtat ex diſcurſu totius dubij. Poteſt tamen denuò probari primò: *Primum argumentum.* quoniam idem abſolutè poteſt potentia naturalis cum habitu, & ſine illo: ſed intellectus cum habitu fidei infuſæ poteſt elicere actum fidei ſecundùm ſubſtantiam: ergo poterit etiam abſque prædicto habitu eumdem actum quoad ſubſtantiam elicere. Minor, & conſequentia conſtant. Major autem ſuadetur: tum quia habitus non dat poſſe abſolutè, ſed ſolùm poſſe facilius; alioquin habitus eſſet verè, & propriè loquendo potentia: ergo potentia naturalis idem abſolutè poteſt cum habitu, & ſine illo. Tum etiam: quia habitus nihil aliud eſt, quàm perfectio, & determinatio potentiæ in ordine ad proprium ipſius objectum: ſed perfectio, & determinatio ſupponit virtutem ſufficientem, quam perficit, & determinat: ergo licèt potentia abſque habitu non ſit determinata, & perfecta, poteſt tamen abſolutè elicere actum ad quem habitus concurrit.

Confirmatio. Confirmatur: quia ut intellectus recipiat aſſenſum fidei infuſæ, non indiget aliquo habitu, aut elevatione ſupernaturali: ergo neque ad illum eliciendum. Antecedens eſt certum: nam ſi ad recipiendum illum aſſenſum quatenus ſupernaturalem, eſſet neceſſaria aliqua diſpoſitio ſupernaturalis, pari ratione ad hanc recipiendam requireretur alia, & ſic de omnibus uſque in infinitum: ergo intellectus ſe ſolo, & abſque elevatione ſupernaturali poteſt recipere aſſenſum fidei infuſæ. Conſequentia vero ſuadetur: quoniam ſicut efficere aſſenſum fidei eſt illum cauſare, ita eum recipere eſt ipſum cauſare per verum, & realem influxum: & ſicut requiritur proportio inter cauſam efficientem, & ſuum effectum; ita etiam inter cauſam materialem, & ſuum effectum: ergo ſi intellectus per ſeipſum & abſque ullo auxilio eſt ſufficienter proportionatus ad recipiendum aſſenſum fidei infuſæ, ita etiam erit ad eum eliciendum.

Reſponſio ad argumentum. Reſpondetur ad argumentum negando majorem. Ad cujus primam probationem dicendum eſt habitum tam naturalem, quam ſupernaturalem poſſe dupliciter conſiderari, nempè inadæquatè, & adæquatè. Primo modo ſolum dicit aliquid proprium agentis, vel potentiæ ſuperioris participatum in inferiori: quo pacto differt quidem ab inferiori potentia; ſed præſcindit à modo, quo participatur, nempè tranſeunter, vel permanenter, per modum diſpoſitionis, aut per modum habitus. Secundò modo dicit prædictam vim cum determinato modo eſſendi, videlicet permanenter,

& conſequenter per modum habitus. Si ergo habitus ſumatur adæquatè, non requiritur, univerſaliter loquendo, ut potentia valeat abſolutè actum ejus elicere; ſed tantùm deſideratur, ut eum faciliter, & cum omnimoda proportione eliciat. Si autem ſumatur inadæquatè, eſt neceſſarius ad actum virtutis ſecundum ſubſtantiam, & ſpeciem propriam acceptum, ut ſtatuimus *Tract.* 12. *diſp.* 1. *dub.* 3. *concluſ.* 3. & colligitur ex D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 56. *art.* 6. ubi inquit: *Cum per habitum perficiatur potentia ad agendum, ibi indiget potentia habitu ad bene agendum, ubi ad hoc non ſufficit propria ratio potentiæ.* Et fundamentum eſt: quia vis, quam habitus confert potentiæ, non eſt ex ipſa potentia, ſed derivatur ex alia elevatiori, aut ex aliquo agente ſuperiori: alias fruſtra potentiæ adderetur habitus, ſi ſeipſa præhaberet virtutem, & efficaciam illius: & ideo neceſſariò eſt dicendum, quòd ſola potentia nequit abſolutè id ipſum, quod per habitum præſtat. Quod ſi hoc verificatur in habitibus naturalibus, multò magis in ſupernaturalibus admittendum eſt: tum quia ij ſunt ſupremum in linea habitus, & ideo habent aliquo modo rationem potentiæ juxta illud, *Supremum infimi*, &c. Tum quia elevant potentiam naturalem ad ordinem ſupernaturalem, ad quem ipſa nullam habet efficacitatem proximam. Negandum tamen eſt prædictos habitus eſſe ſimpliciter potentias: quia neceſſariò ſupponunt potentias naturales, illaſque determinant, & elevant ad actus ordinis ſuperioris. Unde non dant primum poſſe ſuperadditum naturæ, quod eſt proprium potentiæ, ſed ſolùm communicant poſſe proximum; & ideo non ſunt dicendi potentiæ, ſed tota ratio proxima, ut potentia valeat influere. Ex quibus etiam conſtat ad ſecundam probationem: nam habitus ſupernaturalis non eſt perfectio ſuperaddita virtuti proximæ ad agendum actus naturales; ſed potius communicat hanc virtutem. Unde potentia deſtituta prædicto habitu nequit abſolutè hujuſmodi actus elicere.

D.Thom.

Confirmatio occurritur. Ad confirmationem conceſſo antecedenti, negamus conſequentiam: quia potentia paſſiva ad recipienda dona ordinis ſupernaturalis convenit homini per ſuam entitatem ut ſubjectam Deo agenti ſupernaturali: & ideo non poſtulat pro omni, & quolibet actu ſupernaturali recipiendo habere aliquam diſpoſitionem præviam ejuſdem ordinis. Cæterùm nulla creatura habet ex ſe potentiam proximè activam ad eliciendos actus ſupernaturales, & attingenda objecta ſupernaturalia: unde indiget adjuvari per virtutem, ſeu gratiam ejuſdem ordinis, ut prædictos actus eliciat. Ad probationem autem in contrarium concedimus utrumque influxum tam cauſæ efficientis, quàm materialis eſſe verum, & realem, & utrumque requirere proportionem ex parte principij: ſed dicimus hanc proportionem eſſe rationis longè diverſæ in cauſa effectiva, ac in materiali. Quoniam agens agit ſecundum quod in actu habet perfectionem, quam principaliter producit: & ideo agens naturale nequit producere effectum ſupernaturalem, niſi prius per aliquid ſupernaturale elevetur, & conſtituatur in eodem ordine, in quo eſt effectus. Cauſa autem materialis non influit ſecundum quod eſt in actu, ſed ſecundùm quod habet capacitatem, ſeu potentiam ad participandum effectum: & non repugnat, quòd res inferioris ordinis poſſit recipere, ac recipiat rem ordinis ſuperioris.

Secundum argumentum. 53. Secundò arguitur: quia aſſenſus fidei infuſæ eſt ſecundùm ſuam entitatem naturalis: ergo ſecundùm entitatem acceptus poteſt fieri per vires naturales abſque adjutorio gratiæ. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens autem ſuadetur: tum quia vitalitas prædicti aſſenſus pertinet ad illius intrinſecam entitatem: ſed conceptus vitalis eſt naturalis; ſiquidem convenit intellectui ex ſe, & abſque elevatione ad ordinem ſuperiorem: ergo prædictus aſſenſus eſt naturalis quoad entitatem. Tum etiam quia aſſenſus fidei infuſæ fit mediis ſpeciebus naturalibus, neque enim ad credendum, quòd Abraham, verbi gratia, habuit duos filios, eſt neceſſaria infuſio ſpecierum ſupernaturalium, ut ſatis ex ſe conſtare videtur: ergo hujuſmodi aſſenſus eſt entitativè naturalis. Patet conſequentia: quia nulla cauſa naturalis poteſt influere immediatè in actum entitativè ſupernaturalem, ut latè à nobis oſtenſum eſt: ſed ſpecies intelligibilis influit immediatè, & effectivè in intellectum, ut communiter docent Thomiſtæ: ergo ſi ſpecies, quæ concurrunt ad aſſenſum fidei, ſunt naturales, neceſſarium eſt, quod prædictus aſſenſus evadat naturalis.

Confirmatur. Confirmatur: nam quidquid eſt evidenter cognoſcibile per lumen naturale, & abſque ulla revelatione, debet eſſe entitativè naturale, ut conſtat ex dictis *dubio* 1. Sed aſſenſus fidei infuſæ eſt evidenter cognoſcibilis per lumen naturale, ſecluſa omni alia revelatione: ergo eſt entitativè naturalis. Probatur minor: quia homo eliciens prædictum aſſenſum, evidenter cognoſcit ſe aſſentire, & motivum ſub quo aſſentit, ut experientia conſtat: ſed ad hoc non eſt neceſſaria aliqua revelatio: ſupponimus enim Deum non revelare nobis, quod elicimus aſſenſum fidei infuſæ: ergo per lumen naturale, & abſque ulla revelatione cognoſcimus prædictum aſſenſum.

Diluitur argumentum. Reſpondetur argumento negando antecedens, quod neutra probatione evincitur. Non quidem prima: quia vitalitas cujuſcumque actus attemperatur ejus ſpeciei, & naturæ: unde cùm aſſenſus fidei infuſæ ſit ſecundum ſpeciem ſupernaturalis, neceſſarium eſt, quòd conceptus vitalis, aut alij ſuperiores ſint etiam ſupernaturales. Et ratio eſt: quoniam licet intellectus habeat ex ſe, quod vivat vita naturali, ſive, & in idem recidit, quod ſe moveat ad objecta naturalia; minimè tamen habet ex ſe principium proximum ad vivendum ſupernaturaliter, ſeu, quod idem eſt, ad attingenda ſupernaturalia objecta: & ideo ut vivat hanc vitam, indiget adjuvari per formam ordinis ſupernaturalis. Porro hæc forma eſt vitalis ſufficienti modo, ut concurrat ad vitalem operationem, quia ex natura ſua eſt determinatio potentiæ vitalis, ob quam etiam cauſam reliqui habitus, & ſpecies intelligibiles habent ſufficientem vitalitatem, ut ſuis locis oſtendi ſolet. Vita enim non conſiſtit præcisè, & adæquatè in egredi de principio vitali: quod eſt proprium potentiarum, & operationum: ſed univerſalius patet, poteſtque ſalvari in alio modo conjunctionis ad principium vitæ, & ordinis ad operationem. Et hoc pacto habitus, quamvis ab extrinſeco cauſetur petit ex natura ſua conjungi cum potentia vitali, & reſpicit vitalem operationem: quod ſatis eſt, ut vitalis ſit in ſuo ordine. Quæ omnia poſſunt illuſtrari exemplo habitus luminis

minis gloriæ, & viſionis beatæ: nam & hujus vitalitas eſt entitativè ſupernaturalis, & ille habet in ratione principij proximi vitalitatem ſufficientem, ut ad viſionem concurrat, quamvis prædictus habitus non dimanet ab anima, ſed a ſolo Deo producatur. Idem ergo de aliis habitibus, & actibus ſupernaturalibus proportionabiliter dicendum eſt. Videantur, quæ diximus *in Tract. de viſione Dei diſp.4. dub.5.*

An ad aſſenſum fidei requirantur ſpecies ſupernaturales. Cajet. Arauxo. Ioann. à S. Thom.

Ad ſecundam probationem relicto Suario, qui *3.parte diſp.19.ſect.3.* docet ſpecies aſſenſui fidei ſupernaturalis deſervientes eſſe ſupernaturales, reſpondetur cum Cajetano *2. 2. quæſt.117.art.2. ad 3.* Arauxo *ibidem quæſt.6. art. 1. dub.1.* circa finem, & *quæſt.45. art. 6. dubio unico*, Joanne a Sancto Thoma, *in præſenti diſp. 20. art. 1.* ad prædictum aſſenſum ſufficere ſpecies ordinis naturalis. Et ratio eſt: quoniam ſpecies proportionantur, & ſunt ejuſdem ordinis cum objectis, quæ primariò repræſentant: ſpecies autem, quibus fides cognoſcit verbi gratia Deum eſſe Trinum, non repræſentant immediatè Deum, nec Trinitatem; ſed repræſentant primariò, ac immediatè creaturas, & deinde ſecundariò, & mediatè ſe extendunt ad repræſentandum Deum, & Trinitatem per quandam analogam ſimilitudinem: unde non eſt neceſſarium, quod prædicta ſpecies, quæ ad apprehendendum illos terminos, ſive objecta deſerviunt, ſint entitativè ſupernaturales. Suppoſita autem apprehenſione terminorum, non ſunt neceſſariæ novæ ſpecies ad eliciendum actum judicij, ſive aſſenſum fidei: quia ſicut in judicio non cognoſcuntur nova objecta, ſive extrema; ſed ex jam præcognitis unum alteri applicatur; ita non requiruntur novæ ſpecies; ſed ad ſummum erit neceſſaria nova earum coordinatio. Hæc autem coordinatio, quæ deſideratur ad ſupernaturalem aſſenſum debet eſſe ſupernaturalis, ut ſatis inſinuat Divus Thomas *quæſt. 8. de potentia art. 9. ad 5.* ubi inquit: *Intellectus ſine hoc, quod acquirat novas formas intelligibiles, poteſt aliquid de novo intelligere per hoc, quod intellectus confortatur aliquo fortiori lumine: ſicut ex eiſdem formis in phantaſia exiſtentibus ſuperveniente lumine prophetiæ aliqua cognitio accipitur, quæ accipi non poterat per lumen naturale intellectus agentis,* & *2. 2. quæſt.173. art. 2. ad 3.* inquit: *Dicendum, quod quaſcumque formas imaginatas naturali virtute poteſt homo formare abſolute hujuſmodi formas conſiderando: non tamen ut ſint ordinatæ ad repræſentandum intelligibiles veritates, quæ hominis intellectum excedunt; ſed ad hoc neceſſarium eſt auxilium ſupernaturalis luminis.* Præter quod lumen ſe tenens ex parte ſpecierum, requiritur alia virtus ſupernaturalis ſe tenens ex parte potentiæ, quæ ſit principium *quo* aſſenſus fidei infuſæ, ut oſtendimus in hoc dubio. Unde ſatis liquet prædictum aſſenſum eſſe ſupernaturalem, quin huic ſupernaturalitati præjudicet aliqua naturalitas principij proximi: nam intellectus, licèt ſit entitatiuè naturalis, non influit niſi elevatus per ſupernaturalem virtutem: & ſpecies intelligibiles, quamvis ſint entitatiuè naturales; non concurrunt immediatè ad aſſenſum, ſed ſolùm remotè, quatenus deſerviunt apprehenſioni terminorum: & rurſus ad aſſenſum fidei influunt ut ordinatæ, & corroboratæ per ſupernaturale lumen.

D.Thom.

Replica.

54. Dices: ad apprehendendum objecta ſupernaturalia, ut puta Trinitatem, non ſunt neceſſariæ ſpecies ſupernaturales, nec coordinatio, aut conformatio ſupernaturalis, nec denique actus apprehenſionis ſupernaturalis: ergo ad aſſenſum circa idem objectum non eſt neceſſarium aliquod principium ſupernaturale, nec aliquis actus ſupernaturalis. Patet conſequentia: quia judicium debet correſpondere apprehenſioni, & illi proportionari.

Diluitur.

Reſpondetur admittendo abſolutè antecedens, & diſtinguendo conſequens: *Ad aſſenſum fidei infuſæ*, negamus conſequentiam. *Ad aſſenſum fidei naturalis*, concedimus conſequentiam. Ratio autem diſparitatis inter apprehenſionem terminorum præcedentem aſſenſum fidei infuſæ, & ipſum aſſenſum eſt: quoniam cum apprehendimus Deum, & apprehendimus Trinitatem, non apprehendimus hæc objecta prout ſunt in ſe, ſed ad modum creaturarum, & non ſub aliquo motivo ſupernaturali: unde nihil eſt in prædicta apprehenſione, quod excedat vires naturales intellectus, & pro quo deſideretur lumen ſupernaturale. Cæterum quando intellectus, ſuppoſita prædicta apprehenſione, judicat, & firmiter credit Deum eſſe Trinum, quia Deus ita revelavit: jam hæc veritas ſub prædicto motivo eſt objective ſupernaturalis: & ideo petit attingi per lumen, & actum ejuſdem ordinis. Quòd autem judicium ſupponat apprehenſionem, & illi proportionetur, ſolum evincit judicium debere verſari circa extrema apprehenſa, minimè verò, quòd ſi apprehenſio eſt naturalis, debeat etiam judicium eſſe naturale: ſicut neque ex eo, quod apprehenſio in naturalibus non ſit ab habitu ſcientiæ; infertur, quòd judicium non poſſit, aut ſæpius debeat ab habitu ſcientiæ procedere. Et ratio eſt eadem utrobique, nempe in aſſenſu inveniri ſpecialem difficultatem, quæ non erat in apprehenſione: quia judicium non reſpicit extrema ſecundùm ſe, & diviſive ſumpta, quod eſt proprium apprehendentis, ſed attingit complexum utriuſque: quæ complexio frequenter non apparet ex terminis, ſed habetur per ſcientiam, vel per fidem. Et ideo apprehenſio cùm ſit pura, & ſimplex cognitio objecti quod repræſentat, omnino commenſuratur repræſentationi ſpecierum: aſſenſus autem cùm ſit cognitio judicativa, non ſpeciebus entitativè acceptis, ſed principio proximo judicativo commenſuranda eſt.

Occurritur confirmationi.

Ad confirmationem neganda eſt minor. Ad cujus probationem reſpondemus nemini fidelium conſtare evidenter, quòd eliciat actum fidei infuſæ, ſi loquamur de evidentia, quam vocant conſequentis: quia neque per actum naturalem, neque per ſupernaturalem ab eodem aſſenſu diverſum videt prædictum aſſenſum in ſe ipſo. Si autem dicatur hujuſmodi aſſenſum fidei infuſæ ſupra ſe ipſum reflectere, & quòd ſicut directe certificat intellectum de objecto revelato; ita reflexe certificat de ſe ipſo, ut docent Cajetanus & aliqui Thomiſtæ, quos refert, & ſequitur Lorca *tomo 2. in 1. 2. diſputatione 30.* id, inquam, ſi dicatur, nihil adverſatur noſtræ doctrinæ: quia prædicto modo non cognoſcitur evidenter aſſenſus fidei infuſæ per actum naturalem, ſed per ſe ipſum: ex quo minimè evincitur, quod ſit naturalis entitative. Sed de hoc fuſiùs dicemus *infra diſp.9. à num.16.*

Lorca.

Tertium argumentum.

55. Tertiò arguitur: quoniam ad illum actum, ad quem homo naturaliter determinatur, non eſt neceſſarium auxilium gratiæ: ſed homo poteſt naturaliter determinari ad aſſenſum fidei infuſæ entitativè acceptum: ergo ad hujuſmodi actum non eſt neceſſarium aliquod gratiæ auxilium. Major eſt manifeſta: quia gratia ibi eſt

Digitized by Google

neceſſaria, ubi natura non ſufficit: ergo è converſo, ubi natura non ſolum ſufficit, ſed eſt naturaliter determinata, auxilium gratiæ non erit neceſſarium. Minor autem ſuadetur, duo ſupponendo. Primum eſt poſſe hominem evidenter cognoſcere omnia, quæ Deus teſtatur eſſe vera: ad id quippe ſufficit naturalis ratio dictans Deum eſſe ſummè ſapientem, & veracem; proindeque nec falli, nec fallere poſſe: atque ideo omnia à Deo dicta eſſe vera. Secundum eſt poſſe hominem evidenter cognoſcere, quod Deus ſibi revelat aliquod myſterium, ut docent communiter Thomiſtæ 2. 2. & ſpecialiter Cajetanus *quæſt.* 1. *art.* 4. *&* 5. *& quæſt.* 5. *art.* 1. & ita de facto contigiſſe in Adamo, & in Apoſtolis, & Prophetis tenet eorumdem communior opinio: quam amplectemur *in Tract. de fide diſput.* 3. *dub.* 1. per totum.

Caietanus.

Prima reſponſio.

Ex iis ergo principiis probatur illa minor: nam præmiſſæ evidenter cognitæ determinant naturaliter intellectum ad aſſenſum concluſionis, quæ evidenter deducitur ex illis: atqui ex his v. g. præmiſſis: *Quidquid Deus dicit verum eſt: ſed Deus dicit ſe eſſe Trinum*, evidenter deducitur hæc concluſio: *ergo Deus eſt Trinus*, ergo cum homo poſſit evidenter cognoſcere præmiſſas, ut conſtat ex nuper dictis, ſequitur, quod maneat naturaliter determinatus ad aſſenſum concluſionis: ſed prædictus aſſenſus eſt actus fidei infuſæ; ſiquidem attingit aliquid obſcurum ſub motivo divinæ auctoritatis: ergo poteſt homo determinari naturaliter ad aſſenſum fidei infuſæ.

Huic argumento, quod plura tangit loco citato diſcutienda, reſpondetur primo negando minorem. Ad cujus probationes admittimus illas ſuppoſitiones; negamus tamen, quòd ex cognitione evidenti illarum præmiſſarum determinetur homo neceſſariò ad aſſentiendum prædictæ concluſioni. Et ratio eſt: quoniam illa principia nullam evidentiam refundunt in concluſionem ſecundum ſe, & in ſe conſideratam, ſed eam relinquunt obſcuram in ſe ipſa: ex eo quippe, quod omne teſtificatum à Deo ſit verum, & quod Trinitas teſtificatur à Deo, minimè ſequitur, quòd Trinitas appareat evidenter in ſe ipſa; ſed ſolum, quod ſit evidenter teſtificata. Unde quantumvis intellectus aſſentiatur evidenter, & neceſſariò præmiſſis; non determinatur ad aſſentiendum neceſſariò illi concluſioni: ſed poteſt abſolute non aſſentire. Ubi enim intellectus non videt rem vel in ſe ipſa, vel in ſua cauſa, vel in aliquo effectu; non omnino determinatur ad eam attingendam: quia omnis determinatio intellectus ſe habet vel tanquam aſſenſus principiorum, qui attingit rem in ſe, & immediate; vel tanquam concluſio, quæ reſpicit rem ut cognitam per cauſam, vel per effectum. Veritas autem divina, & ejus teſtimonium de Trinitate, non ſunt cauſa, aut effectus Trinitatis, nec faciunt, quod Trinitas immediate appareat in ſe; ſed pure intrinſece ſe habent ad tale myſterium: unde licet evidenter cognoſcantur, non determinant omnino intellectum, ut neceſſario judicet Deum eſſe Trinum.

Alia ſolutio.

Secundò (& forte melius pro qualitate præſentis materiæ) reſpondetur admittendo, quod poſito aſſenſu neceſſario illarum præmiſſarum, neceſſitatur intellectus ad aſſenſum concluſionis. Sed negamus, quod ſecluſo auxilio gratiæ ſupernaturalis, eliciat aſſenſum proprium fidei Theologicæ: ſolum enim aſſentiet per aliũ aſſenſum pure naturalem, & ordinis inferioris. Nam ſicut qui evidenter videt Deum in ſe ipſo, manet omnino determinatus ad eum amandum: & tamen niſi ejus voluntas elevetur per charitatem, non diliget Deum amore proprio ipſius charitatis; ſed alio longe inferiori, & pure naturali. Ita quantumvis ex evidenti cognitione veritatis, & teſtimonij Dei, determinetur intellectus ad eliciendum aſſenſum, quo credat Deum eſſe Trinum: nihilominus niſi intellectus adjuvetur per lumen ſupernaturale fidei Theologicæ, non eliciet aſſenſum proprium hujus virtutis, ſed alium naturalem & inferiorem. Et ratio eſt eadem utrobique: quoniam actus charitatis, & fidei Theologicæ, ſicut tendunt in objecta ſupernaturalia, ita debent procedere à ſupernaturalibus principiis: & ideo quamvis voluntas, & intellectus determinentur ad attingendum prædicta objecta; ſi tamen non eleventur intrinſecè per aliquam virtutem ſupernaturalem, non poterunt elicere actus proprios charitatis, & fidei: ſed manebunt determinata ad attingenda prædicta objecta juxta qualitatem ſuarum virium, atque ideo ſub aliqua ratione naturali, & per actus naturales entitative:

Sed replicabis: nam qui credit ob ſolam auctoritatem Dei revelantis, credit per aſſenſum proprium fidei infuſæ; ſiquidem attingit proprium objectum *quo*, aut rationem *ſub qua* hujus virtutis: ſed qui ex illis præmiſſis determinaretur ad aſſentiendum concluſioni, crederet ob ſolam auctoritatem Dei revelantis: ergo eliceret aſſenſum proprium fidei infuſæ. Probatur minor: quia in quocumque diſcurſu medium eſt motivum, ſeu ratio *ſub qua* aſſentiendi concluſioni: ſed medium illius diſcurſus, quo homo determinatur ad credendum concluſionem eſt auctoritas Dei revelantis, ut patet ex ejus diſpoſitione, & artificio: ergo qui ex illis præmiſſis determinaretur ad aſſentiendum concluſioni, crederet ob auctoritatem Dei revelantis.

Replica.

Reſpondetur, quòd ſicut exemplo nuper adducto bonitas divina clare viſa movet quantum eſt de ſe, ad amorem charitatis: & nihilominus voluntas omni auxilio deſtituta nequit tendere in prædictam bonitatem, ut habet rationem motivi ſupernaturalis, ſed ſub alia ratione inferiori & viribus voluntatis proportionata: & conſequenter non diligit Deum amore charitatis, ſed alio longe inferiori. Ita ſi admitteretur hominem ex evidenti notitia divini teſtimonij determinari ad credendum; & aliunde non adjuvari intrinſece per aliquod auxilium ſupernaturale: non poſſet ejus intellectus tendere in objectum revelatum ob illam Dei revelationem, quæ eſt motivum fidei Theologicæ: ſed tenderet ſub alio motivo, aut ratione, quæ divinum teſtimonium naturalizaret, ut ſic loquar, in ratione motivi: & conſequenter non eliceret aſſenſum fidei Theologicæ, atque adeo non attingeret objectum proprium hujus virtutis. Nec minoris probatio amplius evincit, ut latiùs explicuimus §. 3.

Diſpellitur.

56. Quarto arguitur: quia repugnat ea, quæ differunt ſecundum ſubſtantiam continuari: ſed actus fidei infuſæ, & acquiſitæ poſſunt realiter continuari: ergo non differunt ſecundum ſubſtantiam: atqui actus fidei acquiſitæ eſt naturalis ſecundum ſubſtantiam: ergo idem dicendum eſt de aſſenſu fidei infuſæ. Minor primi Syllogiſmi, in quo ſola poteſt eſſe difficultas, probatur: nam ſi Judæus paulo ante nativitatem Chriſti haberet hunc aſſenſum: *Chriſtus naſcetur*, & eundem aſſenſum, ut potuit, continuaret poſt Chriſtum natum

Quartum argumentum.

natum ſaltem aliquo brevi tempore ; jam ille actus, qui ante nativitatem Chriſti erat fidei infuſæ; Chriſto nato non eſſet prædictæ fidei, utpote cum hæc non inclinet ad falſum; ſed eſſet fidei acquiſitæ: ergo aſſenſus fidei infuſæ, & acquiſitæ poſſunt realiter continuari, vel potiùs eſſe idem actus quoad entitatem.

Confirmatur. Confirmatur: quoniam intenſio eſt ejuſdem rationis cum forma, quæ intenditur; cum nihil aliud ſit quam ipſum magis eſſe formæ, vel quam ipſa forma magis radicata in ſubjecto, ut docent communiter Thomiſtæ: ſed aſſenſus naturalis poteſt in ſua certitudine intendi per aſſenſum fidei infuſæ: ergo cum aſſenſus naturalis habeat certitudinem entitative naturalem, ut ex ſe conſtat; ſequitur, quod aſſenſus fidei infuſæ ſit etiam naturalis entitativè. Minor oſtenditur: nam Philoſophus Chriſtianus cognoſcens naturaliter hanc propoſitionem, *Deus eſt*, majori certitudine eam cognoſcit, quam Philoſophus gentilis, firmiuſque illi inhæret: & hoc non alia ratione, niſi quia Chriſtianus attingit eandem veritatem per aſſenſum fidei, quod non contingit in pagano: ergo aſſenſus naturalis poteſt in ſua certitudine intendi per aſſenſum fidei infuſæ.

Occurritur argumento. Ad argumentum reſpondetur negando minorem intellectam de vera continuatione, prout opponitur ſucceſſioni unius actus poſt alium, & importat identitatem utriuſque. Ad probationem autem in contrarium dicendum eſt, quòd ſicut in prædicto caſu variatur realiter objectum creditum; licèt hujuſmodi variatio non percipiatur à Judæo credente: ita etiam variaretur re ipſa aſſenſus, quo credit, iſte enim quando eſt fidei infuſæ, nequit attingere objectum aliter, ac eſt in ſe: & nihilominus non perciperetur talis variatio propter ſimilitudinem, quam objecta utrius aſſenſus habent in apparere. Et ideo aſſenſus ille *Chriſtus naſcetur* uſque ad inſtans nativitatis Chriſti erat verus, & fidei infuſæ, duravitque præciſe uſque ad illud inſtans: exinceps verò ſucceſſit alius novus aſſenſus falſus, & fidei acquiſitæ: qui tamen potuit eſſe moraliter bonus, ac meritorius ob ignorantiam invincibilem nativitatis Domini, ut magis declarabimus *in Tract. de Fide diſp. 2. dub.* 4. Et ſimilis deceptio in diſcernendo ea, quæ ſucceſſive continuantur, frequens eſt, ut oſtendi ſolet in Philoſophia. Hac quippe de cauſa ſi canis ex turri cadens moriatur in via, diſcontinuatur motus, & unus alteri ſuccedit, quin poſſimus illam diſcontinuationem ſenſibiliter percipere. Intellectus autem eam deprehendit ex variatione ſubjecti, cui ineſt motus. Idemque in caſu argumenti evenit variatio objecti, ad quod terminatur aſſenſus.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem neganda eſt minor, quam non perſuadet inducta probatio, nam Philoſophus Chriſtianus non eſt magis certus intenſive de illa veritate, quam Philoſophus ethnicus, ſi uterque æqualiter penetret principia naturalia; ſed tantum habet majorem certitudinem extenſivam per conjunctionem ad lumen ſuperius fidei infuſæ. Quod non contingit ex eo, quod aſſentiens illi veritati per evidentem demonſtrationem eliciat ſimul circa eam alium aſſenſum per fidem, ut arguens male ſupponit: nam prædicti actus ſunt inter ſe incompoſſibiles. Sed provenit ex eo, quod in actu primo, atque in animi præparatione pluribus modis certificatur de illa veritate Philoſophus Chriſtianus, quam gentilis. Nam Chriſtianus, deficiente demonſtratione, aut evidentia naturali, adhuc illi veritati firmiter inhæret ob lumen fidei: quod non contingeret in Pagano, ut ex ſe liquet.

57. *Quintum argumentum.* Ultimo arguitur: nam actus, qui ſecundum ſuam ſpeciem & entitatem eſt ſupernaturalis, nequit eſſe peccaminoſus: ſed aſſenſus fidei infuſæ poteſt eſſe peccaminoſus: ergo non eſt ſupernaturalis ſecundum ſpeciem, & entitatem. Major videtur manifeſta: quia Deus nequit concurrere ut auctor ſupernaturalis, & ſpecialis ad actum, qui eſt peccaminoſus: ſed concurrit ut auctor ſupernaturalis, & ſpecialis ad actum, qui eſt ſupernaturalis ſecundum entitatem, & ſpeciem: ergo hujuſmodi actus nequit eſſe peccaminoſus. Minor autem ſuadetur: tum quia aſſenſus fidei poteſt imperari à voluntate propter motivum temporale, & malum, ut cum quis vult credere propter inanem gloriam, vel ne diſpliceat homini, à quo ſperat bona, aut timet mala, qui aſſenſus poteſt eſſe fidei infuſæ proprius, cum ſufficiat ad ſalutem, ut docet Divus Auguſtinus *tomo* 4. *lib. de Catechiz. rud. b. cap.* 17. ergo aſſenſus fidei in prædicto caſu eſt peccaminoſus, utpote factus propter vitioſum motivum. Tum etiam, quia ut inquit Divus Thomas 2. 2. quæſt. 47. art. 13. ad 2. *Fides in ſui ratione non importat aliquam conformitatem ad appetitum rectorum operum; ſed ratio fidei conſiſtit in ſola cognitione: ſed prudentia importat ordinem ad appetitum rectum. Unde fides licet ſit nobilior, quam prudentia propter objectum, tamen prudentia ſecundum ſui rationem magis repugnat peccato, quod procedit ex perverſitate appetitus*: ſed actus, qui non importat conformitatem ad appetitum rectum, poteſt eſſe peccaminoſus; ſicut ob oppoſitam rationem actus virtutum moralium, quorum ratio ſumitur per conformitatem ad appetitum rectum, nequeunt peccaminoſi exiſtere: ergo aſſenſus fidei infuſæ poteſt eſſe peccaminoſus. *D. Auguſt.* *D. Thom.*

Reſponſio. Huic argumento pluribus viis occurrunt Auctores noſtræ ſententiæ, ut videre eſt apud Gregorium Martinum *in præſenti art. 1. dub.* 4. Nobis autem illa probabilior videtur, quam adhibent Bañez 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 5. *dub.* 2. Arauxo *qu.* 5. *art.* 2. *dubio unico.* Joannes à Sancto Thoma, *ibidem diſp.* 3. *art.* 2. *verſ. Quod ſi dicas*, & diſp. 10. art. 3. verſ. *Ad tertiam difficultatem, & alij.* Juxta quam neganda eſt minor argumenti: nam aſſenſus fidei infuſæ nequit etiam ab extrinſeco eſſe peccaminoſus. Tum quia actus, qui ex ſpecie, & natura ſua eſt diſpoſitio ad gratiam, & habet eſſe ſicut oportet ad ſalutem, nequit eſſe peccaminoſus; cum nihil magis indiſponat ad gratiam, quam peccatum: conſtat autem ex ſupra dictis *toto* §. 1. aſſenſum fidei infuſæ ex natura, & ſpecie ſua eſſe diſpoſitionem ad gratiam, & conducere ad ſalutem: unde nequit eſſe peccaminoſus. Tum etiam, quia aſſenſus fidei infuſæ debet fieri ex motione voluntatis piè affectæ ad bonum ſupernaturale, ut communiter docent Theologi: implicat autem, quòd voluntas ut pie affecta ad bonum ſupernaturale moveat intellectum vitioſè, vel intendat aliquem finem inordinatum: ergo aſſenſus fidei ſubſtans prædictæ motioni, & ab ea cauſatus nequit eſſe peccaminoſus. Quæ motiva late expendemus *in Tr. de Fide diſp.* 5. *dub.* 2. *Bañez. Arauxo. Joannes à S. Thoma.*

D. Auguſt. Ad primam autem probationem in contrarium reſpondetur aſſenſum in prædicto caſu nullo modo eſſe fidei infuſæ: neque id aſſerit Divus Auguſtinus, ut arguens non rectè ſupponit; ſed potius docet oppoſitum his verbis: *Non ſic veniſti conjungi Eccleſiæ Dei, ut ex ea temporalem aliquam*

Digitized by Google

aliquam utilitatem requirat. Sunt enim, qui propterea volunt eſſe Chriſtiani, ut hoc promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant; aut quia offendere nolunt, quos timent. Sed iſti reprobi ſunt, & ſi ad tempus eos portat Eccleſia, ſicut area, quæ ad tempus ventilationis paleam ſuſtinet. Et infra ſatis apertè docet prædictos homines ſic accedentes ad Eccleſiam non eſſe verè Chriſtianos. Idemque evidentius expreſſerat *in eodem libro capite* 5. his verbis: *Qui aliquid expectando ab hominibus, quibus ſe aliter placiturum non putat; aut aliquod ab hominibus incommodum evitando, quorum offenſiones, aut inimicitias reformidat, vult fieri Chriſtianus, non fieri vult, ſed potius fingere: fides enim non eſt ſalvandi corporis, ſed credentis animi.*

Ad ſecundam reſpondetur cum Bañez differentiam inter prudentiam & fidem infuſam, & informem, de qua D. Thom. loquebatur, conſiſtere in eo, quod rectitudo, propria prudentiæ importat actualem, & expreſſam conformitatem cum appetitu recto: & ideo nequit vera prudentia reperiri in peccatore. Cæterum rectitudo propria fidei infuſæ conſiſtit principaliter in cognitione, dicente tamen ordinem habitualem, & virtualem ex parte fidei ad appetitum rectum, quamvis non importet actualem, & expreſſum ordinem ad prædictum appetitum. Unde provenit, ut qua parte fides non refertur actu ad appetitum rectum, poſſit reperiri tam ipſa fides infuſa, quam aſſenſus ejus in peccatore: & qua parte petit referri, & refertur habitualiter, & quantum eſt de ſe; propterea nequeat prædictus aſſenſus eſſe peccaminoſus: actus quippe vitioſus, neque actu, neque habitu refertur ad appetitum rectum. Quæ doctrina ſumitur ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 4. *art.* 5. ubi ſtatuit ideo fidem informem deficere ab ſtatu virtutis, quia non habet conjunctionem actualem ad charitatem, cui quantum eſt ex ſe poſtulat conjungi. Per quod ſatis exprimitur habitudo, quam fides, & ejus actus dicunt ad appetitum rectum: qui ordo nequit vitioſis actibus convenire. Præterquam quod licèt aſſenſus fidei informis non reſpiciat appetitum rectum ſimpliciter, hoc eſt, ſanatum per gratiam; reſpicit tamen illum ut rectum in eſſe applicantis & moventis: nam ut ſupra diximus, fit ex motione voluntatis pie affecta ad bonum ſupernaturale: & ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 2. *ad* 2. inquit: *Fides, quæ eſt donum Dei gratiæ, inclinat hominem ad credendum ſecundum aliquem affectum boni: etiam ſi ſit informis.* Quod ſatis ſuperque eſt, ne aſſenſus evadat peccaminoſus. Neque huic reſponſioni contraria ſunt, quæ diximus *Tractatu* 11. *diſp.* 6. *dub.* 1. *num.* 32. quia hanc difficultatem ſolum obiter tetigimus, illam relinquentes ſuis tractatibus ex profeſſo examinandam, ut ibidem præmiſimus. Illamque ex profeſſo verſabimus loco ſupra citato.

D. Thom.

§. VI.

Diluuntur argumenta ſecundæ aſſertioni contraria.

Secunda opinio ſecundæ aſſertioni contraria.

58. ADverſus ſecundam concluſionem ſentiunt aliqui Theologi moderni, quos ſuppreſſo nomine refert Suarez *libro* 2. *de Gratia cap.* 11. *numero* 1. Eamque apertè defendunt Dicaſtillo *tract. de fide diſp.* 7. *quæſt.* 3. *num.* 8. referens Scotum, & ejus aſſeclas Averſa 1. 2. *quæſt.* 55. *ſect.* 5. Lugo *de virtute fidei diſp.* 9. *ſect.* 1. *num.* 2. Coninchus de moralitate actuum ſupernaturalium *diſp.* 5. *dub.* 1. 2. & 3. Granados *Controverſ.* 8. *de gratia tract.* 1. *diſp.* 4. *ſect.* 3. Ripalda *de ente ſupernaturali diſp.* 45. & *tractatu de fide diſp.* 9. *ſect.* 2. & alij recentiores, qui docent per actum ſpecie diverſum ab aſſenſu fidei infuſæ poſſe hominem tendere in objectum materiale, & formale prædictæ virtutis.

Dicaſtillo. Averſa. Lugo. Coninchus. Granados. Ripalda.

Primum fundamentum. D. Thom.

Quæ opinio poteſt ſuaderi primò ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 2. ubi docet dæmones habere aſſenſum fidei: ſed hæc fides, arguit Ripalda, innititur teſtimonio Dei: ergo jam fides naturalis, qualis eſt illa fides dæmonum, habet idem motivum, ſeu objectum formale, quod habet fides infuſa, nempè auctoritatem Dei revelantis. Minorem probat: nam Divus Thomas concludit dæmones credere per fidem coactam: quia vident multa manifeſta judicia ex quibus percipiunt doctrinam Eccleſiæ à Deo eſſe; quamvis ipſi res ipſas, quas Eccleſia docet, non videant: ergo ſentit dæmonum fidem inniti auctoritati Dei, à quo deprehendunt per manifeſta judicia doctrinam Eccleſiæ eſſe revelatam.

Confirmatur. D. Thom.

Confirmat idem Auctor ſuam ſententiam alia auctoritate Sancti Doctoris *in* 3. *diſt.* 23. *qu.* 3. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. ubi ait: *Habitus fidei infuſæ in duobus nos adjuvat, ſcilicet ut credamus, quæ credenda ſunt, & ut eis, quæ non ſunt credenda nullo modo aſſentiamus. Primum autem poteſt homo ſine habitu infuſo: ſed ſecundum, ſcilicet ut diſcrete in hoc, & in illo inclinetur, habet ex habitu infuſo tantum.* Sed hic loquitur D. Thomas de aſſenſu, quo credimus myſteria fidei propter auctoritatem Dei dicentis, ſiquidem fides infuſa ſolum ad hujuſmodi aſſenſum adjuvat: ergo cum Divus Thomas doceat talem aſſenſum poſſe haberi naturaliter, & abſque habitu infuſo; ſequitur ex ejus ſententia, quod aſſenſus naturalis poſſit tendere in objectum ſub eodem motivo, ſub quo tendit aſſenſus fidei infuſæ.

Occurritur argumentis.

Sed hæc parum premunt, & ſola ipſorum teſtimoniorum lectione deprehendet lector, quam violenter cogantur huic opinioni ſervire. Ad primum dicendum, quod ſicut fides dæmonum differt ſpecie à fide infuſa, ita etiam differt in motivo formali: nam motivum fidei dæmonum non eſt teſtimonium ſupernaturale Dei adæquate acceptum, prout fundat infallibilitatem ordinis ſupernaturalis, quo pacto eſt motivum fidei infuſæ, ut amplius explicuimus §.... Et rurſus quamvis dæmones innitantur aliquo modo teſtimonio divino, adhuc tamen non habent motivum adæquatum fidei infuſæ: ad hujus quippe adæquatam, & integram conſtitutionem intrat etiam pia voluntatis affectio ad credendum: quia credere eſt actus intellectus, ut moti à voluntate ad bonum ſupernaturale. Dæmones autem non moventur ex hoc affectu; ſed coguntur tam ex multitudine ſignorum, quam ex perſpicacitate ingenij, ut credant vera eſſe, quæ Eccleſia docet. Unde eorum fides differt à fide infuſa ex parte motivi adæquati. Quam differentiam docet expreſſe Divus Thomas *loco citato in corpore articuli.* Et ex illa poterat etiam deſumi aliud argumentum ſatis efficax ad probandum fidem acquiſitam non poſſe attingere objectum ſub motivo fidei infuſæ: nam ad iſtud pertinet etiam pia affectio ſupernaturalis, quæ haberi nequit ex viribus naturæ, & proinde ſupergreditur motivum proprium fidei acquiſitæ.

Replica.

Dices: actus intellectus non dependet à voluntate quoad ſpecificationem, ſed tantum quoad

exer

Digitized by Google

exercitium, quatenus voluntas applicat unamquamque potentiam ad propriam operationem: ergo pia affectio voluntatis non pertinet ad motivum adæquatum fidei infuſæ: iſtud quippe ad illius ſpecificativum ſpectat.

Solutio. Reſpondetur antecedens ſolùm verificari in actibus intellectus, ad quos objectum ſufficienter, & neceſſario determinat, ut ſunt illi, qui attingunt objectum evidens. Quando autem non eſt evidens objectum, ſolum inducit aſſenſum voluntarium: & conſequenter intellectus non inhæret objecto ut viſo, ſed quia placet, & ſibi apparet conveniens: quæ convenientia derivatur ex affectu voluntatis, & tranſit ad propriam rationem objecti. Et ideo pia affectio voluntatis requiritur ad aſſenſum fidei infuſæ, non ſolum quantum ad exercitium; ſed etiam quoad ſpecificationem: nam quidquid pertinet ad propriam objecti rationem, ad ſpecificationem etiam actuum ſpectat. In quo quia diverſam difficultatem importat, non oportet amplius immorari. Sed eam diſcutiemus *in Tractatu de Fide diſp. 5. dubio* 1.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem reſpondetur D.Thomam in illo loco minimè docere, quòd homo poſſit viribus propriis attingere credenda ſub motivo fidei infuſæ: ſed ſolum docet, quod ex duobus, quæ fides infuſa præſtat, nempe credere credenda, & diſcernere credibilia à non credibilibus, poſſit homo naturaliter habere primum, ſaltem materialiter, non vero ſecundum. Quia ſuppoſita revelatione externa, habet facultatem naturalem, ut ſibi propoſita credat aſſenſu quodam naturali: minime tamen poteſt per lumen naturale diſcernere inter credibilia: quia hoc poſterius eſt longe difficilius, quam primum. Hinc autem minimè ſequitur, quòd illud primum conferatur à lumine naturali ſub eodem motivo, ſub quo præſtatur à fide infuſa: ſed tantum infertur, quod exhibeatur idem materialiter quoad rem creditam, non tamen quoad motivum aſſentiendi. Et ideo Sanctus Doctor poſt verba relata, ſtatim immediate ſubjunxit: *Quæ quidem diſcretio eſt ſecundum quam non credimus omni ſpiritui: quæ quia in hæretico non eſt, conſtat, quod habitus fidei in ipſo non manet. Et ſi aliqua credenda credat, hoc eſt ex ratione humana: ſi enim habitus fidei ad credenda inclinaretur, contraria fidei refutaret, ſicut omnis habitus renititur eis, quæ contra illum habitum ſunt.* Videatur etiam S.Doctor *2.2. qu. 9. art. 1. ad 2.*

Secundum argumentum. 59. Secundò arguitur ratione: quia credere propter auctoritatem Dei dicentis non excedit vires naturales noſtri intellectus: ergo poteſt homo per fidem naturalem aſſentiri myſteriis fidei ob auctoritatem Dei dicentis, ſuppoſito, quòd exiſtentia revelationis divinæ ſufficienter illi innoteſcat: conſtat autem revelationem Dei eſſe rationem formalem, ſeu motivum fidei infuſæ: ergo poteſt fides naturalis tendere in objectum fidei infuſæ, & ſub eodem motivo.

Confirmatur primò. Confirmatur primò: quia Pelagianus negans neceſſitatem gratiæ firmiter aſſentitur myſterio Trinitatis ob ſolum teſtimonium Dei: ſed hæc fides eſt naturalis, ut ex ſe liquet: ergo fides naturalis poteſt attingere objectum propter teſtimonium divinum, quod eſt motivum proprium fidei infuſæ. Majorem probat Ripalda: quia homo doctus niſi innitatur teſtimonio Dei, non poteſt ſibi aliis argumentis ſuadere myſterium Trinitatis.

Secundo. Confirmatur ſecundò: quia ſi Catholicus invincibiliter judicet aliquid eſſe revelatum à Deo, quòd tamen revelatum non eſt, ut puta quia frequenter audivit Parochum, parentes, & viros doctos aſſerentes illud objectum eſſe de fide; eodem modo, & ſub eodem motivo crederet illud objectum, ac alia, quæ ſunt de fide: ſed non credit niſi per fidem naturalem, ſupernaturalis enim nequit concurrere ad aſſenſum falſum: ergo fides naturalis tendit in objectum ſub eodem motivo, ſub quo tendit fides infuſa.

Tertio. Confirmatur tertiò: quia ſi homini condito in puris Deus aliquid revelaret, illud crederet per fidem naturalem: & ſi poſtea ei infunderet fidem ſupernaturalem, idem objectum crederet per fidem infuſam: atqui in utroque aſſenſu haberet idem motivum, nempe teſtimonium divinum; neque enim in uno & altero caſu eſt excogitabile aliud motivum niſi teſtimonium dicentis, nempe Dei: ergo utraque fides tendit in ſuum objectum ſub eodem formali motivo.

Reſponſio ad argum. & confirmationes. Huic argumento, & ejus confirmationibus reſpondetur, quod ſolum probant hominem viribus naturalibus poſſe elicere aſſenſum fidei, qui innitatur teſtimonio Dei, quatenus eſt motivum naturale, & naturalem aſſenſus certitudinem fundat: quo pacto differt in eſſe motivi à ſe ipſo, quatenus movet ad aſſenſum fidei infuſæ. Unde non ſequitur, quod homo queat ſolis viribus naturalibus elicere aſſenſum ſub motivo proprio fidei Theologicæ, ſed ſub alio longe diverſo. Quod quia fusè expoſuimus §. 3. non oportet hic aliam reſponſionem adjicere.

Tertium argumentum. 60. Arguitur tertio: quia non repugnat actus ſpecie diverſos tendere in idem objectum tam formale, quam materiale: ergo quamvis aſſenſus fidei naturalis, & ſupernaturalis ſint actus ſpecie diverſi, poterunt tamen habere idem motivum, ſeu objectum formale. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens autem oſtendere conantur Adverſarij pluribus exemplis. *Primo:* quia actus virtutum moralium infuſarum, & acquiſitarum differunt ſpecie, cum unus ſit naturalis, alter vero ſupernaturalis: & tamen uterque actus habet idem formale motivum: nam utraque verbi gratia, miſericordia vult ſubvenire indigenti ob honeſtatem illius ſubſidij: ergo actus ſpecie differentes queunt habere idem motivum formale. *Secundò*, quia amor naturalis, & amor ſupernaturalis Dei ultimi finis dilecti ſuper omnia diſtinguntur ſpecie: & tamen habent idem motivum, nempe infinitum Dei perfectionem. *Tertiò*, quia duo actus amoris naturalis eliciti à duobus Angelis habent idem formale motivum, nempe bonitatem Dei naturaliter cognitam: & nihilominus prædicti amores differunt ſpecie, cum unus ſit ſpiritualior, ſeu immaterialior altero, juxta diverſitatem ſpecificam Angelorum, à quibus eliciuntur. *Quartò*, quia cognitio ſupernaturalis hujus principij, *Totum eſt majus ſua parte*, & cognitio naturalis ejuſdem habent idem formale motivum: utraque enim innititur intrinſecæ, & neceſſariæ connexioni terminorum prædicti principij: & tamen illæ cognitiones differunt ſpecie, ut ex ſe liquet. *Quintò*, quia voluntas, & appetitus ſenſitivi frequenter tendunt in idem bonum, & ſub eodem motivo, videlicet ſub ratione delectabilis: conſtat autem actum voluntatis, & appetitus ſenſitivi pluſquam ſpecie differre, cum unus ſit ſpiritualis, alter vero corporeus: ergo actus ſpecie diſtincti poſſunt tendere in idem objectum ſub eodem formali motivo.

Confir

Confirmatur primo. Confirmatur, & explicatur primo vis hujus rationis: quia actus non ſolum dependent ab objecto, ſed etiam à principio: ergo quamvis actus habeant idem objectum, ſi tamen habeant diverſa principia, non poterunt non ſpecie differre. Et hac ratione videntur diſtingui actus virtutum moralium infuſarum, & acquiſitarum: amor naturalis, & ſupernaturalis: & duo amores eiuſdem boni procedentis vel à duobus Angelis, vel in appetitu, & à voluntate: & cognitio naturalis, & ſupernaturalis eiuſdem obiecti, & ſic de aliis.

Secundo. Confirmatur, & explicatur ſecundo: quia motus rectus, & circularis non differunt ex parte termini, cum poſſint tendere ad idem punctum: & tamen quia tendunt diverſo modo, differunt ſimpliciter in ſpecie, ut docet Ariſt. 5. *Phyſic. cap.* 3. *text.* 33. *Ariſtoteles.* ergo cum actus procedentes à diverſis principiis tendant diverſo modo in obiectum, ſufficiet ſola diverſitas principiorum, ut actus differant ſpecie, licet attingant idem formaliter obiectum. Quod in noſtro caſu à fortiori dicendum: nam aſſenſus naturalis tendit improportionate in obiectum revelatum, ſupernaturalis vero tendit cum debita proportione.

Satisfit argumento. Huic argumento reſpondetur negando antecedens, quod ſi verum foret, ut contendunt Adverſarii, nihil in vera Philoſophia non nutaret circa ſpeciem, ac diſtinctionem potentiarum, & habituum, compelleremurque nova fundamenta aperire, quæ non docuerunt Ariſtot. D.Thom. & alij Scholæ principes. Quod licèt facilè admitterent Juniores, ne ullum principem haberemus ex antiquis; cederet profecto in ſummam veræ ſapientiæ jacturam: quocirca opus eſt illorum in hac parte impetus totis viribus retardare. Unde non laudamus judicium Franciſci Suarez, qui poſtquam ſtatuit, & pluribus munivit communem ſententiam, poſtea *numero* 36. defecit à principali principio, admittens poſſe de potentia Dei abſoluta multiplicari in eadem potentia actus ſpecie diverſos circa idem objectum formale. Qua doctrina diluit, ac enervavit quidquid antea tradiderat. Nam ſpecificatio præſcindit à quacumque rerum abſoluta, vel ordinaria diſpoſitione, & ſolum attenditur penes prædicata quidditativa ſecundum ſe conſiderata, prout diſpoſitionem executivam antevertunt. Unde ſi ſemel actus de facto diſtinguuntur per objecta, ut Suarius probaverat, nequeunt non in quacumque diſpoſitione per eadem objecta diſtingui: nam vel non manet eadem ſpecies actus, vel debet manere idem ſpecificativum, cum ſpecies actus in reſpectu tranſcendentali ad ſuum ſpecificativum conſiſtat. Et ideo firmiter tenendum eſt actus in quocumque ſtatu ſpecificari, & diſtingui per objecta formalia: & conſequenter non poſſe per ullam potentiam actus ſpecie diverſos attingere idem objectum formale. A qua communi doctrina minime disjiciunt exempla particularia, quæ in argumento referuntur, ut eis occurrendo conſtabit. Quod tamen breviter præſtabimus: nam eorum urgentius examen ad alios tractatus ſpectat.

Exempla in contrarium allata nihil evincunt. Ad primum ergo negatur minor: quia virtutes morales, & earum actus habent objecta formalia adæquata diverſa ab objectis virtutum moralium acquiſitarum, ut latè oſtendimus *Tract.* 12. *diſp.* 3. *dub.* 1. per totum, & præcipuè *à numero* 2. Unde ad id, quod dicebatur de motivo miſericordiæ, dicendum eſt motivum miſericordiæ ſupernaturalis regulari, & conſtitui per prudentiam ſupernaturalem, & in ordine ad finem ſupernaturalem; motivum verò miſericordiæ naturalis regulari, & conſtitui per prudentiam naturalem, & reſpectivè ad finem naturalem. Unde *Primum.* ſicut prædicti fines ſunt ſpecie diverſi, ita motiva, ſeu objecta utriuſque virtutis debent ſpecie diſtingui, ut optimè docet Divus Thomas, *hac* 1. 2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *& quæſt. de Virtutibus art.* 10. *ad* 8. *D.Thom.* his verbis: *Dicendum, quod temperantia infuſa, & acquiſita conveniunt in materia: utraque enim eſt delectabilia tactus. Sed non conveniunt in forma effectus, vel actus: licèt enim utraque quærat medium; tamen alia ratione requirit medium temperantia infuſa, quàm temperantia acquiſita: nam temperantia infuſa exquirit medium ſecundum rationem legis divinæ, quæ accipiuntur ex ordine ad ultimum finem: temperantia autem acquiſita accipit medium ſecundum inferiores rationes in ordine ad bonum præſentis vitæ.* Idemque de aliis virtutibus proportionabiliter dicendum eſt.

Secundum. Ad ſecundum Vaſquez cum non recognoſcat differentiam inter motiva utriuſque illius amoris, non admittit majorem, ſed negat, & quidem conſequenter illam amorum differentiam, admittens duntaxat amorem ſupernaturalem charitatis. *Impugnatur Vaſquez.* Hic tamen dicendi modus eſt omnino falſus, & contra communem ſententiam Theologorum, quam ſatis commendant Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. damnantes propoſitionem 34. Michaëlis Baij, ut vidimus *diſput. præced. num.* 82. Et ideo contra Vaſquez valide & acriter agit Suarez *lib.* 1. *de neceſſit. gratiæ capite* 30.

Unde aliter reſpondetur concedendo majorem, & negando minorem: quia licèt eadem divina bonitas in eſſendo ſit motivum amoris naturalis, & ſupernaturalis Dei ſuper omnia; nihilominus eſt diverſa in ratione motivi penes diverſum modum communicationis. Nam diverſa communicatio fundat diverſum amorem benevolentiæ, ut ſtatuit Ariſtot. 8. *Ethic.* *Ariſtoteles.* non quia communicatio ſit res volita amanti, quod eſt proprium amoris concupiſcentiæ; ſed quia bonitas, ut fundat diverſam communicationem, importat diverſum benevolentiæ motivum, ut patet in amore benevolentiæ inter homines; eadem enim perſona poteſt fundare diverſas amicitias, verbi gratia concivis, commilitantis, aut ſimul ſtudentis: eo quod bonitas amici variatur in eſſe motivi ob variam communicationem inter amicos. Et ideo alius eſt amor benevolentiæ, quo diligimus bonitatem divinam, in quantum cum Deo communicavimus in bonis externis, ac naturalibus: & alius eſt ſpecie amor, quo diligimus eandem bonitatem in quantum cum Deo communicamus in propriis bonis ipſius, videndo ſcilicet Deum in ſe, & fruendo ejus perfectione. Quod docet Divus Thomas *in hac quæſt. art.* 3. *ad* 1. his verbis: *Dicendum, quod natura diligit Deum ſuper omnia, prout eſt principium, & finis naturalis boni: charitas autem ſecundum quod eſt objectum beatitudinis, & ſecundum quod homo habet quandam ſocietatem ſpiritualem cum Deo.* Quod etiam docet 2. *parte quæſt.* 60. *art.* 5. *ad* 4. ut fuſius expendemus *in Tract. de charitate.* Recolantur etiam, quæ ſupra diximus §. 5.

Tertium. 61. Ad tertium negamus minorem: quia amores illi ſunt ſimpliciter ejuſdem ſpeciei, utpote habentes idem motivum. Quod autem unus ſit immaterialior alio, eſt differentia pure materialis, & ſubjectiva: ſicut etiam intellectus Ange-

Digitized by Google

Angelorum differunt ex hac parte ; & tamen ſunt ſimpliciter ejuſdem ſpeciei propter unam & eandem rationem ſub qua attingunt objectum. Eo vel maximè : quia intellectus, & voluntas in Angelis non conſequuntur eorum eſſentias, ut differunt in ſpecie ; ſed quatenus conveniunt in ratione ſubſtantiæ ſpiritualis completæ : qui gradus licet ſit genericus in eſſe rei, attamen in eſſe radicis intellectus & voluntatis eſt ſpecificus. Unde omnes actus voluntatis verbi gratia attingentes idem formaliter objectum ſunt abſolutè ejuſdem ſpeciei, quamvis eliciantur ab Angelis in ſpecie valde diverſi. Quod ſi ſupponatur illos actus ſpecie differre, conſequenter dicendum eſt eos tendere in objectum ſub diverſo motivo, ſaltem ex parte modi. Idque haud arduum erit explicare, ſi principia proxima ſpecie differunt, ut in argumento ſupponitur.

Quartum. Ad quartum negamus majorem : quia licet illa propoſitio ſit idem objectum terminativum, & materiale utriuſque cognitionis ; nihilominus in eſſe objectivo eſt duplex. Nam cognitionem naturalem terminat ſecundum ea, quæ naturaliter importat, & per habitudinem ad Deum auctorem naturalem : cognitionem vero ſupernaturalem terminat abſolute ſecundum omnia, quæ habet, complectendo etiam explicitè potentiam obedientialem ut cognoſcendam quidditative. Quo pacto licèt non importet aliquid ſupernaturale in ratione entis, vel ſubjective acceptum ; nihilominus eſt ſupernaturale in eſſe objecti ob exceſſum ſupra facultatem naturalem intellectus creati : hæc quippe nequit ſe ſe extendere ad cognoſcendum quidditative, & perfecte objectum naturale ſecundum potentiam obedientialem acceptum, ut late docet Godoi *tomo 2. in 3. p. tr. 9. diſp. 35. §. 2. à n. 34.* ad quem lectorem remittimus. *Godoy.*

Quintum. Ad quintum negatur major ; quia ſicut objectum motivum adæquatum voluntatis, & objectum motivum adæquatum appetitus differunt pluſquam ſpecie ; cum illud ſit bonum univerſaliter acceptum, ut complectitur omne bonum tam ſenſibile, quam ſpirituale, & tam honeſtum, quam delectabile ; iſtud vero ſolùm importat peculiarem rationem boni, corporei ſcilicet, & conveniens naturæ, aut ſenſui : ita etiam motivum cujuſcumque actus voluntatis debet diſcerni à motivo cujuſcumque actus appetitus ſenſitivi, ſi formaliter conſiderentur in ratione motivi : eo quod motiva actuum in particulari debent contineri ſub motivo actus adæquati in communi : implicat autem ea, quæ continentur ſub diverſis generibus non ſubordinatis eſſe ejuſdem ſpeciei. Unde cum dicitur aliquem actum particularem voluntatis tendere in bonum ut delectabile, ly *ut delectabile* magis deſignat rationem *quæ*, ſeu terminativam, quam objectum *quo*, ſeu motivum: iſtud quippe eſt ratio boni abſolute, quam quælibet alia particularis ratio boni participat.

Reſponſio ad 1. confirmat. Ad primam confirmationem conſtat ex ſupra dictis à num. 50. ubi oſtendimus actus immanentes, quales ſunt aſſenſus fidei, non dependere à principio effectivo in genere cauſæ formalis ſpecificativæ, ſed potius principium proxime operativum pendere in hoc genere ab actibus à ſe elicitis. Et quamvis admitteremus prædictos actus ſpecificari à ſuis principiis, nunquam concedendum eſſet ſpecificari ab eiſdem ſolitarie acceptis, ſed quatenus ſupponuntur determinata per objectum motivum eis in actu primo applicatum, vel unitum, ut liquet ex dictis loco citato. Unde nunquam poteſt componi, quod actus differant ſpecie, ſaltem ratione principij ; & quod non habeant diverſa objecta motiva.

Ad ſecundam reſpondemus cum Ariſtot. *5. Phyſic. text. 31.* & D. Thom. *ibidem lect. 6.* negando majorem : quia licet terminus motus recti, & circularis queat eſſe materialiter idem ; nihilominus eſt duplex in eſſe termini : nam ſub diverſa ratione terminat motum circularem, & rectum, quatenus fundat diverſam attingibilitatem, ſeu hoc, quod eſt poſſe attingi diverſis viis : ad eum plane modum, quo eadem concluſio ſpecifica poteſt diverſos actus, & habitus ſpecificare, quia quantum eſt de ſe, poteſt & poſtulat attingi per diverſa ſpecie principia, eſtque proinde multiplex in ratione ſcibilis. *Ad ſecundā. Ariſtoteles. D. Thom.*

62. Ultimò arguitur : quoniam per aſſenſus fidei infuſæ generatur quidam habitus fidei acquiſitæ : ergo aſſenſus eliciti ab hac fide acquiſita attingunt objectum ſub eodem motivo, ſub quo tendunt aſſenſus fidei infuſæ. Conſequentia conſtat : nam actus procedentes ab habitu tendunt in objectum ſub eodem motivo, ſub quo tendunt actus, per quos habitus acquiritur, ut inductive poteſt oſtendi. Antecedens autem ſuadetur, tum auctoritate D. Thom. *qu. 17. de verit. art. 1. ad 4.* ubi inquit : *Dicendum, quod ex actibus non generatur habitus alterius modi ab illo habitu, ex quo actus eliciuntur, ſed vel aliquis habitus ejuſdem rationis, ſicut ex actibus infuſa charitatis generatur aliquis habitus dilectionis*, &c. Eadem autem ratio eſt in fide infuſa : ergo per aſſenſus fidei infuſæ generatur alius habitus fidei acquiſitæ. Tum ratione, quia ſi quis Catholicus labatur in aliquam hæreſim, amittit fidei infuſæ habitum : & tamen circa articulos, in quibus non errat, experitur eandem facilitatem, & promptitudinem, quam antea habebat : ergo cùm facilitas & promptitudo ſint certa habitus ſigna ; manifeſtum videtur manere in prædicto homine aliquem habitum fidei naturalis, eum videlicet, qui per aſſenſus fidei infuſæ comparatus eſt. *Vltimum argumentum. D. Thom.*

Confirmatur : quia ſi fidelis exiſtens in peccato mortali eliciat firmiſſimos fidei aſſenſus, eoſque intensè, & frequenter repetat, acquirit majorem facilitatem in credendo, ut experientia liquet : ſed hæc facilitas non conſiſtit in intenſione habitus infuſi : ergo conſiſtit in eo, quod novus fidei habitus generetur tendens in idem formale objectum fidei infuſæ. Major, & conſequentia conſtant. Minor autem probatur : quia habitus infuſi non augentur per noſtros actus, niſi tantum meritorie : ſed actus exiſtentis in peccato mortali nihil merentur : ergo illa major facilitas nequit conſiſtere in eo, quod habitus infuſus intendatur per actus. *Confirmatur.*

Hoc argumentum, ſi efficax foret, probaret utique actus fidei infuſæ, & acquiſitæ non ſolum tendere in idem objectum, & ſub eodem motivo ; ſed etiam eſſe ejuſdem ſpeciei ; quod Adverſarij non admittunt : nam actus eliciti ab habitu ſunt ejuſdem rationis quantum ad ſpeciem cum actibus, per quos habitus generatur, ut inductive poteſt oſtendi. Unde ſicut argumentum hanc partem non convincit, ita nequit ſuadere eam, pro qua probanda formatur. Reſpondetur ergo negando antecedens cum D. Thom. *in hac 1. 2. quæſt. 5. art. 4.* ubi ſibi opponit argumentum : *Si aliquis habitus à Deo infunditur, per illum habitum homo poteſt multos actus producere:* *Solvitur argumentum. D. Thom.*

ſed illis actibus cauſatur ſimilis habitus: ſequitur ergo duos habitus ejuſdem ſpeciei eſſe in eodem, &c. Ad quod reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod actus, qui producuntur ex habitu infuſo, non cauſant aliquem habitum infuſum, ſed confirmant habitum praexiſtentem.* Et ideo docet *quæſt. de virtut. art.* 10. *ad* 19. adjiciens, Quod neque ex actibus virtutis acquiſitæ aliquis habitus generatur. Et ratio eſt: quoniam vel actus procedentes ab habitu producerent habitum ejuſdem ſpeciei, vel diverſæ? Non primum: quia nequeunt duo habitus ſolo numero diverſi exiſtere in eodem intellectu: & quia unus ex illis ſuperfluus foret. Nec ſecundum dici poteſt: tum quia habitus genitus inclinaret ad actus ſimiles his, per quos generatur: quod profecto non præſtaret, ſi ſpecie differret ab habitu generante: principia quippe diverſa debent ad affectus diverſos inclinare. Tum etiam quia actus non generant habitum, niſi in ordine ad proprium objectum: hoc autem etiam eſt objectum proprium habitus, à quo actus procedunt: ergo habitus generans, & habitus genitus haberent idem formale objectum, proindeque non differrent ſpecie.

D. Thom. Ad auctoritatem autem in contrarium adductam jam reſpondimus *tractatu* 12. *diſputat.* 3. *dubio* 3. *numero* 55. D. Thomam loqui per modum exempli, cujus non requiritur veritas, & loqui ſub diſiunctione, ut conſtat ex eo, quod immediate ſubdit: *Vel praexiſtens augmentatur, ſicut in eo, qui habet habitum temperantiæ acquiſitum, ex actibus ipſe habitus augmentatur.* Unde ex prædicta auctoritate nihil firmum colligi poteſt ad venandum mentem Sancti Doctoris. Maxime cum eam pro contraria parte revelet locis proxime citatis. Ad probationem è ratione deſumptam reſpondetur Catholicum frequenter elicere aſſenſus naturales circa myſteria fidei: per quos actus poteſt generari aliqua fides acquiſita, ſicut in univerſum per alios actus naturales ſolent habitus generari. Ad quod non parum confert fides infuſa: nam ſemel devicta difficultate in aſſentiendo firmiter rebus fidei ob auctoritatem Dei revelantis, pervium eſt alios aſſenſus inferioris perfectionis, & firmitatis elicere. Et hinc provenit, quòd amiſſa fide infuſa ob errorem circa aliquem articulum fidei, experiatur adhuc homo facultatem in credendo alios articulos, circa quæ non errat; retinet quippe habitum fidei acquiſitæ, qui non per aſſenſus ſupernaturales elicitos à fide infuſa; ſed per naturales elicitos propria virtute generatus eſt. Quæ reſponſio modo ſufficiat: nam exactiorem hujus rei diſcuſſionem remittimus ad Tractatum de fide.

Replica. 63. Replicabis: demus hominem catholicum, qui ſe perpetuò exercuerit in eliciendo aſſenſus fidei ſupernaturales, nullumque naturalem elicuerit; plane iſte amiſſa fide in fuſa, adhuc credet cum facilitate myſteria circa quæ non errat: ergo habet aliquem habitum fidei acquiſitæ: ſed prædictus habitus non eſt genitus per actus naturales: ergo productus eſt per aſſenſus fidei infuſæ.

Solutio Medina. Huic replicæ occurrit bene Medina loco citato ex 1. 2. dicens caſum eſſe moraliter impoſſibilem: nam contingere nequit, quòd catholicus intra longum tempus non eliciat aliquem naturalem actum; immo plures circa objecta, quæ credit fide divina: cum ob ſimilitudinem inter ipſos aſſenſus, qui nequeunt facile diſcerni: cum ob ingenitam conditionem noſtri intellectus, qui circa quodcumque objectum ſibi propoſitum contendit ſe ſe exercere eliciendo actus naturales, quos poteſt. Admiſſa autem prædicta hypotheſi, neganda eſt prima conſequentia: nullus enim habitus naturalis adeſſet in prædicto caſu ob ea, quæ ſupra diximus. Facilitas autem illa, quam homo experiretur in credendo, non eſſet aliqua qualitas illi poſitive ſuperaddita; ſed ſolum eſſet carentia difficultatum, & impedimentorum, quæ poſſent eum ab actibus fidei revocare, & detinere: hæc enim ſupponuntur devicta, & ideo vel non occurrerent, vel facile repellerentur ob motiva ſimilia his, propter quæ eaſdem olim difficultates viciſſe recordaretur homo. Sicut ſi ab homine in actibus temperantiæ valde exercito, auferret Deus habitum temperantiæ, adhuc facile operatur in materia hujus virtutis: quia antiqui habitus relinquunt paſſiones ita moderatas, ut vel non conſurgerent, vel ob motiva antiqua, quorum meminit homo facile ſuperarentur.

Ad confirmationem concedſa majori, negatur minor: ad cujus probationem dicendum eſt habitus infuſos intendi diſpoſitive phyſicè noſtris actibus: quo pacto actus fidei hominis exiſtentis in peccato queunt concurrere ad intenſionem fidei infuſæ; quidquid ſit, an etiam valeant influere meritorie, ut eſſe ſatis probabile diximus loco citato. *Ad confirmat. reſp.*

DUBIUM QUARTUM.

Utrum ad affectum credendi ſit neceſſaria gratia.

POſtquam oſtendimus dubiis præcedentibus neceſſitatem gratiæ ad credendum ex motivo fidei Theologicæ; examinandum ſupereſt; utrum poſſit homo viribus propriis habere voluntatem credendi. Quam difficultatem majori luce abſolvemus, ſi breviter prælibemus nonnulla è quibus illius legitima ejus reſolutio dependet.

§. I.

Præmittuntur aliqua ad dubij deciſionem.

64. IN primis igitur ſupponendum eſt, quod licet credere ſit formaliter actus intellectus, pendet tamen ex libero affectu voluntatis, ut docent communiter Sancti Patres Ambroſius ad illa verba Apoſtoli ad Romanos 4. *Ei, qui operatur*, ubi inquit: *Aut credere, aut non credere voluntatis eſt: neque enim cogi poteſt ad id, quod manifeſtum non eſt.* Auguſt. libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. ubi ait: *Fides in voluntate eſt.* & libro de dono perſeverantiæ capite 16. inquit: *Fides ſine voluntate eſſe nequit*, & tractatu 16. in Ioannem, ait: *Credere non poteſt niſi volens, & libro* 1. contra duas epiſtolas Pelagian. capite 19. *Nemo per fidem venit ad Deum, niſi velit*, eandem ſententiam repetit *libro ad ſimplician. quæſt.* 2. *libro de corrept. & grat. capite* 8. & alibi ſæpè Ireneus *lib.* 4. *cap.* 62. Origen. *homil.* 2. *in adverſa loca Scripturæ*, Bernard. *lib.* 3. *de conſiderat.* Hugo *lib.* 2. *de Sacram. part.* 6. *cap.* 7. D. Thom. *in hac* 1. 2. *qu.* 65 *art.* 4. & 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. & *qu.* 14. *de verit. artic.* 1. & communiter alij Doctores. *Prima animadvers.* *Ambroſius. Ad Rom.* 4. *Credere dependet à voluntate. D. Auguſt.* *Ireneus. Origenes. D. Bernard. Hugo. D. Thom.*

Qui

Digitized by Google

Qui hanc doctrinam deſumunt ex Sacris litteris ex quibus illam ſatis apertè edocemur, ut ad Rom. 1. *Accepimus gratiam ad obediendum fidei*; obedientia enim ſpectat ad voluntatem, & *capite* 10. Corde creditur ad juſtitiam, ubi D. Th. *lect.* 2. inquit: *Corde creditur, id eſt voluntate: nam cætera, quæ ad exteriorem Dei cultum pertinent, poteſt homo nolens, ſed credere non poteſt, niſi volens. Intellectus enim credentis, non determinatur ad aſſentiendum veritati ex neceſſitate rationis, ſicut intellectus ſcientis; ſed ex voluntate: & ideo ſcire non pertinet ad juſtitiam hominis, quæ eſt in voluntate, ſed credere.* Geneſeos 15. *Credidit Abraham Deo. & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Idemque determinant Concilia Arauſic. 2. & Tridentin. Quorum verba infra referemus *num.* 69. eiſque conſonat Toletan. 4. *can.* 55. ubi ſtatuit, ne quis cogat Judæos ad fidem: *quia ſicut homo propria arbitrij voluntate ſerpenti obediens perit: ſic (vocante ſe gratia Dei, propria mentis converſione quiſque credendo ſalvatur.*

Ad Rom. 1. — Geneſ. 15. — Conc. Arauc. — Conc. Trid. — Conc. Tolet.

Ratio animadverſionis. Cujus doctrinæ ratio ſumitur ex verbis D. Ambroſij & D. Thom. ſupra relatis: nam cum intellectus non determinatur ſufficienter ab objecto ad aliquem actum, opus eſt, quod aliunde ad ipſum moveatur, & determinetur: objectum autem fidei, quamvis ſit evidenter credibile, adhuc non determinat intellectum; cum maneat in ſe ipſo inevidens, & obſcurum: & ideo neceſſarium eſt, quod intellectus aliunde moveatur, & terminetur ad aſſentiendum. Unde cum non appareat aliud principium hujus determinationis niſi voluntas, cui complacet aſſentire; neceſſe eſt, ut credere licet formaliter ſit actus intellectus, pendeat tamen ex affectu voluntatis. Quod fuſius oſtendemus *in tract. de fide diſp.* 5. *dub.* 1.

1 Corollarium præcedentis doctrinæ. 65. Ex quo fit primo, quod prædicta voluntatis motio requiratur non ſolum ad exercitium aſſenſus fidei, ſed etiam ad illius ſpecificationem, ut communiter docent Thomiſtæ 2. 2. *quæſt.* 1. Quoniam id, quod ſe tenet ex parte objecti, tenet ſe ex parte ſpecificativi, atque ideò concurrit ad actus ſpecificationem: motio autem voluntatis, quæ deſideratur ad aſſenſum fidei, tenet ſe ex parte objecti; ſiquidem ſupplet id, quod objecto deficit evidentiæ, complendo illud non quidem in ratione veri, ſed in ratione convenientis: movet enim objectum fidei, non præciſe quia viſum, ſed quia placens, quod habet ex affectu voluntatis: unde neceſſarium eſt quod prædicta motio deſideretur non ſolum ad exercitium, verùm etiam ad ſpecificationem actus credendi. Quod optimè docuit D. Thomas *loco ſupra citato ex quæſtione de veritate* his verbis: *Quandoque intellectus non poteſt determinari ad alteram partem contradictionis neque per definitiones, neque virtute principiorum: determinatur autem per voluntatem quæ eligit aſſentiri uni parti determinate, & præciſè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum, ut pote quod videtur bonum, vel conveniens huic parti aſſentire, & ita eſt diſpoſitio credentis.*

D. Thom.

Aliud corollarium. Fit ſecundò ad aſſenſum fidei non ſufficere, quod voluntas ſe habeat negative, ſeu non contranitatur, ut falſo exiſtimavit Scotus *in* 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 2. tum quia auctoritates ſupra relatæ apertè loquuntur de motu poſitivo voluntatis, maximè vero Auguſtino illis verbis: *Nemo per fidem venit ad Deum, niſi velit:* voluntas autem negative ſe habens non vult, ut liquet ex terminis. Tum etiam quia voluntas negative ſe habens non magis aſſentit, quam diſſentit: ergo ex vi prædictæ voluntatis non poteſt moveri intellectus ad credendum. Tum denique quia voluntas ut præciſe non contranitens, nihil appetibilitatis, aut convenientiæ tribuit objecto fidei; ſed tam intrinſece, quam extrinſece relinquit illud in eodem ſtatu, in quo præexiſtebat: unde vel ſe ipſo determinabit intellectum contra ea, quæ prænotavimus, vel relinquet intellectum omnino indeterminatum, nulluſque ſequeretur aſſenſus. Quod latius oſtendere, & diluere motiva Scoti pertinet ad 2. 2. & ideo ab eis in præſenti ſuperſedemus.

Scotus. — D. Auguſt.

66. Præterea animadvertendum eſt, quod licet ad aſſenſum fidei debeat præſupponi affectus credendi, hic tamen non ſufficit ad determinandum intellectum, ut prudenter credat: ſed inſuper deſiderantur aliqua motiva, quæ reddant ipſum objectum credibile: alias imprudentiæ, atque levitatis inſimulabitur credens juxta illud Eccleſiaſtic. 19. *Qui cito credit, levis eſt corde.* Et hac ratione excuſantur infideles à peccato infidelitatis, quando myſteria noſtræ fidei non proponuntur eis cum talibus motivis, ut reddantur prudenter credibilia, & contra prudentiam ſit eis aſſenſum non præbere, juxta illud Chriſti Domini Joannis 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et cùm *Matth.* 10. dixiſſet diſcipulis ſuis: *Prædicate dicentes, appropinquabit regnum cælorum,* ſtatim adjunxit: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate,* leproſos mundate, dæmones ejicite, &c. quia hæc vel ſimilia motiva deſiderantur, ut intellectus prudenter credat myſteria fidei.

Secunda animadverſio. — Eccl. 19. — Joann. 15. — Matth. 10.

Diximus, ut *prudenter credat*, quia modo non determinamus, utrum prædicta motiva ſint adeo neceſſaria, ut abſque illis nequeat intellectus abſolutè credere etiam imprudenter, & ex ſolo affectu voluntatis. Quo ſenſu loquitur Cajetanus 1. 2. *quæſt.* 65. *art.* 4. *in eodem quarto* ubi docet ex ſolo amore alicujus quantumcumque extranei poſſe hominem determinari ad credendum id, cujus nullam habet rationem, ut puta aſtra eſſe paria. Quam ſententiam vocat improbabilem Lugo *de fide diſp.* 10. *ſect.* 1. Sed hæc potius cenſura improbabilis, & præceps habenda eſt: nam Cajetani opinio ſuis nititur fundamentis, & aliunde procedit in re pure metaphyſica, & circa aſſenſum non prudentem: ex quibus nihil periculi quoad materias graviores valet ſuboriri. Unde argumenta Lugonis de fide conjugis credentis conjugem eſſe mortuum, & de fide requiſita, ut quis excuſetur à mendacio, ſunt extra propoſitum: quia hujuſmodi fides debet eſſe prudens, de qua nihil aſſerit Cajetanus *in illo loco*, ſed 2. 2. *quæſt.* 1. *art. verſ. Ad objecta*, ubi docet, quod ad vere, & virtuoſe credendum requiritur videre credibilitatem objecti. Quocirca relata ejus opinio non debet improbabilitatis nota feriri. Eſt tamen, ut putamus, falſa: nam ſicut voluntas nequit amare niſi bonum ſaltem apparens; ita intellectus nequit aſſentiri niſi vero ſaltem apparenti: & ideo neceſſarium eſt, ut adſit aliqua ratio, quæ reddat objectum aliqualiter credibile; alias nullo modo appareret verum, nec valeret aſſenſum terminare. Quamobrem ſicut voluntas non poteſt ſe applicare ad amandum niſi id, quod ratione alicujus motivi apprehenditur

Nota. — Cajet. — Lugo. — *Ad credendum requiritur aliquod motivum.*

henditur ut bonum; ita non valet movere, aut cogere intellectum, ut judicet tanquam verum id, quod nullatenus apparet verum, ſeu credibile. Quo ſenſu dixit Philoſophus 2. de Anima text. 65. *Non eſſe poſitum in hominis voluntate aliquid opinari, vel credere*, & text. 154. *Phantaſiari*, inquit, *poſſumus, cum volumus; operari non poſſumus, cum volumus.* Nam phantaſiari non importat judicium determinatum: credere autem, & opinari dicit aſſenſum verum: quod impoſſibile eſt, niſi objectum ex aliqua ratione aut motivo verum appareat.

Philoſoph.

Tertia animadverſio.

67. Deinde obſerva dubium præſens non procedere de voluntate credendi utrumque: ſupponimus quippe poſſe hominem; propriis viribus velle credere myſteria fidei ex aliquo motivo creato, aut non ſpecificante fidem infuſam. Si enim credere ex prædicto motivo eſt actus pure naturalis, & nullam poſtulans gratiam internam adjuvantem, ſed præcisè gratiam externæ prædicationis, non eſt cur voluntas eliciendi hujuſmodi aſſenſum ſit ſupernaturalis, aut talis conditionis, ut fieri nequeat per proprias vires: nam eminentia hujus effectus debet per ejus objectum, nempe aſſenſum fidei regulari, ut conſtabit ex dicendis. Unde etiam habetur, quod ad voluntatem inefficacem, ſive ad velleitatis affectum, quo quis vellet credere ex motivo fidei infuſæ, ſed re ipſa non vult abſolute, nulla ſit neceſſaria gratia: quia in affectu adeo imperfecto nihil apparet, quod excedat vires noſtræ voluntatis: ſicut nec excedit velleitas aut affectus inefficax diligendi Deum auctorem ſupernaturalem ex motivo charitatis: utrobique enim militat eadem ratio. Dubium ergo procedit de voluntate efficaci credendi, ſeu de illa, quæ re ipſa infert aſſenſum fidei infuſæ: & ita inquirimus, utrum ſuppoſita prædicatione myſteriorum fidei, & notitia rationum, ſeu motivorum, per quæ prædicta objecta redduntur ſufficienter, & prudenter credibilia, poſſit homo propriis viribus elicere abſolutum, & efficacem affectum credendi ex motivo divinæ revelationis, ad quam affectum aſſenſus fidei infuſæ re ipſa conſequatur.

Punctum difficultatis.

68. Porro prædictus affectus efficax credendi poteſt adhuc dupliciter conſiderari: primo quoad entitatem, ſubſtantiam, & ſpeciem; ſecundo quantum ad rationem, ſeu formalitatem eſſendi *ſicut oportet* ad ſalutem, ut ſupra dub. 2. dicebamus de actu fidei. Modo enim non determinamus, an hæc poſterior ratio pertineat ad ſpeciem prædicti affectus; ſed id poſtea diſcutiendum eſt: ut per ea, quæ certiora ſunt, gradum faciamus ad alia, quæ non gaudent æquali certitudine. Et propterea ultimo ſupponendum eſt non poſſe hominem propriis viribus habere affectum credendi, ita ut prædictus affectus ſit, *ſicut oportet*, vel talis, qualis ad ſalutem deſideratur. Hanc ſuppoſitionem non admittebant Semipelagiani Maſſilienſes, qui licet Pelagium magna ex parte deſeruerant confitentes ad aſſenſum fidei Chriſtianæ eſſe neceſſariam gratiam Dei; aſſerebant tamen poſſe hominem habere ſua induſtria affectum credendi, alioſque actus, ad quos ſequeretur auxilium requiſitum ad credendum, vel per modum præmij correſpondentis merito noſtri affectus, vel per modum formæ debitæ illi affectui tanquam diſpoſitioni. Autumabant enim, quod ſicut homo generans non producit animam rationalem, ponit tamen propria virtute quaſdam diſpoſitiones, ad quas infallibiliter ſequitur, quod Deus animam creet, ut homo gignatur: ita licèt homo nequeat elicere aſſenſum fidei infuſæ, valet nihilominus ſuis viribus habere affectum credendi, quo præſuppoſito Deus infallibiliter communicet auxilium gratiæ requiſitum ad credendum, & homo credat, ſicut oportet.

Ultima animadverſio.

Hunc tamen errorem damnavit Concilium Arauſic. 2. can. 5. his verbis: *Si quis quemadmodum & augmentum, ſic etiam & initium, & ipſum credibilitatis affectum, quo in eum credimus; qui juſtificat impium, per gratiæ donum, & inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, & ab impietate ad pietatem naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſatur.* Et can. 7. *Si quis per naturæ vigorem Evangelizanti prædicationi conſentire poſſe confirmat abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu.* Ubi conſenſus nomine aperte ſignificatur affectus voluntatis. Idemque ſtatuunt Concilium Milevitan. *cap.* 4. Toletanum 4. *cap.* 55. & tandem Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. In quo amplius confirmando non oportet immorari: tum quia ſatis conſtat ex ſupra dictis *dub.* 2. Tum quia ea, quæ §. *ſequenti* ex Scriptura, & Patribus adducemus, hanc partem ſaltem evincunt; nulluſque apud Catholicos eſt, qui aſſerat poſſe hominem propriis viribus habere credendi affectum, ut oportet ad ſalutem. Unde punctum præſentis difficultatis in eo conſiſtit, utrum ſit neceſſaria ſpecialis gratia ad eliciendum affectum abſolutum, & efficacem credendi, ad quem ſequitur aſſenſus fidei infuſæ. Hoc enim non eſt hactenus communiter receptum apud Doctores catholicos; ſed haud levi controverſiæ manet obnoxium, ut ex dicendis conſtabit.

Ut affectus credendi ſit, ſicut oportet, requiritur gratia.

Conc Arauſ.

Conc. Milev. Conc. Tolet. Conc. Trid.

§. II.

Proponitur vera ſententia, & expenditur præcipuum illius fundamentum.

69. Dicendum eſt neceſſariam eſſe ſpecialem gratiam ad eliciendum affectum credendi abſolutum, & efficacem, ad quam ſequitur aſſenſus fidei infuſæ. Hanc concluſionem docet D. Thom. *in hac quæſt. art.* 2. in corpore ubi ſtatuit hominem per ſua naturalia non poſſe velle bonum virtutis infuſæ, & 2. 2. *qu.* 6. *art.* 1. *ad* 3. ubi inquit: *Dicendum, quod credere quidem in voluntate credentium conſiſtit: ſed oportet, quod voluntas hominis præparetur à Deo per gratiam ad hoc, quod elevetur in ea, quæ ſunt ſupra naturam, ut ſupra dictum eſt*, nempe in corpore ejuſdem articuli, & *qu.* 2. *art.* 3. in quibus locis determinat, quod credere ex motivo fidei infuſæ eſt ſupra hominis naturam. Angelicum Doctorem ſequuntur ejus diſcipuli Bañez 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 1. Aragon. *qu.* 6. *art.* 1. *concl.* 2. Alvarez *de auxiliis diſp.* 49. *concl.* 2. *& diſp.* 95. Curiel *in præſenti art.* 1. *dub.* 3. *concluſ.* 2. Zumel *ibidem diſp.* 2. *concluſ.* 6. Medina *dub.* 2. *concluſ.* 2. Gregorius Martin. *dub.* 4. *concluſ.* 4. Arauxo *artic.* 7. *dub.* 1. *num.* 32. Joannes à S. Thom. *diſp.* 20. *art.* 1. Monteſ. *diſp.* 28. *quæſt.* 2. Lorca *diſp.* 8. *concl.* 2. Quibus etiam adhærent Driedo *lib.* 1. *de gratia cap.* 4. *parte* 2. Suarez *lib.* 1. *de neceſſ. gratiæ cap.* 3. *& tract. de fide diſp.* 6. *ſect.* 7. *num.* 5. Bellarminus *libro* 6. *de gratia capite* 1. Vaſquez *in præſenti diſputat.* 86. *cap.* 2. Lugo *de virtute fidei*

Concluſio.

D. Thom.

Bañez. Aragon. Alvarez. Curiel. Zumel. Medina. Greg. Mart. Arauxo. Ioann. à S. Thom. Driedo. Suarez. Bellarminus. Vaſquez. Lugo.

Digitized by Google

Ripalda.

*fidei diſput.*10. *ſect.*3. Ripalda *de fide diſp.* 16. *ſect.*4. & alij plures.

Fundamentum principale ab auctoritate.

Principale fundamentum hujus aſſertionis ſumitur ab auctoritate ſacræ Scripturæ, Conciliorum & Sanctorum Patrum, quorum non omnia teſtimonia, quia innumera ſunt, adducemus, ſed ea tantum, quæ ſelectiora, & evidentiora videntur ad rem iſtam illuſtrandam. Primo igitur probatur ex illo Pſal. 36. *A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet.* Quod teſtimonium ſic interpretatur Auguſt. epiſt. 107. ad Vitalem Carthaginenſem. *Non dixit*, inquit, *viam ejus diſcet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid hujuſmodi, quod poſſes dicere à Domino quidem dari, ſed homini jam volenti, ut ſcilicet beneficium Dei, quo greſſus hominis dirigit, ut viam ejus diſcat, teneat, gradiatur, ſua homo voluntate præcedat; & hoc Dei donum, præcedente ſua voluntate mereatur. Sed ideo dixit: A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet: ut intelligeremus ipſam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere (quoniam Dei via, quid eſt niſi fides recta?) illius eſſe donum, qui greſſus noſtros propterea dirigit primitus, ut velimus. Non enim ait Scriptura: A Domino greſſus hominis diriguntur, quia viam eius voluit; ſed diriguntur, inquit, & volet. Non igitur quia voluit diriguntur, ſed quia diriguntur volet.*

Pſalm.36.

D. Auguſt.

Ad Philip.2.

Idem docet Apoſtolus *ad Philip.* 2. illis verbis: *Deus operatur in nobis, & velle, & perficere*, quæ D. Auguſt. loco ſupra citato urget contra Vitalem in hunc modum. *Reſpondet*, inquit, *per legem ſuam, per ſcripturas ſuas Deum operari, ut velimus, quas vel legimus, vel audimus; ſed eis conſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſt, ut ſi velimus, fiat, ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille dicis quantum in ipſo eſt, ut velimus; cum nobis nota fiant eius eloquia: ſed ſi eis acquieſcere nolumus, nos ut operatio eius nihil in nobis proſit, efficimus. Quæ ſi dicis, profecto noſtris orationibus contradicis.*

D. Thom.

Cui interpretationi conſonat D. Thom. loco citato lect. 3. in fine ubi ait: *Excludit falſam exiſtimationem Pelagianorum dicentium electiones eſſe in nobis; ſed proſecutiones operum in Deo: quia velle eſt à nobis, ſed perficere à Deo. Et hoc excludit dicens, & velle, & perficere Romanorum* 9. *Non eſt volentis, ſcilicet velle, ſine auxilio Dei, neque currentis, ſcilicet currere; ſed miſerentis eſt Dei.* Omittimus alia teſtimonia ſcripturæ, quæ videri poſſunt apud Auguſtinum, *epiſtola citata & libro de prædeſtinatione Sanctorum.* Videatur *ibidem caput* 20. ubi in favorem noſtræ aſſertionis affert illud Actor. 16. *Et quædam mulier nomine* Lydia, *purpuraria civitatis Thyatirenorum colens Deum audivit, cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.*

D. Auguſt.

Conc. Arauſ.

Conc. Milev.

Secundo probatur eadem veritas ex Conciliis: nam illam ſatis apertè docet Arauſic. 2. *can.* 5. & *can.*7. cujus verba ſupra dedimus, Milevit. *cap.* 14. ubi inquit: *Quiſquis dixerit eandem gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur; & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.* Et denique Trident. ſeſſ.6. cap.6. ubi deſcribens modum præparationis ad juſtificationem

Tridentin.

inquit: *Diſponuntur ad ipſam iuſtitiam dum excitati divina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientis libere moventur in Deum credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt*, &c. Ubi motum fidei & liberum eſſe, & à Dei gratia tam excitante, quam adjuvante oriri pronuntiat.

Cæleſt. I.

Tertio idem ſtatuunt Summi Pontifices, & Sancti Patres Cæleſtinus I. *in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap.* 12. ubi inquit: *His ergo eccleſiaſticis regulis, & ex divina ſumptis auctoritate documentis, ita adiuvante Domino confirmati ſumus, ut omnium bonorum affectum, atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur auctorem: & non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita prævenire, per quem fit, ut aliquid boni, & velle incipiamus, & facere.* Leo I. *ſerm.*8. Epiph. *cap.*1. ubi ait: *Dubium non eſt hominem bona agentem habere à Deo, & affectum operis & initium voluntatis.* Gregor. hom. 9. in Ezech. ſub initium. Fulgent. *lib. de Incarnatione & gratia cap.*17. & 18. & 20. Proſp. *lib.*1. *de vocat. gent. cap.*24. & *lib. contra Collatorem* per plura capita, Petrus Diacon. *de Incarnatione cap.*6. & denique D. Aug. cæterorum in hac cauſa dux, *lib. de dono perſeverantiæ cap.*20. & *lib. de prædeſt. Sanct. cap.*2. & *lib.* 2. *contra duas epiſt. Pelagianorum cap.*8. & ſequentibus, & in pluribus aliis locis, quæ refert Henricus Cuykius *annotatione* 20. ad Caſſiani libros.

Leo I.
Gregor.
Fulgent.
Proſper.
Petr. Diacon.
D. Auguſt.

Adverſariorum reſponſio.

70. Sed quamvis prædicta teſtimonia adeo confirment noſtram aſſertionem, ut aliqui exiſtiment contrariam ſapere errorem Semipelagianorum, quod aſſerit Suarez *loco ſupra cit. num.* 12. nihilominus conantur Adverſarij eorum vim elevare, ut propriam opinionem vindicent à cenſura. Unde oportet eorum evaſiones refellere, ut ex earum confutatione veritas communis ſententiæ evidentius appareat. Primo ergo ſunt, qui reſpondeant prædicta teſtimonia intelligenda eſſe de voluntate credendi in Deum ſuper omnia dilectum, ſeu de affectu credendi exorto ex charitate; quem fatentur ex gratia procedere: non vero de voluntate imperante aſſenſum fidei ſecundum ſe conſiderata, ad quam negant, quod deſideretur gratia. Cui reſponſioni favere videntur illa verba Concilij Arauſicani num. 68. relata. *Convertentis voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, & ab impietate ad pietatem, hoc eſt ad ſanctitatem ſeu gratiam.* Et illa verba Tridentini, *libere moventur in Deum credentes*, &c. nam ly *in Deum* deſignat terminum motus informati per charitatem, ut ſumitur ex Auguſt. *tractatu* 29. *in Ioann.* & *ſerm.*61. *de verbis Domini*, ubi docet credere in Deum nil aliud eſſe, quam credendo amare Deum. Et hunc dicendi modum publice docuiſſe quemdam virum gravem, & doctum refert Suarez *ubi ſupra num.* 5.

D. Auguſt.

Multipliciter impugnatur.

Sed contra eſt *primo* quia Concilia, & Patres locis ſupra relatis expreſſe loquuntur de credulitatis affectu, qui eſt initium fidei, ut conſtat ex eorum verbis: at charitas non eſt initium fidei; ſed potius ejus forma, perfectio, & conſummatio: ergo prædicta teſtimonia non loquuntur de credulitatis affectu ut orto ex charitate, vel per illam informato, ſed de eo ſecundum ſubſtantiam, & ut charitatem prævenit. *Secundo* quia Concilium Arauſic. apertè loquitur de affectu convertente voluntatem ab infidelitate ad fidem: at hæc converſio non fit per charitatem, ſed eam præcedit, & eſt ab illa ſeparabilis, cùm quis poſſit converti ad fidem, quia

Digitized by Google

quin recipiat charitatem : ergo determinatio Concilij non procedit de credulitatis affectu ut charitate informato. *Tertio* , quia ex oppoſito fieret fidem ſecundum ſe non eſſe ex gratia , ſed ſolum ut informatam charitate : hoc autem quam abſurdum ſit conſtat ex ſupra dictis dub. 2. *Quarto* & urgentius, quia prædictum Concilium Arauſicanum intendit damnare errorem Semipelagianorum , adverſus quos congregatum eſt , ut late Vaſquez. oſtendit Vaſquez 1. *parte diſp.*91. *cap.* 11. Sed hi hæretici non negabant neceſſitatem divini auxilij ad conſequendam fidem perfectam , & charitatem ; ſed ſolum aſſerebant initium fidei, nempe credulitatis affectum eſſe ex nobis , *Ut* D.Proſper. *qui voluerint* (inquit ex eorum ſententia D.Proſper in epiſt. ad Ruffin.) *credant, & qui crediderint merito fidei , & bonæ voluntatis juſtificationem accipiant. Ut eo merito* (ait Hilar. epiſtola ad Auguſtinum) *quo crediderint ſe poſſe ſanari , & voluerint , & ipſius fidei augmentum , & totius ſanitatis ſuæ conſequantur effectum.* Ergo non ſolum ad charitatem, qua perficitur & conſummatur fides ; verum ad iſtius initium nempe ad affectum credendi , eſt neceſſaria gratia. Unde D.Auguſt. Auguſt. libro de prædeſt. SS. capite 2. inquit: *Non vero receditur ab ea ſententia , quam Pelagius ipſe in Epiſcopali judicio Palæſtino , ſicut eadem geſta teſtantur , damnare compulſus eſt, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari , ſi non pertinet ad Dei gratiam , quod credere cœpimus.* Et poſt pauca : *Sed contra hæc cur non potius audimus : Quis prior dedit illi , & retribuetur ei ? Quoniam ex ipſo , & per ipſum , & in ipſo ſunt* Ad Rom. 11. *omnia.* Ad Rom. 11. *Et ipſum igitur initium fidei noſtræ ex quo niſi ex ipſo eſt ? Neque enim hoc excepto ex ipſo ſunt cætera : ſed ex ipſo , & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

Motivum reſponſionis convellitur. His vero , quæ pro ſe adducit hæc reſponſio, facile occurritur : nam illa verba Concilij Arauſicani , *ab impietate ad pietatem* ſolum ſignificant converſionem à falſa Ethnicorum , vel hæreticorum religione (quæ impietas apud Scriptores ſacros frequenter dicitur , ut videre eſt apud Auguſt. Auguſtinum *lib.* 4. *de civitat. cap.* 23. ante medium , & *epiſt.* 52. parum à principio) ad Chriſtianam religionem , quæ ob oppoſitam rationem merito appellatur pietas. Vel nomine pietatis intelligitur pia voluntas credendi , ut inter-Monteſinos. pretatur Monteſinos *numero* 15. nam ſicut impietas eſt non velle credere , ita pietas eſt velle credere. Porro prædictum tranſitum fieri poſſe independenter à charitate ſatis ex ſe conſtat : unde non oportet in prædicta determinatione Concilij ad charitatem recurrere.

Illud , quod adducitur ex Tridentino minorem adhuc habet apparentiam , & directe adverſatur intentioni Concilij : nam ibi complectitur omnes diſpoſitiones etiam remotas , quibus homo præparatur ad gratiam , ut conſtat ex textu : inter quas recenſet tum fidem , tum credulitatis affectum his verbis : *Moventur autem ad juſtitiam, dum divina gratia excitati , & adjuti libere moventur in Deum credentes vera eſſe* , &c. Et deinde enumerat motum timoris , & motum ſpei, qua diligere Deum concipiunt. Quæ omnia infuſionem charitatis poſſe præcedere certo certius eſt. Ergo divina gratia excitans & adjuvans, quam eſſe neceſſariam ad motum liberum credendi adſtruit Concilium , non deſideratur præciſe propter informationem , vel perfectionem charitatis , ſed propter ipſum credulitatis affectum. Quamvis autem *credere in Deum* ſoleat ſignificare motum fidei in Deum tanquam in ultimum finem ſuper omnia dilectum , quod haberi nequit ſine charitate , ut docet Auguſtinus locis citatis , nihilominus etiam peccatores dicuntur credere in Deum, ut docet idem Auguſt. *tract.* 11. D.Auguſt. *in Ioann.* & conſtat ex illo Joan. 12. *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum : ſed propter Phariſeos non confitebantur , ut è Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.* Ubi Cajetanus. Caietanus. *Adverte* , inquit , *prudens lector , quod hinc habes , quod credere in Ieſum , apud Evangeliſtam hunc , non ſignificat ſemper actum fidei formatæ,* &c. Et eodem loquendi modo potuit uti Concilium Tridentinum. Videatur Bañez 2. 2. *qu.* 1. Bañ.z. *articulo* 2.

Aliud effugium 71. Secundò reſpondet Caſtillo *tract. de fide diſp.*6. *quæſt.*6. prædicta teſtimonia intelligenda Caſtillo. eſſe de affectu credendi elicito *ſicut oportet* , ad ſalutem ; non vero de eodem quoad entitatem, & ſubſtantiam conſiderato. Unde licet ſit neceſſaria gratia ad prædictum affectum ſecundum priorem illam rationem acceptum , non tamen ſecundum poſteriorem. Additque prædictus Auctor *num.* 18. quod licet requiratur aliqua gratia ad prædictum actum ; nihilominus ex Conciliis, & Patribus colligi non poteſt prædictam gratiam eſſe ſupernaturalem, aut ejuſdem ordinis cum Fide, Spe, & Charitate : quia de hoc nihil expreſſe dixerunt Patres & Concilia.

Præcluditur. Hæc tamen evaſio facilè impugnatur ex ſupra dictis dubio præcedenti : quia licèt verum ſit gratiam eſſe neceſſariam ad affectum credendi elicitum , ſicut oportet ad ſalutem : falſum tamen eſt , quod prædictus affectus quando eſt abſolutus , & efficax , non habeat eſſe , ſicut oportet: ergo ſi Patres , & Concilia determinant eſſe neceſſariam gratiam ad prædictum affectum, quando elicitur , ſicut oportet ; idem etiam ſtatuunt, quando eſt abſolutus , & efficax : unde corruit præmiſſa illa diſtinctio. Aſſumptum autem oſtenditur : tum quia aſſenſus fidei Chriſtianæ per ſuammet entitatem, & independenter à modo extrinſeco ſibi ſuperaddito , habet eſſe ſicut oportet ad ſalutem , ut conſtat ex dictis loco citato : ergo pariter affectus efficax imperans prædictum aſſenſum per ſuam entitatem habet ſicut oportet. Conſequentia videtur manifeſta à paritate rationis: ſi enim aſſenſus abſolutus ad res fidei eſt in linea aſſenſus quædam diſpoſitio , ſicut oportet ad gratiam ; cur etiam affectus abſolutus, & efficax credendi non habebit id ipſum in linea affectus? Et plane Concilia ſupra citata eodem modo loquuntur de utroque actu , nec majorem determinationem adhibent reſpectu unius , quam reſpectu alterius. Præſertim quia prædictus affectus habet ſaltem aliquando , eſſe ſicut oportet , ut hæc reſponſio admittit : at ſic eſt , quod id non habet ratione alicujus modi ſupperadditi, neque enim prædictus modus poteſt conſiſtere in facilitate , duratione , aut intenſione , cum valeat conducere ad juſtificationem , quin ſit valde intenſus , aut fiat facile , aut multum duret : ergo per ſuam ſpeciem habet eſſe ſicut oportet. Recolantur , quæ diximus *loco cit. à num.*50.

Confirmatio impugnationis. Confirmatur : quoniam affectus credendi ea ratione habet eſſe *ſicut oportet* , qua habet eſſe initium fidei : ſed per ſuam ſubſtantiam habet eſſe initium fidei : ergo per ſuam ſubſtantiam habet eſſe ſicut oportet. Major eſt certa : nam fides eſt humanæ ſalutis initium , fundamentum, & radix omnis juſtificationis , ut loquitur Concilium

Digitized by Google

Conc.Trid. D.Thom. cilium Trident. *ſeſſ.6. cap.8.* ſed affectus credendi eſt initium fidei, & ideo inquit Div. Thom. *quæſt.* 14. *de verit. art.* 3. *ad* 10. quod inchoatio fidei eſt in affectione inquantum voluntas determinat intellectum ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei: ergo prædictus affectus ea ratione, qua eſt initium fidei, eſt etiam initium ſaltem mediatè ſalutis humanæ, & radix juſtificationis: hoc autem eſt eſſe, ſicut oportet ad ſalutem, ut conſtat ex terminis: ergo prædictus affectus ea ratione habet eſſe ſicut oportet, qua habet eſſe initium fidei. Minor autem oſtenditur: quoniam eatenus affectus credendi eſt initium fidei, quatenus determinat intellectum ad aſſentiendum, ut modò vidimus ex D. Thom. ſed affectus efficax credendi per ſuam ſpeciem, & entitatem habet determinare intellectum, & non per aliquem modum accidentaliter ſibi ſuperadditum; ſiquidem eſſentia prædicti affectus conſiſtit in eo, quod ſit determinatio, & applicatio intellectus ad aſſentiendum: ergo per ſuam ſubſtantiam eſt initium fidei.

Objectio. 72. Nec refert, ſi cum Caſtillo objicias, quòd ſi affectus credendi eſſet ſupernaturalis, & per ſeipſum conduceret ad juſtificationem, jam fides non eſſet initium, radix, & fundamentum omnis juſtificationis, ut inquit Tridentinum loco nuper citato, neque ab ea omnis noſtra juſtificatio ſumeret initium, ut loquitur Auguſt. *epiſt.* 105. (D.Auguſt.) conſequens eſt abſurdum, & contrarium, tum his teſtimoniis, tum aliis, quæ pro aſſertione adduximus: ergo prædictus affectus eſt prior fide, quam imperat: ergo ſi eſt ſupernaturalis, & conducens ad ſalutem; non fides, ſed prædictus affectus erit initium, & radix juſtificationis.

Diſpellitur. Non, inquam, hoc refert, reſpondetur enim negando ſequelam: nam *ut ſupra num.* 64. vidimus, actus fidei eſt voluntarius, ortumque ducit ex voluntate liberè applicante intellectum ad credendum. Unde quando Patres, & Concilia dicunt fidem eſſe initium juſtificationis, minimè excludunt piam affectionem; ſed vel frequenter illam explicant, vel virtualiter illam implicant, & includunt. (Conc.Arauſ.) Immo Concilium Arauſic. expreſsè dicit, quod affectus credendi eſt initium fidei. Quamobrem ex eo quod prædictus affectus ſit ſupernaturalis, & diſponat ad ſalutem, non tollitur, quod fides dicatur initium, & radix juſtificationis: quia fides id non habet, niſi ut voluntaria & orta ex prædicta affectione. Quod Adverſarius admittere tenetur, ſi loquamur de affectu credendi facto ſicut oportet: nam ita acceptum eſſe initium juſtitiæ, & oriri ex gratia ſpeciali ipſe docet concluſione 1. hoc pacto interpretans Patres, & Concilia: ſed etiam hujuſmodi affectus ut elicitus, ſicut oportet, eſt metaphyſicè loquendo, prior quam aſſenſus fidei, quem imperat: ergo vel excluditur à fide eſſe initium, & radicem juſtificationis per hoc, quod affectus credendi, ſicut oportet, ſit ſupernaturalis, & diſponat ad ſalutem, quod aſſeri non poteſt: vel non excluditur à fide prædicta ratio initij, & radicis ſalutis ex eo, quòd affectus eam præcedens ſit entitativè ſupernaturalis, & diſponat ad juſtificationem.

Confutatur amplius data reſponſio. 73. Per quod etiam impugnatur id, quod prædictus Auctor dicebat, nempè Concilia, & Patres non eſſe intelligendos de gratia ſupernaturali, quia iſtius non faciunt expreſſam mentionem. Hoc, inquam refellitur: tum quia Concilia, & Patres non appellant expreſsè ſupernaturalem eam gratiam, quæ requiritur ad effectum credendi ſicut oportet: & tamen prædicta gratia eſt ſupernaturalis, cum pertineat ad ordinem gratiæ ſanctificantis, & charitatis, & æternæ beatitudinis, ad quas diſponit: ergo ex eo, quod Concilia, & Patres expreſsè non appellent ſupernaturalem gratiam illam requiſitam ad affectum credendi ſecundum entitatem conſideratum, minimè ſequitur, quod prædicta gratia non ſit ſupernaturalis. Tum etiam quia Concilia, & Patres loquuntur de illa gratia, quæ conducit ad ſalutem, ut conſtat ex eorum teſtimoniis: ſed hæc eſt ſupernaturalis ſicut forma ad quam diſponit: ergo loquuntur de gratia ſupernaturali. Merito autem non adjecerunt expreſsè particulam *ſupernaturalem* utpote ſatis notam ex qualitate materiæ in qua procedebant. Tum deinde, quia ſi ſemel ad credulitatis affectum requiritur gratia, iſtius neceſſitas non poteſt aliunde oriri, niſi ex eo, quod prædictus affectus tendit in finem ſupernaturalem, vel cauſet ſupernaturalem aſſenſum fidei, ut conſideranti conſtabit, & amplius apparebit ex dicendis quæſtione ſequenti: ſed gratia quæ neceſſaria eſt ob finem, & affectum ſupernaturalem debet ſupernaturalis eſſe juxta qualitatem finis, & affectus, pro quibus deſideratur: ergo gratia, quam pro credulitatis affectu adſtruunt Patres, & Concilia eſt gratia ſupernaturalis. Tum denique quia teſtimonia relata eodem modo, & verborum contextu loquuntur de gratia neceſſaria ad affectum credendi, ac de gratia neceſſaria ad Fidem, Spem, Charitatem, & perfectam juſtitiam: hanc autem gratiam nullus Catholicorum negabit eſſe ſupernaturalem: ergo abſque fundamento dicitur non eſſe ſupernaturalem eam gratiam, quam Patres, & Concilia petunt pro credulitatis affectu.

§. III.

Probatur eadem Veritas duplici ratione.

74. SEcundò probatur noſtra concluſio ratione deſumpta ex verbis D. Thomæ *ſupra num.* 64. relatis, quæ poteſt ad hanc formam reduci: quoniam actus reſpiciens per ſe primò objectum ſupernaturale debet eſſe ſupernaturalis, & procedere ex gratia ejuſdem ordinis: atqui affectus abſolutus, & efficax credendi ex motivo divinæ revelationis reſpicit per ſe primo objectum ſupernaturale: ergo eſt ſupernaturalis, & petit fieri ex auxilio gratiæ. Major conſtat ex dictis *dub. præced.* Minor etiam ſuadetur, quia objectum primarium prædicti affectus eſt aſſenſus fidei infuſæ, ſiquidem hunc imperat, & ad eum applicat intellectum: ſed hujuſmodi aſſenſus eſt ſupernaturalis, ut conſtat ex dictis *dub. citato:* ergo prædictus affectus reſpicit per ſe primo objectum ſupernaturale. *Ratio pro aſſertione.*

Reſpondebis primo negando minorem: nam licèt objectum materiale, ſive *quod* prædicti affectus ſit ſupernaturalis, nihilominus objectum *quo* ſive motivum eſt *naturale*: nam voluntas movetur ad imperandum aſſenſum fidei ex motivis, quibus myſteria fidei apparent evidenter credibilia, quæ evidentia ſolet haberi naturaliter. Unde cum ſpecies actus non ab objecto materiali, ſed motivo deſumenda ſit, ſequitur prædictum credendi affectum non eſſe ſupernaturalem. *Adverſariorum reſponſio.*

Sed contra eſt *primo:* nam quemadmodum, ut intellectus credat, ſupponitur evidentia credibilitatis exiſtentiæ divinæ revelationis, ea autem ſuppoſita, credit intellectus innixus ſicut motivo *Impugnatur.*

 non

Digitized by Google

non credibilitati revelationis, ſed divinæ revelationi, cujus exiſtentia eſt aliunde evidenter credibilis: ita ut voluntas imperet actum fidei, ſupponitur illa evidentia credibilitatis: ea vero præſuppoſita non intendit voluntas ipſam credibilitatem, ſed honeſtatem repertam in aſſenſu fidei infuſæ, à qua allicitur, & movetur: atqui prædicta honeſtas cum non differat ab ipſo aſſenſu eſt ſupernaturalis: ergo motivum prædicti affectus eſt ſupernaturale. *Secundo*, quia vel intellectus regulans affectum credendi proponit voluntati motivum ſupernaturale, vel non? Si non proponit: ergo voluntas non poterit efficaciter intendere, quod intellectus aſſentiat ex motivo ſupernaturali, & conſequenter non ſequetur ſupernaturalis aſſenſus, nec ille affectus erit efficax, & ille, de quo loquimur in præſenti. Si autem proponit motivum ſupernaturale: ergo poterit voluntas intendere aſſenſum fidei ex tali motivo: & per conſequens objectum tam materiale, quam formale prædicti affectus erit ſupernaturale. *Tertio*, & præcipuè: quoniam licèt ad prædictum affectum præcedant ſigna, & motiva, quorum notitia poteſt naturaliter haberi; tamen præter hæc motiva externa, adeſt aliqua illuminatio interna ſupernaturalis, qua ultimo determinatur voluntas, ut efficaciter imperet actum fidei infuſæ: ergo non eſt, cur prædictus affectus non evadat ſupernaturalis. Antecedens docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 9. *ad* 3. ubi ait: *Ille, qui credit habet ſufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, & quod plus eſt, interiori inſtinctu Dei invitantis.* Et *quæſt.* 6. *art.* 1. inquit: *Quantum ad aſſenſum hominis in ea, quæ ſunt fidei* (complectitur autem prædictus aſſenſus actus intellectus, & voluntatis, ut ſupra vidimus) *poteſt conſiderari duplex cauſa: una quidem exterius inducens, ſicut miraculum viſum, vel perſuaſio hominis inducentis ad fidem. Quorum neutrum eſt ſufficiens cauſa: videntium enim unum, & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem quidam credunt, & quidam non credunt. Et ideo oportet ponere aliam cauſam interiorem, quæ moveat hominem interius ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei.*

D.Thom.

Alia evaſio.

75. Reſpondebis ſecundò cum Caſtillo ubi ſupra negando iterum minorem: quia voluntas non imperat immediatè aſſenſum fidei infuſæ, ſed tantum aſſenſum fidei acquiſitæ: hoc autem poſito ſtatim abſque novo actu voluntatis ſequitur aſſenſus fidei infuſæ. Unde non ſequitur, quod affectus credendi ſit ſupernaturalis: quia non reſpicit immediatè, & per ſe primo actum ſupernaturalem tanquam objectum, ſed ſolum actum naturalem, & ab iſto ſpeciem deſumit.

Præcluditur. Suarez.

Hæc tamen evaſio procedit ex quibuſdam falſis fundamentis, quæ merito inquit Suarez eſſe parum conſentanea veris de gratia principiis. Ea vero ex profeſſo evertere pertinet ad tractatum de fide. Modo vero, quod ad rem præſentem attinet, haud difficile eſt prædictam evaſionem efficaciter præcludere. Tum quia eſto, quod aliquando aſſenſus fidei humanæ præcedat aſſenſum fidei infuſæ; tamen falſum eſt, quod indiſpenſabiliter debeat ſemper præire: neque enim adeſt aliquod rationabile fundamentum, ut id aſſeratur. Quando ergo inter affectum credendi, & aſſenſum fidei infuſæ non mediat alius aſſenſus naturalis, procedit ratio ſuperius facta: nam tunc prædictus affectus reſpicit per ſe primo, & immediatè objectum ſupernaturale, nempè aſſenſum fidei infuſæ: ergo eſt ſupernaturalis. Tum etiam quia affectus abſolutus, & efficax credendi ex motivo divinæ revelationis, de quo agimus in præſenti non intendit per ſe primo actum fidei humanæ, ſed aſſenſum fidei infuſæ: id quippè eſt, quod inquirimus, an hujuſmodi affectus imperans, & inferens aſſenſum fidei Theologicæ ſupernaturalis, & gratia indigeat? ergo divertere ad alium affectum, ex quo ſequatur immediatè aſſenſus humanus, & mediatè aſſenſus divinus, eſt divagari extra propoſitum difficultatis, eamque non diluere, ſed effugere.

Alterum effugium. Ripalda.

76. Reſpondebis tertio cum Ripalda *ubi ſupra num.* 38. negando minorem: quia ſtat bene, quod actus naturalis habeat objectum ſupernaturale; unde ex ſupernaturalitate aſſenſus fidei infuſæ, non ſequitur, quod affectus eliciendi talem aſſenſum evadat ſupernaturalis. Quod Lugo *ubi ſupra num.* 34. confirmat ex eo, quod poteſt Sacerdos per affectum naturalem intendere efficaciter converſionem panis in corpus Chriſti, quam conſtat eſſe ſupernaturalem. Cur ergo non poterimus per affectum naturalem intendere efficaciter aſſenſum fidei infuſæ licèt ſupernaturalis ſit?

Lugo.

Confutatur.

Cæterum doctrina illa, cui fidit hæc reſponſio, ſatis excluſa manet ex dictis *dub. praced.* ubi latè oſtendimus actum tendentem in objectum formaliter ſupernaturale, habere eſſe ſupernaturale: & ideo ſupervacaneum foret id oſtendere in præſenti. Exemplum autem in contrarium adductum parum urget: nam ſi ſemel intentio efficax conſecrandi eſt purè naturalis (quod alibi diſcutimus,) non reſpicit immediatè, & per ſe primo converſionem paſſivam panis in corpus Chriſti, quam concedimus ſupernaturalem eſſe; ſed reſpicit per ſe primo conſecrationem activam, hoc eſt, prolationem verborum conſecrationis, ſubordinando illa verba Deo, ut ab eo eleventur, recipiantque virtutem inſtrumentariam, & prædictam converſionem efficiant. Unde prædicta intentio, ut purè naturalis reſpicit immediatè aliquid naturale, id nimirum, quod ab ipſo Sacerdote poteſt naturaliter efficaciter præſtari. Si autem aliquid ſupernaturale efficaciter, & immediatè intendat; jam ex hac parte eſt ſupernaturalis, & procedit ex ſpeciali motione Dei: repugnat enim, quod aliquis tendat efficaciter in finem ſuperiorem, niſi ex motione ſuperioris agentis, cui prædictus finis reſpondet, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. & infra oſtendemus *dub. ſequenti.*

D.Thom.

Tertium fundamentum veræ ſententiæ.

77. Ultimò poteſt noſtra concluſio alia ratione ſuaderi, qua fundamentum nuper expenſum amplius roboretur: quoniam voluntas per vires naturales nequit efficaciter imperare actum intellectus, qui vires naturales excedat: ſed aſſenſus fidei infuſæ eſt ſupra vires naturales, ut modò ſupponimus: ergo voluntas efficaciter movens ad talem aſſenſum habetur per vires ſolas naturales, ſed per auxilium gratiæ. Major videtur evidens: quia repugnat, quod aliquis operetur, vel influat ultra ſuam virtutem: ſed actus vires naturales abſolutè excedens excedit vires naturales voluntatis, ut liquet ex terminis: ergo repugnat, quod voluntas per vires naturales imperet efficaciter, & conſequenter cauſet talem actum.

Confirmatur: quia actus imperatus nequit eſſe ſuperioris ordinis ad actum imperantem; alias cum excederet, ipſiuſque juriſdictioni, ut ita dicamus,

Digitized by Google

dicamus, minimè ſubderetur: ſed affectus efficax credendi, & aſſenſus fidei comparantur ut actus imperans, & actus imperatus: ergo cum aſſenſus fidei infuſæ ſit ſupernaturalis, ſequitur, quod affectus efficax eliciendi talem aſſenſum ſit etiam ſupernaturalis, petatque oriri ex gratia ejuſdem ordinis.

Evaſio. Caſtillo. 78. Occurres cum Caſtillo huic rationi, & confirmationi dicendo ex eis ſolum haberi, quod actus immediatè imperatus, & phyſicè cauſatus à voluntate, ipſiuſque voluntatis affectus debeant eſſe ejuſdem ordinis; minimè vero, quod ea, quæ mediatè, & moraliter, & ex ſola ordinatione extrinſeca Dei ſequuntur, debeant voluntati proportionari. Porro ex affectu efficaci credendi, ſi attendamus naturas rerum immediatè ſolum ſequitur aſſenſus fidei acquiſitæ, cui imperando ſufficiens eſt affectus naturalis. Aſſenſus autem fidei infuſæ ſubſequitur mediatè, moraliter, & ex ordinatione divina, quatenus poſita voluntate credendi, & aſſenſus fidei acquiſitæ: ſtatim Deus abſque novo imperio voluntatis creatæ confert intellectui auxilium, ut eliciat aſſenſum fidei infuſæ. Unde affectus credendi non ſe extendit ad hujuſmodi aſſenſum, nec debet illi proportionari.

Confutatur. Sed hoc effugium facile rejicitur. Tum quia ut conſtat ex ſupra dictis affectus credendi, de quo in præſenti, reſpicit immediatè aſſenſum fidei infuſæ: ergo hunc imperat, & cauſat: & conſequenter debet eſſe ſupernaturalis ſicut ipſe. Tum etiam quia prædictus affectus habitus, ſicut oportet, reſpicit immediatè aſſenſum non fidei acquiſitæ, ſed infuſæ, ut ex ſe conſtat: ſed per ſuam entitatem, & ſpeciem habet eſſe, ſicut oportet: ergo per ſuam ſpeciem, & entitatem reſpicit immediatè aſſenſum fidei infuſæ. Tum præterea, quia motivum fidei infuſæ eſt omnino diverſum à motivo fidei acquiſitæ, ut oſtendimus *dub. preced.* ergo præter affectum credendi ex motivo fidei acquiſitæ, requiritur alter diſtinctus affectus credendi ex motivo fidei infuſæ: ergo hic poſterior reſpicit immediatè fidei ſupernaturalis aſſenſum.

Nec vim hujus impugnationis infringit id, quod prædicta evaſio dicebat, nempè aſſenſum ſupernaturalem fidei ſequi ad voluntatem naturalem credendi, non quidem ex natura rei, ſed ex ordinatione divina; nec phyſicè, ut loquitur Caſtillo, ſed moraliter. Nam potius ex hoc accidit novum robur noſtræ rationi: nam ſi ſemel habemus ex nobis voluntatem efficacem credendi ad quam moraliter ſequitur aſſenſus fidei: jam hic non habet rationem gratiæ, ſed præmij, quod Deus prædictæ voluntati retribuit, inciditurque in errorem Semipelagianorum, ut conſtat ex argumento, quod adverſus ipſos urget D. Fulgentius *lib. de Incarnat. cap.* 18. his verbis: *Si autem ſecundum opinionem illorum noſtrum eſt velle credere, priuſquam Dei gratia nos incipiat adjuvare; injuſtè dicitur gratia: quia non gratis homini datur, ſed bona retribuitur voluntati: hanc enim* (ſicut illi volunt) *gratia in nobis invenit, quam ipſa non dedit. Immo ſi ſic eſt, nos priores Deo voluntatem damus: atque ita gratiam non miſeratione tribuentis, ſed æquitate retribuentis accipimus.* Quod argumentum deſumpſit ex August. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 8. ubi inquit: *Si enim ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni; ipſum cœptum erit meritum, cui, tanquam ex debito, gratia veniat adjutorium.* De quo infra latè à nobis agendum eſt, ubi oſtendemus ad nullam diſpoſitionem naturalem ſequi phyſicè, aut moraliter effectum ordinis ſupernaturalis, quo perficiamur, & ad ſalutem promoveamur, vel cum illo ex ſe, aut ex ordinatione divina connecti.

D. Fulgent. *D. Auguſt.*

§. IV.

Satisfit argumentis contrariæ ſententiæ.

79 AD aſſenſum fidei infuſæ vel non requiri affectum voluntatis, vel ſufficere affectum naturalem abſque auxilio gratiæ elicitum docuit Scotus *in 3. diſt.* 25. *queſt.* 2. Quem licet Suarez, Vazquez, & alij ſtudeant cum communi ſententia componere: ab hoc tamen inſtituto ſatius eſt abſtinere; cum videamus Scoti diſcipulos non modo non abhorrere ab opinione nuper relata, ſed eam pro viribus contra communem ſententiam tueri. Et planè reclamante conſcientia, traheretur Scotus in alium ſenſum: nam *loco citato* §. *Ideo dico*, loquens de fide infuſa hæc habet: *Et eſto, quod requiratur motio poſitiva voluntatis; etiam ſufficit voluntas ad ſic movendum in puris naturalibus: quia poſito vero ſupernaturali præſente voluntati, poſſet voluntas movere intellectum ad intelligendum illud, dummodo in intellectu eſſet habitus inclinans intellectum in illud, ſicut eſt in propoſito.* Unde hanc ſententiam defendit Caſtillo nobilis Scotiſta *tractat. de Fide, diſp.* 6. *queſt.* 6. Cui etiam ſuffragantur Aliacenſis *in* 1. *queſt.* 1. *artic.* 2. Holcot *ibidem queſt.* 1. Marſilius *queſt.* 14. *art.* 1. *dub.* 3. & alij aſſerentes ſufficere non contra motionem voluntatis, ut intellectus aſſentiatur myſteriis fidei: conſtat enim ad prædictam non reſiſtentiam, cum ſit quædam negatio, minimè requiri auxilium poſitivum gratiæ, ſed ad ſummum deſiderari quandam protectionem extrinſecam.

Opinio contraria. Scotus. Caſtillo. Aliacenſis. Holcot. Marſilius.

Probatur primò hæc ſententia ex verbis Apoſtoli ad Roman. 7. *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio.* Quibus ſatis apertè indicat hoc diſcrimen reperiri inter velle, & perficere, quod primum habeat homo ex ſe, poſterius vero ex gratia Dei: ergo licèt ad aſſenſum fidei infuſæ utpote ſatis perfectum ſit neceſſaria gratia; ad affectum tamen credendi, quæ eſt quoddam velle imperfectum, ſufficiet liberum arbitrium.

Primum argumentum. Ad Rom. 7.

Confirmatur primo ex D. Cyrillo Hieroſolymitano *in Procatecheſi*, ubi ait: *Poteſt Deus facere fidelem, ſi modo cor illi præbuerit:* ergo ſicut facere fidelem eſt effectus proprius gratiæ: ita præbere cor ſeu voluntatem credendi, eſt proprium liberi arbitrij.

D. Cyrill.

Confirmatur ſecundo ex D. Hieronymo *lib.* 1. *Dialog. contra Pelag. cap.* 2. ubi in perſona Catholici diſputatoris inquit: *Noſtrum eſt velle; ſed ut voluntas noſtra compleatur, ad Dei miſericordiam pertinet*, & ſimilia profert *cap.* 3. ergo ad affectum credendi non requiritur gratia Dei; ſed tantum ad aſſenſum fidei, quo prædicta voluntas completur. Quod adhuc expreſſius docuit Gennadius *lib. de Eccleſiaſticis dogmat. cap.* 21. ubi ait: *Ut acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt.*

D. Hieron. Gennadius.

Reſpondetur ad auctoritatem Apoſtoli, quod ea uſus fuit Joannes Caſſianus *collat.* 13. *cap.* 9. ut ſuaderet ſententiam ſuam, quam poſtea damnavit Eccleſia. Nitebatur autem oſtendere initium noſtræ ſalutis, ſive piam affectionem credendi eſſe ex nobis: à quo non multum recederetur

Reſponſio. Ioan. Caſſian.

Digitized by Google

retur, ſi argumentum factum concluderet. Sen-
D.Thom. ſus ergo prædicti teſtimonij eſt, quem D.Thom. ibidem lect. 3. circa finem optimè illuſtrat his verbis: *Hoc verbum patrocinari videtur Pelagianis, qui dicebant, quod initium boni operis eſt ex nobis inquantum bonum volumus. Et hoc eſt, quod videtur dicere Apoſtolus: Perficere autem bonum non invenio. Sed hunc ſenſum excludit Apoſtolus ad Philip. 2. dicens: Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere. Quod ergo dicit: velle adiacet mihi, ſcilicet per gratiam iam reparato, eſt ex operatione divinæ gratiæ: per quam quidem gratiam non ſolum volo bonum, ſed etiam aliquid boni facio: quia reſiſto concupiſcentiæ, & contra eam ago ductus ſpiritu. Sed non in mea poteſtate, quod iſtud bonum perficiam, ut ſcilicet totaliter concupiſcentiam excludam.* Et poſt pauca addit: *Si vero referatur ad hominem ſub peccato conſtitutum, ſic exponi poterit, ut velle accipiatur pro voluntate incompleta, quæ inſtinctu naturæ in quibuſcumque peccatoribus eſt ad bonum. Sed illud velle adiacet homini, id eſt, iuxta hominem iacet quaſi infirmum; niſi gratia voluntati tribuat efficaciam ad perficiendum.* Unde cum voluntas credendi, de qua in præſenti agimus, non ſit incompleta, & infirma, ſed abſoluta, & efficax; ex ipſo teſtimonio, quod nobis objiciebatur, evincitur non poſſe haberi abſque adjutorio gratiæ.

Ad auctoritatem D. Cyrilli reſpondetur ſolum intendere, quod Deus neminem faciat fidelem abſque ejus propria voluntate, quam ſignificat cordis vocabulo: quia aſſenſus fidei neceſſario dependet ex voluntatis affectu, ut ſupra vidimus §. 1. Sed cordis nomine non intelligit voluntatem nude ſumptam, ſed eandem motam à Deo, & adjutam divina gratia. Unde *actor.* 16. dicitur de Lydia purpuraria, quod illius cor Dominus aperuit intendere his, quæ dicebantur à Paulo.
Nota. Adde Cyrillum ex illis Patribus eſſe, qui non ita exactè, & expreſsè de neceſſitate gratiæ locuti ſunt: tum quia ſcripſère ante exortam hæreſim Pelagij, qui occaſionem præbuit aliis Doctoribus, ut oſtenderent divinæ gratiæ neceſſitatem, & pro ea expreſsè, & ex propoſito decertarent: tum quia ſcripſerunt adverſus Manichæos, quorum tunc graſſabatur hæreſis negans liberum arbitrium: unde eorum præcipuum ſtudium fuit libero arbitrio favere, non adeo expreſsè commendantes neceſſitatem, & dignitatem divinæ gratiæ. Quamobrem eorum ſententiæ non nimis debent urgeri in præſenti materia; ſed ſi quæ videntur à vera ſententia recedere, ad Catholicum ſubſequentium Conciliorum ſenſum benigna interpretatione flectendæ ſunt. Quod bene obſer-
Eſtius. vat Eſtius *in* 2. *diſt.* 16. §. 24. & nos notatum volumus, non tam pro teſtimonio nuper explicato, quod non adeo difficile eſt; quam pro aliis difficilioribus, quæ in hoc tractatu poſſunt occurrere.

Ad teſtimonium D. Hieronymi reſpondetur S. Doctor. ſæpiſſimè in illo opere noſtram docere ſententiam, & præcipuè *lib.* 2. *cap.* 7. Unde quando aſſerit noſtrum eſſe velle, non excludit neceſſitatem divini auxilij; ſed liberi arbitrij conſortium adſtruit. Cum autem ſpecialiter tribuit Deo voluntatis complementum, & boni operis conſummationem, minimè intendit, quod Deus ſua gratia non concurrat ad ejuſdem initium, nempè ad velle: ſed ſolum docet neceſſitatem divini auxilij pro operis externa executione, vel ultimo complemento. Frequenter quippè optimæ affectiones, & quæ ortum ducunt ex divina gratia, impediuntur, ne ad optatum finem perveniant, juxta illud Apoſt. 1. ad Theſſalon. 2. *Voluimus* Ad Theſſal. 2.
venire ad vos ſemel, & iterum, ſed impedivit nos Satanas. Removere autem hujuſmodi impedimenta ſoli divinæ providentiæ, & æternæ prædeſtinationi attribuendum eſt; non vero voluntati creatæ etiam adjuta gratia. Gennadius audiendus non eſt in hac cauſa, ut monuimus *diſput.* 1. *cap.* 5. *num.* 209.

80. Secundo arguitur ratione: quia ſi affectus Secundum argumentum.
efficax credendi eſſet ſupernaturalis, deberet regulari per aliquod judicium ſupernaturale: ſed judicium præcedens talem affectum, & eum dirigens non eſt ſupernaturalis: ergo neque ipſe affectus. Major videtur manifeſta: quoniam voluntas nequit aliquid velle niſi ex motivo ſibi per intellectum propoſito: ſed voluntas ſupernaturalis tendit in objectum ex ſupernaturali motivo: ergo judicium illud prudens, & dirigens debet prædictum motivum cognoſcere, & ut repræſentare: hoc autem fieri nequit per judicium naturale: ergo ſi voluntas credendi eſt ſupernaturalis, judicium illam regulans nequit non ſupernaturale eſſe. Et vel maximè quia poſito illo judicio, ſequitur ſaltem per ſe loquendo, affectus credendi: ſed ad actum naturalem non conſequitur actus ſupernaturalis, neque cum illo connectitur: ergo non cohæret, quod affectus credendi ſit ſupernaturalis, & judicium eum præcedens ſit naturale. Minor autem probatur: tum quia illud judicium eſt de credibilitate myſteriorum fidei: id quippè eſt, quod ante ipſum aſſenſum cognoſci poteſt, habetque rationem motivi, ut intellectus judicet conveniens, ut voluntas velit credere: at ſic eſt, quod illa credibilitas cognoſcitur, & habetur per diſcurſum humanum, quo homo perpendit teſtimonia Martyrum, miracula Sanctorum, continuationem Eccleſiæ, aliaque id genus motiva, ex quibus myſteria fidei noſtræ redduntur evidenter credibilia: ergo prædictum judicium non eſt ſupernaturale. Tum etiam, quia judicium ſupernaturale debet aliquod objectum ſupernaturale cognoſcere: ſed judicium antecedens aſſenſum fidei non cognoſcit objectum ſupernaturale; alias vel illud cognoſceret obſcurè, & ita eſſet actus fidei, quod implicat; cum ipſam præcedat: vel clarè, & ita perfectius cognoſceretur objectum fidei per hoc judicium, quam per fidem ſubſecutam, quod eſt abſurdum; cum fidei neceſſitatem excludat: ergo prædictum judicium nequit eſſe ſupernaturale.

Reſpondetur huic argumento concedendo ſe- Solutio.
quelam, cum ob probationes inductas, cum & præcipuè, quia deſumitur ex Concilio Milevit. Conc Mil.
can. 4. ubi ſtatuit: *Utrumque eſt donum Dei ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus:* unde non ſolum affectus, quo diligimus, ſeu volumus credere, provenit ex ſupernaturali Dei gratia; ſed etiam judicium, quo ſcimus, ſeu determinamus eſſe credendum. Quod Auguſt. *lib.* D. Auguſt.
2. *contra duas epiſtolas Pelagian. cap.* 8. deducit ex verbis Apoſtoli 2. *ad Corinth.* 3. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis.* Ex quibus arguit: *Quis non videat prius eſſe cogitare, quam credere? Nullus enim credit, niſi prius cogitet eſſe credendum. Et hoc vult Apoſtolus non eſſe ex nobis, ſed ex gratia.* Quam ſententiam repetit *lib. de dono perſeverantiæ cap.* 8. *& cap.* 13. *& lib. de prædeſt. Sanct. cap.* 7. Unde illam amplectuntur communiter Theologi. Curiel.
Videantur Curiel in præſenti, Suarez *tract. de* Suarez.

Fide

Fide diſp. 6. ſect. num. 1. qui argumentum ſupra factum appellant valde difficile, & Joannes à S. Thoma 2. 2. *diſp.* 3. *art.* 2.

Joan. à S.Th.

Quod judicium regulet immediatè piam affectionem.

Ad primam autem probationem in contrarium reſpondemus judicium ultimum, ad quod immediatè ſequitur aſſenſus credendi, non judicare de ſola credibilitate objecti: quia etiam ſi quis cognoſcat evidenter myſteria fidei eſſe credibilia, poteſt ſimpliciter eis diſſentire, & habere ex ſua perverſitate judicium, quo dictet conveniens eſſe hic, & nunc nolle credere. Unde aliud judicium, & ex aliis motivis ortum neceſſarium eſt, ut dictet affectum credendi. Præſertim quia judicium de credibilitate objecti poteſt eſſe merè ſpeculativum, judicium vero dictans affectum, & ipſum inferens, debet eſſe practicum. Quamvis ergo illud prius judicium ſit naturale, valeatque abſque adjutorio gratiæ comparari ex ſola penetratione teſtimoniorum, quæ myſteria noſtræ fidei reddunt evidenter credibilia: quod fortè contingit in dæmonibus, & in aliquibus hæreticis: nihilominus poſterius judicium, licèt illa motiva communiter ſupponat, ea tamen tranſcendit, moveturque altiori principio, ut determinet eſſe credendum ob ſolam auctoritatem divinam. Motivum autem poſterioris judicij eſt ſupernaturale, & proportionatum motivis piæ affectionis, & aſſenſus fidei Chriſtianæ: unde judicium illi innixum ſupernaturale evadit. Quam doctrinam tradit D. Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 9. ad 3. ubi inquit: *Quod ille, qui credit, habet ſufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divina doctrina miraculis confirmata: & quod plus eſt, interiori inſtinctu Dei invitantis.* Et *quæſt.* 6. *art.* 1. docet, quod præter cauſas externas inducentes ad credendum, quarum notitia poteſt naturaliter haberi, *oportet ponere aliam cauſam interiorem, quæ moveat hominem interius ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei.*

D.Thom.

In enodatione ſecundæ probationis varius eſt, & ſibi contrarius Joannes à S. Thoma: nam *in præſenti diſp.* 20. *art.* 1. determinat judicium præcedens piam affectionem eſſe evidens practicè: at *in loco ſupra citato ex* 2. 2. docet prædictum judicium eſſe obſcurum, nullamque facit mentionem præcedentis ſententiæ. Quod in cauſa eſt, ut multum dubitemus de propria mente iſtius perdocti Magiſtri: maximè cum utrumque volumen ſit poſthumum, & expertum non fuerit ultimam auctoris limam. Nobis autem (quamvis extremum de hac re judicium alibi revelabimus) prior dicendi modus magis arridet. Juxta quem dicendum eſt prædictum judicium cognoſcere evidenter aliquod objectum ſupernaturale, nempè conveniens eſſe hic, & nunc credere ob auctoritatem divinam: nam prædicta convenientia ſupernaturalis eſt, ſicut affectus voluntatis, ad quem incitat. Unde negandum eſt, quod inſerta probatio inſinuat, nempè jam objectum fidei perfectius cognoſci per hoc judicium, quam per aſſenſum fidei; cum per illud cognoſcatur evidenter; & per hunc obſcurè. Hoc, inquam, negandum eſt, immo & ſuppoſitum: quoniam prædictum judicium non attingit fidei objectum, nempè veritatem creditam; ſed ſolum cognoſcit convenientiam, ſeu honeſtatem, quæ in credendo reperitur. Ex quo etiam fit, quod hujuſmodi judicium, tametſi evidens, ſit imperfectius aſſenſu fidei obſcuro: quoniam fides attingit ipſam rem, & aſſequitur veritatem, quæ eſt propria perfectio intellectus, in quam maximè collimat: judicium vero ipſam præcedens ſolum deprehendit convenientiam credendi, ordinaturque ex natura ſua ad fidei aſſenſum, per quem ultimo completur, & in eo habito quieſcit. Adde, quod aſſenſus fidei habet excellentius objectum, nempè Deum ipſum prout eſt in ſe: judicium autem fidem præcedens reſpicit aliquid inferius, & creatum nempè honeſtatem, ſeu convenientiam credendi: quocirca licèt ſit evidens, poteſt ad illum aſſenſum obſcurum diſponere, illique ſubordinari. Et deſumitur hæc ſolutio ex his, quæ tradit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 8. pluribus in locis & præcipuè *art.* 2. & *art.* 8. *ad* 2. D.Thom.

81. Sed inquires, an prædictum judicium ſit liberum, vel neceſſarium? Reſpondetur illud judicium eſſe neceſſarium in eſſendo, hoc eſt, non cauſari ex motione voluntatis applicantis intellectum ad ſic judicandum. Nam cum ad actum quemcumque voluntatis debeat præire actus alicujus intellectus; jam ad illam motionem requireretur aliud judicium dictans talem affectionem: de quo poſſet fieri eadem interrogatio, & argumentum, & ſic uſque in infinitum: ſiſtendum igitur eſt in aliquo judicio, quod ita moveat voluntatem, ut ab ipſa non dependeat in ſuo eſſe, & productione. Quæ eſt expreſſa doctrin. D.Tho. 1. *part. quæſt.* 82. *art.* 4. *ad* 3. Ut autem hoc evidentius appareat, & ſimul intelligatur, quomodo aſſenſus ſubſequutus ſit liber; quæ componere plurimum negotij faceſſit aliquibus: animadvertendum eſt ante affectum credendi (qui eſt primus voluntatis actus in linea ſupernaturali) plures præcedere actus in intellectu tam naturales, quam ſupernaturales, ſive omnes diſtinguantur realiter, ſive tantum virtualiter, & quoad munera. Nam in primis præcedit actus intellectus, qui attendit ad myſteria fidei quæ ſibi prædicantur: & hic actus poteſt eſſe naturalis & liber, ut experientia liquet. Deinde ſequitur alius actus, quo intellectus perpendit merita, & motiva objecti ſibi propoſiti: qui etiam poteſt eſſe liber, & naturalis: liberè enim movemur ad examinanda motiva credendi objectum, antequam illi aſſentiamur. Fieri enim ſolet ut habito prudenti, & attento examine motivorum credendi, utputa miraculorum, &c. appareat evidenter credibilitas objecti. Et actus, qui hoc examine ſuppoſito, judicat objectum eſſe credibile, eſt neceſſarius in ſe ipſo: nam cum intellectus ſit potentia naturalis, nequit ſuſpendere actum circa objectum evidens ex ſuppoſitione, quod ſibi ſufficienter præſentetur, licèt antecedenter potuerit voluntas impedire ne intellectus attenderet, ut ſolet dici de aſſenſu præmiſſarum, & concluſionis ſcientificæ. Et quod diximus de credibilitate objecti, poteſt etiam extendi ad convenientiam credendi, ſaltem ex naturali motivo: nam intellectus valet evidenter talem convenientiam attingere. Neuter tamen horum actuum eſt ſufficiens ad hoc, quod in voluntate ſequatur affectus ſupernaturalis, de quo loquimur in præſenti propter improportionem cum ipſo: & ideo neceſſum eſt ponere alias cognitiones ſupernaturales, ut ſupernaturalem affectum regulent, & inducant.

An prædictum judicium ſit liberum.

D Thom.

Animadverſio.

Suppoſitis ergo illis judiciis naturalibus ſequitur alia ſupernaturalis notitia, qua intellectus illuſtratur, & videt convenientiam credendi ex ſupernaturali motivo. Qui actus eſt neceſſarius ex parte objecti; nam ſi objectum apparet evidenter conveniens, nequit non intellectus judicare dari talem convenientiam in objecto: tum etiam ex parte principij, quia intellectus non movetur à voluntate ad ſic judicandum; ut conſtat

ex

ex ſupra dictis, ſed unicè, & ſpecialiter applicatur à ſolo Deo. Adhuc tamen prædicta notitia non ſufficit, ut ſequatur affectus voluntatis, nec ut intellectus ultimo, & determinatè judicet conveniens eſſe hic, & nunc credere; ſed poteſt abſolutè intellectus ſuſpendere hunc actum, immo & in ſenſu compoſito decernere aſſenſum oppoſitum. Et ratio eſt: quia tunc præcisè bonum evidenter cognitum infert neceſſario tam amorem ſui, quam judicium dictans talem amorem, quando vel illud bonum adæquat capacitatem voluntatis, ut contingit in beatis, vel cognoſcitur ita imperfectè, ut non relinquat apparare ejus inadæquationem, & boni oppoſiti convenientiam, ut accidit in motibus primo primis. Neutrum autem horum adeſt in præſenti: nam judicium videns evidenter convenientiam repertam in actu credendi, non judicat illam convenientiam eſſe ſummum, & adæquatum bonum; alias falleretur: neque impedit, quod lumen naturale repræſentet etiam evidenter convenientiam aſſenſus contrarij. Et ideo ex vi hujus manet adhuc intellectus indifferens ad judicandum, utrum hic, & nunc ſit credendum, vel non. Immo multoties continget, quod poſita illa illuſtratione ſupernaturali poſtea intellectus per lumen naturale perversè judicet dictans, & ultimo reſolvens non oportere, quod homo ſe ſubjiciat religioni Chriſtianæ, ne divitias, v. g. delectationes, aut alia commoda amittat. Unde prædictum judicium ſupernaturale deprehendens convenientiam credendi non regulat immediatè piam affectionem, nec cum illa infallibiliter connectitur: ſed tantum deſervit ad conſtituendum omnino proximè indifferentiam, ſeu libertatem in actu primo.

82. Sed quia voluntas nequit applicare intellectum ad ultimum judicium ſupernaturale imperans hic, & nunc piam affectionem, eo quod ad talem applicationem erat neceſſarium aliud ſupernaturale judicium dictans prædictam applicationem, & ita uſque in infinitum: propterea Deo auctori ſupernaturali incumbit ſupplere hunc voluntatis defectum. Et juxta beneplacitum ſuæ miſericordiæ illos, quos vult, & quando vult efficaciter credere, movet ad formandum ultimum judicium dictans hic, & nunc credendum eſſe, & tunc ſequitur infallibiliter pia voluntatis affectio. (Nota.) Quod judicium eſt neceſſarium in eſſendo: quia non dependet in ſuo eſſe à voluntatis motione, ſed eam ſimpliciter antecedit. Eſt tamen liberum in regulando: quia non trahit neceſſitatem ab objecto, ſed ita dictat efficaciter piam affectionem, ut nihilominus intactam relinquat illam indifferentiam, quæ ex vi aliorum actuum, quos ſupra deſcripſimus, antecedebat. Et idcirco homo ita elicit infallibiliter affectum credendi ex vi hujus ultimi dictaminis; quod ſimul ratione præcedentium conſervet totum actum primum, & indifferentiam ad judicandum oppoſitum, & eliciendum contrarium affectum, maximè cum ſit conſtitutus ſimpliciter in actu in linea naturali: unde ſe movere poteſt ad reſiſtendum iis, quæ ſunt fidei, tametſi eorum convenientia evidenter appareat. Nunquam tamen ex ſuppoſitione ultimi judicij dictantis credendum eſſe, eliciet contrarium affectum, & aſſenſum. Qui procedendi ordo ſumitur ſatis apertè ex doctrina D. Auguſt. *lib. de prædeſt. SS. cap. 7.* (D. Auguſt.) & eſt omnino conſonum naturis rerum, & qualitatis materiæ, ut fuſius in tract. de fide expendemus. Videantur, quæ diximus *tract. 10. diſp. 2. à num. 19.*

83. Quod ſi ulterius inquiras, à qua virtute eliciatur prædictum judicium? Reſpondetur hujuſmodi actum utpote indeliberatum, & imperfectum, ſaltem cum elicitur ante omnem actum fidei, non poſtulare aliquem habitum, ſed fieri ex auxilio actuali tranſeunte. Maximè cum prudentia infuſa, & reliquæ virtutes morales, & Theologicæ ſupponant cognitionem ultimi finis ſupernaturalis, quæ habetur per fidem: dona autem Spiritus ſancti ſupponunt hominem Deo eſſe unitum per charitatem. Unde cum hoc judicium fidem, & charitatem præcedat, non poteſt in aliquam virtutem infuſam reduci: ſed poſtulat fieri ex motione tranſeunte. An autem hæc motio ſit de linea prudentiæ, vel pertineat ad donum intellectus? res eſt non magni momenti, & quæ parum refert ad præſentem difficultatem. Sed videri poſſunt Joannes à S. Thoma *loco citato ex* (Joan. à S. Th.) *2. 2. concluſ. 3. & 4.* & Curiel ubi ſupra, verſ. (Curiel.) *Et ſi ulterius quærat.*

84. Tertio arguitur: quoniam ſi affectus effi- (*Tertium argumentum.*) cax credendi ex motivo divinæ revelationis eſſet ita perfectus, ut peteret procedere ex ſpeciali gratia; etiam peteret ſpecialem virtutem, ut eliceretur modo connaturali: omnis quippè actus connaturalis potentiæ exigit, quòd potentia ſit habitualiter completa, & conſtituta in actu primo ad eum eliciendum, quod abſque habitu, vel virtute fieri non poteſt: at ſic eſt, quod ad piam affectionem nulla requiritur virtus; alias aliqua virtus infuſa præcederet habitum fidei, cujus oppoſitum ſtatuimus numero præcedenti: ergo prædictus credendi affectus non poſtulat oriri ex gratia.

Confirmatur: quia in peccatoribus non rema- (*Confirmatio.*) net aliqua virtus infuſa præter fidem, & ſpem, ut communiter docent Theologi: ſed peccatores eliciunt affectum credendi eadem facilitate, qua juſti: ergo ad prædictum affectum nulla requiritur virtus.

Ad hæc: omnis virtus infuſa vel eſt Theologica, vel moralis: ſed affectus credendi non petit virtutem Theologicam, ut ex ſe liquet: nec virtutem moralem; ſiquidem hæc comitatur charitatem, & prudentiam infuſam, quæ non remanent in peccatore, in quo tamen manet affectus credendi, ut experientia liquet: ergo prædictus affectus nullam poſtulat virtutem.

Huic argumento (relicto Arauxo, qui 2. 2. (Arauxo.) quæſt. 4. art. 2. concluſ. 2. docet prædictum (*Argumenti ſolutio.*) credulitatis affectum nunquam fieri ex aliquo habitu, ſed ex ſolo auxilio tranſeunte, quod revera ſatis eſt ad ſalvandam veritatem noſtræ aſſertionis) reſpondetur juxta dicta *Tract. 12. diſp. 3. dub. 2. num. 42.* hujuſmodi affectum ut elicitum connaturaliter ſupponere in voluntate aliquam qualitatem permanentem, per quam voluntas conſtituitur in actu primo proximo ad elicientiam illius, petitque auxilium divinum ad id deſideratum. Et ratio eſt, quæ tangitur in argumento: quoniam licèt actus ſupernaturalis valeat fieri abſolutè per auxilium actuale, quod vices habitus ſuppleat, nihilominus non fit modo connaturali, niſi potentia habeat permanenter aliquid intrinſecum, quod exigat auxilium Dei pro elicientia talis actus: qua ratione probant communiter Theologi neceſſitatem habituum ſupernaturalium: ergo ut affectus credendi eliciatur connaturaliter, petit voluntatem perfici per aliquem habitum tali affectui correſpondentem. Hujuſmodi autem habitus non habet rationem virtutis; quoniam licèt ſit honeſtus, & laudabilis, nihilominus non attingit per ſe bonum, ad quod

princi

principaliter ordinatur nempè aſſenſum fidei: iſte enim conſummatur in voluntate, ubi reſidet talis habitus, ſed perficitur in intellectu, quem voluntas applicat ad credendum. Virtus autem non ponitur niſi in potentia, in qua conſummatur bonum talis virtutis: qua de cauſa virtutes morales, quæ moderantur paſſiones, reſident in appetitu, ubi rectitudo earumdem paſſionum perficitur; in voluntate autem imperante, & applicante appetitum ad hujuſmodi actus ſolùm ponitur quidam habitus deficiens à ratione virtutis.

Ad id autem, quod tangit argumentum pro ea parte, quæ contra nuper dicta militare poteſt, reſpondetur ad judicium præcedens piam affectionem connaturaliter eliciatur, nullum requiri habitum diſtinctum à fide; benè autem ad piam affectionem. Et ratio differentiæ: quoniam cum primo elicitur illud judicium, elicitur innaturaliter, proindeque non petit habitum; ſed fit per auxilium tranſiens. Semel vero acquiſita fide, jam hæc afficit intrinſecè intellectum, & exigit concurſum actualem Dei, non ſolum ad credendum, ſed etiam ad judicandum, quod oportet credere. Immo vero ſatis probabile eſt, quod ipſa fides talem actum eliciat; quamvis ab eo utpote imperfecto, & ordinato ex natura ſua ad ulteriorem actum, ſpeciem non recipiat, ſed ab actu credendi, in quo propria ipſius perfectio conſummatur. Unde non oportet pro tali judicio ponere in intellectu aliquem habitum à fide diverſum. Cæterum ex parte voluntatis nihil eſt, quod eam conſtituat permanenter in actu primo tum ad exigendum auxilium Dei pro affectu credendi, tum ad connaturaliter eliciendum ipſum affectum. Quamobrem opus eſt admittere habitum piæ affectionis ſuperadditum voluntati.

Confirmationis ſolutio. Ex quibus patet ad confirmationem: nam cùm prædictus habitus non ſit virtus, ſed ſolum quædam inchoatio, & diſpoſitio ad virtutem, nempè ad fidem; nullum eſt inconveniens, quod maneat in peccatore, ſicut manet etiam ipſa fides, ad quam diſponit. Unde etiam conſtat ad id; quod addebatur: ſi namque prædictus habitus non eſt virtus; vanè quæritur utrum ſit virtus Theologica, vel moralis. Eſt ergo quædam qualitas permanens, quæ reductivè pertinet ad fidem, licèt non habeat ſpeciale nomen: ſicut etiam qualitas, quæ reſidet in voluntate ad imperandum actus virtutum moralium infuſarum eſt quid permanens: & tamen neque eſt virtus Theologica, nec moralis, nec habet nomen ſpeciale; ſed reducitur ad prædictas virtutes per modum inchoationis ipſarum.

Ultimum argumentum. 85. Ultimo ſuadetur hæc ſententia argumento, quod urget Caſtillo: quoniam voluntas non movetur ex honeſtate aſſenſus fidei infuſæ, ut applicet intellectum ad credendum; ſed ſolum ex honeſtate fidei abſtrahendo ab acquiſita, aut infuſa: ſed hujuſmodi motivum non eſt ſupernaturale, nec poſtulat pro ſui attingentia ſpecialem gratiam, ut ex ſe liquet: ergo affectus credendi non petit fieri ex gratia, ſed haberi valet per ſolas vires naturæ. Minor, & conſequentia conſtant. Major autem ſuadetur: quia nullus cognoſcit evidenter, vel credit ex fide divina, quod habeat fidem infuſam: ſed voluntas non poteſt efficaciter imperare actus, quorum principia neſcimus, nobis ineſſe: ergo voluntas non imperat aſſenſum fidei infuſæ, nec movetur ex ejus ſupernaturali honeſtate, ſed tantum movet, ut credamus abſolutè.

Reſpondetur negando majorem. Ad cujus probationem iterum neganda eſt minor: quia ut quis in elicientia alicujus actus operetur ex ſpeciali motivo, non eſt neceſſarium, ut certo cognoſcat ſe habere principia prædicto motivo correſpondentia. Voluntas enim imperans actus virtutum moralium infuſarum reſidentium in appetitu ſenſitivo intendit honeſtatem prædictorum actuum: & tamen ad tale imperium non eſt neceſſarium, quod homo certo cognoſcat ſe habere virtutes infuſas, quæ tales actus eliciant: alias certo cognoſceret ſe habere gratiam, quam comitantur hujuſmodi virtutes. Similiter efficaciter intendimus amare, & aliquando amamus Deum Auctorem ſupernaturalem ut ultimum finem ſuper omnia dilectum, quod eſt motivum proprium charitatis: & nihilominus ignoramus, utrum habeamus charitatem, quæ eſt principium prædicti amoris. Et eodem pacto poteſt voluntas efficaciter velle, quod intellectus credat myſteria fidei ex motivo divinæ auctoritatis: quamvis certo non cognoſcamus habere fidem infuſam, quæ eſt principium credendi ex tali motivo. Et ratio univerſaliter eſt: quoniam quocumque actus voluntatis feratur directè in ſuum objectum, quod proinde debet cognoſci, & proponi per intellectum, ut valeat illius affectum terminare. Non autem fertur voluntas directè in principia actus intenti: & ideo poſſumus efficaciter intendere aliquem actum; quamvis explicitè, & in exercitio non attendamus ad ejus principia, nec cognoſcamus illa nobis ineſſe. Satis ergo eſt, ut actus efficaciter intendatur, quod ſit poſſibilis, & quod principia ejus habeantur vel per naturam, vel gratiam acceptam, aut ſaltem repromiſſam, & præparatam. *Reſponſio.*

§. V.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

86. EX dictis in hoc, & præcedentibus dubiis colligitur legitima reſolutio aliquarum difficultatum, pro quibus ſolent alij in præſenti ſpecialia dubia inſtituere, examinantes utrùm requiratur gratia ad actus aliarum virtutum Theologicarum, moralium, & donorum Spiritus ſancti. Quod inter alios latè, & doctè præſtat Suarez *lib. 1. de neceſſitate gratiæ*, per plura capita. Nos autem ab hoc inſtituto ſuperſedendum duximus: tum quia id eſſet limites præſentis materiæ excedere, nullamque intactam, immo non exturbatam relinquere, ut rectè vidit Joan. à S. Thom. *in præſenti diſput. 20. art. 1.* in principio. Tum etiam, quia ea, quæ de actu fidei infuſæ diximus, apertam viam ſternunt ad alios actus ſupernaturales: eſt enim fides fundamentum totius ſupernaturalis ædificij, à qua proinde inchoare oportuit; unde hactenus circa fidem diſcuſſa facile queunt cæterarum virtutum actibus abſque nova concertatione applicari. Quod jam præſtamus. *Corollaria.* *Suarez.* *Joan. à S. Th.*

Primum. Primo ergo infertur amorem ſupernaturalis charitatis, quo Deus ut ultimus finis ſupernaturalis diligitur ſuper omnia, quoad ſpeciem, & ſubſtantiam ſupernaturalem, & conſequenter haberi non poſſe abſque ſpeciali gratia. Hoc corollarium

Digitized by Google

D.Thom. rollarium docet D. Thom. *in præſenti art. 3. in ſolutione ad 1. & 3. & ſup. quæſt. 63. art. 2. ad 2. & quæſt. 100. art. 10. ad 3. & 2. 2. quæſt. 44. art. 4. in corp. & ad 1.* cujus aliqua verba infra convenientius adducemus. Eandem ſententiam docent Auctores ſupra relati *num.* 28. & ſpecialiter Ferrara 4. *contra gentes cap.* 55. Conradus, & Medina *in præſenti art.* 3. & 4. ubi Arauxo, *art.* 7. *dub.* 1. Curiel *art.* 8. *dub. ultimo*, Joan. à S. Thom. *diſp.* 20. *art.* 1. Monteſ. *diſp.* 28. *quæſt.* 4. Lorca *diſp.* 9. Vazquez *diſp.* 196. *cap.* 4. Alvarez *de Auxiliis diſp.* 51. *concl.* 3. & *lib.* 5. *reſponſ. cap.* 13. Bellarm. *lib.* 6. *de gratia cap.* 7. Suarez *lib.* 2. *de neceſſ. gratiæ cap.* 14. & alij plures.

(Ferrara. Conrad. Medina. Arauxo. Curiel. Joan. à S.Th. Monteſin. Lorca. Vazquez. Alvarez. Suarez.)

Ratio conſectarij. Secunda corollarij pars manifeſtè deducitur ex prima; nam actus in ſua ſpecie, & entitate ſupernaturalis nequit non excedere vires naturales creaturæ, atque ideo fieri non poterit abſque ſpeciali adjutorio gratiæ. Prior autem pars ſatis apertè evincitur ex ſupra dictis, quin opus ſit nova fundamenta aperire: quoniam actus charitatis ſupernaturalis perfectior eſt, quam actus ſupernaturalis fidei: actus quippè iſti debent inter ſe ita comparari ſicut habitus à quibus eliciuntur: de his autem aſſerit Apoſt. 1. ad Cor. 13. *Manent tria hæc, fides, ſpes, charitas. Horum autem maior eſt charitas*: ſi ergo actus fidei infuſæ eſt entitativè, & quoad ſpeciem ſupernaturalis, ut hactenus oſtendimus, id à fortiori competere debet amori ſupernaturalis charitatis. (1. ad Cor. 13.)

Confirmatur. Confirmatur: nam quilibet actus virtuoſus ea ratione, qua conducit ad ſalutem, & fit *ſicut oportet*, debet eſſe ſupernaturalis, ut ſupra oſtendimus: atqui amor ſupernaturalis charitatis per ſuam ſpeciem habet diſponere ad gratiam, & eſſe ſicut oportet ad ſalutem: ergo ſupernaturalis ſecundum ſpeciem. Minor conſtat: tum quia amor charitatis non habet rationem diſpoſitionis conducentis ad ſalutem ex vi modi ſibi ſuperadditi: nullus quippè excogitari poteſt ita perfectus, ut adæquet propriam rationem ſpecificam ipſius amoris, qui tendit in Deum ut finem ſupernaturalem ſuper omnia dilectum: hæc enim eſt altiſſima ratio, quæ poteſt in actibus voluntatis reperiri. Tum etiam quia actus aliarum virtutum ea præcipuè ratione habent eſſe ſicut oportet ad ſalutem, qua fiunt ex imperio charitatis, & tendunt in proprium illius objectum, ut docent Auguſt. *lib. de correctione & gratia, cap.* 2. & D. Thom. *in præſenti art.* 4. & *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 6. Cum ergo actus ſupernaturalis charitatis habeat per ſeipſum id, quod aliis actibus competit ex influxu illius; ſequitur, quod per ſuam ſpeciem conducat ad ſalutem. (D. Aug. & D.Thom.)

Roboratur amplius. Ad hæc repugnat, quod actus entitativè naturalis, & qui per vires naturales fieri poteſt, connectatur ex natura ſuam cum gratia ſanctificante: alias poſſet homo per vires naturales vel ſe diſponere ad gratiam ſanctificantem, vel iſtam in ſe producere, quod eſt abſurdum: ſed amor ſupernaturalis charitatis ex natura ſua connectitur cum gratia ſanctificante: ergo neque eſt entitativè naturalis, nec haberi valet per naturales vires. Minor probatur tum quia prædictus amor eſt ultima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem non ſolum moralis, ſed phyſica, ut oſtendemus *in tractatu de Juſtificatione diſp.* 3. *dub.* 5. ergo connectitur ex natura ſua cum gratia tanquam cum termino, à forma; quam diſpoſitivè induit. Tum etiam quia prædictus actus eſt adeo perfectus, ut naturaliter ſaltem loquendo nequeat fieri niſi ex influxu gratiæ ſanctificantis, ut dicemus *in eodem tractatu diſp.* 2. *dub.* 6 ergo connectitur ex natura ſua cum gratia ſanctificante tanquam cum principio effectivo.

87. Adverſus hoc conſectarium nulla occurrit ſpecialis ratio, cui in antecedentibus dubiis ſatisfactum non fuerit, vel quæ ad alios tractatus non ſpectet, ubi commodius poterit enodari. *Opponitur teſtimonium D. Thom.* Sunt tamen aliqua Div. Thom. teſtimonia, quæ oportet explicare: eo quod non ſolum præſenti reſolutioni, ſed à fortiori præcedentibus videantur adverſæ. Primo ergo oppones: nam D. Tho. quæſt. 24. de verit. art. 14. ad 2. *Generaliter docet quod homo per gratiam poteſt ſervare mandata quantum ad modum; cum poſſit nihilominus per liberum arbitrium ea ſervare quantum ad ſubſtantiam.* Idemque in ſpeciali de præcepto charitatis docet *in* 3. *diſt.* 36. *quæſt.* 1. *art.* 6. Conſtat autem præceptum charitatis ſupernaturalis impleri quoad ſubſtantiam per actum charitatis: ergo prædictus actus quoad ſubſtantiam acceptus non excedit vires liberi arbitrij. (D.Thom.)

Legitimus eius ſenſus. Reſpondetur Angelicum Doctorem nunquam in actu proprio charitatis ſupernaturalis diſtinguere ſubſtantiam, & modum, ſed potius docere hunc ad ſpeciem prædicti actus ſpectare. Quod apertè ſtatuit 2. 2. *quæſt.* 44. *art.* 4. *in corp. & ad* 1. ubi ait: *Dicendum, quod ſub præcepto, quod datur de actu alicuius virtutis, non cadit modus, quem habet ille actus ex alia ſuperiore virtute: cadit tamen ſub præcepto modus ille, qui pertinet ad rationem propriæ virtutis.* Et ſtatim ponit modum proprium charitatis. Et adhuc expreſſius tradit hanc doctrinam *in hac* 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 10. *in corp. & ad* 3. quod erat hujuſmodi: *Si modus charitatis non cadat ſub præcepto: ergo aliquis poteſt implere præcepta legis non habens charitatem: ſed quod poteſt fieri ſine charitate, poteſt fieri ſine gratia: ergo aliquis poteſt implere præcepta legis ſine gratia: hoc autem eſt Pelagiani erroris*, &c. Reſpondet in hunc modum: *Dicendum, quod obſervare omnia præcepta legis homo non poteſt, niſi impleat præceptum charitatis, quod non fit ſine gratia. Et ideo impoſſibile eſt, quod Pelagius dixit, hominem implere legem ſine gratia.* Ubi nullam diſtinctionem agnoſcit inter ſubſtantiam, & modum proprium amoris ſupernaturalis charitatis: ſed abſolutè docet eſſe neceſſariam gratiam, ut prædictum præceptum impleatur: quod falſum eſſet ſi actus charitatis eſſet naturalis quoad ſubſtantiam, & hæc tantum caderet ſub præcepto.

Quando ergo S. Doctor locis in contrarium relatis determinat modum charitatis non cadere ſub præcepto, apertè loquitur de præceptis aliarum virtutum, quarum actibus accidentarius & ſuperadditus eſt proprius modus charitatis. Unde loco cit. ex quæſt. de verit. inquit in corp. *Eſt autem duplex bonum: quoddam, quod eſt humanæ naturæ proportionatum: quoddam vero, quod excedit humanæ naturæ facultatem. Et hæc duo bona, ſi de actibus loquamur, non differunt ſecundum ſubſtantiam actus; ſed ſecundum modum agendi; ut puta iſte actus, qui eſt dare eleemoſynam eſt bonum proportionatum viribus humanis, ſecundum quod ex quodam naturali dilectione vel benignitate homo ad hoc movetur. Excedit autem humanæ naturæ facultatem ſecundum quod ad hoc homo inducitur ex charitate, quæ mentem hominis Deo unit.* Et in ſolut. ad 1. inquit:

Quod

Quod præcipit Deus, non eſt impoſſibile homini ad ſervandum: quia & ſubſtantiam actus poteſt ex libero arbitrio ſervare: & modum, quo elevatur ſupra facultatem naturæ, prout ſcilicet fit ex charitate, poteſt ſervare ex dono gratiæ, quamvis non ex ſolo libero arbitrio. Idemque docet *in præſenti quæſt. art.* 2. in corp. & *artic.* 4. in corpore, ut rectè expendit Suarez *lib. 2. de neceſſitate gratiæ, cap. 23. num. 23.* Cum ergo hæc ordinatio, ſeu modus charitatis, qui aliis actibus convenit per participationem accidentalem, actui charitati competat per propriam ſpeciem; ſequitur hujuſmodi actum entitativè acceptum fieri non poſſe abſque gratia: quamvis aliarum virtutum actus ſecundum ſubſtantiam conſiderati, & à prædicto modo præſcindunt, & abſque gratia poſſint haberi. Quod præcisè docet D. Thom. *in reſponſ. ad 2. & loco citato ex 3. ſententiarum.*

Suarez.

Objicitur alia difficilis auctoritas D. Thom.

88. Secundo oppones teſtimonium S. Doctoris 2.2. *quæſt.* 171. *art. ad* 3. ubi inquit: *Dicendum, quod omne donum gratiæ hominem elevat ad aliquid, quod eſt ſupra naturam humanam. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Uno modo quantum ad ſubſtantiam actus, ſicut miracula facere, & cognoſcere occulta, & incerta divinæ Sapientiæ. Et ad hos actus non datur homini donum gratiæ habituale. Alio modo eſt aliquid ſupra naturam humanam quantum ad modum actus, non autem quantum ad ſubſtantiam ipſius: ſicut diligere Deum, & cognoſcere eum in ſpeculo creaturarum. Et ad hoc datur donum gratiæ habituale.* Ergo amor ſupernaturalis charitatis ſecundum ſubſtantiam acceptus non eſt ſupra facultatem humanæ naturæ.

Et confirmatur ex eodem S. Doctore *in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 1. ad 6.* ubi docet, *quod contritio quantum ad ſubſtantiam actus eſt à libero arbitrio, & à Deo, qui operatur in omnibus operibus, & naturæ, & voluntatis.* Concurſus autem divinus, qui in omnibus operibus reperitur, eſt concurſus generalis: hic ergo ſufficiet ad contritionem, ſi ſecundum ſubſtantiam conſideretur, atque ideo ad amorem charitatis, qui indivulsè contritionem comitatur.

Prima reſponſio.

Alvarez.

Ad auctoritatem *ex* 2. 2. quæ profecto haud facilis eſt intellectu, diverſimodè occurrunt Thomiſtæ. In primis Alvarez *lib. 6. de auxiliis diſp. 51. num.* 14. reſpondet D. Thom. non loqui de actu charitatis elicito, ſed ſolum de actu imperato, & externo, qualis eſt actus dandi eleemoſynam: hic enim, & ſimiles, quatenus ordinantur in finem charitatis, dicuntur etiam charitatis actus.

Diſplicet.

Hæc tamen reſponſio nobis non probatur: tum quia eſt voluntaria, nullum quippè adeſt verbum in prædicto teſtimonio, ex quo poſſit colligi D. Thom. loqui de actu externo, & à charitate imperato; ſed adeſt potius ad oppoſitum: nam illa verba, *ſicut diligere Deum* propriiſſimè deſignant actum internum amoris, non vero actum externum: ille enim, & non iſte confert formaliter denominationem propriam diligendi, ut ex ſe liquet. Idemque evidentius adhuc apparet in alio exemplo D. Thom. nempè: Et cognoſcere Deum in ſpeculo creaturarum. Quod nullatenus adaptari poteſt actui externo. Tum etiam, & præcipuè: quia non eſt conſentaneà menti ſancti Doctoris: eo quippè collimabat, ut dilueret hoc argumentum: *Prophetia computatur inter gratias gratis datas: ſed gratia eſt habituale quoddam in anima: ergo prophetia eſt habitus.* Ad quod diluendum vane fieret recurſus ad actus externos à charitate imperatos; ſiquidem vis argumenti conſiſtebat in eo, quod *gratia eſt habituale quoddam in anima*, idemque de gratia prophetiæ dicendum eſſet. Ad hoc autem enervandum quid refert, quod actus exterior ſit, vel non ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, aut modum?

Alia interpretatio.

89. Alij reſpondent ideo D. Thom. dixiſſe actum prophetiæ eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, non vero actum charitatis, quia non datur actus naturalis circa materiam prophetiæ propriam; bene autem circa materiam charitatis, datur enim amor Dei naturalis. Et ideo actus charitatis dicitur naturalis quoad ſubſtantiam, quia licèt in ſe ſupernaturalis ſit; convenit tamen cum actibus naturalibus in aliquo conceptu communi. Ita Arauxo ubi ſupra *numero* 33.

Arauxo.

Non ſatisfacit.

Cæterum neque iſta ſolutio placet: quoniam ſicut circa materiam charitatis poteſt dari actus naturalis, ita etiam circa materiam propriam prophetiæ: nihil enim prohibet, quod circa cogitationes cordis, vel futura contingentia, quæ ſunt propria prophetiæ materia, detur aliqua cognitio naturalis prædicta objecta conjecturaliter attingens: immo hoc frequenter contingit in Angelis. Eodem ergo modo poteſt ex vi hujus actus prophetiæ dici naturalis quoad ſubſtantiam, ac charitatis actus: unde non ſubſiſtit adhuc differentia. Deinde ex hoc, quod amor charitatis dicatur prædicto modo naturalis, nulla congruens diſparitatis ratio poteſt deſignari, ut charitas ſit habitus, non vero prophetia: ac proinde relinqueret Divus Thomas argumentum in ſua vi, ſi nil aliud in ea reſponſione doceret, quam quod illi hæc interpretatio attribuit.

Altera expoſitio.

Joan. à S. Th.

90. Tandem Joannes à ſancto Thoma ubi ſupra reſpondet, quod D. Thomas per ſubſtantiam actus non intellexit differentiam ſpecificam illius, neque per modum intellexit aliquid accidentaliter ſuperadditum actui: ſed per ſubſtantiam ſignificavit actus entitatem, & per modum deſignavit modum, quo actus elicitur à potentia, nempè per aliquam virtutem illi permanenter impreſſam. Et quia actus charitatis fit juxta modum connaturalem potentiæ, hoc eſt, permanenter, & cum electione; ideo petit fieri ex habitu: ſicut è converſo actus prophetiæ ob oppoſitam rationem nequit habitum vendicare; cum non fiat juxta modum naturalem potentiæ, nimirum quando, & quomodo illa vult.

Non videtur ſufficiens.

Sed hæc etiam reſponſio, niſi amplius declaretur, vel falſa eſt, vel inſufficiens. Tum quia juxta hunc dicendi modum per ſubſtantiam actus deſignavit D. Thom. illius entitatem: ſed S. Doctor aſſerit actum charitatis non eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam: ergo ſentit, quod non eſt ſupernaturalis in ſua entitate: hoc autem, & nihil amplius intendit objectio. Tum etiam, quia modus operandi permanenter, & ex electione connaturalior eſt modo per modum tranſeuntis, & inſtrumenti: ſed actus prophetiæ fit tranſeunter, & per ſubitam illuſtrationem; è contra vero actus charitatis fit permanenter, & ex electione, ut hæc expoſitio ſupponit, & ſatis ex ſe liquet: ergo nequit hæc

via ſalvari, quod actus charitatis ſit ſupernaturalis quoad modum, non autem actus prophetiæ; ſed magis infertur oppoſitum.

Explicatur locus D. Th.

92. Reſpondetur ergo, quod ex duplici capite poteſt aliquis actus ſupernaturalis petere principium ſupernaturale: primo ob ſuam ſpeciem, aut entitatem, quæ ſupernaturalis eſt: ſecundo ex parte modi, quo fit nempè permanenter, & juxta electionem operantis: quia non ſolum eſt ſupra vires potentiæ elicere actum ſupernaturalem, ſed etiam elicere illum pro libito ſuo, & modo permanenti. Et quia hoc poſterius addit ſupra primum; idcirco ad eliciendum actum poſteriori modo requiritur major virtus, quam ad eum eliciendum præcisè quoad ſubſtantiam, vel entitatem: ad primum enim ſufficit quælibet virtus ſupernaturalis licèt fluida, & habens modum diſpoſitionis, ſeu elevationis tranſeuntis; ad poſterius vero deſideratur virtus per modum habitus, ſeu formæ permanentis. Actus autem prophetiæ talis conditionis eſt, ut non ſubjaceat voluntati noſtræ ſaltem in ſuo actu primario: & ideo nequit fieri modo permanenti, & ſolum eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, non autem quantum ad modum: hoc quippè, quod eſt fieri tranſeunter, nullam ſupernaturalitatem addit ſupra actus entitatem. Actus vero charitatis fit ex natura ſua modo permanenti, & cum electione operantis: quæ perfectio nequit non petere aliquam majorem perfectionem ex parte virtutis elevantis, nempè quod hæc virtus ſit permanens, & habitualis juxta naturam actus, pro quo exhibetur. Et hinc apparet differentiæ ratio ob quam licèt prophetia, & charitas ſint qualitates ſupernaturales; nihilominus hæc ſit habitus, non vero illa. Quo pacto optimè reſpondet Angelicus Doctor argumento, quod ſibi oppoſuerat. Unde cum aſſerit, quod diligere Deum non eſt ſupra naturam humanam *quoad ſubſtantiam*, neutiquam negat prædictam ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem abſolute; ſed tantum negat eſſe ſupernaturalem ea præcisè ratione, qua dixerat actum prophetiæ ſupernaturalem eſſe. Cumque prophetiæ actus ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam præcisè, non verò quoad modum; ſolum ſequitur, quod actus charitatis non ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam præcisè ſumptam, ſed quod ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & modum. Et ideo per ly *non quantum ad ſubſtantiam ipſius* minimè excludit ſubſtantiam; ſed ſubſtantiam ut deſtitutam modo. Excludit igitur, quod actus charitatis ſit præcisè ſupernaturalis in entitate, ſicut actus prophetiæ: & adſtruit eſſe ſupernaturalem etiam in modo, quo fit, videlicet permanenter, & liberè. Et ita reddit rationem, cur charitas ſit habitus, non vero prophetia. Et in hoc ſenſu expoſitio Joannis à ſancto Thoma amplectenda eſt, utpote attingens propriam S. Doctoris mentem, in quo aliæ interpretationes deficiunt.

Depelluntur duæ obiectiones.

Neque adverſus eam ſic illuſtratam urgent illa duo, quæ illi opponebamus. Non quidem primum: quia jam conſtat actum charitatis eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, non quidem excludendo modum, ſed eum ſaltem connaturaliter aſſerendo. Neque etiam ſecundum: quia licèt modus operandi permanenter ſit connaturalior, quam modus operandi tranſeunter, ſi fiat comparatio intra eumdem ordinem: nihilominus ſi operatio permanens eſt ſupernaturalis, excedit facultatem naturalem non ſolum ex parte entitatis, ſed etiam modi, quo fit: quia ſupra naturam eſt & operari ſupernaturaliter, & operari ſupernaturaliter permanenter. Unde licèt actus prophetiæ fiat tranſeunter, & actus charitatis modo permanenti, atque adeo connaturalius intra ordinem ſupernaturalem; nihilominus actus charitatis eſt ſimpliciter ſupernaturalis quantum ad modum, quo fit; ſecus vero actus prophetiæ: & ille petit habitum non autem hic.

Exponitur alius locus D. Thom.

Ad aliud Divi Thomæ teſtimonium *ex 4. ſentent.* reſpondetur ſanct. Doctorem ſolum docere, quod actus contritionis eſt unicè à gratia quantum ad formam. Quod evidens eſt; cum hæc ſit ipſa gratia, quam Deus per ſeipſum infundit. Quantum ad ſubſtantiam aſſerit contritionem eſſe à libero arbitrio, & à Deo. Ex quo tamen minimè infertur, quod ſit à libero arbitrio nude ſumpto, ſeu non adjuto per gratiam; ſed tantum infertur, quod prædictus actus ſit liber, in quem proinde debemus influere ſimul cum gratia. Neque oppoſitum ſuadent illa verba: *Qui operatur in omnibus operibus naturæ, & voluntatis:* quia per illa non ſignificat, quod influxus Dei in contritionem ſit concurſus generalis, ut in objectione intendebatur; ſed tantum deſignat univerſalem dependentiam creaturæ à Deo in operibus cum naturæ, cum gratiæ, licèt modus concurrendi ſit ſatis diverſus.

Secundum conſectarium.

93. Infertur ſecundo ex dictis actus proprios virtutum infuſarum (ut ita omnes alios comprehendamus ad nullum in particulari deſcendendo) eſſe ſecundum ſuam entitatem ſupernaturales, & fieri non poſſe abſque ſpeciali gratia. Sic docent Auctores ſupra relati *num. 86.* & facile oſtenditur ex iis, quæ *dub. 2.* ſtatuimus: quoniam actus proprius cujuſvis habitus tendit in objectum proprium illius, & ſub eadem ratione; cum inclinatio habitus propria reducatur ad exercitium per tendentiam actualem in objectum: ſed objectum proprium virtutis infuſæ eſt formaliter ſupernaturale, alias non poſſet ei ſupernaturalitatem in genere cauſæ ſpecificativæ transfundere: ergo actus proprius virtutis infuſæ reſpicit objectum formaliter ſupernaturale: cum igitur actus ſpeciem accipiat ab objecto, ſequitur actus proprios omnium virtutum infuſarum eſſe ſecundum ſuam ſpeciem ſupernaturales; atque ideo fieri non poſſe abſque ſpeciali gratia. Qualiter autem plures actus attingentes objecta entitativè naturalia ſint ſupernaturales (quod poterat aliquam difficultatem inducere) facilè declaratur ex his, quæ docet Divus Thomas *ſupra quæſt. 63. art. 4.* in corpore, ubi loquens de diſtinctione ſpecifica inter habitus acquiſitos, & infuſos, inquit: *Habitus dupliciter diſtinguntur ſpecie: uno modo ſecundum formales, & ſpeciales rationes obiectorum. Obiectum autem virtutis, cuiuſlibet eſt bonum conſideratum in materia propria: ſicut temperantiæ obiectum eſt bonum delectabile in concupiſcentiis tactus. Cuius quidem obiecti formalis ratio eſt à ratione, quæ inſtituit modum in his concupiſcentiis. Manifeſtum eſt autem, quod alterius rationis eſt modus, qui imponitur in huiuſmodi concupiſcentiis ſecundum regulam rationis humanæ, & ſecundum regulam divinam: puta in ſumptione ciborum ratione humana modus ſtatuitur*

D.Thom.

Digitized by Google

ſtatuitur, ut non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum. Secundum autem regulam rationis divinæ requiritur, quod homo caſtiget corpus ſuum, & in ſervitutem redigat per abſtinentiam cibi, & potus, & aliorum hujuſmodi. Unde manifeſtum eſt, quod temperantia infuſa, & acquiſita differunt ſpecie, & eadem ratio eſt de aliis virtutibus. Quod eorum actibus proportionabiliter applicandum eſt: unde non oportet in hoc amplius immorari. Recolantur, quæ diximus *Tractatu 12. diſputatione 3. dubio 1.*

Tertium corollarium.

Quæ gratia requiratur ad actus virtutum infuſarum.

94. Tertio ex dictis patet ſolutio ad quæſtionem, quæ ſolet in præſenti tractari, videlicet, quæ gratia requiratur ad eliciendum actus virtutum infuſarum? Ad quam reſpondemus poſſe hujuſmodi actus bifariam conſiderari: primo abſolutè, & præſcindendo à modo, quo egrediuntur à potentiis: ſecundo quatenus fiunt connaturaliter, permanenter, & faciliter. Ad eos igitur primo modo conſideratos (ſi excipiamus amorem charitatis, & contritionem,) non requiritur gratia habitualis, immo neque aliqua virtus permanens; ſed ſufficiet auxilium tranſiens. Ad eoſdem autem poſteriori modo ſumptos neceſſaria eſt aliquis habitus, ſeu virtus permanens. Ratio quoad primam hujus reſolutionis partem eſt: quia prædicti actus entitativè conſiderati non habent neceſſariam connexionem cum gratia ſanctificante, ut patet in actibus fidei, ſpei, & aliarum virtutum, quos peccatores eliciunt: deinde præſcindendo à modo productionis præſcindunt etiam à modo virtutis elevantis potentiam, & ſolum concernunt virtutem abſolute: ergo nec poſtulant gratiam ſanctificantem, nec aliquam virtutem habitualem, ſed poſſunt fieri per virtutem tranſeuntem. Poſterior autem pars facile oſtenditur: quia modus connaturalitatis, & facilitatis provenit per ſe ab habitu: ubi enim potentia completur per virtutem habitualem, prodit connaturaliter in actus prædictæ virtutis: ergo hujuſmodi actus ut aſſociati modo facilitatis, & connaturalitatis, petunt fieri ex auxilio virtutis habitualis, ſeu permanentis.

Diximus: *ſi excipiamus amorem charitatis, & contritionem:* quia ad hos actus exiſtimamus requiri gratiam habitualem, nedum concomitanter, & ex parte termini, ut communiter admittunt Auctores in præſenti; ſed etiam præviè, & ex parte principij, ut ex profeſſo oſtendemus *in Tractatu de Juſtificatione, diſputatione 2. dubio 6.*

Quartum corollarium.

An requiratur gratia ad adimplenda præcepta virtutum infuſarum.

95. Quarto, & ultimo colligitur deciſio alterius difficultatis, quam ſolent interpretes communiter diſcutere in præſenti, an videlicet ſit neceſſaria gratia ſpecialis ad adimplendum præcepta virtutum infuſarum? Cui reſpondetur ex dictis, quod ſi præceptum cadat ſupra actum virtutis infuſæ, non poterit adimpleri abſque ſpeciali gratia; bene autem ſi ſolum cadat ſupra materiam externam, circa quam verſatur virtus. Ratio eſt: quoniam cum præcipitur actus virtutis, nequit poſitivè ſatisfieri præcepto, niſi per exhibitionem prædicti actus: conſtat autem actus virtutum infuſarum eſſe entitativè ſupernaturales, & fieri non poſſe abſque ſpeciali gratia: ergo cum hujuſmodi actus præcipiuntur, nequit homo abſque ſpeciali gratia ſatisfacere præcepto. Materia autem externa, utputa dare eleemoſynam eſt in ſua entitate naturalis, & non excedit humanas vires: ergo valet homo abſque gratia prædictam materiam exhibere, & præcepto ſatisfacere; quamvis abſque illa non poterit tendere in finem præcepti ſupernaturalis: hæc enim ordinatio eſt proprius effectus charitatis. Quam reſolutionem docet Divus Thomas *hac 1. 2. quæſtione 100. articulo 10. & 2. 2. quæſtione 44. articulo 1. ad 1.* D.Thom.

96. Si autem ulterius inquiras, quando præceptum cadat immediatè ſupra actum proprium virtutis, quando vero circa materiam externam, quæ eſt alias objectum illius. Reſpondetur id non ſpectare ad præſentem tractatum, ſed ad varias materias de ſingulis virtutibus. Breviter tamen, & reſolutoriè dicendum eſt præcepta virtutum Theologicarum, nempe fidei, ſpei, & charitatis imperare immediatè actus prædictarum virtutum, ut ſumitur ex Divo Thoma *quæſtione 63. articulo 2. ad 2.* ubi ait: *Sunt quædam peccata mortalia, quæ homo ſine gratia nullo modo poteſt vitare, quæ ſcilicet directè opponuntur virtutibus Theologicis, quæ ex dono gratiæ ſunt in nobis.* Quibus etiam quantum ad hoc annumeramus præceptum pœnitentiæ ſupernaturalis ob neceſſarium nexum, qui invenitur inter ejus actum primarium, qui eſt contritio, & charitatem. Et ratio eſt: quia nihil aliud excogitari poteſt, quod immediatè, & primario imperetur per præcepta harum virtutum, niſi eorum actus, ut conſideranti conſtabit. Maximè cum prædicti actus ſint ex natura ſua neceſſarij ad conſecutionem ultimi finis ſupernaturalis. De aliis vero præceptis pertinentibus ad materiam virtutum infuſarum dicendum eſt immediatè cadere ſupra earum materiam, ſive objectum. Unde præceptum, verbi gratia, jejunij, aut reſtitutionis ſufficienter impletur non comedendo niſi ſemel, & rem alienam reſtituendo; ſive interius adſit actus ſupernaturalis ordinans actionem externam ad proprium virtutis finem, ſive non. Idemque de aliis præceptis ſimilium virtutum dicendum eſt, ut ſatis apertè docet Divus Thomas *quæſtione 100. articulo 10.* Et fundamentum eſt: quia licèt detur præceptum, verbi gratia, reſtituendi rem alienam, minimè adeſt præceptum reſtituendi ex motivo virtutis infuſæ, nec affectu ad finem ſupernaturalem: ergo præceptum reſtituendi ſufficienter adimpletur per externam actionem reddendi rem alienam, quidquid ſit de interno motivo. Quod ad alia hujuſmodi præcepta proportionabiliter extendendum eſt.

Dubium incidens. — D.Thom. — D.Thom.

DUBIUM V.

An Homo poſſit propriis viribus ſe ultimo diſponere ad gratiam ſanctificantem.

POſtquam vidimus, quas vires habeat homo in ordine ad particulares actus ſupernaturales; rectus ordo poſtulat, ut eaſdem vires perpendamus per comparationem ad ipſam gratiam, quæ eſt objectum proprium præſentis operis. Poſſumus autem in hac parte inveſtigare, utrum homo poſſit gratiam producere, vel an valeat ſaltem efficere diſpoſitiones, quibus præparetur ad ipſam. Sed quia primam difficultatem tractat Divus Thomas *infra quæſtione 112. art. 1.* ideo ab illa ſuperſedebimus in hoc loco illorſum D.Thom.

illorſum eam remittentes: verſabimus autem poſterius dubium, de quo agit S. Doctor *in hac quæſt.* 109. *art.* 6. Illius vero perſpicua deciſio pendet ex nonnullis ſuppoſitionibus, quas proinde breviter prælibabimus, ut ad difficultatem cum hujus dubij, cum ſubſequentium expeditionem aditum habere poſſimus.

§. I.

Obſervationes aliquæ ad dubij reſolutionem.

Quid ſit diſpoſitio. 97. PRimo igitur ſtatuendum eſt ex Ariſtot. 5. *Metaph.* propriam rationem diſpoſitionis ad aliquam formam in eo ſitam eſſe, quod ſubjectum ex ſe indifferens, & elongatum à forma determinet, aptet, & approprIet ad formæ participationem, excludendo indifferentiam, ſimulque expurgando illud à contrariis diſpoſitionibus, ſi quæ forte in eo præexiſtebant, atque à participanda forma elongabant. Sicut calor, verbi gratia, ut ſeptem trahit materiam ligni ex ſe indifferentem, ut peculiariter participet formam ignis, excluditque frigiditatem, & alia accidentia contraria, quæ à participatione prædictæ formæ impediebant: quocirca habet rationem diſpoſitionis ad talem formam, ut docent communiter Philoſophi. Unde ſatis apparet ſenſus tituli quæſtionis: inquirimus enim utrum homo valeat per proprias vires aliquid in ſe producere, quo determinetur, & aptetur ad receptionem gratiæ, atque emundetur ab impedimentis contrariis.

Diſpoſitionum genera. 98. Deinde nota tria eſſe genera diſpoſitionum ad aliquam formam, nempè ultimam, remotam, & remotiſſimam, ſive impropriam. Diſpoſitio ultima eſt, quæ connectitur cum forma, & eſt duplex, alia conſequens, quæ formam ſequitur, eamque in primo ſuæ productionis inſtanti comitatur: quo pacto ſe habet calor ut octo ad formam ignis: alia vero antecedens, ad quam videlicet ſequitur forma: ſicut comparatur calor ut ſeptem ad formam ignis. Remota vero dicitur, quæ non importat tantum determinationem ad conſecutionem formæ; appropriat tamen quantum eſt de ſe ſubjectum, & trahit ipſum ad ultimiorem diſpoſitionem, utpote quæ eſt ejuſdem ordinis cum ipſa: qua ratione calor ut quatuor, vel ut quinque comparatur ad formam ignis, & ad calorem ut octo. Remotiſſima autem, atque impropria diſpoſitio appellatur id, quod non determinat adhuc remotè ſubjectum ad participationem formæ; ſed tantum dicitur ipſum diſponere, quatenus reddit illum minus ineptum, ut alias, & ab altero agente diſponatur: quo modo ſiccitas ligni præparat ad formam ignis: quamvis enim non determinet ad ignem, reddit tamen paſſum minus ineptum, ut queat ad formam ignis diſponi. Quæ etiam diverſitas reperitur proportionabiliter in iis, per quæ homo diſponitur ad gratiam, ut ſumitur ex Div. *D.Thom.* Thom. *infra quæſt.* 112. *art.* 2. *ad* 2. & 3. Dantur enim quidam actus, qui ultimo diſponunt ad gratiam, & connectuntur cum illa: cujuſmodi ſunt amor ſupernaturalis Dei, & dolor de peccatis ex eodem amore procedens. Alij autem diſponunt remotè: quamvis enim non inferant infallibiliter gratiam, emolliunt tamen cor, & trahunt illud ad ulteriores actus, quibus ultimo ad gratiam diſponatur: & tales ſunt aſſenſus fidei ſupernaturalis, timor inferni, & horror futuri judicij, aliique actus ex auxilio ſupernaturales. Alij vero actus vel nullo modo diſponunt, vel ſolum diſponunt impropriiſſimè, & quaſi negativè: quia non dicunt ullam habitudinem ad gratiam; ſed ſolum reddunt ſubjectum minus ineptum, hoc eſt, minus affectum peccatis: & hujuſmodi ſunt actus naturales moraliter boni, quos dum homo exercet, non peccat, nec indiſponitur, etſi per eos non accedat poſitivè ad gratiam. Dubium ergo præſens præcipuè procedit de diſpoſitione ultima, qua homo ſufficienter ad gratiam præparatur: de cæteris vero diſpoſitionibus in aliis dubiis agemus.

Adulti recipiunt gratiam dependenter à diſpoſitione. 99. Ulterius obſerva gratiam habitualem non infundi de lege ordinaria adultis, quin detur aliqua diſpoſitio ex parte illorum. Quod ex profeſſo oſtendemus *in Tractat. de Iuſtificat. diſp.* 3. *dub.* 1. & nunc breviter oſtenditur. Tum quia ita paſſim docet Scriptura, ut Proverb. 16. *Hominis eſt præparare animum,* 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino.* Zachar. 1. *Convertimini ad me.* Quamobrem hæc veritas diffinita eſt in Concilio Tridentino *ſeſſione* 6. *canon.* 5. & 6. Tum etiam quia gratia non deſtruit naturam, ſed eam perficit: conſtat autem, quod in naturalibus non introducitur forma perfecta niſi in ſubjecto diſpoſito: ergo gratia habitualis, quæ eſt perfectiſſima forma in ordine ſupernaturali, non communicatur de lege ordinaria adulto, niſi iſte præparetur ad ipſam. Tum præterea quia alias non poteſt aſſignari conveniens ratio, quare unus adultus recipiat gratiam habitualem magis copioſam, quam alius; niſi recurramus ad inæqualitatem diſpoſitionum. Tum denique, quia ſi homo non diſponitur ad gratiam, fruſtra expectat Deus electionem, & conſenſum noſtrum juxta ilud Hierem. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere.* Et Ezech. 18. *Projicite iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum,* & alia: quæ apertè oſtendunt in communicatione gratiæ reperiri, & requiri diſpoſitionem ex parte noſtri. *Proverb. 16. 1 Reg. 7. Zachar. 1. Conc. Trid. Hierem. 3. Ezech. 18.*

Ad hanc diſpoſitionem non ſufficit non repugnare. 100. Hujuſmodi autem diſpoſitio non conſiſtit in ſola non reſiſtentia voluntatis, qua ſuppoſita Deus pro libito ſuo infundat gratiam in eo gradu, qui ſibi placet, ut falſo exiſtimavit Henricus *quodlib.* 5. *quæſt.* 24. ſed conſiſtit in aliquo poſitivo, ut communiter tradunt Doctores, qui etiam adverſam opinionem temeritatis, aut etiam erroris cenſura inurunt. Et merito quidem: nam teſtimonia proximè relata non ſolam carentiam reſiſtentiæ ſignificant, ſed poſitivam præparationem, & converſionem ad Deum important. Idemque convincunt rationes: quoniam in naturalibus, quibus ſeſe accommodant gratuita, diſpoſitio ad formam non conſiſtit in ſola non repugnantia paſſi; ſed dicit aliquid poſitivum, quo paſſum determinatur, & trahitur ad formam ob ſimilitudinem in accidentibus, quæ incipit participare, ut conſtat ex ſupra dictis. Præſertim quia diſpoſitio importat aliquod ſpeciale genus cauſæ cum reſpectu paſſi, quod ad formam aptat, cum reſpectu formæ, quam inducit: ſed non reſiſtentia, cum ſit quædam carentia, nequit habere rationem cauſæ; ſiquidem hæc ſupra conceptum generalem principij addit influxum poſitivum in effectum: ergo diſpoſitio, quam Scriptura, & Concilia adſtruunt eſſe neceſſariam ad juſtificationem adulti, non conſiſtit in carentia reſiſtentiæ, ſed magis in aliquo poſitivo. *Henricus.*

101. Dices:

Objectio.

101. Dices: ad formam naturalem quatenus dat gradum eſſendi, non requiritur aliqua diſpoſitio poſitiva; ſed ſufficit materia non reſiſtens, ſeu carens diſpoſitione contraria, ut expreſſe docet Divus Thomas 1. *parte quæſt.* 76. *art.* 6. atqui gratia ſanctificans eſt forma communicans primum eſſe ſupernaturale juxta illud Apoſtoli 1. *ad Corinth.* 15. Gratia Dei ſum id, quod ſum: ergo ad prædictam gratiam non requiritur diſpoſitio poſitiva; ſed ſufficit, quod homo non reſiſtat, aut impediat ejus infuſionem.

D. Thom. 1. ad Cor. 15.

Solvitur.

102. Reſpondetur primo conceſſis præmiſſis negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt: quia materia eſt omnino determinata ad eſſe ſubſtantiale, ſive ab iſta, ſive ab illa forma communicetur: unde ſe ipſa dicit immediatum ordinem ad prædictum eſſe, & omnimodam commenſurationem cum illo: quamobrem ſuperflua foret aliqua diſpoſitio poſitiva, ut induceret hujuſmodi coaptationem. Anima autem non eſt ſe ipſa determinata ad participandum actu gratiam ſanctificantem, nec dicit immediatum, & poſitivum ordinem ad ipſam; cum hæc ſit ſupra omnem ordinem, & exigentiam naturæ: & ideo opus eſt, quod anima per aliquid poſitivum diſponatur, ut gratiam ſanctificantem modo connaturali recipiat.

Secundo reſpondetur diſtinguendo conſequens: & ſi intelligatur de gratia ſanctificante ſecundum quod dat primum eſſe ſupernaturale, quatenus præſcindit ab eſſe permanenti, & tranſeunti, ſive ab eſſe per modum habitus, & per modum diſpoſitionis concedatur: nam ſicut ad primum auxilium ſupernaturale non requiritur aliqua diſpoſitio; ita neque ad gratiam ſanctificantem, quatenus præciſe communicat prædictum eſſe ſupernaturale, univerſaliſſime acceptum. Cæterum hoc pacto non explicat rationem formæ; ſed magis habet conditionem generalem tam formæ, quam auxilij. Si autem intelligatur de eſſe ſupernaturali permanenti, & per modum formæ, neganda eſt conſequentia: quia ex una parte forma non communicatur niſi ſubjecto ad ipſam recipiendam determinato, & coaptato; & ex alia parte anima nequit per ſe ipſam determinari, & proportionari ad gratiam, cum hæc ſit ſupra ordinem illius. In quo plurimum differt forma dans primum eſſe ſupernaturale ab ea, quæ primum eſſe naturale communicat, ut ſatis ex ſe liquet.

Diſpoſitio adultorum ad gratiam non eſt à ſolo Deo.

Conc. Trid.

103. Præterea ſupponendum eſt, diſpoſitionem, quæ pro infuſione gratiæ requiritur, & præcipue ultimam non cauſari à ſolo Deo, ſed etiam ab homine libere cooperante motioni divinæ. Quod diſertis verbis determinat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *can.* 4. ubi ait: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.* Idemque aperte ſumitur ex teſtimoniis Scripturæ ſupra relatis, quibus admonetur homo, ut ſe diſponat ad gratiam: quæ exhortatio vana profeſſio eſſet, ſi ſolus Deus efficeret hujuſmodi diſpoſitionem. Et ratio eſt: quoniam acceſſus, & receſſus ad aliquem terminum eodem proportionali modo debent contingere: ſed receſſus hominis à Deo & deſtructio gratiæ fit per motus peccaminoſos liberi arbitrij, ut ex ſe conſtat: ergo acceſſus hominis ad Deum, & gratiæ reparatio debent etiam fieri per motus laudabiles ejuſdem arbitrij, quibus ſe præparet ad divinam amicitiam. Eo vel maxime, quod ſanctificatio adulti eſt voluntaria: id autem non contingeret, ſi nulla diſpoſitio eliceretur ab adulto: tunc quippe mere paſſive ſe haberet ad communicationem gratiæ, & hæc eſſet omnino ab extrinſeco. Quod latius expendemus *infra quæſtione* 112. *& loco ſupra citato ex tractatu de juſtificatione.*

Punctum difficultatis.

104. Suppoſito igitur, quod homo adultus poſſit, & debeat poſitive, & per actus proprios ſemetipſum ad gratiam præparare; difficultas præſentis dubij in eo conſiſtit, ut inveſtigemus qualitatem virium naturalium ad producendum hujuſmodi diſpoſitionem: & ita inquirimus utrum valeat homo per proprias vires, & independenter ab auxilio Dei ſe ultimo diſponere ad gratiam ſanctificantem. Et procedit difficultas circa ea, quæ phyſice, & ſufficienter diſponunt: nam de aliis, quæ ſolum remote, & moraliter, hoc eſt per modum meriti, & impetrationis ſolent ad gratiam conducere, agemus in dubiis ſequentibus.

§. II.

Aſſeritur Veritas catholica & authoritate munitur.

Concluſio de fide.

105. Dicendum eſt hominem per ſolas vires naturales non poſſe ſufficienter ultimò ſe ad gratiam ſanctificantem diſponere. Hæc concluſio (quidquid contendant aliqui Scholaſtici antiqui) eſt de fide, eamque docent communiter Theologi, Divus Thomas *in præſenti art.* 6. *& quæſt.* 112. *art.* 3. *& contra gentes cap.* 149. *& de verit. quæſt.* 74. *articulo* 15. *& quodl.* 1. *art.* 7. ad Hæbræos 12. *lect.* 3. & alibi ſæpè. Albertus *in* 2. *diſt.* 28. *art.* 2. Bonavent. *ibidem art.* 2. *quæſt.* 1. Ægidius *art.* 2. *quæſt.* 3. Gregor. *diſtinct.* 26. *quæſt.* 1. *art.* 1. Eſtius *diſt.* 26. §. 34. Capreolus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. ad argumenta Henrici. Marſilius *quæſt.* 18. *artic.* 3. *concluſ.* 4. Henricus *quodl.* 8. *quæſt.* 5. Adrianus *quodl.* 5. *art.* 3. Oſius Cardinalis *tom.* 2. *Confeſſionis fidei cap.* 13. Roffenſis *art.* 13. Driedo *de captivitate tract.* 3. *cap.* 4. Soto *lib.* 2. *de natura, & gratia cap.* 3. *&* 4. Vega *lib.* 4. *de juſtificat. cap.* 6. Bellarminus *lib.* 6. *de gratia cap.* 5. Ferrara 3. *contra gentes cap.* 159. Alvarez *de auxiliis diſput.* 55. *concluſ.* 1. Cornexo 1. *parte quæſt.* 23. *diſp. unica dub.* 3. Curiel *infra quæſt.* 112. *art. dub.* 3. *conc.* 1. Cajetanus *in præſenti* ubi etiam Zumel *diſp. unica, concluſ.* 1. Lorca *diſp.* 11. Monteſ. *diſp.* 28. *quæſt.* 5. Joan. à S. Thom. *diſp.* 20. *art.* 1. Gregor. Martinez *dub.* 3. Arauxo *dub.* 3. Medina *concl.* 1. ubi ſobrie monet attente, & cum ſcrupulo legendos eſſe in hac materia aliquos Scholaſticos antiquos, qui arbitrantes ſe contradicere D. Thomæ adverſantur revera Scripturæ, & Conciliorum decretis.

D. Thom. Albertus. Bonavent. Ægid. Gregorius. Eſtius. Capreol. Marſilius. Henricus. Adrian. Oſius. Roffenſis. Driedo. Soto. Vega. Bellarminus. Ferrara. Alvarez. Cornexo. Curiel. Caietanus. Zumel. Lorca. Montefinos. Joannes à S. Thoma. Gregor. Martinez. Arauxo. Medina.

Fundamentum ex ſacra Scriptura.

106. Probatur primo hæc veritas ex Scriptura divina, cujus licet poſſemus innumera proferre teſtimonia; conſulto tamen brevitatis gratia unum, aut alterum duntaxat adducemus, adjuncta expoſitione Auguſtini, quæ ſummæ auctoritatis eſt in hac parte, ut præmiſimus *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 1. Primum eſt illud: *Sine me nihil poteſtis facere*, Joan. 15. Quod Auguſt. *lib.* 1. *contra duas epiſtolas Pelagian. cap.* 8. Urget in hunc modum: *Dominus, ut reſponderet futuro Pelagio,*

Joann. 15. D. Auguſt.

Digitized by Google

non ait: Sine me difficile poteſtis aliquid facere: ſed ait: Sine me nihil poteſtis facere. Et ut reſponderet futuris etiam iſtis in eadem ipſa Evangelica ſententia, non ait: Sine me nihil poteſtis perficere, ſed facere. Nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt; ſed ad perficiendum eſſe Dei adjutorium neceſſarium.

Joann. 6. Secundum habetur Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum.* Quo teſtimonio utitur Divus Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianor. capite 19. ubi ait: *Non enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, quo novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Pſalm. 76. D. Auguſt. Tertium eſt illud Pſalm. 76. *Et dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelſi:* Quæ verba ſic expendit Auguſtinus *libro 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum capite ultimo* in fine: *Cum ergo dixiſſet, nunc cœpi: non ait, hæc mutatio arbitrij mei, ſed dexteræ Excelſi. Sic igitur gratia Dei cogitur, ut ab initio bonæ mutationis ſuæ uſque in finem conſummationis, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia ſicut nemo poteſt bonum inchoare ſine Domino: ſic nemo perficere ſine Domino.* Idem ſignificatur in aliis pluribus ſcripturæ locis, qualia ſunt Pſalm. 84. *Converte nos Deus ſalutaris noſter*, & Thren. 5. *Converte nos Domine, & convertemur*, & Proverb. 8. *Præparatur voluntas à Domino*, & Ezech. 3. *Ego dabo vobis cor novum, & auferam cor lapideum*, & alia plura, quæ in ſacra pagina, vel nullo inquiſitionis ſtudio paſſim occurrunt.

Pſalm. 68. Thren. 5. Proverb. 8. Ezech. 3.

Ex Conciliis. Conc. Arauſ. 107. Secundo probatur eadem veritas ex Conciliis, & præcipuè ex Arauſicano 2. nam can. 4. ait: *Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate,* Et can. 5. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam Dei dicit conferri; non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur: aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obediens, & humillimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes, quod non accepiſti? & gratia Dei ſum, id, quod ſum.* Et can. 19. *Natura humana, etiam ſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſe ipſam, creatore ſuo non adiuvante ſervaret. Unde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit*, & can. ultimo. *Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuvamur: ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat.*

Conc. Milev. Conc. Trid. Idem ſtatuunt Concilium Milevitanum *can. 4.* & denique Tridentinum *ſeſſ. 6. capite 5. & 6. & can. 3.* ubi hæc habentur: *Si quis dixerit ſine prævenientе Spiritus ſancti inſpiratione, atque adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Ex Summis Pontif. Cæleſt. I. Leo I. Innocent. I. 108. Tertio, & ultimo habetur hæc veritas ex determinatione Summorum Pontificum Cæleſtini primi *epiſt. 1.* ad Epiſcopos Galliæ *cap. 12.* & Leonis I. *epiſt. 84.* Innocentius primus in reſcriptis ad Concilium Carthaginenſe, & Milevitanum, quæ inter epiſtolam Auguſtini ſunt 91. & 93. Qui Pontifices oppoſitum Pelagianorum, & ſequacium dogma condemnarunt, ut fuſius diximus *diſput. 1. cap. 5. §. 5.*

Ex ſanctis Patribus. Auguſt. Cyprian. Ambroſ. Hieronym. Chryſoſt. Gregor. Hilarius. Fulgent. Theophil. Proſper. Eandem veritatem frequenter tradunt ſacri Doctores Auguſt. *locis ſupra relatis*, & aliis pluribus, Cyprianus in expoſitione orationis Dominicæ, Ambroſ. *libro de converſ. gentium cap. 5. & 7.* Hieronimus *libro 1. contra Pelagian. capite 3.* Chryſoſtomus *hom. 4. ſuper epiſt. 2. ad Theſſal.* Gregorius *lib. 22. Moral. cap. 5.* Hilarius *can. 23. in Matth.* Fulgentius *libro de Incarnatione Chriſti capite 18.* Theophil. *ſuper epiſt. 2. ad Corinth. cap. 12.* & denique Proſper veriſſimus Auguſtini diſcipulus eandem veritatem frequenter repetit, ut *libro contra Collat. cap. 6. & reſponſ. 8. ad cap. Gallor. & in carmine de ingratis cap. 25.* Ubi hæc præclare de gratia profert.

Quæ niſi plena malis non invenit: & niſi donet
Quæ bona ſunt, nihil efficiet bene cæca voluntas.
Hæc ut cuiuſquam ſtudio, affectuque petatur,
Ipſa agit, & cunctis dux eſt venientibus ad ſe:
Perque ipſam niſi curratur, non itur ad ipſam.
Ergo ad iter pariter ſeritur: ſine lumine lumen
Nemo videt: vitam ſine vita inquirere mors eſt.

Effugium. 109. Reſpondebis omnia relata teſtimonia procedere in ſenſu longe diverſo ab eo, quem in aſſertione intendimus: quippe quæ ſolum negant opera viribus naturæ elicita habere rationem meriti, cui gratia debeatur; minimè vero, quod poſſint eſſe diſpoſitiones phyſicæ, quibus aptetur ſubjectum ad gratiam abſque ullis meritis recipiendam: & hoc poſterius erat neceſſarium, ut poſſet ex illis aſſertio noſtra firmari. Idque vel ex eo colligitur, quod frequenter in prædictis teſtimoniis adjiciuntur illæ particulæ *ſicut oportet*: quibus ſatis apertè ſignificatur, quod impotentia, quam libero arbitrio attribuunt, non eſt reſpectu diſpoſitionum phyſice ſumptarum, ſed quatenus moraliter conferunt ad ſalutem, merenturque, aut impetrant divinam gratiam.

Confutatur. 110. Sed contra eſt *primo*: quia licet in nonnullis ex relatis teſtimoniis fiat aliqua mentio meriti, in aliis autem, quæ multò plura ſunt, nulla ratio meriti habetur, ſed ſolius conducentiæ ad conſecutionem gratiæ, ut ex ſola eorum lectione conſtat: atqui diſpoſitio phyſica, & ultima ad aliquam formam nequit non plurimum conferre, ut ſubjectum eam conſequatur, & recipiat: ergo ex prædictis auctoritatibus evincitur impotentia hominis, nedum ut mereatur gratiam ſanctificantem, ſed etiam ut phyſice, & ultimo diſponatur ad ipſam. *Secundo* quia excellentius eſt ponere propriis viribus ultimam diſpoſitionem phyſicam ad gratiam, quam illam promereri, vel impetrare; cum multo major nexus, & proportio inveniatur inter formam, & diſpoſitionem ultimam phyſicam, quam inter formam, & meritum, ut inductive poteſt oſtendi: ergo ſi Scriptura, Concilia, & Patres negant, quòd homo valeat ſuis viribus mereri gratiam ſanctificantem,

cantem, ut interpretatur reſponſio, quam impugnamus à fortiori ſtatuunt, quod homo non valet ſuis viribus ſe ad prædictam gratiam phyſice, & ultimate diſponere. *Tertio* quia ſi ſemel homo poſſet ſuis viribus ſe præparare ſufficienter phyſice ad gratiam ſanctificantem; poſſet quantum eſt ex ſe, illam mereri ſaltem de congruo; ſiquidem actus, quibus diſponeretur ex uno capite eſſent ejuſdem ordinis cum gratia, & ex alio non procederent ab ipſa: ergo è contra ſi nequit homo propriis viribus eam mereri; non poterit ad ipſammet ſe diſponere. Quarto, & præcipuè, quia prædicta teſtimonia aperte damnant aſſerentem, quod poſſit abſque gratia aliquid efficere quoquo modo conducens ad ſalutem: ſed ultima diſpoſitio phyſica ad gratiam confert plurimum ad ſalutem; cum eam infallibiliter inferat: & ea poſita nequit Deus citra miraculum communicationem gratiæ ſupendere: ergo damnant aſſerentes, quod poſſit homo ſuis viribus ſe phyſice, & ultimo diſponere ad gratiam ſanctificantem. Per quód evaneſcit id, quod in hac evaſione addebatur: nam diſponere *phyſice* non eſt additum diminuens, ſed potius exaggerat vim diſpoſitionis, & nexum ejus cum forma: atque ideò ſi ex illis particulis *ſicut oportet* evincitur impotentia hominis ad diſpoſitionem moralem reſpectu gratiæ, multo magis colligetur inſufficientia ad diſpoſitionem phyſicam.

§. III.

Probatur concluſio ratione D. Thomæ.

Ratio pro eadem veritate. D. Thom.

111. SEcundo ſuadetur aſſertio communis ratione deſumpta ex D. Thoma *in præſenti art.* 6. quæ poteſt ad hanc formam reduci: quoniam ad idem agens ſpectat introducere formam, & ultimam diſpoſitionem ad formam: ſed ſolus Deus ut auctor ſpecialis, & ſupernaturalis producit gratiam in anima, ut infra oſtendemus diſput.... dub.... ergo ad ſolum Deum auctorem ſpecialem ſupernaturalem ſpectat producere ultimam diſpoſitionem ad gratiam: atqui repugnat hominem ſuis viribus attingere id, ad quod requiritur concurſus ſpecialis Dei auctoris ſupernaturalis; ſiquidem implicat deſiderari concurſum ſpecialem ſupernaturalem ad id, ad quod ſufficiunt vires naturales humanæ, ut ex terminis conſtare videtur: ergo homo nequit ſuis viribus efficere ultimam, diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem. Cætera conſtant, & major, in qua ſola poterat eſſe difficultas, eſt ſatis manifeſta tum inductione: nam ignis, qui introducit formam ignis, introducit etiam calorem ut octo, qui eſt ultima diſpoſitio ad prædictam formam: & equus generans equum, ejuſque formam educens introducit etiam diſpoſitiones ad illius formam requiſitas, & ſic de aliis. Immo vero ſi loquamur de forma ſubſtantiali, & de agente naturali, eatenus agens introducit formam, quatenus inducit ultimam diſpoſitionem antecedentem; ſiquidem forma ſubſtantialis non fit per actionem ab alteratione diſtinctam, ſed per actionem terminatam immediate ad diſpoſitiones, ut bene oſtendunt N. Complutenſes *in libro de generat. diſp.* 1. *quæſt.* 2. Tum etiam ratione: quoniam diſpoſitio ultima vel conſequitur ſimpliciter formam, uti ſe habet calor ut octo ad formam ignis; vel ad eam inducendam tendit per ſe, & immediate, ſicut comparatur calor ut ſeptem ad eandem formam: ſed repugnat, quod aliquid diſtinctum ab agente inducente formam, vel producat id, quod formam conſequitur; ſiquidem qui dat formam, dat conſequentia formam: vel efficiat id quod ad inferendam formam, tendit per ſe, & immediate; cum ſupponatur non poſſe prædictam formam producere: ergo ad agens, quod producit formam, pertinet efficere ultimam diſpoſitionem ad illam.

Noſtri Complutenſes.

112. Confirmatur, & expenditur amplius vis hujus argumenti ex Divo Thoma 3. *contra gentes cap.* 149. ratione prima: quoniam materia nequit ſe diſponere ad formam, ſed debet ab agente diſponi: atqui homo conſideratus ſecundum ſua naturalia ſe habet ut materia reſpectu gratiæ ſanctificantis: ergo nequit ſuis viribus ſe ad illam præparare. Major conſtat: quia diſponere ad formam eſt efficere diſpoſitiones ad formam requiſitas: ſed efficere diſpoſitiones non ſpectat ad materiam; cum hæc ad eaſdem comparetur per modum potentiæ receptivæ: & unumquodque agat ſecundum quod eſt in actu: ergo materia non ſe diſponit ad formam: ſed id munus agenti attribuendum eſt. Minor etiam liquet: quia homo nullam activitatem proximam habet in gratiam ſanctificantem, ſed meram potentiam obedientialem: ergo comparatur per modum materiæ ad ipſam. D. Thom.

113. Cæterum adverſus hanc rationem, & confirmationem plura ſe offerunt, quæ videntur earum vim imminuere. *Primò* quia homo nequit efficere animam rationalem; cum hæc à ſolo Deo per actionem creativam producatur: & tamen poteſt diſponere materiam ad receptionem animæ; alias non poſſet alterum hominem generare: ergo falſum eſt, quod ad idem agens ſpectet producere formam, & diſpoſitiones ad illam: poteritque proinde homo per proprias vires efficere ultimam diſpoſitionem ad gratiam, quamvis hanc nequeat producere. *Objectiones contra noſtram rationem. Prima.*

114. *Secundo* quia ex oppoſito fieret, quod homo non poſſet adhuc per auxilia ſupernaturalia ſe diſponere per modum cauſæ principalis ad receptionem gratiæ: conſequens eſt omnino abſurdum: ergo, &c. Sequela oſtenditur: quia homo etſi adjuvetur ſupernaturalibus auxiliis, nequit gratiam ſanctificantem per modum cauſæ principalis producere, ut lóco citató oſtendemus; ergo ſi ad idem agens ſpectat producere formam, & diſpoſitiones ad illam; ſequitur, quod homo etiam adjutus auxiliis ſupernaturalibus nequeat principaliter producere diſpoſitiones ad gratiam requiſitas. Minor etiam conſtat: quia homo ultimo diſponitur ad gratiam per converſionem actualem ad Deum finem ſupernaturalem, quæ invenitur vel in amore charitatis, vel in contritione orta ex eodem amore: atqui homo concurrit principaliter ad hos actus, & quia vitales, & quia meritorij ſunt: ergo abſurdum eſt, quod homo non efficiat per modum cauſæ principalis diſpoſitiones deſideratas ad gratiam habitualem. *Secunda.*

115. *Tertiò* quia ſi daretur ſtatus integritatis, non valeret homo propriis viribus producere prædictam integritatem; alias hæc non haberet rationem gratiæ ſimpliciter, ſed potius eſſet proprietas, vel quidam effectus naturæ: atqui poſſet tunc homo propriis viribus ſe diſponere ad integritatem hujuſmodi: ergo quamvis homo nequeat propriis viribus efficere gratiam ſanctificantem; poterit tamen producere diſpoſitiones deſideratas ad illam. Conſequentia videtur nota à paritate rationis. Minor autem ſuadetur: quoniam *Tertia.*

niam diſpoſitio requiſita ad integritatem naturalem non in alio conſiſteret, quam in cognitione, & amore Dei finis naturalis; ſiquidem ex uno capite illa integritas, ut pote naturalis entitative non poſceret diſpoſitiones ſupernaturales: & ex alio capite prædicti actus ſunt inter naturales nobiliſſimi: atqui poſſet homo propriis viribus elicere cognitionem, & amorem Dei finis naturalis, ut conſtat ex dictis *diſp. præced.* ergo poſſet homo propria virtute ſe diſponere ad integritatem naturalem.

Quarta. D. Thom. 116. *Quartò* nam ut inquit D.Thom. in hoc artic. *Hoc eſt ſe præparare ad gratiam quaſi ad Deum converti. Sicut ille, qui habet oculum averſum à lumine ſolis, per hoc ſe præparat ad recipiendum lumen ſolis, quod oculos ſuos convertit verſus ſolem:* ſed licet homo nequeat propriis viribus efficere lumen ſolis; valet tamen ſe convertere ad ſolem, qua converſione diſponitur ad recipiendum prædictum lumen: ergo quamvis nequeat propriis viribus efficere gratiam ſanctificantem; poterit nihilominus propria virtute ſe in Deum convertere, atque ideo ſe ad gratiam præparare: alias improportionatum eſſet exemplum, quo utitur S.Doctor.

Quinta. *Quintò* quoniam in reconciliatione facta inter homines, quamvis ad ſolum offenſum pertineat ponere formam, aut quaſi formam moralem remiſſivam offenſæ, & reconciliantem ſibi offendentem; ad hunc tamen ſpectat ponere diſpoſitionem requiſitam ad prædictam formam, ut puta ſummiſſionem, & dolorem culpæ præteritæ: ergo in reconciliatione hominis cum Deo, quæ fit per gratiam, licet pertineat ad Deum producere formam remiſſivam offenſæ, nempe gratiam ſanctificantem, homo tamen poterit propriis viribus efficere diſpoſitiones requiſitas ad infuſionem prædictæ gratiæ.

Sexta. *Sextò*, & ultimo: quia quamvis homo ſe habeat per modum materiæ reſpectu gratiæ ſanctificantis, tamen reſpectu diſpoſitionum ad gratiam ſe habet per modum agentis, cum ad eas concurrat vitaliter: ergo ex eo, quod nequeat ſuis viribus efficere gratiam, minime evincitur, quod non valeat diſpoſitiones ad ipſam producere.

Obiectionum enodatio. 117. Hæc tamen non enervant rationem D.Thom. ſed compellunt duntaxat, ut eam amplius explicemus: quod præſtabimus diluendo ſingulas objectiones. Ad primam ergo reſpondetur, quod ſicut homo non producit animam rationalem, ita nec producit illam diſpoſitionem, quæ ad animæ fieri concurrat: nam anima cum fiat per creationem, ſicut non dependet in ſuo fieri à materia: ita nec dependet ab illis diſpoſitionibus: eæ quippe ex parte ſubjecti ſe tenent.

Ad primam. Concurrit tamen homo ad producendum animam rationalem ut unitam, ſeu, quod idem eſt, ad efficiendam unionem: & hoc pacto etiam habet vires ſufficientes, ut producat diſpoſitiones, quæ ad unionem, vel ad formam ut unitam deſiderantur. Unde ex vi hujus exempli potius verificatur ſpectare ad idem agens producere formam, & diſpoſitiones ad illam.

Replica. Dices: ergo ſicut homo non efficit animam rationalem, unit tamen eam, & ultimo diſponit ad ipſam recipiendam: ita quamvis non efficiat gratiam ſanctificantem, poterit tamen eam unire, & ſe ultimo diſponere ad infuſionem illius.

Solvitur. Reſpondetur negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod gratia ſanctificans ut pote forma accidentalis, & producta per eductionem, debet per eandem actionem fieri, & uniri: eſt quippe de conceptu eductionis, quod ſimul producat, & uniat, ut docent Noſtri Complutenſes *in libro Phyſic. diſput. 4. quæſt. 2.* *Noſtri Complutenſes.* Unde cum ſolus Deus per modum cauſæ principalis producat gratiam ſanctificantem, ad ipſum ſolum ſpectat gratiam animæ infundere, atque unire. Anima autem rationalis ut pote per creationem producta per unam actionem fit, & per alteram unitur materiæ: unde licet à ſolo Deo producatur, locus tamen relinquitur homini generanti, ut ipſam materiæ annectat efficiendo modum unionis. Præterquam, quod anima rationalis, & unio illius ad materiam ſunt ordinis naturalis, & non excedunt perfectionem hominis generantis: unde non eſt, cur iſta non valeat prædictam unionem attingere, & materiam ultimo præparare. Gratia autem, & illius communicatio ſunt ordinis divini, & fiunt à Deo auctore ſupernaturali: quamobrem homo ſibi relictus non poteſt efficere nec gratiam, nec ejus unionem, nec ultimam diſpoſitionem ad illam.

Ad ſecundam negamus ſequelam: quia licet *Ad ſecundam.* agens producens formam debeat etiam producere diſpoſitiones ad illam: & hinc optime colligat D. Thom. quod ſi Deus ut auctor ſupernaturalis efficit gratiam ſanctificantem, debeat eſſe cauſa ſpecialis diſpoſitionum, quæ ad gratiam requiruntur. Ex quo ulterius recte infertur prædictas diſpoſitiones eſſe effectum proprium agentis ſupernaturalis, ſubindeque fieri non poſſe per ſolas vires naturæ. E converſo autem non valet, quod qui nequit producere formam, nequeat ſaltem in virtute ejuſdem formæ producere ultimam diſpoſitionem concomitantem, ſeu conſequens. Et ratio quantum ad præſentem materiam eſt: nam ultima diſpoſitio concomitans gratiam, nempe amor Dei, vel contritio oritur ab ipſa gratia ſanctificante, ut late oſtendemus *in Tract. de Juſtificat. diſput. 3. dub. 4.* Unde licet homo nequeat gratiam principaliter producere, cum nihil habeat in ſe, per quod illam præcontineat, poteſt nihilominus per eam conſtitutus influere principaliter in actus, quibus ad eam diſponitur: & ideo verificatur, quod non poſſit efficere formam, & tamen valeat efficere diſpoſitiones concomitantes, & requiſitas ad ipſam.

Diximus *ultimam diſpoſitionem concomitantem, ſeu conſequentem:* quia ſi loquamur de ultima diſpoſitione antecedenti ad formam ſubſtantialem ſolus ille valet prædictam diſpoſitionem producere, qui valet efficere talem formam: eo quod forma ſubſtantialis reſultat in genere cauſæ efficientis, & abſque nova actione ex prædicta diſpoſitione antecedenti: unde hanc efficiens efficit etiam formam, juxta illud, quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati in eodem genere cauſæ: cujus oppoſitum contingit in diſpoſitionibus conſequentibus ob oppoſitam rationem. Cæterum reſpectu gratiæ ſanctificantis nulla datur diſpoſitio phyſica antecedens, ex qua reſultet per ſequelam naturalem, & quæ poſſit in hoc ſenſu vocari ultima: nam poſito quocumque actu gratiam ſimpliciter antecedente, poteſt infuſio gratiæ impediri: quocirca ſola diſpoſitio concomitans & conſequens poteſt ultima appellari. Et ideo abſolute verificatur ſolum illud agens poſſe propria virtute producere ultimam diſpoſitionem ad gratiam, qui ſua virtute valet gratiam efficere quod ſoli Deo convenit, ut conſtat ex dictis.

Ad tertiam negamus minorem: quoniam ſi *Ad tertiam.* loquamur de diſpoſitionibus antecedentibus: nulla daretur, quæ phyſice, & ex natura rei con-

nectetur

Digitized by Google

nectceretur cum integritate naturali, eamque naturali ſequela inferret: ſicut nec modo reſpectu gratiæ ſanctificantis datur hujuſmodi diſpoſitio. Actus enim cognitionis, & amoris Dei finis naturalis, qui ſoli poſſent habere rationem diſpoſitionis antecedentis conſiderati ſecundum ſe, nullam connexionem, aut vim habent, ut phyſice inducant naturalem integritatem. Si autem ſermo ſit de diſpoſitionibus conſequentibus, & concomitantibus, darentur profecto aliquæ diſpoſitiones phyſicæ cum prædicta integritate connexæ: & hujuſmodi eſſent cognitio, & amor Dei finis naturalis non quidem conſiderati ſecundum ſe, ſed ut affecti quodam modo, quem ab ipſa integritate participarent: nam ſicut amor charitatis procedens à gratia ſanctificante diſponit phyſice, & concomitanter ad ipſam, ita amor peculiariter ortus ab illa integritate ad eamdem met diſponeret. Hinc tamen non concluditur, quod poſſit homo propriis viribus ſe diſponere ad naturalem integritatem; quandoquidem non eliceret actus, quibus ad eam diſponeretur, niſi ut conſtitutus, & perfectus per ipſam integritatem: ſicut nec elicit diſpoſitiones concomitantes gratiam, niſi ut adjutus, & elevatus per ipſam gratiam.

Objectio incidens diſſolvitur. Nec ex hoc infertur, quòd ſicut homo poſſet propriis viribus elicere actus, quibus diſponeretur ad integritatem naturalem, conſideratos ſecundum ſuam ſubſtantiam, quamvis non ut affectos illo modo, quem ab ipſa integritate participarent: ita valeat modo propriis viribus elicere actus, quibus diſponitur ad gratiam ſanctificantem, ſecundum entitatem acceptos, licet non ut præditos perfectione, quam ab ipſa gratia derivant. Hoc, inquam, non ſequitur ob manifeſtam diſparitatem: nam gratia ſanctificans, cum ſit forma entitative ſupernaturalis, petit diſpoſitiones etiam ſupernaturales entitative, quales ſunt amor charitatis, & contritio orta ex eodem amore: unde diſpoſitiones requiſitæ ad gratiam ſanctificantem excedunt tam ſecundum modum, quàm ſecundum ſubſtantiam vires naturales creatæ: & conſequenter ſecundum neutram rationem queunt prædictis viribus effici. Cæterum integritas naturalis eſt naturalis entitative, ut liquet ex terminis, & ſolum poſſeſſive gratioſa: quocirca nequit petere pro diſpoſitione actus entitative ſupernaturales. Nullus autem eſt actus naturalis, qui conſideratus diviſim, & ſecundum ſolam ſubſtantiam excedat facultatem liberi arbitrij, ut liquet ex dictis diſput. præced. fere per totam, & ideo poſſet homo propriis viribus elicere actus diſponentes ad integritatem naturalem, non ut diſponentes, ſed ſecundum ſubſtantiam acceptos. Quia tamen prædicta integritas eſſet ſupra vires humanas, non poſſent non diſpoſitiones pro illa requiſitæ, quatenus tales eaſdem vires aliquomodo excedere: qui modus conſiſteret in peculiari perfectione, qua actus naturales ut orti à prædicta integritate gauderent: ſecundum quam rationem & virtutem hominis propriam excederent, & ad integritatem diſponerent. Quod poteſt declarari exemplo actus fidei, qui eſt in genere cognitionis ultima diſpoſitio concomitans, & conſequens gratiam ſanctificantem: nam licet prædictus actus ſecundum ſuam ſpeciem acceptus poſſit abſque gratia ſanctificante haberi, nec cum illa connectitur: tamen quatenus eſt ultima diſpoſitio ad ipſam dicit peculiarem modum perfectionis, quem ab eadem gratia media charitate participat: ratione cujus nequit fieri per ſolum habitum fidei, & importat ſpecialem nexum cum ipſa gratia ſanctificante, ad quam diſponit.

118. Ad quartam omittendo præmiſſas, negamus conſequentiam: primo quia lux ſolis, cum ſit naturalis, ſolum petit ad ſui communicationem converſionem naturalem, quam certum eſt non excedere vires hominis. Gratia autem, ut pote ſupernaturalis forma, petit in homine averſo à Deo converſionem ſupernaturalem, quæ per vires naturales haberi nequit, ut ſatis ex ſe conſtat. Secundo, & præcipue, quia converſio ad ſolem non eſt proprie loquendo diſpoſitio inducens lucem, ſed ſolum quædam conditio, quæ debet præſupponi tam ad lucem, quam ad ultimam diſpoſitionem pro luce deſideratam. Unde ex prædicto exemplo nec evincitur, quod agens impotens inducere formam valeat ſuis viribus producere ultimam diſpoſitionem ad illam; nec infertur, quod homo poſſit producere ſuis viribus converſionem ad Deum finem ſupernaturalem, quæ pro infuſione gratiæ requiritur: hæc quippe converſio non eſt ſola conditio, ſed eſt vera, & phyſica diſpoſitio cauſans, & inferens in ſuo genere gratiam, ut dicemus Tractat. de Iuſtificat. diſput. 3. dub. 5. Nec tamen ſequitur, quod D. Thom. minus recte adduxerit prædictum exemplum: quoniam Sanctus Doctor intendit docere, quod ſicut ad recipiendum lucem à ſole requiritur, quod homo ad ſolem ſe convertat; ita ad hoc, quod homo participet à Deo gratiam, deſideratur, quod ſe convertat in Deum. Quæ eſt ſatis propria, & elegans ſimilitudo, tenetque in eo, pro quo adducitur. Cum hoc autem recte cohæret, quod converſio ad ſolem, & converſio ad Deum plurimum differant inter ſe: nam exemplum non tenet in omnibus, ut eſt vulgare proloquium. *Ad quartam*

Ex quibus liquet ad quintam objectionem: nam in reconciliatione facta inter homines tam ſubmiſſio, qua offendens ſe ſubjicit, & diſponit; quam remiſſio offenſæ, qua offendens veterem amicitiam retinuit, & novam amicitiam inſtaurat, ſunt ejuſdem ordinis: unde poteſt offendens ponere diſpoſitionem, quantum eſt de ſe, ſufficientem, ut conſequatur reconciliationem alterius. Quia tamen prædicta diſpoſitio non eſt phyſica; ſed moralis: neceſſaria eſt alterius acceptatio, ut ſortiatur effectum, pro quo exhibetur. Diſpoſitio autem ultima ad gratiam ſanctificantem debet eſſe ejuſdem ordinis, & habere phyſicam connexionem cum illa: unde cum homo nequeat ſuis viribus ponere aliquid ejuſdem ordinis cum gratia, & phyſice cum illa connexum; ſequitur, quòd non poſſit ſe ultimo ad prædictam gratiam diſponere. Quod magis conſtabit §. *ſequenti.* *Ad quintam.*

Ad ſextam, & ultimam dicendum eſt, quod hoc ipſo, quod homo ſe habeat per modum materiæ ad gratiam ſanctificantem; recte infertur, quòd ſecundum ſua naturalia conſideratus etiam ſe habeat per modum materiæ reſpectu ultimæ diſpoſitionis ad gratiam. Nam cum non detur aliqua ultima diſpoſitio neceſſario connexa cum gratia, niſi illa, quæ eandem met comitatur, & conſequitur, ut ſupra diximus, & alibi ex profeſſo oſtendemus: nequit homo, ut prævenit ipſam gratiam, & ſecundum ſe conſideratus, prædictam diſpoſitionem efficere, ſed eſt in potentia tam ad gratiam, quam ad diſpoſitionem. Cum quo tamen recte cohæret, quod gratia ſemel adjutus in diſpoſitiones active influat: atque ideo quod non ſe habeat pure paſſive reſpectu ipſarum *Ad ſextam.*

rum, licet comparatus, ut materia reſpectu gratiæ.

Additio. Immo vero (ne propriæ ſententiæ videamur alligare communem doctrinam) quamvis amor charitatis, aut contritio non oriantur à gratia ſanctificante, ad quam diſponunt: adhuc tamen confirmatio in ſuo robore permaneret: nam qui habet propriam efficacitatem ad diſpoſitionem ultimam antecedentem, influit etiam active in formam: unde vel non ſe habet, ut pura materia reſpectu formæ, vel ſe habere etiam debet ut materia reſpectu diſpoſitionis antecedentis. Cum ergo certum ſit, quod homo ſe habeat ut materia reſpectu gratiæ ſanctificantis; ſequitur, quod ſecundum ſe conſideratus non habeat activitatem reſpectu ultimæ diſpoſitionis ad ipſam. Semel autem elevatus per auxilium ſupernaturale influit per modum cauſæ principalis in diſpoſitiones, non autem in gratiam: quia virtus auxilij eſt ſufficiens ad continendum per modum virtutis proximæ, & adæquatæ actus ſupernaturales, minime verò gratiam ſanctificantem. Agens vero, cui virtus proxima pro diſpoſitionibus ad gratiam eſt propria, & connaturalis, etiam habet virtutem ſufficientem ad ipſam gratiam; cum illa prior virtus non diſponat ad gratiam, niſi ut derivata ab eo, qui poteſt gratiam producere, & ut ſubeſt illius intentioni. Unde ſi homo propria virtute poſſet efficere diſpoſitiones ad gratiam, poſſet etiam ſaltem per aliam actionem ipſam gratiam efficere. Et è converſo ſi ſe habet ut materia reſpectu gratiæ; neceſſum eſt, quod ſecundum ſe conſideratus ſe habeat etiam ut materia reſpectu diſpoſitionum.

§. IV.

Propugnatur eadem concluſio alio argumento.

Alia ratio pro vera ſententia. 119. Secundum, & ſatis urgens fundamentum noſtræ ſententiæ deſumitur ex his, quæ in tota hac diſputat. diximus, poteſtque ad hanc formam reduci: quoniam ultima diſpoſitio ad gratiam conſiſtit in actibus amoris Dei finis ſupernaturalis, & contritionis ortæ ex eodem amore: ſed homo nequit ſuis viribus efficere hujuſmodi actus: ergo nequit ſe ultimo ad gratiam præparare. Major eſt certa: tum quia ita docent communiter Theologi: tum quia nulli alij actus aptius, & intimius ad gratiam præparant: ergo vel non datur ultima diſpoſitio ad gratiam, vel debet ejus ratio prædictis actibus convenire. Minor ſuadetur: quia actus habentes objectum formale ſupernaturale ſunt ſupernaturales ſecundum ſpeciem, excedu ntque proinde vires hominis naturales, ut late oſtendemus dub. 2. Sed amor Dei finis ſupernaturales, & contritio ab illo orta tendunt in objecta formaliter ſupernaturalia, ut ſatis ex ſe liquet: ergo nequeunt elici ab homine ſuis viribus relicto.

Confirmatur. Confirmatur: quia ultima diſpoſitio ad gratiam connectitur cum ea ex natura rei: ſed implicat, quod homo per vires naturales producat aliquid ex natura rei connexum cum gratia ſanctificante: ergo homo per proprias vires nequit ultimo ad gratiam ſanctificantem ſe præparare. Major conſtabit ex dicendis *Tractatu de juſtificat. diſput. 3. dub. 1. & 5.* & nunc poteſt breviter oſtendi: tum inductive in aliis formis, & diſpoſitionibus ad formas naturales: nulla quippe eſt ultima diſpoſitio ad formam naturalem, quæ non nectatur ex natura ſua cum ipſa forma: quia vel conſequitur ſine nova actione ad formam, ſicut calor ut octo ad formam ignis; vel è converſo forma ſequitur ad ipſam, ſicut forma ignis calorem ut ſeptem. Tum etiam quia id, quod ex natura ſua non affert formam, non eſt, cur dicatur ultima diſpoſitio ad ipſam; quandoquidem ea poſita, poteſt adhuc poni alia ultimior, & intimior diſpoſitio: ergo ut aliquid ultimo diſponat ad gratiam, debet cum ea ex natura rei connecti. Minor autem probatur: quoniam quidquid homo per vires naturales producit, eſt entitative naturale: alias effectus excederet virtutem cauſæ: ſed id, quod eſt naturale, nequit ex natura ſua connecti cum gratia ſanctificante, quæ eſt forma nobiliſſima ſupernaturalis, ſiquidem pertinet ad ordines longe diverſos, & valde differant inter ſe, & ſupernaturalia ſunt ſupra exigentiam, & vim naturæ, ut ſatis ex ſe conſtat: ergo implicat, quod homo per vires naturales producat aliquid ex natura rei connexum cum gratia ſanctificante. Et ideo quantumcumque illas exerat, niſi gratia adjutus gratiam ſanctificantem non aſſequetur, juxta illud Bernardi in libro de gratia & libero arbitr. *Conatus noſtri & caſſi ſunt, ſi non adjuventur, & nulli, ſi non excitentur.* Et Greg. hom. 9. in Ezech. *Nos, inquit, prævenit, ut velimus; & volentes ſubſequitur, ne inaniter velimus.* *D. Bernard.* *D. Gregor.*

120. Huic argumento, & confirmationi occurres primo ex doctrina Cajetani infra referendi negando, quod actus diſponentes ad gratiam ſanctificantem debeant fieri ex motivo ſupernaturali, vel habere connexionem ex natura rei cum gratia. Satis enim eſt, quod ſint actus ordinis inferioris, acceptati tamen à Deo auctore ſupernaturali in ordine ad formam ſupernaturalis ordinis. Quod declarari poteſt cum in naturalibus, cum in ſupernaturalibus. In illis quidem: quia diſpoſitiones corporeæ queunt devenire ad introductionem formæ ſpiritualis, ut conſtat in generatione hominis. In his autem quia attritio entitative naturalis poteſt eſſe ultima diſpoſitio ad gratiam collatam in Sacramento pœnitentiæ, ut docent Victoria, Cano, & Sotus *libro 2. de natura & gratia capite 3.* Cur ergo in juſtificatione facta extra ſacramentum non poterunt actus pure naturales diſponere ad gratiam ſanctificantem, ſi in ordine ad hunc finem acceptentur à Deo. *Primum effugium.* *Cajet.* *Victoria.* *Cano.* *Sotus.*

Confutatur. Cæterum hæc reſponſio nullatenus poteſt ſuſtineri: *Primò*, quia ut ipſius ſe diſponat ad ſuam juſtificationem, requiritur gratia excitans, & adjuvans: atqui extrinſeca Dei acceptatio, nec excitat, nec adjuvat; cum pure extrinſeca ſit, actuſque ſupponat: ergo eſt inſufficiens, ut homo diſponatur ad gratiam. Minor, & conſequentia conſtant. Major autem habetur expreſsè in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 4.* his verbis. *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur.* *Secundò*, quia ut homo ſe præparet ad gratiam, indiget gratia interiori: ſed externa acceptatio non eſt gratia interior, ut liquet ex terminis: ergo non ſufficit, ut homo diſponatur ad gratiam. Major probatur tum ex verbis nuper relatis *Conc. Trid.*

Trident. relatis Concilij Trident. quibus ſtatim ſubjungit: *Ita ut tangente Deo cor hominis per ſpiritus ſancti illuminationem:* quæ ſatis aperte ſignificant gratiam internam. Tum etiam ex SS. Patribus, & præcipuè ex Auguſt. *epiſt.* 107. *& lib. de prædeſtinat. SS. cap.* 19. *&* 20. *& lib. de gratia Chriſti cap.* 24. ubi ait: *Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Cui doctrinæ conſonat omnino D.Thom. *in hoc articulo* ubi ait, *quod ut homo ſe diſponat ad gratiam ſanctificantem, oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis.* Quòd etiam tradit *quodl.* 1. *art.* 7. & alibi ſæpè.

(Margin: Auguſt. — D.Thom.)

Tertiò, quia agens, & finis mutuo ſibi correſpondent: ſed Deus concurrens ad actus, quibus homo diſponitur ad gratiam intendit immediate aliquem finem ſupernaturalem: ergo influit active in eoſdem actus per modum agentis ſupernaturalis: atqui virtus agentis, & modus concurrendi debet relucere in effectu: ergo actus, quibus homo diſponitur ad gratiam, debent non ſolum acceptari in ordine ad finem ſupernaturalem; ſed etiam habere aliquam ſupernaturalitatem in ſe ipſis.

Ad hæc in præſenti dubio non loquimur de eo, quod Deus poteſt decernere, ut ſe habeat tanquam diſpoſitio, vel potius ut conditio moralis ad infuſionem gratiæ; ſed de diſpoſitionibus, quæ attentis naturis rerum ad recipiendam gratiam deſiderantur, & præparant: at hæc poſterior ratio nequit competere actibus pure naturalibus, quantumvis acceptentur à Deo: ergo doctrina illa Cajetani vim argumenti noſtri non evacuat.

Exempla inducta nihil probant. Ad primum autem exemplum in contrarium inductum reſpondemus diſpoſitiones ad animam rationalem, & ipſam animam eſſe ejuſdem ordinis naturalis. Quod autem illæ ſint corporeæ, & anima ſpiritualis, nihil refert: ſicut nec quod illæ ſint accidentia, & hæc ſubſtantia. Quoniam licet anima ſit ſpiritualis entitative, eſt tamen corporea ut *quo*, & vera forma corporis: unde ſicut petit unici ſubjecto corporeo, & per unionem corpoream, ita etiam poſtulat, quod accidentia ad ipſam præparantia, ac determinantia ſubjectum corporea ſint: hæc quippe in virtute animæ rationalis hominis generantis, cui in diſponendo ſubduntur, poſſunt materiam, & expurgare à contrariis impedimentis, & trahere, ac ſigillare ad receptionem animæ rationalis. Actus vero pure naturales non ſunt ejuſdem ordinis cum gratia, nec habent aliquid intrinſecum, per quod ad eam peculiariter determinent: unde nequeunt obire officium diſpoſitionis reſpectu illius.

Ad ſecundum reſpondetur primo, quod aliud eſt loqui de diſpoſitione ſufficienti ad valorem ſacramenti, aliud vero de diſpoſitione requiſita ad infuſionem gratiæ intra ſacramentum. Licet ergo admitteremus cum aliquibus antiquis, quos ſequitur

Bonacina. Bonac. *tom.* 1. *tr. de ſacr. diſp.* 5. *q.* 3. *punctio* 2. *n.* 11. ſufficere ad valorem ſacramenti pœnitentiæ dolorem naturalem: minime tamen valemus admittere, quod ſufficiat in ratione diſpoſitionis ad gratiam ſanctificantem, ut videre eſt apud prædictos Auctores. Qui potius hòc pacto conantur ſalvare, quod detur Sacramentum pœnitentiæ informe: quia videlicet attritio naturalis ſufficit ad valorem ſacramenti, non autem ad infuſionem gratiæ ſanctificantis: eo quod diſpoſitio debeat eſſe ejuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit. Quod potius infirmat rationem ſuperius factam.

Secundo, & melius reſpondetur attritionem naturalem ad neutrum munus valere, ut rectè docent Medina *in præſenti*, Arauxo 3. *p. q.* 84. *art.* 1. *dub. ultimo num.* 48. Curiel *ubi ſupra concl. ultima*, & alij, quos refert N. à Jeſu Maria *tr. de pœnit. cap.* 5. *dub. unico num.* 17. Et ratio, aliis nunc relictis, eſt: quoniam dolor quatenus pars eſſentialis pœnitentiæ debet eſſe *donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus*, ut loquitur Concilium Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. & regulari per fidem, & includere propoſitum adimplendi præcepta nedum naturalia, ſed etiam ſupernaturalia, & deteſtari peccata illis oppoſita: attritio autem pure naturalis id non habet: unde nequit deſervire ad gratiæ communicationem, nec ad ſacramenti valorem.

(Margin: Medina. Arauxo. Curiel. N à Jeſu Maria. — Conc. Trid.)

121. Reſpondebis ſecundo cum Scoto, & Gabriele infra referendis, quod ut homo ſe diſponat ad gratiam ſanctificantem per aliquid ordinis ſupernaturalis, & connexum cum gratia, ſufficit, quod actus entitativè naturales eleventur per quemdam modum intrinſecum ordinis ſupernaturalis, ad quem gratia excitans & adjuvans per ſe concurrant, quin opus ſit elicere actus ſupernaturales entitative: nam actus prædicto modo elevati, & tendunt in finem ſupernaturalem, & poſſunt cum gratia ſanctificante connecti. *Altera ſolutio.* Scotus. Gabriel.

Hæc tamen ſolutio poteſt efficaciter refelli: *Præcluditur.* tum quia jam admittit eſſe neceſſarium modum ſupernaturalem intrinſece afficientem actus humanos, ut ij valeant ad gratiam diſponere: ſed homo nequit propriis viribus prædictum modum producere; cùm ad eum requiratur gratia excitans, & adjuvans, ut hæc ſolutio negare non audet: ergo homo non valet propriis viribus ſe ad gratiam ſanctificantem diſponere. Patet conſequentia: quia ut ſe diſponere poſſet, debebat influere ſuis viribus in actus non materialiter acceptos, ſed quatenus important modum elevationis, ratione cujus habent ad gratiam conducere. Tum etiam quia diſpoſitiones ultimæ ad alias formas entitative acceptæ ſunt eiuſdem ordinis cum ipſis, ut inductive poteſt oſtendi: ergo idem dicendum eſt de ultima diſpoſitione ad gratiam ſanctificantem: cum non poſſit aſſignari rationabilis cauſa differentiæ. Tum præterea quia actus ultimo diſponentes ad gratiam ſanctificantem regulantur, ut diriguntur per lumen fidei infuſæ: hæc quippe proponit obiectum & finem, in quæ tendit homo ſe ad iuſtificationem præparans: ſed actus, qui regulantur per fidem infuſam, ſunt in ſua ſpecie ſupernaturales; cum tendant in ſupernaturale obiectum per fidem acceptum, & propoſitum: ergo ſunt ſupernaturales nedum quoad modum, ſed etiam quoad entitatem. Tum denique quia actus ſecundum illam rationem debet eſſe ſupernaturalis, ſecundum quam diſponit ad gratiam, & connectitur cum ea: ſed actus diſponentes ultimo ad gratiam habent ad eam conducere non ratione huiuſmodi ſuperadditi, ſed per ſuam ſpeciem, & entitatem; ſiquidem ſi ſemel ſunt in ſua ſpecie naturales, nequit explicari in quo conſiſtat ille modus ſupernaturalitatis, ratione cuius conducunt, ut late oſtendimus *dubio* 1. *numero* 30. ergo actus ultimo diſponentes ad gratiam ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, & connectuntur cum illa.

122. Sed obiicies primo; quia non magis re- *Obiicitur primo.* quiritur, ut aliquid diſponat ad formam ſupernaturalem, quam ut eam mereatur de condigno: ſed homo per actus entitativo naturales, & elevatos per

Digitized by Google

per quendam modum derivatum à charitate, illiſque impreſſum poteſt mereri de condigno aliquam formam ſupernaturalem videlicet beatitudinem, & gratiæ augmentum, ut docent communiter Theologi in Tract. de Merito: ergo pariter per actus entitative naturales elevatos per aliquem ſupernaturalem modum poterit ſe diſponere ad gratiam ſanctificantem. Conſequentia videtur legitima. Maior autem ſuadetur: quoniam meritum de condigno habet æqualitatem cum præmio: diſpoſitio autem, quæcumque ſit, eſt inferior reſpectu formæ, ad quam diſponit: ergo non magis requiritur ad diſponendum, quam ad merendum aliquam formam.

Satiſfit objectioni.

Reſpondetur rationem meriti reſpectu beatitudinis ſupernaturalis reperiri primario in actibus charitatis; in aliis vero actibus, & præcipue in naturalibus, ſolum reperiri ſecundario, quatenus fiunt ex imperio charitatis, & participant ordinem ad finem ultimum, ut docet D. Thom. *infra quæſt.* 114. *art.* 4. & *ibidem* oſtendemus *diſp.* 4. *dub.* 1. Quo etiam pacto poſſemus concedere, quod aliqui actus entitative naturales queunt ad gratiam diſponere, ſi participent aliquem modum intrinſecum derivatum ab ultima diſpoſitione ad gratiam, quæ ſit ſupernaturalis entitative, nempe ab actu charitatis, aut contritionis, formaliter, vel virtualiter concurrente; quem dicendi modum non reprobavimus *in Tract. de peccatis diſp.* 20. *à num.* 34. Cæterum ſicut impoſſibile eſt, quod ratio meriti præmij ſupernaturalis inveniatur in actibus naturalibus, niſi ſupponat charitatem, & fiant ex imperio illius: ita impoſſibile eſt, quod actus naturales diſponant ſaltem ultimo ad gratiam, niſi formaliter, aut virtualiter ſupponant actus charitatis, vel contritionis, quibus propria ratio ultimæ diſpoſitionis ad gratiam convenit per ſe primo. Et ideo licet admittamus poſſe actus entitative naturales diſponere ad gratiam ſanctificantem; fateri tamen oportet, quod requirantur alij actus ſupernaturales entitative, in quibus ratio ultimæ diſpoſitionis ad gratiam per ſe primo reperiatur, ac proinde illis ſublatis non poſſet ratio diſpoſitionis in actibus naturalibus reperiri. Porro prædicti actus naturales in eo eventu non diſponerent ratione ſuæ entitatis præciſive ſumptæ, quo pacto naturali hominis virtuti reſpondent; ſed quatenus elevarentur per ſupernaturalem modum vires hominis excedentem. Unde ſemper recurrendum eſt ad gratiam ſupernaturalis auxilij: quod ſufficit ad veritatem noſtræ aſſertionis.

Differentia inter diſpoſitionem & meritum.

Adde inter diſpoſitionem, & meritum reſpectu formæ ſupernaturalis poſſe deſignari rationabilem differentiam: nam meritum non connectitur phyſice cum præmio, ſed tantum moraliter, & ſuppoſita ordinatione, atque acceptatione præmiantis. Et idcirco actus naturales dignificati per modum ſupernaturalem derivatum, & impreſſum à charitate poſſunt mereri ſupernaturale præmium: quia licet phyſice non adæquent perfectionem iſtius; moraliter tamen, ſive in æſtimatione prudentum valent ei æquivalere: ſicut aurum, quod phyſice loquendo eſt minoris perfectionis, quam equus; poteſt eſſe ejuſdem valoris in æſtimatione morali. Cæterum diſpoſitio ultima ad aliquam formam connectitur per ſe, & ex natura rei cum ipſa: quamobrem entitative ſumpta debet eſſe ejuſdem ordinis, quamvis inferioris dignitatis. Unde cum actus entitative naturales tametſi elevati per aliquem ſupernaturalem modum non ſint, propriè loquendo, ejuſdem ordinis cum gratia ſanctificante; idcirco nequeunt habere rationem rigoroſæ diſpoſitionis ultimæ ad eandem gratiam; ſed tantum moraliter, & ſuppoſito aliquo actu entitative ſupernaturali, cui ratio ultimæ diſpoſitionis propriè, & per ſe primo conveniat, ut nuper diximus.

Objicitur ſecundo.

123. Objicies ſecundo: nam diſpoſitiones ſe tenent ex parte ſubjecti recipientis formam: ſed ut ſubjectum recipiat formam ſupernaturalem, non eſt neceſſarium, quod ſit ſupernaturale ſecundum entitatem; ſed ſatis eſt, quod recipiat prædictã formam ſecundum potentiã obedientialem, ut conſtat in anima reſpectu gratiæ: ergo ut diſpoſitiones præparent ad formã ſupernaturalẽ, nõ requiritur, quod ſint ſupernaturales entitative; ſed ſufficiet, quod ſecundum potentiam obediẽtialem ad prædictã formam diſponãt: id quippe poſtulare videtur proportio, quæ inter ſubjectũ, & diſpoſitiones invenitur.

Occurritur objectioni.

Reſpondetur negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod ut ſubjectum recipiat aliquam formam, ſatis eſt habere capacitatem paſſivam ad eam recipiendam; quamvis non habeat in actu eſſe intra ordinem proprium formæ, ut conſtat tum in materia prima recipiente formam ſubſtantialem, tum in ſubſtantia completa recipiente formam artis. Diſpoſitio autem ultima ad formam tollit indifferentiam paſſivam ſubjecti illud trahendo, & ſigillando, ut prædictam formam recipiat: unde nequit habere eam indifferentiam, ac potentialitatem obedientialem, quam habet ſubjectum; alias non valeret illud determinare, & ad exigentiam determinatæ formæ reducere. Et hinc provenit, quod licèt in ſubjecto recipiente gratiam ſufficiat entitas naturalis cum potentia obedientiali ad eſſe ſupernaturale, tamen diſpoſitio ultima ad prædictam gratiam debeat habere eſſe ſupernaturale ſubjective, & entitative: quia videlicet per ſe ipſam determinat ſubjectum ad receptionem formæ ſupernaturalis: quod minimè præſtaret, ſi eſſet naturalis in ſua entitate: tunc quippe potius ad naturalem formam diſponeret. Accedit, quod ſubjectum non dicit ordinem poſitivum, & determinatum ad formam ſupernaturalem, ſed meram non repugnantiam ad eam recipiendam: unde nullam ſupernaturalitatem ex vi hujuſmodi ſe habendi contrahit in ſe ipſo. Ultima verò diſpoſitio ad formam ſupernaturalem importat ordinem poſitivum determinatum, & immediatum ad ipſam: & cum talis reſpectus nequeat non à termino ſic inſpecto ſpeciem propriam mutuari: idcirco prædicta diſpoſitio debet ſupernaturalis evadere, & ad formæ ordinem actu, & intrinſecè pertinere.

§. V.

Refertur oppoſita ſententia, & illius fundamenta ab authoritate eliduntur.

Sententia contraria. Pelagius. Julianus. Cœleſtius.

124. Contrariam ſententiam propugnarunt in primis Pelagius, Julianus, Cæleſtius, & alij eorum ſequaces aſſerentes poſſe hominem propriis viribus ſufficienter ſe diſponere ad gratiam ſanctificantem (quam Pelagianos admiſiſſe oſtendimus *diſp.* 1. *cap.* 4. §. 4.) qui eo vires hominis efferebant, ut aſſererent poſſe elicere quoſdam actus, ad quos gratia ſanctificans vel naturali ſequela, vel per modum premij infallibiliter ſequeretur, ut vidimus *diſp. cit. num.* 149. & ſatis apertè conſtat ex D. Auguſt. *lib.* 4. *contra duas epiſt. Pelagian. cap.* 6. poſt medium & *lib.* 1. *de gratia Chriſti cap.* 22. & 23. & pluribus aliis teſtimoniis, quæ congerit Vega *opuſcul. de Iuſtificat. q.* 6. & eundem errorem docuiſſe Philippum Melan-

chto

chn teſtantur Labat diſp. 1. *de neceſſitate gratiæ dub.* 4. §. 1. & Prateolus *in elencho hæreſum verbo Melanchonici hæreſi* 1. Et quod mirum eſt, nonnulli ex Scholaſticis antiquis hanc partem, ut videtur, amplexati ſunt, Durandus *in* 2. *diſt.* 28. *q.* 5. Scotus *ibidem quæſt.* 1. & *in* 3. *diſt.* 23. *q.* 1. *& in* 4. *diſt.* 14. *qu.* 2. Almaynus *tract.* 2. *Moral. cap.* 8. *&* 9. Gabriel cum Ochamo, & Alenſi *in* 2. *diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 1. *& in* 3. *diſt.* 27. *qu.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. ubi docet dilectionem Dei habitam viribus naturæ eſſe ultimam, & ſufficientiſſimam diſpoſitionem ad gratiam, & non requiri aliam majorem. A qua doctrina non penitus recedit Cajet. opuſc. de Contritione *qu.* 1. addit tamen eſſe neceſſariam extrinſecam acceptationem Dei, ut actus naturales queant ſufficienter ad gratiam præparare. Videantur Curiel, Lorca, & Arauxo *locis ſupra citatis*, & Monteſ. *diſp.* 32. *q.* 3. *nu.* 57. ubi prædictos Doctores contendunt vindicare à cenſura, qua Eccleſia in Pelagianos animadvertit. Videatur etiam Soſa *in* 1. *difficult.* 3. §. 2. *&* 3. ubi in ſenſu legitimo & catholico ſuum Scotum interpretatur.

Durandus. Scotus. Almain. Gabriel. Ocham. Alenſis. Cajetan. Soſa.

Primum fundamentum ex ſacra Scriptura.

Suadebant Pelagiani hanc ſententiam quibuſdam teſtimoniis ſacræ Scripturæ, in quibus diſpoſitio ad gratiam videtur attribui non gratiæ, ſed libero arbitrio, qualia ſunt: *Hominis eſt præparare animam.* Proverb. 16. *Præparate corda veſtra Domino.* 1. Reg. 7. *Præparate in occurſum Dei Iſraël.* Amos 4. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Pſal. 10. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos Zach.* 1.

Proverb. 16. Regum. 7. Amos 4. Pſalm. 10. Zachar. 1.

Diluitur.

His tamen facile eſt occurrere: ſolum enim ſuadent id, quod ſupra *diſp.* 1. *c.* 3. §. 2. & in hac *diſp. n.* 99. adverſus Lutherum ſuppoſuimus, nempe gratiam infundi adultis dependenter ab eorum voluntaria diſpoſitione. Quod vero hæc exhibenda ſit ſolius liberi arbitrij facultate, minimè oſtendunt, ſed potius oppoſitum conſtat ex aliis teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quæ ſupra adduximus. Quo pacto componit Concilium Trident. prædicta teſtimonia, quæ alias videntur inter ſe diſſidere: nam *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. poſtquam docuit eſſe neceſſariam pro juſtificatione & liberam cooperationem hominis, & divinam gratiam, quæ hanc operationem præveniat, ſtatim addit: *Unde in ſacris literis, cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, Zach.* 1. *libertatis noſtræ admonemur: cum reſpondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur. Thren.* 5. *Dei nos gratia præveniri confitemur.*

Conc. Trid.

Secundum motivum ab auctoritate D. Thom. D. Thom.

125. His ergo teſtimoniis relictis, & aliis quorumdam ſanctorum Patrum, quæ eandem expoſitionem admittunt, probatur primo, & difficiliùs prædicta ſententia ex D. Thom. *in* 2. *diſt.* 28. *qu.* 1. *art.* 4. ubi apertè videtur ei ſuffragari: nam propoſita difficultate, quam hic verſamus, relatiſque aliorum ſententiis, ſic concludit: *Et ideo aliis conſentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex ſolo libero arbitrio poteſt ſe homo præparare: faciendo enim, quod eſt in ſe, gratiam à Deo conſequitur: hoc autem ſolum in nobis eſt, quod in poteſtate liberi arbitrij conſtitutum eſt.* Et in ſolutione ad 3. loquens de Pauli converſione inquit: *Cum ſe ad gratiam præparavit, gratiam conſecutus eſt: non tamen oportet, quod antequam gratiam gratum facientem acceperit, ſibi aliquod lumen gratiæ gratis datæ infuſum fuerit.* Quod etiam docet in eodem *libro, diſt.* 5. *quæſt.* 2. *art.* 1.

Confirmatur ex eodem D. Th.

Confirmatur primo ex eodem S. Doctore in 1. diſt. 41. quæſt. 1. art. 3. ubi ait: *Opus bonum præcedens gratiam non eſt cauſa meritoria ejus, ſed ſolum diſpoſitio quædam.* Ubi loquitur de actu elicito ſolius viribus naturæ: qui enim elicitur virtute alicujus auxilij, poteſt gratiam, ſaltem de congruo promereri. Actus igitur factus abſque omni gratia poteſt ad gratiam diſponere. D. Thom.

Confirmatur ſecundò: nam *in* 4. *diſt.* 17. *qu.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 4. inquit: *Deus poteſt eſſe in intentione eius etiam, qui fidem non habet, per generalem, vel naturalem cognitionem, quam de Deo habent. Unde etiam ille, qui fidem non habet, poteſt ſe ad fidem habendam præparare, & ad gratiam ſi ſecundum ſuam cognitionem peccatum ſibi diſpliceat, & in Deum affectus eius feratur.* Cum ergo prædicta cognitio ſit naturalis; ſequitur, quod homo actibus propriis, & naturalibus valeat ſe ad gratiam diſponere. D. Thom.

Confirmatur tertiò: nam *quæſt.* 14. *de verit. art.* 10. *ad* 5. ait: *Loco omnium, quæ natura aliis animalibus providit, data eſt homini ratio, per quam & neceſſaria huius vitæ ſibi parare poteſt, & diſponere ſe ad recipienda auxilia divinitus futuræ vitæ.* Sed ratio, quam homo accepit eſt virtus naturalis: ergo per hanc poteſt ſe diſponere ad gratiam. D. Thom.

Confirmatur quartò: nam *quodl.* 1. *art.* 8. *ad* 2. hæc habet: *Dicendum, quod naturali dilectione, qua Deus ſuper omnia naturaliter diligitur, poteſt aliquis magis, & minus uti: & quando in ſummo fuerit, tunc eſt ſumma præparatio ad gratiam habendam.* Quid expreſſius in favorem huius ſententiæ dici potuit? D. Thom.

126. His auctoritatibus convincuntur aliqui, ut reſpondeant D. Thom. in prædictis locis ſe accommodaſſe oppoſitæ ſententiæ, quæ tunc temporis communior erat: poſtea vero re maturius inſpecta, illam revocaſſe in locis, quæ pro noſtra concluſione citavimus. Ita Cajet. in hoc *art.* §. *Nec obſtat* (corrigens etiam ipſe, quæ docuerat *opuſc. de Contrit.*) Lorca, Arauxo, & alij plures in præſenti. Richardus Taper *art.* 3. contra Lutherum pag. 220. Driedo de Concordia liberi arbitrij fol. 56. & alij.

Quorundam reſponſio. Cajetan. Lorca. Arauxo. Richardus. Driedo.

Reiicitur multipliciter.

Sed, ut verum dicamus, hæc ſolutio, licet facilis, & communis ſit, nobis tamen nunquam potuit arridere. *Primò* quia falſo ſupponit contrariam ſententiam fuiſſe temporibus D. Thom. magis communem, cum oppoſitum conſtet ex Alberto, Bonavent. Henrico, & ipſo D. Thom. ſupra *n.* 105. *Secundò* quia credere non poſſumus D. Thom. unquam ſenſiſſe, quod homo poſſit ſuis viribus ponere ultimam diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem; cum hic dicendi modus ſit apertè contrarius Scripturæ, Conciliis, & Patribus, & manifeſtæ rationi ut conſtat ex ſupra dictis. *Tertiò* quia cum S. Doctor ſuam opinionem retractat, ſolet id expreſſe advertere his, aut ſimilibus verbis: *Quamvis olim docuerim oppoſitum:* quod tamen non facit in præſenti.

Quartò, & præcipuè, quia in eiſdem ferè locis, quæ nobis opponuntur docet D. Thom. noſtram, & communem ſententiam: unde incredibile eſt, quod pariter doceat oppoſitum: niſi velimus ipſum contrarietatis, & inconſequentiæ in eiſdem teſtimoniis arguere; quod vel in diverſis non admittimus. Antecedens oſtenditur: nam *quodl.* 1. *art.* 7. qui immediate præcedit *art.* 8. ex quo deſumitur auctoritas nobis oppoſita, apertè docet communem ſententiam dicens, *quod ad errorem Pelagianorum pertinet dicere, quod homo poſſit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio divinæ gratiæ: & eſt contra Apoſtolum,* qui

Digitized by Google

ex ſupra dictis, ſed unicè, & ſpecialiter applicatur à ſolo Deo. Adhuc tamen prædicta notitia non ſufficit, ut ſequatur affectus voluntatis, nec ut intellectus ultimo, & determinatè judicet conveniens eſſe hic, & nunc credere; ſed poteſt abſolutè intellectus ſuſpendere hunc actum, immo & in ſenſu compoſito decernere aſſenſum oppoſitum. Et ratio eſt: quia tunc præcisè bonum evidenter cognitum infert neceſſario tam amorem ſui, quam judicium dictans talem amorem, quando vel illud bonum adæquat capacitatem voluntatis, ut contingit in beatis, vel cognoſcitur ita imperfectè, ut non relinquat apparare ejus inadæquationem, & boni oppoſiti convenientiam, ut accidit in motibus primo primis. Neutrum autem horum adeſt in præſenti: nam judicium videns evidenter convenientiam repertam in actu credendi, non judicat illam convenientiam eſſe ſummum, & adæquatum bonum; alias falleretur: neque impedit, quod lumen naturale repræſentet etiam evidenter convenientiam aſſenſus contrarij. Et ideo ex vi hujus manet adhuc intellectus indifferens ad judicandum, utrum hic, & nunc ſit credendum, vel non. Immo multoties continget, quod poſita illa illuſtratione ſupernaturali poſtea intellectus per lumen naturale perversè judicet dictans, & ultimo reſolvens non oportere, quod homo ſe ſubjiciat religioni Chriſtianæ, ne divitias, v. g. delectationes, aut alia commoda amittat. Unde prædictum judicium ſupernaturale deprehendens convenientiam credendi non regulat immediatè piam affectionem, nec cum illa infallibiliter connectitur: ſed tantum deſervit ad conſtituendum omnino proximè indifferentiam, ſeu libertatem in actu primo.

82. Sed quia voluntas nequit applicare intellectum ad ultimum judicium ſupernaturale imperans hic, & nunc piam affectionem, eo quod ad talem applicationem erat neceſſarium aliud ſupernaturale judicium dictans prædictam applicationem, & ita uſque in infinitum: propterea Deo auctori ſupernaturali incumbit ſupplere hunc voluntatis defectum. Et juxta beneplacitum ſuæ miſericordiæ illos, quos vult, & quando vult efficaciter credere, movet ad formandum ultimum judicium dictans hic, & nunc credendum eſſe, & tunc ſequitur infallibiliter pia voluntatis affe-
Nota. ctio. Quod judicium eſt neceſſarium in eſſendo: quia non dependet in ſuo eſſe à voluntatis motione, ſed eam ſimpliciter antecedit. Eſt tamen liberum in regulando: quia non trahit neceſſitatem ab objecto, ſed ita dictat efficaciter piam affectionem, ut nihilominus intactam relinquat illam indifferentiam, quæ ex vi aliorum actuum, quos ſupra deſcripſimus, antecedebat. Et idcirco homo ita elicit infallibiliter affectum credendi ex vi hujus ultimi dictaminis; quod ſimul ratione præcedentium conſervet totum actum primum, & indifferentiam ad judicandum oppoſitum, & eliciendum contrarium affectum, maximè cum ſit conſtitutus ſimpliciter in actu in linea naturali: unde ſe movere poteſt ad reſiſtendum iis, quæ ſunt fidei, tametſi eorum convenientia evidenter appareat. Nunquam tamen ex ſuppoſitione ultimi judicij dictantis credendum eſſe, eliciet contrarium affectum, & aſſenſum. Qui procedendi ordo ſumitur ſatis apertè ex do-
D. Auguſt. ctrina D. Auguſt. *lib. de prædeſt. SS. cap.* 7. & eſt omnino conſonum naturis rerum, & qualitatis materiæ, ut fuſius in tract. de fide expendemus. Videantur, quæ diximus *tract.* 10. *diſp.* 2. *à num.* 19.

83. Quod ſi ulterius inquiras, à qua virtute eliciatur prædictum judicium? Reſpondetur hujuſmodi actum utpote indeliberatum, & imperfectum, ſaltem cum elicitur ante omnem actum fidei, non poſtulare aliquem habitum, ſed fieri ex auxilio actuali tranſeunte. Maximè cum prudentia infuſa, & reliquæ virtutes morales, & Theologicæ ſupponant cognitionem ultimi finis ſupernaturalis, quæ habetur per fidem: dona autem Spiritus ſancti ſupponunt hominem Deo eſſe unitum per charitatem. Unde cum hoc judicium fidem, & charitatem præcedat, non poteſt in aliquam virtutem infuſam reduci: ſed poſtulat fieri ex motione tranſeunte. An autem hæc motio ſit de linea prudentiæ, vel pertineat ad donum intellectus? res eſt non magni momenti, & quæ parum refert ad præſentem difficultatem. Sed videri poſſunt Joannes à S. Thoma *loco citato ex* Joan. à S. Th.
2. 2. *concluſ.* 3. *&* 4. & Curiel ubi ſupra, verſ. Curiel.
Et ſi ulterius quærat.

84. Tertio arguitur: quoniam ſi affectus effi- *Tertium argumentum.*
cax credendi ex motivo divinæ revelationis eſſet ita perfectus, ut peteret procedere ex ſpeciali gratia; etiam peteret ſpecialem virtutem, ut eliceretur modo connaturali: omnis quippè actus connaturalis potentiæ exigit, quòd potentia ſit habitualiter completa, & conſtituta in actu primo ad eum eliciendum, quod abſque habitu, vel virtute fieri non poteſt: at ſic eſt, quod ad piam affectionem nulla requiritur virtus; alias aliqua virtus infuſa præcederet habitum fidei, cujus oppoſitum ſtatuimus numero præcedenti: ergo prædictus credendi affectus non poſtulat oriri ex gratia.

Confirmatur: quia in peccatoribus non rema- *Confirmatio.*
net aliqua virtus infuſa præter fidem, & ſpem, ut communiter docent Theologi: ſed peccatores eliciunt affectum credendi eadem facilitate, qua juſti: ergo ad prædictum affectum nulla requiritur virtus.

Ad hæc: omnis virtus infuſa vel eſt Theologica, vel moralis: ſed affectus credendi non petit virtutem Theologicam, ut ex ſe liquet: nec virtutem moralem; ſiquidem hæc comitatur charitatem, & prudentiam infuſam, quæ non remanent in peccatore, in quo tamen manet affectus credendi, ut experientia liquet: ergo prædictus affectus nullam poſtulat virtutem.

Huic argumento (relicto Arauxo, qui 2. 2. Arauxo.
quæſt. 4. art. 2. concluſ. 2. docet prædictum cre- *Argumenti ſolutio.*
dulitatis affectum nunquam fieri ex aliquo habitu, ſed ex ſolo auxilio tranſeunte, quod revera ſatis eſt ad ſalvandam veritatem noſtræ aſſertionis) reſpondetur juxta dicta *Tract.* 12. *diſp.* 3. *dub.* 2. *num.* 42. hujuſmodi affectum ut elicitum connaturaliter ſupponere in voluntate aliquam qualitatem permanentem, per quam voluntas conſtituitur in actu primo proximo ad elicientiam illius, petitque auxilium divinum ad id deſideratum. Et ratio eſt, quæ tangitur in argumento: quoniam licèt actus ſupernaturalis valeat fieri abſolutè per auxilium actuale, quod vices habitus ſuppleat, nihilominus non fit modo connaturali, niſi potentia habeat permanenter aliquid intrinſecum, quod exigat auxilium Dei pro elicientia talis actus: qua ratione probant communiter Theologi neceſſitatem habituum ſupernaturalium: ergo ut affectus credendi eliciatur connaturaliter, petit voluntatem perfici per aliquem habitum tali affectui correſpondentem. Hujuſmodi autem habitus non habet rationem virtutis: quoniam licèt ſit honeſtus, & laudabilis, nihilominus non attingit per ſe bonum, ad quod
princi

Digitized by Google

principaliter ordinatur nempè aſſenſum fidei: iſte enim conſummatur in voluntate, ubi reſidet talis habitus, ſed perficitur in intellectu, quem voluntas applicat ad credendum. Virtus autem non ponitur niſi in potentia, in qua conſummatur bonum talis virtutis: qua de cauſa virtutes morales, quæ moderantur paſſiones, reſident in appetitu, ubi rectitudo earumdem paſſionum perficitur; in voluntate autem imperante, & applicante appetitum ad hujuſmodi actus ſolum ponitur quidam habitus deficiens a ratione virtutis.

Ad id autem, quod tangit argumentum pro ea parte, quæ contra nuper dicta militare poteſt, reſpondetur ad judicium præcedens piam affectionem connaturaliter eliciatur, nullum requiri habitum diſtinctum à fide; benè autem ad piam affectionem. Et ratio differentiæ: quoniam cum primo elicitur illud judicium, elicitur innaturaliter, proindeque non petit habitum; ſed fit per auxilium tranſiens. Semel vero acquiſita fide, jam hæc afficit intrinſecè intellectum, & exigit concurſum actualem Dei, non ſolum ad credendum, ſed etiam ad judicandum, quod oporteț credere. Immo vero ſatis probabile eſt, quod ipſa fides talem actum eliciat; quamvis ab eo utpote imperfecto, & ordinato ex natura ſua ad ulteriorem actum, ſpeciem non recipiat, ſed ab actu credendi, in quo propria ipſius perfectio conſummatur. Unde non oportet pro tali judicio ponere in intellectu aliquem habitum à fide diverſum. Cæterum ex parte voluntatis nihil eſt, quod eam conſtituat permanenter in actu primo tum ad exigendum auxilium Dei pro affectu credendi, tum ad connaturaliter eliciendum ipſum affectum. Quamobrem opus eſt admittere habitum piæ affectionis ſuperadditum voluntati.

Confirmationis ſolutio. Ex quibus patet ad confirmationem: nam cùm prædictus habitus non ſit virtus, ſed ſolum quædam inchoatio, & diſpoſitio ad virtutem, nempè ad fidem; nullum eſt inconveniens, quod maneat in peccatore, ſicut manet etiam ipſa fides, ad quam diſponit. Unde etiam conſtat ad id, quod addebatur: ſi namque prædictus habitus non eſt virtus; vanè quæritur utrum ſit virtus Theologica, vel moralis. Eſt ergo quædam qualitas permanens, quæ reductivè pertinet ad fidem, licèt non habeat ſpeciale nomen: ſicut etiam qualitas, quæ reſidet in voluntate ad imperandum actus virtutum moralium infuſarum eſt quid permanens: & tamen neque eſt virtus Theologica, nec moralis, nec habet nomen ſpeciale; ſed reducitur ad prædictas virtutes per modum inchoationis ipſarum.

Ultimum argumentum. 85. Ultimo ſuadetur hæc ſententia argumento, quod urget Caſtillo: quoniam voluntas non movetur ex honeſtate aſſenſus fidei infuſæ, ut applicet intellectum ad credendum; ſed ſolum ex honeſtate fidei abſtrahendo ab acquiſita, aut infuſa: ſed hujuſmodi motivum non eſt ſupernaturale, nec poſtulat pro ſui attingentia ſpecialem gratiam, ut ex ſe liquet: ergo affectus credendi non petit fieri ex gratia, ſed haberi valet per ſolas vires naturæ. Minor, & conſequentia conſtant. Major autem ſuadetur: quia nullus cognoſcit evidenter, vel credit ex fide divina, quod habeat fidem infuſam: ſed voluntas non poteſt efficaciter imperare actus, quorum principia neſcimus, nobis ineſſe: ergo voluntas non imperat aſſenſum fidei infuſæ, nec movetur ex ejus ſupernaturali honeſtate, ſed tantum movet, ut credamus abſolutè.

Reſpondetur negando majorem. Ad cujus probationem iterum neganda eſt minor: quia ut quis in elicientia alicujus actus operetur ex ſpeciali motivo, non eſt neceſſarium, ut certo cognoſcat ſe habere principia prædicto motivo correſpondentia. Voluntas enim imperans actus virtutum moralium infuſarum reſidentium in appetitu ſenſitivo intendit honeſtatem prædictorum actuum: & tamen ad tale imperium non eſt neceſſarium, quod homo certo cognoſcat ſe habere virtutes infuſas, quæ tales actus eliciant: alias certo cognoſceret ſe habere gratiam, quam comitantur hujuſmodi virtutes. Similiter efficaciter intendimus amare, & aliquando amamus Deum Auctorem ſupernaturalem ut ultimum finem ſuper omnia dilectum, quod eſt motivum proprium charitatis: & nihilominus ignoramus, utrum habeamus charitatem, quæ eſt principium prædicti amoris. Et eodem pacto poteſt voluntas efficaciter velle, quod intellectus credat myſteria fidei ex motivo divinæ auctoritatis: quamvis certo non cognoſcamus habere fidem infuſam, quæ eſt principium credendi ex tali motivo. Et ratio univerſaliter eſt: quoniam quocumque actus voluntatis feratur directè in ſuum objectum, quod proinde debet cognoſci, & proponi per intellectum, ut valeat illius affectum terminare. Non autem fertur voluntas directè in principia actus intenti: & ideo poſſumus efficaciter intendere aliquem actum; quamvis explicitè, & in exercitio non attendamus ad ejus principia, nec cognoſcamus illa nobis ineſſe. Satis ergo eſt, ut actus efficaciter intendatur, quod ſit poſſibilis, & quod principia ejus habeantur vel per naturam, vel gratiam acceptam, aut ſaltem repromiſſam, & præparatam. *Reſponſio.*

§. V.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

86. EX dictis in hoc, & præcedentibus dubiis colligitur legitima reſolutio aliquarum difficultatum, pro quibus ſolent alij in præſenti ſpecialia dubia inſtituere, examinantes utrum requiratur gratia ad actus aliarum virtutum Theologicarum, moralium, & donorum Spiritus ſancti. Quod inter alios latè, & doctè præſtat Suarez *lib. 1. de neceſſitate gratiæ*, per plura capita. Nos autem ab hoc inſtituto ſuperſedendum duximus: tum quia id eſſet limites præſentis materiæ excedere, nullamque intactam, immo non exturbatam relinquere, ut rectè vidit Joan. à S. Thom. *in præſenti diſput. 20. art. 1.* in principio. Tum etiam, quia ea, quæ de actu fidei infuſæ diximus, apertam viam ſternunt ad alios actus ſupernaturales; eſt enim fides fundamentum totius ſupernaturalis ædificij, à qua proinde inchoare oportuit: unde hactenus circa fidem diſcuſſa facile queunt cæterarum virtutum actibus abſque nova concertatione applicari. Quod jam præſtamus. *Corollaria.* *Suarez.* *Joan. à S. Th.*

Primum. Primo ergo infertur amorem ſupernaturalis charitatis, quo Deus ut ultimus finis ſupernaturalis diligitur ſuper omnia, quoad ſpeciem, & ſubſtantiam ſupernaturalem, & conſequenter haberi non poſſe abſque ſpeciali gratia. Hoc co-

D.Thom. rollarium docet D. Thom. *in præſenti art.* 3. *in ſolutione ad* 1. & 3. & *ſup. quæſt.* 63. *art.* 2. *ad* 2. & *quæſt.* 100. *art.* 10. *ad* 3. & 2. 2. *quæſt.* 44. *art.* 4. *in corp.* & *ad* 1. cujus aliqua verba infra convenientius adducemus. Eandem ſententiam docent Auctores ſupra relati *num.* 28. & ſpecialiter Ferrara 4. *contra gentes cap.* 55. Conradus, & Medina *in præſenti art.* 3. & 4. ubi Arauxo, *art.* 7. *dub.* 1. Curiel *art.* 8. *dub. ultimo*, Joan. à S. Thom. *diſp.* 20. *art.* 1. Monteſ. *diſp.* 28. *quæſt.* 4. Lorca *diſp.* 9. Vazquez *diſp.* 196. *cap.* 4. Alvarez *de Auxiliis diſp.* 51. *concl.* 3. & *lib.* 5. *reſponſ. cap.* 13. Bellarm. *lib.* 6. *de gratia cap.* 7. Suarez *lib.* 2. *de neceſſ. gratia cap.* 14. & alij plures.

Ferrara. Conrad. Medina. Arauxo. Curiel. Ioan. à S. Th. Monteſin. Lorca. Vazquez. Alvarez. Suarez.

Ratio conſectarij. Secunda corollarij pars manifeſtè deducitur ex prima: nam actus in ſua ſpecie, & entitate ſupernaturalis nequit non excedere vires naturales creaturæ, atque ideo fieri non poterit abſque ſpeciali adjutorio gratiæ. Prior autem pars ſatis apertè evincitur ex ſupra dictis, quin opus ſit nova fundamenta aperire: quoniam actus charitatis ſupernaturalis perfectior eſt, quam actus ſupernaturalis fidei: actus quippè iſti debent inter ſe ita comparari ſicut habitus à quibus eliciuntur: de his autem aſſerit Apoſt. 1. ad Cor. 13. *Manent tria hæc, fides, ſpes, charitas. Horum autem major eſt charitas*: ſi ergo actus fidei infuſæ eſt entitativè, & quoad ſpeciem ſupernaturalis, ut hactenus oſtendimus, id à fortiori competere debet amori ſupernaturalis charitatis. (1. ad Cor. 13.)

Confirmatur. Confirmatur: nam quilibet actus virtuoſus ea ratione, qua conducit ad ſalutem, & fit *ſicut oportet*, debet eſſe ſupernaturalis, ut ſupra oſtendimus: atqui amor ſupernaturalis charitatis per ſuam ſpeciem habet diſponere ad gratiam, & eſſe ſicut oportet ad ſalutem: ergo ſupernaturalis ſecundum ſpeciem. Minor conſtat: tum quia amor charitatis non habet rationem diſpoſitionis conducentis ad ſalutem ex vi modi ſibi ſuperadditi: nullus quippè excogitari poteſt ita perfectus, ut adæquet propriam rationem ſpecificam ipſius amoris, qui tendit in Deum ut finem ſupernaturalem ſuper omnia dilectum: hæc enim eſt altiſſima ratio, quæ poteſt in actibus voluntatis reperiri. Tum etiam quia actus aliarum virtutum ea præcipuè ratione habent eſſe ſicut oportet ad ſalutem, qua fiunt ex imperio charitatis, & tendunt in proprium illius objectum, ut docent Auguſt. *lib. de correctione & gratia, cap.* 2. & D. Thom. *in præſenti art.* 4. & *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 6. Cum ergo actus ſupernaturalis charitatis habeat per ſeipſum id, quod aliis actibus competit ex influxu illius; ſequitur, quod per ſuam ſpeciem conducat ad ſalutem. (D. Auguſt. D. Thom.)

Roboratur amplius. Ad hæc repugnat, quod actus entitativè naturalis, & qui per vires naturales fieri poteſt, connectatur ex natura ſuam cum gratia ſanctificante: alias poſſet homo per vires naturales vel ſe diſponere ad gratiam ſanctificantem, vel iſtam in ſe producere, quod eſt abſurdum: ſed amor ſupernaturalis charitatis ex natura ſua connectitur cum gratia ſanctificante: ergo neque eſt entitativè naturalis, nec haberi valet per naturales vires. Minor probatur tum quia prædictus amor eſt ultima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem non ſolum moralis, ſed phyſica, ut oſtendemus *in tractatu de Juſtificatione diſp.* 3. *dub.* 5. ergo connectitur ex natura ſua cum gratia tanquam cum termino, à forma; quam diſpoſitivè induit. Tum etiam quia prædictus actus eſt adeo perfectus, ut naturaliter ſaltem loquendo nequeat fieri niſi ex influxu gratiæ ſanctificantis, ut dicemus *in eodem tractatu diſp.* 2. *dub.* 6 ergo connectitur ex natura ſua cum gratia ſanctificante tanquam cum principio effectivo.

Opponitur teſtimonium D. Thom. 87. Adverſus hoc conſectarium nulla occurrit ſpecialis ratio, cui in antecedentibus dubiis ſatisfactum non fuerit, vel quæ ad alios tractatus non ſpectet, ubi commodius poterit enodari. Sunt tamen aliqua Div. Thom. teſtimonia, quæ oportet explicare: eo quod non ſolum præſenti reſolutioni, ſed à fortiori præcedentibus videantur adverſæ. Primo ergo oppones: nam D. Tho. quæſt. 24. de verit. art. 14. ad 2. *Generaliter docet quod homo per gratiam poteſt ſervare mandata quantum ad modum; cum poſſit nihilominus per liberum arbitrium ea ſervare quantum ad ſubſtantiam.* Idemque in ſpeciali de præcepto charitatis docet *in* 3. *diſt.* 36. *quæſt.* 1. *art.* 6. Conſtat autem præceptum charitatis ſupernaturalis impleri quoad ſubſtantiam per actum charitatis: ergo prædictus actus quoad ſubſtantiam acceptus non excedit vires liberi arbitrij. (D. Thom.)

Legitimus ejus ſenſus. Reſpondetur Angelicum Doctorem nunquam in actu proprio charitatis ſupernaturalis diſtinguere ſubſtantiam, & modum, ſed potius docere hunc ad ſpeciem prædicti actus ſpectare. Quod apertè ſtatuit 2. 2. *quæſt.* 44. *art.* 4. *in corp.* & *ad* 1. ubi ait: *Dicendum, quod ſub præcepto, quod datur de actu alicuius virtutis, non cadit modus, quam habet ille actus ex alia ſuperiore virtute: cadit tamen ſub præcepto modus ille, qui pertinet ad rationem propriæ virtutis.* Et ſtatim ponit modum proprium charitatis. Et adhuc expreſſius tradit hanc doctrinam *in hac* 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 10. *in corp.* & *ad* 3. quod erat hujuſmodi: *Si modus charitatis non cadat ſub præcepto: ergo aliquis poteſt implere præcepta legis non habens charitatem: ſed quod poteſt fieri ſine charitate, poteſt fieri ſine gratia: ergo aliquis poteſt implere præcepta legis ſine gratia: hoc autem eſt Pelagiani erroris*, &c. Reſpondet in hunc modum: *Dicendum, quod obſervare omnia præcepta legis homo non poteſt, niſi impleat præceptum charitatis, quod non fit ſine gratia. Et ideo impoſſibile eſt, quod Pelagius dixit, hominem implere legem ſine gratia.* Ubi nullam diſtinctionem agnoſcit inter ſubſtantiam, & modum proprium amoris ſupernaturalis charitatis: ſed abſolutè docet eſſe neceſſitatem gratiam, ut prædictum præceptum impleatur: quod falſum eſſet ſi actus charitatis eſſet naturalis quoad ſubſtantiam, & hæc tantum caderet ſub præcepto.

Quando ergo S. Doctor locis in contrarium relatis determinat modum charitatis non cadere ſub præcepto, apertè loquitur de præceptis aliarum virtutum, quarum actibus accidentarius & ſuperadditus eſt proprius modus charitatis. Unde loco cit. ex quæſt. de verit. inquit in corp. *Eſt autem duplex bonum: quoddam, quod eſt humana natura proportionatum: quoddam vero, quod excedit humana natura facultatem. Et hæc duo bona, ſi de actibus loquamur, non differunt ſecundum ſubſtantiam actus; ſed ſecundum modum agendi; ut puta iſte actus, qui eſt dare eleemoſynam eſt bonum proportionatum viribus humanis, ſecundum quod ex quodam naturali dilectione vel benignitate homo ad hoc movetur. Excedit autem humana natura facultatem ſecundum quod ad hoc homo inducitur ex charitate, quæ mentem hominis Deo unit.* Et in ſolut. ad 1. inquit: *Quod*

Quod præcipit Deus, non eſt impoſſibile homini ad ſervandum: quia & ſubſtantiam actus poteſt ex libero arbitrio ſervare: & modum, quo elevatur ſupra facultatem naturæ, prout ſcilicèt fit ex charitate, poteſt ſervare ex dono gratiæ, quamvis non ex ſolo libero arbitrio. Idemque docet *in præſenti quæſt. art.* 2. in corp. & *artic.* 4. in corpore, ut rectè expendit Suarez *lib.* 2. *de neceſſitate gratiæ, cap.* 23. *num.* 23. Cum ergo hæc ordinatio, ſeu modus charitatis, qui aliis actibus convenit per participationem accidentalem, actui charitati competat per propriam ſpeciem; ſequitur hujuſmodi actum entitativè acceptum fieri non poſſe abſque gratia: quamvis aliarum virtutum actus ſecundum ſubſtantiam conſiderati, & à prædicto modo præſcindunt, & abſque gratia poſſint haberi. Quod præcisè docet D. Thom. *in reſponſ. ad* 2. & *loco citato ex* 3. *ſententiarum.*

Suarez.

Objicitur alia difficilis auctoritas D. Thom.

88. Secundo oppones teſtimonium S. Doctoris 2. 2. *quæſt.* 171. *art. ad* 3. ubi inquit: *Dicendum, quod omne donum gratiæ hominem elevat ad aliquid, quod eſt ſupra naturam humanam. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Uno modò quantum ad ſubſtantiam actus, ſicut miracula facere, & cognoſcere occulta, & incerta divinæ Sapientiæ. Et ad hos actus non datur homini donum gratiæ habituale. Alio modo eſt aliquid ſupra naturam humanam quantum ad modum actus, non autem quantum ad ſubſtantiam ipſius: ſicut diligere Deum, & cognoſcere eum in ſpeculo creaturarum. Et ad hoc datur donum gratiæ habituale.* Ergo amor ſupernaturalis charitatis ſecundum ſubſtantiam acceptus non eſt ſupra facultatem humanæ naturæ.

Et confirmatur ex eodem S. Doctore *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 6. ubi docet, *quod contritio quantum ad ſubſtantiam actûs eſt à libero arbitrio, & à Deo, qui operatur in omnibus operibus, & naturæ, & voluntatis.* Concurſus autem divinus, qui in omnibus operibus reperitur, eſt concurſus generalis: hic ergo ſufficiet ad contritionem, ſi ſecundum ſubſtantiam conſideretur, atque ideo ad amorem charitatis, qui indivulsè contritionem comitatur.

Prima reſponſio.

Alvarez.

Ad auctoritatem *ex* 2. 2. quæ profectò haud facilis eſt intellectu, diverſimodè occurrunt Thomiſtæ. In primis Alvarez *lib.* 6. *de auxiliis diſp.* 51. *num.* 14. reſpondet D. Thom. non loqui de actu charitatis elicito, ſed ſolum de actu imperato, & externo, qualis eſt actus dandi eleemoſynam: hic enim, & ſimiles, quatenus ordinantur in finem charitatis, dicuntur etiam charitatis actus.

Diſplicet.

Hæc tamen reſponſio nobis non probatur: tum quia eſt voluntaria, nullum quippè adeſt verbum in prædicto teſtimonio, ex quo poſſit colligi D. Thom. loqui de actu externo, & à charitate imperato; ſed adeſt potius ad oppoſitum: nam illa verba, *ſicut diligere Deum* propriiſſimè deſignant actum internum amoris, non vero actum externum: ille enim, & non iſte confert formaliter denominationem propriam diligendi, ut ex ſe liquet. Idemque evidentius adhuc apparet in alio exemplo D. Thom. nempè: Et cognoſcere Deum in ſpeculo creaturarum. Quod nullatenus adaptari poteſt actui externo. Tum etiam, & præcipuè: quia non eſt conſentaneà menti ſancti Doctoris: eo quippè collimabat, ut dilueret hoc argumentum: *Prophetia computatur inter gratias gratis datas: ſed gratia eſt habituale quoddam in anima: ergo prophetia eſt habitus.* Ad quod diluendum vane fieret recurſus ad actus externos à charitate imperatos; ſiquidem vis argumenti conſiſtebat in eo, quod *gratia eſt habituale quoddam in anima*, idemque de gratia prophetiæ dicendum eſſet. Ad hoc autem enervandum quid refert, quod actus exterior ſit, vel non ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, aut modum?

Alia interpretatio.

89. Alij reſpondent ideo D. Thom. dixiſſe actum prophetiæ eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, non vero actum charitatis, quia non datur actus naturalis circa materiam prophetiæ propriam; bene autem circa materiam charitatis, datur enim amor Dei naturalis. Et ideo actus charitatis dicitur naturalis quoad ſubſtantiam, quia licèt in ſe ſupernaturalis ſit; convenit tamen cum actibus naturalibus in aliquo conceptu communi. Ita Arauxo ubi ſupra *numero* 33.

Arauxo.

Non ſatisfacit.

Cæterum neque iſta ſolutio placet: quoniam ſicut circa materiam charitatis poteſt dari actus naturalis, ita etiam circa materiam propriam prophetiæ: nihil enim prohibet, quod circa cogitationes cordis, vel futura contingentia, quæ ſunt propria prophetiæ materia, detur aliqua cognitio naturalis prædicta objecta conjecturaliter attingens: immo hoc frequenter contingit in Angelis. Eodem ergo modo poteſt ex vi hujus actus prophetiæ dici naturalis quoad ſubſtantiam, ac charitatis actus: unde non ſubſiſtit adhuc differentia. Deinde ex hoc, quod amor charitatis dicatur prædicto modo naturalis, nulla congruens diſparitatis ratio poteſt deſignari, ut charitas ſit habitus, non vero prophetia: ac proinde relinqueret Divus Thomas argumentum in ſua vi, ſi nil aliud in ea reſponſione doceret, quam quod illi hæc interpretatio attribuit.

Altera reſponſio.

Joan. à S. Th.

90. Tandem Joannes à ſancto Thoma ubi ſupra reſpondet, quod D. Thomas per ſubſtantiam actus non intellexit differentiam ſpecificam illius, neque per modum intellexit aliquid accidentaliter ſuperadditum actui: ſed per ſubſtantiam ſignificavit actus entitatem, & per modum deſignavit modum, quo actus elicitur à potentia, nempè per aliquam virtutem illi permanenter impreſſam. Et quia actus charitatis fit juxta modum connaturalem potentiæ, hoc eſt, permanenter, & cum electione; ideo petit fieri ex habitu: ſicut è converſo actus prophetiæ ob oppoſitam rationem nequit habitum vendicare; cum non fiat juxta modum naturalem potentiæ, nimirum quando, & quomodo illa vult.

Non videtur ſufficiens.

Sed hæc etiam reſponſio, niſi amplius declaretur, vel falſa eſt, vel inſufficiens. Tum quia juxta hunc dicendi modum per ſubſtantiam actus deſignavit D. Thom. illius entitatem: ſed S. Doctor aſſerit actum charitatis non eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam: ergo ſentit, quod non eſt ſupernaturalis in ſua entitate: hoc autem, & nihil amplius intendit objectio. Tum etiam, quia modus operandi permanenter, & ex electione connaturalior eſt modo per modum tranſeuntis, & inſtrumenti: ſed actus prophetiæ fit tranſeunter, & per ſubitam illuſtrationem, è contra vero actus charitatis fit permanenter, & ex electione, ut hæc expoſitio ſupponit, & ſatis ex ſe liquet: ergo nequit hæc

Digitized by Google

via ſalvari, quod actus charitatis ſit ſupernaturalis quoad modum, non autem actus prophetiæ; ſed magis infertur oppoſitum.

Explicatur locus D. Th. 92. Reſpondetur ergo, quod ex duplici capite poteſt aliquis actus ſupernaturalis petere principium ſupernaturale: primo ob ſuam ſpeciem, aut entitatem, quæ ſupernaturalis eſt: ſecundo ex parte modi, quo fit nempè permanenter, & juxta electionem operantis: quia non ſolum eſt ſupra vires potentiæ elicere actum ſupernaturalem, ſed etiam elicere illum pro libito ſuo, & modo permanenti. Et quia hoc poſterius addit ſupra primum; idcirco ad eliciendum actum poſteriori modo requiritur major virtus, quam ad eum eliciendum præcisè quoad ſubſtantiam, vel entitatem: ad primum enim ſufficit quælibet virtus ſupernaturalis licèt fluida, & habens modum diſpoſitionis, ſeu elevationis tranſeuntis; ad poſterius vero deſideratur virtus per modum habitus, ſeu formæ permanentis. Actus autem prophetiæ talis conditionis eſt, ut non ſubjaceat voluntati noſtræ ſaltem in ſuo actu primario: & ideo nequit fieri modo permanenti, & ſolum eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam; non autem quantum ad modum: hoc quippè, quod eſt fieri tranſeunter, nullam ſupernaturalitatem addit ſupra actus entitatem. Actus vero charitatis fit ex natura ſua modo permanenti, & cum electione operantis: quæ perfectio nequit non petere aliquam majorem perfectionem ex parte virtutis elevantis, nempè quod hæc virtus ſit permanens, & habitualis juxta naturam actus, pro quo exhibetur. Et hinc apparet differentiæ ratio ob quam licèt prophetia, & charitas ſint qualitates ſupernaturales; nihilominus hæc ſit habitus, non vero illa. Quo pacto optimè reſpondet Angelicus Doctor argumento, quod ſibi oppoſuerat. Unde cum aſſerit, quod diligere Deum non eſt ſupra naturam humanam *quoad ſubſtantiam*, neutiquam negat prædictam ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem abſolutè; ſed tantum negat eſſe ſupernaturalem ea præcisè ratione, qua dixerat actum prophetiæ ſupernaturalem eſſe. Cumque prophetiæ actus ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam præcisè, non verò quoad modum; ſolum ſequitur, quod actus charitatis non ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam præcisè ſumptam, ſed quod ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & modum. Et ideo per ly *non quantum ad ſubſtantiam ipſius* minimè excludit ſubſtantiam; ſed ſubſtantiam ut deſtitutam modo. Excludit igitur, quod actus charitatis ſit præcisè ſupernaturalis in entitate, ſicut actus prophetiæ: & adſtruit eſſe ſupernaturalem etiam in modo, quo fit, videlicet permanenter, & liberè. Et ita reddit rationem, cur charitas ſit habitus, non vero prophetia. Et in hoc ſenſu expoſitio Joannis à ſancto Thoma amplectenda eſt, utpote attingens propriam S. Doctoris mentem, in quo aliæ interpretationes deficiunt.

Diſpelluntur duæ obiectiones. Neque adverſus eam ſic illuſtratam urgent illa duo, quæ illi opponebamus. Non quidem primum: quia jam conſtat actum charitatis eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, non quidem excludendo modum, ſed eum ſaltem connaturaliter afferendo. Neque etiam ſecundum: quia licèt modus operandi permanenter ſit connaturalior, quam modus operandi tranſeunter, ſi fiat comparatio intra eumdem ordinem: nihilominus ſi operatio permanens eſt ſupernaturalis, excedit facultatem naturalem non ſolum ex parte entitatis, ſed etiam modi, quo fit: quia ſupra naturam eſt & operari ſupernaturaliter, & operari ſupernaturaliter permanenter. Unde licèt actus prophetiæ fiat tranſeunter, & actus charitatis modo permanenti, atque adeo connaturalius intra ordinem ſupernaturalem; nihilominus actus charitatis eſt ſimpliciter ſupernaturalis quantum ad modum, quo fit; ſecus vero actus prophetiæ: & ille petit habitum non autem hic.

Exponitur alius locus D. Thom. Ad aliud Divi Thomæ teſtimonium *ex 4. ſentent.* reſpondetur ſanct. Doctorem ſolum docere, quod actus contritionis eſt unicè à gratia quantum ad formam. Quod evidens eſt; cum hæc ſit ipſa gratia, quam Deus per ſeipſum infundit. Quantum ad ſubſtantiam aſſerit contritionem eſſe à libero arbitrio, & à Deo. Ex quo tamen minimè infertur, quod ſit à libero arbitrio nude ſumpto, ſeu non adjuto per gratiam; ſed tantum infertur, quod prædictus actus ſit liber, in quem proinde debemus influere ſimul cum gratia. Neque oppoſitum ſuadent illa verba: *Qui operatur in omnibus operibus naturæ, & voluntatis:* quia per illa non ſignificat, quod influxus Dei in contritionem ſit concurſus generalis, ut in objectione intendebatur; ſed tantum deſignat univerſalem dependentiam creaturæ à Deo in operibus cum naturæ, cum gratiæ, licèt modus concurrendi ſit ſatis diverſus.

Secundum conſectarium. 93. Infertur ſecundo ex dictis actus proprios virtutum infuſarum (ut ita omnes alios comprehendamus ad nullum in particulari deſcendendo) eſſe ſecundum ſuam entitatem ſupernaturales, & fieri non poſſe abſque ſpeciali gratia. Sic docent Auctores ſupra relati *num.* 86. & facile oſtenditur ex iis, quæ *dub.* 2. ſtatuimus: quoniam actus proprius cujuſvis habitus tendit in objectum proprium illius, & ſub eadem ratione; cum inclinatio habitus propria reducatur ad exercitium per tendentiam actualem in objectum: ſed objectum proprium virtutis infuſæ eſt formaliter ſupernaturale, alias non poſſet ei ſupernaturalitatem in genere cauſæ ſpecificativæ transfundere: ergo actus proprius virtutis infuſæ reſpicit objectum formaliter ſupernaturale: cum igitur actus ſpeciem accipiat ab objecto; ſequitur actus proprios omnium virtutum infuſarum eſſe ſecundum ſuam ſpeciem ſupernaturales; atque ideo fieri non poſſe abſque ſpeciali gratia. Qualiter autem plures actus attingentes objecta entitativè naturalia ſint ſupernaturales (quod poterat aliquam difficultatem inducere) facilè declaratur ex his, quæ docet Divus Thomas *ſupra quæſt.* 63. *art.* 4. in corpore, ubi loquens de diſtinctione ſpecifica inter habitus acquiſitos, & infuſos, inquit; *D.Thom.* *Habitus dupliciter diſtinguntur ſpecie: uno modo ſecundum formales, & ſpeciales rationes obiectorum. Obiectum autem virtutis, cuiuſlibet eſt bonum conſideratum in materia propria: ſicut temperantiæ obiectum eſt bonum delectabile in concupiſcentiis tactus. Cuius quidem obiecti formalis ratio eſt à ratione, quæ inſtituit modum in his concupiſcentiis. Manifeſtum eſt autem, quod alterius rationis eſt modus, qui imponitur in huiuſmodi concupiſcentiis ſecundum regulam rationis humanæ, & ſecundum regulam divinam: puta in ſumptione ciborum ratione humana modus*

ſtatuitur

Digitized by Google

ſtatuitur; ut non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum. Secundum autem regulam rationis divinæ requiritur, quod homo caſtiget corpus ſuum, & in ſervitutem redigat per abſtinentiam cibi, & potus, & aliorum hujuſmodi. Unde manifeſtum eſt, quod temperantia infuſa, & acquiſita differunt ſpecie, & eadem ratio eſt de aliis virtutibus. Quod eorum actibus proportionabiliter applicandum eſt: unde non oportet in hoc amplius immorari. Recolantur, quæ diximus *Tractatu 12. diſputatione 3. dubio 1.*

Tertium conſectarium. 94. Tertio ex dictis patet ſolutio ad quæſtionem, quæ ſolet in præſenti tractari, videlicet, quæ gratia requiratur ad eliciendum actus virtutum infuſarum? *Qua gratia requiratur ad actus virtutum infuſarum.* Ad quam reſpondemus poſſe hujuſmodi actus bifariam conſiderari: primo abſolute, & præſcindendo à modo, quo egrediuntur à potentiis: ſecundo quatenus fiunt connaturaliter, permanenter, & faciliter. Ad eos igitur primo modo conſideratos (ſi excipiamus amorem charitatis, & contritionem,) non requiritur gratia habitualis, immo neque aliqua virtus permanens; ſed ſufficiet auxilium tranſiens. Ad eoſdem autem poſteriori modo ſumptos neceſſaria eſt aliquis habitus, ſeu virtus permanens. Ratio quoad primam hujus reſolutionis partem eſt: quia prædicti actus entitative conſiderati non habent neceſſariam connexionem cum gratia ſanctificante, ut patet in actibus fidei, ſpei, & aliarum virtutum, quos peccatores eliciunt: deinde præſcindendo à modo productionis præſcindunt etiam à modo virtutis elevantis potentiam, & ſolum concernunt virtutem abſolute: ergo nec poſtulant gratiam ſanctificantem, nec aliquam virtutem habitualem, ſed poſſunt fieri per virtutem tranſeuntem. Poſterior autem pars facile oſtenditur: quia modus connaturalitatis, & facilitatis provenit per ſe ab habitu: ubi enim potentia completur per virtutem habitualem, prodit connaturaliter in actus prædictæ virtutis: ergo hujuſmodi actus ut aſſociati modo facilitatis, & connaturalitatis, petunt fieri ex auxilio virtutis habitualis, ſeu permanentis.

Diximus: *ſi excipiamus amorem charitatis, & contritionem:* quia ad hos actus exiſtimamus requiri gratiam habitualem, nedum concomitanter, & ex parte termini, ut communiter admittunt Auctores in præſenti; ſed etiam prævie, & ex parte principij, ut ex profeſſo oſtendemus *in Tractatu de Iuſtificatione, diſputatione 2. dubio 6.*

Quartum corollarium. 95. Quarto, & ultimo colligitur deciſio alterius difficultatis, quam ſolent interpretes communiter diſcutere in præſenti, an videlicet ſit neceſſaria gratia ſpecialis ad adimplendum præcepta virtutum infuſarum? *An requiratur gratia ad adimplenda præcepta virtutum infuſarum.* Cui reſpondetur ex dictis, quod ſi præceptum cadat ſupra actum virtutis infuſæ, non poterit adimpleri abſque ſpeciali gratia; bene autem ſi ſolum cadat ſupra materiam externam, circa quam verſatur virtus. Ratio eſt: quoniam cum præcipitur actus virtutis, nequit poſitive ſatisfieri præcepto, niſi per exhibitionem prædicti actus: conſtat autem actus virtutum infuſarum eſſe entitative ſupernaturales, & fieri non poſſe abſque ſpeciali gratia: ergo cum hujuſmodi actus præcipiuntur, nequit homo abſque ſpeciali gratia ſatisfacere præcepto. Materia autem externa, utputa date eleemoſynam eſt in ſua entitate naturalis, & non excedit humanas vires: ergo valet homo abſque gratia prædictam materiam exhibere, & præcepto ſatisfacere; quamvis abſque illa non poterit tendere in finem præcepti ſupernaturalis: hæc enim ordinatio eſt proprius effectus charitatis. Quam reſolutionem docet Divus Thomas *hac 1. 2. quæſtione* 100. *articulo* 10. & 2. 2. *quæſtione* 44. *articulo* 1. *ad* 1. D.Thom.

96. Si autem ulterius inquiras, quando præceptum cadat immediate ſupra actum proprium virtutis, quando vero circa materiam externam, quæ eſt alias objectum illius. *Dubium incidens.* Reſpondetur id non ſpectare ad præſentem tractatum, ſed ad varias materias de ſingulis virtutibus. Breviter tamen, & reſolutorie dicendum eſt præcepta virtutum Theologicarum, nempe fidei, ſpei, & charitatis imperare immediate actus prædictarum virtutum, ut ſumitur ex Divo Thoma *quæſtione* 63. *articulo* 2. *ad* 2. ubi ait: *Sunt quædam peccata mortalia, quæ homo ſine gratia nullo modo poteſt vitare, quæ ſcilicet directè opponuntur virtutibus Theologicis, quæ ex dono gratiæ ſunt in nobis.* D.Thom. Quibus etiam quantum ad hoc annumeramus præceptum pœnitentiæ ſupernaturalis ob neceſſarium nexum, qui invenitur inter ejus actum primarium, qui eſt contritio, & charitatem. Et ratio eſt: quia nihil aliud excogitari poteſt, quod immediate, & primario imperetur per præcepta harum virtutum, niſi eorum actus, ut conſideranti conſtabit. Maxime cum prædicti actus ſint ex natura ſua neceſſarij ad conſecutionem ultimi finis ſupernaturalis. De aliis vero præceptis pertinentibus ad materiam virtutum infuſarum dicendum eſt immediate cadere ſupra earum materiam, ſive objectum. Unde præceptum, verbi gratia, jejunij, aut reſtitutionis ſufficienter impletur non comedendo niſi ſemel, & rem alienam reſtituendo; ſive interius adſit actus ſupernaturalis ordinans actionem externam ad proprium virtutis finem, ſive non. Idemque de aliis præceptis ſimilium virtutum dicendum eſt, ut ſatis aperte docet Divus Thomas *quæſtione* 100. *articulo* 10. D.Thom. Et fundamentum eſt: quia licet detur præceptum, verbi gratia, reſtituendi rem alienam, minime adeſt præceptum reſtituendi ex motivo virtutis infuſæ, nec affectu ad finem ſupernaturalem: ergo præceptum reſtituendi ſufficienter adimpletur per externam actionem reddendi rem alienam, quidquid ſit de interno motivo. Quod ad alia hujuſmodi præcepta proportionabiliter extendendum eſt.

DUBIUM V.

An Homo poſſit propriis viribus ſe ultimo diſponere ad gratiam ſanctificantem.

POſtquam vidimus, quas vires habeat homo in ordine ad particulares actus ſupernaturales, rectus ordo poſtulat, ut eaſdem vires perpendamus per comparationem ad ipſam gratiam, quæ eſt objectum proprium præſentis operis. Poſſumus autem in hac parte inveſtigare, utrum homo poſſit gratiam producere, vel an valeat ſaltem efficere diſpoſitiones, quibus præparetur ad ipſam. Sed quia primam difficultatem tractat Divus Thomas *infra quæſtione* 112. *art.* 1. ideo ab illa ſuperſedebimus in hoc loco D.Thom.

illorſum eam remittentes: verſabimus autem poſterius dubium, de quo agit S. Doctor *in hac quæſt.* 109. *art.* 6. Illius vero perſpicua deciſio pendet ex nonnullis ſuppoſitionibus, quas proinde breviter prælibabimus, ut ad difficultatem cum hujus dubij, cum ſubſequentium expeditionem aditum habere poſſimus.

§. I.

Obſervationes aliquæ ad dubij reſolutionem.

Quid ſit diſpoſitio. 97. Primo igitur ſtatuendum eſt ex Ariſtot. 5. *Metaph.* propriam rationem diſpoſitionis ad aliquam formam in eo ſitam eſſe, quod ſubjectum ex ſe indifferens, & elongatum à forma determinet, aptet, & appropriet ad formæ participationem, excludendo indifferentiam, ſimulque expurgando illud à contrariis diſpoſitionibus, ſi quæ fortè in eo præexiſtebant, atque à participanda forma elongabant. Sicut calor, verbi gratia, ut ſeptem trahit materiam ligni ex ſe indifferentem, ut peculiariter participet formam ignis, excluditque frigiditatem, & alia accidentia contraria, quæ à participatione prædictæ formæ impediebant: quocirca habet rationem diſpoſitionis ad talem formam, ut docent communiter Philoſophi. Unde ſatis apparet ſenſus tituli quæſtionis: inquirimus enim utrum homo valeat per proprias vires aliquid in ſe producere, quo determinetur, & aptetur ad receptionem gratiæ, atque emundetur ab impedimentis contrariis.

Diſpoſitionum genera. 98. Deinde nota tria eſſe genera diſpoſitionum ad aliquam formam, nempè ultimam, remotam, & remotiſſimam, ſive impropriam. Diſpoſitio ultima eſt, quæ connectitur cum forma; & eſt duplex, alia conſequens, quæ formam ſequitur, eamque in primo ſuæ productionis inſtanti comitatur: quo pacto ſe habet calor ut octo ad formam ignis: alia vero antecedens, ad quam videlicet ſequitur forma: ſicut comparatur calor ut ſeptem ad formam ignis. Remota vero dicitur, quæ non importat tantum determinationem ad conſecutionem formæ; appropriat tamen quantum eſt de ſe ſubjectum, & trahit ipſum ad ultimiorem diſpoſitionem, utpote quæ eſt ejuſdem ordinis cum ipſa: qua ratione calor ut quatuor, vel ut quinque comparatur ad formam ignis, & ad calorem ut octo. Remotiſſima autem, atque impropria diſpoſitio appellatur id, quod non determinat adhuc remotè ſubjectum ad participationem formæ; ſed tantum dicitur ipſum diſponere, quatenus reddit illum minus ineptum, ut alias, & ab altero agente diſponatur: quo modo ſiccitas ligni præparat ad formam ignis: quamvis enim non determinet ad ignem, reddit tamen paſſum minus ineptum, ut queat ad formam ignis diſponi. Quæ etiam diverſitas reperitur proportionabiliter in iis, per quæ homo diſponitur ad gratiam, ut ſumitur ex Div.

D.Thom. Thom. *infra quæſt.* 112. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. Dantur enim quidam actus, qui ultimo diſponunt ad gratiam, & connectuntur cum illa: cujuſmodi ſunt amor ſupernaturalis Dei, & dolor de peccatis ex eodem amore procedens. Alij autem diſponunt remotè: quamvis enim non inferant infallibiliter gratiam, emolliunt tamen cor, & trahunt illud ad ulteriores actus, quibus ultimo ad gratiam diſponatur: & tales ſunt aſſenſus fidei ſupernaturalis, timor inferni, & horror futuri judicij, aliique actus ex auxilio ſupernaturales. Alij vero actus vel nullo modo diſponunt, vel ſolum diſponunt impropriiſſimè, & quaſi negativè: quia non dicunt ullam habitudinem ad gratiam; ſed ſolum reddunt ſubjectum minus ineptum, hoc eſt, minus affectum peccatis: & hujuſmodi ſunt actus naturales moraliter boni, quos dum homo exercet, non peccat, nec indiſponitur, etſi per eos non accedat poſitivè ad gratiam. Dubium ergo præſens præcipuè procedit de diſpoſitione ultima, qua homo ſufficienter ad gratiam præparatur: de cæteris vero diſpoſitionibus in aliis dubiis agemus.

99. Ulterius obſerva gratiam habitualem non infundi de lege ordinaria adultis, quin detur aliqua diſpoſitio ex parte illorum. Quod ex profeſſo oſtendemus *in Tractat. de Iuſtificat. diſp.* 3. *dub.* 1. & nunc breviter oſtenditur. Tum quia ita paſſim docet Scriptura, ut Proverb. 16. *Hominis eſt præparare animam,* 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino.* Zachar. 1. *Convertimini ad me.* Quamobrem hæc veritas diffinita eſt in Concilio Tridentino *ſeſſione* 6. *canon.* 5. *&* 6. Tum etiam quia gratia non deſtruit naturam, ſed eam perficit: conſtat autem, quod in naturalibus non introducitur forma perfecta niſi in ſubjecto diſpoſito: ergo gratia habitualis, quæ eſt perfectiſſima forma in ordine ſupernaturali, non communicatur de lege ordinaria adulto, niſi iſte præparetur ad ipſam. Tum præterea quia alias non poteſt aſſignari conveniens ratio, quare unus adultus recipiat gratiam habitualem magis copioſam, quam alius; niſi recurramus ad inæqualitatem diſpoſitionum. Tum denique, quia ſi homo non diſponitur ad gratiam, fruſtra expectat Deus electionem, & conſenſum noſtrum juxta illud Hierem. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere.* Et Ezech. 18. *Projicite iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum,* & alia: quæ apertè oſtendunt in communicatione gratiæ reperiri, & requiri diſpoſitionem ex parte noſtri.

Adulti recipiunt gratiam dependenter à diſpoſitione. — *Proverb.* 16. — *1. Reg.* 7. — *Zachar.* 1. — *Conc. Trid.* — *Hierem.* 3. — *Ezech.* 18.

100. Hujuſmodi autem diſpoſitio non conſiſtit in ſola non reſiſtentia voluntatis, qua ſuppoſita Deus pro libito ſuo infundat gratiam in eo gradu, qui ſibi placet, ut falſo exiſtimavit Henricus *quodlib.* 5. *quæſt.* 24. ſed conſiſtit in aliquo poſitivo, ut communiter tradunt Doctores, qui etiam adverſam opinionem temeritatis, aut etiam erroris cenſura inurunt. Et merito quidem: nam teſtimonia proximè relata non ſolam carentiam reſiſtentiæ ſignificant, ſed poſitivam præparationem, & converſionem ad Deum important. Idemque convincunt rationes: quoniam in naturalibus, quibus ſeſe accommodant gratuita, diſpoſitio ad formam non conſiſtit in ſola non repugnantia paſſi; ſed dicit aliquid poſitivum, quo paſſum determinatur, & trahitur ad formam ob ſimilitudinem in accidentibus, quæ incipit participare, ut conſtat ex ſupra dictis. Præſertim quia diſpoſitio importat aliquod ſpeciale genus cauſæ cum reſpectu paſſi, quod ad formam aptat, cum reſpectu formæ, quam inducit: ſed non reſiſtentia, cum ſit quædam carentia, nequit habere rationem cauſæ; ſiquidem hæc ſupra conceptum generalem principij addit influxum poſitivum in effectum: ergo diſpoſitio, quam Scriptura, & Concilia adſtruunt eſſe neceſſariam ad juſtificationem adulti, non conſiſtit in carentia reſiſtentiæ, ſed magis in aliquo poſitivo.

Ad hanc diſpoſitionem non ſufficit non reſiſtere. — *Henricus.*

101. Dices:

Objectio. 101. Dices: ad formam naturalem quatenus dat gradum eſſendi, non requiritur aliqua diſpoſitio poſitiva; ſed ſufficit materia non reſiſtens, ſeu carens diſpoſitione contraria, ut expreſſe docet Divus Thomas 1. *parte quæſt.* 76. *art.* 6. (D. Thom.) atqui gratia ſanctificans eſt forma communicans primum eſſe ſupernaturale juxta illud Apoſtoli 1. *ad Corinth.* 15. (1. ad Cor. 15.) Gratia Dei ſum id, quod ſum: ergo ad prædictam gratiam non requiritur diſpoſitio poſitiva; ſed ſufficit, quod homo non reſiſtat, aut impediat ejus infuſionem.

Solvitur. 102. Reſpondetur primo conceſſis præmiſſis negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt: quia materia eſt omnino determinata ad eſſe ſubſtantiale, ſive ab iſta, ſive ab illa forma communicetur: unde ſe ipſa dicit immediatum ordinem ad prædictum eſſe, & omnimodam commenſurationem cum illo: quamobrem ſuperflua foret aliqua diſpoſitio poſitiva, ut induceret hujuſmodi coaptationem. Anima autem non eſt ſe ipſa determinata ad participandum actu gratiam ſanctificantem, nec dicit immediatum, & poſitivum ordinem ad ipſam; cum hæc ſit ſupra omnem ordinem, & exigentiam naturæ: & ideo opus eſt, quod anima per aliquid poſitivum diſponatur, ut gratiam ſanctificantem modo connaturali recipiat.

Secundo reſpondetur diſtinguendo conſequens: & ſi intelligatur de gratia ſanctificante ſecundum quod dat primum eſſe ſupernaturale, quatenus præſcindit ab eſſe permanenti, & tranſeunti, ſive ab eſſe per modum habitus, & per modum diſpoſitionis concedatur: nam ſicut ad primum auxilium ſupernaturale non requiritur aliqua diſpoſitio; ita neque ad gratiam ſanctificantem, quatenus præciſe communicat prædictum eſſe ſupernaturale, univerſaliſſime acceptum. Cæterum hoc pacto non explicat rationem formæ; ſed magis habet conditionem generalem tam formæ, quam auxilij. Si autem intelligatur de eſſe ſupernaturali permanenti, & per modum formæ, neganda eſt conſequentia: quia ex una parte forma non communicatur niſi ſubjecto ad ipſam recipiendam determinato, & coaptato; & ex alia parte anima nequit per ſe ipſam determinari, & proportionari ad gratiam, cum hæc ſit ſupra ordinem illius. In quo plurimum differt forma dans primum eſſe ſupernaturale ab ea, quæ primum eſſe naturale communicat, ut ſatis ex ſe liquet.

Diſpoſitio adultorum ad gratiam non eſt à ſolo Deo. 103. Præterea ſupponendum eſt, diſpoſitionem, quæ pro infuſione gratiæ requiritur, & præcipue ultimam non cauſari à ſolo Deo, ſed etiam ab homine libere cooperante motioni divinæ. Quod diſertis verbis determinat Concilium Tridentinum (Conc. Trid.) *ſeſſ.* 6. *can.* 4. ubi ait: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.* Idemque apertè ſumitur ex teſtimoniis Scripturæ ſupra relatis, quibus admonetur homo, ut ſe diſponat ad gratiam: quæ exhortatio vana profeſſio eſſet, ſi ſolus Deus efficeret hujuſmodi diſpoſitionem. Et ratio eſt: quoniam acceſſus, & receſſus ad aliquem terminum eodem proportionali modo debent contingere: ſed receſſus hominis à Deo, & deſtructio gratiæ fit per motus peccaminoſos liberi arbitrij, ut ex ſe conſtat: ergo acceſſus hominis ad Deum, & gratiæ reparatio debent etiam fieri per motus laudabiles ejuſdem arbitrij, quibus ſe præparet ad divinam amicitiam. Eo vel maxime, quod ſanctificatio adulti eſt voluntaria: id autem non contingeret, ſi nulla diſpoſitio eliceretur ab adulto: tunc quippe mere paſſive ſe haberet ad communicationem gratiæ, & hæc eſſet omnino ab extrinſeco. Quod latius expendemus *infra quæſtione* 112. *& loco ſupra citato ex tractatu de juſtificatione.*

104. Suppoſito igitur, quod homo adultus poſſit, & debeat poſitive, & per actus proprios ſemetipſum ad gratiam præparare; difficultas præſentis dubij in eo conſiſtit, ut inveſtigemus qualitatem virium naturalium ad producendum hujuſmodi diſpoſitionem: & ita inquirimus utrum valeat homo per proprias vires, & independenter ab auxilio Dei ſe ultimo diſponere ad gratiam ſanctificantem. Et procedit difficultas circa ea, quæ phyſice, & ſufficienter diſponunt: nam de aliis, quæ ſolum remote, & moraliter, hoc eſt per modum meriti, & impetrationis ſolent ad gratiam conducere, agemus in dubiis ſequentibus. *Punctum difficultatis.*

§. II.

Aſſeritur Veritas catholica & authoritate munitur.

105. Dicendum eſt hominem per ſolas vires naturales non poſſe ſufficienter ultimò ſe ad gratiam ſanctificantem diſponere. *Concluſio de fide.* Hæc concluſio (quidquid contendant aliqui Scholaſtici antiqui) eſt de fide, eamque docent communiter Theologi, Divus Thomas *in præſenti art.* 6. (D. Thom.) *& quæſt.* 112. *art.* 3. *& contra gentes cap.* 149. *& de verit. quæſt.* 74. *articulo* 15. *& quodl.* 1. *art.* 7. ad Hæbræos 12. *lect.* 3. & alibi ſæpè. Albertus *in* 2. *diſt.* 28. *art.* 2. Bonavent. *ibidem art.* 2. *quæſt.* 1. Ægidius *art.* 2. *quæſt.* 3. Gregor. *diſtinct.* 26. *quæſt.* 1. *art.* 1. Eſtius *diſt.* 26. §. 34. Capreolus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. ad argumenta Henrici. Marſilius *quæſt.* 18. *artic.* 3. *concluſ.* 4. Henricus *quodl.* 8. *quæſt.* 5. Adrianus *quodl.* 5. *art.* 3. Oſius Cardinalis *tom.* 1. *Confeſſionis fidei cap.* 13. Roffenſis *art.* 13. Driedo *de captivitate tract.* 3. *cap.* 4. Soto *lib.* 2. *de natura, & gratia cap.* 3. *&* 4. Vega *lib.* 4. *de juſtificat. cap.* 6. Bellarminus *lib.* 6. *de gratia cap.* 5. Ferrara 3. *contra gentes cap.* 159. Alvarez *de auxiliis diſput.* 55. *concluſ.* 1. Cornexo 1. *parte quæſt.* 23. *diſp. unica dub.* 3. Curiel *infra quæſt.* 112. *art. dub.* 3. *conc.* 1. Cajetanus *in præſenti* ubi etiam Zumel *diſp. unica, concluſ.* 1. Lorca *diſp.* 11. Monteſ. *diſp.* 28. *quæſt.* 5. Joan. à S. Thom. *diſp.* 20. *art.* 1. Gregor. Martinez *dub.* 3. Arauxo *dub.* 3. Medina *concl.* 1. ubi ſobrie monet attente, & cum ſcrupulo legendos eſſe in hac materia aliquos Scholaſticos antiquos, qui arbitrantes ſe contradicere D. Thomæ adverſantur revera Scripturæ, & Conciliorum decretis.

(Albertus. Bonavent. Ægid. Gregorius. Eſtius. Capreol. Marſilius. Henricus. Adrian. Oſius. Roffenſis. Driedo. Soto. Vega. Bellarminus. Ferrara. Alvarez. Cornexo. Curiel. Caietanus. Zumel. Lorca. Monteſinos. Joannes à S. Thoma. Gregor. Martinez. Arauxo. Medina.)

106. Probatur primo hæc veritas ex Scriptura divina, cujus licet poſſemus innumera proferre teſtimonia; conſulto tamen brevitatis gratia unum, aut alterum duntaxat adducemus, adjuncta expoſitione Auguſtini, quæ ſummæ auctoritatis eſt in hac parte, ut præmiſimus *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 1. *Fundamentum ex ſacra Scriptura.* Primum eſt illud: *Sine me nihil poteſtis facere*, Joan. 15. (Joann. 15.) Quod Auguſt. (D. Auguſt.) *lib.* 1. *contra duas epiſtolas Pelagian. cap.* 8. Urget in hunc modum: *Dominus, ut reſponderet futuro Pelagio,*

Digitized by Google

non ait : Sine me difficile poteſtis aliquid facere: ſed ait : Sine me nihil poteſtis facere. Et ut reſponderet futuris etiam iſtis in eadem ipſa Evangelica ſententia, non ait : Sine me nihil poteſtis perficere, ſed facere. Nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt; ſed ad perficiendum eſſe Dei adjutorium neceſſarium.

Joann. 6. Secundum habetur Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum.* Quo teſtimonio utitur Divus Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianor. capite 19. ubi ait: *Non enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, quo novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Pſalm. 76. Tertium eſt illud Pſalm. 76. *Et dixi nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ excelſi :* Quæ verba

D. Auguſt. ſic expendit Auguſtinus *libro 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum capite ultimo* in fine: *Cum ergo dixiſſet, nunc cœpi : non ait, hæc mutatio arbitrij mei, ſed dextera Excelſi. Sic igitur gratia Dei cogitur, ut ab initio bonæ mutationis ſuæ uſque in finem conſummationis, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia ſicut nemo poteſt bonum inchoare ſine Domino: ſic nemo perficere ſine Domino.* Idem ſignificatur in aliis pluribus ſcripturæ locis, qualia ſunt

Pſalm. 68. Pſalm. 84. *Converte nos*

Thren. 5. *Deus ſalutaris noſter*, & Thren. 5. *Converte nos*

Proverb. 8. *Domine, & convertemur*, & Proverb. 8. *Præparatur voluntas à Domino*, &

Ezech. 3. Ezech. 3. *Ego dabo vobis cor novum, & auferam cor lapideum*, & alia plura, quæ in ſacra pagina, vel nullo inquiſitionis ſtudio paſſim occurrunt.

Ex Conciliis. 107. Secundo probatur eadem veritas ex

Conc. Arauſ. Conciliis, & præcipuè ex Arauſicano 2. nam can. 4. ait: *Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti : Præparatur voluntas a Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti : Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate*, Et can. 5. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam Dei dicit conferri; non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur : aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obediens, & humillimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti : Quid habes, quod non accepiſti? & gratia Dei ſum, id, quod ſum.* Et can. 19. *Natura humana, etiam ſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſe ipſam, creatore ſuo non adiuvante ſervaret. Unde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit*, & can. ultimo. *Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuvamur : ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat.*

Conc. Milev. Idem ſtatuunt Concilium Milevitanum *can. 4.*

Conc. Trid. & denique Tridentinum *ſeſſ. 6. capite 5. & 6. & can. 3.* ubi hæc habentur : *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

108. Tertio, & ultimo habetur hæc veritas ex determinatione Summorum Pontificum Cæleſtini primi *epiſt. 1.* ad Epiſcopos Galliæ *cap. 12.* & Leonis I. *epiſt.* 84. Innocentius primus in reſcriptis ad Concilium Carthaginenſe, & Milevitanum, quæ inter epiſtolam Auguſtini ſunt 91. & 93. Qui Pontifices oppoſitum Pelagianorum, & ſequacium dogma condemnarunt, ut fuſius diximus *diſput. 1. cap. 5. §. 5.* Eandem veritatem frequenter tradunt ſacri Doctores Auguſt. *locis ſupra relatis*, & aliis pluribus, Cyprianus in expoſitione orationis Dominicæ, Ambroſ. *libro de converſ. gentium cap. 5. & 7.* Hieronimus *libro 1. contra Pelagian. capite 3.* Chryſoſtomus *hom. 4. ſuper epiſt. 2. ad Theſſal.* Gregorius *lib. 22. Moral. cap. 5.* Hilarius *can. 23. in Matth.* Fulgentius *libro de Incarnatione Chriſti capite* 18. Theophil. *ſuper epiſt. 2. ad Corinth. cap.* 12. & denique Proſper veriſſimus Auguſtini diſcipulus eandem veritatem frequenter repetit, ut *libro contra Collat. cap. 6. & reſponſ. 8. ad cap. Gallor. & in carmine de ingratis cap.* 25. Ubi hæc præclare de gratia profert.

Ex Summis Pontif. Cæleſt. I. Leo I. Innocent. I. Ex ſanctis Patribus. Auguſt. Cyprian. Ambroſ. Hieronym. Chryſoſt. Gregor. Hilarius. Fulgent. Theophil. Proſper.

Quæ niſi plena malis non invenit : & niſi donet
Quæ bona ſunt, nihil efficiet bene cæca voluntas.
Hac ut cuiuſquam ſtudio, affectuque petatur,
Ipſa agit, & cunctis dux eſt venientibus ad ſe:
Perque ipſam niſi curratur, non itur ad ipſam.
Ergo ad iter pariter ferimur : ſine lumine lumen
Nemo videt : vitam ſine vita inquirere mors eſt. Effugium.

109. Reſpondebis omnia relata teſtimonia procedere in ſenſu longe diverſo ab eo, quem in aſſertione intendimus : quippe quæ ſolum negant opera viribus naturæ elicita habere rationem meriti, cui gratia debeatur; minimè vero, quod poſſint eſſe diſpoſitiones phyſicæ, quibus aptetur ſubjectum ad gratiam abſque ullis meritis recipiendam : & hoc poſterius erat neceſſarium, ut poſſet ex illis aſſertio noſtra firmari. Idque vel ex eo colligitur, quod frequenter in prædictis teſtimoniis adjiciuntur illæ particulæ *ſicut oportet* : quibus ſatis apertè ſignificatur, quod impotentia, quam libero arbitrio attribuunt, non eſt reſpectu diſpoſitionum phyſice ſumptarum, ſed quatenus moraliter conferunt ad ſalutem, merenturque, aut impetrant divinam gratiam.

110. Sed contra eſt *primo* : quia licet in nonnullis ex relatis teſtimoniis fiat aliqua mentio meriti, in aliis autem, quæ multò plura ſunt, nulla ratio meriti habetur, ſed ſolius conducentiæ ad conſecutionem gratiæ, ut ex ſola eorum lectione conſtat : atqui diſpoſitio phyſica, & ultima ad aliquam formam nequit non plurimum conferre, ut ſubjectum eam conſequatur, & recipiat : ergo ex prædictis auctoritatibus evincitur impotentia hominis, nedum ut mereatur gratiam ſanctificantem, ſed etiam ut phyſice, & ultimo diſponatur ad ipſam. *Secundo* quia excellentius eſt ponere propriis viribus ultimam diſpoſitionem phyſicam ad gratiam, quam illam promereri, vel impetrare; cum multo major nexus, & proportio inveniatur inter formam, & diſpoſitionem ultimam phyſicam, quam inter formam, & meritum, ut inductive poteſt oſtendi : ergo ſi Scriptura, Concilia, & Patres negant, quòd homo valeat ſuis viribus mereri gratiam ſanctificantem, Confutatur.

cantem, ut interpretatur reſponſio, quam impugnamus à fortiori ſtatuunt, quod homo non valet ſuis viribus ſe ad prædictam gratiam phyſice, & ultimate diſponere. *Tertio* quia ſi ſemel homo poſſet ſuis viribus ſe præparare ſufficienter phyſice ad gratiam ſanctificantem; poſſet quantum eſt ex ſe, illam mereri ſaltem de congruo; ſiquidem actus, quibus diſponeretur ex uno capite eſſent ejuſdem ordinis cum gratia, & ex alio non procederent ab ipſa: ergo è contra ſi nequit homo propriis viribus eam mereri; non poterit ad ipſammet ſe diſponere. Quarto,& præcipuè, quia prædicta teſtimonia aperte damnant aſſerentem, quod poſſit abſque gratia aliquid efficere quoquo modo conducens ad ſalutem: ſed ultima diſpoſitio phyſica ad gratiam confert plurimum ad ſalutem; cum eam infallibiliter inferat: & ea poſita nequit Deus citra miraculum communicationem gratiæ ſuſpendere: ergo damnant aſſerentes, quod poſſit homo ſuis viribus ſe phyſice, & ultimo diſponere ad gratiam ſanctificantem. Per quod evaneſcit id, quod in hac evaſione addebatur: nam diſponere *phyſice* non eſt additum diminuens,ſed potius exaggerat vim diſpoſitionis, & nexum ejus cum forma: atque ideo ſi ex illis particulis *ſicut oportet* evincitur impotentia hominis ad diſpoſitionem moralem reſpectu gratiæ, multo magis colligetur inſufficientia ad diſpoſitionem phyſicam.

§. III.

Probatur concluſio ratione D. Thomæ.

Ratio pro eadem veritate. D. Thom.

111. Secundo ſuadetur aſſertio communis ratione deſumpta ex D. Thoma *in præſenti art. 6.* quæ poteſt ad hanc formam reduci: quoniam ad idem agens ſpectat introducere formam, & ultimam diſpoſitionem ad formam: ſed ſolus Deus ut auctor ſpecialis, & ſupernaturalis producit gratiam in anima, ut infrà oſtendemus diſput.... dub.... ergo ad ſolum Deum auctorem ſpecialem ſupernaturalem ſpectat producere ultimam diſpoſitionem ad gratiam: atqui repugnat hominem ſuis viribus attingere id, ad quod requiritur concurſus ſpecialis Dei auctoris ſupernaturalis; ſiquidem implicat deſiderari concurſum ſpecialem ſupernaturalem ad id, ad quod ſufficiunt vires naturales humanæ, ut ex terminis conſtare videtur: ergo homo nequit ſuis viribus efficere ultimam diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem. Cætera conſtant, & major, in qua ſola poterat eſſe difficultas, eſt ſatis manifeſta tum inductione: nam ignis, qui introducit formam ignis, introducit etiam calorem ut octo, qui eſt ultima diſpoſitio ad prædictam formam: & equus generans equum, ejuſque formam educens introducit etiam diſpoſitiones ad illius formam requiſitas, & ſic de aliis. Immo vero ſi loquamur de forma ſubſtantiali, & de agente naturali, eatenus agens introducit formam, quatenus inducit ultimam diſpoſitionem antecedentem; ſiquidem forma ſubſtantialis non fit per actionem ab alteratione diſtinctam, ſed per actionem terminatam immediate ad diſpoſitiones, ut bene oſtendunt N. Complutenſes *in libro de generat. diſp.2. quæſt.2.* Tum etiam ratione: quoniam diſpoſitio ultima vel conſequitur ſimpliciter formam, uti ſe habet calor ut octo ad formam ignis; vel ad eam inducendam tendit per ſe, & immediate, ſicut comparatur calor ut ſeptem ad eandem formam: ſed repugnat, quod aliquid diſtinctum ab agente inducente formam, vel producat id, quod formam conſequitur; ſiquidem qui dat formam, dat conſequentia formam: vel efficiat id quod ad inferendum formam, tendit per ſe, & immediate; cum ſupponatur non poſſe prædictam formam producere: ergo ad agens, quod producit formam, pertinet efficere ultimam diſpoſitionem ad illam.

Noſtri Complutenſes.

112. Confirmatur,& expenditur amplius vis hujus argumenti ex Divo Thoma *3. contra gentes cap.149.* ratione prima: quoniam materia nequit ſe diſponere ad formam, ſed debet ab agente diſponi: atqui homo conſideratus ſecundum ſua naturalia ſe habet ut materia reſpectu gratiæ ſanctificantis: ergo nequit ſuis viribus ſe ad illam præparare. Major conſtat: quia diſponere ad formam eſt efficere diſpoſitiones ad formam requiſitas: ſed efficere diſpoſitiones non ſpectat ad materiam; cum hæc ad eaſdem comparetur per modum potentiæ receptivæ: & unumquodque agat ſecundum quod eſt in actu: ergo materia non ſe diſponit ad formam: ſed id munus agenti attribuendum eſt. Minor etiam liquet: quia homo nullam activitatem proximam habet in gratiam ſanctificantem, ſed meram potentiam obedientialem: ergo comparatur per modum materiæ ad ipſam. D. Thom.

113. Cæterum adverſus hanc rationem, & confirmationem plura ſe offerunt, quæ videntur earum vim imminuere. *Primò* quia homo nequit efficere animam rationalem; cum hæc à ſolo Deo per actionem creativam producatur: & tamen poteſt diſponere materiam ad receptionem animæ; alias non poſſet alterum hominem generare: ergo falſum eſt, quod ad idem agens ſpectet producere formam, & diſpoſitiones ad illam: poteritque proinde homo per proprias vires efficere ultimam diſpoſitionem ad gratiam, quamvis hanc nequeat producere. *Objectiones contra noſtram rationem. Prima.*

114. *Secundo* quia ex oppoſito fieret, quod homo non poſſet adhuc per auxilia ſupernaturalia ſe diſponere per modum cauſæ principalis ad receptionem gratiæ: conſequens eſt omnino abſurdum: ergo, &c. Sequela oſtenditur: quia homo etſi adjuvetur ſupernaturalibus auxiliis, nequit gratiam ſanctificantem per modum cauſæ principalis producere, ut loco citato oſtendemus; ergo ſi ad idem agens ſpectat producere formam, & diſpoſitiones ad illam; ſequitur, quod homo etiam adjutus auxiliis ſupernaturalibus nequeat principaliter producere diſpoſitiones ad gratiam requiſitas. Minor etiam conſtat: quia homo ultimo diſponitur ad gratiam per converſionem actualem ad Deum finem ſupernaturalem, quæ invenitur vel in amore charitatis, vel in contritione orta ex eodem amore: atqui homo concurrit principaliter ad hos actus, & quia vitales, & quia meritorii ſunt: ergo abſurdum eſt, quod homo non efficiat per modum cauſæ principalis diſpoſitiones deſideratas ad gratiam habitualem. *Secunda.*

115. *Tertiò* quia ſi daretur ſtatus integritatis, non valeret homo propriis viribus producere prædictam integritatem; alias hæc non haberet rationem gratiæ ſimpliciter, ſed potius eſſet proprietas, vel quidam effectus naturæ: atqui poſſet tunc homo propriis viribus ſe diſponere ad integritatem hujuſmodi: ergo quamvis homo nequeat propriis viribus efficere gratiam ſanctificantem; poterit tamen producere diſpoſitiones deſideratas ad illam. Conſequentia videtur nota à paritate rationis. Minor autem ſuadetur: quoniam *Tertia.*

Digitized by Google

niam diſpoſitio requiſita ad integritatem naturalem non in alio conſiſteret, quam in cognitione, & amore Dei finis naturalis; ſiquidem ex uno capite illa integritas, ut pote naturalis entitative non poſceret diſpoſitiones ſupernaturales: & ex alio capite prædicti actus ſunt inter naturales nobiliſſimi: atqui poſſet homo propriis viribus elicere cognitionem, & amorem Dei finis naturalis, ut conſtat ex dictis *diſp. præced.* ergo poſſet homo propria virtute ſe diſponere ad integritatem naturalem.

Quarta. D. Thom. 116. *Quartò* nam ut inquit D. Thom. in hoc artic. *Hoc eſt ſe praeparare ad gratiam quaſi ad Deum converti. Sicut ille, qui habet oculum averſum à lumine ſolis, per hoc ſe praeparat ad recipiendum lumen ſolis, quod oculos ſuos convertit verſus ſolem*: ſed licet homo nequeat propriis viribus efficere lumen ſolis; valet tamen ſe convertere ad ſolem, qua converſione diſponitur ad recipiendum prædictum lumen: ergo quamvis nequeat propriis viribus efficere gratiam ſanctificantem; poterit nihilominus propria virtute ſe in Deum convertere, atque ideo ſe ad gratiam præparare: alias improportionatum eſſet exemplum, quo utitur S. Doctor.

Quinta. *Quintò* quoniam in reconciliatione facta inter homines, quamvis ad ſolum offenſum pertineat ponere formam, aut quaſi formam moralem remiſſivam offenſæ, & reconciliantem ſibi offendentem; ad hunc tamen ſpectat ponere diſpoſitionem requiſitam ad prædictam formam, ut puta ſummiſſionem, & dolorem culpæ præteritæ: ergo in reconciliatione hominis cum Deo, quæ fit per gratiam, licet pertineat ad Deum producere formam remiſſivam offenſæ, nempe gratiam ſanctificantem, homo tamen poterit propriis viribus efficere diſpoſitiones requiſitas ad infuſionem prædictæ gratiæ.

Sexta. *Sextò*, & ultimo: quia quamvis homo ſe habeat per modum materiæ reſpectu gratiæ ſanctificantis, tamen reſpectu diſpoſitionum ad gratiam ſe habet per modum agentis, cum ad eas concurrat vitaliter: ergo ex eo, quod nequeat ſuis viribus efficere gratiam, minime evincitur, quod non valeat diſpoſitiones ad ipſam producere.

Objectionum enodatio. 117. Hæc tamen non enervant rationem D. Thom. ſed compellunt duntaxat, ut eam amplius explicemus: quod præſtabimus diluendo ſingulas objectiones. Ad primam ergo reſpondetur, quod ſicut homo non producit animam rationalem, ita nec producit illam diſpoſitionem, quæ ad animæ fieri concurrat: nam anima cum fiat per creationem, ſicut non dependet in ſuo fieri a materia: ita nec dependet ab illis diſpoſitionibus: eæ quippe ex parte ſubjecti ſe tenent.

Ad primam. Concurrit tamen homo ad producendum animam rationalem ut unitam, ſeu, quod idem eſt, ad efficiendam unionem: & hoc pacto etiam habet vires ſufficientes, ut producat diſpoſitiones, quæ ad unionem, vel ad formam ut unitam deſiderantur. Unde ex vi hujus exempli potius verificatur ſpectare ad idem agens producere formam, & diſpoſitiones ad illam.

Replica. Dices: ergo ſicut homo non efficit animam rationalem, unit tamen eam, & ultimo diſponit ad ipſam recipiendam: ita quamvis non efficiat gratiam ſanctificantem, poterit tamen eam unire, & ſe ultimo diſponere ad infuſionem illius.

Solvitur. Reſpondetur negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod gratia ſanctificans ut pote forma accidentalis, & producta per eductionem, debet per eandem actionem fieri, & uniri: eſt quippe de conceptu eductionis, quod ſimul producat, & uniat, ut docent Noſtri Complutenſes *in libro Phyſic. diſput.* 4. *quæſt.* 2. Unde cum *Noſtri Complutenſes.* ſolus Deus per modum cauſæ principalis producat gratiam ſanctificantem, ad ipſum ſolum ſpectat gratiam animæ infundere, atque unire. Anima autem rationalis ut pote per creationem producta per unam actionem fit, & per alteram unitur materiæ: unde licet à ſolo Deo producatur, locus tamen relinquitur homini generanti, ut ipſam materiæ annectat efficiendo modum unionis. Præterquam, quod anima rationalis, & unio illius ad materiam ſunt ordinis naturalis, & non excedunt perfectionem hominis generantis: unde non eſt, cur iſta non valeat prædictam unionem attingere, & materiam ultimò præparare. Gratia autem, & illius communicatio ſunt ordinis divini, & fiunt à Deo auctore ſupernaturali: quamobrem homo ſibi relictus non poteſt efficere nec gratiam, nec ejus unionem, nec ultimam diſpoſitionem ad illam.

Ad ſecundam negamus ſequelam: quia licet *Ad ſecundam.* agens producens formam debeat etiam producere diſpoſitiones ad illam: & hinc optime colligat D. Thom. quod ſi Deus ut auctor ſupernaturalis efficit gratiam ſanctificantem, debeat eſſe cauſa ſpecialis diſpoſitionum, quæ ad gratiam requiruntur. Ex quo ulterius recte infertur prædictas diſpoſitiones eſſe effectum proprium agentis ſupernaturalis, ſubindeque fieri non poſſe per ſolas vires naturæ. E converſo autem non valet, quod qui nequit producere formam, nequeat ſaltem in virtute ejuſdem formæ producere ultimam diſpoſitionem concomitantem, ſeu conſequens. Et ratio quantum ad præſentem materiam eſt: nam ultima diſpoſitio concomitans gratiam, nempe amor Dei, vel contritio oritur ab ipſa gratia ſanctificante, ut late oſtendemus *in Tract. de Juſtificat. diſput.* 3. *dub.* 4. Unde licet homo nequeat gratiam principaliter producere, cum nihil habeat in ſe, per quod illam præcontineat, poteſt nihilominus per eam conſtitutus influere principaliter in actus, quibus ad eam diſponitur: & ideo verificatur, quod non poſſit efficere formam, & tamen valeat efficere diſpoſitiones concomitantes, & requiſitas ad ipſam.

Diximus *ultimam diſpoſitionem concomitantem, ſeu conſequentem*: quia ſi loquamur de ultima diſpoſitione antecedenti ad formam ſubſtantialem ſolus ille valet prædictam diſpoſitionem producere, qui valet efficere talem formam: eo quod forma ſubſtantialis reſultat in genere cauſæ efficientis, & abſque nova actione ex prædicta diſpoſitione antecedenti: unde hanc efficiens efficit etiam formam, juxta illud, quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati in eodem genere cauſæ: cujus oppoſitum contingit in diſpoſitionibus conſequentibus ob oppoſitam rationem. Cæterum reſpectu gratiæ ſanctificantis nulla datur diſpoſitio phyſica antecedens, ex qua reſultet per ſequelam naturalem, & quæ poſſit in hoc ſenſu vocari ultima: nam poſito quocumque actu gratiam ſimpliciter antecedente, poteſt infuſio gratiæ impediri: quocirca ſola diſpoſitio concomitans & conſequens poteſt ultima appellari. Et ideo abſolute verificatur ſolum illud agens poſſe propria virtute producere ultimam diſpoſitionem ad gratiam, qui ſua virtute valet gratiam efficere quod ſoli Deo convenit, ut conſtat ex dictis.

Ad tertiam negamus minorem: quoniam ſi *Ad tertiam.* loquamur de diſpoſitionibus antecedentibus: nulla daretur, quæ phyſice, & ex natura rei connectetur

Digitized by Google

necteretur cum integritate naturali, eamque naturali ſequela inferret: ſicut nec modo reſpectu gratiæ ſanctificantis datur hujuſmodi diſpoſitio. Actus enim cognitionis, & amoris Dei finis naturalis, qui ſoli poſſent habere rationem diſpoſitionis antecedentis conſiderati ſecundum ſe, nullam connexionem, aut vim haberent, ut phyſice inducant naturalem integritatem. Si autem ſermo ſit de diſpoſitionibus conſequentibus, & concomitantibus, darentur profectò aliquæ diſpoſitiones phyſicæ cum prædicta integritate connexæ: & hujuſmodi eſſent cognitio, & amor Dei finis naturalis non quidem conſiderati ſecundum ſe, ſed ut affecti quodam modo, quem ab ipſa integritate participarent: nam ſicut amor charitatis procedens à gratia ſanctificante diſponit phyſice, & concomitanter ad ipſam, ita amor peculiariter ortus ab illa integritate ad eandemmet diſponeret. Hinc tamen non concluditur, quod poſſit homo propriis viribus ſe diſponere ad naturalem integritatem; quandoquidem non eliceret actus, quibus ad eam diſponeretur, niſi ut conſtitutus, & perfectus per ipſam integritatem: ſicut nec elicit diſpoſitiones concomitantes gratiam, niſi ut adjutus, & elevatus per ipſam gratiam.

Objectio incidens diſſolvitur. Nec ex hoc infertur, quòd ſicut homo poſſet propriis viribus elicere actus, quibus diſponeretur ad integritatem naturalem, conſideratos ſecundum ſuam ſubſtantiam, quamvis non ut affectos illo modo, quem ab ipſa integritate participarent: ita valeat modo propriis viribus elicere actus, quibus diſponitur ad gratiam ſanctificantem, ſecundum entitatem acceptos, licet non ut præditos perfectione, quam ab ipſa gratia derivant. Hoc, inquam, non ſequitur ob manifeſtam diſparitatem: nam gratia ſanctificans, cum ſit forma entitative ſupernaturalis, petit diſpoſitiones etiam ſupernaturales entitative, quales ſunt amor charitatis, & contritio orta ex eodem amore: unde diſpoſitiones requiſitæ ad gratiam ſanctificantem excedunt tam ſecundum modum, quàm ſecundum ſubſtantiam vires naturales creatæ: & conſequenter ſecundum neutram rationem queunt prædictis viribus effici. Cæterum integritas naturalis eſt naturalis entitative, ut liquet ex terminis, & ſolum poſſeſſive gratioſa: quocirca nequit petere pro diſpoſitione actus entitative ſupernaturales. Nullus autem eſt actus naturalis, qui conſideratus diviſim, & ſecundum ſolam ſubſtantiam excedat facultatem liberi arbitrij, ut liquet ex dictis diſput. præced. ferè per totam, & ideo poſſet homo propriis viribus elicere actus diſponentes ad integritatem naturalem, non ut diſponentes, ſed ſecundum ſubſtantiam acceptos. Quia tamen prædicta integritas eſſet ſupra vires humanas, non poſſent non diſpoſitiones pro illa requiſitæ, quatenus tales eaſdem vires aliquomodo excedere: qui modus conſiſteret in peculiari perfectione, qua actus naturales ut orti à prædicta integritate gauderent: ſecundum quam rationem & virtutem hominis propriam excederent, & ad integritatem diſponerent. Quod poteſt declarari exemplo actus fidei, qui eſt in genere cognitionis ultima diſpoſitio concomitans, & conſequens gratiam ſanctificantem: nam licet prædictus actus ſecundum ſuam ſpeciem acceptus poſſit abſque gratia ſanctificante haberi, nec cum illa connectitur: tamen quatenus eſt ultima diſpoſitio ad ipſam dicit peculiarem modum perfectionis, quem ab eadem gratia media charitate participat: ratione cujus nequit fieri per ſolum habitum fidei, & importat ſpecialem nexum cum ipſa gratia ſanctificante, ad quam diſponit.

118. Ad quartam omittendo præmiſſas, negamus conſequentiam: primo quia lux ſolis, *Ad quartam* cum ſit naturalis, ſolum petit ad ſui communicationem converſionem naturalem, quam certum eſt non excedere vires hominis. Gratia autem, ut pote ſupernaturalis forma, petit in homine averſo à Deo converſionem ſupernaturalem, quæ per vires naturales haberi nequit, ut ſatis ex ſe conſtat. Secundo, & præcipue, quia converſio ad ſolem non eſt propriè loquendo diſpoſitio inducens lucem, ſed ſolum quædam conditio, quæ debet præſupponi tam ad lucem, quam ad ultimam diſpoſitionem pro luce deſideratam. Unde ex prædicto exemplo nec evincitur, quod agens impotens inducere formam valeat ſuis viribus producere ultimam diſpoſitionem ad illam; nec infertur, quod homo poſſit producere ſuis viribus converſionem ad Deum finem ſupernaturalem, quæ pro infuſione gratiæ requiritur: hæc quippe converſio non eſt ſola conditio, ſed eſt vera, & phyſica diſpoſitio cauſans, & inferens in ſuo genere gratiam, ut dicemus Tractat. de Iuſtificat. diſput. 5. dub. 5. Nec tamen ſequitur, quod D. Thom. minus rectè adduxerit prædictum exemplum: quoniam Sanctus Doctor intendit docere, quod ſicut ad recipiendum lucem à ſole requiritur, quod homo ad ſolem ſe convertat; ita ad hoc, quod homo participet à Deo gratiam, deſideratur, quod ſe convertat in Deum. Quæ eſt ſatis propria, & elegans ſimilitudo, tenetque in eo, pro quo adducitur. Cum hoc autem rectè cohæret, quod converſio ad ſolem, & converſio ad Deum plurimum differant inter ſe: nam exemplum non tenet in omnibus, ut eſt vulgare proloquium.

Ex quibus liquet ad quintam objectionem: *Ad quintam* nam in reconciliatione facta inter homines tam ſubmiſſio, qua offendens ſe ſubjicit, & diſponit; quam remiſſio offenſæ, qua offendens veterem amicitiam reformat, & novam amicitiam inſtaurat, ſunt ejuſdem ordinis: unde poteſt offendens ponere diſpoſitionem, quantum eſt de ſe, ſufficientem, ut conſequatur reconciliationem alterius. Quia tamen prædicta diſpoſitio non eſt phyſica; ſed moralis: neceſſaria eſt alterius acceptatio, ut ſortiatur effectum, pro quo exhibetur. Diſpoſitio autem ultima ad gratiam ſanctificantem debet eſſe ejuſdem ordinis, & habere phyſicam connexionem cum illa: unde cum homo nequeat ſuis viribus ponere aliquid ejuſdem ordinis cum gratia, & phyſice cum illa connexum; ſequitur, quòd non poſſit ſe ultimo ad prædictam gratiam diſponere. Quod magis conſtabit §. *ſequenti*.

Ad ſextam, & ultimam dicendum eſt, quod hoc ipſo, quod homo ſe habeat per modum materiæ *Ad ſextam.* ad gratiam ſanctificantem; rectè infertur, quòd ſecundum ſua naturalia conſideratus etiam ſe habeat per modum materiæ reſpectu ultimæ diſpoſitionis ad gratiam. Nam cum non detur aliqua ultima diſpoſitio neceſſario connexa cum gratia, niſi illa, quæ eandemmet comitatur, & conſequitur, ut ſupra diximus, & alibi ex profeſſo oſtendemus: nequit homo, ut prævenit ipſam gratiam, & ſecundum ſe conſideratus, prædictam diſpoſitionem efficere, ſed eſt in potentia tam ad gratiam, quam ad diſpoſitionem. Cum quo tamen rectè cohæret, quod gratia ſemel adjutus in diſpoſitiones active influat: atque ideo quod non ſe habeat pure paſſive reſpectu ipſarum

rum, licet comparatus, ut materia reſpectu gratiæ.

Additio. Immo vero (ne propriæ ſententiæ videamur alligare communem doctrinam) quamvis amor charitatis, aut contritio non oriretur à gratia ſanctificante, ad quam diſponunt: adhuc tamen confirmatio in ſuo robore permaneret: nam qui habet propriam efficacitatem ad diſpoſitionem ultimam antecedentem, influit etiam active in formam: unde vel non ſe habet, ut pura materia reſpectu formæ, vel ſe habere etiam debet ut materia reſpectu diſpoſitionis antecedentis. Cum ergo certum ſit, quod homo ſe habeat ut materia reſpectu gratiæ ſanctificantis; ſequitur, quod ſecundum ſe conſideratus non habeat activitatem reſpectu ultimæ diſpoſitionis ad ipſam. Semel autem elevatus per auxilium ſupernaturale influit per modum cauſæ principalis in diſpoſitiones, non autem in gratiam: quia virtus auxilij eſt ſufficiens ad continendum per modum virtutis proximæ, & adæquatæ actus ſupernaturales, minime verò gratiam ſanctificantem. Agens vero, cui virtus proxima pro diſpoſitionibus ad gratiam eſt propria, & connaturalis, etiam habet virtutem ſufficientem ad ipſam gratiam, cum illa prior virtus non diſponat ad gratiam, niſi ut derivata ab eo, qui poteſt gratiam producere, & ut ſubeſt illius intentioni. Unde ſi homo propria virtute poſſet efficere diſpoſitiones ad gratiam, poſſet etiam ſaltem per aliam actionem ipſam gratiam efficere. Et è converſo ſi ſe habet ut materia reſpectu gratiæ; neceſſum eſt, quod ſecundum ſe conſideratus ſe habeat etiam ut materia reſpectu diſpoſitionum.

§. IV.

Propugnatur eadem concluſio alio argumento.

Alia ratio pro vera ſententia. 119. SEcundum, & ſatis urgens fundamentum noſtræ ſententiæ deſumitur ex his, quæ in tota hac diſputat. diximus, poteſtque ad hanc formam reduci: quoniam ultima diſpoſitio ad gratiam conſiſtit in actibus amoris Dei finis ſupernaturalis, & contritionis ortæ ex eodem amore: ſed homo nequit ſuis viribus efficere hujuſmodi actus: ergo nequit ſe ultimo ad gratiam præparare. Major eſt certa: tum quia ita docent communiter Theologi: tum quia nulli alij actus aptius, & intimius ad gratiam præparant: ergo vel non datur ultima diſpoſitio ad gratiam, vel debet ejus ratio prædictis actibus convenire. Minor ſuadetur: quia actus habentes objectum formale ſupernaturale ſunt ſupernaturales ſecundum ſpeciem, exceduntque proinde vires hominis naturales, ut late oſtendemus dub. 2. Sed amor Dei finis ſupernaturales, & contritio ab illo orta tendunt in objecta formaliter ſupernaturalia, ut ſatis ex ſe liquet: ergo nequeunt elici ab homine ſuis viribus relicto.

Confirmatur. Confirmatur: quia ultima diſpoſitio ad gratiam connectitur cum ea ex natura rei: ſed implicat, quod homo per vires naturales producat aliquid ex natura rei connexum cum gratia ſanctificante: ergo homo per proprias vires nequit ultimo ad gratiam ſanctificantem ſe præparare. Major conſtabit ex dicendis *Tractatu de juſtificat. diſput. 3. dub. 1. & 5.* & nunc poteſt breviter oſtendi: tum inductive in aliis formis, & diſpoſitionibus ad formas naturales: nulla quippe eſt ultima diſpoſitio ad formam naturalem, quæ non nectatur ex natura ſua cum ipſa forma: quia vel conſequitur ſine nova actione ad formam, ſicut calor ut octo ad formam ignis; vel è converſo forma ſequitur ad ipſam, ſicut forma ignis calorem ut ſeptem. Tum etiam quia id, quod ex natura ſua non affert formam, non eſt, cur dicatur ultima diſpoſitio ad ipſam; quandoquidem ea poſita, poteſt adhuc poni alia ultimior, & intimior diſpoſitio: ergo ut aliquid ultimo diſponat ad gratiam, debet cum ea ex natura rei connecti. Minor autem probatur: quoniam quidquid homo per vires naturales producit, eſt entitative naturale: alias effectus excederet virtutem cauſæ: ſed id, quod eſt naturale, nequit ex natura ſua connecti cum gratia ſanctificante, quæ eſt forma nobiliſſima ſupernaturalis, ſiquidem pertinet ad ordines longe diverſos, & valde differant inter ſe, & ſupernaturalia ſunt ſupra exigentiam, & vim naturæ, ut ſatis ex ſe conſtat: ergo implicat, quod homo per vires naturales producat aliquid ex natura rei connexum cum gratia ſanctificante. Et ideo quantumcumque illas exerat, niſi gratia adjutus gratiam ſanctificantem non aſſequetur, juxta illud Bernardi in libro de gratia & libero arbitr. *Conatus noſtri & caſſi ſunt, ſi non adjuventur, & nulli, ſi non excitentur.* Et Greg. hom. 9. in Ezech. *Nos*, inquit, *prævenit, ut velimus; & volentes ſubſequitur, ne inaniter velimus.* *D. Bernard.* *D. Gregor.*

120. Huic argumento, & confirmationi occurres primo ex doctrina Cajetani infra referendi negando, quod actus diſponentes ad gratiam ſanctificantem debeant fieri ex motivo ſupernaturali, vel habere connexionem ex natura rei cum gratia. Satis enim eſt, quod ſint actus ordinis inferioris, acceptati tamen à Deo auctore ſupernaturali in ordine ad formam ſupernaturalis ordinis. Quod declarari poteſt cum in naturalibus, cum in ſupernaturalibus. In illis quidem: quia diſpoſitiones corporeæ queunt devenire ad introductionem formæ ſpiritualis, ut conſtat in generatione hominis. In his autem quia attritio entitative naturalis poteſt eſſe ultima diſpoſitio ad gratiam collatam in Sacramento pœnitentiæ, ut docent Victoria, Cano, & Sotus *libro 2. de natura & gratia capite 3.* Cur ergo in juſtificatione facta extra ſacramentum non poterunt actus pure naturales diſponere ad gratiam ſanctificantem, ſi in ordine ad hunc finem acceptentur à Deo. *Primum effugium.* *Cajet.* *Victoria.* *Cano.* *Sotus.*

Confutatur. Cæterum hæc reſponſio nullatenus poteſt ſuſtineri: *Primò*, quia ut impius ſe diſponat ad ſuam juſtificationem, requiritur gratia excitans, & adjuvans: atqui extrinſeca Dei acceptatio, nec excitat, nec adjuvat; cum pure extrinſeca ſit, actuſque ſupponat: ergo eſt inſufficiens, ut homo diſponatur ad gratiam. Minor, & conſequentia conſtant. Major autem habetur expreſsè in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 4.* his verbis. *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur.* *Secundò*, quia ut homo ſe præparet ad gratiam, indiget gratia interiori: ſed externa acceptatio non eſt gratia interior, ut liquet ex terminis: ergo non ſufficit, ut homo diſponatur ad gratiam. Major probatur tum ex verbis nuper *Conc. Trid.*

relatis

Trident.

relatis Concilij Trident. quibus ſtatim ſubjungit: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem*: quæ ſatis aperte ſignificant gratiam internam. Tum etiam ex SS.Patribus, & præcipuè ex

August.

Auguſt. *epiſt.* 107. *& lib. de prædeſtinat. SS. cap.* 19. *&* 20. *& lib. de gratia Chriſti cap.* 24. ubi ait: *Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Cui doctrinæ conſonat omnino

D.Thom.

D.Thom. *in hoc articulo* ubi ait, *quod ut homo ſe diſponat ad gratiam ſanctificantem, oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis.* Quòd etiam tradit *quodl.* 1. *art.* 7. & alibi ſæpè.

Tertiò, quia agens, & finis mutuo ſibi correſpondent: ſed Deus concurrens ad actus, quibus homo diſponitur ad gratiam intendit immediate aliquem finem ſupernaturalem: ergo influit active in eoſdem actus per modum agentis ſupernaturalis: atqui virtus agentis, & modus concurrendi debet relucere in effectu: ergo actus, quibus homo diſponitur ad gratiam, debent non ſolum acceptari in ordine ad finem ſupernaturalem; ſed etiam habere aliquam ſupernaturalitatem in ſe ipſis.

Ad hæc: in præſenti dubio non loquimur de eo, quod Deus poteſt decernere, ut ſe habeat tanquam diſpoſitio, vel potius ut conditio moralis ad infuſionem gratiæ; ſed de diſpoſitionibus, quæ attentis naturis rerum ad recipiendam gratiam deſiderantur, & præparant: at hæc poſterior ratio nequit competere actibus pure naturalibus, quantumvis acceptentur à Deo: ergo doctrina illa Cajetani vim argumenti noſtri non evacuat.

Exempla inducta nihil probant.

Ad primum autem exemplum in contrarium inductum reſpondemus diſpoſitiones ad animam rationalem, & ipſam animam eſſe ejuſdem ordinis naturalis. Quod autem illæ ſint corporeæ, & anima ſpiritualis, nihil refert: ſicut nec quod illæ ſint accidentia, & hæc ſubſtantia. Quoniam licet anima ſit ſpiritualis entitative, eſt tamen corporea ut *quo*, & vera forma corporis: unde ſicut petit uniri ſubjecto corporeo, & per unionem corpoream, ita etiam poſtulat, quod accidentia ad ipſam præparantia, ac determinantia ſubjectum corporea ſint: hæc quippe in virtute animæ rationalis hominis generantis, cui in diſponendo ſubduntur, poſſunt materiam, & expurgare à contrariis impedimentis, & trahere, ac ſigillare ad receptionem animæ rationalis. Actus vero pure naturales non ſunt ejuſdem ordinis cum gratia, nec habent aliquid intrinſecum, per quod ad eam peculiariter determinent: unde nequeunt obire officium diſpoſitionis reſpectu illius.

Ad ſecundum reſpondetur primo, quod aliud eſt loqui de diſpoſitione ſufficienti ad valorem ſacramenti, aliud vero de diſpoſitione requiſita ad infuſionem gratiæ intra ſacramentum. Licet ergo admitteremus cum aliquibus antiquis, quos ſequi-

Bonacina.

tur Bonac. *tom.* 1. *tr. de ſacr. diſp.* 5. *q.* 3. *punctio* 2. *n.* 11. ſufficere ad valorem ſacramenti pœnitentiæ dolorem naturalem: minime tamen valemus admittere, quod ſufficiat in ratione diſpoſitionis ad gratiam ſanctificantem, ut videre eſt apud prædictos Auctores. Qui potius hoc pacto conantur ſalvare, quod detur Sacramentum pœnitentiæ informe: quia videlicet attritio naturalis ſufficit ad valorem ſacramenti, non autem ad infuſionem gratiæ ſanctificantis: eo quod diſpoſitio debeat eſſe ejuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit. Quod potius infirmat rationem ſuperius factam.

Secundo, & melius reſpondetur attritionem naturalem ad neutrum munus valere, ut recte docent Medina *in præſenti*, Arauxo 3. *p. q.* 84. *art.* 1. *dub. ultimo num.* 48. Curiel *ubi ſupra concl. ultima*, & alij, quos refert N. à Jeſu Maria *tr. de pœnit. cap.* 5. *dub. unico num.* 17. Et ratio, aliis nunc relictis, eſt: quoniam dolor quatenus pars eſſentialis pœnitentiæ debet eſſe *donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus*, ut loquitur Concilium Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. & regulari per fidem, & includere propoſitum adimplendi præcepta nedum naturalia, ſed etiam ſupernaturalia, & deteſtari peccata illis oppoſita: attritio autem pure naturalis id non habet: unde nequit deſervire ad gratiæ communicationem, nec ad ſacramenti valorem.

Medina. Arauxo. Curiel. N à Jeſu Maria.

Conc. Trid.

Altera evaſio. Scotus. Gabriël.

121. Reſpondebis ſecundo cum Scoto, & Gabriele infra referendis, quod ut homo ſe diſponat ad gratiam ſanctificantem per aliquid ordinis ſupernaturalis, & connexum cum gratia, ſufficit, quod actus entitativè naturales eleventur per quemdam modum intrinſecum ordinis ſupernaturalis, ad quem gratia excitans & adjuvans per ſe concurrant, quin opus ſit elicere actus ſupernaturales entitative: nam actus prædicto modo elevati, & tendunt in finem ſupernaturalem, & poſſunt cum gratia ſanctificante connecti.

Præcluditur.

Hæc tamen ſolutio poteſt efficaciter refelli: tum quia jam admittit eſſe neceſſarium modum ſupernaturalem intrinſece afficientem actus humanos, ut ij valeant ad gratiam diſponere: ſed homo nequit propriis viribus prædictum modum producere; cum ad eum requiratur gratia excitans, & adjuvans, ut hæc ſolutio negare non audet: ergo homo non valet propriis viribus ſe ad gratiam ſanctificantem diſponere. Patet conſequentia: quia ut ſe diſponere poſſet, debebat influere ſuis viribus in actus non materialiter acceptos, ſed quatenus important modum elevationis, ratione cujus habent ad gratiam conducere. Tum etiam quia diſpoſitiones ultimæ ad alias formas entitative acceptæ ſunt eiuſdem ordinis cum ipſis, ut inductive poteſt oſtendi: ergo idem dicendum eſt de ultima diſpoſitione ad gratiam ſanctificantem: cum non poſſit aſſignari rationabilis cauſa differentiæ. Tum præterea quia actus ultimo diſponentes ad gratiam ſanctificantem regulantur, ut diriguntur per lumen fidei infuſæ: hæc quippe proponit obiectum & finem, in quæ tendit homo ſe ad iuſtificationem præparans: ſed actus, qui regulantur per fidem infuſam, ſunt in ſua ſpecie ſupernaturales; cum tendant in ſupernaturale obiectum per fidem acceptum, & propoſitum: ergo ſunt ſupernaturales nedum quoad modum, ſed etiam quoad entitatem. Tum denique quia actus ſecundum illam rationem debet eſſe ſupernaturalis, ſecundum quam diſponit ad gratiam, & connectitur cum ea: ſed actus diſponentes ultimo ad gratiam habent ad eam conducere non ratione huiuſmodi ſuperadditi, ſed per ſuam ſpeciem, & entitatem; ſiquidem ſi ſemel ſunt in ſua ſpecie naturales, nequit explicari in quo conſiſtat ille modus ſupernaturalitatis, ratione cuius conducunt, ut late oſtendimus *dubio* 1. *numero* 30. ergo actus ultimo diſponentes ad gratiam ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, & connectuntur cum illa.

Obiicitur primo.

122. Sed obiicies primo; quia non magis requiritur, ut aliquid diſponat ad formam ſupernaturalem, quam ut eam mereatur de condigno: ſed homo per actus entitativo naturales, & elevatos

chn teſtantur Labat *diſp. 1. de neceſſitate gratiæ dub. 4. §. 1.* & Prateolus *in elencho hæreſum verbo Melanchonici hæreſi* 1. Et quod mirum eſt, nonnulli ex Scholaſticis antiquis hanc partem, ut videtur, amplexati ſunt, Durandus *in 2. diſt. 28. q. 5.* Scotus *ibidem quæſt. 1. & in 3. diſt. 23. q. 1. & in 4. diſt. 14. qu. 2.* Almaynus *tract. 2. Moral. cap. 8. & 9.* Gabriel cum Ochamo, & Alenſi *in 2. diſt. 28. q. 1. art. 2. concluſ. 1. & in 3. diſt. 27. qu. 1. art. 3. dub. 2.* ubi docet dilectionem Dei habitam viribus naturæ eſſe ultimam, & ſufficientiſſimam diſpoſitionem ad gratiam, & non requiri aliam majorem. A qua doctrina non penitus recedit Cajet. opuſc. de Contritione *qu. 1.* addit tamen eſſe neceſſariam extrinſecam acceptationem Dei, ut actus naturales queant ſufficienter ad gratiam præparare. Videantur Curiel, Lorca, & Arauxo *locis ſupra citatis*, & Monteſ. *diſp. 32. q. 3. nu. 57.* ubi prædictos Doctores contendunt vindicare à cenſura, qua Eccleſia in Pelagianos animadvertit. Videatur etiam Soſa *in 1. difficult. 3. §. 2. & 3.* ubi in ſenſu legitimo & catholico ſuum Scotum interpretatur.

Durandus. Scotus. Almain. Gabriel. Ocham. Alenſis. Cajetan. Soſa.

Primum fundamentum ex ſacra Scriptura.

Suadebant Pelagiani hanc ſententiam quibuſdam teſtimoniis ſacræ Scripturæ, in quibus diſpoſitio ad gratiam videtur attribui non gratiæ, ſed libero arbitrio, qualia ſunt: *Hominis eſt præparare animam.* Proverb. 16. *Præparate corda veſtra Domino.* 1. Reg. 7. *Præparate in occurſum Dei Iſrael.* Amos 4. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Pſal. 10. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos Zach.* 1.

Proverb. 16. Regum. 7. Amos 4. Pſalm. 10. Zachar. 1.

Diluitur.

His tamen facile eſt occurrere: ſolum enim ſuadent id, quod ſupra *diſp. 1. c. 3. §. 2.* & in hac *diſp. n. 99.* adverſus Lutherum ſuppoſuimus, nempe gratiam infundi adultis dependenter ab eorum voluntaria diſpoſitione. Quod vero hæc exhibenda ſit ſolius liberi arbitrij facultate, minimè oſtendunt, ſed potius oppoſitum conſtat ex aliis teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quæ ſupra adduximus. Quo pacto componit Concilium Trident. prædicta teſtimonia, quæ alias videntur inter ſe diſſidere: nam *ſeſſ. 6. cap. 6.* poſtquam docuit eſſe neceſſariam pro juſtificatione & liberam cooperationem hominis, & divinam gratiam, quæ hanc operationem præveniat, ſtatim addit: *Unde in ſacris literis, cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, Zach. 1. libertatis noſtræ admonemur: cum reſpondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur. Thren. 5. Dei nos gratia præveniri confitemur.*

Conc. Trid.

Secundum motivum ab auctoritate D. Thom. D. Thom.

125. His ergo teſtimoniis relictis, & aliis quorumdam ſanctorum Patrum, quæ eandem expoſitionem admittunt, probatur primo, & difficiliùs prædicta ſententia ex D. Thom. *in 2. diſt. 28. qu. 1. art. 4.* ubi apertè videtur ei ſuffragari: nam propoſita difficultate, quam hic verſamus, relatiſque aliorum ſententiis, ſic concludit: *Et ideo aliis conſentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex ſolo libero arbitrio poteſt ſe homo præparare: faciendo enim, quod eſt in ſe, gratiam à Deo conſequitur: hoc autem ſolum in nobis eſt, quod in poteſtate liberi arbitrij conſtitutum eſt.* Et in ſolutione ad 3. loquens de Pauli converſione inquit: *Cum ſe ad gratiam præparavit, gratiam conſecutus eſt: non tamen oportet, quod antequam gratiam gratum facientem acceperit, ſibi aliquod lumen gratiæ gratis datæ infuſum fuerit.* Quod etiam docet in eodem *libro, diſt. 5. quæſt. 2. art. 1.*

Confirmatur ex eodem D. Th.

Confirmatur primo ex eodem S. Doctore in 1. diſt. 41. quæſt. 1. art. 3. ubi ait: *Opus bonum præcedens gratiam non eſt cauſa meritoria ejus, ſed ſolum diſpoſitio quædam.* Ubi loquitur de actu elicito ſolius viribus naturæ: qui enim elicitur virtute alicujus auxilij, poteſt gratiam, ſaltem de congruo promereri. Actus igitur factus abſque omni gratia poteſt ad gratiam diſponere. D. Thom.

Confirmatur ſecundò: nam *in 4. diſt. 17. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 4.* inquit: *Deus poteſt eſſe in intentione eius etiam, qui fidem non habet, per generalem, vel naturalem cognitionem, quam de Deo habent. Unde etiam ille, qui fidem non habet, poteſt ſe ad fidem habendam præparare, & ad gratiam ſi ſecundum ſuam cognitionem peccatum ſibi diſpliceat, & in Deum affectus eius feratur.* Cum ergo prædicta cognitio ſit naturalis, ſequitur, quod homo actibus propriis, & naturalibus valeat ſe ad gratiam diſponere. D. Thom.

Confirmatur tertiò: nam *quæſt. 14. de verit. art. 10. ad 5.* ait: *Loco omnium, quæ natura aliis animalibus providit, data eſt homini ratio, per quam & neceſſaria huius vitæ ſibi parare poteſt, & diſponere ſe ad recipienda auxilia divinitus futuræ vitæ.* Sed ratio, quam homo accepit eſt virtus naturalis: ergo per hanc poteſt ſe diſponere ad gratiam. D. Thom.

Confirmatur quartò: nam *quodl. 1. art. 8. ad 2.* hæc habet: *Dicendum, quod naturali dilectione, qua Deus ſuper omnia naturaliter diligitur, poteſt aliquis magis, & minus uti: & quando in ſummo fuerit, tunc eſt ſumma præparatio ad gratiam habendam.* Quid expreſſius in favorem huius ſententiæ dici potuit? D. Thom.

Quorundam reſponſio.

126. His auctoritatibus convincuntur aliqui, ut reſpondeant D. Thom. in prædictis locis ſe accommodaſſe oppoſitæ ſententiæ, quæ tunc temporis communior erat; poſtea vero re maturius inſpecta, illam revocaſſe in locis, quæ pro noſtra concluſione citavimus. Ita Cajet. in hoc *art. §. Nec obſtat* (corrigens etiam ipſe, quæ docuerat *opuſc. de Contrit.*) Lorca, Arauxo, & alij plures in præſenti. Richardus Taper *art. 3.* contra Lutherum pag. 220. Driedo de Concordia liberi arbitrij fol. 56. & alij.

Cajetan. Lorca. Arauxo. Richardus. Driedo.

Reiicitur multipliciter.

Sed, ut verum dicamus, hæc ſolutio, licet facilis, & communis ſit, nobis tamen nunquam potuit arridere. *Primo* quia falſo ſupponit contrariam ſententiam fuiſſe temporibus D. Thom. magis communem, cum oppoſitum conſtet ex Alberto, Bonavent. Henrico, & ipſo D. Thom. ſupra *n. 105.* *Secundo* quia credere non poſſumus D. Thom. unquam ſenſiſſe, quod homo poſſit ſuis viribus ponere ultimam diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem; cum hic dicendi modus ſit aperte contrarius Scripturæ, Conciliis, & Patribus, & manifeſtæ rationi ut conſtat ex ſupra dictis. *Tertio* quia cum S. Doctor ſuam opinionem retractat, ſolet id expreſſè advertere his, aut ſimilibus verbis: *Quamvis olim docuerim oppoſitum:* quod tamen non facit in præſenti.

Quartò, & præcipuè, quia in eiſdem ferè locis, quæ nobis opponuntur docet D. Thom. noſtram, & communem ſententiam: unde incredibile eſt, quod pariter doceat oppoſitum: niſi velimus ipſum contrarietatis, & inconſequentiæ in eiſdem teſtimoniis arguere; quod vel in diverſis non admittimus. Antecedens oſtenditur: nam *quodl. 1. art. 7.* qui immediate præcedit *art. 8.* ex quo deſumitur auctoritas nobis oppoſita, apertè docet communem ſententiam dicens, *quod ad errorem Pelagianorum pertinet dicere, quod homo poſſit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio divinæ gratiæ: & eſt contra Apoſtolum,* qui

Digitized by Google

qui dicit ad Philipp. 1. Qui cœpit in nobis opus bonum, ipſe perficiet, & quod homo indiget auxilio gratiæ non ſolum, ad movendum, ſed etiam ad hoc, quod ſe ad gratiam præparet, & quod indiget divino auxilio non ſolum quantum ad exteriora moventia, ſed etiam quantum ad interiorem motum, prout Deus cor hominis movet ad bonum ſecundum illud Proverb. 19. Cor regis in manu Dei, & quocumque voluerit vertet illud. Et *loco citato ex 2. ſentent.* inquit: *Sine gratia gratis data homo ſe ad gratiam non præparat, & etiamſi gratia dicatur ipſe actus liberi arbitrij, quem Deus in nobis facit, quo ad gratiam gratum facientem præparamur.* Et *loco citato ex 4. ſententiar. in ſolut. ad 2.* argumentum, quod ſic ſe habebat: *Auguſtinus inquit, quod cum fidei iuſtificationem impetrat voluntas, concomitatur gratiam, non ducit: eſt pediſequa non prævia: ſed ſi homo poſſet ſe ad gratiam nondum habitam præparare, voluntas eius eſſet prævia gratiæ: ergo non poteſt homo aliquid facere, quo ſe ad gratiam præparet.* Reſpondet in hunc modum: *Dicendum, quod voluntas noſtra eſt omnino pediſequa reſpectu divinæ gratiæ, & nullo modo prævia: quia ipſa voluntas bona, quæ gratiam gratum facientem præcedit, ex Deo nobis provenit, qui gratuita ſua voluntate nos ad hoc provocat vel flagellis, vel aliquo auxilio interiori, aut exteriori. Nec tamen voluntas hæc eſt prævia, ſed pediſequa reſpectu gratiæ gratum facientis: quia non eſt cauſa ipſius, ſed aliqualiter ad ipſam viam præparat.* Quæ teſtimonia adſtruunt adeò expreſſe noſtram ſententiam, ut qui ea prudenter perpenderit, facile ſibi perſuadeat Angelicum Doctorem eam tenuiſſe in ipſiſmet locis, quæ nobis objiciuntur, & nunquam docuiſſe oppoſitum: quæ proinde teſtimonia poſtea non retractavit in ſumma, ſed ſolum magis explicuit. Quod forte voluit Cajet. ubi ſupra; ſic enim habet: *Nec obſtat, quod S. Thom. dicta ſua in 2. ſentent. ad meliorem ſenſum in 1. 2. reduxit declarando, & addendo,* &c. Aliam ergo rationem interpretandi prædicta teſtimonia venari oportet, quam haud arduum erit invenire, ſi unumquodque in particulari expendemus.

D. Thom. nunquam docuit contrariam nobis ſententiam.

Caietanus.

Legitimus ſenſus D. Th.

127. Ad primum dicendum eſt D. Thom. in toto illo articulo ſolum intendere, quod ut homo ſe præparet ad gratiam ſanctificantem, non indiget alia gratia habituali, minime vero, quod non indigeat aliqua gratia auxiliante. Quod aperte conſtat, tum ex corpore articuli, tum ex ſolut. ad 1. ubi ait: *Directio greſſus ſpiritualis non poteſt eſſe niſi à Deo, ſine cuius providentiâ nullum bonum contingit. Nec tamen oportet, quod hoc per aliquem habitum fiat, ſi directio greſſuum ad præparationem ad gratiam gratum facientem præcedentem referatur.* Et *ad 2.* inquit: *Homo non poteſt ſe ad gratiam præparare, nec aliquod bonum facere ſine Dei auxilio. Et ideo rogandus eſt, ut nos ad ſe convertat, & etiam alios. Nec tamen oportet, quod illud auxilium ſit per aliquem habitum infuſum,* &c. Quando ergo ait, quod homo ex ſolo libero arbitrio poteſt ſe ad gratiam præparare, ly *ex ſolo libero arbitrio*, non excludit conſortium gratiæ actualis auxiliantis, ſed ſolius gratiæ habitualis, cujus neceſſitatem ut homo ſe ad gratiam ſanctificantem convertat, excludit S. Doctor tam in eo articulo, quam in præſenti, & pluribus aliis locis. Quod etiam obſervavit Joannes Nicolai in Panthologia Raynerij *tom. 2. fol. 303. littera l. marginali.* Et eodem modo interpretanda ſunt verba, quæ habentur *in ſolutione ad 3.* & quod docet *diſt. 5. quæſt. 2. art. 1.* Nomine enim gratiæ, quam negat eſſe neceſſariam, ut quis ad juſtificationem ſe præparet, non omnem gratiam intelligat, ſed ſolam quandam gratiam habitualem: quam plures ex antiquis aſſerebant deſiderari ad dictum effectum. De quo videri poſſunt Abulenſis *ſuper Matth. cap. 19. quæſt. 181.* & Capreol. *in 4. diſt. 1. q. 1. ad argumenta Durandi contra 4.*

D. Thom.

Abulenſis. Capreolus.

Sed inſtabis: quoniam S. Doctor in corpore articuli inquit: *Præparatio, quæ eſt ad gratiam, non eſt per actus, qui ſunt ipſi gratiæ æquandi æqualitate proportionis, ſicut meritum æquatur præmio: & ideo non oportet, quod actus, quibus ſe homo ad gratiam habendam præparat, ſint naturam humanam excedentes.* Hæc autem ratio excludit neceſſitatem gratiæ tam habitualis, quam actualis: ad actus quippe non excedentes naturam humanam ſufficiunt vires propriæ ejuſdem naturæ: ergo ex mente D. Thom. neutra gratia requiritur, ut homo ſe ad gratiam ſanctificantem diſponat.

Replica. D. Thom.

Reſpondetur actus diſponentes ad gratiam ſanctificantem eſſe quidem ſupernaturales, fierique ex ſpeciali auxilio, non tamen adæquari gratiæ ſanctificanti per modum meriti ad præmium: quia ad hoc oportebat, quod ab alia gratia habituali ejuſdem dignitatis procederent: quod rectè negat D. Thom. in illo art. & huc ſemper illius intentio collimat. Quando autem aſſerit prædictos actus non excedere naturam humanam, loquitur de natura ut adiuta auxiliis, non vero de natura ſecundum ſe: ad illius quippe intentionem ſatis eſt, quod tales actus non excedant naturam humanam ut deſtitutam gratia habituali; quamvis poſtulent, quod natura adiuvetur auxiliis.

Solutio.

128. Ad primam confirmationem reſpondemus D. Thom. loqui de opere bono, facto ex auxilio ſupernaturali: nam prædictum opus habet ad gratiam ſanctificantem diſponere, quamvis illam nequeat promereri. Nec obeſt inſerta probatio: quoniam ad meritum de congruo proprie dictum (quod S. Doctor ibidem excludit) non ſufficit actum eſſe ſupernaturalem; ſed inſuper deſideratur, quod procedat à gratia habituali, ſive ab homine Deo grato, ut videbimus in Tract. de Merito diſp. 2. dub. unico. Unde cum actus prædictam gratiam antecedentes, non ſint huiuſmodi; ſequitur, quod nequeant ipſam mereri, quamvis valeant ad eam diſponere: ad hoc quippe non deſideratur, quod homo ſupponatur Deo gratus, & amicus.

Alia teſtimonia D. Th. explicantur.

Ad ſecundam reſpondetur in illo teſtimonio ſolum excludi neceſſitatem fidei habitualis, ut homo ſe diſponat tum ad gratiam, tum ad fidem habitualem, iuxta ea, quæ ſupra ex S. Doctore diximus. Cum quo tamen recte cohæret, quod ſit neceſſarium auxilium actuale, & aliquod lumen fidei per modum tranſeuntis, quo adiuvetur, & elevetur naturalis cognitio, quam poſſumus propriis viribus comparare.

Ad tertiam reſpondemus D. Thom. non docere, quòd ratio naturalis diſponat immediatè ad auxilia gratiæ; ſed quod prædicta ratio diſponat, adjuta tamen ejuſdem gratiæ auxiliis: unde ſolùm intendit, quod homo ex vi ſuæ conditionis habeat capacitatem, ut elevetur ad ordinem, & finem ſupernaturalem. Quod ſatis conſtat *ex ſolutione ad 1.* ubi ait: *Ad finem, qui facultatem naturæ excedit, dantur principia, non quæ ſunt cauſa finis; ſed quibus homo eſt capax eorum, per quæ pervenitur ad finem: ut enim dicit Auguſt. poſſe habere fidem & charitatem naturæ eſt hominum,*

D. Thom.

num, habere autem eſt gratiæ fidelium. Quod etiam docet in reſponſione ad 2.

Ad quartum dicimus tunc dilectionem naturalem eſſe in ſummo, quando vel imperatur a charitate, & ordinatur in proprium illius objectum, vel conjungitur cum amore ſupernaturali ipſius charitatis. Quod cum contingit, datur ſumma præparatio ad gratiam: non quia amor naturalis ſit ex natura ſua præparatio ad illam; ſed quia quando amor naturalis eſt in ſummo dignitatis, connotat indiſpenſabiliter amorem charitatis, qui eſt ſumma diſpoſitio ad gratiam habendam. Et ideo illa propoſitio D.Thomæ: *Quando amor naturalis in ſummo fuerit, tunc eſt ſumma præparatio ad gratiam habendam*, non eſt intelligenda in ſenſu formali, vel cauſali, quaſi amor Dei naturalis ſit ipſa diſpoſitio, vel eam cauſet: ſed magis in ſenſu materiali, & concomitante: quia quando amor naturalis eſt in ſummo, non quidem intenſionis, ſed excellentiæ ob conjunctionem ad amorem ſupernaturalem charitatis, tunc adeſt re ipſa ſumma præparatio ad gratiam, ipſe videlicet charitatis amor. Quæ ſolutio eſt omnino conſona doctrinæ traditæ *diſp. præced. dub.* 4. ubi ſtatuimus, quod ſuppoſito peccato mortali, nequit potentia conſequenti dari in homine amor naturalis Dei ſuper omnia, quin ſimul adſit in eodem inſtanti converſio ad Deum finem ſupernaturalem diſponens ad gratiam ſanctificantem, infimul & ipſa gratia, quæ prædictum peccatum expellat. Conſonat etiam dicta reſponſio intentioni D.Thom nam intendebat hoc argumentum diluere; *Sic diligere Deum* (nempe ſuper omnia) *eſt maxima præparatio mentis humanæ ad gratiam conſequendam: primus autem homo ponitur in illo ſtatu gratiam non habuiſſe; ſed ſola naturalia: ergo non dilexit Deum pluſquam ſe ipſum, ſuper omnia.* Ad quod reſpondet tunc ſolum amorem naturalem eſſe ſummam præparationem ad gratiam, quando eſt in *ſummo*, in ſummo, inquam excellentiæ ob conjunctionem ad amorem ſupernaturalem charitatis. Unde non ſequitur, quod ſi homo elicuit amorem naturalem deſtitutum alterius amoris conſortio (quo pacto ſe gereret, ſi conſideretur in puris) habuerit etiam gratiam ſanctificantem. Videantur, quæ diximus *Tract.* 5. *diſp.* 10. *dub.* 1. *num.* 33. ubi aliam prædicti teſtimonij adduximus expoſitionem.

§. VI.

Convelluntur rationes ejuſdem ſententiæ.

Secundum argumentum. 129. SEcundo ſuadetur eadem ſententia argumento Durandi: quoniam id, quod dicit immediatum ordinem ad gratiam, eſt ultima diſpoſitio ad illam, cum ſola ultima diſpoſitio habeat immediatum ordinem ad formam: ſed homo poteſt ſuis viribus facere aliquid dicens immediatum ordinem ad gratiam: ergo poteſt eiſdem viribus ſe ad illam ultimo diſponere. Minor probatur: quia opus moraliter bonum importat ordinem immediatum ad gratiam, cum inter hanc, & illud non reperiatur medium: ſed homo poteſt ſuis viribus efficere opus bonum morale, ut conſtat ex *diſp. præced. dub.* 2. ergo poteſt facere aliquid dicens ordinem immediatum ad gratiam.

Diluitur. Ad hoc tamen facile reſpondetur negando minorem primi ſyllogiſmi. Ad cujus probationem dicendum eſt, quod licet nihil de neceſſitate mediet inter opus bonum morale, & gratiam generaliter acceptam; hinc tamen minime evincitur, quod prædictum opus dicat ordinem poſitivum ad illam, ſed præcise quandam non repugnantiam per modum potentiæ obedientialis. Ad rationem autem ultimæ diſpoſitionis non ſufficit carentia repugnantiæ reſpectu formæ, ſed inſuper deſideratur ordo poſitivus exigens, & inferens infallibiliter ipſam. Diximus *inter opus morale & gratiam generaliter acceptam*: quia inter opus morale, & gratiam ſanctificantem mediant diſpoſitiones ſupernaturales, ut prædicta gratia connaturaliter recipiatur, ut ſupra diximus.

Tertium argumentum. 130. Tertio arguitur: quoniam ſicut negatio eſt cauſa negationis; ita affirmatio eſt cauſa affirmationis: ſed cauſa adæquata non recipiendi gratiam ſanctificantem eſt homo non ſe diſponens ad eam recipiendam: ergo cauſa adæquata eam recipiendi erit ipſe homo ſe diſponens pro illius receptione: & conſequenter poterit ſuis viribus ſe ad eam ultimo præparare.

Confirmatur primò. Confirmatur primò: quia ultima diſpoſitio ad gratiam recipiendam debet eſſe aliquis actus humanus quatenus voluntarius, & liber: ad hoc quippe requiritur prædicta diſpoſitio, ut communicatio gratiæ ſit homini voluntaria: atqui actum aliquem eſſe voluntarium, & liberum non provenit ex gratia, quæ ad unum determinat, nempe ad bonum, ſed ex ſola facultate liberi arbitrij: hæc ergo ſufficit, ut homo efficiat ultimam diſpoſitionem ad gratiam.

Secundò. Confirmatur ſecundo: nam homo quò plura opera moraliter bona exercet, eo magis diſponitur ad gratiam: ſed poteſt ſuis viribus prædicta opera cum maxima intenſione exercere: ergo poterit maximam diſpoſitionem, ac proinde ultimam efficere pro gratia conſequenda. Major probatur: tum quia homo quo plura opera bona exercet, eo fit minus ineptus ad gratiam conſequendam: provenit enim prædicta ineptitudo ex peccatis, quæ impediuntur per exercitium bonorum operum ut ex ſe liquet: ſed nequit ineptitudo, ſive indiſpoſitio ad aliquam formam diminui, quin creſcat diſpoſitio, & habilitas ad eam recipiendam: ergo homo quanto plura opera bona exercet, tanto magis diſponitur ad gratiæ conſecutionem. Tum etiam quia ubi requiritur minus auxilium, ut homo diſponatur ad gratiam, ibi requiritur major diſpoſitio ad eam obtinendam: ſi enim eſſet idem diſpoſitionis defectus, idem etiam auxilium foret neceſſarium, quod diſpoſitionem efficeret: conſtat autem, quod in eo, qui plura opera moraliter bona exercet, requiritur minus auxilium pro illius converſione, quam in eo, qui illa non exercet, ſed per repetita peccata impedimentum apponit divinæ gratiæ: ergo quanto plura opera moraliter bona exercet homo, tanto magis diſponitur ad gratiam conſequendam.

Satiſfit argumento. Ad argumentum neganda eſt major: quia licet bene valeat, quod ſi affirmatio eſt cauſa adæquata affirmationis, negatio debeat eſſe cauſa adæquata negationis; nihilominus è converſo non tenet, quod ſi aliquis negatio eſt negationis cauſa, etiam illius affirmatio debeat eſſe cauſa affirmationis. Cauſa quippe ob quam lapis verbi gratia non deſcendat, eſt aliquod corpus obſiſtens, & deſcenſum impediens: & tamen ablatio prædicti corporis non eſt cauſa, ob quam lapis deſcendat: ſed prædictus motus gravitati lapidis, illiuſque generanti attribuendus eſt: Et ratio eſt: quia negatio eſt de genere mali: unde cujuſvis requiſiti defectus ſufficit ad eam inferendam. Affirmatio autem eſt de genere boni: & ideo ad eam afferendam non ſufficit hoc, vel illud requi-

ſitum,

ſitum, ſed deſideratur omnium concurſus. Quamobrem ad negandum aliquem affectum ſatis eſt negatio cauſæ quantumvis remotæ: & tamen ut detur effectus non ſufficit cauſa remota, & radicalis, ſed inſuper deſideratur virtus proxima. Quod contingit in præſenti: nam ut homo diſponatur ad gratiam, requiritur & concurſus illius proprius videlicet per modum ſuppoſiti, & virtutis elevabilis, & etiam concurſus Dei, ut dantis virtutem proximam elevantem, & applicantis efficaciter ad actus. Unde ſufficit hominem non concurrere, ut negatio diſpoſitionis ſequatur: & tamen non ſufficit ſolus homo ad efficiendum prædictam diſpoſitionem; ſed requiritur influxus ſpecialis Dei, qui & virtutem proxi-

Oſeæ 13. ximam, & ipſos actus efficiat, juxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum*, & Deuter. 8. *Ne forte*

Deuter. 8. *... ne diceres: Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtare: ſed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit.* Et profecto ſi argumentum aliquid ſuaderet; plane evinceret, quod ſicut defectus privativus diſpoſitionis revocatur in hominem adæquate, & nullo modo in Deum: ita etiam diſpoſitio ad gratiam à ſolo homine dependeret, non vero à Deo auctore naturali, aut ſupernaturali, nec ab illius concurſu ſpeciali, vel generali. Quo quid ineptius?

Diluitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem (relicto Molina *in ſua concordia quæſt. 23. art. 4. diſp. 1. membro* 10.

Molina. ubi docet actum liberum, qua liberum, non pendere à divina gratia, nec ſub hac ratione eſſe effectum illius: quem ſatis impugnavimus *tract. 5. diſp. 4. dub. 4.*) reſpondetur omiſſa majori, negando

D. Thom. minorem: nam ut docet D. Thom. *1. p. qu. 23. art. 5.* in actu bono ſupernaturali non eſt diſtinguendum id, quod eſt ex libero arbitrio, & id, quod eſt ex gratia: ſed ab utroque principio tota illius entitas pendet, licet ſub diverſis rationibus. Et ideo ſicut ſola gratia non efficit ſupernaturalitatem actus liberi, ſed in eam etiam influit liberum arbitrium gratia adjutum, & elevatum: ita in libertatem actus ſupernaturalis non influit ſolum arbitrium, ſed etiam gratia illud elevans. Nam quemadmodum ſupernaturalitas prædicti actus eſt re ipſa libera, ac proinde debet elici à principio libero: ita etiam libertas ejuſdem actus eſt revera ſupernaturalis, & ideo debet fieri à ſuper-

Cæleſtinus Papa. naturali principio. Unde Cæleſtinus Papa *in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ*, inquit: *Nemo niſi per Chri-*

D. Thom. *ſtum bene utitur libero arbitrio.* Et D. Thom. *q. 6. de verit. art. 2. ad 11.* ait: *Deus nulli volenti accipere gratiam eam denegat: ſed hoc ipſum, quod eſt velle accipere gratiam eſt nobis ex prædeſtinatione divina.* Huic doctrinæ non præjudicat inſerta probatio: quoniam licet gratia non ſit principium liberum ut *quod*, eſt tamen libera, & indifferens ut *quo*: nam ita inclinat ad bonum, ut nihilominus non afficiat voluntatem per modum naturæ neceſſario determinantis ad unum: confert enim illi activitatem proximam ad actus bonos ſupernaturales, relinquendo in voluntate activitatem proximam ad actus malos, vel ad omiſſionem bonorum: atque ideo in libero arbitrio elevato per gratiam manet indifferentia proxima, & expedita ad utrumlibet.

Enodatur ſecunda. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando majorem & ſuppoſitum illius: nam ſicut homo per primum opus moraliter bonum non diſponitur poſitive ad gratiam; cum hujuſmodi opus nullum ordinem exigentiæ importet reſpectu illius, ſed præciſe, & adæquate tendat in finem naturalem: ita per repetitionem prædicti operis non fit homo poſitive habilior, & magis diſpoſitus, ut gratiam conſequatur. Ad primam autem probationem in contrarium admittimus, quod homo per exercitium bonorum fiat minus ineptus ad gratiam, quatenus vitat nova peccata; non verò quia expellit antiquum, in quo jam præexiſtit, vel quia ullum ordinem exigentiæ dicat ad gratiam: quod proprie loquendo non eſt fieri minus ineptum, vel diminuere diſpoſitionem; ſed eſt non fieri magis ineptum, nec novam indiſpoſitionem inducere. Ratio autem propria diſpoſitionis non conſiſtit in evitatione novorum impedimentorum; ſed in expurgatione ſubjecti à diſpoſitione contraria, & promotione, atque acceſſu ad formam inducendam. Unde cum homo per exercitium bonorum operum ordinis naturalis non ſe expurget à peccato mortali, nec accedat ad gratiam; ſequitur, quod ſe non diſponat ad illam; quamvis per eorum exercitium novam indiſpoſitionem non inducat, ſed hujus novæ indiſpoſitionis introductionem impediat: hoc quippe non eſt ſe diſponere; ſed eſt non ſe indiſponere ad gratiam. Verumtamen nec hoc poteſt præſtare per longum tempus: quia viribus propriis nequit ſe ita gerere, ut novum peccatum in longo tempore non committat, ut diximus *diſp. præced. dub. 5.*

Ad ſecundam probationem reſpondemus idem auxilium requiri in eo, qui exercet plura opera moraliter bona, ac in eo, qui efficit pauciora, ſi loquamur de auxilio requiſito ad ultimam diſpoſitionem: quia hæc eſt eadem in utroque, nempe converſio ad Deum finem ultimum ſupernaturalem. Si vero ſermo ſit de diſpoſitionibus remotis, & emollientibus cor, & attendamus ad modum communem, & ſuavem converſionem; fatemur plura gratiæ auxilia deſiderari ad converſionem illius, qui per innumera peccata eſt veluti obfirmatus in malo, quam in eo, qui opera moraliter bona exercet. Hoc autem non provenit ex eo, quod aliquis eorum habeat ullam diſpoſitionem ad gratiam; ſed ex eo, quod unus ſit magis indiſpoſitus, quam alius, & hic habeat pauciora impedimenta. Sicut ſi darentur duo ſubjecta, quorum unum eſſet frigidum ut duo, alterum vero ut ſex, neutrum tamen haberet ullum gradum caloris; unum quidem eſſet minus diſpoſitum ad formam ignis, quam aliud: & nihilominus nec unum, nec aliud eſſet poſitive diſpoſitum ad prædictam formam habendam: hæc quippe poſitiva diſpoſitio non conſiſtit in carentia frigiditatis, ſed in poſitione caloris. Et quemadmodum ex eo, quod requiratur major virtus ad diſponendum frigidum ut ſex ad formam ignis, quam frigidum ut duo; minime ſequitur, quod iſtud habeat aliquam diſpoſitionem poſitivam reſpectu prædictæ formæ: ita ex eo, quod ſit neceſſaria copioſior gratia ad converſionem maximi peccatoris, quam ad converſionem minoris, nequaquam infertur, quod iſte habeat ullam diſpoſitionem ad gratiam, ſed tantum quod ſit minus indiſpoſitus ad eam habendam.

131. Quarto arguitur: quia non repugnat, Quartum argumentum.
quod ea, quæ ſunt ordinis naturalis, diſponant ultimo ad formam ſupernaturalem: ergo non repugnat, quod homo ſuis viribus efficiat aliqua opera naturalia, per quæ ad gratiam ſufficienter præparetur. Conſequentia videtur nota. Antecedens autem probatur. *Primo*: quia major diſtantia invenitur inter humanitatem, & Verbum divinum, ac inter opera naturalia, & formam

formam ſupernaturalem, cum inter illa extrema inveniatur diſtantia infinita; non autem inter hæc: at ſic eſt, quod ex parte humanitatis reperiebatur ſumma congruitas, ut aſſumeretur à Verbo, ut reſolvit D. Thom. *3. part. quæſt. 4. art. 1.* quæ congruitas non potuit non eſſe diſpoſitio ad unionem hypoſtaticam: ergo ea, quæ ſunt naturalia queunt ad ſupernaturalem formam ultimo diſponere. *Secundo* quia Deus impertitus eſt Angelis gratiam juxta capacitatem, & perfectionem ſuæ naturæ, ut docet idem D.Thom. *1. part. quæſt. 62. art. 6.* hoc autem non contingeret, ſi naturalia non diſponerent ad formam ſupernaturalem: ergo ita aſſerendum eſt. Quod apertè tradi videtur in illa parabola Matth. 25. *in qua paterfamilias uni dedit quinque talenta, alij vero duo, alij autem unum, unicuique ſecundum propriam virtutem.* Per quod ſignificatur Deum diſtribuere talenta gratiæ ſecundum virtutem naturalem uniuſcujuſque: hæc igitur valet ad gratiam diſponere.

D.Thom. — Matth. 25.

Reſponſio. Reſpondetur negando antecedens. Ad cujus primam probationem dicendum eſt, quod congruitas inventa in humanitate, ut aſſumeretur à Verbo, non conſiſtebat in aliquo poſitivè determinante ad unionem hypoſtaticam, ſed in pura potentia ſibi, & aliis creaturis communi. Fuit autem congruentius cæteris paribus, aſſumere prius naturam humanam, quam aliam ob ea, quæ tradit D. Thom. loco citato his verbis: *Quæ quidem congruentia attenditur ſecundum duo in humana natura, ſcilicèt ſecundum ejus dignitatem, & neceſſitatem. Secundum dignitatem quidem, quia humana natura, in quantum eſt rationalis, & intellectualis, nata eſt attingere aliqualiter ipſum verbum per operationem, cognoſcendo ſcilicèt, & amando ipſum. Secundum neceſſitatem autem, quia indigebat reparatione; cum ſubjaceret originali peccato. Hæc autem duo ſoli humanæ naturæ conveniunt: nam naturæ irrationali deeſt congruitas dignitatis: naturæ autem Angelicæ deeſt congruitas prædicta neceſſitatis.* Cum ergo ex his duobus reparationis neceſſitas non ſit ulla ratio poſitiva, dignitas autem conſiſtat in ſola aptitudine obedientiali, non quidem proxima, ſed tantum radicali ad videndum Deum; planè infertur prædictam congruitatem non eſſe diſpoſitionem ad unionem hypoſtaticam: ac proinde nec naturalia diſponere ad formam ſupernaturalem. Quod ſatis expreſſit S. Doctor loco citato in principio corporis ubi ait: *Quæ quidem aptitudo non poteſt intelligi ſecundum potentiam paſſivam naturalem, quæ non ſe extendit ad id, quod tranſcendit ordinem naturalem, quem tranſcendit unio perſonalis creaturæ ad Deum.*

D.Thom. — D.Thom.

Per quæ patet ad ſecundam probationem: nam Deus non communicavit Angelis gratiam juxta tantitatem (ut ſic dicamus) alicujus actus naturalis, ſed juxta intenſionem actus charitatis, quæ ſe in Deum finem ſupernaturalem converterunt: iſte quippe amor fuit ultima diſpoſitio, qua gratiam conſecuti ſunt, & cui gratiæ intenſio immediatè commenſurata eſt. Placuit autem Deo omnino gratis, & miſericorditer conferre Angelis gratiam, & auxilia, quibus diſponerentur ad conſequendum gratiam in gradibus commenſuratis ad eorum perfectionem naturalem; ita ut ille majori gratia gauderet, qui perfectioris eſſet naturæ: non quia hæc illam commenſurationem exigeret; ſed quia Deus pro libertate ſua voluit illam obſervare. Videatur Caietan. 2. 2. *quæſt. 24. art. 3. §. In reſponſione ad 3.* ubi optimè obſervat dignitatem naturalem Angelorum non eſſe verè cauſam quantificandi gratiam illis communicatam, ſed ad ſummum quamdam occaſionem: nam ex inæqualitate perfectionum naturalium occaſionatur, ut Spiritus ſanctus omnino gratis voluerit Angelos in ſupernaturalibus proportionabiliter dignificare. Nec oppoſitum ſignificatur in illa parabola patriſfamilias diſtribuentis ſervis talenta juxta uniuſcujuſque virtutem: quia ut inquit D. Thom. *loco ſuper citato in reſponſ. ad 1. Virtus ſecundùm quam ſua dona Deus dat unicuique, eſt diſpoſitio, vel præparatio præcedens, ſive conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam diſpoſitionem, vel conatus prævenit Spiritus ſanctus movens mentem hominis vel plus, vel minus ſecundum ſuam voluntatem,* &c. Quod autem dicitur (inquit idem S. Doctor de Charitate, art. 7. ad 9. *Dedit unicuique ſecundum propriam virtutem, non eſt referendum tantum ad virtutem naturæ: erroneum eſt enim dicere, quod dona gratiæ, & gloriæ dentur ſecundùm menſuram naturalium: ſed intelligenda eſt virtus, quæ eſt etiam per gratiam.* Quod magis conſtabit ex his, quæ ſtatim dicemus.

Caietan. — D.Thom.

DUBIUM SEXTUM.

Utrum homo per proprias vires valeat conſequi gratiam auxiliantem, & ſe diſponere ſaltem remotè ad ſanctificantem.

132. SUppoſito, quod homo nequeat ſuis viribus ad gratiam ſanctificantem ultimo ſe diſponere, ut oſtendimus dubio præcedenti, videndum ſupereſt, an ſaltem valeat ad eam conſequendam ſe remotè præparare. Et proculdubio poterit, ſi habeat vires ſufficientes ad conſequendum auxilia neceſſaria, ut eliciat actus, quibus incipit converti, trahiturque ad exercitium perfectiorum motuum, ut puta contritionis, & amoris per quos ultimò diſponitur, & infallibiliter gratiam ſanctificantem aſſequitur. Unde in idem redit poſſe efficere diſpoſitionem remotam ad gratiam habitualem, & poſſe conſequi gratiam actualem, ſive auxiliantem: & idcirco una erit deciſio utriuſque difficultatis; quam tamen claritatis cauſa ſpecialiter primæ gratiæ auxilianti ſtudebimus applicare. Conſultò autem titulus inquirit, *an valeat conſequi*, &c. quia præſens difficultas non alligatur modo conſecutionis, an ſcilicet ſit per modum diſpoſitionis, aut meriti, ſive occaſionis, vel proportionis, unde moveatur Deus ad conferendam gratiam: ſed generaliter inveſtigat, an poſſit homo ſuis viribus infallibiliter conſequi auxilia gratiæ actualis, & præcipuè primum; quidquid ſit de modo ea conſequendi. Procedit tamen abſolutè, & attentis naturis rerum; non vero ex ſuppoſitione accidentali alicujus legis, aut pacti Dei cum hominibus: de hoc enim pacto ſeorſim tractabimus dubio ſequenti. Et quamvis hanc difficultatem magna ex parte jam diſcuſſerimus *Tract. 5. diſp. 10. dub. 1.* non potuimus non illam iterum revocare ad examen: tum quia hic propriam ſedem habet, nec valet ab antecedentibus, & ſubſequentibus dubiis reſcindi, quin dicendi ordo exturbetur: tum quia ſuperſunt adhuc non pauca, quæ poſtulant novam limam.

Punctum difficultatis.

§. I.

Statuitur concluſio, & firmatur præcipuo fundamento.

Vera ſententia. 133. Dicendum eſt hominem per ſolas vires naturales non poſſe ullo modo conſequi primum auxilium gratiæ ſupernaturalis. Hanc concluſionem docent Concilia, Patres, & Theologi, quorum teſtimonia ſupra dedimus *dub. præced. à num.* 106. ut ea introſpicienti conſtabit; quæ proinde iterum non adducimus. Et quamvis poſſemus alia plura expendere; ea tamen ſingillatim non referimus, ut ſequenti diſcurſui illa commodius inſeramus: ſic enim eorum intelligentia magis nobis illuceſcet, & robur firmius premet Adverſarios.

Ratio fundamentalis. D.Auguſt. Probatur ergo concluſio ſequenti ratione deſumpta ex D.Auguſt. *lib. de prædeſt. Sanct. cap.* 3. & alibi ſæpè: quoniam ſi homo poſſet per vires naturales obtinere auxilium gratiæ; ſequeretur prædictum auxilium non eſſe gratiam: conſequens implicat contradictionem, & deſtruit id, quod ſupponitur, videlicèt prædictum auxilium eſſe gratiam ſpecialem: ergo homo nequit ſuis viribus conſequi hujuſmodi auxilium. Sequela oſtenditur: quia gratia propriè dicta, maximè Theologica, & ſupernaturalis, de qua loquimur in præſenti, excedit naturæ facultatem, & exigentiam, ut obſervavimus *diſp.* 1. *cap.* 1. ſed id, quod poteſt obtineri viribus naturæ, hujus facultatem, & exigentiam non excedit, ut liquet ex terminis: ergo ſi homo poteſt viribus naturalibus conſequi auxilium gratiæ; ſequitur hujuſmodi auxilium non eſſe gratiam. Cujus ratio-
Ad Rom. 11. nis vim expreſſit Apoſt. *ad Roman. cap.* 11. illis verbis: *Si autem gratia, iam non ex operibus:*
Ad Epheſ. 2. *alioqui gratia iam non eſſet gratia.* Et ad Epheſ. 2. *Gratis eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Quibus apertè ſignificatur minimè cohærere, quod aliquid obtineatur operibus naturæ, & ſit ſpecialis gratia, vel quod cauſetur ex nobis, & donetur ſpecialiter à Deo.

Hæreticorum evaſio. 134. Vim hujus argumenti multifariam contendunt infringere Adverſarij. Nam in primis Pelagiani (qui, ut vidimus *diſp.* 1. *cap.* 4. §. 4. prædictum auxilium ut congruum ſaltem ad facilius conſequendam ſalutem admiſerunt) partim negabant, partim concedebant ſequelam diverſimodè intellectam. Autumabant enim prædictum auxilium non habere rationem gratiæ, ſi comparetur ad opera moraliter bona, quibus illud homo conſequitur: debitum quippe eſſe ex juſtitia credebant, ut Deus ſua gratia præſto eſſet ad adjuvandum eum, qui vires naturales ad operandum rectè exerceret. Quia tamen tota natura cum omnibus ſuis facultatibus nullo præeunte titulo creata eſt à Deo, idcirco exiſtimabant prædictam naturam habere rationem gratiæ: atque ideo ſibi videbantur ſalvare, quod auxilia obtenta viribus naturæ adhuc conditionem gratiæ ſervarent. Unde inferebant collationem prædicti auxilij habere rationem miſericordiæ, & juſti-
Pſalm. 24. tiæ juxta illud Pſalm. 24. *Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* Miſericordiæ quidem, quia habetur per gratiam, ſeu naturam gratis à Deo productam, juſtitiæ verò, quia debetur ope-
D.Auguſt. ribus. Quam Pelagij doctrinam refert Auguſt. *lib. de hæreſibus hereſi* 88. his verbis: *Illam vero gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt, niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis, ab illo accepit noſtra natura.* Idemque apertè tuetur Marcus Heremita (de quo *diſp. cit. cap.* 5. *num.* 207.) in *lib. de* Marc.Here. *paradiſo*, ubi ait: *Iubet Deus, ut homo in primis cognoſcat, & cum cognovit, amet, & voluntatem depromat. Ut autem aliquod opus perficiat, gratia Domini largitur volenti, & credenti. Quare voluntas hominis eſt velut auxilium à natura inſitum, qua abſente ne Deus quidem quidquam operatur.*

Hoc tamen hæreticorum effugium præcluditur *Confutatur.* ratione ſuperius facta: tum quia licèt natura fuerit gratis producta à Deo, hoc eſt, nullo præveniente titulo, & hac de cauſa poſſit utcumque gratia appellari; tamen ea, quæ ſupponunt naturam, illiuſque facultatem non excedunt, ex hoc ipſo amittunt rationem gratiæ; cùm debeantur titulo connaturalitatis: qua ratione potentiæ naturales, & actus ab eis dimanantes à conceptu gratiæ excluduntur: ſi ergo primum auxilium gratiæ non ſuperat facultatem naturæ humanæ, ſed poteſt illius viribus comparari; ſequitur, quod nequeat propriam rationem gratiæ ſortiri. Tum etiam quia licet auxilium collatum naturæ ad exercendum opera ſibi connaturalia ſit debitum ipſi naturæ, proindeque non valeat habere rationem gratiæ niſi impropriiſſimè; tamen auxilium, de quo in præſenti agimus communicatur naturæ ad opera, quæ ipſius facultatem excedunt, ut puta ad credendum, & ſperandum, ſicut oportet, ut modo ex dictis *dub.* 4. *à num.* 86. ſupponimus contra Pelagium: ſed hujuſmodi auxilium excedit ſimpliciter naturam, ſicut & opera, pro quibus datur: ergo eſt gratia, non quia habeatur per naturam gratis à Deo productam; ſed quia ſuperat illius vires, & exigentiam: In qua acceptione divinæ litteræ utuntur gratiæ vocabulo, ut obſervat Auguſt. *epiſt.* 195. his verbis: *Illam vero gratiam, qua creati ſumus homines, etiamſi ita appellandam non immerito intelligimus: mirum eſt tamen, ſi ita appellatam in ullis legitimis, propheticis, Evangelicis, Apoſtolicíſque litteris legimus.* Tum præterea quia juxta expoſitionem Pelagianorum evacuatur efficacia, & tota energia illius conſecutionis Apoſtoli: *Si gratia, iam non ex operibus, & illius: Hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt:* quandoquidem Pelagiani componunt eſſe aliquid gratiam, & dari propter opera facta; provenire ex nobis, & eſſe ſpeciale Dei beneficium: hoc autem directè contradicit Pauli intentioni, ut liquet ex ipſo textu. Tum denique quia opera naturalia inæqualia ſunt in perfectione, & valore auxilio ſupernaturali promoventi hominem ad æternam felicitatem, quæ in poſſeſſione ſummi boni omnem naturam ſuperexcedentis conſiſtit: ergo homo per opera naturalia nequit prædictum auxilium reddere ſibi debitum ex juſtitia: hæc quippe poſtulat æqualitatem meriti ad præmium. Quomodo autem in omni opere Dei inveniatur juſtitia, infra exponemus *num.* 147.

135. Secundo occurrunt noſtræ rationi Semi- *Semipelagianorum effugium.* pelagiani negando ſequelam: quia exiſtimant, quod licèt noſtris operibus poſſimus conſequi auxilium gratiæ; adhuc iſtius ratio ſervetur indemnis: nam opera noſtra ita reddunt ſibi certam miſericordiam divinam, quod huic plurimum cedant in perfectione, & valore; unde non tam dicuntur illam promereri, quam occaſionem parare, & anſulam auferre, ut Deus ſuam gratiam ex ſola liberalitate impertiatur. Quem diſcurrendi

modum

Caſſianus. modum exprimit Caſſianus Semipelagianorum in hac cauſa patronus: ſic enim habet lib. 12. de inſtitutis cœnobiorum cap. 14. *Dicimus ergo ſecundum Salvatoris ſententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & à quærentibus inveniri: ſed petitionem, & inquiſitionem, & pulſationem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei id, quod petimus, dederit, vel aperuerit, quod pulſamus, vel illud, quod quærimus, fecerit inveniri. Præſto eſt namque, occaſione ſibi tantummodo a nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia inferenda.* Et hac ratione exiſtimat prædictum auxilium non ex juſtitia, ſed ex ſola miſericordia conferri, ut magis ſe explicat *collat. 13. cap. 13.* his verbis: *Et ita ſemper gratia Dei noſtro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit, ac defendit: ut nunquam etiam ab eo quoſdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet; ne penitus dormienti, aut inerti otio diſſoluta ſua dona conferre videatur: occaſiones quodammodo quærens, quibus humanæ ſegnitiei torpore diſcuſſo non irrationabilis ſuæ munificentiæ largitas videatur: dum eam ſub colore cujuſdam deſiderij, ac laboris impertit. Ut nihilominus gratia Dei ſemper gratuita perſeveret, dum exiguis quibuſdam, præviiſque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta pennis beatitudinis dona ineſtimabili tribuit largitate.* Et infra, *Quantumlibet*, inquit, *eniſa fuerit humana fragilitas, non ita laboribus ſuis divinam imminuit gratiam, ut non ſemper gratuita perſeveret.* Quod etiam docet Fauſtus *lib. de gratia, cap. 17.* ubi inquit: *Ante omnia arrogantiam laboris refugiamus, nec nobis quidquam de eius meritis vindicemus; ne Phariſæum imitari mortifera juſtitiæ præſumptione videamur.* Et poſt pauca: *Non ergo*, ait, *operatio, ſed cordis elatio declinanda eſt.* (Fauſtus.)

Confutatur primo. Sed hanc evaſionem, quæ ſub ſpecie pietatis venenum occultat, facile poſſumus confutare. *Primo* arguendo ad hominem: nam ideo Semipelagiani docent poſſe hominem ſuis viribus conſequi divinum auxilium, quia ſi Deus illud conferret homini inerti, otioſo, & ſe non aptanti ad gratiam; denegaret autem ei, qui vires naturales, quantum poteſt exerit, ut gratiam indipiſcatur, eſſet acceptor perſonarum: quod vitium longè proſcribit à Deo Paulus ad Rom. 10. (Ad Rom. 10.) illis verbis: *Non eſt diſtinctio Judæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* At ſic eſt, quod vitium acceptionis perſonarum ſolum habet locum in his, quæ debentur ex juſtitia, ut docet D. Thom. 2. 2. (D. Thom.) *quæſt. 63. art. 1.* Ergo ſi in ſententia Semipelagianorum Deus denegando auxilium ei, qui ſe ex viribus propriis ad gratiam diſponit, eſſet acceptor perſonarum; ſequitur, quod prædicta opera reddant auxilium Dei ſibi debitum ex juſtitia, & conſequenter, quod iſtud amittat rationem gratiæ. Quod licèt verbis videatur negare Caſſianus, re tamen admittit: ac proinde incidit in Pelagij errorem, quod evitare contendit, ut optimè arguit D. Proſper lib. adverſus Collatorem (Proſper.) cap. 6. his verbis: *Quomodo autem non advertiſti in illud damnatum incidere, quod velis, nolis convinceris dicere, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari; cùm aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmas?*

Impugnatur amplius. *Secundo*: quia actus moraliter bonus, & habens vim ad inferendum aliquod præmium, nequit non eſſe meritum reſpectu illius: atqui Semipelagiani concedunt opera moraliter bona habere vim ad conſequendum auxilium gratiæ: ergo illud merentur: ſed quod debetur meritis, jam non communicatur omnino gratis, ſed ex aliqua juſtitia: ergo primum auxilium erit debitum ex juſtitia, quod Caſſianus renuit concedere. Major primi ſyllogiſmi probatur non inductivè, nullus enim invenitur actus moraliter bonus, qui non habeat rationem meriti, reſpectu ejus, quod propter ipſum, & intuitu ejus communicatur. Tum ratione quia ſi ſemel actus eſt bonus, & alias gaudet tali æſtimabilitate, ut reipſa adæquatur id, pro cujus conſecutione elicitur, & offertur, nequit non illi adæquari in ratione pretij: & hoc ſufficit ad rationem meriti. Quod argumentum urget Auguſt. lib. 2. ad Bonifacium D. Auguſt. cap. 8. *Si ſine Dei gratia*, inquit, *per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tanquam ex merito veniat adjutorium: ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed merito noſtro dabitur.* Et Fulgentius lib. de Incarnatione, Fulgentius. cap. 18. *Si vero ſecundum opinionem illorum noſtrum eſt velle credere, priuſquam nos Dei gratia incipiat adjuvare; injuſtè dicitur gratia: quia non gratis homini datur, ſed bonæ retribuitur voluntati. Hanc enim ſicut illi volunt, gratia in nobis invenit, quam ipſa non dedit. Immo ſi ſic eſt, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miſeratione tribuentis, ſed æquitate Dei retribuentis accipimus.* Et eodem modo loquitur D. Proſper ad excerpta Genuenſium *dubio 3. & 4.*

136. Sed objicies: nam oratio, ſeu ſupplica- Objectio. tio pauperis ad divitem pro conſequenda eleemoſyna habet vim ad eam conſequendam, ſiquidem multoties dives confert eleemoſynam ob ſupplicationem ſibi factam: & nihilominus ſupplicatio non habet rationem meriti, cui eleemoſyna debeatur ex juſtitia; cum iſtius elargitio ſit ſemper opus miſericordiæ: ergo licèt Deus tribueret auxilium gratiæ ob opera moraliter bona facta ex viribus naturæ, non ob id diceretur prædictum auxilium ex juſtitia retribui.

Reſpondetur negando conſequentiam: nam Diluitur. oratio pauperis ad divitem non habet rationem obſequij reſpectu illius: neque enim ex vi prædictæ ſupplicationis intendit pauper divitem colere, ſed ſolum propriam indigentiam ſignificare. Unde nec dives tribuendo eleemoſynam attendit ad merita prædictæ ſupplicationis, nec eam confert intuitu illius; ſed affectus compaſſione intendit præcisè ſublevare miſeriam pauperis, quod eſt proprius finis miſericordiæ. Quamobrem licèt eleemoſynæ largitio ſupponat ſupplicationem pauperis, adhuc eſt ſolius miſericordiæ opus, quin ibi juſtitiæ debitum interveniat. Cæterum ſi ſemel Deus conferret auxilium gratiæ ob orationem ſibi factam ex viribus naturæ, jam reſpiceret prædictam orationem non ut purum ſignum indigentiæ creaturæ, quam aliunde ſatis perſpectam habet: ſed ad eam attenderet tanquam ad obſequium ſibi oblatum, quo creatura ipſum ex motivo religionis revereretur. Quocirca retribuendo auxilium gratiæ, non intenderet ſublevare præcisè creaturæ indigentiam, quod eſt opus miſericordiæ; ſed etiam operi bono præmium perſolvere, quod eſt officium juſtitiæ. Et conſequenter jam gratia non eſſet gratia, ut Patres ſupra relati contra hæreticos argumentantur.

Replicabis: demus, quod pauper intendat ſua Replica. ſupplicatione divitem colere; demus etiam quod iſte

Digitized by Google

iſte ratione pauperis allectus deſideret non ſolum ſublevare illius miſeriam, ſed orationem etiam (quod non ſemel contingit,) præmio donare: adhuc tamen in æſtimatione prudentum eleemoſynæ largitio non eſt opus juſtitiæ, ſed ſolius miſericordiæ, ac proinde confertur gratis ſimpliciter: ergo quamvis homo ſuis bonis operibus naturalibus Deum honoret, & quamvis Deus communicando auxilia intendat prædictis operibus aliquale præmium rependere; adhuc tamen prædictum auxilium non communicabitur ex juſtitia, ſed habebit rationem gratiæ. Patet conſequentia tum à paritate, tum à fortiori: quia auxilium Dei magis excedit in valore opus bonum naturale, quam divitis eleemoſyna pauperis orationem: ſed ob exceſſum illum eleemoſyna confertur ſimpliciter gratis, quamvis ibi interveniat umbra quædam juſtitiæ: ergo auxilium dabitur ſimpliciter gratis, licèt retribui videatur intuitu bonorum operum.

Enodatur. Reſpondetur primo hac objectione ad ſummum convinci, quod auxilium collatum intuitu bonorum operum non ſit debitum ex rigoroſa juſtitia; minimè vero, quod non ſit aliqualiter debitum, ut conſtat ipſo exemplo, quo hæc replica utitur. Unde licèt ſalvet prædictum auxilium eſſe abſolutè gratiam, non tamen quod ſit gratia omnibus modis, & quod illius collatio ſit pura miſericordia. Hoc autem quam abſurdum ſit, patet ex dictis, & magis conſtabit ex iis, quæ §. ſequenti dicemus.

Secundo reſpondetur negando conſequentiam: nam in eleemoſyna conceſſa pauperi ob ejus ſupplicationem poteſt cohærere, quod ſit miſericordia, & quod ſimul conferatur ex juſtitia imperfecta, & ſecundum quid: id vero minimè componi valet in auxilio ſupernaturali collato intuitu bonorum operum naturalium. Et ratio differentiæ eſt, quod eleemoſyna eſt ejuſdem ordinis cum oratione pauperis: unde poteſt habere rationem præmij reſpectu illius, ſi ſemel velit dives acceptando orationem, & tribuendo eleemoſynam obſervare aliqualem rationem juſtitiæ: valet quippè oratio pauperis in hujuſmodi præmium connaturaliter ordinari. Opera autem moraliter bona facta viribus naturæ non habent rationem obſequij reſpectu Dei finis ſupernaturalis, nec proportionantur ſupernaturali præmio; ſed ſiſtunt adæquatè intra ordinem naturæ. Quapropter illorum retributio non ſpectat ad Deum agentem ſupernaturalem, nec per ſupernaturalia dona exercenda eſt; ſed Deo agenti naturali, & rependenti naturalia beneficia reſervari debet. Cum ergo auxilium de quo loquimur, ſit gratia ſupernaturalis, & à Deo auctore ſupernaturali deſcendat; nequit ex juſtitia adhuc imperfecta, & ſecundum quid deberi operibus merè naturalibus, qualia præciſè exercet homo ante primi auxilij communicationem. Unde prædicti auxilij collatio ita debet eſſe miſericordia, & gratia, quod nullo modo ſit juſtitia, vel retributio pro bonis operibus naturalibus.

§. II.

Præcluditur alia evaſio.

Alterum quorundam effugium. 137. SUnt denique, qui reſpondeant auxilium collatum intuitu operum naturalium non eſſe debitum ex rigoroſa juſtitia, ut minus rectè admittebant Pelagiani; nec conferri citra omnem juſtitiam, ut plures Semipelagiani contendebant ſalvare: ſed medio modo ſe habere, quin exuat gratiæ rationem. Nam licèt opera naturalia, aiunt, nequeant mereri de condigno prædictum auxilium ob inæqualitatem in perfectione, & valore; atque ideo non fundent juſtitiam rigoroſam: valent tamen illud mereri de congruo: quod ſufficit ad juſtitiam imperfectam, & non evacuat gratiæ naturam. Id autem aſſerere videtur rationi conſentaneum: tum quia valde congruum eſt, ut ei, qui operatur rectè ſecundum ſuam virtutem, Deus retribuat ſecundum ſuam magnificentiam. Tum etiam quia æquum eſt, ut Deus potius illum adjuvet per ſuam gratiam, qui opera moraliter bona exercet, quam eum, qui libertate abutens innumera peccata committit. Tum denique quia irrationabile eſt, ut Deus non magis reſpiciat opera bona illius, qui ea diligenter repetit, quam deſidiam ejus, qui nihil boni operatur. Prædicta ergo opera moraliter bona elicita viribus naturæ poſſunt habere rationem meriti de congruo, cujus intuitu Deus ſuam gratiam diſpenſet: quæ tamen, quia plurimum excedit valorem prædictorum operum, adhuc abſolutè confertur miſericorditer, & non ex rigoroſa juſtitia. Quæ reſponſio & doctrina familiaris erat aliquibus Semipelagianis, ut ſatis innuit Caſſianus locis ſupra relatis, & apertè docet Fauſtus lib. 1. cap. 3. ubi ait: *In totum genus humanum gratiæ beneficia fatemur extendi: ſic tamen, ut ei vigilantia humana ſtudium per omnia indicemus adiungi.* *Fauſtus.* Et cap. 9. *Nunc*, inquit, *iſta dicentes non laborem gratiæ coæquamus; ſed omnino gratiam ſine comparatione præponimus.* Et idem diſcurrendi modus adeo arriſit quibuſdam Theologis Catholicis, ut exiſtiment Paulum locis ſupra *num.* 133. ſolum loqui de operibus meritoriis de condigno: ex quibus ſi conferretur gratia, jam non eſſet gratia: quia tunc quaſi pro æquali pretio daretur. Quod autem conferatur pro merito tantum de congruo, exiſtimant rationem gratiæ non impedire: velut ſi res magni pretij donaretur pro alia exigui momenti. Idque putant non ſpectare ad Maſſilienſium errorem. Ita Toletus *ſuper epiſt. ad Rom. cap.* 11. *annot.* 4. & Vega *lib. in Trident. cap.* 10. *Toletus. Vega.*

Refellitur primo. Hanc tamen doctrinam neſcimus cum decretis fidei componere, ex quibus proinde ſtudebimus eam evertere. *Primo*: quia prima gratia, quam Paulus, & divina Scriptura commendat, eſt purè gratia, & miſericordia adeò libera, ut nulli ſtudio, aut merito voluntatis humanæ debeatur; ut ſic nullus valeat in ejus conſecutione ſe diſcernere, nec habeat motivum in ſe gloriandi: atqui ſi primum auxilium conferretur ob opera naturalia ſe habentia ut meritum de congruo; jam illa gratia non eſſet purè gratia modo præſcripto: ergo Deus non confert hujuſmodi auxilium attendens ad ullam rationem meriti, quod in operibus naturalibus reperiatur. Conſequentia eſt manifeſta. Major autem conſtat ex verbis Apoſtoli. 1. ad Corinth. 4. *1. ad Cor. 4.* *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quæ ſunt adeò perſpicua, ut expoſitione non egeant. Minor etiam liquet: quia ſi opera naturalia merentur de congruo primam gratiam, & hæc conferretur intuitu illorum; jam homines haberent ex ſe aliquid, quo ſe diſcernerent, nempè ipſa opera bona, quæ propriis viribus elicerent, & in quibus proinde poſſent gloriari. Quo argumento utitur Auguſt. lib. de prædeſt. Sanct. *D. Auguſt.* (quem adverſus Maſſilienſes Semipelagianos ſpecialiter ſcripſit) cap. 5. ubi ait: *Nunquid enim*

per

Digitized by Google

per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus (nempè actus, vires, & facultates naturales) *diſcernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit: Quis enim te diſcernit? & deinde addit: Quid autem habes, quod non accepiſti? Poſſet quippè dicere homo inflatus adverſus alterum. Diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, vel ſi quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor: Quid autem habes, inquit, quod non accepiſti? A quo niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? Si autem accepiſti,* ait, *quid gloriaris, quaſi non acceperis? Nunquid quæſo, aut aliud, niſi ut qui gloriatur, in Domino glorietur? Nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt, quam de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia, quæ bonos diſcernit à malis; non quæ communis eſt & bonis, & malis*, nempè motio vel concurſus naturalis.

Evincitur amplius. *Secundo:* quoniam communicatio primi auxilij ſupernaturalis debet eſſe donatio ita gratioſa, ut nullo modo ſit retributio, vel donatio, ut loquuntur Juriſperiti, antidoralis, ſive quæ alterius obſequium aliqualiter recompenſet: ſed auxilium collatum ob bona opera naturalia tanquam propter merita de congruo non eſt huiuſmodi, ut ſatis liquet ex terminis: ergo prædictum auxilium nec ea ſpectat, nec confertur intuitu illorum. Maior conſtat ex Apoſtolo loco citato ex epiſtola ad Rom. ubi concludit: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ubi Chryſoſt. *hom.* 19. inquit: *Nec aliquid retributionis cuiquam debet, quaſi quid ab illo acceperit: ſed ipſe perpetuo in beneficiis prior eſt.* Et Fulgentius *loco ſupra citato* refutans Semipelagianorum doctrinam: *Si ſic eſt*, inquit, *nos priores Deo voluntatem damus: atque ita gratiam non miſeratione tribuentis; ſed æquitate Dei retribuentis accipimus. Veruntamen quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Nemo utique.*

Ad Roman. Chryſoſt. Fulgent.

Confutatur ulterius. *Tertio:* quoniam totum adverſariorum ſtudium in deſignando ex parte noſtri aliquod meritum ſaltem de congruo, ad primum auxilium, eo collimat, ut poſſint reddere rationem, cur Deus quibuſdam potius quam aliis auxilium ſuæ gratiæ communicet, *ne irrationabilis ſua munificentiæ largitas videatur*, ut Caſſianus loquitur, & conſtat ex argumentis, quibus utuntur: ſed hæc procedendi ratio eſt contraria intentioni Pauli in illis verbis: *Si gratia iam non ex operibus: alioqui gratia iam non eſſet gratia: ergo*, &c. Suadetur minor: quia poſtquam Apoſtolus prædictum argumentum induxit, aſſeruitque gratiam ex pura miſericordia conferri, ſtatim in admirationem raptus exclamavit: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius!* At ſi doctrina huius reſponſionis vera foret, non eſſet profecto incomprehenſibile, & inexplicabile, cur Deus uni gratiam communicet, & non alij, nam ſecundum illam doctrinam in promptu eſſet reſponſio, nempè quia ille bene utitur ſuis viribus naturalibus, unde meretur ſaltem de congruo, quod Deus illi ſuæ gratiæ auxilium impendat: alter vero iners, & diſſolutus eſt: pluraque facinora committit, quocirca dignus exiſtit, ut Deus à communicatione gratiæ ſuam magnificentiam revocet. Quæ ſolutio, quo facilior videtur, eo magis ſtupori Apoſtoli contradicit, & prodit ſuam falſitatem. Unde optimè Div. Proſper lib. 1. de vocat. gentium, cap. 13. *Nec ſapientiores*, ait, *aut ſcientiores Beatiſſimo Apoſtolo ſumus, qui cum de gratiæ potentia diſputaret, magnorum myſteriorum ingreſſus arcanum, iis, quæ impoſſibile erat enarrare ſuccubuit. Cum ergo hæc divinorum operum myſteria ſupra menſuram humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis ſuæ profudiſſet exceſſu; totam expoſitionis rationem tranſtulit ad ſtuporem, & admirator eorum, quæ protulit, exclamavit, & dixit: O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Præmiſſa enim docentis aſſertio locum dabat multimodæ quæſtioni, ut variata per tot populos, ac tempora gratiæ Dei cauſa quæreretur? Sed horum myſteriorum, iudiciorumque cauſas pius, & doctus magiſter maluit ad altitudinem divitiarum Sapientiæ Dei, ſcientiæque ſuſpendere, quam iuſtiſſimæ veritatis, & miſericordiſſimæ bonitatis ſubſtractum ab humana cognitione ſecretum temeraria inquiſitione diſcutere: nihil omittens de his, quæ non oportet ignorari; nihil contrectans de his, quæ non licèt ſciri.*

D. Proſper.

139. Unde multum miramur, quod Doctores Catholici reſponſionem ſupra traditam contendant tueri, atque ab errore Maſſilienſium diſcernere, & vindicare. Tum quia Auguſtinus, Proſper, & Fulgentius, qui adverſus Semipelagianorum opinionem tunc ſubortam ſcripſerunt, eamque damnarunt, perſpectiſſimam illam habebant, & quidquid aſſerebant Adverſarij, calluerunt optimè. Aſſerebant autem plures illorum inveniri in operibus naturalibus non quidem meritum de condigno, & inducens rigoroſam iuſtitiam, ſed meritum ſolum de congruo, cui Deus miſericorditer gratiam retribueret, ut manifeſtè conſtat ex ipſorum verbis, quæ ſupra dedimus. Cum ergo Patres damnant illam propoſitionem, *Gratia datur, & ſubiungitur labori, & induſtriæ humanæ*, manifeſtè excludunt meritum etiam de congruo. Tum etiam, quia cum prædicti Patres negant gratiam ſecundum merita noſtra dari, non intelligunt præcisè meritum de condigno; ſed omne id, intuitu cuius gratia dicatur retribui, ut rectè obſervavit Bellarminus *lib.* 6. *de gratia, cap.* 5. *§. Probatur ſecundo*, & ſatis conſtat ex Auguſt. *lib. ad Bonifacium cap.* 8. ubi inquit: *Si ſinè Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cæptum erit meritum, cui tanquam ex debito veniat adiutorium*, &c. ubi nullo pacto poteſt intelligi de merito fundante rigoroſam iuſtitiam; cum nulla appareat ratio ad tantum meritum ex levi quadam boni cupiditate aſſerendum. Tum denique, & præcipuè quia gratia Dei confertur *nullis præcedentibus meritis*, ut apertè definit Concilium Arauſic. 2. *can.* 25. his verbis: *Hoc etiam ſalubriter profitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuvamur; ſed ipſe in nobis nullis præcedentibus bonis meritis fidem, & amorem ſui prius conſpirat.* Quod etiam determinat Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. dicens: *Ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Deo per Ieſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Meritum autem de congruo aliquod meritum eſt, ut liquet ex terminis: ergo nequit

Inconſiderantiam aliquorum ſtudium. Bellarm. Auguſt. Conc. Arauſ. Trident.

Digitized by Google

nequit affirmari, quod homo per opera naturalia mereatur de congruo primum auxilium gratiæ, quin incidatur in errorem Maſſilienſium, quem damnant relata decreta.

Motiva antecedentis evaſionis enervantur.

140. Ad ea vero, quæ adducuntur in favorem evaſionis hactenus impugnatæ, reſpondetur opera moraliter bona elicita viribus naturæ nullam habere congruitatem intrinſecam reſpectu gratiæ ſupernaturalis: nullum quippè fundant meritum, vel proportionis habitudinem ad prædictam gratiam; ſed manent adæquatè intra limites ordinis naturalis, quin ad ſuperiorem, & ſuperiorem ordinem queant ſe ſeipſis penetrare. Unde non eſt congruum, quod Deus operanti bene ex ſolis viribus naturæ conferat gratiam ſupernaturalem, ſi loquamur de congruitate intrinſeca, ſe tenente ex parte operum. Si autem Deus homini bene operanti voluerit auxilia gratiæ conferre; id quidem erit valde congruum ſuæ miſericordiæ: ſicut erit etiam congruum ſuæ ſapientiæ illa denegare, ſi concedere noluerit ob exceſſum, & independentiam gratiæ ab operibus naturæ. Quamobrem nulla diſcernendi ratio in ordine ad conſequendam gratiam poteſt deſumi ex operibus purè naturalibus, ſive bonis, ſive malis, ut ſemper verificetur: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Nec inde operans bene moraliter habet ullam vel apparentem rationem juſtæ querimoniæ: quippè operibus naturalibus ſatis ſuperque eſt, ut retribuantur dona ordinis naturalis. Conqueri autem, quod Deus ſibi gratiam non communicet, tacita quædam, & injuſta ſuperbia eſt dedecens inferioritatem creaturæ, & liberum dominium Dei in effundendo ſuæ gratiæ divitias. Unde Apoſtolus ad Rom. 9. *O homo,* inquit, *tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, alind vero in contumeliam?*

Ad Rom. 9.

Per quæ verba duo ſignificantur, quæ faciunt ad noſtrum inſtitutum. Primum, quod ſicut figulus poteſt pro libito ſuo ex eadem luti maſſa ſumere unam partem in honorem, imprimendo ei nobilem aliquam artis formam: & alteri parti valet nullam figuram inducere, ſed eam relinquere in ſua vilitate, atque informitate; quin ex hoc poſſit conqueri adverſus figulum: ita Deus ex eadem Adami natura, quam de limo terræ formavit, poteſt ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ aliquos aſſumere in honorem, conferendo illis formam ordinis divini, nempè gratiam, alios vero non evehere ad hanc dignitatem, ſed in ſua conditione, & informitate naturali relinquere; quin propter hoc poſſint juſtè Deum expoſtulare. Secundum eſt, quod ſicut lutum non ſolum formatur à figulo in vas, ſed etiam emollitur, & præparatur, ut figuram artis recipiat; ita ad Deum ſpectat non ſolum juſtificare hominem, ſed ipſum etiam ad id diſponere, & emollire. Ut humiliter dicamus cum Iſaia 64. *Nunc Domine, pater es tu; nos vero lutum: & fictor noſter tu, & opera manum tuarum omnes nos.* Licèt ad hominem etiam divino auxilio præventum pertineat ſe ad gratiam ſanctificantem activè diſponere, ut diximus *num.* 100. in quo aliter ac lutum ſe habet.

Iſaiæ 64.

Objectio.

141. Sed objicies: quoniàm magis excedit ordo hypoſtaticus ordinem ſupernaturalem, quam ordo ſupernaturalis ordinem naturalem; ſiquidem major diſtantia, & improportio invenitur inter opera ſupernaturalia elicita à pura creatura, & unionem hypoſtaticam, quam inter opera naturalia, & gratiam: ſed non obſtante prædicto exceſſu poteſt pura creatura per opera ſupernaturalia mereri de congruo unionem hypoſtaticam: ergo per opera naturalia poterit etiam mereri de congruo auxilia gratiæ. Conſequentia patet tum à paritate, tum à fortiori. Minor etiam eſt ſatis certa: nam Beata Virgo & Patres antiqui meruerunt de congruo Incarnationem Verbi divini, ut docent communiter Theologi cum Div. Thoma 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 11.

Reſpondetur, quod licèt inter opera ſupernaturalia, & unionem hypoſtaticam detur major diſtantia in eſſe entis, quam inter opera naturalia, & gratiam, in ordine tamen morali, in quo ratio meriti de congruo conſtituitur, major invenitur proportio inter illa, quam inter hæc. Et ratio eſt: quoniam homo per gratiam ſanctificantem fit particeps naturæ divinæ, & dicit ſpecialem habitudinem ad ipſum, contrahitque amicitiam cum eo. Unde poteſt offerre opera intrinſecè congrua, ut Deus, ſi voluerit, illa acceptet in ordine ad unionem hypoſtaticam tanquam ad præmium: atque ideo ſint meritum de congruo reſpectu illius. Congruum quippè eſt, ut inter amicos detur communicatio bonorum: ac proinde non dedecebat Deum, quod merita ſanctorum Patrum ordinaret ad conſequendum Incarnationem Verbi, quæ eſt maximum bonum communicabile naturæ humanæ. Homo autem ut operans præciſè ex viribus naturalibus, & antecedenter ad omne auxilium Dei vel eſt ejus inimicus, vel ſaltem non eſt amicus illius: unde nullum habet titulum ex parte ſua, ut admittatur ad participationem bonorum, quæ ſunt propria Dei, uti ſunt omnia, quæ ad ſupernaturalem ordinem pertinent: immo vero habet indignitatem ſaltem negativam reſpectu illorum: quapropter nequit illa promereri adhuc de congruo.

Adde primò, & merita ſanctorum Patrum & beneficium Incarnationis ab eodem Deo agente ſupernaturali procedere, & deſcendere ex eadem ſupernaturali providentia, ſimulque in eundem finem collimare, videlicèt in ipſum Deum finem ſupernaturalem: unde Deus Incarnationem intendens potuit ex vi hujus intentionis gratiam Virgini, & Patribus communicare, ut Incarnationis beneficium enixè peterent: & congruum erat, ut Deus illorum merita pro iſtius finis conſecutione non repudiaret, quem ipſemet intendebat. At opera facta ſolius naturæ viribus non ſunt à Deo ut auctore ſupernaturali, nec ordinantur in ſupernaturalem finem: & ideo congruum non eſt, ut aliquid ordinis ſupernaturalis aſſequatur.

Adde ſecundò merita de congruo, quæ B. Virgo, & ſancti Patres reſpectu Incarnationis habuerunt, fundari adæquatè in gratia: quocirca nullus eorum in ordine ad prædictum finem ſe diſcernebat, nec habebat motivum gloriandi in ſeipſo: unde nullum ex vi hujus adeſt inconveniens in eo, quod prædictum meritum admittamus. Si autem homo poſſet ſuis viribus aliquid efficere, per quod aſſequeretur auxilium gratiæ; jam ſe per ſemetipſum diſcerneret ab aliis in negotio ſalutis, & poſſet adverſus illos inflari, habens gloriam in ſeipſo, & non in Domino. Quod cum ſit valde abſurdum; negandum omnino eſt, quod valeat ſuis viribus mereri adhuc de congruo prædictum auxilium.

142. Dices: Auguſt. *in lib. de prædeſt. ſanctorum, cap.* 15. docet Incarnationem ita factam eſſe,

Replica ex D. Auguſt.

Digitized by Google

eſſe, ſicut gratia gratis communicatur creaturæ. Quod etiam tradit lib.de correct.& gratia cap.11. & de bono perſeverantiæ cap. ult. ubi ait: *Nullum eſt illuſtrius prædeſtinationis exemplum, quam ipſe mediator. Quiſquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipſum, atque in illo inveniat & ſeipſum.* Ergo dicendum eſt, vel quod homini communicetur prima gratia ſuppoſito aliquo merito de congruo, ſicut ad Incarnationem ſupponitur; vel quod Incarnatio ſit facta nullis præcedentibus meritis, ſicut nec merita præcedunt gratiam creaturæ.

Diluitur. Reſpondetur S. Doctorem loqui de Incarnatione relata ad merita Chriſti Domini, non vero in ordine ad merita SS.Patrum. Unde ſolum intendit, quod quemadmodum humanitas Chriſti non potuit mereri etiam de congruo aſſumptionem ad perſonam divinam: ita etiam creatura nequit ſibi de congruo mereri elevationem ad gratiam. Et conſequenter, quod ſicut ex parte humanitatis nulla ſupponitur diſpoſitio, vel meritum ob quæ aſſumatur à Verbo: ita etiam ex parte hominis nil illorum ſupponitur, propter quod ſibi certum faciat gratiæ auxilium. Eſt, inquit, Auguſt. loco citato de prædeſt. Sanct. *præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe ſalvator, ipſe mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus. Qui, ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo eſt, comparabit? Reſpondeatur quæſo, ille homo, ut à Verbo patri coæterno in unitate perſonæ aſſumptus filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruit? Quod eius bonum qualecumque præceſſit? Appareat itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, unde ſecundum uniuſcuiuſque menſuram ſe per cuncta eius membra diffundit. Quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis invenerit, ipſe in nobis membris eius præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat.* Ex quibus maximè illuſtratur, ac firmatur doctrina ſuperius tradita. Si autem hinc colligas, quod quemadmodum Incarnatio fuit præmium meriti de congruo, non quidem ipſius Chriſti, ſed SS. Patrum: ita poſſit prædictum auxilium gratiæ conferri alicui ob meritum de congruo non ipſius, ſed alterius hominis juſti: quamvis id noſtra non interſit ad reſolutionem præſentis dubij, inficias tamen non ibimus; ſed facile admittemus ſequelam. De quo *in Tract.16.diſp.6.dub.2.*

§. III.

Refertur error Semipelagianorum, & eorum motivis occurritur.

Sententia contraria. 143. Semipelagianorum plures, etſi hominem abſque gratia Dei ſalvari poſſe contra Pelagianos cum Catholicis negarent; attamen poſſe hominem viribus naturæ ſe diſponere ad conſequendum ejuſdem gratiæ auxilia cum Pelagianis adverſus Catholicos concedebant. Unde non Pelagiani, qui gratiæ neceſſitatem in primo ſuæ hæreſis ſtatu penitus ſprevere, appellati ſunt, ſed Semipelagiani, aut reliquiæ Pelagianorum: quia videlicet divinæ gratiæ in nonnullis derogabant, nec omnino cum Catholicis conveniebant, ut vidimus *diſp.1. c.5.n.180.* Ubi primum autem hæc hæreſis cœpit irrepere, ſtatim D. Proſper, & D. Hilarius Auguſtinum certiorem de illa facere curaverunt per epiſtolas, quæ habentur *tom.7.operum Auguſtini.* Qui ad evertendum prædictum errorem duos libros, nempè de prædeſtinatione San-

D. Proſper. D. Hilarius.

ctorum, & de bono perſeverantiæ magno auctoritatis, ac rationis pondere ſcripſit: ex quibus, quæ ſuperius diximus, majori parte deſumpſimus. Ex Catholicis verò Scholaſticis antiquis nonnulli huic errori videntur ſuffragari; cum admittant in operibus naturalibus meritum de congruo reſpectu primi auxilij. Quæ ſententia adeo arriſit Alphonſo de Caſtro *lib.de lege pœnali cap.14.* ut oppoſitam, & communem hæreſeos, atque impietatis, non abſque inſigni temeritate, condemnet. Placuit etiam Raymundo Lullo, ut conſtat *ex directorio Inquiſitorum parte 2.quæſt.9.* ubi refertur hoc ejus dictum: *In faciendo bonum non oportet nos ſperare, quod Deus incipiat: quia iam incœpit, quando nos creavit, &c.* A qua doctrina nec videntur aliqui recentiores pœnitus deflectere, ut ex dicendis conſtabit. Raymundo.

An Patres huic ſententiæ faveant. Poſſemus in favorem hujus erroris aliqua Scripturæ teſtimonia referre: ſed quia id fecimus *dub. 2. & 4.* ibique eorum interpretationem adduximus, ideo in præſenti ab hoc labore ſuperſedemus. Sunt tamen aliquæ SS. Patrum auctoritates, quæ videntur huic poſitioni favere, & quas proinde oportet explicare. Et in primis Vazquez 1. *part.diſp.91.cap.8.* univerſum Græcorum Patrum chorum Semipelagianis adnumerat in titulo illius capitis, qui eſt hujuſmodi: *Maſſilienſes cum Caſſiano, & Græcis Patribus initium primæ gratiæ, & prædeſtinationis ex noſtro libero arbitrio eſſe dixerunt.* Et ſtatim addit *plures Patres antiquos huic ſententiæ aſſentiri, tametſi verbis contrarium fateantur.* Quæ, ut legimus, non potuimus non admirari. Nam etſi Doctores Græci aliquid docuiſſent minus conſonum decretis Conciliorum ſubſequentium, (quod falſum eſſe conſtabit) non decet Catholicum Patrum ſuorum turpitudinem revelare; cum facile poſſit ſilentij pallio operire. At veritas eſt antiquos Patres (ſi unum excipias Origenem de quo diſp.1.cap.4. §.1.) nihil commune cum Semipelagianis docuiſſe; quamvis dum diſputant adverſus Manicheos, videantur multum (quod res tunc poſtulabat,) libero arbitrio favere. Id vero cuivis rectè affecto vel ex eo ſolum certo conſtabit, quod Cæleſtinus I. *in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap.1.* Concilium Arauſicanum *can.25.* & D. Auguſt. *lib.de prædeſt.Sanct. cap.14.* & *lib. de bono perſeverantiæ cap.19.* aſſertionem Maſſilienſium vocant peſtiferam novitatem; & oppoſitam, & Catholicam dicunt eſſe SS. Patrum antiquorum conſtitutionem. Quæ minimè poſſent affirmare, ſi Patres Græci cum Semipelagianis ſenſiſſent: tunc quippè nec horum aſſertio eſſet novitas, quam tot veterum Patrum illuſtris chorus anteiret, nec ſententia noſtra eſſet Patrum definitio cum tot, ac tantos ſibi adverſos haberet. Videat ergo prudens lector, cui fides ſit adhibenda, Vazquioni, an Pontifici, Concilio, & Auguſtino? Vazquez. Cæleſtinus. Conc. Arauſ. Auguſt.

Vazquij ſtudium. 144. Sed videamus jam in particulari auctoritates Patrum, quas Vazquez adducit. Primo Chryſoſtomus homilia 17. in Joann. ubi exponentis illa verba: Converſus autem Jeſus, inquit: *Hinc admoneri poſſumus Deum ſuis in beneficiis noſtras non prævenire voluntates, ſed à nobis incipiendum eſſe. Sed cum nos prompto paratoque animo ad ſuſcipiendam gratiam exhibemus, tunc multas offert nobis ſalutis occaſiones.* Et hom.12. in epiſt. ad Hebræos in expoſitione morali parum à principio hæc habet: *Oportet nos quippè eligere primum, quæ bona ſunt: & tunc ipſe, quæ ſua ſunt, introducit. Non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur arbitrium: cum autem nos* D. Chryſoſt.

elegerimus, multam tunc nobis affert auxiliationem. Secundo Nazianz. orat. 31. n. 8. ubi explicans illud: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Quibus,* inquit, *datum eſt: adde volentibus datum eſt, atque iis, qui ea animi propenſione ſunt.* Tertio refert verba Marci heremitæ in libro de paradiſo, quæ ſupra num. 134. dedimus. Quarto adducit Clementem Alexandrinum *lib. 7. Stromat.* Cyrillum *lib. 3. contra Iulianum*, Damaſcenum *lib. de duabus Chriſti voluntatibus*, & *in hiſtoria Barlaam cap.* 15. quorum verba non refert, ſed dicit, quod videntur hi omnes concedere in nobis quædam initia, ut auxilia gratiæ conferantur.

Nazianzen. — Marci Her. — Clem. Alex. — Cyrillum. — Damaſcen.

Improbatur.

Hæc tamen parum probant: nam in primis de Nazianzeno teſtatur ipſe Vazquez *num.* 46. quàm longè abeſſe à ſententia Maſſilienſium, & apertè explicare, quod ipſum *velle* non eſt ex nobis, ne poſſimus in eo gloriari. Marcus heremita indignus eſt, qui titulo Patris Eccleſiæ inſigniatur: nam illius opera ſcatent erroribus contra fidem, ut obſervavimus *diſp. 1. cap. 5. num.* 207. & teſtatur Bellarminus *in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Clemens, Cyrillus, & Damaſcenus pro veritate ſtare exiſtimandi ſunt, dum oppoſitum non conſtat ex eorum verbis, quæ dum Vazquez expreſsè non affert; merito ſuſpicamur illius intentioni minimè deſervire. Unde ex illis multis Patribus Græcis ſolum ſupereſt unus Chryſoſtomus. Hunc autem favere Maſſilienſibus adeo firmiter ſibi perſuadet Vazquez, ut non ſolum probet verbis ſupra relatis, ſed etiam ſequenti diſcurſu, quem format num. 56. *Si Chryſoſtomus*, inquit, *in ea fuiſſet ſententia, ut exiſtimaret gratiam Dei primas partes in noſtris operationibus obtinere, & ea nos excitari ad omne bonum initium, opus inchoandum, nec ullum in nobis dari, cui gratia donaretur; non aliter ſenſiſſet Caſſianus: hic enim Chryſoſtomum præceptorem potiſſimum in Oriente habuit*, &c.

Illegitima Vazquez conſequentia.

Sed, ut verum dicamus, duo neſcimus penetrare in hoc diſcurſu: primo vim, ſecundo finem illius. Nam in primis cujus efficaciæ eſt hæc conſecutio: *Si Chryſoſtomus ſenſiſſet cum Catholicis, non aliter ſenſiſſet Caſſianus: hic enim præceptorem habuit Chryſoſtomum?* Plane nullius. Nam frequenter diſcipulus contrariam magiſtro vel ſternit, vel premit viam: & illius placita adverſa doctrina dediſcit. Ariſtoteles, qui maxima Philoſophiæ ſemina à Platone acceperat, ſcholam contra Platonem aperuit: unde merito appellabatur Platonis mulus: hic enim ſaturatus lacte materno calcibus petit matrem, ut refert Ælianus *lib. 4. variæ hiſtoriæ.* Sadducæi etiam præceptoribus non credebant, ſed continuo adverſus eos diſputabant, ut teſtatur Joſephus *lib.* 18. *antiquit. cap.* 2. Et horum imitatores parit hæc ætas quamplurimos: qui cum ex Angelico Doctore hauſerint doctrinam; nihil magis ſtudent, quam illius aſſerta, ut ut poſſunt, evertere, & demoliri. Sed quod pluris eſt, omnes hæreſiarchæ Doctores Catholicos prius audierunt, quibus poſtea ſe præbuerunt adverſarios. Unde ex eo, quod Caſſianus fuerit D. Chryſoſtomi diſcipulus, minimè ſequitur, quod ejus ubique tueatur doctrinam; ſed potuit, idque præſtitit in hac parte, contrariam amplecti. Profecto Caſſianus, cujus erat propriam ſententiam præceptoris ſui Chryſoſtomi auctoritate munire, illius non meminit: quo ſilentio ſatis teſtatum reliquit Chryſoſtomum ſibi non ſuffragari. Cui fortè ob hæc inventa ſtomachum moverat: nam ut refert Trithemius *in catalogo virorum illuſtrium*, poſtquam à Chryſoſtomo Diaconus ordinatus fuerat, ab eo tandem expulſus eſt. Deinde quò animum intendit Vazquez, dum nihil non movet, ut Chryſoſtomum oſtendat Semipelagianis faviſſe? Quæ Dei gloria, qui S. Doctoris honor, quæ denique utilitas, & neceſſitas compulit non ſolum verba Chryſoſtomi ſimpliciter referre; ſed etiam particulare, & ſpecioſum adeo argumētum formare, ut dicatur tenuiſſe Maſſilienſium errorem? Neſcimus. Maximè cum Aug. (quem refert Zumel opuſc. de gratia, diſcurſu 5. ſect. 5.) aſſeruerit: *Arrogantes hujus ſæculi homines contemnentes venerandam Patrum antiquitatem, arbitrantes Iræneum, Baſilium, Athanaſ. Ambroſ. Chryſoſt. liberum defendentes arbitrium, non rectè ſenſiſſe de gratia divina, miſerabili cæcitate falluntur.* Unum tamen hic lectorem ſedulo obſervare monemus, nempè Vazquez, & illius aſſeclas, dum ſcientiam mediam firmare, & præmotiones phyſicas proſcribere curant, frequenter ſe munire auctoritate Chryſoſtomi, quaſi S. Doct. eamdem cum illis ſententiam habuerit, ut latè præſtat Suarez *lib. 5. de auxiliis cap. 44. à num.* 3. Cum ergo Vazquez non ſolum fateatur, ſed acriter etiam propugnet Chryſoſtomi ſententiam fuiſſe in hac parte eamdemmet illam Semipelagianorum opinionem, quam jam Concilia damnarunt, ut videre eſt *num. 59. & 60.* Videat quale nobis fundamentum ad ſuſpicionem ſternat. Sed his relictis.

Ioſephus. — *Defenditur Chryſoſt. contra Vazquez.* — Suarez.

Legitima D. Chryſoſt. interpretatio.

145. Ad auctoritates ſupra poſitas reſpondetur D. Chryſoſtomum in primo teſtimonio ſolum intendere, quod Deus non ita noſtras prævenit voluntates, ut in communicatione præcipuorum donorum à nobis incipiendum non ſit in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ: non utique à nobis operantibus ſolius naturæ viribus, ſed excitatis jam per gratiæ prævenientis auxilia: hoc enim modo Deus in communicando ſua præcipua beneficia, nempè gratiam habitualem, communiter loquendo procedit, ut eam videlicet non infundat niſi promptis, & paratis ad eam ſuſcipiendam: quæ diſpoſitio eſt effectus divinæ gratiæ auxiliantis, ut docet idem Chryſoſt. *hom. 70. in Matth.* his verbis: *Vocatio, & purgatio ipſa ex gratia ſunt: ut vero vocatus jam, & candida indutus veſte ſeipſum non maculet ad diligentiam quoque pertinet vocatorum. Nam non quia dignus, ſed quia gratia tibi largita eſt, vocatus fuiſti; oportebat te viciſſim pro gratia nonnihil reddere.* Et *hom. 1. ſuper epiſt. ad Epheſ.* inquit: *Si Chriſti fidem amplectimur, ſi ad Deum acceſſerimus, hoc & ejus munus eſt, qui nos vocavit; ſed tamen & noſtrum.* Unde apparet etiam ejus mens in ſecundo teſtimonio: ibi enim diſputat contra Manichæos negantes liberum arbitrium, & ideo quaſi per hyperbolem iſtius vires exaggerat. Quod frequenter præſtat in homiliis ad populum; qui ne torperet operibus, diligenter exhortandus erat, ut divinæ gratiæ per ſuum arbitrium cooperaretur. Sed in re ſolum intendit, quod Deus non ſic præveniat noſtram voluntatem, ut electionem impediat. Et ideo licet Deus ſolum gratiam ſanctificantem per modum cauſæ principalis producat, quæ proinde poteſt dici eſſe propria Dei, & magna quædam auxiliatio: tamen actus, quibus eligimus, & voluntariè ad gratiæ ſuſceptionem diſponimur, non ſolum Deus operatur; ſed nos etiam Deo vocanti cooperamur in eorum productione. Et in hoc ſenſu negat Chryſoſtomus, quod Deus noſtras voluntates antecedat, videlicet impediendo electionem liberam, ut ſomniabant Manichæi: ut ſatis ſe explicat in eadem homilia dicens: *In Dei quidem*

Chryſoſt.

dem

dem poteſtate ſunt *omnia; ſed non ita ut noſtrum lædatur arbitrium.*

Adde prædicta verba non reperiri in originalibus græcis, ut notarunt viri docti: qui non immerito ſuſpicantur fuiſſe à Pelagianis Chryſoſtomi operibus inſerta, ut illius auctoritate tuerentur proprium errorem.

Adde ulterius Chryſoſtomum ſatis apertè ſe explicare, & primatum divinæ gratiæ tueri hom. *66. in Matth.* ubi ad illa verba: *Non eſt meum dare vobis*, inquit: *Ita undique eos compellebat in gratia Dei primum, deinde in laboribus propriis omnem ſalutem, & gloriæ ſpem reponere.* Et quia eodem modo exponuntur alia teſtimonia tum Chryſoſtomi, tum aliquorum SS. Patrum, qui videntur Semipelagianis favere; idcirco ea adducere, atque interpretari non duximus neceſſarium. Qua etiam de cauſa omittimus expendere aliquas D. Thomæ auctoritates: nam earum ſenſus ſatis conſtat ex dictis *dub. præced. à n. 127.* Recolantur etiam, quæ diximus *diſp. 1. cap. 5. num. 213. & 218.*

Secundum argumentum. 146. Secundò probatur hæc ſententia ab inconvenientibus, quæ ex oppoſita ſequuntur: nam ſi homo nullas habet vires proprias, ut conſequatur auxilia gratiæ actualis, & ſe diſponat ſaltem remotè ad habitualem; ſequitur *primo* Deum eſſe acceptorem perſonarum: ſi enim pro libito ſuæ voluntatis, & non attendens merita hominum, uni, & fortè inerti, & peccatori confert auxilia; alteri vero, quæ ſe pro viribus præparat ad gratiam, illam non confert; nequit non hæc inæqualitas in acceptionem voluntariam reduci: quod vitium longe à Deo exulare ſatis ex ſe conſtat. Sequitur *ſecundo* fruſtraneas eſſe exhortationes, quibus homines admonentur, ut ſe diſponant ad gratiam: nam fruſtra exhortatur homo, ut faciat id ad quod non habet vires. Sequitur *tertio* injuſtè peccatores corripi, cum ſe non convertunt ad Deum: nam ſi hoc negotium non incipit ab homine, ſed à Deo, poſſet peccator reſpondere id per eum non ſtare, ſed per Deum, qui non communicat primum auxilium, & incipit ſua gratia hominem convertere ad ſe. Sequitur *quarto* ſalutem non eſſe in hominis poteſtate: quia ad ſalutem requiritur primum auxilium gratiæ: & juxta noſtram ſententiam, quidquid homo faciat ex facultate naturæ, nequit conſequi prædictum auxilium. Sequitur *quinto* hominem vel non poſſe converti ad Deum, vel neceſſario converti: nam vel non habet primum auxilium: & ſic nequit converti: vel illud habet; & ſic nequit non converti: quia voluntati divinæ quis reſiſtet? Sequitur *ſexto* hominis juſtificationem eſſe opus miraculoſum contra D. Thom. *infra quæſt. 113. art. 10.* (D. Thom.) nam ideo mortui ſuſcitatio eſt miraculum, quia in natura non datur virtus ad diſpoſitionem deſideratam, ut anima reuniatur corpori: ergo ſi homo non habet virtutem ad ponendum diſpoſitionem ſaltem remotam ad gratiam, hujus infuſio erit opus miraculoſum. Sequitur *ultimo*, quod juſtificatio ſit quoddam factum homini connaturale: nam ſi diſpoſitio naturalis non condecit ad gratiam; poterit hæc infundi homini negligenti, aut reluctanti, vel etiam dormienti. Quæ omnia cum ſint abſurda, & vitentur aſſerendo, quod homo habeat vires ſufficientes, ut ſe diſponat ſaltem remotè ad gratiam, & conſequatur primum ejus auxilium, conſonum rationi eſt, ut id aſſeramus.

Occurritur argumento. Reſpondetur ea, quæ ad divinam gratiam ſpectant, non eſſe regulanda per rationes humanas, quæ naturalem ordinem niſi periculoſa temeritate non tranſcendunt, ſed revocari debent in altitudinem divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei; qui plura in hac parte nobis incomprehenſibilia, & inveſtigabilia operatur. Sed quamvis non poſſimus reddere perfectam rationem operum Dei; valemus tamen argumenta humana illis repugnantia diluere, oſtendendo nihil rationi diſſonum in gratiæ effectibus inveniri. Unde ad argumentum propoſitum reſpondetur nullum inconveniens ex relatis deduci ex noſtra ſententia. Non primum: quia acceptio perſonarum eſt vitium oppoſitum juſtitiæ, quod proinde ſolum habet locum in iis, quæ ex juſtitia debentur, qualia non ſunt auxilia gratiæ, ut liquet ex terminis. Quam ſolutionem tradit D. Thom. *1. part. quæſt. 23. art. 5. ad 3.* (D. Thom.) ubi concludit: *Neque tamen propter hoc eſt iniquitas apud Deum, ſi inæqualia non inæqualibus præparat: Hoc enim eſſet contra juſtitiæ rationem, ſi prædeſtinationis effectus ex debito redderetur; & non daretur ex gratia. In his enim, quæ ex gratia dantur poteſt aliquis pro libito ſuo dare, cui vult, plus, vel minus (dummodo nulli ſubtrahat debitum) abſque præjudicio juſtitiæ. Et hoc eſt, quod dicit Paterfamilias. Matt. 20. Tolle, quod tuum eſt, & vade. An non licet mihi, quod volo facere.*

Replica. 147. Replicabis: quoniam loquens D. Petrus de gratia collata Cornelio dixit: *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi, ut habetur in actibus Apoſt. cap. 10. verſ. 34.* (Act. Ap. c. 10.) ergo acceptio perſonarum habet etiam locum in his, quæ conferuntur ex gratia: ſed hoc maximè videretur contingere, ſi Deus bene operanti ex viribus naturæ gratiam non conferret: ergo aſſerendum eſt, quod illam ei confert: ſicut eam communicavit Cornelio, qui ſimilia operabatur. Eo vel maximè, quod in omni opere Dei invenitur juſtitia, ut dicitur *Pſalm. 24.* ergo etiam in communicatione gratiæ: poterit igitur in ea intervenire acceptio perſonarum, ſi non diſtribuatur juxta merita naturalia uniuſcujuſque.

Solutio. Reſpondetur D. Petrum non loqui de acceptione perſonarum, quæ eſt vitium oppoſitum juſtitiæ diſtributivæ, hac quippè non ligatur Deus in diſtributione munerum gratiæ, & præſertim primæ, ad quam nequeunt homines ex ſeſe ullum jus habere: ſed loquitur de acceptione, ſecundum quod ſignificat optionem, & electionem gratuitam perſonæ determinatæ, ut ſi dives velit uni, & non aliis eleemoſynam conferre. Unde ſenſus eſt, quod licet Deus potuiſſet eligere tantum Judæos ad Eccleſiam, ſicut olim vocavit ad Synagogam, idque ſine ulla injuſtitia; tamen miſericorditer voluit non ſolum unum populum ſibi acceptum facere; ſed omnes etiam gentes vocare. Quibus verbis & ſuperbiam Judæorum, qui ſe unice electos credebant, deprimit, & gentilium animum erigit, ut miſericordiam Dei amplectantur. Cornelius autem, qui ſuis bonis operibus videtur viſitationem, & D. Petri doctrinam, propriamque inſtructionem impetraſſe, non operabatur ex ſolius naturæ viribus, ſed ex gratia ſanctificante: quam ſimul cum fide implicita Chriſti habuiſſe ante adventum Petri, conſtat ex illis verbis Apoſtoli. Nam loquens de Cornelio ait: *Sed in omni gente, qui timet eum, nempè Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi:* reddere enim hominem Deo acceptum eſt effectus proprius gratiæ ſanctificantis. Idque docent D. Gregor. *hom. 9. & 19. in Ezech.* D. Thom. *3. part. quæſt. 69. art. 4. ad 2.* Beda, Dionyſius, Lorinus, & Cornelius ad locum (D. Gregor. D. Thom. Beda. D. Dionyſ. Lorinus.)

Cornelius. Albertus. D. Bonavent. locum citatum. Magiſter, Albertus, Bonav. & alij *in 3. diſt. 25.* Unde nihil ex eo loco poteſt adverſus noſtram aſſertionem opponi.

Ad id, quod additur, reſpondemus non ideo in omni opere Dei inveniri iuſtitiam, quia in quocumque opere ſatisfiat alicui merito noſtro; ſed quia Deus ſemper operatur, quod congruit ſuæ bonitati. Quamobrem ſi bene moraliter operanti contulerit gratiæ auxilia, id erit congruum ſuæ miſericordiæ: ſi vero noluerit illi ea conferre, ſed ipſa communicaverit peſſimo peccatori, id etiam erit congruum ſuæ ſapientiæ, & bonitati: atque ideo utrobique ſalvabitur non ſolum miſericordia erga homines; ſed etiam veritas, ſive iuſtitia, & debita adæquatio ad ſuam perfectionem, & ſupremum modum operandi. *Nam quidquid in rebus creatis facit* (inquit D.Th. 1 p.q.21.art 4.) *ſecundùm convenientem ordinem, & proportionem facit, in quo conſiſtit ratio iuſtitiæ: & ſic oportet in omni opere Dei eſſe iuſtitiam.*

Eliduntur alia motiva. 148. Nec ſequitur *ſecundum* inconveniens: quoniam homines non exhortamur, ut conſequantur primum gratiæ auxilium, ſed ut auxiliis ſufficientibus ad ſalutem (quæ omnibus hominibus Deum non ſolum offerre, ſed etiam reipſa conferre infra *diſp.6. dub.3.* dicemus) liberè cooperentur, & ut non ſe impediant peccando. Unde nemo corripitur ex eo, quod primum gratiæ auxilium non acceperit (nullus quippè eſt adultus, qui illud omnino independenter à meritis non habuerit ſaltem initio uſus rationis) ſed quia auxiliis ſufficientibus, quæ non ſemel accepit, Deo cooperatus non ſit. Quod vero auxilium efficax non receperit, illius excuſationi non ſervit: quia hoc auxilium non præſtat vires ad operandum; ſed eſt pura applicatio, ſeu reductio virium ad exercitium. Quamobrem merito etiam corripiuntur omnes, qui ad Deum converti deſiſtunt: quia omnes habent mediatè, vel immediatè auxilia ſufficientia gratiæ, quæ ad prædictam converſionem deſiderantur. Per quod etiam manet excluſum *tertium* inconveniens. Videatur

D. Auguſt. Auguſt. lib. de correct. & gratia ubi has obiectiones (quæ Pelagianorum ſunt) præclarè diluit. *Non ſe itaque fallant,* inquit cap.2. *qui dicunt: Ut quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus; ſed id velle, & operari Deus operatur in nobis. Sed potius intelligant ſi filij Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant; & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, ut agant; non ut ipſi nihil agant: & ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant.* Et *cap.5.* ait: *Quod enim vult pro ſe fieri, qui corripi non vult, & dicit, ora potius pro me: ideo corripiendus eſt, ut faciat etiam ipſe pro ſe. Dolor quippè ille, quo ſibi diſplicet, quando ſentit correctionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum. Hac eſt correctionis utilitas, quæ nunc maior, nunc minor pro peccatorum diverſitate ſalubriter adhibetur: & tunc eſt ſalubris, quando ſupernus medicus reſpicit. Non enim aliquid proficit, niſi cum facit, ut peccati ſui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, niſi qui reſpexit Apoſtolum Petrum negantem, & facit flentem.*

Replica. 149. Dices, ideo Scriptura nō hortatur, ut prophetemus, vel mortuos revocemus ad vitā, nec ex omiſſione horū actuum nos corripit, quia non eſt in noſtra poteſtate habere auxilia, quibus prædicta opera fiunt: ergo ſi non eſt in noſtra poteſtate conſequi auxilia, quæ deſiderantur ad converſionē, emēdationem, & ſalutem; fruſtra exhortamur ad hæc, & iniuſtè ob eorū omiſſionē corripimur.

Diluitur. Reſpondetur negando conſequentiam: nam licèt non ſit in noſtra poteſtate naturali conſequi auxilia, quibus converti, & emendari poſſumus; Deus tamen miſericorditer omnibus præſtat auxilia ſufficientia ad prædictā converſionem, iuxta illud Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Unde merito exhortamur, ut prædictis auxiliis cooperemur; & iuſtiſſimè dū id nō præſtamus, corripimur: nam ubi adeſt obligatio, & poteſtas ad aliquem actum, illius omiſſio utpote culpabilis dignam correctionem meretur. Ex eo autem, quod non prophetemus, vel miracula faciamus, corripiendi non ſumus, quia deeſt cùm obligatio, cùm poteſtas ad hæc patranda: Deus enim illam non confert omnibus hominibus, iuxta illud Apoſt. 1. ad Cor. 12. *Nunquid omnes prophetæ? Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum?* &c. Et ratio differentiæ eſt: quoniam declinare à malo, & facere bonum pertinet ad uniuſcuiuſque ſalutem: & ideo Deus dat reipſa omnibus auxilia ſufficientia ad id præſtandum, & punit non facientes. Prophetare autem vel facere opera miraculoſa eſt gratia gratis data, quæ non pertinet ad ſalutem uniuſcuiuſque, ſed ad utilitatem Eccleſiæ: unde non oportet, quod omnibus communicetur poteſtas ad prædicta opera, neque quod corrigantur, qui illa omittunt.

Joan. 1.

1. ad Cor. 12.

Convelluntur alia motiva. 150. Ex quibus conſtat ad *quartum, & quintum* incōveniens: nam licèt non ſit in noſtra poteſtate naturali conſequi primum auxilium; Deus tamen præſtat miſericorditer id, quod nunquam noſtris viribus conſequeremur, ut patet ex dictis. Et quamvis poſito auxilio efficaci, infallibiliter converteremur; nihilominus ita convertimur, ut actu retineamus poteſtatem ad reſiſtendum. Quod ſatis eſt, ut convertamur liberè: quippè libertas actualis in eo conſiſtit, quod exerceamus unum actum coniungendo ipſum cum poteſtate ad oppoſitum. Et ſimiliter non eſt neceſſarium habere auxilium efficax, ut homo dicatur poſſe converti; ſed ſufficit habere ſufficiens: hoc enim poſito valet proximè converti, quamvis nunquam convertetur abſque efficaci, ut infra ex profeſſo declarabimus *d.7.* ferè per totā, & præcipuè *dub.4.*

Ad ſextum reſpondetur tria deſiderari, ut aliquid dicatur opus miraculoſum, nempè quod fiat à cauſa occulta, & ſupra naturalem diſpoſitionem ſubiecti & præter conſuetum cauſarum ordinem. Et quidem ſi attendamus ad duo priora capita, iuſtificatio impij opus miraculoſum debet cenſeri: quia procedit à Deo agente ſupernaturali, & ſuperat omnem virtutem creaturæ. Qua ratione non minus miraculoſa eſt, quam mortui ſuſcitatio, iuxta illud Luc. 18. *Mortuus erat, & revixit,* & ad Coloſſ. 2. *Cum eſſetis mortui in peccatis, & delictis:* quia videlicèt ſicut mortuus nequit ſe revocare ad vitam; ita nec impius valet ſuis viribus vitam gratiæ ſibi reſtituere, ſed debet ad id per ipſius gratiæ auxilia excitari, atque adiuvari. Si autem ultimam miraculi conditionem conſideremus, *iuſtificatio impij,* inquit D.Thom. loc. cit. *quandoque eſt miraculoſa, & quandoque non. Eſt enim iſte communis, & conſuetus curſus iuſtificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem converſione imperfecta, ut poſtmodum ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ſicut Auguſt. dicit. Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut ſtatim quandam perfectionem iuſtitiæ aſſequatur (ſicut fuit in*

Luc. 18. Ad Coloſſ.

D.Thom.

conver

Digitized by Google

converſione Pauli) *adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione : & ideo converſio Pauli tanquam miraculoſa in Eccleſia commemoratur celebriter*. Et ex hoc ultimo capite magis miraculoſa eſt ſuſcitatio mortui, quam juſtificatio impij: quia illa ſemper fit præter communem curſum cauſarum. Adde etiam nullam eſſe in cadavere potentiam adhuc remotam, & elevabilem, per quam ſe poſſit diſponere ad vitam. Impius autem retinet potentiam radicalem, quæ ſi elevetur per auxilia, poteſt influere in diſpoſitiones, quibus aptatur ad recipiendam gratiam. De quo *in Tract. de Iuſtificat. diſp. 3. dub. 1.*

Ad ultimum reſpondetur juſtificationem impij nullo modo poſſe dici fatum homini connaturale: quia fit dependenter ab actibus liberis, quos homo gratia auxiliante adjutus elicit, ut ſe diſponat ad gratiam habitualem. Quod vero Deus velit tribuere uni primum auxilium efficax, ut ſe convertat, & illud deneget alteri, non in Fatum, quod ſeriem cauſarum naturalium determinatarum ad aliquem effectum importat, ſed in altitudinem æterni, & inveſtigabilis conſilij Dei revocandum eſt: nam prædicti auxilij collatio non à cauſis ſecundis, ſed ſolum à prima, eaque liberrima poteſt oriri. Sicut ſi haberes duos debitores, & uni remitteres debitum, & non alij, remiſſio debiti non eſſet fatum, ſed gratia. Si vero inquiras, quare hunc vocet auxilio efficaci, & cur alterum non trahat? Non occurrit quid reſpondeamus niſi illud Apoſt. ad Rom. 9. *Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit : Quid me feciſti ſic?* Sed fatemur humiliter cum Auguſt. lib. de bono perſeverantiæ, cap. 13. *Inchoandi gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari; donari ſecundum ipſius ſecretiſſimam, eamdemque juſtiſſimam, beneficentiſſimam, ſapientiſſimam voluntatem.*

Petulans interrogatio retunditur. Ad Rom. 9.

Tertium argumentum.

151. Tertio arguitur: quoniam opera naturalia moraliter bona poſſunt, & debent mereri de congruo, aut ſaltem impetrare prima auxilia gratiæ ſupernaturalis; ſed homo poteſt ſuis viribus efficere opera moraliter bona: ergo poteſt conſequi ſuis viribus auxilia gratiæ ſupernaturalis. Major ſuadetur: quia ſupremum infimi attingit infimum ſupremi: ſed opera naturalia moraliter bona habent ſupremum gradum in iis, quæ ſunt ordinis naturalis: ergo poſſunt attingere ea, quæ ſunt ordinis ſuperioris, ſeu ſupernaturalis, ſaltem infimæ, qualia ſunt prima auxilia, & infimo modo attingentia, qui non poteſt eſſe alius, quam per modum impetrationis, vel meriti de congruo; ergo opera naturalia moraliter bona merentur de congruo, vel impetrant auxilia gratiæ ſupernaturalis.

Confirmatur. Confirmatur: quia ita ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ſicut magis ad magis: quod axioma in his, quæ ſunt per ſe, univerſaliter verificatur: ſed homo ratione majoris conatus liberi arbitrij conſequitur majora auxilia gratiæ prævenientis ſupernaturalis: ergo ratione conatus ipſius liberi poteſt conſequi auxilia ejuſdem gratiæ. Suadetur minor: tum quia gratia præveniens ſolet eſſe ſatis debilis ob defectum conatus liberi arbitrij: ergo ſi conatus fuiſſet intenſior, prædicta gratia eſſet major, atque ideo ratione majoris conatus conſequeretur homo majora auxilia. Tum etiam, quia gratia præveniens conſiſtit in aliquo actu indeliberato intellectus, quo homo illuſtratur, & excitatur ad bonum: ergo quò hujuſcemodi actus fuerit intenſior, eò gratia præveniens erit major: ergo quanto homo magis conatur, tanto majora auxilia gratia conſequitur.

Huic argumento reſpondet Vazquez *loc. cit. à num. 226.* concedendo majorem, & negando minorem: quia licèt homo per bona opera mereatur de congruo auxilia gratiæ ſupernaturalis; nihilominus non elicit prædicta opera ſolius viribus naturæ, ſed indiget aliquo auxilio dato per Chriſtum, ut latè tradit *diſp. 90.* & ideo non ſequitur, quod poſſit homo propriis viribus conſequi auxilia gratiæ. *Vazquez. Reſponſio Vazquij refellitur.*

Hæc tamen ſolutio deficit in duobus: primò dum aſſerit opera ordinis naturalis facta ex auxilio dato per Chriſtum conſequi auxilia ordinis ſupernaturalis: oppoſitum enim ſtatuemus *infra dub. 9.* Secundo dum negat fieri poſſe aliquod opus bonum morale abſque auxilio gratiæ: nam contrarium *diſput. præced. dub. 2.* cum communi ſententia Theologorum oſtendimus. Nec oportet, ut aſſertio communis, & Catholica, quam hic ſtatuimus, alligetur adeo peregrinæ ſententiæ, qualis eſt illa Vazquij, cui nemo ferè Doctorum hujus temporis ſuffragatur. Et ideo ea relicta,

Reſpondetur ad argumentum negando majorem: quia ut cõſtat ex hactenus dictis, opera ordinis naturalis nullam habent connexionem intrinſecam ad conſequendum per modum meriti, vel impetrationis præmium, quod ad ordinem ſupernaturalem ſpectet. Nec oppoſitum ſuadetur illo vulgari proloquio: nam ſolum habet locum in his, quæ intra eumdem ordinem ſe excedunt, ut ſenſus ſit ſupremum infimi in ordine naturali attingere infimum ſupremi intra eumdem ordinem: & ſupremum infimi in ordine ſupernaturali attingere infimum ſupremi ejuſdem ordinis: non vero quod ſupremum unius ordinis, nempè naturalis attingat infimum alterius ordinis videlicèt ſupernaturalis. Et ratio eſt: nam ea, quæ ſunt ejuſdem ordinis, licèt ſe excedant; ſervant tamen inter ſe aliquam habitudinem proportionis: & ideo poteſt unum aliud attingere, ſaltem remotè, & mediatè. Cæterum ordo naturalis, & ſupernaturalis adæquate ſe excedunt, & excludunt ob diverſum modum, quo participant à Deo perfectionem, nimirum vel juxta modum proprium creaturarum, vel juxta modum Deo proprium: unde ſupernaturalis ordo eſt adæquatè ſupra ordinem naturalem, & omnem exigentiam illius. Quapropter ea, quæ ſunt naturalis ordinis nequeunt ullo modo adhuc per modum meriti, vel improportionis, vel diſpoſitionis, ea, quæ ſunt ſupernaturalis attingere: jam enim importarent aliquam exigentiam ad hæc obtinenda, quæ illorum ſupernaturalitatem deſtrueret. Et ideo negandum eſt, quod opera moraliter bona facta viribus naturæ poſſint mereri, aut impetrare auxilia gratiæ ſupernaturalis. *Legitima argumenti ſolutio.*

152. Nec refert, ſi cum Vazquez contra hanc doctrinam opponas Scripturam ſacram frequenter promittere auxilia gratiæ operantibus bene moraliter, Daniel 4. *Peccata tua eleemoſynis redime*, & Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam & ipſi miſericordiam conſequentur*, & Eccleſ. 28. *Relinque* (hoc eſt, dimitte) *proximo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur*, & Proverb. 3. juxta tranſlationem 70. *Humilibus autem dat gratiam*, & alibi ſæpe: conſtat autem has promiſſiones fieri abſolutè, & abſque reſtrictione ad opera bona moralia ordinis ſupernaturalis: ergo illi etiam conſequentur auxilia gratiæ in his locis promiſſa, qui bonum morale ſolius naturæ viribus operantur. *Objectio Vazquez.* Daniel 4. Matth. 5. Eccleſ. 28. Proverb. 3.

Non, inquam, hoc refert: quoniam licèt illæ promiſſiones fiant abſolutè; reſtringendæ tamen *Solvitur.*

Digitized by Google

ſunt ad opera bona ſupernaturalis ordinis, vel ad ea ſaltem opera naturalia, quæ ex auxilio ſupernaturali procedunt. Nec interpretatio hæc eſt voluntaria; cum fundetur in aliis Scripturæ locis, quæ paſſim docent auxilia gratiæ omnino gratis, & nullo præveniente jure conferri. Cui accedit expoſitio Auguſt. & aliorum ſanctorum Patrum, quorum eſt divinam Scripturam exponere. Eo vel maximè, quod opera purè naturalia quaſi pro nihilo deputantur in ordine ad ſupernaturalem finem, in quem per Scripturam ſacram dirigimur, ut jam obſervavimus *diſp. præced. dub.* 2. Unde non de illis, ſed de ſupernaturalibus, aut ſupernaturaliter factis intelligenda eſt.

Occurritur confirmationi. Ad confirmationem reſpondetur cum Alvarez de Auxiliis *diſp.* 57. negando minorem: quia ſicut gratia non dependet ex aliqua naturali virtute, ita illius intenſio non eſt regulanda penes majorem conatum liberi arbitrij. Et ad primam probationem negamus conſequentiam: quia præcedens culpa, & negligentia eſt ſufficiens cauſa, ut Deus, ſi velit, deneget auxilia magis copioſa, ſicut etiam potuit illa omnino denegare. Major autem conatus naturalis ſicut non meretur, ita nec intenſionem, aut abundantiam illius: & ideo utrumque eſt effectus ſolius divinæ miſericordiæ juxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Ad ſecundam negandum eſt, quod gratia præveniens ſit formaliter aliquis actus vitalis: ſed eſt quædam motio elevans, & excitans potentiam, ut prædictum actum eliciat: quapropter iſtius intenſio, ſicut & entitas non in potentiam naturalem tanquam in virtutem proximam, ſed in auxilium gratiæ revocanda eſt. Quod infra *diſp.* 5. ex profeſſo dicemus. *Oſeæ 13.*

Quartum argumentum. 153. Arguitur quarto: nam orationes juſti poſſunt alteri mereri de congruo auxilia gratiæ, ut ſupra *num.* 141. admiſimus: ſed poteſt homo per vires naturales mereri de congruo, ut juſtus oret pro eo, & illi impetret gratiæ auxilia: ergo de primo ad ultimum poteſt homo viribus propriis conſequi gratiam auxiliantem. Minor, immo totus diſcurſus poteſt ſuaderi pluribus exemplis: nam frequenter legimus Sanctos ſuis precibus conſecutos fuiſſe auxilia gratiæ nonnullis peccatoribus, à quibus acceperant aliqua beneficia. Unde cum Baſilides adhuc ethnicus ſanctæ Virginis Potamienæ defenſionem adverſus impudicorum petulantiam ſuſcepiſſet, virgo illi poſtea apparens non ſolum ad Chriſtum convertit, ſed martyrem etiam ſuis orationibus effecit, hanc ei religioſi patrocinij rependens mercedem, ut legitur apud Euſeb. *lib.* 6. *Hiſt. cap.* 4. *Euſeb.*

Prima reſponſio. Huic argumento poſſet occurri conceſſis præmiſſis negando conſequentiam: quia licèt peccator ſuis viribus mereatur de congruo orationes alicujus juſti apud Deum; & rurſus iſtius preces mereantur de congruo auxilia gratiæ conferenda prædicto peccatori: nihilominus non ſequitur, quod iſte mereatur de congruo, ut Deus ſibi hujuſmodi auxilia communicet. Nam ſicut ex eo, quod inter homines primus debeat ſecundo, & ſecundus debeat tertio; non ſequitur, quod primus debeat tertio: ita ex eo, quod Deus conferat auxilia peccatori ob merita alicujus juſti; & juſtus illa impetret peccatori ob aliqua beneficia ab eo recepta, minimè ſequitur, quod illa auxilia ſint ullo modo debita peccatori, vel quod hic illa mereatur de congruo. Unde nulla eſt hæc conſequentia: Baſilides meruit orationes Potamienæ: ſed hæ meruit auxilia gratiæ communicata Baſilidi: ergo iſte meruit ſibi prædicta auxilia: quia videlicèt ſtat bene, ut Deus attendat ad merita Potamienæ, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, & habet congruitatem intrinſecam ad prædicta auxilia conſequenda: & tamen non attendat ad merita Baſilidis, quæ ſunt naturalis ordinis, & proportionata prædicto præmio non enim collatio talium auxiliorum fuit præmium Baſilidis, ſed Potamienæ.

Inſufficiens. Hæc tamen ſolutio niſi amplius explicetur, non ſatisfacit propter duo. *Primo:* quia præcipua ratio, ob quam opera purè naturalia nequeunt conſequi auxilia gratiæ, ſita eſt in ſupernaturalitate iſtorum: hinc enim oritur, ut illa ſint improportionata ad hæc conſequenda, etiam per modum meriti de congruo: ſed oratio, qua juſtus meretur de congruo, ut Deus conferat auxilia peccatori, eſt ſupernaturalis; alias non valeret hujuſmodi præmium promereri: ergo ſi homo poteſt viribus naturalibus mereri de congruo illam orationem juſti; jam poteſt mereri de congruo aliquid ſupernaturale, corruitque fundamentum ſatis præcipuum noſtræ aſſertionis. *Secundo:* quia licèt prædicta reſponſio ſalvet, quod homo propriis viribus non mereatur directè à Deo auxilia gratiæ ſibi collata, minimè tamen vitat, quod illa conſequatur ſaltem indirectè: nam ſi per opera naturalia mereatur de congruo orationes juſti: & rurſus iſtæ orationes mereantur de congruo auxilia gratiæ; ſequitur de primo ad ultimum, quod homo ſaltem indirectè, & mediatè poſſit ſuis viribus conſequi hujuſmodi auxilia. Unde prædicta reſponſio non tuetur indemnem noſtram, & communem aſſertionem, videlicèt non poſſe hominem ſuis viribus conſequi ullo modo auxilia gratiæ. Quæ replica magis adhuc urget, quando homo ſtudet beneficiis temporalibus promereri orationes juſti apud Deum, & quod ſibi impetret auxilia deſiderata ad ſalutem: tendit quippè ita agens, ſaltem mediatè, & indirectè ad prædicta auxilia.

Legitima argumenti ſolutio. 154. Reſpondetur ergo obſervando, quod orationes juſti poſſunt bifariam conſiderari: uno modo quatenus ſunt ab homine: & hac ratione non habent virtutem ad conſequendum ullo modo ſibi, vel alteri auxilia gratiæ. Altero modo ſecundum quod à Deo communicante homini virtutem ſupernaturalem, illamque applicante, & dirigente ad conſecutionem aliquorum auxiliorum tanquam ad præmium: & hoc pacto orationes juſti habent congruitatem, ut Deus intuitu illarum conferat auxilia peccatori, ſi eas pro prædicto fine acceptare voluerit. Quam doctrinam tradit explicans ſimilem difficultatem D. Thom. infra *quæſt.* 112. *art.* 3. ubi ait: *Poteſt igitur præparatio dupliciter conſiderari. Uno quidem modo ſecundum quod eſt à libero arbitrio: & ſecundum hoc nullam neceſſitatem habet ad gratiæ conſecutionem: quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo poteſt conſiderari, ſecundum quod eſt à Deo movente: & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non poteſt.* Deinde obſerva orationes juſti eſſe mercedem, aut præmium operum naturalium, aut beneficiorum peccatoris, non quatenus prædictæ orationes ſunt à Deo, qui nullo modo ſupponitur debere peccatori præmia ſaltem ſupernaturalia; ſed quatenus ſunt à juſto: nam hic accepit beneficium, ſtudetque ſuis precibus reſpondere. *D.Thom.*

Huic argumento reſpondetur diſtinguẽdo majorem: *Orationes juſti poſſunt mereri de Congruo, &c.*

quatenus

quatenus oriuntur à gratia, & ſunt à Deo, concedimus majorem: quatenus ſunt ab homine, negamus majorem. Et deinde ſubdiſtinguatur minor: *Sed homo ſuis viribus meretur de congruo orationes juſti*, &c. quatenus illæ orationes ſunt ab homine, concedimus: quatenus ſunt à Deo, nego minorem, & conſequentiam: nam ut legitimè inferretur, opus erat, quod homo ſuis viribus poſſet mereri orationes juſti, quatenus eæ ſunt meritoriæ præmij ſupernaturalis: quod tamen falſum eſt, ut conſtat ex dictis.

Et ſic intellectam nec contemnimus ſolutionem ſupra traditam; nec illam evertunt illæ duæ replicæ. Non *prima:* quia non concedimus, quod opera naturalia mereantur orationes juſti quatenus ſunt ſupernaturales; ſed tantum, quatenus ab homine ſunt: atque ideo non compellimur admittere in operibus naturalibus congruitatem ad ſupernaturale præmium. Nec etiam *ſecunda:* quia cum opera naturalia non mereantur orationes juſti, quatenus iſtæ habent vim impetrandi, aut merendi auxilia gratiæ; pura miſericordia Dei eſt, quod media ſua gratia ordinet prædictas orationes ad talem finem, quin ad hoc detur ulla ratio ex parte creaturæ. Unde nec indirecte, nec mediate valet homo ſuis viribus prædicta auxilia conſequi, aut comparare. Et nil refert, quod peccator obſequiis pure naturalibus intendat promereri orationes juſti apud Deum in ordine ad ſalutem conſequendam: ſicut nec intereſt, quod illam ſtudeat immediate conſequi à Deo per opera mere naturalia: par quippe improportio, & dicendi ratio militat utrobique, ut conſideranti conſtabit. Obſerva tamen pro exemplo illo, quod in argumento refertur, & ſimilibus non eſſe undequaque certum, quod opera illa, quibus peccatores orationes juſtorum præmeruerunt, fuerint pure naturalia: ſatis quippe veriſimile videtur ortum duxiſſe ex aliquo auxilio ſupernaturali, quo Deus incipit eos allicere ad ſalutem.

Ultimum argumentum.

155. Ultimo probatur hæc ſententia: quoniam facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam, ut communiter docent Theologi: ergo homo faciens, quod eſt in ſe, conſequitur gratiæ auxilia: ſed homo poteſt propriis viribus facere, quod eſt in ſe, ut liquet ex terminis: ergo poteſt eiſdem viribus conſequi prædicta auxilia.

Hoc argumentum petit, ut explicemus legitimum ſenſum prædicti axiomatis: pro quo opus eſt aliud dubium inſtituere.

DUBIUM SEPTIMUM.

Utrum facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ, Deus infallibiliter conferat gratiam.

Axioma, Facienti, quod eſt in ſe &c. commune inter Catholicos.

156. DUobus dubiis præcedentibus majori ex parte egimus cum hæreticis; ſuccedit jam, ut cum catholicis diſſeramus. Dat autem controverſiæ cauſas, & quidem ſatis graves, proloquium illud nuper relatum, videlicet, *Facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam.* Quod licet Calvinus *lib. 2. Inſtit. cap. 3.* parvi faciat vocans irriſorie Oxamicum axioma; ſpernendum tamen non eſt: nam eo utuntur non ſolum Oxam, ſed alii etiam Theologi tam veteres, quam moderni. Et quod pluris eſt, Angelicus Doctor illud vel inducit, vel admittit, vel exponit pluribus in locis, ut *in hac quæſt. art. 6. & qu. 112. art. 3. & de verit. quæſt. 24. art. 1. ad 2. & art. ultimo & ſuper epiſt. ad Rom. cap. 10. lect. 3.* & alibi ſæpe. Difficultas vero eſt, an debeat interpretari de faciente, quod eſt in ſe, ex viribus ſolius naturæ, an vero ex viribus gratiæ? Pro cujus reſolutione duo ſupponimus ut certa.

D. Thom.

Duplex huius proloquij ſenſus.

Primum eſt prædictum axioma intellectum de faciente, quod eſt in ſe, ex viribus gratiæ, citra controverſiam, aut periculum admitti communiter à Doctoribus: omnes quippe docent eum, qui recte utitur prioribus gratiæ auxiliis, ex hoc ipſo diſponi ad conſequendum auxilia ulteriora, aut etiam gratiam ſanctificantem. Secundum eſt facientem, quod eſt in ſe viribus ſolius naturæ, non conſequi ex natura rei, & ſecluſo omni pacto auxilia gratiæ: id enim jam conſtat ex dictis dubio præcedenti; quod in prædicto ſenſu agitavimus. Unde etiam ſatis occurrebatur ultimo illius argumento: nam licet facienti, quod eſt in ſe viribus naturæ Deus infallibiliter conferret gratiam; hæc tamen communicatio non fundaretur in exigentia, & naturis rerum, ad quas eo dubio attendebamus, ſed ſolum in aliqua lege, aut promiſſione divina, de qua dubitabamus in præſenti. Et quia in ejus reſolutione præcipuum adverſarium habebimus Ludovicum de Molina; placuit hic tranſcribere verba, quibus explicat ſuam ſententiam: ſic enim magis perſpecta fiet lectori, qui etiam poterit frequenter ad ea convertere oculos, ibique melius intuebitur, an crimina adverſus veritatem confingamus, an veritatem potius, & cauſam gratiæ Dei propugnemus. Ita ergo habet in ſua concordia *quæſt. 14. artic. 13. diſp. 10.* in principio.

Verba, quibus Molina ſuam ſententiam proponit.

Illud etiam iis, quæ duobus præcedentibus diſputationibus diximus, addendum eſt, quotieſcumque liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur, preſtove eſt ad conandum totum id, quod ex ſeſe poteſt, tum circa ea, quæ fides habet, addiſcenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac juſtificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave, quibus id faciat, ut oportet ad ſalutem: non quidem quaſi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promereatur; ſed quoniam id obtinuit nobis Chriſtus ob ſua merita, atque inter leges, quas tam ipſe, quam Pater æternus ſtatuerunt de auxiliis, & donis, quæ nobis Chriſtus promeruit, mere gratis conferendis, una, eaque rationi maxime conſentanea fuit, ut quoties ex noſtris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis eſt, præſto nobis eſſent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet ad ſalutem efficeremus: ut ea ratione, dum eſſemus in via, ſemper in manus liberi arbitrij noſtra poſita eſſet ſalus, per noſque ipſos ſtaret, quod ad Deum non convertamur. Quare ſicut Deus ſemper præſto eſt per concurſum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit: ita præſto illi eſt per auxilium gratiæ ſufficiens, ut quoties ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis, quæ ad juſtificationem ſpectant, illud exequatur prout ad ſalutem oportet, &c. Similia habet diſp. 14. membro 5. §. *Poſt hanc.*

Aſſerta Molinæ.

157. In quibus verbis aliquæ propoſitiones notatu dignæ continentur. Prima: *Libero arbitrio conanti, aut parato ad conandum ex viribus naturalibus, ut faciat, quod poteſt, in ordine ad ſalutem, Deum conferre gratiam prævenientem.* Secunda: *Prædicta gratia non communicatur ob merita ejus, cui fertur, ſed ob merita Chriſti Domini.* Tertia datur *ſpecialis lex ſtatuta à Patre æterno, videlicet ut facienti, quod eſt in*

Digitized by Google

ſe ex viribus naturæ, preſto eſſent auxilia gratiæ. Quarta *prædicta lex eſt rationi maxime conſentanea.* Quinta *hoc modo ſalvatur, quod, dum ſumus in via, ſit ſalus noſtra ſemper poſita in manu liberi arbitrij.* Ex quibus tertia eſt, quam præcipuè oportet examinare in præſenti: & ita inquirimus, utrum ſit aliqua lex ſtatuta à Deo, ut facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ, conferantur auxilia gratiæ. Aliæ vero propoſitiones, ſicut præcedentem ut principalem comitantur, ſic obiter in ejus reſolutione limam etiam experientur. Et quia materia ſatis gravis eſt, & à ſola Dei voluntate dependens; curabimus eam potius tractare auctoritate Scripturæ, & Conciliorum, per quæ divina diſpoſitio innoteſcit; quam rationibus metaphyſicis, quibus plerumque haud arduum eſt ſaltem apparenter occurrere: ſed nec iſtas pœnitus omittemus.

§. I.

Sententia negativa, & primo fundamento ſuadetur.

Concluſio. 158. Dicendum eſt Deum nulla lege ſtatuiſſe dare primam gratiam auxiliantem facienti, quod eſt in ſe, ex ſolis viribus naturæ. Hanc concluſionem docet D.Thom. *in hac quæſt. art.6. ad 2. & q.112. art.3. & de verit. q.24. art.ult.* in corpore, & *ad Rom. cap. 10. lect. 3.* prope medium, ubi loquens de iis, qui idem non audierunt, inquit: *Si qui tamen eorum non feciſſent, quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundum ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cornelio Actor.10. & Paulum Macedonibus, ut habetur Actor.16. ſed tamen hoc ipſum, quod aliqui faciunt, quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum, juxta illud Thren. 5. Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Sancto Doctori ſubſcribunt ejus diſcipuli Cajet. *in præſenti art. 6. §. Nec obſtat*, Petrus de Soto, *lib.9. de pœnitentia.* Dominicus Soto *lib. 2. de natura, & gratia cap.3. & 4.* Bañez 2.2. *q.10. art.1.* Medin. 1.2. *q.112. art. 3.* Alvarez *de auxiliis diſp. 56. & lib. 6. reſponſ. cap.4.* Zumel *in præſenti art. 6. diſp. unica, & opuſc. de gratia, diſcurſu 5. ſect. 1.* Gregorius Martinez *dub. 4. concl. 1.* Arauxo *q. 112. art.3. dub.3.* Joannes à S. Thom. *1. parte q. 25. diſp.8. art.5. n.11. & in præſenti diſp.20. art.1. §. Circa tertium punctum, & diſp. 24. art. 2.* Monteſ. *q.112. art.3. §.2.* Cabrera *3.p. q.62. diſp.19. §.6. à n.107. & diſp.20. §.9. à n.106.* Labat *de neceſſitate gratiæ diſp. 1. dub. 4. §. 1.* & alij plures. Quibus etiam ex extraneis conſentiunt Divus Bonaventura *in 2. diſt.28. art.2. q.1.* Ægidius *ibidem art. 3.* Eſtius *diſt. 26. §. 35.* Altiſiodor. *lib. 3. ſumma tr.2. cap.1. q.5.* Driedo *libro de captivit. & redemptione generis humani fol.123. & 126.* Bellarmin. *lib.6. de gratia cap.6.* Valentia *in præſenti diſp.8. q.4. puncto 3.* Suarez *1.p. lib.1. de cauſa prædeſtinationis cap.9. & lib.3. de auxiliis cap.13.* Vaſquez *1.p. diſp.92. cap.10. & in præſenti diſp.199.* Granados *de gratia tr.6. diſp.1. ſect.7. n.57.* Villegas *contr.14. cap. 3.* & communiter Theologi, paucis Modernis exceptis, quos infra referemus.

D. Thom. — Cajet. — Petr. de Soto. — Dominic. de Soto. — Bañez. — Medina. — Alvarez. — Greg. Mart. — Zumel. — Arauxo. — Joannes à S. Thom. — Monteſinos. — Cabrera. — Bonavent. — Ægid. — Eſtius. — Altiſiodor. — Driedo. — Bellarminus. — Valentia. — Suarez. — Vaſquez. — Granados. — Villegas.

Fundamentum veræ ſententiæ. Probatur primò hæc ſententia: quoniam ſi Deus certa lege ſtatuiſſet conferre primam gratiam facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ; ſequeretur, quod credentes, volentes, deſiderantes, conantes, laborantes, vigilantes, ſtudentes, petentes, quærentes, pulſantes aliaque id genus ex ſolis viribus naturæ facientes pro obtinenda ſalute, infallibiliter conſequerentur prædictam gratiam: conſequens eſt falſum: ergo, &c. Sequela videtur manifeſta: quoniam qui credit, vult, deſiderat, conatur, laborat, vigilat, ſtudet, petit, quærit, & pulſat ad ſalutem obtinendam, jam facit, quod eſt in ſe, ſecundum vires naturæ: neque enim apparet, quid amplius poſſit exigi, ut dicatur facere, quod eſt in ſe: ergo ſi datur lex, quod prima gratia conferatur facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, eam profecto aſſequetur, qui prædicta opera moraliter bona ex viribus naturæ exercuerit. Minor probatur manifeſte ex Concilio Arauſic. 2. can.6. ubi dicitur: *Si quis ſine Dei gratia credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, pulſantibus nobis, miſericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet agere valeamus per infuſionem, & inſpirationem Spiritus ſancti in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes, & humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti 1. ad Corinth.4. Quid habes, quod non accepiſti? & cap.15. Gratia Dei ſum, id, quod ſum.* Conc. Arauſ.

Roboratur. Confirmatur, & explicatur primo: quia hominem credere, velle, deſiderare, conari, laborare, vigilare, ſtudere, petere, & pulſare, multo magis eſt, quam hominem conari, præſtove eſſe ad conandum, quod ex ſeſe poteſt, quanto plus eſt facere aliquod opus, quam conari, vel paratum eſſe ad conandum, ut fiat: ſed Molina docet, quod quotieſcumque liberum arbitrium conatur, præſtove eſt ad conandum totum id, quod ex ſeſe poteſt, Deus illi confert gratiam prævenientem, & alia auxilia: ergo à fortiori tenetur admittere, quod prædicta gratia conferatur homini exercenti opera ſupra relata: atqui hoc damnatur in Concilio: ergo ſententia illa Molinæ videtur à fortiori eidem cenſuræ ſubjacere.

Urgetur. Confirmatur ſecundo, & explicatur amplius: quia ſi de facto eſſet lex infallibilis, quod quotieſcumque homo facit, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, toties Deus illi conferret gratiam prævenientem, & alia auxilia, de facto, hoc eſt, ſuppoſita prædicta lege, hæc propoſitio *Homini facienti, quod per naturam, & abſque gratia poteſt, confertur miſericordia divina*, eſſet, prout jacet, vera, nec poſſet abſolute damnari: ſicut quia de facto datur lex conferendi gloriam homini facienti, quod poteſt, ex gratia habituali; nequit damnari hæc propoſitio: Homo faciens, quod poteſt ex viribus gratiæ habitualis, infallibiliter conſequetur gloriam. Sed Concilium Arauſicanum abſolute priorem illam propoſitionem damnat, ut manifeſte conſtat ex ejus verbis nuper relatis: ergo non ſubſiſtit prædicta lex. Niſi velimus dicere, aut Concilium ignoraſſe hujuſmodi legem, cujus notitia affulſit poſtea Molinæ; vel inconſiderate proceſſiſſe damnans abſolute propoſitionem de facto veram. Neutrum tamen catholicus admittet.

Adverſariorum effugium. 153. Huic rationi, & confirmationi reſpondent Adverſarij abs re adduci canonem Concilij adverſus opinionem Molinæ: nam ibi ſolum damnatur opinio Maſſilienſium Semipelagianorum ad quorum errorem extirpandum Concilium illud congregatum fuerat, ut diximus *diſp. 1. cap.5. §.5.* Error autem illorum in eo conſiſtebat, quod

Digitized by Google

quod aſſerebant hominem facientem ex viribus naturæ opera ſuperius relata mereri gratiam divinam, & hanc proinde humanæ induſtriæ ſubjungi, & ſatis aperte ſignificatur in illo canone. Molina vero, cum aſſerit homini facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ infallibiliter gratiam conferri, expreſſis verbis excludit omne meritum ex parte hominis, cui gratia communicatur; & ſolum docet dari gratiam ex lege, ſeu pacto inter Patrem æternum, & Chriſtum Dominum: ita ut prædicta gratia ſit pura gratia reſpectu hominis, cui confertur; licet habeat rationem præmij reſpectu Chriſti, ob cujus merita datur. Quæ doctrina nihil commune habet cum Maſſilienſibus, nec potuit cum horum aſſertis damnari.

Præcluditur.

Sed contra: quia hæc reſponſio manifeſte petit principium: eatenus quippe vindicare procurat opinionem Molinæ à cenſura illius canonis, quatenus eam ſupponit eſſe diverſam à Semipelagianorum errore; cum tamen argumentum id præcipue intendat, quod nequeat in præſenti puncto diſcerni, ſed debeat ſub damnatione illius canonis involvi. Id autem ſic oſtenditur: quoniam eadem inconvenientia, ob quæ Semipelagiani damnati ſunt, militant in Molinæ opinione: ergo cum eiſdem damnatur, & ſub illo canone comprehenditur. Conſequentia conſtat. Antecedens autem probatur: quia præcipuæ aſſertiones, ut alias prætermittamus, ob quas Patres, & Concilia Semipelagianos damnarunt, ſunt hæ: *Primò* aſſerebant initium gratiæ eſſe ex nobis. Quod improbat Concilium Arauſicanum 2. *can. ultim.* illis verbis: *Salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur: ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem, & amorem ſui prius inſpirat.* Et Concilium Trident. *ſeſſ. 6. de Iuſtificat. cap. 5.* ubi declarat *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum gratia ſumendum eſſe*, &c. *Secundò* dicebant gratiam ſubjungi humanæ induſtriæ, & labori. Quod damnat Concilium Arauſic. canone ſupra citato illis verbis: *Quo humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, reſiſtit Apoſtolo*, &c. *Tertiò* docuerunt homines ſe diſcernere in ordine ad aſſecutionem gratiæ: immo vero id præcipue intendebant, ut poſſet deſignari ratio ob quam Deus uni potius, quam alij conferret gratiam, contra illud Apoſt. 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quo teſtimonio utitur adverſus Maſſilienſes Concilium Arauſicanum ſupra citatum, & D. Auguſt. *libro de prædeſt. ſanct. cap. 4. & 5.* *Quartò* denique adſtruebant gratiam Dei dari ſecundum merita liberi arbitrij, ſaltem imperfecta, & de congruo. Quod perpetuo Patres damnarunt, ut ſatis ſuperque conſtat ex dictis *dubio præcedenti §. 2.* per totum, & latius *diſp. 1. cap. 5. §. 1. & 3.* At ſic eſt, quod hæc omnia abſurda, & inconvenientia neceſſario conſequuntur ad opinionem illam Molinæ: ergo, &c. Minor hæc ſuadetur quoad omnes partes.

Semipelagianorum ſententia. — *Conc. Arauſ.* — *Conc. Trid.* — *1. ad Cor. 4.*

Ex ſententia Molinæ infertur initium ſalutis eſſe ex nobis.

160. Et *prima* quidem: nam habere initium ſalutis ex nobis nihil aliud eſt, quam facere propriis viribus aliquod opus, ad quod vel ex natura rei, vel ex aliqua lege infallibiliter conſequitur gratia: ſed propoſita lege, ut facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, gratia infallibiliter conferatur, poſſet homo ſuis viribus facere opus, ad quod gratia infallibiliter ſequeretur, ut liquet ex terminis: ergo haberet ex ſe initium ſalutis. Explicatur hoc: nam ſicut initium in genere loquendo, dicitur illud, quo poſito ſequitur aliud: & initium ex natura rei dicitur, ad quod ſequitur aliud ex natura rei: ita initium gratiæ ex lege, & ſecundum providentiam ordinariam eſt illud, quo poſito ſecundum legem, & providentiam ordinariam, ſubſequitur gratiæ infuſio: ſed ſi daretur illa lex, quam adſtruit Molina, poſito opere elicito ex viribus naturæ, ſtatim Deus conferret ſuam gratiam: ergo prædictum opus eſſet initium gratiæ ſecundum legem, & providentiam ordinariam: ergo vel Concilia ignorarunt prædictam legem, cum negant initium gratiæ de facto, & ſecundum providentiam ordinariam (ad quam in ſuis decretis reſpiciunt) eſſe aliquod opus elicitum viribus naturæ, vel prædicta lex non ſubſiſtit.

Ad hæc: nequit non eſſe aliquod ſalutis initium ita confugere ad gratiam, & conari ad juſtificationem, quod ad hujuſmodi conatus ſequatur ipſius gratiæ infuſio: ſed Molina concedit poſſe hominem ſuis viribus ita conari ad juſtificationem, ut Deus infallibiliter ſtatim communicet gratiam: idque aſſerit eſſe, & lege divina ſancitum, & rationi valde conforme, ut conſtat ex ejus verbis ſupra relatis: ergo tenetur admittere, quod initium ſalutis ſit ex nobis. Quo argumento urget hæreticos D. Auguſt. *lib. de correct. & gratia cap. 1.* ubi ait: *Quis autem confugit ad gratiam, niſi cum à Domino greſſus hominis diriguntur, ut viam ejus velit? per hoc & deſiderare auxilium gratiæ initium gratiæ eſt, de quo ait ille: Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelſi. Pſal. 37.* *Auguſt.*

Et gratiam humanæ induſtriæ ſubjungi.

161. Secunda etiam pars probatur: quoniam gratiam ſubjungi humanæ induſtriæ, & labori eſt hominem ita ſe gerere, ut poſitis quibuſdam aut humilitatis, aut obedientiæ actibus, certam ſibi faciat gratiæ infuſionem: vel, quod in idem redit, eſt præcedere actus naturales, & ſubſequi gratiæ adjutorium, ut ſignificavit Caſſianus *collat. 13. cap. 11.* dicens: *Nam cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat. Ad vocem enim clamoris tui, ſtatim ut audierit, reſpondebit tibi*, Iſaiæ 30. Quæ verba multum reprehendit Divus Proſper *lib. adverſus Collat. cap. 16.* Sed ſuppoſita lege dandi gratiam facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ, poſſet homo ejuſdem naturæ viribus elicere actus, quibus ſibi certam redderet divinam gratiam, & ad quos adjutorium gratiæ ſubſequeretur, ſiquidem ut loquitur Molina *quoties ex noſtris viribus naturalibus conamur facere, quod in nobis, præſto nobis ſunt auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet ad ſalutem efficiamus* (quæ verba ſimillima ſunt verbis Caſſiani) ergo ſuppoſita prædicta lege, jam gratia ſubiungeretur humanæ induſtriæ, & labori.

Caſſianus. — *D. Proſper.*

Et diſcretionem in negotio ſalutis eſſe ex propriis viribus.

162. Unde *tertia* minoris pars ſatis liquet: nam ſi eſt lex generalis, quod facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ Deus conferat ſuam gratiam; ille utique ſe diſcernet in gratiæ aſſecutione, qui melius uſus fuerit naturæ viribus, poteritque adverſus alium non ita diligentem gloriari. Sicut ſi rex promitteret civitatem facienti tale, vel tale opus; ille utique ſe diſcerneret, qui prædictum opus efficeret, & merito alterius deſidiam damnaret, qui conſcius regiæ promiſſionis nihil operaretur ad conſecutionem præmii: quamobrem tota ratio, quare, ſuppoſita gratioſa promiſſione regis, unus aſſequeretur præmium; non vero alius, revocanda eſſet in laborem unius, & negligentiam alterius. Ita ergo ſi Deus generaliter

Digitized by Google

raliter promiſit ſuam gratiam facienti, quod poteſt ex viribus naturæ; ille homo ſe diſcerneret, qui faceret, quod naturaliter poſſet: & inquirenti, Cur tibi Deus contulit gratiam ſuam? merito reſponderet: quia ego laboravi, ego vigilavi, ego petivi, ego conatus ſum per vires proprias conſequi gratiam promiſſam; alij verò, utpote deſides, negligentes, & ignorantes, à participatione tanti præmij, & gratiæ excluduntur. Hæc, inquam, reſponderent homines, ſi vera eſſet ſententia Molinæ.

D. Auguſtinus alienus à doctrina Molinæ.

Sed Auguſtinus Apoſtoli doctrina imbutus non ſic reſpondet. *Unde fit* (inquit libro de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 22.) *ut homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, & ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes cæteras provectior, aptiorque conſurgat, & tamen in eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit? Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Alius vero tardus ingenio, libidini deditus, flagitiis, & facinoribus coopertus ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut ſi detentus hic fuerit, laudabiliter vivat? Ubi duo iſta tam diverſa merita contraxerunt?* Et poſt pauca. *Quid huic reſpondeant, non video, qui volentes humanis conjecturis juſtitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt.* Ubi ut vides, ſupponit Auguſtinus hominem facientem, quod eſt in ſe (facit enim affatim, quod naturaliter poteſt, qui avaritiam fugit, luxuriam deteſtatur, modeſtiam, & temperantiam colit, & appetitus magna ex parte vincit: nec Molina potuit amplius in illa ſua lege deſiderare: (omnia quippe mala vitare, & omne opus bonum collectivè efficere ſuperat facultatem naturæ lapſæ, ut diximus *diſp. præced. dub. 5.*) non recipere auxilia gratiæ: quod profectò non contingeret, ſi Deus ſtatuiſſet conferre gratiam facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ. Tunc quippe poſſet homo ille adverſus Deum ita conqueri: Si ſtatuiſti legem dandi gratiam facienti, quod eſt in ſe, quomodo illam confers homini libidinoſo, flagitiis, & facinoribus cooperto? Mihi vero, qui modeſtus, temperatus, ac libidinis, avaritiæ, & luxuriæ victor magna ex parte ſum, auxilium repromiſſum non impendis? Si facienti, quod eſt in ſe, gratiam promittis, quomodo mihi plus facienti eam non confers, & ei, qui minus facit, eam largiris?

Sequitur ex doctrina Molinæ gratiam dari ex merito naturali.

163. Ultima denique minoris pars etiam oſtenditur: quia tunc gratia datur ſecundum merita liberi arbitrij ſaltem imperfecta, & de congruo, cum datur intuitu bonorum operum naturalium, ut dubio præcedenti probavimus: ſed ſi Deus ſtatuiſſet conferre gratiam homini facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, non poſſet non illam conferre intuitu bonorum operum naturalium: ergo ſi adeſt hujuſmodi lex, ſequitur gratiam dari ſecundum merita. Suadetur minor: tum quia ſi Deus non conferret gratiam intuitu bonorum operum naturalium, non eſſet ratio, cur decerneret conferre gratiam facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, potius quam non ita facienti: ergo ſi Deus id decernit, confert gratiam intuitu bonorum operum naturalium. Tum etiam quia ſi inquiramus à Molina, cur Pater æternus, & Chriſtus Dominus ſtatuerunt hujuſmodi legem in ſingularem favorem ejus, qui facit, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ? nequit aliud reſpondere, niſi quia rationi maxime conſentaneum eſt, ut quoties ex noſtris viribus naturalibus conamur facere, quod in nobis eſt, præſto ſunt nobis auxilia gratiæ: ergo ſi adeſt prædicta lex, attendit Deus in communicatione gratiæ ad exercitium bonorum operum naturalium. Tum præterea, quoniam ſi bona opera naturalia non allicerent Deum, ut gratiam bene operanti conferret, non magis ſtatuiſſet dare gratiam facienti, quod naturaliter poteſt, quam reſpicienti ſolem, vel projicienti lapidem, conſequens eſt abſurdum, ſiquidem occaſionem præbet, ut exiſtimemus Deum promiſiſſe ſuam gratiam ſub conditionibus adeo ridiculis? ergo qui ſerio adſtruit adeſſe legem peculiarem, ut Deus conferat gratiam facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, tenetur admittere, Deum cum hujuſmodi legem conderet, attendiſſe ad bonum uſum naturalem liberi arbitrij, & ad valorem naturalium operum, eorumque intuitu, & illam legem condidiſſe, & ſuam gratiam de facto conferre. Quod non videtur abhorrere Molina, dum aſſerit prædictam legem eſſe *rationi* (non dixit miſericordiæ Dei, non dixit dignitati gratiæ) *maxime conſentaneam.*

Excuſatio Molinæ improbatur.

174. Nec refert primo, quod Molina expreſſis verbis excludat omne meritum ab operibus naturalibus, ad quæ ſubſequitur gratiæ auxiliantis infuſio, aſſeratque hujuſmodi gratiam pure gratis conferri.

Hoc, inquam, non refert: quia etiam Maſſilienſes, ut ſe oſtenderent ab errore Pelagii alienos, prædicabant hominem per ſuos conatus naturales non mereri auxilium Dei: & tamen quia aſſerebant ad huiuſmodi conatus ſequi infallibiliter gratiam, convincuntur admiſiſſe gratiam dari ex meritis: ergo quod Molina, ut ſe à Semipelagianis diſcernat, verbis prædicet gratiam independenter à meritis conferri: parum prodeſt, ut id verum exiſtimemus, ſi ſemel aſſerit, quod gratia ſecundum legem infallibilem confertur bene operanti ex viribus naturalibus. Maior conſtat evidenter ex dictis *dubio præced. num. 135.* ubi habentur verba Caſſiani, & Fauſti. Sufficiat modo referre alia eiuſdem Caſſiani *collat. 13. cap. 16.* quæ manifeſte evincunt intentum: *Nemo autem*, inquit, *exiſtimet hæc à nobis ob hoc fuiſſe prolata, ut nitamur adſtruere ſummam ſalutis in noſtræ fidei dictione conſiſtere, ſecundum quorumdam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes gratiam Dei diſpenſari ſecundum meritum uniuſcuiuſque definiunt.* Quid expreſſius? Minor etiam liquet ex dictis loco citato, & inſuper probatur ex Divo Proſpero *libro contra Collatorem cap. 16.* ubi cum retuliſſet hanc Caſſiani propoſitionem (quæ negari nequit in opinione Molinæ) *Cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat*, ſtatim eam impugnat his verbis: *Quis non videat, quod hæc doctrina meritum libero aſſignet arbitrio, quo præveniatur gratia, quæ ei famuletur reddens debitum, non conferens donum? Quæ definitio in Epiſcoporum Palæſtina ſynodo etiam à Pelagio anathemate damnata eſt.*

Caſſianus. *D. Proſper.*

Retunditur.

Ad hæc: non minori modeſtia, moderatione, & cautela loquitur Caſſianus in hoc puncto, quam Molina: & tamen ex illius aſſertione deducitur, quod gratia detur ſecundum merita, ut conſtat ex Auguſtino *toto libro de prædeſt. Sanct.* & Proſpero *toto libro adverſus Collatorem*, & Concilio Arauſicano ſecundo, qui hac de cauſa Caſſiani aſſer-

Auguſtin. Proſper. Conc. Arauſ.

Digitized by Google

aſſertionem damnarunt: ergo ex illa opinione Molinæ in limine hujus dubij relata componat cum Caſſiani verbis, & ſententiis *lib.* 12. *de Inſtitutis Cœnobiorum cap.* 14. ubi inquit: *Dicimus ergo ſecundum Salvatoris ſententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & à quærentibus inveniri: ſed petitionem, & inquiſitionem, & pulſationem, noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei id, quod petimus, dederit, vel aperuerit, quod pulſamus, vel illud, quod quærimus, fecerit inveniri. Præſto eſt namque, occaſione ſibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Et *collat.* 13. *cap.* 13. ubi ait: *Gratia Dei ſemper gratuita perſeverat, dum exiguis quibuſdam, parviſque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæſtimabili tribuit largitate.* Nullam equidem adhibet Molina limitationem ſuæ ſententiæ, quam his verbis Caſſianus non prævenerit. Si Molina vocibus excludit meritum in operibus naturalibus; illud etiam aptiſſime proſcribit Caſſianus. Si Molina adſtruit gratiam gratis conferri, licet præcedant bona opera naturalia; Caſſianus etiam docet gratiam gratuitam perſeverare, quamvis quoſdam exiguos conatus liberi arbitrij ſupponat. Et quemadmodum Caſſianus inquit *Deum præſto nobis eſſe* ad conferenda gratiæ dona, occaſione bonæ voluntatis oblata: ita Molina aſſerit, quod quotieſcumque ex naturalibus conamur facere, quod in nobis eſt, *præſto nobis ſunt gratiæ auxilia.* Pari ergo cautela, atque moderatione loquuntur, niſi quod Molina tantum infallibilitatem exiſtimat reperiri inter opera bona, & communicationem gratiæ, ut eam firmet ſpeciali lege divina, cujus tamen non meminit Caſſianus: in quo videtur & minus detuliſſe libero arbitrio, & cautiùs ac modeſtiùs ſe geſſiſſe. Unde neſcimus inter utriuſque opinionem convenienter diſcernere: nam licet verbis excludant meritum, id re ipſa aſſertis videntur adſtruere, & ſuam mentem ſub eadem ambiguitate relinquunt. Quam tamen monet S. Leo Papa in hac materia vitare. *Nihil* (inquit epiſt. 84.) *in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum: quoniam novimus hanc iſtorum eſſe verſutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, quam à damnandorum ſocietate diſcreverit, nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtimet eſſe non ſalvum. Cumque omnes definitiones ſuas ad ſubrepandi facilitatem improbare ſe ſimulem, atque deponere, hoc ſibi tota arte fallendi, niſi intelligatur, excipiunt, ut gratia Dei ſecundum merita dari accipientium ſentiatur: quæ utique niſi gratis detur, non eſt gratia, ſed merces, dicente Apoſtolo ad Epheſ. 2. Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei eſt, non ex operibus, nequis glorietur.*

Caſſianus, & Molina eadem dicunt.

Leo Papa.

Alia Molinæ excuſatio refellitur.

175. Nec refert ſecundo, quod Molina dicat prædictam legem conditam fuiſſe à Patre æterno ob merita Chriſti Domini, non vero ob merita illorum, cui gratia poſtea communicanda erat: unde licet comparative ad Chriſtum prædictæ gratiæ infuſio non ſit gratia, ſed præmium illius meritis correſpondens; nihilominus reſpectu illius, cui confertur, retinet adhuc puræ gratiæ rationem, utpote quæ promittitur, & datur abſque eorum meritis.

Hoc, inquam, non refert; ſed ſatis manet impugnatum ex dictis. Tum quia licet Pater æternus ſtatuerit prædictam legem ob merita Chriſti Domini; tamen quod eam ſpecialiter condiderit ad favorem, ut ſic dicamus, facientis, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, potius quam aliorum, non potuit non oriri ex eo, quod attenderit ad bonum uſum naturalem liberi arbitrij, aliquidque reperetit in eliciente bona opera naturalia, quod non inveniebatur in aliis: ergo in ſtatuendo prædictam legem reſpexit non ſolum ad merita Chriſti, ſed etiam ad opera hominum: ſed hoc ipſo gratia confertur intuitu operum naturalium, atque ideo ex meritis ejus, cui datur, ut conſtat ex ſupra dictis: ergo, &c. Tum etiam quia ſi Pater, & Chriſtus ſtatuentes prædictam legem non attendiſſent ad bona opera naturalia, non decreviſſent dare potius gratiam facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, quam non facienti, nec magis bene operanti, quam videnti ſolem, aut velociter currenti; ſed generaliter id ſtatuiſſent pro omnibus: ergo ſi illam peculiariter condiderunt pro facientibus, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, manifeſtum ſignum eſt, quod reſpexerunt ad bona opera naturalia, in eiſque invenerunt aliquid congruentiæ, meriti, aut diſpoſitionis reſpectu gratiæ, quam promittebant: ergo ſi ſemel adeſt prædicta lex, ſive ſtatuta fuerit ob merita Chriſti, ſive non, ſemper concluditur gratiam dari intuitu bonorum operum naturalium, ac per conſequens ob merita recipientium, in eo quidem ſenſu, in quo Concilia, & D. Auguſtinus meritum pro qualitate præſentis materiæ uſurpant.

Quod minime vitatur ex eo, quod prædicta gratia tribuatur ob merita Chriſti; ſed optime cohæret, quod ſimul ſit præmium & meritorum Chriſti, & meritorum ejus, qui prædictam gratiam recipit, ſi ſemel fecit, quod potuit, & gratia promiſſa eſt facienti, quod eſt in ſe. Sicut etiam Pater æternus ob merita Chriſti ſtatuit legem dandi gloriam facienti, quod eſt in ſe, ex viribus gratiæ: qua lege ſuppoſita, & quod quis faciat quod per vires gratiæ poteſt; gloriæ collatio eſt præmium non ſolum meritorum Chriſti, verum & illius, qui bona ex viribus gratiæ operatus eſt: & utique debetur ex juſtitia, juxta illud 2. ad Timoth. 4. *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex,* &c. ergo licet Pater æternus ob merita Chriſti condiderit legem dandi gratiam facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ; tamen ex ſuppoſitione huius legis, & quod quis faciat, quod per vires naturæ poteſt, communicatio gratiæ erit præmium non ſolum meritorum Chriſti, ſed etiam illius, qui bene operatus eſt ex naturæ viribus. Et ratio utrobique eſt quoniam id, quod ex lege, & pacto datur homini operanti, vel ſub conditione operis oneroſi, datur ex juſtitia, quam fundat prædicta lex, & conventio, juxta illud Matth. 20. *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle, quod tuum eſt.* Quamquam hoc reperiatur diſcrimen inter utrumque caſum, quod operans ex gratia meretur gloriam de condigno ob æqualitatem valoris in opera à gratia procedentia, & præmium gloriæ: unde hæc debetur illis ex rigoroſa juſtitia. Cæterum operans ex viribus naturæ non meretur gratiam de condigno, ſed tantum de congruo ob exceſſum gratiæ ſupra perfectionem naturæ: quamobrem gratia non deberetur ex juſtitia rigoroſa, ſed ſolum ex imperfecta. Id tamen ſatis ſuperque foret, ut gratia non tribueretur mere gratis, ſed ex meritis, & iuſtitia: quod ſatis eſt ad deſtruendum dignitatem gratiæ, quam Concilia, & Patres contra Semipelagianos prædicant, ut conſtat ex ſupra dictis.

Abſurdum in Molinæ ſententia.

2. ad Tim. 4.

§. II.

§. II.

Aliæ duæ evaſiones confutantur.

Herice agit Molinæ cauſam.

176. PRodiit in defenſionem Molinæ Valentinus *de Herice 1.p.tract.3.diſp.27.* qui ut ipſum vindicaret à præcedenti difficultate, cujus aculeis ſentiebat vehementer à Thomiſtis, duas excogitavit vias, ſeu dicendi modos, quibus credit illius opinionem incolumem defendi, & adverſas objectiones eludi. Primo ergo reſpondet *cap. 2. num.* 5. animadvertendo dupliciter poſſe intelligi, quod Deus conferat ſuam gratiam facienti, quod eſt in ſe ex facultate naturæ: uno modo ita, quod homo efficiat prævie aliquod opus ex ſola natura; & deinde præſto adſit gratia infuſa à Deo. Altero modo ita, quod nihil efficiat prævie, ſed quod libero arbitrio proxime præparato in actu primo ad bene operandum ex viribus naturæ, ut puta ad credendum, vel dolendum de peccatis, Deus ingerat gratiam ſuam, ut actus, qui, ſi à ſolo libero arbitrio prodiret, eſſet naturalis, eliciatur à gratia, evadatque proinde ſupernaturalis, & qualis deſideratur ad ſalutem. Ait ergo opinionem Molinæ non in priori ſenſu, ſed in hoc poſteriori intelligendam eſſe: quo pacto liberam credit à Semipelagianorum errore, quem ipſam imbibere argumentabamur *§. praced.* nam illorum dogma conſtituebat aliquod opus prævium, & gratiæ meritorium, ſaltem de congruo: at in ſententia Molinæ, nullum præcedit opus prævium, ſed tantum præparatio ad bene operandum.

Quod autem ita ſenſerit Molina, probat dupliciter: primo, quia in illa diſp. 10. hæc habet. *Quare ſicut Deus ſemper præſto eſt per concurſum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit: ita præſto illi eſt per auxilium gratiæ ſufficiens, ut quoties ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis, quæ ad iuſtificationem ſpectant, illud exequatur, prout ad ſalutem oportet.* Unde ſubinfert Herice: Ergo ſicut Deus offerens concurſum generalem non ſupponit opus naturale prævium, ſed tantum præparationem in actu primo: & loco concurſus generalis, qui correſpondebat operi naturali eliciendo, ſubrogat Molina ex certa lege Dei auxilium gratiæ, ut actus fiat, ſicut oportet ad ſalutem. Secundo procul pulſa, ut credit, omni dubitatione, id oſtendit ex quadam epiſtola Molinæ ad P. Antonium de Padilla anno Chriſti 1594. die ſexta Novembris. Nam cum Padilla ab ipſo quæſiſſet, utrum in ejus ſententia admittendum eſſet opus morale prævium, ad quod ex lege infallibili infuſio prævenientis gratiæ ſequeretur, reſpondit Molina: *Digo, que no buſque V. R. prævio facere noſotros totum, quod in nobis eſt, & ſubſequi gratiam prævenientem: que eſſo es doctrina de Pelagianos, ò Semipelagianos. Y no ſe colige tal de mis obras, ni mis papeles, ni reſpueſtas, antes todo lo contrario,* &c. Quibus adeo convincitur Herice, ut ſibi perſuaſum habeat & Thomiſtas hactenus impugnaſſe ſententiam à Molina alienam, & hujus propriam opinionem longiſſimè abeſſe à Semipelagianiſmi errore.

Effugium ex Herice.

Confutatur primo.

177. Sed hæc reſponſio deficit in pluribus. *Primò*, quia divertit à propoſita difficultate, & variat ſtatum quæſtionis: nomine enim facientis, quod eſt in ſe, non eum, qui paratus eſt ad faciendum, ſed eum, qui re ipſa operatur, intelligunt Auctores, cum præſens dubium diſcutiunt. Unde qui aliter illud axioma interpretatur, non ſatisfacit præſenti difficultati, ſed refugit illius examen. *Secundò*, quia etiam ſi Molinæ ſententia procedat in ſenſu, quem prætendit Herice, adhuc tamen urgent omnia, quæ adverſus eam in priori ſenſu oppoſuimus. Si enim homini propriis viribus conanti in actu primo, vel ſe aptanti ad faciendum, quod eſt in ſe, Deus infallibiliter confert gratiam: ergo ille conatus, ſive præparatio, quæ propriis viribus habetur, eſt initium ſalutis: & gratia ſubjungitur humanæ induſtriæ, qua homines ſe per vires naturales diſponunt: & unus in negotio ſalutis habet ex propriis viribus aliquid, per quod ſe diſcernat ab alio: & tandem Deus in diſtributione ſuæ gratiæ attendit ad conatus liberi arbitrij, ac proinde diſpartitur eam juxta merita, aut quaſi merita hominum. Hæc quippe inconvenientia æque urgent, ſive dicatur gratiam dari facienti in actu ſecundo, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ; ſive dicatur gratiam conferri præparanti ſe in actu primo per vires naturæ ad faciendum, quod poteſt: utrobique enim in diſpenſatione gratiæ attenditur ad aliquid, quod eſt in facultate naturæ, ut conſideranti conſtabit.

Secundo.

Tertiò, quia ſi conanti in actu primo facere, quod eſt in ſe; Deus infallibiliter confert auxilia, ut eliciat actum ſupernaturalem, & ſicut oportet ad ſalutem; ſequitur nunquam hominem elicere actum mere naturalem circa ea objecta, quæ ad juſtificationem ſpectant: conſequens eſt omnino abſurdum, & contrarium communi ſententiæ Theologorum: omnes quippe docent poſſe hominem habere aliquos actus naturales circa ſupernaturalia objecta attacta ſub aliquo motivo naturali, viribuſque naturæ proportionato, utputa aſſenſum naturalem, quo credamus ex motivo naturali myſteria fidei: ergo, &c. Sequela oſtenditur: quia nequit homo elicere in actu ſecundo actum naturalem circa objecta ſupernaturalia pertinentia ad juſtificationem, niſi ſe præparet in actu primo, & conetur, ſive paratus ſit in actu primo ad prædictum actum eliciendum: ſed ut inquit Herice, datur lex infallibilis, quod homini conanti in actu primo elicere actum circa ea, quæ ad juſtificationem ſpectant, conferatur auxilium gratiæ, ut eliciat actum ſupernaturalem, & qualis ad ſalutem deſideratur: ergo nunquam homo elicit actus mere naturales circa objecta pertinentia ad juſtificationem: atque ideo nullus dolor de peccatis, nullus aſſenſus ad myſteria fidei, nulla ſpes futuræ beatitudinis, & nullus amor Dei erit naturalis; ſed omnes hujuſmodi actus perpetuo ſupernaturales evadent. Quo quid incredibilius, & magis abſurdum?

Tertio.

Quartò, quia falſo attribuit Molinæ prædictum communis axiomatis ſenſum: quia ipſe Herice, ut Molinam vindicet à cenſura, aſſerit ejus opinionem, nempe facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, fuiſſe in univerſa Eccleſia per trecentos annos communem. Immo & Leſſius *in opuſc. de gratia efficaci in appendice ad cap.* 10. *num.* 24. aſſeverat omnes Doctores Scholaſticos (uno vel altero excepto) iam à quingentis ferè annis tenuiſſe opinionem Molinæ. At ſic eſt, quod cæteri Doctores, cum dicunt Deum non negare ſuam gratiam facienti, quod eſt in ſe, aperte loquuntur de eo, qui in actu ſecundo operatur, ut aperte conſtabit eorum teſtimonia legenti, quæ referunt ipſe Leſſius, & Herice. In eodem ergo ſenſu loquitur Molina. Ad quod ſuadendum

Quarto.

Hericij inconſequentia. Leſſius.

fruſtra

Digitized by Google

frustra recurrimus ad conjecturas, & extranea teſtimonia, cum ipſe Molina aperte oſtendat ſe loqui de faciente in actu ſecundo, quod per vires naturæ valeat. Ita enim habet loco ſupra citato: *His enim* (nempe, qui ad gratiam nondum pervenerunt) *eatenus facta eſt poteſtas, ut filii Dei fiant, quatenus, ſi quantum in ſe eſt, conentur, præſto illis aderit Deus; ut fidem, & gratiam conſequantur, neque deſiderio ſuo fraudentur.* Plane deſiderium, quo homines fraudarentur, non præparationem, aut actum primum, ſed exercitium actuale, & gratiæ prævium importat, ut liquet ex ipſis vocibus. Deinde addit. *Si conantibus ex ſuis naturalibus, facientibuſque, quod eſt in ſe,* &c. Hæc ultima verba, quæ prioribus ſuperadjungit, adeo manifeſte ſignificant actum ſecundum, ut nequeant ad alium ſenſum niſi violenter detorqueri.

Doctrina Adverſarij in ipſum retorquetur.

178. Ex quibus fit ita abeſſe, ut hoc expoſitionis genere Hericę propugnet Molinam, ut novum urgenſque argumentum ſubminiſtret ad ſubvertendam illius ſententiam. Nam aſſerere, quod ex parte noſtra procedit aliquod opus prævium, ad quod ſequatur gratia præveniens, eſt doctrina Pelagianorum, aut Semipelagianorum, ut Molina ſcripſit ad Padillam: ſed Molina docet præcedere ex parte noſtra aliquod prævium, ad quod ſequitur gratia præveniens, ut conſtat evidenter ex ejus verbis nuper relatis: ergo Molina docet Pelagianorum, aut Semipelagianorum ſententiam. Quam conſequentiam non poteſt Hericę aliter declinare niſi vel retexendo hiſtoriam illam epiſtolæ Molinæ à ſe deſcriptam; vel negando ejus verba, quæ hactenus in ipſius operibus extant. Ad alia autem verba, quæ ipſe adducit non oportet nos reſpondere, qui fatemur Molinam, ſatis obſcure, atque ambigue proceſſiſſe. Videant, quorum intereſt, quomodo cum aliis ejuſdē Auctoris dictis cohæreant.

Alia ex Hericeo evaſio pro Molina.

179. Alter modus, quo Hericę ſtudet tueri oppoſitam opinionem, conſiſtit in eo, quod actus eliciti viribus naturæ non habeant aliquam vim meritoriam, aut impetratoriam reſpectu gratiæ; ſed ſolum rationem cujuſdam diſpoſitionis phyſicæ, qua homo, quantum poteſt, ſeſe conjungit Deo, licet modo improportionato. Nam actus, inquit, naturales, & ſupernaturales amoris Dei, fidei, & ſpei, & cæterarum virtutum, quamvis differant eſſentialiter; conveniunt tamen in aliquo prædicato reali communi logico, nempe in ratione, ſeu genere actus. Genus autem eſt pars metaphyſica rei, quæ comparative ad differentiam ſolet materia appellari. Unde homo, qui efficit illos actus naturales, jam habet quaſi partialem converſionem, etſi improportionatam reſpectu Dei ut finis ſupernaturalis: ſicut equus habet prædicatum commune cum homine, nempe rationem animalis; atque ideo partem ejus metaphyſicam, ſeu materialem. Quamobrem nequit non homo ille actus naturales eliciens eſſe quaſi materialiter melius, & proximius diſpoſitus ad participationem gratiæ. Non eſt autem inconveniens, quod Deus in ejus diſtributione attendat ad hujuſmodi diſpoſitionem phyſicam, & materialem: hæc quippe nullam important vim meritoriam, aut impetratoriam gratiæ, quam Semipelagiani adſtruebant: & ideo vitatur eorum error. Decrevit ergo Deus ſpecialiter conferre gratiam facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, potius quam non facienti: quia in illo eſt quædam diſpoſitio phyſica, & quaſi partialis ad gratiam, quæ non reperitur in eo, qui nihilum operatur. Sicut decrevit dare gratiam homini, & non belluæ: quia in homine eſt capacitas, & aptitudo ad gratiam, non vero in bellua. Ita reſpondet *diſp. citata cap. ultimo.*

Rejicitur.

Hæc tamen evaſio haud melior eſt, quàm præcedens, ſed eiſdem patet inconvenientibus, & aliis pluribus. Nam in primis jam initium ſalutis eſſet ex nobis; ſiquidem poſſemus propriis viribus dicere illam diſpoſitionem phyſicam, ſeu partem Metaphyſicam converſionis, ad quam ſequitur infuſio gratiæ. Subjungeretur etiam gratia humanæ induſtriæ; cum poſſemus efficere aliquod, per quod certam nobis redderemus gratiæ infuſionem. Ex quo ulterius fieret, quod homines ſe diſcernerent in negotio ſalutis. Deus etiam impertiretur ſuam gratiam attendens ad diſpoſitionem habitam per vires naturæ, atque non tribueret mere gratis, ſed quaſi ex meritis. Hæc enim æque urgent in hoc dicendi modo, ac in opinione Maſſilienſium, & Molinæ, ut facile quivis expendere poteſt.

Impugnatur amplius.

Deinde incredibile eſt, immo abſurdum, quod Deus illam legem condens attenderet ad illa logicalia, & metaphyſicalia principia, quæ prædictus Auctor excogitavit: & quod ideo ſtatuerit dare gratiam facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ, quia actus naturalis convenit in genere logico cum actibus ſupernaturalibus, & genus ſe habet, ut pars metaphyſica rei; & hæc pars metaphyſica comparatur ad differentiam tanquam materia, vel diſpoſitio materialis; & qui habet hanc diſpoſitionem materialem, magis accedit ad converſionem ſupernaturalem: & ideo ex parte facientis, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, adeſt aliqua ratio phyſica, ob quam Deus potius decernat illi conferre gratiam, quam alteri, qui non facit, quod poteſt. Ad quid tot ſubtiliſſimarum, & debiliſſimarum cogitationum impendium in negotio adeo gravi, & morali, cum poſſimus ſimpliciter dicere Deum ex pura miſericordia, & ad nullam reſpiciendo rationem ex parte creaturæ ſtatuiſſe ſuam gratiam ſufficientem conferre omnibus hominibus, ſive faciant, ſive non faciant, quæ naturaliter poſſunt.

Confutatur urgenter.

180. Præterea, repugnat, quod homo poſſit viribus propriis efficere aliquam diſpoſitionem phyſicam ad gratiam ſupernaturalem: ſed illa ratio generica, quæ reperitur in actibus naturalibus fieret ab homine per vires proprias, ut prædictus Auctor admittit: ergo non poſſet habere ullam rationem diſpoſitionis phyſicæ ad auxilia gratiæ ſupernaturalis. Major ſatis conſtat ex ſupra dictis *dub. 5.* nam diſpoſitio phyſica ad aliquam formam debet eſſe ejuſdem ordinis cum forma: ergo diſpoſitio phyſica ad gratiam ſupernaturalem, debet ad ſupernaturalem ordinem pertinere: ſed nequit homo elicere propriis viribus aliquid, quod ſpectet ad ſupernaturalem ordinem: ergo nequit efficere ullam diſpoſitionem ad gratiam ſupernaturalem. Per quod evaneſcit illud exemplum, quod prædictus Auctor adducit: nam quod homo ſit capax gratiæ, pertinet ad genus cauſæ materialis receptivæ, quæ adæquate ſupponitur ad ordinem ſupernaturalem, nullamque determinationē importat ad habendam gratiam, ſed meram indifferentiam paſſivam: & ideo nullum eſt inconveniens, quod homo habeat ex ſe illam capacitatem, & eam Deus, ut gratiam communicet, neceſſario præſupponat. Diſpoſitio autem determinat, & trahit illam capacitatem ad gratiam tanquam formam: quamobrem ſi hæc forma eſt ſupernaturalis, debet diſpoſitio ad ſupernaturalem ordinem pertinere; alias non poſſet ad illam determinare.

Major illius

Tandem, ſi prædictus dicendi modus ſubſiſte-

effugij confutatio. ret, magis conſentaneum rationi eſſet, quod Deus decerneret conferre gratiam homini elicienti actum peccaminoſum, quam alteri, qui non elicit ullum actum. Quod eſt omnino abſurdum, ut ex ſe liquet. Sequela oſtenditur: nam ideo Deus ſtatuit conferre gratiam homini elicienti actus naturales fidei, ſpei, vel doloris, quia prædicti actus conveniunt in genere cum actibus ſupernaturalibus; atque ideo qui elicit prædictos actus naturales, habet jam partem metaphyſicam actuum ſupernaturalium, magiſque approximat ad eos: ſic enim diſcurrit Herice: ſed etiam actus peccaminoſus convenit in genere cum actibus ſupernaturalibus, & conſequenter cum eliciens habet partem metaphyſicam actuum ſupernaturalium, magiſque proinde accedit ad horum propriam rationem, quam ille, qui nullum elicit actum: ergo rationabile eſt, quod Deus conferat gloriam potius homini elicienti actum peccaminoſum, quam homini nullum actum elicienti. Eo vel maxime, quod prædictus Auctor excludit ab actibus naturalibus omnem vim moralem impetrandi, & merendi gratiam, & tantum conſiderat rationem partis metaphyſicæ, & phyſicæ diſpoſitionis: ſed actus peccaminoſus (quamvis moraliter loquendo contrarietur gratiæ) tamen ſecundum conceptum genericum affert partem metaphyſicam actuum ſupernaturalium, nempe rationem communem actus vitalis humani: ergo ſi vera eſt Hericij ſententia, reddit hominem magis diſpoſitum & approximatum phyſice ad actus ſupernaturales, quam eſſet, ſi nullum actum eliceret.

Objectio. 181. Sed objicies cum Herice *num.* 53. homo ingenio perſpicax, & bonæ indolis ſecundum ſuam phyſicam diſpoſitionem eſt magis aptus ad exercendos actus ſupernaturalium virtutum, quam homo mente rudis, & naturæ durus; quin hæc diſpoſitio phyſica deroget dignitati gratiæ: ergo qui per vires naturæ ſe convertit, & habet partem genericam converſionis ſupernaturalis eſt phyſice loquendo magis diſpoſitus ad converſionem ſupernaturalem, quam alter non ſe convertens, ſed novis ſe implicans facinoribus: ergo conſonum rationi eſt, & gratiæ non adverſum, quod Deus decreverit conferre gratiam potius facienti, quod eſt in ſe, per vires naturæ, quam alteri non facienti.

Solutio. Reſpondetur negando antecedens, & ſuppoſitum illius: quia aptitudo radicalis ad eliciendos actus ſupernaturales conſiſtit in potentia obedientiali, quæ ejuſdem rationis eſt in omnibus hominibus: tota vero ratio proxima agendi prædictos actus eſt aliqua ſupernaturalis virtus: & ideo ſi homines inæquales in ingenio, indole, complexione, & aliis naturalibus perfectionibus, eadem ſupernaturali gratia, & virtute elevarentur, æqualem aptitudinem haberent ad eliciendos actus ſupernaturales. Videatur D. Auguſt. *lib.* 2.
D. Auguſt. *quæſtionum ad Simplicianum*, *quæſt.* 2. circa finem, ubi videtur arguentis mentem præſenſiſſe, illiuſque motiva præoccupaſſe his verbis: *Certe ita occulta eſt hæc electio, ut in eadem conſperſione nobis prorſus apparere non poſſit: aut ſi apparet quibuſdam, ego in hac re infirmitatem fateor. Non enim habeo, quid intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, ſi ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor, niſi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, ſi placet honeſtas, utileſque doctrinas. Quiſquis ergo his præditus fuerit, eligendus videtur ad gratiam? Sed cum hoc ſtatuero, irridebit me ille, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia, & ſtulta mundi, ut confundat ſapientes: ut cum intuens, & pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibuſdam peccatoribus caſtiores, & præ quibuſdam piſcatoribus oratores. Nonne advertimus multos fideles noſtros ambulantes viam Dei ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorundam hæreticorum, ſed etiam mimorum.*

182. Nec illud, quod dicitur de ratione generica, quæ ſe habet ut pars metaphyſica alicujus *Motivum Hericis convellitur.* momenti eſt: nam genus poteſt dupliciter conſiderari. Uno modo logicè: & hac ratione ſolum dicit quandam rationem potentialem ſuperiorem, & contrahibilem per differentias: quo pacto nunquam invenitur in rerum natura: nam quidquid datur à parte rei, eſt aliquid ſingulare. Unde prædicta conſideratio nihil ad præſens inſtitutum deſervit: loquimur enim de homine à parte rei exiſtente, & in exercitio operante. Altero modo poteſt genus conſiderari phyſice: & hac ratione dicit ſe ipſum ut contractum, & determinatum per differentiam: quo pacto invenitur quidem à parte rei; ſed eſt quid naturale, vel ſupernaturale juxta talitatem ſpeciei, in qua invenitur. Quamobrem genus in actu naturali repertum eſt re ipſa aliquid naturale, ineptumque proinde, ut ſit pars ſupernaturalis actus, aut ſpeciem ſupernaturalem componat. Et ideo homo eliciens actus naturales virtutum non ponit reipſa partem aliquam actuum ſupernaturalium, qui infuſis virtutibus correſpondent; ſed quidquid elicit, eſt naturale: ac proinde licet per prædictos actus non ſe indiſponat ad gratiam, nihilominus non ſe diſponit poſitive ad illam, ſed perinde ſe habet, ac ſi illos non elicuiſſet.

§. III.

Expenduntur alia duo argumenta contra opinionem Molinæ.

183. SEcundo probatur noſtra ſententia: quoniam ſi facienti, quod eſt in ſe, ex naturæ viribus Deus ſecundum legem infallibilem *Aliud fundamentum ſuâ urgens contra* conferret gratiam, ſequeretur hominem per *Molinam.* vires naturales poſſe, & non poſſe operari, ſicut oportet ad ſalutem: conſequens implicat contradictionem: ergo antecedens eſt falſum. Major ſuadetur quoad utramque partem: nam in primis hominem non poſſe ſuis viribus operari, ſicut oportet ad ſalutem, conſtat ex Conciliis Milevit. *Conc. Milev.*
can. 4. Arauſic. 11. *can.* 5. & 6. & 7. & 25. & *Conc. Arauſ.*
Trident. *ſeſſ.* 6. *can.* 3. in quibus prædicta veritas *Conc. Trid.*
diffinitur. Quod autem poſſet, ſuadetur: tum quia operari, ſicut oportet ad ſalutem, eſt ita operari, ut ſequatur ipſa ſalus, vel quæ ad illam conducunt: ſed ſi adeſſet lex dandi auxilia gratiæ facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ; poſſet homo ſuis viribus elicere operationem, ad quam infallibiliter ſequerentur auxilia, quæ ad ſalutem conducunt: ergo poſſet operari, ſicut oportet ad ſalutem. Tum etiam quia ſi opera elicita viribus naturæ non eſſent, ſicut ad ſalutem oportet, pro nihilo haberentur in negotio ſalutis: ſed ſuppoſito, quod Deus ſtatuerit legem dandi gratiam homini elicienti opera naturalia, jam hujuſmodi opera non reputantur pro nihilo tam in conditione prædictæ legis, quam in communicatione gratiæ: ergo opera elicita viribus naturæ ſunt, ſicut oportet ad ſalutem. Tum denique, quia ſi homo faciens, quod eſt in ſe, ex viribus

naturæ

Digitized by Google

naturæ non operaretur, ſicut oportet ad ſalutem, non oporteret, quod adeſſet lex dandi gratiam facienti, quod naturaliter poteſt: ſicut quia homo eliciens opera indeliberata, vel opera indifferentia non operatur, ſicut oportet ad ſalutem, non adeſt lex dandi gratiam homini facienti opera indeliberata, & indifferentia: at ſic eſt, quod oportuit, & fuit rationi maximè conſentaneum, ut aſſerunt adverſarij, quod Deus decerneret dare gratiam homini facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ: ergo homo faciens per vires naturæ, quod poteſt, operatur, ſicut oportet ad ſalutem.

Reſponſio. 184. Reſpondebis, quod licet homo nequeat ex ſe operari, ſicut oportet ad ſalutem, Deus tamen ob merita Chriſti Domini miſericorditer ſtatuit, ut homo operans, quod ex ſe poteſt, conſequeretur auxilia gratiæ. Unde quod ad opera naturalia infuſio gratiæ ſequatur, non oritur ex eo, quod prædicta opera habeant eſſe, ſicut ad ſalutem oportet; ſed quia oportuit, ut propter Chriſtum Deus conferret gratiam ei, qui pro ſuis viribus elicit opera bona moralia, tametſi improportionata, atque inſufficientia ad ſalutem.

Non ſatisfacit. Sed contra: quia hæc evaſio ſufficienter manet impugnata ex ſupra dictis §. 1. *numero* 175. & inſuper poteſt refelli: nam ſi conſideremus Deum, & merita Chriſti Domini, antequam conderetur prædicta lex; vel erat magis conſonum naturis rerum, ut Deus eam ſpecialiter ſtatueret pro facientibus, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ, vel non? Si dicatur hoc ultimum: ergo omnia argumenta Adverſariorum è ratione deſumpta ad ſuadendum dari talem legem nihil convincunt: ſiquidem non magis congruit naturis rerum (quas argumenta à ratione reſpiciunt) quod Deus ſtatuerit prædictam legem, quam quod illam non condiderit. Si autem eligatur primum: ergo ipſa opera bona elicita viribus naturæ ſolicitant Deum, ut prædictam legem ſtatuat, ſibique præſto ſit per gratiæ auxilia: atque ideo jam prædicta opera conducunt ad ſalutem. Patet conſequentia: nam merita Chriſti Domini conſiderata ante talem legem, & præciſe quoad ſufficientiam, ac prævie ad applicationem, æqualiter prorſus ſe habent reſpectu facientis, & non facientis, quod eſt in ſe: ergo quod magis prædicta lex congruat naturis rerum, nequit fundari in ſolis meritis Chriſti; ſed in naturam etiam bonorum operum naturalium revocandum eſt.

Objectio. 185. Dices: ex eo quod merita Chriſti ante efficacem applicationem æqualiter ſe habuerint ad Divum Petrum verbi gratia & Judam, & quod Deus ob merita Chriſti ſpecialiter elegerit D. Petrum; minime arguitur fuiſſe ex parte Divi Petri aliquam rationem, aut congruentiam, ob quam potius eligeretur, quam Judas; ſed ſemper ſalvatur electionem illam fuiſſe ex pura miſericordia: nullamque illius rationem poſſumus deſignare niſi beneplacitum ſecretiſſimum Dei: ergo ex eo, quod merita Chriſti æqualiter ſe habuerint ante prædictam legem reſpectu facientis, & non facientis, quod eſt in ſe; & quod Deus ob Chriſti merita ſpecialiter decreverit dare gratiam facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ; minime infertur dari ex parte iſtius aliquid conducens ad ſalutem, ob quod Deus ſtatuerit prædictam legem: ſed poteſt ſalvari, quod ex pura miſericordia hujuſmodi legem condiderit.

Diluitur. Reſpondetur negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod Deus elegit D. Petrum, antequam illius merita prævideret, ipſum ſolum, nudumque à meritis reſpiciens, ut docent communiter Thomiſtæ 1. *parte quæſt.* 23. *art.* 5. & ideo nullum adeſt fundamentum, ut dicamus electionem illam fuiſſe ex meritis. Ratio vero, ob quam ſtante æqualitate in meritis Chriſti, eligat Deus aliquos, & alios excludat à regno; ſi loquamur de hominibus in communi, redditur à D. Thom. *loco nuper citato ad* 3. his verbis: *D.Thom.* *Voluit Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædeſtinat ſuam repræſentare bonitatem, per modum miſericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum juſtitiæ puniendo. Et hæc eſt ratio, quare Deus quoſdam elegit, & quoſdam reprobat. Si vero loquamur de unoquoque in particulari*, inquit S. Doctor, *quod quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem niſi divinam voluntatem. Unde Auguſt. dicit: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, ſi non vis errare.* Cæterum Deus condens legem dandi gratiam omnibus facientibus, quod eſt in ſe, ex naturæ viribus, reſpexit non ſolum ad hominem, ſed etiam ad bonum uſum liberi arbitrij, ut liquet ex ipſis terminis, quibus Adverſarij hujuſmodi legem promulgant. Unde ſi generaliter ſtatuit gratiam conferre omnibus facientibus, quod eſt in ſe per vires naturæ, nullumque ex prædictis excluſit; manifeſtè ſignificatur allectum fuiſſe bono uſu naturali liberi arbitrij, eidemque per prædictam legem voluiſſe favere, alias non eſſet ratio, cur unum, aut alterum hominem bene naturaliter operantem non excluderet, ſicut excluſit aliquos homines, qui ejus menti ante efficacem electionem objiciebantur.

Adde primo merita Divi Petri ortum duxiſſe ex electione efficaci, qua deſtinatus eſt ad gloriam: quamobrem non fundant ullo modo prædictam electionem. Opera autem elicita viribus naturæ non ſunt effectus illius legis, quam adſtruunt Adverſarij, ſed fiunt prævie, ac independenter ab ea: unde ſi ſemel Deus decrevit dare gratiam illa elicienti, non eſt ratio, cur negemus ad prædicta opera reſpexiſſe, & eis allectum condidiſſe illam legem.

Adde ſecundo nos nullam rationem reddere, cur Deus elegerit potius Divum Petrum, quam Judam, ſed id revocare in ſolam voluntatem divinam, & altitudinem divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Adverſarij vero pluribus rationibus oſtendere ſatagunt fuiſſe rationi maxime conſonum, ut Deus decerneret dare gratiam facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ: attenduntque in prædictis rationibus ad uſum liberi arbitrij, ut conſtat ex Molina, *qui aſſerit hanc legem eſſe convenientem, ut eſſemus in via, ſemper in manu liberi arbitrij noſtri poſita eſſet ſalus noſtra.* Et infra inquit, *Si quantum in ſe eſt, conentur, præſto illis aderit Deus, ut fidem, & gratiam conſequantur, neque deſiderio ſuo fraudentur:* quaſi abſurdum eſſet in gratiæ conſideratione defraudari deſiderio naturali. Ergo ex eorum ſententia prædicta lex fundatur non ſolum in miſericordia Dei, & meritis Chriſti, ſed etiam in natura bonorum operum, quæ fiunt per vires naturales, ac proinde hæ poterunt operari, ſicut ad ſalutem oportet.

186. Tertio ſuadetur noſtra concluſio: quia ſi adeſt lex dandi gratiam facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ; vel intelligitur de faciente quodlibet bonum opus morale, vel de faciente omnia, *Tertia ratio contra Molinam.*

omnia, vel de faciente aliqua: neutrum dici poteſt: ergo non ſubſiſtit prædicta lex. Probatur minor quoad omnes partes; nam in primis nequit prædicta lex intelligi de faciente, quodlibet opus bonum morale: nullus enim videtur eſſe homo adeo peſſimus in hac vita, qui unum, aut alterum opus bonum aliquando non eliciat: & tamen plures ſunt, qui nunquam fecerunt opus bonum ſaltem deliberatum conducens ad ſalutem, ut conſtat in pluribus barbaris: ergo non adeſt lex, quod facienti quodlibet opus bonum ex viribus naturæ detur gratia ſupernaturalis ad operandum, ſicut ad ſalutem oportet. Deinde homo non valet per naturæ vires efficere omne opus bonum morale, ſive, quod idem eſt, obſervare totam legem naturalem collective; ſed ut id præſtet, ſaltem connaturaliter, deſideratur gratia ſanctificans, ut oſtendimus *diſp. præced. dub. 5. & 6.* ergo prædicta lex non poteſt intelligi de faciente per vires naturæ omne opus bonum morale; alias ridicula, & inutilis foret, quippe quæ expectaret quandam conditionem impoſſibilem. Tandem nequit intelligi de faciente aliqua opera bona moralia: tum quia non eſt major ratio de aliquibus, quam de aliis: tum etiam quia non eſt homo, qui aliqua opera bona aliquando non efficiat, cum tamen plures ſint, qui per prædicta opera non conſequuntur auxilia, nec gratiam ſanctificantem.

Confirmatur Primo. Confirmatur primo: nam videmus ex integris nationibus quaſdam converti ad fidem, quaſdam vero non converti ſaltem per longum tempus: ergo ſignum eſt, quod Deus non promiſit ſuam gratiam facientibus, quod eſt in ſe, per naturæ vires. Probatur conſequentia: quia impoſſibile moraliter eſt, quod omnes homines unius nationis æqualiter, & uniformiter utantur naturæ viribus in ordine ad bonum morale; ſive, quod æqualiter faciant, quod eſt in ſe: ergo ſi Deus in communicatione, vel negatione gratiæ vocationis ad fidem æqualiter ſe ſolet habere reſpectu hominum unius integræ provinciæ: ſignum manifeſtum eſt, quod non promiſit ſuam gratiam facientibus, quod eſt in ſe per naturæ vires: alioquin eandem inæqualitatem in diſtribuendo ſuam gratiam obſervaret, quam prædicti homines obſervant in exercitio bonorum operum naturalium.

Secundo. Confirmatur ſecundo: *quia hominibus non juſtificatis*, inquit Molina, *eatenus facta eſt poteſtas, ut filij Dei fiant, quatenus ſi, quantum in ſe eſt, conentur: praſto illis aderit Deus, ut fidem, & gratiam conſequantur, neque deſiderio ſuo fraudentur.* Inquirimus ergo utrum ex Indis verbi gratia Americæ, antequam illis Evangelium innoteſceret, aliquis fecerit, quod erat in ſe, vel non? Si dicatur hoc ultimum; ergo prædicta lex dependet à quadam conditione moraliter impoſſibili; quippe incredibile eſt, quod ex tot hominibus, & per tot ſæcula nullus adhibuerit prædictam conditionem, niſi ea eſſet moraliter impoſſibilis; contingit enim non ſemel, quod moraliter non repugnat. Si autem dicatur primum: ergo aliquis eorum ante Evangelij prædicationem conſecutus eſt gratiam, & fidem. Quod eſt adhuc incredibilius; cum ex nulla conſtet hiſtoria, ſed potius oppoſitum: nam omnes illi homines dediti fuerunt Idolorum cultui, qui fidei, & gratiæ repugnat. Ergo licet homo conetur naturaliter bonum, quantum eſt in ſe, non aſſequetur fidem, & gratiam ſecundum aliquam legem Dei infallibilem.

Confirmatur ultimo: quia homo non facit, quod eſt in ſe, per naturæ vires, niſi ſe convertat ad Deum auctorem, & finem naturalem, diligendo eum ſuper omnia: ſed homo de facto nunquam facit prædictam converſionem, niſi ſuppoſita gratia ſupernaturali: ergo falſum eſt, quod Deus decreverit dare gratiam facienti quod eſt in ſe, per vires naturæ. Major conſtat ex dictis *diſp. præced. dub. 4.* ubi oſtendimus hominem per vires naturæ poſſe abſolute ſe convertere ad Deum auctorem & finem naturalem diligendo eum ſuper omnia, ac proinde tunc dicetur facere, quod eſt in ſe, cum prædicto modo ſe converterit in Deum: alij enim actus, dum hunc homo ſibi reſervat in converſione ad bonum proprium detentus, pro nihilo debent merito reputari. Minor etiam liquet ex ibidem dictis: nam cum de facto homo exiſtat in peccato mortali, ſaltem originali, quod nequit conjungi cum amore naturali Dei ſuper omnia, nec expelli niſi per gratiam ſupernaturalem; ſequitur hominem de facto prædictam converſionem non elicere, niſi tali gratia ſuppoſita. Unde conſequentia manet perſpicua; quia ſi Deus expectaret prædictam conditionem, expectaret id, quod nunquam eveniet, atque ideo aliquid moraliter impoſſibile. *Tertio.*

187. Sed objicies: quoniam homini facienti, quod eſt in ſe ſaltem ex auxilio gratiæ, Deus non denegat ſequentia auxilia, per quæ ulterius progreditur in negotio ſuæ ſalutis, ut communiter admittunt, & docent Theologi, & nos dicemus infra *diſp. 6. dub. 3.* & tamen ex vi auxilij tranſeuntis nunquam homo ſe convertet in Deum tanquam in ultimum finem ſuper omnia dilectum; ſiquidem ex vi prædicti auxilij non expellitur peccatum, quo ſtante nunquam elicietur amor Dei ſuper omnia: ergo pariter ut homo dicatur facere, quod poteſt per vires naturæ, non requiritur, quod prædictum amorem eliciat. *Objectio.*

Reſpondetur admittendo præmiſſis, & negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod auxilium illud tranſiens non dat vires ſufficientes, & proximas ad actum amoris Dei ſuper omnia; ſed ſolum ad actum longe inferiorem, ut puta ad aliquam attritionem, vel motum ſpei, aut fidei; unde ut homo dicatur facere, quod poteſt, ex vi prædicti auxilij; non requiritur, quod eliciat illum amorem, ſed ſatis eſt, quod efficiat alium actum inferiorem, ut fuſius explicabimus loco citato. Cæterum homo poteſt abſolute per vires naturæ amare Deum auctorem naturalem ſuper omnia; quamobrem, dum iſtum actum non elicit; non eſt, cur dicatur facere, quod eſt in ſe, per naturæ vires. *Diſſolvitur.*

§. IV.

Ultimum fundamentum veræ ſententiæ.

188. ULtima, & ſatis urgens ratio noſtræ, & communis ſententiæ poteſt in hunc modum proponi: quoniam lex dandi gratiam omnibus facientibus, quod eſt in ſe, per vires naturæ, dependet ex ſola Dei voluntate, quæ nobis non innoteſcit, niſi per teſtimonia divinæ Scripturæ: at ſic eſt, quod nullum eſt in Scriptura teſtimonium, ex quo poſſit ſufficienter colligi, vel probari exiſtentia prædictæ legis: ergo abſque fundamento aſſeritur à Molina. Cumque materia ſit graviſſima, ut pote quæ concernit concertationes SS. Patrum cum Pelagianis, & eorum *Ultimum fundamentum veræ contra doctrinam Molinæ.*

eorum reliquiis ; merito à Theologis ſingularis illius Auctoris opinio rejicienda eſt. Nam abſque fundamento divinæ Scripturæ in rebus adeo gravibus procedere ſuſpicionem non ita ſane doctrinæ cordatis Theologis ingenerat.

Prima reſponſio. Joann. 1. Roffenſis.

189. Nec refert primo, ſi cum Molina reſpondeas prædictam legem ſufficienter inſinuari Joan. 1. cum dicitur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Quod inquit, ut Roffenſis *in art. 36. Lutheri recte adnotavit, intelligendum non eſt de his, qui per gratiam facti ſunt iam filij, dignitatemque poſſident; ſed de iis, qui ad eam nondum pervenerunt. His enim eatenus data eſt, ut filij Dei fiant, quatenus, ſi quantum in ſe eſt, conentur, praſto illis aderit Deus, ut fidem, & gratiam conſequantur, neque deſiderio ſuo fraudarentur: quare ea ratione in poteſtate eorum eſt, ut filij Dei fiant.*

Confutatur.

Sed contra: quia in primis nullus SS. Patrum, aut Doctorum hactenus explicuerat illud teſtimonium in ſenſu intento à Molina: cujus manifeſtum ſignum eſt, quod neminem eorum hic Auctor in patrocinium prædictæ interpretationis adducit. Roffenſis vero minime ſuffragatur illi: quia licet ij, qui dicuntur habere poteſtatem filios Dei fieri, adhuc filij Dei non ſint, nec gaudeant illa dignitate: nihilominus hinc non evincitur, quod habeant prædictam poteſtatem, quatenus poſſunt elicere actus bonos naturales, quibus potius dignitatem filiorum obtineant, ſed eam habent per auxilia gratiæ ut ſtatim videbimus.

Impugnatur amplius.

Secundò: quia ex illa auctoritate potius colligitur oppoſitum. Quod ut evidentius conſtet, animadverte Molinam detruncaſſe illud teſtimonium: quia periodus non incipit ab illis verbis *Dedit eis poteſtatem*, ſed ab illis. *Quotquot autem receperunt.* Ut videre eſt in omnibus exemplaribus. Unde integra ſententia eſt hujuſmodi. *Quotquot autem receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Ubi perſpicue apparet poteſtatem filios Dei fieri non datam fuiſſe immediate hominibus operantibus ex viribus naturæ, ſed eis, qui per fidem receperunt Chriſtum, & credunt in nomine ejus. Et quod hic ſit legitimus prædicti teſtimonij ſenſus conſtat manifeſte ex communi expoſitione ſanctorum Patrum, qui illum prædicto modo declarant, ut Chryſoſt. *homil. 9.* Cyrillus *cap. 4.* Pacianus *libro de pœnitentia contra Novatianos*, Beda, Theophilatus, Euthimius, & alij in commentariis ad illum locum. Et quamvis poſſemus eorum verba referre, conſulto tamen ea prætermittimus, ut inducamus Auguſt. cujus ore alii loquuntur, & quia in iis, quæ ad gratiam ſpectant maximam habet auctoritatem, ut vidimus *diſp. 1. cap. 7. §. 1.* Ergo S. Pater in libro de bono perſeverantiæ *cap. 8.* hæc habet: *Non itaque in hominum, ſed in Dei eſt poteſtate, ut habeant homines poteſtatem filios Dei fieri. Ab ipſo quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operetur dilectionem: ad quod bonum ſumendum, & tenendum, & in eo perſeveranter uſque in finem proficiendum, non ſumus idonei cogitare aliquid, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianorum cap. 2. & 3. inquit: Quid eſt, quod iſte libero arbitrio vult bene vivendi tribuere poteſtatem, cum hæc poteſtas non detur niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, dicente Evangelio: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Sed ne forte dicant ad hoc eſſe adjutos, ut haberent poteſtatem fieri filij Dei; Ut autem hanc accipere mererentur, prius eum libero arbitrio, nulla adjuti gratia receperunt. Hac eſt quippe intentio, qua gratiam deſtruere moliuntur, ut eam dari ſecundum merita noſtra contendant. Ne forte hanc Evangelicam ſententiam ſic dividant (pende verba) ut meritum ponant in eo, quod dictum eſt. Quotquot autem receperant eum, ac deinde non gratis datam, ſed huic merito redditam gratiam in eo, quod ſequitur: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: nunquid ſi quæratur ab eis, quid ſit: Receperunt eum? dicturi ſunt aliud, niſi crediderunt in eum? Ut igitur & hoc ſciant ad gratiam pertinere, legant, quod ait Apoſtolus: Vobis donatum eſt, non tantum, ut credatis in eum, &c. ad Philipp. 1. Et poſt pauca ſubjungit: Datur ergo poteſtas, ut filij Dei fiant, qui credunt in eum. Quæ poteſtas niſi detur à Deo, nulla eſſe poteſt ex libero arbitrio.* Quibus verbis directè excluditur interpretatio Molinæ: hic enim aſſerit homines eatenus habere poteſtatem filios Dei fieri, quatenus, ſi quantum poſſunt per vires naturæ, conentur, accipient gratiam; Auguſtinus vero dicit hanc poteſtatem nullam eſſe poſſe ex viribus liberi arbitrij. Et Molina attribuit hominibus hanc poteſtatem, antequam recipiant aliquam gratiam intrinſecam; Auguſtinus vero aſſerit hanc poteſtatem non dari, niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, eamque ſolos recipere, qui crediderunt in eum. Videatur Joannes Driedo *lib. 1. de gratia & lib. arb. folio 94.* in reſponſione ad primum argumentum Pelagij, qui prædicto teſtimonio abutebatur in ſenſu à Molina non alieno.

Chryſoſt. Cyrillus. Pacianus. Beda. Theophil. Euthim. Auguſtin. Driedo.

Major impugnatio ex D. Thom. D. Thom.

190. Confirmantur, & illuſtrantur hæc omnia ex Angelico Doctore ad locum Joannis *lect. 6.* ubi illa verba, *Dedit eis poteſtatem*, ita illuſtrat: *Ad cuius evidentiam ſciendum eſt, quod homines fiunt filii Dei. Primo enim per gratiæ infuſionem: unde quicumque habet gratiam gratum facientem efficitur filius Dei. Secundo aſſimilatur Deo per operum perfectionem: quia qui facit opera iuſtitiæ, eſt filius. Tertio aſſimilatur Deo per gloriæ adeptionem. Si ergo accipiamus poteſtatem filios Dei fieri, quantum ad operum perfectionem, & gloriæ adeptionem, nullam difficultatem habebit ſermo: qui cum dicit, dedit eis poteſtatem, intelligitur de poteſtate gratiæ, qua habita, poteſt homo facere opera perfectionis, & adipiſci gloriam. Et ſecundum hunc modum dicitur, eis, qui eum receperunt, poteſtatem, id eſt infuſionem gratiæ filios Dei fieri, bene operando, & gloriam acquirendo. Si vero intelligatur de gratiæ infuſione, tunc dubitationem habet hoc, quod dicitur, dedit eis poteſtatem: quia non eſt in poteſtate noſtra fieri filios Dei; cum non ſit in poteſtate noſtra gratiam habere. Hoc ergo, quod dicit, dedit eis poteſtatem, aut intelligitur de poteſtate naturæ: & hoc non videtur eſſe verum: quia infuſio gratiæ eſt ſupra naturam noſtram. Aut intelligitur de poteſtate gratiæ: & tunc hoc ipſum eſt gratiam habere, quod habent poteſtatem filios Dei fieri: & ſic non dedit poteſtatem filios fieri Dei, ſed filios Dei eſſe. Ad quod dicendum, quod in datione gratiæ requiritur in homine adulto ad juſtificationem ſuam conſenſus per motum liberi arbitrij: unde quia in poteſtate hominis eſt, quod conſentiat, & non conſentiat, dedit eis poteſtatem. Dedit autem hanc poteſtatem ſuſcipiendi gratiam*

Digitized by Google

dupliciter, præparando, & hominibus proponendo. Sicut enim, qui facit librum, & proponit homini ad legendum, dicitur dare poteſtatem legendi: ita Chriſtus, per quem gratia facta eſt, dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri per gratiæ ſuſceptionem. Secundo, quia id non ſufficit, cum etiam liberum arbitrium indigeat ad hoc, quod moveatur ad gratiæ ſuſceptionem auxilio divino, non quidem habitualis, ſed moventis: ideo dat poteſtatem movendo liberum arbitrium hominis, ut conſentiat ad ſuſceptionem gratiæ, juxta illud Thren. ultim. Converte nos Domine, & convertemur. Et hoc modo vocatur interior vocatio, de qua dicitur Rom.8. Quos vocavit interius voluntatem inſtigando ad conſentiendum gratiæ, hos juſtificavit, gratiam infundendo. Hæc Doctor ſanctus. Quibus nihil pulchrius, nihil textui magis inhærens, nihil Auguſtini ſenſui intimius dici potuit; nihil vero cogitationi Molinæ, & illius principiis magis adverſum.

Secunda pro Molinæ reſponſio. 191. Nec refert ſecundo, ſi iterum cum eodem Auctore reſpondeas exiſtentiam prædictæ legis ſatis conſtare ex illis verbis Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem Dei venire. Nam ſi conantibus,* ſubinfert, *ex ſuis naturalibus, facientibusque, quod in ſe eſt, vel ut fidem amplectantur, vel ut de peccatis doleant, Deus non eſt ſemper præſto per auxilia, & gratiam prævenientem, ut actus ſint, quales ad ſalutem oportet; quanam ratione verum erit, Deum velle omnes homines ſalvos fieri?* Aſſerit præterea reperiri prædictam legem apud Ezech. 18. in his verbis: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non magis, ut convertatur, & vivat?* Et infra: *Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum, & quare moriemini? Quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite.* Et Apocalypſ. 3. dicitur: *Sto ad oſtium, & pulſo.* Quibus verbis apertiſſime ſignificatur Deum ſemper eſſe de ſe paratum ad conferendum auxilia gratiæ, ſi nos fecerimus, aut voluerimus facere, quod eſt in nobis. Quod & nihil aliud importat prædicta lex.

1. ad Thim. 2. — Ezech. 18. — Apocal. 3.

Rejicitur. Sed contra eſt: quia in primis hæc teſtimonia, ſicut & præcedens, deſtituuntur ſubſidio interpretationum ſanctorum Patrum, & præcipue Auguſtini, cujus nec meminit Molina in hac cauſa; cum tamen oporteret ſuam opinionem, utpote in re graviſſima, & in controverſia de gratia, illius auctoritate firmare. Nam quidquid in hac parte præſumitur ipſi adverſum (præſumitur autem, quod ejus non fulcitur aſſertis,) non debet probari diſcipulis Auguſtini; quales ſe reputant omnes catholici in his, quæ ad gratiam ſpectant.

Deinde uniuſcujuſque teſtimonij expoſitio caret fundamento. Primi quidem, nam Auguſtinus quatuor modis ſolet exponere, qualiter velit Deus *omnes homines ſalvos fieri*, ut rectè obſervavit Alvarez *lib.5. de auxiliis diſp.* 33. *Primò*, quia nullus ſalvatur, quem Deus non velit eſſe ſalvum; licet noluerit omnes ſalvare: ſicut magiſter dicitur docere omnes pueros in civitate, non quia omnes doceat; ſed quia nullus edocetur, niſi quem docuerit Magiſter. *Secundò*, quia nulla eſt ratio, aut ſtatus, ex quibus aliquos non elegerit Deus: ſicut dicitur omne animal fuiſſe in arca Noe, quia ex omnibus ſpeciebus fuit aliquod individuum, licet omnia individua non fuerint. *Tertiò*, quia Deus facit nos, ut velimus omnes homines ſalvos fieri: ſicut Spiritus ſanctus dicitur poſtulare pro nobis, quia poſtulare nos facit. *Quarta* denique expoſitio, & apud alios ſacros Doctores communis, eſt, quod Deus vult voluntate antecedenti omnes homines ſalvos fieri: cum quo tamen rectè cohæret, quod habeat voluntatem conſequentem excludendi aliquos à regno: nam voluntas antecedens reſpicit ſalutem omnium ſecundum ſe, & præſcindendo ab aliis circunſtantiis; voluntas vero conſequens reſpicit eam ut conjunctam omnibus aliis circunſtantiis: & quia ad eas attendendo, non oportet, quod omnes homines ſalventur) alias non reſplenderent juſtitia, & plures aliæ perfectiones divinæ) idcirco Deus voluntate conſequenti non vult omnes homines ſalvare, ſed vult aliquos excludere; licet ex vi illius voluntatis antecedentis det omnibus hominibus tam facientibus, quam non facientibus, quod naturaliter poſſunt, auxilia ſufficientia ad ſalutem, ut dicemus *diſp.6.dub.3.*

Alvarez.

Has expoſitiones adducit etiam D.Thom. illum locum exponens *lect.*1. & ad eas reducuntur omnes aliæ interpretationes, quibus SS. Patres declarant prædictum teſtimonium, quin apud aliquem inveniatur illa expoſitio Molinæ: nam Ambroſ. Oecumenius, & D.Thomas, quos pro ſe adducit, nihil aliud docent, niſi quod Deus vult voluntate conſequenti aliquos homines damnare, quia ipſi nolunt ſe ad Deum convertere, nec cooperantur divinæ gratiæ: quod longe abeſt ab oppoſita opinione.

192. Nec conſideratio hujus Auctoris prodeſt: quia licet Deus miſericorditer conferat auxilia ſufficientia gratiæ facienti, quod eſt in ſe, tamen hæc gratiæ communicatio nec alligatur, nec ſpecialiter promittitur bene operantibus ex viribus naturæ, ſed univerſaliter extenditur ad omnes, in quo potius ſplendet bonitas divina, & illius independentia ab operibus naturalibus: ut verè dicatur antecedenter ad omnia merita naturalia, & omnem uſum liberi arbitrij velle omnes homines ſalvos fieri. Ubi obſerva contrariam expoſitionem intentam à Molina traditam prius fuiſſe à Joanne Caſſiano Semipelagianorum duce *collat.*13. *cap.*7. ubi inquit: *Propoſitum namque Dei, quo non ob hoc hominem fecerat, ut periret, ſed ut in perpetuum viveret, manet immobile. Cujus benignitas, cum bonæ voluntatis in nobis quantulamcumque ſcintillam emicuiſſe perſpexerit, vel quam ipſe tanquam de dura ſilice noſtri cordis excuſſerit, confovet eam, & exſuſcitat, ſuaque inſpiratione confortat volens omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. *ad Timoth.*2. ubi Alardus Gazæus ejus Scholiaſtes: *Hic demum* (ait) *incipit Auctor aperire mentem ſuam, & erroris initium, quod ſequenti capite clarius exponit.*

Confutatur amplius. — Caſſianus.

Teſtimonium deſumptum ex *cap.* 18. Ezech. potius deſtruit ſententiam Molinæ, ut conſtat ex Auguſt. *libro de gratia & libero arbitrio cap.*15. ubi illud illuſtrat his verbis: *Ne autem putetur nihil ibi facere ipſos homines per liberum arbitrium, ideo in Pſal.94. dicitur: Nolite obdurare corda veſtra, & per Ezechielem, Projicite à vobis omnes impietates veſtras, quas impie egiſtis in me, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum, & facite omnia mandata mea,* &c. *Meminerimus ipſum dicere, Facite vobis cor novum, & Spiritum novum, qui dicit dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo vobis. Quomodo ergo, quod jubet, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? Quare jubet, ſi ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo facturus eſt,* niſi

August.

Digitized by Google

niſi qui dat, quod iubet, & adiuvat, ut faciat, cui iubet? Semper eſt autem in nobis voluntas libera; ſed non ſemper eſt bona. Gratia vero Dei ſemper eſt bona: & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Itaque ex mente Auguſtini, ea, quæ Deus apud Ezechielem præcipit, & quibus vitam gratiæ repromittit, non ſunt opera, aut conatus naturales; ſed ſunt actus orti ex gratia: qui ideo à nobis exiguntur, quia debent liberè fieri à nobis, licet non ex nobis, ſed per auxilia gratiæ. Quod adhuc expreſſius ſignificat S. Doctor cap. immediatè ſequenti ubi inquit: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non iuberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo iubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus*, &c.

Ex quibus apparet etiam legitimus ſenſus teſtimonij deſumpti ex cap. 3. Apocal. nam ibi potius ſignificatur Deum ſua vocatione prævenire omnem conatum noſtrum. Nam quid eſt, *Sto ad oſtium, & pulſo*, niſi dicere. Non homines ſuis conatibus naturalibus primo pulſant oſtia miſericordiæ meæ, ſed ego non vocatus venio, & per gratiam pulſando prævenio vocatum: ut ſi *quis audierit, & aperuerit* actibus videlicet ortis ex ipſa gratia, intret ad illum per gratiam ſanctificantem, & cœnem cum illo, & ipſe mecum. Videatur Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 6.* ubi inquit: *Alij dicunt Deum quidem non ſemper vocare, ſed paratum eſſe id facere, ſi velimus. At hæc reſponſio manifeſtè incidit in errorem Caſſiani, & Fauſti, & omnino tollit è medio gratiam prævenientem. Quomodo enim gratia præveniens eſt, ſi ſemper expectat, ut à voluntate humana præveniatur? Sed neque trahi dicendus eſt, qui antequam trahatur, voluntatem habet eundi. Denique expectat quidem ille, qui pulſat ad oſtium cordis, ut aperiatur: & id dicit, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum. Sed non expectat, ut invitetur ad pulſandum, ſed ipſe prævenit pulſando, & vocando, ut definitum eſt in Concilio Arauſicano can. 4.*

Bellarm.

Molina opinio nullum habet fundamentum in Scriptura.

193. Hæc ſunt teſtimonia ſacræ Scripturæ, quibus Molina ſtuduit ſuam opinionem ſtabilire. Quare cum illi non faveant, ſed potius doceant oppoſitum juxta communem SS. Patrum, aliorumque gravium Doctorum expoſitionem; ſequitur prædictam ſententiam abſque fundamento induci. Quæ cum procedat in re adeo gravi, aditumque præbeat ad alias ſacræ Theologiæ difficultates, quarum reſolutio plurimum dependet ex eo, quod illa lex à Molina inventa admittatur: merito curandum eſt, ne Theologorum gymnaſiis ſe ingerat; ſed ſemper, ut decet, & præcipuè in hac materia, Sanctorum Auguſtini, & Thomæ inconcuſſis principiis ſtemus.

§. V.

Satisfit argumentis opinionis adverſæ.

Contraria ſententia. Molina. Leſſius. Herice. Primum eius motivum. D. Auguſt.

194. Contrariam nihilominus ſententiam docent Molina, Leſſius, & Herice *locis in hoc dubio citatis*, qui pro eadem referunt etiam plures Scholaſticos antiquos, Eos tamen hic non referimus, quia revera huic ſententiæ non ſuffragantur, ut conſtabit ex infra dicendis. Probatur primo hæc ſententia auctoritate Div. Auguſtin. *lib. 19. de Civitat. Dei cap. 13.* ubi inquit: *Deus dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, id eſt, pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ, & quæcumque huic paci vel tuendæ, vel recuperandæ neceſſaria ſunt, ſicut lux iſta viſibilis, aura ſpirabilis, aquæ potabiles, &c. eo pacto æquiſſimo, ut quicumque mortalis talibus bonis rectè uſus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, ipſam ſcilicèt immortalitatis pacem, atque convenientem gloriam, & honorem in vita æterna.* Adeſt ergo pactum, quod facienti, quod eſt in ſe, ex viribus naturæ (quæ utique ſufficiunt ad rectum uſum rerum temporalium) communicentur auxilia gratiæ.

Confirmatur. D. Thom.

Confirmatur ex D. Thom. *quæſt. 14. de Verit. art. 11. ad 1.* ubi ait: *Si quis in ſylvis enutritus ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali; certiſſimè tenendum eſt, quod ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria; vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Act. 10. Hæc autem certitudo nequit in alio fundari, quam in pacto, vel promiſſione divina: ergo adeſt pactum dandi gratiam facienti, quod eſt in ſe per vires naturæ: has quippè ſignificat S. Doctor cum dicit: *ductum naturalis rationis ſequeretur.* Et *in reſponſione ad 2.* ait: *Si nos fecerimus, quod in nobis eſt, ut ſcilicèt ductum naturalis rationis ſequamur, Deus non deficiet nobis in eo, quod eſt nobis neceſſarium.* Eamdem ſententiam repetit *quæſt. 24. de Verit. art. 1. ad 2. & in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. & in hac 1. 2. qu. 89. art. 6.* ubi loquens de puero perveniente ad uſum rationis aſſerit, *quod ſi tunc ſe ordinaverit ad debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem peccati.* Quæ conſecutio nequit fundari niſi aliqua promiſſione divina.

Fundamentum diruitur.

Reſpondetur ad auctoritatem D. Auguſtini ſatis evidenter conſtare ex dictis in hoc dubio, quæ ſit ejus ſententia, & qualiter auxilia gratiæ dentur independenter ab aliqua conditione boni uſus liberi arbitrij, & quin uſui prædicto alligentur. Nec oppoſitum colligitur ex illo teſtimonio: quia licet loquatur de recto uſu rerum temporalium, nihilominus non ſignificat uſum merè naturalem, ſeu habitum viribus naturæ, ſed de eo, qui habetur per gratiæ auxilia. Quod ſatis ex eo conſtat, quod licet homo poſſit viribus naturæ ſemel, aut iterum rectè uti rebus temporalibus; tamen eorum continuus, & rectus uſus (qualem Auguſtinus ſignificat, & exigit ad vitæ immortalis aſſecutionem) nequit habere, niſi homo adjuvetur per gratiæ auxilia, ut conſtat ex dictis *diſp. præced. dub. 5. & 6.* ubi oſtendimus hominem lapſum non poſſe ſuis viribus longo tempore obſervare legem naturalem. Et ideo ſenſus, & ſententia Auguſtini in loco eſt, quod homo rectè & perſeveranter utens rebus temporalibus ex auxilio gratiæ, conſequetur ex eadem gratia immortalem beatitudinem.

Occurritur confirmationi.

Per quod patet ad confirmationem: nam cum homo nequeat vitam notabili tempore ducere abſque peccato mortali, niſi adjuvetur per gratiam; planè ſequitur D. Thom. loqui de eo, qui in ſylvis enutritus internæ gratiæ auxiliis inſtructus legem naturalem obſervat. Quod ſatis conſtat ipſo exemplo Cornelij, quod inducit: nam de eo loquens 2. 2. *quæſt. 10. art. 4. ad 3.* inquit: *De Cornelio ſciendum eſt, quod infidelis non erat; alioquin eius operatio accepta non fuiſſet Deo, cui ſine fide nullus poteſt placere. Habebat autem fidem implicitam, non manifeſtata Evangelij veritate. Unde ut eum in fide plenius inſtrueret, miſſus eſt ad eum Petrus.* Quod etiam docent

D. Thom.

Digitized by Google

D. Auguſt. *de prædeſtinatione Sanctorum, cap.7.* & D.Proſper *in epiſt. ad Ruffinum.*

Nec refert, quod S. Doctor dicat: *Sequeretur ductum naturalis rationis*, quibus verbis videtur uſum naturalem liberi arbitrij ſignificare. Non, inquam, refert, quia ut nuper diximus, in ſtatu naturæ lapſæ nequit homo per longum tempus ſequi ductum naturalis rationis, niſi adjuvetur per gratiam: unde ipſe affectus ſequendi rationis ductum ſatis indicat internum gratiæ adjutorium. Et eodem modo reſpondendum eſt ad alia teſtimonia: Quamvis autem circa ultimam auctoritatem pueri pervenientis ad uſum rationis nonnullæ difficultates hic occurrebant: quia tamen eas majori ex parte verſavimus *tract. 13. diſp. 20. dub.1.* idcirco ab eis abſtinemus in præſenti, eò remittentes lectorem. Aliqua tamen rurſus adjiciemus infra *diſput.6. dub.3.* Hic vero ſolum obſervare oportet S. Doctorem non poſſe in illo teſtimonio intelligi de converſione habita abſque auxilio gratiæ, imo abſque præſentia gratiæ ſanctificantis: nam loquitur de converſione ad Deum ultimum finem dilectum ſuper omnia, quæ nec poteſt conjungi cum peccato originali, nec valet illud per ſe ſolam excludere ut oſtendimus *diſp. præcedenti dub.4.* Unde debet in aliquo genere cauſæ præſupponere ſanctificantis gratiæ infuſionem.

Secundum argumentum. 195. Secundo arguitur ratione: quoniam ſi homo non poſſet viribus propriis elicere aliqua opera, ad quæ ſaltem ex pacto, & lege ſequerentur auxilia gratiæ prævenientis, fieret inde ſalutem non eſſe in hominis poteſtate: non enim apparet, qua ratione dicatur homo habere in ſua poteſtate, quod ſalvari valeat, ſi in ſua poteſtate non habet auxilia deſiderata ad ſalutem: ſed abſurdum eſt, quod ſalus non ſit in manu hominis, deſperationemque homini hæc impotentia affert: ergo homo viribus naturalibus poteſt elicere aliqua opera, quibus poſitis Deus ſtatim ex pacto, & certa lege communicet illi gratiæ auxilia. Hoc præcipuè fundamento utitur Molina ad aſſerendam prædictam legem, *ut ea*, inquit, *ratione dum eſſemus in via, ſemper in manu liberi arbitrij noſtri poſita eſſet ſalus noſtra.*

Confirmatio. Confirmatur: quia ſi non adeſt prædicta lex, ſequitur hominem abſque ſua culpa carere auxiliis gratiæ prævenientis, & excitantis: conſequens eſt abſurdum: ergo debemus prædictam legem admittere. Sequela videtur manifeſta: quia homo faciens quantum poteſt ex viribus naturæ, non peccat: ergo ſi non datur lex infallibilis conferendi huic homini auxilia gratiæ; ſequeretur, quod frequenter abſque ſua culpa careret prædictis auxiliis. Minor conſtat tum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.6. cap.11. & 13.* ubi declaratur Deum (Conc.Trid.) neminem ſua gratia deſerere, niſi prius per peccatum deſeratur ab ipſo. Tum ex D. Thom. 3. (D.Thom.) *contra gent. cap.159.* ubi ait: *Deus quantum eſt de ſe, paratus eſt omnibus auxilium gratiæ dare: ſed illi ſoli homines tali gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant.* Quod etiam tradit *in hac 1.2. quæſt.112. art.3. ad 2.* & alibi.

Argumenti ſolutio. Reſpondetur ad argumentum, quod illius aſſumptum fuit præcipuum Semipelagianorum motivum, ut pluribus eorum teſtimoniis manifeſtare poſſemus: ſufficiat modo verba Fauſti referre (Fauſtus.) *lib. 1. cap. 10.* circa medium, ubi inquit: *Vide quam magnum opus, & quam arduum perdendæ, & inveniendæ animæ etiam in hominis voluntate conſtituit; & propterea ita concluſit: Tunc reddet unicuique ſecundum opera ſua. Adverte, quod dum dicit opera ſua, ſalutem hominis non in prædeſtinatione factoris, ſed in operatione famulantis largitor gratiæ collocavit.* Reſpondemus ergo cum D. Auguſt. *lib. de prædeſt. Sanct. cap. 10. &* (D.Auguſt.) *lib. de bono perſeverantiæ, cap. 10.* eſſe quidem in hominis poteſtate conſequi ſuam ſalutem: ſed hanc poteſtatem non haberi per naturam, vel per opera à ſola natura procedentia; ſed per auxilia gratiæ, quæ Deus miſericorditer volens omnes homines ſalvos fieri, omnibus hominibus confert, aut offert independenter ab eorum operibus, & induſtria, ut explicabimus *diſput. 6. dub. 2. & 3.* Itaque ante hominem (ut dicitur Eccleſiaſtic. 15.) *ſit vita, & mors: bonum, & ma-* (Eccleſ.15.) *lum, & quod placuerit ei, dabitur illi:* nihilominus hæc poteſtas ad bonum & malum, non oritur ex eiſdem principiis, nec ineſt æqualiter homini, ſicut falſo Semipelagiani credebant, ut refert D. Proſper *in epiſt. ad Auguſt.* ubi hanc (D.Proſper.) eorum aſſertionem tranſcribit: *Quantam quis habet facultatem ad malum, tantam habere ad bonum, parique momento animum moveri ad vitia, & virtutem: quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala ſectantem damnatio iuſta ſuſcipiat.* Sed poteſtas noſtra ad ſalutem eſt per ſe primo in manu Dei, tanquam in primo agente ordinis gratiæ: indeque derivatur ad nos, quatenus independenter ab aliquo opere bono communicat, aut ſaltem offert nobis auxilia ſufficientia ad ſalutem: per quæ reddimur potentes ad eam aſſequendam. Unde ut rectè docet D. Thom. infra (D.Thom.) *quæſt. 112. artic. 3. ad 2. Defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis: collationis autem gratiæ prima cauſa eſt à Deo, ſecundum illud Oſeæ 13. Perditio tua ex te Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum.*

Satisfit confirmationi. Ad confirmationem reſpondemus, quod loquendo de gratia habituali nullus ea deſtituitur niſi ob ſuam culpam: quia vel nunquam habuit hujuſmodi gratiam, ſed fuit perpetuo in peccato originali, & tunc merito hujus peccati, caret prædicta gratia. Vel aliquando habuit illam: & tunc certum eſt, quod eam perdidit ob aliquod peccatum mortale actuale. Et hoc præciſè docet Concilium Tridentinum: loquitur enim expreſsè de gratia ſanctificante, & de hominibus juſtis, ut ſola textus lectione conſtabit. Si autem fiat ſermo de gratia auxiliante ſufficienti, negandum eſt, quod homo vel ob ſuam culpam, vel citra illam, careat omnino, dum vivit, auxiliis ſufficientibus ad obtinendam ſalutem: hæc quippè confert, aut offert Deus miſericorditer omnibus hominibus, quandiu vivunt, quantumvis ſe implicent, ut dicemus loco ſæpè citato. Loquendo vero de auxilio gratiæ efficacis ad converſionem, vel perſeverantiam, non inconveniens, vel abſurdum, quod Deus prædictum auxilium deneget abſque ulla culpa ſimpliciter antecedenti. Quod apertè conſtat in primis parentibus, & in dæmonibus, qui nullam culpam ante denegationem prædicti auxilij commiſerant, & tamen eo deſtituti ſunt. Sufficit enim, quod homo habeat auxilia ſufficientia ad ſalutem, ut hujus non aſſecutio illius peccato attribuatur. Semper tamen quod denegatur prædictum auxilium ad adimplendum præceptum, intervenit in eodem inſtanti aliquod peccatum, nempè omiſſio adimpletionis: quæ quantum eſt de ſe impedimentum præſtat auxilio, & reddit hominem illo indigum, ipſiuſque negationem aliquàliter præcedit. Et hoc pacto intelligendus eſt Divus Thomas locis in confirmatione citatis.

196. Ter

Digitized by Google

Tertium argumentum.

196. Tertiò arguitur: quoniam ſtat bene, quòd opera moraliter bona elicita mereantur de congruo, vel ad minus impetrent primam gratiam auxiliantem, & quod nihilominus hæc retineat rationem doni indebiti, & ſimpliciter gratuiti: ergo nulla eſt ratio denegandi, quod Deus promiſerit primam gratiam auxiliantem homini bene moraliter operanti ex ſola facultate naturæ. Conſequentia patet ex dictis pro noſtra concluſione. Antecedens vero ſuadetur: quia gratia habitualis confertur ſimpliciter gratis & per modum doni nullo modo debiti, ut conſtat ex Apoſtol. *ad Rom.* 3. & nihilominus opera bona antecedentia elicita à peccatore fideli adjuto aliquibus auxiliis merentur de congruo, aut ſaltem impetrant gratiam habitualem, ut docet Auguſtin. *epiſt.* 105. ergo pariter rectè cohæret, quod opera moraliter bona elicita viribus naturæ mereantur de congruo: vel ſaltem impetrent primam gratiam habitualem, & quod hæc nihilominus communicetur per modum doni omnino gratioſi.

Ad Rom. 3.

Confirmatur primò.

Confirmatur primo: quia opera bona viribus naturæ elicita habent vim ſufficientem ad impetrandum gratiam: ergo non eſt contra gratiæ rationem conferri propter bona opera naturalia; ly *propter* deſignantem ſolam impetratoriam ex parte operum: & per conſequens nullum eſt inconveniens aſſerere, quod Deus certa lege ſtatuerit conferre gratiam bene operanti ex facultate naturæ, attenderitque ad vim impetratoriam prædictorum operum. Utraque conſequentia eſt ſatis manifeſta. Antecedens vero videtur expreſsè tradi à D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 16. ubi inquit: *Utrum peccatores orando impetrent aliquid à Deo: & in corpore obſervat poſſe in peccatore conſiderari naturam, & culpam, & concludit, quod orationem peccatoris ex bono naturæ deſiderio (pende verba) procedentem Deus audit, non quaſi ex iuſtitia: quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia. Et in reſponſione ad ſecundum* inquit. *Quamvis eius oratio non ſit meritoria, poteſt tamen eſſe impetratoria: quia meritum innititur iuſtitiæ, ſed impetratio innititur gratiæ.* Idemque docet eadem 2. 2. quæſt. 178. art. 2. ad 1. ergo opera moraliter bona elicita naturæ viribus habent vim ſufficientem ad impetrandum gratiam.

D. Thom.

Secundò.

Confirmatur ſecundo: quia non eſt contra rationem gratiæ, quod ſit à Deo promiſſa, & debeatur ex fidelitate: ſed hoc, & non majus debitum inducitur ex eo, quod Deus promiſerit gratiam homini facienti, quod eſt in ſe ex ſola facultate naturæ: ergo ex poſitione prædictæ legis nihil derogatur divinæ gratiæ. Minor & conſequentia videntur perſpicua. Major autem probatur: quia Chriſtus Dominus fuit ſpecialiter promiſſus Judæis, ut ſcilicet in propria perſona viveret apud ipſos: & tamen Incarnatio Chriſti ſervavit etiam reſpectu Judæorum propriam conditionem gratiæ, ut docet D. Thom. *in expoſitione epiſtolæ ad Rom. cap.* 15. *lect.* 1. §. *Et hoc eſt, quod dicit,* ubi hæc habet: *Dicendum, quod per hoc, quod adſcribit vocationem Iudæorum divinæ veritati, non excludit miſericordiam: quia & Apoſtolus ex Iudæis natus dicit* 1. *ad Timoth.* 1. *Miſericordiam conſequutus ſum, & hoc ipſum miſericordiæ fuit, quod Deus patribus promiſſiones fecit de poſterorum ſalute.* Ergo non adverſatur rationi gratiæ, ſeu miſericordiæ, quod ſit à Deo promiſſa, ex veritate aut fidelitate debeatur.

D. Thom.

Reſponſio ad argumentum.

Reſpondetur ad argumentum negando antecedens: cujus probatio tangit difficultatem latius *Tract. de Merito diſp.* 2. *dub. unico, & diſp.* 6. *dub.* 1. diſcutiendam. Nunc breviter reſpondemus multo probabilius eſſe, quod opera elicita ante juſtificationem, quantumvis procedant ex auxiliis gratiæ ſupernaturalis, non mereantur adhuc de congruo, ſaltem merito de congruo propriè dicto, gratiam ſanctificantem: quia deeſt prædictis operibus una ex conditionibus requiſitis ad meritum, videlicet procedere à perſona grata præmianti. Quam reſolutionem videtur expreſsè docere Concilium Tridentinum *ſeſſione* 6. *cap.* 8. ubi declarat nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, promereri juſtificationis gratiam. Habent tamen prædicta opera vim ſufficientem ad impetrandum gratiam ſanctificantem: quod tantum intendit Auguſt. loco citato. Et in hoc ſenſu conceſſa majori, negamus conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt: quoniam opera elicita ante juſtificationem ex auxiliis ſupernaturalibus ſunt, ejuſdem ordinis cum gratia habituali: unde licet ob defectum conditionis ſupra dictæ, nequeant illam promereri; habent tamen condignitatem intrinſecam, ut Deus illa acceptet, & conferat gratiam, quam homo illa opera eliciens intendit per ea impetrare. Et tamen adhuc gratia ſanctificans retinet ſimpliciter conditionem gratiæ: quia vis impetrativa prædictis operibus conveniens in viribus gratiæ fundatur: & ita non obligatur Deus homini, ſed ſibi ipſi, qui miſericorditer vult hominem per ſua auxilia movere, ut impetret ulteriorem gratiam, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 15. in fine corporis, & *in reſponſione ad* 2. Verum quidem eſt, quod gratia ſanctificans non nihil videatur ob hanc cauſam à rigore doni omnino gratuiti deficere: licet ipſa juſtificatio, ut comprehendit omnia auxilia, quibus incipit, & perficitur, gratis omnino exerceatur. Opera autem viribus ſolius naturæ elicita ex una parte ſunt ordinis inferioris ad gratiam; quocirca carent congruitate intrinſeca ad eam impetrandam: & ex alia parte non fiunt per gratiam, ut ſupponitur: Unde ſi impetrarent primum auxilium ordinis ſupernaturalis, jam illud eſſet ex operibus, amitteretque proinde rationem doni ſimpliciter gratuiti.

Conc. Trid.

D. Thom.

Ad primam confirmationem.

Per quod ad primam confirmationem reſpondetur negando antecedens. Cui non favet D. Thom. locis ibidem citatis: loquitur enim non de natura, ut excludit auxilia gratiæ; ſed de illa, quatenus præſcindit à culpa, ad quam reſpicit in illa diſtinctione, ut conſtat ex ipſo contextu: ponit quippe S. Doctor quaſdam conditiones, ut oratio valeat impetrare, quas habere non poſſumus omni deſtituti auxilio: & ideo poſt verba, quæ nobis objiciuntur, ſubdit: Obſervatis tamen quatuor præmiſſis conditionibus, ut ſcilicet pro ſe petat; neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeveranter. Unde quoties peccatoris orationes, & opera aliquid ſupernaturale impetrant, toties procedunt ex aliquo auxilio gratiæ, eidemque in impetrando innituntur, ut ſatis expreſſit S. Doctor *quæſt.* 6. *de potentia art.* 9. *ad* 5. his verbis: *Interdum Deus peccatores audit ex ſua liberalitate, licet non ex eorum merito. Et ſic eorum oratio impetrat, licet non ſit meritoria: ſicut & aliquando iuſti oratio meretur, ſed non impetrat. Nam impetratio pertinet ad id, quod petitur, & innititur ſoli gratiæ: meritum autem pertinet ad finem, quem quis meretur, & innititur iuſtitiæ.*

D. Thom.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam dicendum eſt dupliciter poſſe aliquid promitti: uno modo abſolutè, & non attendendo

Digitized by Google

attendendo ad aliquam conditionem, aut operationem habendam ab eo, cui promiſſio fit: altero modo ſub conditione operis oneroſi. Licet ergo non ſit contra rationem gratiæ eſſe primo modo promiſſam; quia talis promiſſio non attendit ad opera, nec inducit aliud debitum, quam fidelitatis, & immutabilitatis divinæ: attamen, quod promittitur poſteriori modo, amittit hoc ipſo rationem doni ſimpliciter liberalis. Quoniam quod offertur ſub conditione operis oneroſi, ita fit operantis, ut iſtud habeat ſpeciale jus ad poſtulandum promiſſum in exhibitione operis oneroſi fundatum: cum quo non cohæret conditio donationis omnino gratioſæ, ut conſtat ex ſupra dictis. Chriſtus autem vel promiſſu eſt Judæis independenter ab eorum meritis, & operibus; unde ejus Incarnatio non fuit ſolutio alicujus debiti fundati in operibus Judæorum, ſed adimpletio divinæ prædictionis, ac promiſſionis, qua Deus ſuæ veritati ſatisfecit: quamobrem prædicta Incarnatio retinuit rationem doni ſimpliciter gratuiti etiam reſpectu Judæorum, ut profunde ſignificavit D. Proſper *lib. 1. de vocatione gentium cap. 9.* dicens: *Manet prorſus, & quotidie impletur, quod Abrahæ Dominus ſine conditione promiſit, ſine lege donavit.* Vel eſto, Chriſtus fuerit Judæis promiſſus dependenter ab eorum operibus; hæc tamen non fuerunt mere naturalia, ſed debuerunt in gratia fundari: & ſic totum Incarnationis beneficium fuit ſimpliciter gratioſum ſaltem in radice, juxta ea, quæ in ſolutione argumenti proximè dicebamus.

D. Proſper.

Quartum argumentum.

197. Quarto arguit Leſſius *ubi ſupra num. 3.* quoniam Deus ſæpiſſime ſuis inſpirationibus eos prævenit, qui in omne flagitiorum genus ſeſe ingurgitant, & auditam ſalutarem prædicationem contemnunt: ergo magis præveniet eos, quos viderit à flagitiis abſtinere, & ſecundum dictamen rationis vivere velle, & prædicationem Evangelicam perpendere, ut poſſint ad fidem, & juſtitiam pervenire: ergo adeſt decretum Dei, quod facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ, conferet infallibiliter gratiam.

Confirmatio.

Confirmatur ex eodem Auctore *num. 4.* quia homo per vires liberi arbitrij poteſt conari, licet improportionate, & inſufficienter, circa objecta ſupernaturalia: ſed non eſt inconveniens aſſerere, quod Deus his conatibus naturalibus ſe ingerat, conferendo auxilium præveniens, quo homo poſſit perfectius, quàm per vires naturæ conabatur: ergo ita aſſerendum eſt: atque ideo faciens, quod in ſe eſt, infallibiliter conſequetur auxilia gratiæ.

Occurritur argumento.

Reſpondetur ad argumentum Deum ſua gratia miſericorditer prævenire omnes homines, ſive flagitiis, ſive è converſo virtutibus naturalibus ſint affecti; quin ad eorum bona opera naturalia attendat in gratiæ diſtributione. Unde decretum dandi gratiam ſufficientem non reſpicit determinate, aut ſpecialius hominem facientem, quod eſt in ſe: ſed generaliter ad omnes extenditur, nemine excluſo, licet non injuſtè poſſet, propter peccatum; & nemine vocato ob ſola opera naturalia. Quamobrem ex eo, quod aliquis eliciat opera bona, illiſque, quantum naturaliter poteſt, ſtudeat, adhuc tamen non devincit ſibi ſpeciali titulo gratiam; ſed poteſt Deus vel illam conferre, vel eam denegare, quin ad hoc aliqua lege aut promiſſione obligetur. Et oppoſita conſequentia videtur deſumpta ex Fauſto Semipelagiano *lib. 1. cap. 15.* ubi explicans illud ad Rom. 9. *Miſerebor, cui voluero,* ait: *id eſt, quem*

Ad Rom. 9.

juſtum eſſe cognovero, cujus promptam fidem videro: quem præceptis meis obedire perſpexero: quem meam facere probavero voluntatem. Et cap. 10. dixerat: *Niſi fuerit obedientia præmiſſa devotio, gratia vileſcit oblatio: ſimulque verecundia remunerantis eſt, ſi honoretur otioſus, remuneretur ingratus.*

Fauſtus.

Diluitur confirmatio.

Ad confirmationem negamus minorem, utpote quæ ſapere videtur errorem & modum loquendi Semipelagianorum: iis quippè ſolemne erat aſſerere, quod Deus ſuam gratiam ingerit bonis initiis, ſeu conatibus ortis ex libero arbitrio, ut conſtat ex Caſſiano *collat. 13. cap. 8.* ubi ait: *Qui, cum in nobis ortum quendam bonæ voluntatis conſpexerit, illuminat eam confeſtim, atque confortat, & incitat ad ſalutem.* Et cap. 11. *Nam cum videt nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat: ad vocem enim clamoris tui, ſtatim, ut audierit, reſpondebit tibi.* Iſaiæ 30. Unde licet Deus, cum homo bene moraliter operatur, conferat aliquando gratiæ auxilia; id tamen non ſemper, aut infallibiliter præſtat; ſed poteſt prædicta auxilia tunc non conferre; ſed ea alij tempori reſervare, prout ſibi, independenter à negotio humani arbitrij, placuerit. Et ideo illa propoſitio *Deus per gratiam ſe ingerit conatibus naturalibus*, omnino rejicienda eſt: quippè ex communi modo concipiendi deſignat aliquam ſpecialem connexionem inter conatus naturales, & gratiæ auxilia ortam vel ex naturis rerum, vel ſaltem ex lege.

Ultimum argumentum. Leſſius. Herice.

198. Ultimo Leſſius, & Herice arguunt in hunc modum: quia ſententia Molinæ in univerſa fere Eccleſia ut vera per trecentos annos & eo amplius reputata eſt, eam docuerunt univerſi Scholaſtici, qui per id tempus floruerunt: ergo prædicta ſententia nullum errorem continet; alias hic ad omnem Eccleſiam derivatus fuiſſet. Probant conſequentiam: nam fideles id credunt, quod à ſuis Parochis audiunt: ij vero ea docent, quæ à Doctoribus vel in ſcriptis, vel è ſuggeſtu traduntur: cum ergo omnes Doctores antiqui Molinæ ſententiæ docuerint, ſequitur vel prædictam opinionem eſſe veram, vel univerſam Eccleſiam in errore fuiſſe. Antecedens vero latè probatur à prædictis Junioribus referendo, & expendendo teſtimonia veterum Auctorum, quæ meritò omittimus, ut prolixitatem vitemus.

Reſponſio.

Huic argumento reſpondetur duo in eo contineri admiratione digna: in primis inconſequentiam Hericij, qui *diſp. 27. num. 25.* dicit *opinionem Molinæ fuiſſe à trecentis annis in Eccleſia communem;* cum tamen diſp. 26. immediatè præced. num. 34. *recognoverit legem illam infallibilem dandi gratiam facienti, quod eſt in ſe, excogitatam fuiſſe à Molina:* quæ nequeunt aut inter ſe, aut cum veritate componi. Deinde animoſitatem utriuſque Junioris: contendunt enim opinionem adeo falſam univerſæ Eccleſiæ arrogare, quaſi nihil aliud per trecentos annos Doctores tradiderint, Parochi prædicaverint, & fideles audierunt, niſi Deum dare ex certa lege ſuam gratiam iis, qui bene utuntur viribus naturalibus liberi arbitrij. Quod quam falſo aſſeratur liquido deprehendet, qui perſpecta habuerit hactenus dicta. Reſpondetur ergo multum inter ſe differre has propoſitiones: *Facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam,* & *Facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturalibus, Deus dat ſuam gratiam ex lege quadam infallibili.* Nam prima prout jacet admittit verum, & Catholicum ſenſum, quem D. Thom. & alij graves Doctores illi attribuunt,

Nota.

attribuunt, videlicet, quod homini facienti, quod eſt in ſe, ex prioribus gratiæ auxiliis, Deus non denegat ulteriorem gratiam: nec ex vi hujus ſignificatur, an de hoc detur aliqua lex infallibilis; an ſolum quædam conjectura probabilis fundata in divina miſericordia. Cui ſenſui favet diſpoſitio præſens divinæ providentiæ, ſecundum quam habet homo non ſolum vires naturæ: ſed etiam auxilia ſufficientia ad actus ſupernaturales, quibus ad juſtificationem poteſt diſponi: unde homo de facto non dicitur facere, quod eſt in ſe, niſi faciat, quod poteſt per vires tam naturæ, quam gratiæ. Secunda vero propoſitio exprimit determinatè ſenſum falſum, & abſurdum, quem ſacra etiam, & infallibili lege firmat: unde non admittit contrariam expoſitionem, nec poteſt, prout jacet, concedi; cum videtur Semipelagianiſmo multum favere, ut conſtat ex hactenus dictis.

Concedimus itaque primam propoſitionem fuiſſe adeo communem inter Doctores Scholaſticos, ut jam in vulgare proloquium abierit. Cæterum vel eam expreſsè docuerunt in ſenſu omnino Catholico, & à nobis intento, nempè de faciente, quod eſt in ſe, per vires gratiæ: vel ſaltem eam expreſsè non docuerunt in ſenſu intento à Molina, videlicet de faciente, quod per vires naturæ poteſt; ſed de faciente abſolutè, quod eſt in ſe: quo pacto legitimam expoſitionem permittit, poteſtque abſolutè concedi. Et hoc poſteriori modo tradebatur à Parochis, & admittebatur à fidelibus; niſi velimus, quod Parochi ſubtiliter ruſticis expoſuerint vires proprias naturæ, & vires proprias gratiæ; legem illam infallibilem eſſe ſtatutam à Deo; gratiam non conferri ob bona opera naturalia, ſed ſolum ob merita Chriſti Domini; promiſſionem ſub conditione operis oneroſi non excludere rationem doni gratuiti; aliaſque modificationes, quas illius doctrinæ Auctores excogitarunt. Quod quam falſum, & citra omnem uſum ſit; evidentius eſt, ut probatione indigeat. Prædicabant ergo abſolutè Deum non denegare gratiam facienti, quod eſt in ſe, ut ita homines excitarent, ad cooperandum gratiæ ſufficienti, quam omnibus adeſſe Catholice ſupponebant: non autem exiſtimarunt gratiam illo pacto viribus naturalibus obtineri, aut humanæ induſtriæ ſubjungi: hæc quippè videretur eſſe propria Semipelagianorum doctrina. Et planè fraſis illa, *facienti, quod eſt in ſe,* non excludit ex terminis vires gratiæ internæ, vel id, quod ex Deo; ſed ad ſummum id, quod in aliis eſt, utputa in dæmonibus, aut hominibus, ut ſatis liquet ex ſimilibus Scripturæ locutionibus, ad Rom. 1. *Ita, quod in me promptum eſt, & vobis, qui Romæ eſtis, evangelizare.* Et cap. 12. *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et tamen per ly *in me eſt*, & per ly *ex vobis eſt*, nullus dicet excludi gratiam Dei, ſed ſolum, quod eſt in aliis, qui poterant vel adventum Pauli impedire, vel fidelium pacem turbare.

Ad Rom. 1.

Quid cenſeãt aliį de Molinæ ſententia.

199. In calce hujus dubij poteſt inquiri, an ſententia Molinæ ſit alicui notæ, aut cenſuræ obnoxia? Ad quod reſpondendum eſt nihil minus in hac materia nos ſtudere, quam aliorum ſententias taxare, vel aliqua nota ferire: unde nolumus circa prædictam opinionem revelare proprium judicium. Sed ut interrogationi reſpondeamus, ſubjiciemus aliorum ſententias, ut prudens lector eligat, quam maluerit. Ex quibus Vazquez aſſerit prædictam opinionem *non poſſe liberari à Maſſilienſium errore.* Suarez affirmat eſſe *doctrinam Pelagianorum, & inauditam in Eccleſia.* Monteſinos dicit *eſſe improbabilem.* Eſtius docet *pertinere ad errorem Pelagij.* Bellarminus inquit *eſſe hæreſim Pelagianam.* Gregorius Martinez eam vocat *ſententiam temerariam, & fortè erroneam.* Cabrera aſſerit eſſe *temerariam, & Pelagianam, vel non procul diſtare ab errore Maſſilienſium.* Denique Zumel ait illam opinionem eſſe *falſam, temerariam, contra fidem, & rem deteſtabilem à juvenibus introductam.* Nos vero verbis parcentes hoc unum præciſè dicimus cum Auguſt. *lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap.* in principio: *Avertat Deus hanc amentiam, ut in donis eius nos priores faciamus, poſteriorem ipſum, quoniam miſericordia eius præveniet me, & ipſe eſt, cui fideliter, veraciterque cantatur.* *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus, quod præcipit nobis: in qua ſi nos non prævenit Deus, non ſolum non perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis. Si enim ſine illo nihil poſſumus facere, profecto nec incipere, nec perficere.*

Vazquez. Suarez. Monteſinos. Eſtius. Bellarmin. Greg Mart. Cabrera. Zumel. D. Auguſt.

DUBIUM OCTAVUM.

Utrum homo, qui non ſe impedit per peccatum, infallibiliter conſequatur gratiam auxiliantem.

200. Difficultas hæc eſt veluti appendix dubij præcedentis, cui proinde illam immediatè annectemus. Pro tituli autem intelligentia animadvertendum eſt, quod licèt ex dictis habeatur Deum non ſtatuiſſe legem dandi ſuam gratiam facienti, quod eſt in ſe, per naturæ vires: quia per hoc denotatur aliquod initium ſalutis eſſe ex nobis; quod damnant Concilia, & Patres: adhuc tamen non manet ita exploratum, an ſtatuerit prædictam legem reſpectu ejus, qui, quantum naturaliter poteſt, non ponit obicem gratiæ, ſeu qui non ſe impedit per nova peccata. Aliqui enim licèt fateantur, quòd homo per vires naturales nequit ad introductionem gratiæ poſitivè concurrere ſe præparando, aut illam impetrando, vel merendo, autumant tamen eum poſſe ad id concurrere per modum removentis prohibens, quatenus non apponit gratiæ impedimentum: aſſeruntque Deum ex certa lege infallibiliter dare gratiam homini, qui ita ſe gerit. Et quamvis hoc, quod eſt vitare peccata, communiter fiat per actus poſitivos, quibus vel adimplentur præcepta, vel reſiſtitur tentationibus, quæ occurrunt in eorum adimpletione; nihilominus hi Auctores non attendunt ad ullum effectum poſitivum prædictorum actuum, ſed ſolum ad negativum non ponendi obicem gratiæ. Unde Granados infra referendus aſſerit eum, qui vitat peccata, nullum eliciendo actum, æqualem gratiam conſequi; ac conſequitur ille, qui peccata vitat, & facit opera bona: quia hic non attenditur aliqua diſpoſitio, ſed ſola remotio impedimenti, quæ in utroque eadem eſt. Quo pacto commune illud proloquium, *Facienti, quod eſt in ſe*, &c. exponunt in ſenſu negativo, id eſt, *Non ſe impedienti, vel facienti, quod poteſt, ut non ſe impediat, Deus infallibiliter confert gratiam.* An autem ita ſit, examinabimus in hoc dubio:

Status controverſia.

Digitized by Google

dubio: cujus reſolutio apparet majori ex parte ex dictis in præcedenti: unde non oportet nova fundamenta aperire, ſed ſufficiet, ſi jam præjacta applicemus.

§. I.

Statuitur vera ſententia, & auctoritate ac rationibus fulcitur.

Conclusio. 201. Dicendum eſt nullam eſſe legem, qua Deus ſtatuerit conferre gratiam homini non ſe impedienti per vires naturæ, ſive facienti, quod naturaliter poteſt, ut non ponat obicem gratiæ. Hanc concluſionem docet Div. *D. Thom.* Thom. 3. *contra gentes cap.* 160. *& ſuper epiſt. ad Hebræos cap.* 12. *lect.* 3. ad illa verba Apoſtoli, *Contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei.* Quæ ita illuſtrat: *Gratia etſi non habeatur ex meritis, alioquin gratia non eſſet gratia: tamen oportet, quod homo faciat, quod in ſe eſt. Deus autem voluntate ſua liberaliſſima dat eam omni præparanti ſe.* Apocal. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum.* 1. *ad Timoth.* 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri. Et ideo gratia Dei nulli deeſt; ſed omnibus quantum in ſe eſt, ſe communicat: ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis. Dicit ergo: ne quis deſit gratiæ Dei. Sed contra: quia ſi gratia non datur ex operibus, ſed tantum ex hoc, quod aliquis non ponit obſtaculum: ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod eſt error Pelagij. Reſpondeo dicendum, quod hoc ipſum, quod aliquis non ponit obſtaculum, ex gratia procedit. Unde ſi aliquis ponat, & tamen moveatur cor eius ad removendum illud, hoc eſt ex dono gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam, ad Galat.* 1. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam. Hoc autem donum gratiæ non eſt gratum faciens. Quod ergo à quibuſdam removetur iſtud obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei: quod autem non removetur, hoc eſt ex iuſtitia eius.* Angelico Doctori ſubſcribunt majori ex parte Auctores *dub. præced. num....* relati: quia univerſaliter negant illam legem dandi gratiam facienti, quod eſt in ſe, per vires naturæ, ſive ly *facienti* intelligatur poſitivè, ſive negativè. Sed in particulari docent expreſſis verbis noſtram aſſertionem Leſſius (li- *Leſſius.* cet valde inconſequenter ad ea, quæ ut *dub. præced.* vidimus, cum Molina defendit) *in opuſc. de gratia efficaci cap.* 9. *num.* 5. ubi dicit oppoſitum aſſerere *eſſe haud dubiè erroneum: hic enim eſt error Maſſilienſium, vel etiam deterior.* Vazquez *Vazquez. Lorca. Joan. à S. Th. Zumel.* *in hac* 1. 2. *diſp.* 199. *cap.* 2. *num.* 8. Caprera 3. *part. quæſt.* 67. *diſput.* 20. §. 9. *num.* 116. Lorca *quæſt.* 112. *art.* 3. *diſp.* 26. Joan. à Sanct. Thom. *quæſt.* 109. *diſp.* 20. *art.* 1. circa finem; & Zumel *quæſt.* 112. *art.* 3. *diſp.* 1. *concluſ.* 1. *& in reſponſ. ad* 2. quamvis *concluſ.* 3. videatur favere contrariis.

Ratio fundamentalis. Probatur primo: quoniam non apparet, quid amplius homo per vires naturæ poſſit, ut vitet peccata, & ſe immunem conſervet ab obice gratiæ, quam credere, velle, deſiderare, conari, laborare, vigilare, ſtudere, petere, & pulſare: ſed non eſt lex dandi gratiam homini prædicta facienti per naturæ vires: ergo nec datur lex dandi gratiam homini non ſe impedienti, vel per vires naturæ facienti quantum poteſt, ut non ſe impediat. Major, & conſequentia conſtant. Minor probatur ex Concilio Arauſicano ſecundo *canone* 6. cujus verba dedimus *dubio præcedent. num.* 158.

Nec refert, ſi cum Suario reſpondeas Conci- *Suarij reſpon.* lium ſolum damnare aſſerentes gratiam conferri credentibus, volentibus, deſiderantibus, &c. ita quod hæc opera naturalia habeant rationem meriti, impetrationis, diſpoſitionis, aut alicujus influxus reſpectu gratiæ. Qui autem docent gratiam ex certa lege conferri, homini non ſe impedienti per peccata, vel non ponenti gratiæ obicem, nullum influxum, aut conducentiam reſpectu gratiæ attribuunt prædictis operibus; ſed meram remotionem impedimentorum. Unde nihil ex vi hujus derogatur divinæ, & eminentiæ, quam habet ſuper opera naturalia; ſiquidem datur independenter ab omni diſpoſitione, merito, aut cauſa ſe tenente ex parte naturæ. Quamobrem procul abeſt hic dicendi modus à cenſura Concilij.

202. Hoc, inquam, minimè ſatisfacit. Tum *Refutatur.* quia ſi verè exiſteret lex dandi gratiam non ſe impedienti, vel facienti, quod eſt in ſe, ut non ſe impediat; daretur utique gratia laborantibus, vigilantibus, conantibus, &c. per vires naturæ, eſſetque proinde propoſitio abſolutè vera de facto, & tali lege ſuppoſita: ſed Concilium damnat illam propoſitionem abſolutè: ergo ſignum eſt non dari talem legem. Alias Concilium temerè, indiſtinctè, & ſine debita attentione ad quamdam legem Dei actu exiſtentem procederet. Et quamvis vellet damnare errorem Semipelagianorum, qui amplius quid aſſerebant, debebat tamen ita verba attemperare, ut non comprehenderet concurſum prædictorum operum naturalium per modum removentis prohibens. Quare cum id non fecerit, ſed ſine diſtinctione proceſſerit; credendum eſt non adeſſe legem dandi gratiam facienti, quod per naturam poteſt, ſive ly *facienti* ſumatur, quoad effectus poſitivos, ſive quoad ſolam obicis rationem. Tum etiam quia nihil factum per vires, aut vigorem naturæ conducit ad ſalutem, ut determinat idem Concilium *can.* 7. ſed ita removere impedimenta, ut gratia ſtatim infunderetur, plurimum conducet ad ſalutem: ſicut ita removere impedimenta, ut ſtatim lapis deſcendat, plurimum ad hujuſmodi motum conducit: ergo Concilium ſentit non exiſtere legem dandi gratiam ei, qui per vires naturæ non ſe impedit, vel vitat impedimenta ad recipiendum gratiam. Tum præterea, & urgentius: quia Concilium, ut inquit Suarez, intendit di- *Suarez.* rectè damnare Semipelagianorum errorem: hic autem non conſiſtebat præcisè in eo, quod expreſsè aſſererent opera naturalia promereri gratiam ſupernaturalem, id quippè eorum plures pro viribus cavere ſtudebant, ut conſtat ex dictis *dub. præced.* ſed in eo etiam, quod aſſerebant liberum arbitrium per opera naturalia præbere Deo occaſionem communicandi ſuam gratiam, ut patet ex Caſſiano *lib.* 12. *de Inſtitutis Cœnobiorum* *Caſſianus.* *cap.* 14. ubi loquens de gratiæ donis inquit: *Præſto eſt namque*, nempè Deus, *occaſione ſibi tantummodo à noſtris bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Et *collat.* 13. aſſerit gratiam ita adjuvare liberum arbitrium, ut nunquam etiam ab eo quoſdam conatus bonæ voluntatis exigat, *occaſiones quodammodo quærens, quibus humana ſegnitiei torpore diſcuſſo, non irrationabilis munificentia ſuæ largitas videatur.* Unde Concilium è converſo excludit à rigore naturæ non ſolum poſſe ullo modo cauſare gratiam, verum etiam præbere occaſionem, ut infundatur: ſed qui ita removet obicem, & impedimenta, ut ſtatim

Digitized by Google

ſtatim ſubſequatur gratiæ infuſio, nequit non præbere hujuſmodi infuſionis occaſionem: quemadmodum ille, qui aufert impedimentum prohibens deſcenſum lapidis, licet non cauſet effectivè motum, præbet tamen occaſionem, ut lapis deſcendat: ergo ex mente Concilij gratia non datur homini facienti, quod eſt in ſe per vires naturæ; tametſi ly *facientis* ſignificet ſolam remotionem impedimentorum, ut gratia infundatur.

Major impugnatio. Confirmatur: quia ex eo, quod admittamus prædictam legem, ſequuntur plura ex inconvenientibus, ob quæ damnati ſunt Semipelagiani: ergo opinio contraria exiſtimanda eſt comprehenſa ſub determinatione Concilij. Conſequentia patet. Antecedens vero ſuadetur: quia licet remotio illa impedimentorum nequeat habere rationem meriti, vel diſpoſitionis ad gratiam; hæc quippè poſtulant aliquid poſitivum, attamen eſt ſufficiens, ut homo ſe diſcernat ab alio, & habeat, in quo glorietur, & gratia ſubjungatur humanæ induſtriæ, & initium ſalutis ſit in nobis: quæ omnia ſunt aſſerta ex Pelagianorum, & Semipelagianorum errore orta, & quæ Concilia, & Patres frequenter damnant. Ea vero ex contraria nobis opinione deduci oſtenditur: nam ſi eſt lex dandi gratiam non ſe impedienti per vires naturæ: ergo qui ſe non impedit, diſcernit ſe ab alio, qui impedimentum apponit. Ex quo ulterius fit, ut poſſit de proprio labore in negotio ſalutis gloriari, meritoque increpabit alium, qui conſcius illius legis univerſalis non ſatagit excludere impedimenta, & obtinere gratiam ſub illa conditione promiſſam. Deinde propriæ induſtriæ, & laboris eſt vitare impedimenta, quæ propriis viribus poſſunt vitari: ergo ſi gratia promittitur ei, qui ex propriis viribus tollit, aut vitat impedimenta, jam ſecundum præſentem providentiam gratia ſubjungeretur humanæ induſtriæ, & labori. Tandem licet de ratione cauſæ ſit habere entitatem poſitivam, nihilominus id non deſideratur ad rationem principij: ſufficit quippè ad hujus conditionem, quod aliud ad ipſum ſequatur, quamvis non per verum influxum, ut patet in privatione, quæ inter alia generationis principia à Philoſophis recenſentur: ſed ad remotionem impedimentorum habitam per vires naturæ ſequitur immediatè, & ex lege infallibili divina gratia: ergo de facto, & ſuppoſita prædicta lege, principium, ſive, quod idem eſt, initium gratiæ, & ſalutis eſt nobis, & habetur per vires naturæ.

Confutatur amplius. 203. Explicatur hoc amplius: quoniam licet removens prohibens non influat phyſicè in effectum, qui ablatis impedimentis aliunde ſequitur; nihilominus moraliter, ſive in æſtimatione prudenti ſe habet per modum principij influentis in illum. Qua de cauſa ſi Petrus ſciens, & prudens removeret obſtaculum prohibens deſcenſum lapidis, & hic deſcendens interficeret aliquem; Petrus exiſtimaretur cauſa homicidij. Et ſimiliter ſi removeret prohibens, ex cujus oblatione aliquod bonum contingeret Paulo, utputa ſi illi in carcere detento auferret catenam, vel januas aperiret, proculdubio ſe haberet ut cauſa libertatis, & beneficij. Ergo ſi homo per proprias vires ita removet impedimenta gratiæ, ut hæc immediatè, & infallibiliter ex certa lege ſequatur; jam homo ſua induſtria eſſet moraliter, & in æſtimatione prudentum principium prædictæ gratiæ, non quidem ex natura rei, ſed ex Dei lege. Quod tamen nemo Catholicorum concedet.

Ad hæc quamvis pura carentia nequeat eſſe principium laudis, aut meriti; nihilominus excludere impedimenta alicujus effectus per actus poſitivos, & honeſtos, videtur nonnihil meriti, & laboris habere in ordine ad prædicti effectus conſecutionem. Qua ratione Eccleſ. 31. *Laudatur iuſtus quia potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit:* unde ſubditur: *Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Deo.* Quæ eſt doctrina D.Thom. 2.2. *quæſt.*79.*art.*1. ubi inquit, quod declinare à malo ſecundum quod ponitur pars juſtitiæ, importat motum voluntatis repudiantis malum. Et hoc, inquit, eſt meritorium, præcipuè cum aliquis impugnatur, ut malum faciat, & reſiſtit. Conſtat autem, quod nequit homo per vires naturales removere impedimenta peccati, niſi exercendo plures actus naturales honeſtos, quibus adimpleat præcepta, & tentationibus reſiſtat: ergo prædicta remotio non ſe habet, ut mera carentia, & ablatio impedimenti, ſed etiam importat aliquid laboris, & meriti, cujus intuitu Deus potius conferat gratiam non ſe impedienti, quam ei, qui ſe impedit. Quod eſt incidere in opinionem Molinæ dubio præcedenti impugnatam. *Eccleſ.31.* *D.Thom.*

Alia ratio pro concluſione. 204. Secundum fundamentum noſtræ aſſertionis deſumitur ex verbis D. Thom. ſupra relatis, & poteſt ad hanc formam reduci: quoniam homo per vires naturales nequit ita ſe habere, ut non apponat obicem gratiæ, & ſe per peccatum impediat: ergo lex dandi gratiam homini non ſe impedienti, vel facienti, quod eſt in ſe per vires naturæ, ut non ſe impediat, dependet à quadam conditione, quæ nunquam per vires naturæ ponetur: ergo prædicta lex eſt inutilis, & fruſtranea. Utraque conſequentia patet. Antecedens vero ſuadetur: quia poſſe non ponere obicem gratiæ eſt poſſe non peccare, quodlibet enim peccatum mortale eſt de ſe obex gratiæ, illaque reddit hominem indignum: ſed licet homo per vires naturales poſſit vitare quodlibet peccatum diviſim ſumptum; nequit tamen eiſdem viribus non peccare, ſeu quod idem eſt ſervare omnia præcepta collectivè, & in nullo deficiendo, ut conſtat ex dictis *diſp. præced. dub.* 4. & 5. ergo homo nequit per vires naturales ita ſe gerere, ut non apponat obicem gratiæ.

Confirmatur. Confirmatur: quia omnis homo perveniens ad uſum rationis, ſi relinquatur ſuis præciſè viribus naturalibus, infallibiliter peccabit, apponetque proinde, quantum eſt de ſe, impedimentum divinæ gratiæ: ergo ſi eſſet lex dandi gratiam homini ex viribus naturæ non ſe impedienti per peccatum, dependeret prædicta lex a conditione nunquam, & a nullo ponenda, ac proinde prædicta lex eſſet fruſtranea, alienaque à divina providentia. Antecedens probatur ex doctrina D.Tho. *in hac* 1.2. *quæſt.*89.*art.*6. quoniam in primo inſtanti uſus rationis urget præceptum convertendi ſe ad Deum tanquam ad ultimum finem: ſed homo ſuis viribus relictus nunquam eliciet prædictam converſionem; ſi quidem nequit per prædictas vires vel expellere peccatum habituale, in quo præexiſtit, vel illi conjungere prædictam converſionem, ut latè oſtendimus *diſp. præcedenti dub.*4. *à num.*135. ergo omnis homo perveniens ad uſum rationis, ſi ſuis tantum viribus relinquatur, infallibiliter peccabit, apponetque obicem gratiæ. Quæ difficultas etiam urget, licet non admittatur opinio D.Thom. de obligatione diligendi Deum in primo inſtanti uſus rationis: quia illud præceptum obligat, vel paulo poſt illud inſtans, vel in alio ſpatio vitæ: & nunquam adimpletur ſine gratia, ut oſtendimus loco citato. *D.Thom.*

Subterfugium. 205. Ut vim hujus argumenti, & confirmationis

tionis effugeret Suarez, aſſeruit ex una parte gratiam ſupernaturalem eſſe quidem promiſſam non ſe impedienti per peccatum; & conceſſit ex alia hominem ſuis præcisè viribus naturalibus relictum non poſſe adimplere præceptum dilectionis Dei auctoris naturalis, nec cætera præcepta collectim ſumpta: adhuc tamen exiſtimat ſuam aſſertionem ſartam, tectamque ſervari. Quia Deus inquit, dat omnibus hominibus auxilia ordinis naturalis ſufficientia cùm ad adimplenda omnia præcepta naturalia collectivè, cùm ad eliciendum amorem naturalem Dei ultimi finis dilecti ſuper omnia. Si ergo homo prædictis auxiliis adjutus non ſe impedierit per peccatum, ſed præceptis ſatisfecerit, infallibiliter conſequetur primam gratiam auxiliantem ordinis ſupernaturalis: idque non ſemel continget. Unde non ſequitur prædictam legem eſſe fruſtraneam. Si autem ſe impedierit, merito privatur gratia ſupernaturali: nam habuit ſufficientes vires ad adimplendam conditionem, ſub qua prædicta gratia promiſſa eſt.

Præcluditur. Hæc tamen evaſio difficultatis nodum non laxat, ſed trahit in novas anguſtias. Nam *in primis* juxta hunc dicendi modum concedendum eſt; quod facienti, quod eſt in ſe ex viribus gratiæ naturalis datæ per Chriſtum, Deus infallibiliter conferat gratiam ſupernaturalem: & ita magna ex parte relabitur Suarez in opinionem Vazquij, quam ipſe impugnaverat *lib. 4. de auxiliis cap. 14.* & nos late confutabimus *dub. ſequenti*, qua de cauſa in ea nunc rejicienda non immoramur. *Præterea* vel illa gratia naturalis datur homini non ſe impedienti per peccatum, & dependenter ab hac conditione: vel confertur omnibus hominibus abſolutè, & independenter ab his conditionibus. Si eligatur primum: ergo circa communicationem gratiæ naturalis manet eadem difficultas, ac in communicatione gratiæ ſupernaturalis: & ita procedendum eſt in infinitum. Si autem dicatur ſecundum: ergo ſicut Deus potuit offerre,& conferre gratiam ſufficientem naturalem abſolutè, atque independenter à conditione non ſe impediendi, & ita decuit ejus bonitatem,& liberalitatem: ita etiam potuit communicare gratiam ſupernaturalem independenter à conditione non ſe impediendi per vires naturæ, aut gratiæ naturalis. Patet conſequentia: quia non minus liberalis eſt Deus in ordine ſupernaturali,ac in naturali; imo potius ſicut ille eminet huic, ita decet, ut in eo major Dei liberalitas, & independentia gratiæ ab iis, quæ nos præſtamus, reſpondeat: ergo ſi Deus dat omnibus hominibus gratiam naturalem non ſe obligando ei, qui facit, quod poteſt, ut non ſe impediat, etiam communicabit gratiam ſupernaturalem non attendendo ad prædictam conditionem,aut diſpoſitionem negativam. Eo vel maximè, quod nullum datur fundamentum ad aſſerendum unum potius,quam aliud, ut ſatis ex ſe liquet,& magis conſtabit ex dicẽdis.

Iterum refellitur. Denique prædicta evaſio relinquit in ſuo robore difficultatem argumenti,& confirmationis:quoniam ſuppoſito peccato mortali nequit homo potentia conſequenti diligere Deum auctorem ſuper omnia niſi in eodem inſtanti peccatum illud auferatur:ſunt enim prædictus amor,& peccatum mortale inter ſe incompoſſibilia: at ſic eſt,quod prædictum peccatum nequit auferri per aliã formam, niſi per gratiam ſanctificantem, ut oſtendemus *in tractatu de Iuſtificatione*: ergo quantumvis homo adjuvetur per gratiam naturalem; infallibiliter tamen deficiet in elicientia prædicti amoris, ſubindeque apponet novum obicem gratiæ: atque ideo nunquam aderit conditio,ſub qua lex illa gratiam promittit. Idemque argumentum urget in adimpletione collectiva omnium præceptorum: nam nequit homo adimplere omnia præcepta collectivè ſecundum ſuavem, & ordinariam providentiam, niſi habeat in ſe aliquam formam permanentem, quæ ei ſubjiciat appetitum rationis, & petat continuam ſubminiſtrationem auxiliorum ad adimplenda præcepta, & ſuperandas oppoſitas tentationes, ut ſtatuimus *diſp. præced. dub. 6*. Hujuſmodi autem forma nequit eſſe alia, quam vel gratia ſanctificans, vel integritas naturalis, ut diſcurrenti conſtabit. Unde nequit homo habere potentiam de lege ordinaria ſufficientem ad adimplenda omnia præcepta collectivè,niſi perficiatur, & corroboretur per gratiam habitualem,vel naturalem integritatem.Sed certum eſt,quod Deus non confert omnibus hominibus prædictam integritatem: ergo nec dat gratiam naturalem ſufficientem ad adimplenda omnia præcepta collective, & impediendum omnem obicem gratiæ. Maneat igitur prædictam conditionem nunquam apponi nec per vires proprias naturæ, nec per vires ſuperadditas gratiæ naturalis:& conſequenter legem ab illa cõditione dependentẽ eſſe inutilem,& fruſtraneam.

206. Nec refert,ſi iterum cum eodem Auctore reſpondeas, quod licet homo nequeat per vires entitativè naturales habere prædictum Dei amorem; poteſt tamen habere alium minus perfectum, quo conetur, quantum eſt de ſe, accedere ad perfectionem: & ideo ſi illum priorem eliciat, dicetur facere, quod eſt in ſe, ut non ponat obicem gratiæ: atque ideo apponet conditionem deſideratam, ut Deus ſuam gratiam communicet. Idemque poteſt applicari adimpletioni præceptorum: quamvis enim nequeat omnia collectivè adimplere,poteſt tamen aliqua: quæ ſi adimpleat, jam dicetur facere, quod eſt in ſe, & ſeipſum quantum naturaliter valet, non impedire à gratiæ perceptione. Quam doctrinam extendit etiam prædictus Auctor ad peccata, quæ vel ex ignorantia, vel ex infirmitate, aut magna tentatione urgente patrantur: congruit enim, ut Deus ſuam miſericordiam ita peccantibus potius communicet, quam illis, qui peccant ex malitia, & quaſi pro libito, nulla tentatione agitati. Adducitque in hujus doctrinæ confirmationem illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 1. *Qui prius blaſphemus fui; & perſecutor, & contumelioſus. Sed miſericordiam Dei conſecutus ſum: quia ignorans feci in incredulitate mea.* Per quod videtur ſignificari ignorantiam ex qua procedat Apoſtolus, fuiſſe conditionem, vel occaſionem, ut Deus illi ſuam miſericordiam impertiret. *Alia Suarij evaſio.* 1. ad Tim. 1.

Hæc, inquam,non ſatisfaciunt. Tum quia voluntariè,& abſque ſufficienti fundamento dicũtur: unde facilitate,qua excogitantur,eadẽ poſſunt negari,& potiori jure refelli. Tum etiã,quia urgente occaſione adimplendi præceptum amoris naturalis erga Deum ultimum finem nequit præcepto ſatisfieri,niſi per prædictum amorem:nam quemcumque alium inferiorem homo eliciat,non facit, quod poteſt,& debet,cum habeat potentiam antecedentẽ,atque ideo ſufficientem abſolutè ad amorem perfectum eliciendum:quamobrem peccat ſi eum non eliciat,ut latè oſtendimus *diſp. præc. dub. 4.* Unde cum idem ſit peccare, ac ponere obicem gratiæ: quantùmvis fingatur hominem elicere amorem imperfectum, & conari ad perfectum; adhuc tamen dicendus eſt ſe impedire, & conſequenter non apponere conditionem,ſub qua gratia ſibi promiſſa eſt. Idemque evidentius apparet *Confutatur.*

Digitized by Google

in non adimpletione collectiva præceptorum: nam licet homo nequeat ſuis viribus ita ſe gerere, ut percurrat omnia præcepta in nullo deficiendo; nihilominus poteſt unumquodque prout occurrit ſervare: & ideo in quocumque deficiat, non facit, quod eſt in ſe, ſed voluntariè gratiæ impedimentum apponit. Quare cum infallibile ſit, quod homo gratia ſanctificante deſtitutus non ſervabit collectivè omnia præcepta; eadem infallibilitate certum eſt, quod ſe voluntariè impediet, obicem gratiæ ponendo; ſive obſervet plura alia præcepta, ſive non: nam malum ex quocumque defectu. Quam doctrinam tradit elegantèr D. Thom. *lib. 3. contra gentes*; nam cum *cap.* 159. illos ſolos gratia privari, qui in ſeipſis præſtant eidem gratiæ impedimentum, ſtatim *cap.* 160. explicat præmiſſam aſſertionem his verbis: *Quod autem dictum eſt in poteſtate liberi arbitrij eſſe, ut impedimentum gratiæ præſtet, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit. Si autem per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum; non erit omnino in poteſtate eius, nullum impedimentum gratiæ præſtare. Etſi enim ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu particulari poſſit abſtinere propria poteſtate: ſi tamen diu ſibi relinquitur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præſtatur.* Quod probat efficacibus rationibus, & poſtea occurrens objectioni, quæ ex prædicta impotentia poſſet fieri, nempè non eſſe homini imputandum, quod gratiæ præſtet impedimentum, concludit: *Licet ille, qui eſt in peccato, non habeat hoc in propria poteſtate, quod omnino vitet peccatum; habet tamen poteſtatem nunc vitare hoc, vel illud peccatum: unde quodcumque committit, voluntariè committit: & ita non immeritò ei imputatur ad culpam.* Quo nihil expreſſius dici potuit ad excludendum modum dicendi, quem excogitavit Suarez.

D. Thom.

Impugnatur ulterius.

Per quæ à fortiori impugnatur id, quod dicitur de homine peccante ex ignorantia, aut ex infirmitate, aut impulſu vehementis tentationis: nam quamvis ita ſe habeat; tamen non facit, quod eſt in ſe, ſed ſe voluntariè impedit redditque gratiæ conſecutione indignum: implicat enim, quod homo peccet, & quod faciat totum, quod poteſt ad evitandum peccatum, ut liquet ex terminis. Nec oppoſitum ſuadetur illis verbis Apoſtoli: primo quia ut ſumitur ex D. Thom. *ibidem lect.* 3. non intendit deſignare conditionem, vel occaſionem, cur ſibi Deus communicaverit gratiam; ſed tantum ſignificare ex parte ſua aliquam excuſationem peccati: quia hoc ipſo, quod per ignorantiam fuerit commiſſum, fuit minus grave, redditque Paulum non ita indignum divina miſericordia: per quod tamen minimè ſignificatur aliqua conditio, vel occaſio ex parte liberi arbitrij, ut Dei gratiam conſequeretur. Secundo quia ut Gloſſa ordinaria, Petrus Lombardus, & Salmeron obſervant, quibus favent S. Leo Papa *ſerm.* 15. *de Paſſione Domini*, & D. Auguſt. *ſer.* 8. *de verbis Apoſtoli.* Paulus non intendit extenuare delicta ſua; ſed exaggerare magnitudinem divinæ miſericordiæ: unde dicunt ly *quia* non ſumi cauſaliter, ſed idem valere, ac *quod*: ut ſit ſenſus *Veniam obtinui eius, quod per ignorantiam feci*; aut, *Veniam conſequutus ſum erroris, atque incredulitatis meæ.* Sicut etiam inquit ad Rom. 11. *Concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omniū miſereatur.* Per quæ nullus dicet ſignificari, quod incredulitas ſit cauſa, vel occaſio inducens divinam miſericordiam; ſed tantum quod Dei gratia ſeſe inſinuat omnibus hominibus, non obſtante earum incredulitate: vel quod permiſit Deus omnes homines in incredulitate concludi, ut in omni hominū genere ſua miſericordia ſplēderet, ut exponit D. Th. *lect.* 4.

Gloſſa ordinaria. Petrus Lombardus. Salmeron. Leo Papa. D. August.

Ad Rom. 11.

Ultimum pro aſſertione motivum.

207. Ultimo probatur noſtra ſententia argumento, quo dubio præcedenti impugnavimus Molinam: quoniam lex dandi gratiam homini non ſe impedienti per vires naturæ, cum dependeat à ſola Dei voluntate, & ſtatuatur circa materiam graviſſimam, non eſt admittenda abſque urgenti auctoritatis, vel ſaltem rationis fundamento: atqui non adeſt auctoritas, vel ratio, quæ prædictæ legis exiſtentiam ſuadeat: ergo non debent Theologi prædictam legem admittere. Minor, quamvis poſſit aliunde ſatis probari, evidentius tamen, & facilius oſtendetur adducendo, & diluendo Suarij argumenta: quod jam præſtamus.

§. II.

Adverſariorum rationibus ſatisfit.

Opinio contraria. Suarez. Granados. Primum argumentum. Conc. Trid.

208. **C**Ontrariam nobis ſententiam docent Suarez *lib.* 4. *de auxiliis cap.* 15. *n.* 38. non ſatis conſequenter ad ea, quæ ſcripſerat *lib.* 3. *cap.* 13. *à num.* 7. & Granados *controverſia* 8. *de gratia tract.* 6. *diſp.* 1. *ſect.* 7. *à num.* 58. Quæ poteſt probari primo: nam in Concilio Trid. *ſeſſ.* 6. *can.* 11. & 13. declaratur *Deum neminem ſua gratia deſerere, niſi prius deſeratur ab ipſo*: ſed homo, qui non ſe impedit per peccatum, vel qui facit quantum naturaliter poteſt, ut non apponat obicem divinæ gratiæ, non deſerit Deum, ut videtur manifeſtum ex terminis: ergo Deus non deſerit ſua gratia prædictum hominem: deſereret autem, ſi non conferret illi ſuam gratiam: ergo Deus confert infallibiliter ſuam gratiam ei, qui non ſe impedit per peccatum.

Confirmatur primo. D. Thom.

Confirmatur primo ex D. Thom. 3. *contra gentes cap.* 159. ubi hanc ſententiam videtur expreſsè docere iis verbis: *Ad huius dubitationis ſolutionem conſiderandum eſt, quod licet aliquis per motum liberi arbitrij divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit: poteſt tamen ſeipſum impedire, ne eam recipiat: dicitur enim de quibuſdam Iob. 21. Dixerunt Deo, recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus Iob. 24. Ipſi ſunt rebelles lumini. Et cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire: non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Timoth. 2. Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut ſole mundum illuminante, imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis præveniatur.* In quibus verbis duo præcipuè continentur, nempè Deum paratum eſſe dare omnibus hominibus ſuam gratiam, niſi in ſeipſis præſtent gratiæ impedimentum: & eſſe in poteſtate liberi arbitrij impedire, vel non impedire gratiæ receptionem. Ex quibus evidenter videtur inferri, quod homini ex propria poteſtate non ſe impedienti Deus infallibiliter conferat ſuam gratiam: quæ eſt propriiſſima Suarij ſententia.

Secundo.

Confirmatur ſecundo: quia Deus ut Auctor gratiæ ſe habet, ſicut ad illuminans omnem hominem ſuæ gratiæ luce: ergo quemadmodum ſol illuminat hominem, qui ſe non impedit, aut

Digitized by Google

oculos claudit : ita Deus communicat ſuam gratiam omni homini, qui ſe non impedit per peccata, & obicem gratiæ non apponit. Antecedens, ímo & conſequentia probatur tum ex D. Thom. loco, & verbis nuper relatis. Tum ex D. Ambroſio *in Pſalm.* 118. *ſerm.* 8. ubi inquit : *Sol iuſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit : ſi quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat : ut ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat.* Tum ex P. N. D. Cyrillo Alex. *lib.* 1. *in Ioann. cap.* 11. ubi ait : *Lux ille profecto eſt, & ſplendorem ſuum ad omnes emittit.* Tum ex D. Chryſoſtomo *homil.* 7. *in Ioann.* ubi hæc habet : *Quomodo Chriſtus illuminat omnem hominem? Illuminat profecto, quantum in ipſo eſt. Si qui autem ſponte ſua, mentis oculis conniventibus ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint : non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, ſed ex malitia ſua. Nam gratia in omnes diffuſa eſt, omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore advocat.* Eandemque ſententiam docent communiter alij Patres, quorum plures refert Bellarminus *lib.* 2. *de gratia cap.* 5.

D. Ambroſ. D. Cyrillus. D. Chryſoſt.

Animadverſio. 209. Ut harum auctoritatum legitimus ſenſus perſpicuè appareat, duo breviter animadvertere oportet. Primum eſt has propoſitiones valde differre: *Deus denegat gratiam ſe impedienti. Deus dat gratiam non ſe impedienti per naturæ vires.* Nam *prima* ſignificat Deum denegare gratiam in pœnam præcedentis impedimenti,& ſimul nos ex nobis poſſe impedimentum gratiæ præſtare:quod eſt veriſſimum. Secunda vero ſignificare videtur vel quod homo per vires naturæ valet impedimenta gratiæ vitare ; vel quod homo ſuis viribus non ſe impediens invitet Deum, eique occaſionem præbeat ad ſuæ gratiæ communicationem : quorum utrumque falſum eſt, ut conſtat ex ſupra dictis. Unde prædictæ propoſitiones ſe habent proportionabiliter,ſicut iſtæ : *Deus denegat gratiam ſanctificantem ei, qui non ſe diſponit. Deus dat gratiam ſanctificantem ei, qui per ſuas vires ſe diſponit ad eam recipiendam.* Quarum prima continet ſenſum Catholicum : ſecunda vero ſapit Pelagianiſmum, vel Semipelagianiſmum : nam ſignificat hominem poſſe viribus propriis ſe ad gratiam ſanctificantem diſponere ; aut Deum prædictam gratiam intuitu operum naturalium conferre.

Nota 2. Secundò obſerva aliud eſſe loqui de gratia ſanctificante, aut auxilio deſiderato ad converſionem abſolutam, & efficacem in Deum finem ſupernaturalem : aliud vero de gratia vocante, excitante, & remotè præparante ad habitualis gratiæ infuſionem, & prædictam converſionem eliciendam. Nam priorem illam gratiam offert quidem Deus omnibus hominibus ; non tamen confert reipſa: quod ita eſt certum, quemadmodum verum eſt non omnes homines juſtificari, & ad agnitionem veritatis venire. Ita enim Deus vult omnes homines ſanctificare per gratiam, ut tamen velit, quod ipſi ſe ad id præparent per motus ſupernaturales voluntarios liberi arbitrij : quos quia homines gratia ſufficienti præventi non eliciunt, merito vult illis denegare gratiam ſanctificantem. Gratiam vero vocantem, excitantem,& ſufficientem, ut poſſimus ſaltem remotè non diſponere ad gratiam habitualem non ſolum offert Deus ; ſed etiam cum effectu confert : non quia in omnibus momentis, & occaſionibus illam infundat, ac inſpirat ; ſed quia eam communicat quando, & ubi videt eſſe neceſſariam,ut homo poſſit ad ſuam converſionem diſponi : id præcipuè præſtat in primo inſtanti uſus rationis, juxta illud Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum :* venit quippè homo,ut homo in hunc mundum moralem ubi primum ratione utitur, ut fuſius dicemus *diſp.* 6. *dub.* 3. Quam gratiam præſtat Deus independenter à diſpoſitione liberi arbitrij : nullus quippè eſt hominum ita vitiis irretitus, ac peccatis indiſpoſitus, qui non ſemel hujus gratiæ ſtimulis ad ſuam converſionem ſaltem remote, incitetur, & radio ſuperni luminis reſpergatur, juxta illud Pſalm. 18. *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius,*ubi Aug. *Nullum,*inquit, *mortalium permiſit excuſare ſe de umbra mortis : ipſam enim penetravit verbi calor.* Et Matth. 5. *Qui ſolem oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iniuſtos, & iuſtos.* Quod Ambroſius loco ſupra citato docet *intelligendum eſſe de ſole iuſtitia, & pluvia gratiæ.* Unde Clemens Alexand. in oratione exhortatoria ad gentes circa medium, *Audite*, inquit, *qui eſtis longè, audite, qui prope : nullis celatum eſt verbum : lux eſt communis : illuceſcit omnibus hominibus : nullus eſt in Verbo Cimmerius.*

Ioan. 1. D. Auguſt. Matth. 5. D. Ambroſ. Clem. Alex.

210. Ex his reſpondetur primo ad omnes ſimul auctoritates oppoſitas, quod in nulla earum aſſeritur Deum communicare ſuam gratiam homini non ſe impedienti per vires naturæ : ſed ſolum dicitur Deum non communicare ſuam gratiam homini, qui ſe impedit, vel Deum deſerit, vel oculos claudit,&c. Ex quo tamen minimè infertur, quod ſi homo per vires naturæ non ſe impediret, infallibiliter conſequeretur gratiam. Sicut etiam Deus denegat gratiam ſe indiſponenti per vires naturæ : & nihilominus hinc non colligitur, quod gratiam conferat illi, qui ſe per ſolas vires naturæ diſponit. Deinde cum aſſerunt Deum ideo denegare ſuam gratiam ; quia homines ab illius participatione ſe impediunt, loquuntur de gratia habituali ; aut de auxilio inferente converſionem perfectam : hæc quippè confert communiter Deus dependenter ab aliquibus diſpoſitionibus antecedentibus, quas homo per auxilia ſufficientia ſibi reipſa communicata potuit elicere : & quia voluntariè eas omiſit ; idcirco privatur gratia ſanctificante, & ulterioribus auxiliis horumque carentia illius vitio, & impedimentis tribuitur. Si autem non ſe impediret, ſed ſufficientes diſpoſitiones apponeret ; id non præſtaret per ſolas vires naturæ, ſed per auxilia gratiæ quibus miſericorditer præveniretur à Deo. Unde prædicta teſtimonia non loquuntur de prima gratia auxiliante, vocante, aut excitante : tum quia ad hujus receptionem nulla requiritur diſpoſitio prævia : tum quia illam dat Deus omnibus hominibus non obſtantibus eorum peccatis, & impedimentis. Quæ ſolutio, ut evidentius conſtet.

Convellitur motivum contrariorum cum ſuis confirmationibus.

Reſpondetur ſecundo ad ſingula teſtimonia in particulari. Ad auctoritatem Tridentini dicendum eſt apertè loqui de gratia habituali, de dono perſeverantiæ, & de homine juſtificato, quem Deus non ſpoliat habituali gratia, niſi prius ipſe per peccatum Deum deſerat. Quod ita evidens fit ex ipſo textu, ut ejus ſola lectione argumenti intentio evaneſcat. D. Thom. etiam loquitur de gratia proximè influente in converſionem perfectam ; ut manifeſtè conſtat ex ipſo capitis titulo : & illam propoſitionem, qua aſſerit eſſe in poteſtate liberi arbitrij ſe impedire, vel non impedire per peccatum, ſtatim cap.ſeq. explicat illis verbis : *Quod autem dictum eſt in poteſtate liberi arbitrij*

Exponuntur ſingula teſtimonia.

arbitrij eſſe, ut ſupra *num.*206. retulimus: quibus apertiſſimè Suarij opinionem excludit: aſſerit enim non eſſe in poteſtate hominis lapſi vitare omne impedimentum, ſeu quod idem eſt adimplere collectivè omnia naturalia præcepta. Ambroſ. denique Cyrillus, & Chryſoſtomus minimè aſſerunt, quod Deus communicet primam gratiam auxiliantem attendendo ad hoc, quod homines ex viribus naturalibus ſe impediant, vel non impediant peccando: ſed magis ſignificant, & ſupponunt oppoſitum, ſcilicet Deum prædictam gratiam omni homini, nullo excepto offerre, aut etiam reipſa conferre. Unde ſolum docent, quod ſi homo auxiliis ſufficientibus, quæ Deus omnibus univerſaliter impertit non rectè uſus fuerit, ſed omiſerit elicere actus, quos per talia auxilia poterat, privabitur luce fidei, & gratiæ, quod non defectui Dei, qui omnes inſtar ſolis illuminat; ſed hominis, qui ad lucem gratiæ non attendit, deſidiæ, & malitiæ vertendum eſt. Ex quo neutiquam colligitur, quod Deus determinatè, & ex certa lege communicet gratiam homini non impedienti, vel facienti, quod viribus propriis poteſt, ad non ſe impediendum, ut ex ſe, & ex hactenus dictis ſatis conſtat.

211. Secundo arguitur, & ſimul impugnatur reſponſio proximè tradita: quoniam Deus promittit prima auxilia gratiæ ſub quadam conditione: ſed hæc nequit eſſe alia, niſi quod homo faciat, quantum naturaliter poteſt, ut non ſe impediat, removeatque, quantum eſt in ſe, obicem gratiæ: ergo homini non ſe impedienti per peccatum Deus infallibiliter confert gratiam. Conſequentia patet. Minor etiam liquet: nam prædicta conditio nequit eſſe aliquis actus ſupernaturalis; ſiquidem impoſſibile eſt, quod actus ſupernaturalis eliciatur ante primum, atque ideo ante omne auxilium gratiæ: nec valet eſſe aliquis actus naturalis ſe habens per modum diſpoſitionis, meriti vel impetrationis, ut conſtat ex dictis dubiis præcedentibus: ergo ſolum reſtat, quod ſit aliquis actus naturalis ſe habens per modum removentis prohibens, ſeu excludentis obicem gratiæ. Major autem probatur: quia ſi Deus promitteret prima auxilia gratiæ omnino abſolutè, & independenter ab omni conditione, ea etiam conferret omnibus hominibus: at ſic eſt, quod plures ſunt homines, quibus Deus nullum contulit gratiæ ſupernaturalis auxilium: ergo non promiſit illa abſolutè, atque independenter ab omni conditione. Suadetur minor: quia primum gratiæ ſupernaturalis auxilium conſiſtit in illuminatione fidei, qua de cauſa communiter SS. Patres dicunt fidem eſſe fundamentum hujus ſpiritualis ædificij, & ut inquit Trident. ſeſſ.6. cap.8. *Ideo per fidem juſtificari dicimur, ad Rom.3. quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*: conſtat autem plures eſſe homines, qui nunquam habuerunt auxilia ſufficientia ad credendum: tum quia auxilia ſufficientia ad credendum non communicantur, niſi dependenter à prædicatione externa juxta illud Apoſtoli ad Rom.10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Et plures dantur barbari in inſulis remotiſſimis conſtituti, qui nihil de fide audierunt, ut ex ſe liquet. Tum etiam quia ſi omnes homines reciperent auxilia ſufficientia ad credendum, vel omnes crederent, & eſſent fideles, quod eſt falſum; vel omnes diſcrederent, aut ſaltem omitterent culpabiliter fidem, fierentque proinde infideles contrariè, quod tamen negat Divus

Secundum argumentum.

Conc. Trid.

Ad Rom. 10.

Thomas 2.2. *quæſt.*10. *art.*1. aſſerens plures manere infideles negativè ob ignorantiam invincibilem, qua circa myſteria fidei laborant. Plures ergo ſunt homines, qui non receperunt auxilia ſufficientia ad credendum.

D.Thom.

Huic argumento, cui unicè videtur Suarez inniti, reſpondetur negando majorem: quia ut cõſtat ex ſupra dictis, Deus omnibus hominibus confert reipſa auxilia ſupernaturalia ſufficientia, ſaltem remotè, ad ſalutem: quæ ſunt effectus proprius illius voluntatis, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ut inquit Apoſt. 1. *ad Timoth. cap.*2. Licet enim prædicta voluntas non ſit efficax reſpectu auxiliorum efficacium, quibus homo ultimatè conſequitur ſalutem; eſt tamen efficax reſpectu aliquorum auxiliorum, eorum nempè, quibus homo poteſt remotè diſponi, & quibus ſi rectè utatur, ulterius procedet in ſuæ ſalutis negotio. Ad probationem autem in contrarium reſpondemus ex dictis *Tract.*13. *diſp.* 10. *dub.*1. *à num.*28. & dicendis infra *diſp.*6. *dub.* 3. negando minorem: quia nullus eſt adultus, cui Deus non conferat aliquam illuminationem ſupernaturalem de linea fidei, qua poſſit inchoare negotium ſuæ ſalutis, & ad eam ſaltem remotè diſponi. Quia ſuppoſita elevatione hominis ad finem ſupernaturalem, communis hujus ordinis providentia poſtulat, ut Deus conferat illud auxilium, quo homo rectè utens, valeat pervenire ad prædictum finem: hujuſmodi autem non ſunt concurſus, vel actus ordinis naturalis: hi enim nullam connexionem habent cum gratia, ut hactenus in hac diſputatione oſtenſum eſt: unde relinquitur, quod conferat auxilia ordinis ſupernaturalis, quorum primum eſt aliqua ſupernaturalis illuminatio de linea fidei. Et quamvis Deus poſſet in pœnam peccati originalis denegare omnibus hominibus prædicta auxilia, & omnes in infernum detrudere; nihilominus ſuppoſita univerſali redemptione facta per Chriſtum, non attendit, quantum ad adultos, ad condignitatem prædicti peccati, ſed ob Chriſti merita, confert omnibus auxilia ſufficientia, ſaltem remotè ad ſalutem. Inter quæ illuminatio ſupernaturalis primo computanda eſt: quia nullus poteſt ſequi actus ſupernaturalis, niſi prævia prædicta illuminatione. Porro hujuſmodi illuminatio non eſt fides ſimpliciter, vel aliquod lumen completum, nec manifeſtat objectum fidei proprium: & ideo non deſervit proximè ad eliciendum actum fidei; ſed tantum ad eliciendam cognitionem imperfectiorem. Cui ſi homo obtemperet eliciendo illos affectus voluntatis, qui per dictam cognitionem dictantur, jam habet aliquid ſupernaturale per quod poſſit in negotio ſuæ ſalutis procedere. Si autem non eliciat ejus vitio imputandum eſt; non Deo, qui & prædictum auxilium contulit, & paratus eſt ulteriora conferre ei, qui primo auxilio ſupernaturali rectè uſus ſit.

Reſponſio.

1. ad Tim. 2.

Per quod evaneſcit utraque probatio in contrarium: prima quidem, nam licet cognitio propria fidei & attingens objecta ſupernaturalia nequeat regulariter haberi abſque externa prædicatione; cognitio vero ſupernaturalis adeo imperfecta, bene poteſt haberi, & de facto habetur, quin illam externa prædicatio antecedat. Secunda etiam, quia cum prædicta illuminatio non manifeſtet objectum proprium fidei; adhuc relinquit myſteria, quæ ſunt fidei objecta, invincibiliter ignorata, niſi ulterior, & perfectior cognitio ſuccedat: unde non impeditur ex vi hujus, quod plures hominum maneſt infideles negativè.

Digitized by Google

Cum autem dicitur fidem eſſe initium totius negotij juſtificationis, non ſignificatur illa præcisè fides, quæ credit myſteria ſupernaturalia, ſed etiam illa illuminatio ſupernaturalis, quæ & eſt quoddam principium fidei, & ad eam reducitur, & diſponit: quod neceſſario admittendum eſt in cognitione ſupernaturali, quæ regulat affectum credendi, ut ſupra diximus *dub.*4. Quæ omnia licet videantur difficultates non leves involvere: tamen loco ſupra citato ex profeſſo ſatisfaciemus.

DUBIUM NONUM.

An homini facienti quod poteſt ex gratia naturali data per Chriſtum, Deus infallibiliter conferat gratiam ſupernaturalem.

Vazquez. 212. Ut liquido conſtet, in quo punctum difficultatis hic extricandæ conſiſtat, animadvertendum eſt Gabrielem Vazquez nobiſcum ſentire in deneganda ſufficientia naturæ ad primi auxilij ſupernaturalis conſecutionem. Sed quia prædictus Auctor nequivit, aut noluit agnoſcere nobilem, atque omnimodam hujus auxilij independentiam ab operibus naturæ; propterea viam novam excogitavit, qua componeretur hominem eliciendo opera moraliter bona ordinis naturalis, certa ſibi faceret ſupernaturalia auxilia, quin diceretur ea conſequi per ſolas naturæ vires, & independenter à gratia. *Status quæſtionis.* Nam ex una parte aſſerit cum Molina hominem per opera moraliter bona ordinis naturalis, utputa per opera miſericordię, poſſe conſequi ſupernaturalia auxilia: & ex alia parte docet prædicta opera nunquam fieri abſque gratia data per Chriſtum: autumat enim requiri gratiam ad quodcumque opus moraliter bonum ordinis naturalis, ut vidimus *diſp. præc. dub.* 2. Quo pacto exiſtimat ſuam ſententiam à Molinæ opinione longiſſimè abire, atque ab omni auctoritatis, & rationis pondere ſartam tectamque defendi. Cæterum quam falſum, & contra communem Theologorum ſententiam ſit illud fundamentum, cui hic Auctor fidit, late oſtendimus loco citato, ubi illud ex profeſſo convulſimus: quamobrem opus eſt, ut machina illi innixa vel abſque novo labore corruat. Sed ut evidentius conſtet falſitas, & inſufficientia modi à Vazquio excogitati; curabimus illum in præſenti evertere etiam ſine recurſu ad fundamenta in illo dubio præjacta. Et ita inquirimus, an Deus infallibiliter conferat auxilia ſupernaturalia homini facienti, quod eſt in ſe, ſeu bene operanti moraliter ex gratia naturali data per Chriſtum: eſto, quod ad hujuſmodi opera requiratur prædicta gratia.

§. I.

Eligitur negativa ſententia, & primo fundamento roboratur.

Concluſio. 213. Dicendum eſt homini facienti, quod eſt in ſe, ex gratia naturali data per Chriſtum, Deum non conferre infallibiliter gratiam ſupernaturalis auxilij. Hanc concluſionem docent communiter Auctores, quos dubiis præcedentibus pro noſtra ſententia citavimus, & præcipuè Joann. à S. Thom. 1. *part. quæſt.* 23. *diſp.* 8. *art.* 5. Cornexo *ibidem diſp. unica dub.* 3. Monteſinos *in præſenti diſp.* 32. *quæſt.* 4. *num.* 66. Cabrera 3. *part. quæſt.* 62. *art.* 1. *diſp.* 20. §. 10. Suarez *lib.* 4. *de auxiliis cap.* 14. Averſa 1. *part. quæſt.* 23. *ſect.* 12. & alij plures. *Joan. à S. Th. Cornexo. Monteſin. Cabrera. Suarez. Averſa.*

Fundamentum. Probatur primò ratione: quoniam actus non excedentes vires naturæ nequeunt conducere ad infallibilem conſecutionem ſupernaturalis auxilij: ſed actus naturales moraliter boni, licet dicantur fieri ex gratia data per Chriſtum, non excedunt vires naturæ: ergo prædicti actus nequeunt conducere ad infallibilem auxilij ſupernaturalis conſecutionem: ergo homini facienti, quod eſt in ſe, ex gratia naturali data per Chriſtum, Deus non confert infallibiliter gratiam ſupernaturalis auxilij. Hæc ſecunda conſequentia legitimè infertur ex prima. Iſta verò liquet ex præmiſſis. Major autem eſt expreſſa doctrina Concilij Arauſicani II. *can.* 7. ubi contra Semipelagianos determinat. *Quod ſi quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere poſſe confirmat, hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere.* *Conc. Arauſ.* Sed opera, quæ non excedunt naturæ vires, nõ excedunt naturæ vigorem, & quæ cõducunt ad conſecutionem auxilij ſupernaturalis, pertinent ad æternæ vitæ ſalutem, ut ex ipſis terminis conſtat: ergo actus non excedentes vires naturæ nequeunt conducere ad infallibilem conſecutionem ſupernaturalis auxilij. Minor etiam primi ſyllogiſmi eſt manifeſta: quoniam natura rationalis poteſt per vires proprias operari bene, & male moraliter, alias ex ſe, & ex propriis viribus eſſet determinata ad male moraliter operandum: & conſequenter non infirma, ſed mortua in ordine ad bonum moraliter diceretur: ergo opera moraliter bona, eſto fiant ex aliquali gratia data per Chriſtum, non excedunt vires naturæ.

Confirmatur. Confirmatur, & explicatur: quoniam ex eo, quod alij effectus, & operationes purè naturales ordinẽtur ad Chriſtum Dominum, vel ex ejus meritis conferantur ad electorum ſalutem; non propterea dicuntur excedere vires, & exigentiam naturæ; ſed poſſunt abſolutè fieri per naturæ vigorem, ut patet in pluvia, vel ſerenitate, & aliis beneficiis naturalibus, quæ fideles ſolent à Deo poſtulare nomine, & meritis Chriſti: poteſt quippè Deus conferre propter Chriſtum ea, quæ alias naturalem ordinem non tranſcendunt. Ergo ex eo, quod Deus ob merita Chriſti, vel propter ejus gloriam exhibeat concurſum naturalem, qui ad opera naturalia moraliter bona deſideratur (quem concurſum Vazquez appellat *gratiam*) minimè infertur, quod hujuſmodi operationes excedant vires, & vigorem. *Vazquez.* Nam ſicut ille intrinſecus reſpectus ad merita, vel gloriam Chriſti non facit; quod prædicta opera varientur intrinſecè, aut deſinant eſſe naturalia; ita nec facit, quod intra vires, & vigorem naturæ non contineantur. Ergo quantumvis hæc opera dicantur fieri ex gratia, vel potius concurſu dato per Chriſtum; adhuc fiunt per naturæ vigorem. Nihil autem, quod per naturæ vigorem fit, pertinet ad ſalutem vitæ æternæ, ut Arauſicanum diffinit: ergo Deus non confert infallibiliter gratiam ſupernaturalem homini operanti bene moraliter ex gratia data per Chriſtum.

Vazquij effugium. 214. Reſpondet Vazquez opera naturalia moraliter bona non fieri per ſolum naturæ vigorem, ſed exigere ulteriorem, & ſpecialem gratiam: nam licet homo habeat potẽtiam ad bene, & male moraliter operandum; tamen prædicta potentia non eſt ex ſe determinata ad rectam operationem, ſed manet ſimpliciter indifferens ad utramlibet: unde

Digitized by Google

unde poſſet citra injuriam permitti male moraliter operari. Quod igitur ſpecialiter applicetur à Deo ad operationem rectam media aliqua ſubita cogitatione, quam ipſe vocat *congruam*, & *ſanctam*; nequit non rationem ſpecialis gratiæ ſortiri. Et conſequenter opera moraliter bona non fient ex ſolo naturæ vigore, ſed etiam ex gratia, data utique per Chriſtum, ad cujus gloriam hæc omnia de facto ordinantur. In quo plurimum differt natura rationalis ab aliis naturis: eæ quippe ſunt ex ſe determinatæ ad peculiarem operationem; unde petunt ex ſe ad illam determinate applicari; quin Dei concurſus ſuperet earum exigentiam, vel habeat rationem gratiæ. Cujus oppoſitum ob oppoſitam rationem in creaturis rationalibus dicendum eſt.

Prima impugnatio. Hæc eſt in ſumma tota cogitatio Vaſquij, quam tamen evertimus diſputatione citata: quoniam ſi ſemel natura humana eſt ex ſe indifferens ad bene, & male moraliter operandum; nequit non exigere concurſum Dei ad operandum quandoque moraliter bene, & quandoque moraliter male: omnis quippe virtus ſicut inclinat ad actum adæquatum ſibi correſpondentem, ita exigit concurſum deſideratum ad exercitium illius, quin prædictus concurſus habeat rationem gratiæ. Unde quemadmodum cauſæ determinatæ debetur concurſus ad determinatum actum, ut puta calori ad calefaciendum: ita virtuti potenti elicere diverſas, & contrarias operationes debetur concurſus quandoque ad unam, & quandoque ad aliam. Et ideo ſicut non eſt injuria, quod Deus permittat aliquando hominem male moraliter operari; ſed oppoſitum eſſet providentia extraordinaria: ita nec eſt gratia, quod aliquando moveat hominem ad operandum bene moraliter; ſed potius oppoſitum eſſet denegatio debitæ providentiæ, & quoddam violentiæ genus. Ergo concurſus Dei ad opera naturaliter bona non eſt proprie loquendo gratia: eſto aliquando ſit beneficium utcumque datum per Chriſtum, ſicut quod hoc, vel illo tempore pluat. Et conſequenter ſi homo bene moraliter operans ex hoc ipſo faceret ſibi certam communicationem ſupernaturalis auxilij; jam non per gratiam, ſed per naturæ vigorem operaretur aliquid pertinens ad æternæ vitæ ſalutem: quod damnat Concilium Arauſicanum.

Alia impugnatio. 215. Sed eſto (ut ſic independenter à dictis loco citato Vaſquium impugnemus) gratis admittamus prædictum concurſum eſſe gratiam: adhuc tamen ejus opinio non effugit determinationem Concilij, ſed ſub ejus damnatione comprehendi videtur. Quia licet concurſus Dei ad operationem moraliter bonam eſſet gratia, nihilominus prædicta operatio fieret ſimpliciter per naturæ vigorem: ſed homo nequit per naturæ vigorem operari aliquid pertinens ad ſalutem, ut Concilium determinat: ergo prædicta operatio tametſi dependens à gratia concurſus actualis Dei, ad ſalutem non pertineret: & conſequenter deſervire non poſſet, ut homo conſequeretur gratiam ſupernaturalis auxilij. Cætera conſtant, & major oſtenditur: quia vigor naturæ nihil aliud ſignificat, quam vires, & virtutem naturæ: ſicut vigor cujuſcumque cauſæ ſignificat facultatem, & potentiam prædictæ cauſæ: ſed concurſus Dei determinans naturam ad operandum bene moraliter, quem Vaſquez appellat gratiam, nullas confert naturæ vires, aut virtutem ad operandum: ergo operatio ſubſecuta fit ſimpliciter per vigorem ſolius naturæ. Probatur minor: quia prædictus concurſus eſt applicatio, ſeu reductio virtutis naturæ exiſtentis de ſe in actu primo ad actuale exercitium operandi: ſicut concurſus Dei cum calore eſt reductio, & applicatio virtutis calefactivæ ad actum calefaciendi: atqui reductio, & applicatio virtutis operativæ non confert vires, & facultatem prædictæ virtuti: ergo concurſus Dei determinans naturam rationalem ad operandum bene moraliter non confert vires, atque virtutem naturæ. Præſertim quia vires, virtus, facultas, & vigor cujuſcumque cauſæ ſignificant actum primum: concurſus autem ad operandum pertinet ad actum ſecundum: ergo concurſus Dei cum natura non præſtat vigorem naturæ; ſed virtutem illi inſitam applicat, & reducit ad exercitium: ergo licet operatio naturalis moraliter bona dependeat à gratia actualis concurſus, nihilominus fit per vigorem naturæ. Et conſequenter per hoc, quod dicatur prædictam operationem fieri ex gratia data per Chriſtum, nequit vitari, quod fiat per naturæ vigorem, & quod aliquid per prædictum vigorem factum pertineat ad ſalutem.

Urgetur hoc amplius: quia ſi homo conderetur in ſtatu integritatis naturalis, poſſet ex vigore prædicti ſtatus elicere operationes moraliter bonas: nam quidquid ſit, utrum homo in ſtatu naturæ lapſæ habeat vires ſufficientes ad operandum bene moraliter, tamen in confeſſo eſt apud omnes Theologos, quod illas haberet in ſtatu prædictæ integritatis: & nihilominus homo etiam ex ſuppoſitione illius ſtatus adhuc indigeret concurſu actuali Dei, per quem ejus vis operativa determinaretur, & reduceretur ad exercitium operandi bene moraliter: nequit enim creatura rationalis, & libera in ullo ſtatu ab hac dependentia abſolvi: ergo ex eo, quod operatio naturalis moraliter bona dependeat ab actuali Dei concurſu, quem Vaſquez appellat *gratiam*, non excluditur, quod prædicta operatio fiat abſolute per vigorem, & facultatem naturæ. Idemque poteſt explicari exemplo exiſtentis in charitate, ex cujus vigore poteſt bene moraliter, & ſupernaturaliter operari; licet actu operetur cum dependentia ab actuali Dei concurſu. *Roboratur præcedens impugnatio.*

Ad hæc: quamvis juxta illam Vaſquij doctrinam ſalvetur hominem nunquam operaturum eſſe bene moraliter abſque concurſu actuali Dei, quem ipſe gratiam appellat; tamen etiam ſalvatur, quod abſque illo concurſu habeat poſſe proximum ad bene moraliter operandum; ſiquidem prædictus concurſus pertinet ad actum ſecundum, & ſupponit poſſe, ſive actum primum: ergo quamvis homo nunquam bene operabitur per ſolum vigorem naturæ, quin ſimul adſit illa gratia, ſeu concurſus Dei; nihilominus ex ſolo vigore naturæ poterit operari bene moraliter, ſeu elicere illas operationes, quibus ſibi certam faciat conſecutionem ſupernaturalis auxilij: atqui Concilium Arauſicanum damnat non ſolum aſſerentes hominem per vigorem naturæ facere aliquid pertinens ad ſalutem; ſed etiam aſſerentes, quod homo per vigorem naturæ habeat poſſe ad eliciendas operationes, quæ ad ſalutem conducunt: ergo per illam evaſionem non vitatur, quin aſſertio hujus Auctoris comprehendatur ſub damnatione Concilij. Minor ſubſumpta conſtat tum ex ipſis Concilij verbis. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare, ut expedit, aut eligere poſſe confirmat*, &c. tum ex teſtimoniis,

Digitized by Google

quæ in confirmationem huius veritatis adducit, & ſunt huiuſmodi: *Sine me nihil poteſtis facere, & ſufficientia noſtra ex Deo eſt:* quæ non operationem, ſed actum primum important, & hunc aſſerunt haberi per gratiam in his, quæ pertinent ad ſalutem.

Tandem refellitur prædicta evaſio argumento ad hominem, ſupponendo prius duo principia huic Auctori, & illius aſſeclis in præſenti materia familiaria. Primum eſt cogitationem illam præviam, in quo Vaſquez conſtituit gratiam pro quolibet opere moraliter bono requiſitam, ſolum habere gratiæ rationem, quando eſt congrua, hoc eſt, quando confertur in illo tempore, & circumſtantiis, ſub quibus prævidetur, quod effectum ſit habitura. Secundum eſt prædictam congruitatem non conſiſtere in aliqua efficacia antecedenti, ſive in eo, quod cognitio habeat in ſe vim ad inferendum infallibiliter bonum opus morale; ſed tantam importare efficaciam conſequentem, & dependentem à libero exercitio voluntatis: dicitur enim efficax, & congrua per denominationem ab opere prævio in præſcientia, & ſubſecuto in executione, quod ſecundum hoc munus potius præcedit, & eſt ratio, ut illa cogitatio gratia efficax appelletur.

Ex iis ergo principiis ita arguitur: quoniam opera naturalia moraliter bona eatenus poſſunt conducere ad conſequenda auxilia ſupernaturalia, quatenus dicuntur fieri ex gratia data per Chriſtum: & rurſus in tantum fiunt ex gratia data per Chriſtum, in quantum dependent à cogitatione, ut congrua: atqui cogitatio habet eſſe congrua, ſaltem in exercitio, non ex ſe, & quatenus deſcendit à Deo, ſed ex vigore naturæ, quæ ipſam cogitationem determinat, & denominat efficacem: ergo de primo ad ultimum ſi opera naturalia moraliter bona habent conducere ad conſecutionem auxiliorum ſupernaturalium; tota hæc conducentia reducenda tandem eſt ad naturæ vigorem: & conſequenter admittendum eſt poſſe hominem per vigorem naturæ elicere operationes conducentes ad ſalutem. Quæ fuit propria Semipelagianorum ſententia damnata à ſacro Concilio.

Corollarium.

116. Ex quibus fit, quod licet ſententiæ Molinæ, & Suarij dubiis præcedentibus relatæ debeant omnino rejici, ut non cohærentes veritati, ac dignitati gratiæ, & Patrum, ac Conciliorum decretis; potiori tamen jure propulſanda ſit Vaſquij opinio, ut quæ ſub pietatis velo plura continet abſurda. Illi enim cum agnoſcant opera naturalia non fieri ex aliqua vera gratia, neque excedere vigorem naturæ, cum majori cautela, & moderatione procedunt: & negant, ſaltem verbis, quod auxilia ſupernaturalia ſubſequantur ad opera naturalia tanquam ad meritum de congruo, aut veram diſpoſitionem: aſſeruntque prædicta opera ſolum ſe habere vel per modum conditionis ex lege Dei, vel per modum removentis prohibens. Iſte vero, ſuppoſita illa neceſſitate gratiæ, quam pro operibus naturalibus ſingulariſſimè excogitavit, liberius in aliis aſſertis procedit: concedit enim prædicta opera impetrare, & mereri ſaltem de congruo, auxilia ſupernaturalia, & conducere ad ſalutem. Unde omnis illa pietas, quam prætendebat, dum aſſeruit neceſſitatem gratiæ pro minimis etiam operibus moraliter bonis, eo tandem devenit, ut per minima opera naturalia dicamur certam nobis facere conſecutionem ſupernaturalis auxilij. Quod, ut ſuſpicamur, minimè negarent Semipelagiani; ſed Vaſquio libenter manus in hac cauſa darent, & cum ipſo facile convenirent. Quippe illorum aſſertum fuit hominem per opera naturalia moraliter bona, quæ de facto elicit, & quorum plura recenſet Arauſicanum II. *can. 6.* conſequi auxilia ſubſequentia, & ſupernaturalia. An autem hæc opera naturalia fiant ex quadam gratia entitativa naturali, & an cognitio eis deſerviens ſit gratia ſpecialis, & denique an hæc omnia ordinentur ex providentia extrinſeca propter Chriſtum, parum, vel nihil eos referebat; dummodo ipſis concederetur, hominem de facto per opera naturalia mereri, aut impetrare ſupernaturalia auxilia. Unde nec ipſi de illa gratia naturali diſputarunt, nec in hoc reprehenduntur à Patribus, nec illorum aſſerta damnant in hoc ſenſu Concilia. Vaſquij ergo cogitatio vel videtur eadem cum Semipelagianorum ſententia, vel ſaltem eam non impugnat, ſed relinquit intactam, dum non agnoſcit omnimodam gratiæ ſupernaturalis independentiam ab operibus naturæ, & inconnexionem cum illis.

§. II.

Eadem veritas iterum communitur.

Expenditur alia ratio.

217. Secundo probatur noſtra concluſio alio fundamento ſatis efficaci: quoniam ſi opera naturalia moraliter bona facta ex gratia naturali data per Chriſtum certo, & infallibiliter conſequerentur auxilia ſupernaturalia; ſequeretur prædicta opera eſſe initium noſtræ juſtificationis: conſequens eſt abſurdum: ergo prædicta opera quantumcumque dicantur fieri ex gratia per Chriſtum, non conducunt ad infallibilem auxiliorum ſupernaturalium conſecutionem. Sequela eſt manifeſta: quia auxilia ſupernaturalia diſponunt, & conducunt ad juſtificationem: ergo ſi opera naturalia habent vim conſequendi prædicta auxilia, ſequitur, quod opera naturalia ſint initium juſtificationis. Nec id negat Vaſquez; cum expreſſe dicat opera naturalia moraliter bona poſſe impetrare, & mereri de congruo auxilia ſupernaturalia. Quinimo ex eo probat prædicta opera indigere gratia ſpeciali data per Chriſtum, quia conducunt ad juſtificationem meritorie, & impetrative, ut tradit *in præſenti diſputatione 190. cap. 11.* licet alibi oſtendat hujuſmodi opera poſſe ad juſtificationem deſervire, quia fiunt ex gratia data per Chriſtum. In quibus aſſertis, an alias vitioſo circulo procedat, Lector facile dignoſcet. Falſitas autem conſequentis oſtenditur: quia illud, quod antecedit omnem fidem infuſam, proprie, vel improprie acceptam, prout importat aliquam illuminationem ſupernaturalem, nequit eſſe initium juſtificationis: ſed opera illa naturalia moraliter bona fidem infuſam antecedunt, ut ex ſe liquet: ergo nequeunt eſſe initium juſtificationis. Probatur major ex Concilio Trident. *ſeſſ. 6. cap.8.* ubi hæc habentur: *Cum vero Apoſtolus dicit juſtificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis:* Ergo actus antecedentes fidem infuſam nequeunt dici initium juſtificationis. Vel ſi ipſi habent initij rationem, tollitur à fide, quod ſit juſtificationis initium: quod eſt expreſſe contra Concilium.

Conc. Trid.

218. Nec

Digitized by Google

Vaſquij effugium.

118. Nec refert primo, ſi huic argumento reſpondeas primo cum Vaſquez *diſp. cit. cap.* 12. *num.* 132. negando minorem: & ad illius probationem dicas, ideo Concilium Tridentin. aſſerere, quod fides eſt initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, quia in omnibus juſtificatio debet ut minimum à fide incipere: cum quo tamen recte cohæret, quod in aliquibus incipiat ab operibus naturalibus moraliter bonis factis ex gratia data per Chriſtum. Nam cum hujuſmodi opera non neceſſario debeant juſtificationem præcedere; non tollitur à fide, quod, per ſe loquendo, ſit initium, & radix omnis juſtificationis: & hoc tantum intendebat Concilium.

Præcluditur & refellitur.

Hæc, inquam, reſponſio nullo modo ſatisfacit, nec ſuſtineri valet: tum quia abſque ulla urgenti ratione, & abſque Doctorum ſuffragio, ſed potius contra communem aliorum expoſitionem limitat doctrinam generalem Concilij: quod non levem præſeferre videtur temeritatē. Tum etiam, quia directe contradicit verbis, & menti Concilij: determinat enim, quod *fides eſt radix omnis juſtificationis*: ergo nulla eſt juſtificatio, cujus fides non ſit radix: ſed juxta opinionem oppoſitam dantur aliquæ juſtificationes, quæ primo radicantur in operibus moralibus factis ex gratia data per Chriſtum, & antecedentibus fidem: ergo, &c. Tum præterea, quia ſi vera foret ſententia oppoſita, non raro, & per accidens, ſed frequenter, & per ſe loquendo opera moraliter bona eſſent principium juſtificationis: nullus quippe, aut rarus eſt adultus, qui ante fidem, & juſtificationem non exercuerit aliqua opera moraliter bona, ſaltem facilia, ut honorare parentes, viſitare infirmum, ſubvenire indigenti, & alia: ſi ergo opera moraliter bona facta ante fidem ſunt initium iuſtificationis; ſequitur, quod communiter, & per ſe loquendo radix iuſtificationis ſit in illis operibus, & non in fide: quod ſuſtineri non poteſt, cum falſam reddat determinationem Concilij. Tum deinde, quia Semipelagiani non negabant, quod fides frequenter ſit initium juſtificationis; ſed id libenter admittebant, ut videre eſt apud Caſſianum *collat.* 13. *cap.* 12. & tamen quia docuerunt opera moralia quandoque procedere, & mereri ipſam fidem, eſſeque ſubinde principium juſtificationis; reprehenduntur, & reprobantur à Patribus, ut conſtat ex D.Proſpero *libro contra Collatorem cap.* 37. ubi inter alia inquit: *Fruſtra ergo, ut invidiam damnati erroris evadas, ſummam ſalutis negas in fidei noſtræ ditione conſiſtere: cum omnino ſalus niſi ex fide eſſe non poſſit: Iuſtus enim ex fide vivit.* Ergo per hoc, quod dicatur juſtificationem frequenter, aut frequentius incipere à fide, quam ab operibus moraliter bonis; nec receditur à Semipelagianorum errore, nec ſatiſfit intentioni Concilij. Tum denique, quia ſi non obſtante determinatione illa Concilij aſſerentis fidem eſſe radicem omnis juſtificationis; licet aſſerere fidem non ſemper, & ubique habere rationem radicis, ſed tantum communiter, & per ſe loquendo: ergo pari licentia, quamvis Concilia determinent gratiam eſſe initium omnis juſtificationis, poterit quis interpretari, quod gratia habet rationem initij communiter, & per ſe loquendo; non tamen ita univerſaliter, ut ſaltem raro, & per accidens natura non ſit initium juſtificationis, ita ut homo viribus naturalibus gratiam conſequatur: conſequens nemo Catholicorum admittet; cum latiſſimam viam aperiat ad infirmanda Conciliorum decreta: ergo antecedens eſt prorſus abſurdum, & rejiciendum.

D.Proſper

Alia evaſio.

219. Nec refert ſecundo, ſi eidem argumento iterum reſpondeas, quòd licèt fides ſit radix, & fundamentum iuſtitiæ, minime excluditur, quod ipſam fidem præcedat alterum fundamentum, nimirum bona operatio moralis, quæ mediante fide fundet, & radicet iuſtificationem. Præſertim cum Patres, & Concilia non negent, ſed potius ſupponant ante aſſenſum, & infuſionem fidei præcedere gratiam vocationis ad fidem, inſimul & affectum credendi. Porro hæc vocatio, alia eſt omnino proxima, videlicet, quæ immediatè regulat prædictum affectum: alia vero eſt remota, quæ nimirum incitat ad exercitium bonorum operum moralium, quibus homo impetrat, aut meretur gratiam fidei. Cum ergo aſſeritur fidem eſſe radicem iuſtificationis, fidei voce comprehenditur gratia vocationis ad fidem tam proximæ, quam remotæ: unde non excluditur, quod opera moraliter bona, quæ media vocatione remota fiunt, ingrediantur rationem radicis, & fundamenti iuſtificationis, non minus ac ipſa vocatio. Quæ reſponſio videtur habere fundamentum in Divo Auguſtino: nam *lib.* 83. *quæſtione* 63. ubi inquit: *Nunquid ergo latebat Pharaonem, quantum boni conſequuta fuerint terra illa per adventum Ioſeph? illius ergo rei geſtæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Iſraël miſericordiæ tractans, non eſſet ingratus,* &c. Conſtat enim cognitionem illam fuiſſe naturalem, & non excitaſſe Pharaonem immediate, ut crederet, ſed ut efficeret alia opera moraliter bona, quæ exercens ulteriorem, ac ſupernaturalem fidei illuminationem aſſequeretur.

D. Auguſt.

Confutatur.

Hæc, inquam, evaſio parum refert, & plura falſa continet, quæ poſſumus efficaciter refellere. *Primò*, quia niſi impropriiſſime vocibus utamur, id, quod in aliqua linea habet rationem radicis, & fundamenti, nequit in eadem linea radicari, atque fundari: atqui reſpectu totius ædificii ſpiritualis fides appellatur radix, & fundamentum, ut conſtat tum ex verbis Tridentini ſupra relatis, tum ex pluribus SS. Patrum teſtimoniis, quæ in eiuſdem locutionis confirmationem refert Vega *libro* 8. *in Tridentini capite* 8. ergo fides ita eſt radix, & fundamentum iuſtificationis, ut non fundetur in operibus moralibus, quæ ipſam fidem præcedunt. Niſi velimus Patres, & Concilia improprie, & metaphorice in re adeo gravi loquutos fuiſſe. Cui doctrinæ minime adverſatur, quod actus fidei infuſæ ſupponat alios actus ſupernaturales, videlicet affectum credendi, & ſanctam cogitationem, ſeu iudicium regulans illum affectum: ex quo videtur deduci, quod fides non ſit radix omnino prima iuſtificationis, & cui repugnet aliud quodcumque initium ſupponere. Hoc, inquam ſuperius dictis non adverſatur: quia quando Patres, & Concilia dicunt fidem eſſe radicem iuſtificationis, non loquuntur de actu fidei, ut eſt metaphyſice unicus actus, importans præciſe in recto aſſenſum ad rem revelatam: ſed loquuntur de actu fidei adæquate, & moraliter accepto: qua ratione complectitur tam affectum credendi, quam iudicium à quo ille affectus regulatur. Quod ſupra *dub.* 4. ex profeſſo docuimus, & Concilii Tridentini, & Divi Auguſtini, atque aliorum Patrum auctoritate firmavimus. Unde licet autem aſſenſus fidei radicetur, & fundetur in affectu credendi, & iudicio eum regulante; tamen fides, ut aſſenſum, affectum, & iudicium complectitur, non fundatus

Vega

fundatus

datur in alia radice, ſed eſt radix totius ædificij ſpiritualis. Unde vana eſt illa diſtinctio vocationis proximæ, & remotæ ad fidem: nam cogitatio pure naturalis, & de bonis operibus naturalibus nullo modo fundat, aut radicat fidem: & ſi illam fundaret non relinqueret locum, ut fides diceretur initium, & radix juſtificationis. Auctoritas autem Auguſtini oppoſitum non ſuadet: quia ſi ſemel illa Pharaonis cognitio fuit mere naturalis, non habuit rationem vocationis etiam remotè ad fidem: ſed tantum deſeruit, ut eliceret bona opera naturalia. Quæ quia non fecit, indignum ſe præbuit, ut reciperet ſupernaturalia auxilia. Unde ſubdit ſanctus Doctor: *Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, ſed exercuit credulitatem in eis, quibus humanitas, & miſericordia debebatur, meruit pœnam, ut induraretur illi cor*, videlicet per denegationem ſupernaturalis auxilij. Ex quo tamen non fit, quod eliciendo bona opera illud mereretur, aut impetraret: quia licet homo peccando dona gratiæ demereatur, illa tamen non meretur ex eo, quod eliciat bona opera naturalia, ut ex dubiis præcedentibus ſatis conſtat.

Impugnatur amplius. 220. *Secundò* impugnatur doctrina hujus ſolutionis: quia non eſt explicabile, qualiter actus naturales moraliter boni ſint radix, & principium juſtificationis, niſi quatenus merentur, aut impetrant vocationem ad fidem, & ipſam fidem, atque alia auxilia ſupernaturalia: id, quod Vaſquez libenter admittit: atqui prædicta opera naturalia nequeunt mereri, vel impetrare fidem, & alia dona: ergo nequeunt eſſe radix, & initium juſtificationis: & conſequenter homo eliciens hujuſmodi opera ex gratia data per Chriſtum non facit ſibi certam auxiliorum ſupernaturalium conſecutionem. Minor probatur: quia omnia opera facta ſine fide, vel ante fidem nullam habent vim impetrandi, aut merendi dona gratiæ: ergo opera naturalia moraliter bona facta ante fidem nullo modo merentur, aut impetrant fidem, & alia auxilia ſupernaturalia. Antecedens oſtenditur

Ad Rom. 3. tum ex Apoſtolo *ad Roman.* 3. ubi omnia opera, quæ fiunt ſine fide, appellat opera legis, nullum agnoſcens medium inter opera legis, & opera fidei, ut conſtat ex toto diſcurſu, ſemper enim contraponit fidem, & opera fidei: *atqui ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo: & è converſo iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum, ut inquit idem Apoſtolus loco citato:* ergo opera antecedentia fidem nullam habent vim impetrandi, vel merendi dona, quæ ad juſtificationem ſpectant. Tum etiam quia ita docent ex-

Auguſt. preſſè SS. Patres Auguſt. *epiſt.* 105. *Si dixerimus*, inquit, *ante fidem præceſſiſſe meritum gratiæ: quid meriti habebat homo ante fidem, ut acciperet fidem?*

Ambroſius. Ambroſius, *lib.* 7. *in Luc. ad cap.* 11. *Opera ſine fide vana ſunt*, utique in or-

D. Proſper. dine ad finem ſupernaturalem. Divus Proſper *libro* 3. *de vita contemplativa cap.* 21. inquit: *Fides eſt iuſtitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt, ſed ex qua omnia procedunt, & lib.* 1. *de vocatione gentium cap.* 24. docet Fidem nullis præcedentibus meritis tribui, ſed ad hoc donari, ut principium poſſit eſſe meritorum.

D. Thom. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 4. *ad* 3. inquit: *De Cornelio ſciendum eſt, quod infidelis non erat: alioquin eius operatio accepta non fuiſſet Deo, cui ſine fide nullus poteſt placere.* Et eodem modo loquuntur cæteri Patres, ac Theologi, & quod

Conc. Arauſ. plus eſt, eandem veritatem docet Concilium Arauſic. 2. *can.* 25. *poſt medium*, his verbis: *Ipſe, nempe Deus, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat.* Ergo nulla opera antecedentia fidem, quantumvis dicantur fieri ex gratia data per Chriſtum merentur, & impetrant fidem, & reliqua dona ſupernaturalia. Quod adeo expreſſe traditur à Patribus, & Concilio, ut neſciamus, quomodo Vaſquez ab ingenti nota excuſetur, dum palam docet opera moraliter bona mereri, & impetrare tam fidem infuſam, quam reliqua ſupernaturalia auxilia. Tum denique probatur idem antecedens ratione, quia opera naturalia, quæ adſtruit Vaſquez, nihil intrinſecum ſupernaturale habent, nec ſunt alterius rationis, aut perfectionis, ac eſſent, ſi in ſtatu purorum elicerentur: quod enim dicantur fieri ex providentia gratiæ per merita Chriſti, eſt denominatio pure extrinſeca relinquens prædicta opera invariata in ſuo eſſe, & perfectione: ergo hujuſmodi opera nullam habent congruitatem intrinſecam, ut acceptentur à Deo in ordine ad præmium ſupernaturale: ergo abſque fundamento aſſeritur, quod mereantur, & impetrent ſupernaturalia auxilia.

221. Dices: quamvis opera facta ſine fide, & ſine ordine ad fidem, nequeant dona ſupernaturalia mereri, vel impetrare; illa tamen opera, quæ fiunt ex intentione conſequendi fidem, queunt conſequi tam fidem, quam alia auxilia: ſed poteſt homo opera naturalia moraliter bona ordinare ad fidem ut conſequendam: ergo poterit per prædicta opera fidem, & alia dona ſupernaturalia conſequi. Conſequentia eſt legitima. *Objectio.*

Majorem vero, imo & minorem docet D. Gregorius hom. 9. in Ezechiel. his verbis: *Nec fides ſine operibus, nec opera adjuvant ſine fide, niſi fortaſſe pro fide accipienda fiant. Sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audire, quam fidelis exiſteret:* qua ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebat. *D. Gregor.*

Solutio. Reſpondetur negando majorem intellectam de operibus factis ante omnem fidem: hæc quippe nullam vim habent meritoriam, aut impetrativam donorum ſupernaturalium, ut hactenus viſum eſt. Nec oppoſitum docet Divus Gregorius, ſed tantum intendit, quod per opera elicita ante fidem explicitam, & perfectam, vel ante Baptiſmum, facta autem ex fide ſupernaturali, licet imperfecta, & confuſa, poteſt homo mereri, quod Deus illi conferat perfectiorem notitiam myſteriorum fidei, & acceſſum ad Baptiſmum. Quam doctrinam tradit expreſſè S. Doctor *hom.* 19. ejuſdem operis, ubi de Cornelio loquens hæc habet: *Si Deum vere, & ante Baptiſmum non crediderat, quid orabat? Vel quomodo hunc Omnipotens Deus audierat? Non enim poterat bona agere (videlicet meritoria, aut conducentia ad ſalutem) niſi antea credidiſſet: ſcriptum namque eſt, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Fidem ergo habuit, cuius opera, & eleemoſyna placere potuerunt: bona autem operatione meruit, ut Deum perfectè cognoſceret, & Incarnationis eius myſterium crederet, quatenus ad ſacramentum baptiſmi perveniret. Per fidem ergo venit ad opera; ſed per opera eſt ſolidatus in fide.* Hæc optimè D. Gregorius per quæ ſuperius dicta corroborantur, & meritum ante omnem fidem excluditur. *D. Gregor.*

§. III. *Re*

§. III.

Refertur ſententia contraria.

Sententia Vaſquij. 221. Contrariam nobis ſententiam tuetur Vaſquez *1. p. diſp.91. cap.12. & in hac 1.2. diſp.190.* ubi *num.102.* inquit: *Operibus moralibus factis ſolum ex fine, & honeſtatis virtutis moralis dona divinæ gratiæ à Deo obtineri ſatis, ſuperque à nobis monſtratum eſt.* Quibus verbis *Factis ſolum ex fine*, &c. apertè declarat ſe loqui de operibus prorſus naturalibus, & quæ nullam elevationem, aut modum habent ordinis divini: quibus tamen attribuit vim obtinendi gratiam. *Motiva. Primum.* *Primum* motivum hujus ſententiæ deſumitur ex pluribus auctoritatibus, quas Vaſquez uſque ad nauſeam congerit, in quibus aſſeritur neceſſariam eſſe gratiam ad quodlibet opus bonum morale. Huic autem motivo ſatis occurrimus *diſp. præced. dub.7.* ubi latè oſtendimus in prædictis teſtimoniis ſermonem eſſe, non de operibus moralibus ab omni modo intrinſeco ſupernaturali nudatis, ſed intelligenda eſſe vel de operibus moralibus virtutum infuſarum, vel de operibus naturalibus quatenus ex imperio fidei, vel charitatis induunt aliquem modum ſupernaturalem, ratione cujus ad negotium juſtificationis conducunt. Occurrimus etiam eidem motivo in hoc *dub.* §.2. ubi ſtatuimus, gratiam deſideratam (ſi ſemel deſideratur) ad opera moralia virtutum acquiſitarum inſufficientia eſſe ad obtinendam gratiam ſupernaturalis auxilij. *Secundum.* *Secundum* ejuſdem ſententiæ motivum colligitur ex quibuſdam ſacræ Scripturæ teſtimoniis, in quibus repromittitur gratia, & divina miſericordia iis, qui opera moralia exercent. Sed iſtud etiam fundamentum diluimus *in hac diſp. dub.6.* ubi oſtendimus prædicta teſtimonia interpretanda fore vel de operibus moralibus ſupernaturalibus, vel de naturalibus, elevatis tamen per aliquem modum ordinis divini.

Tertium. Tertium denique, & ultimum motivum prædictæ opinionis eſt: quoniam ex una parte opera naturalia elicita ſine omni gratia non conducunt ad conſecutionem auxiliorum ſupernaturalium, nec per modum diſpoſitionis, nec per modum removentis impedimenta, ut tribus dubiis præcedentibus late à nobis oſtenſum fuit. Ex alia vero parte incredibile videtur, & intellectu eſt difficillimum, quod Deus omnibus hominibus conferat auxilia ſupernaturalia: nam plures ſunt barbari, qui nihil unquam audierunt de fide, quæ eſt fundamentum, & radix cujuſcumque ſupernaturalis auxilij. Unde vel dicendum erit Deum non conferre omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem; quod ejus miſericordiam dedecet: vel concedere oportet gratiam naturalem conſiſtentem in cogitatione congrua requiſita ad quodlibet opus bonum morale, & qua nullus hominum deſtituitur, eſſe ſufficientem ad conſequenda auxilia ſupernaturalia, & inchoandum negotium ſalutis. Sed huic etiam motivo ſufficienter reſpondimus *dub. præced.* §. 2. unde non obligamur ejdem iterum ſatisfacere. An autem, & quomodo Deus conferat omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, infra ex profeſſo dicemus *diſp.6. de gratia ſufficienti*, ubi difficultas, quæ hic tangitur, proprium ſibi vendicat locum.

Hic ſolet diſputari, utrum homo indigeat gratia ſupernaturali ad merendum vitam æternam, de quo agit D. Thom. *art.5.* Sed hujus difficultatis *D. Thom.* deciſio ſatis habetur ex dictis, & amplius conſtabit ex dicendis: nam illam ex profeſſo diſcutiemus *Tract. de Merito diſp. 3. dub. 1.* Unde progredi oportet ad expoſitionem aliorum, quibus D. Th. præſentem quæſtionem abſolvit.

DUBIUM DECIMUM.

Utrum exiſtens in gratia indigeat ulteriori auxilio ad bene operandum.

222. SUccedebat, ut poſt dubia immediate præcedentia ſtatim exponeremus, quibus diſpoſitionibus, & quali gratia indigeat homo ad conſequendum ſtatum juſtitiæ: quam difficultatem tangit D.Thom. *in præſenti art.7.* Sed hæc dubia commodius cum eodem S. Doctore verſabimus infrà *Tract. de Iuſtificat. diſp. 2. & 3.* Unde hic ſupponendum eſt, quod homo adeptus fuerit juſtificationis gratiam; & videre oportet, an ſemel in hoc ſtatu conſtitutus egeat aliquo ſpeciali auxilio ad peragendum negotium ſalutis, ut puta ad obſervandum præcepta tam naturalia, quam ſupernaturalia, ad eliciendum ſupernaturales operationes, ad reſiſtendum tentationibus, & ad perſeverandum in gratia. *Punctum difficultatis.* Et quidem de neceſſitate ſpecialis auxilij ad perſeverantiam agemus *dub. ſeq.* alia vero per ly *ad bene operandum*, quod titulus habet, comprehenduntur; ne diverſa dubia in re haud valde obſcura excitemus.

In qua difficultate quaſi certum omnino præmittimus, quod homo reparatus per gratiam non habet minores vires, ac haberet homo conditus in puris: retinet enim eaſdem facultates naturales, & inſuper exornatur, ac roboratur per gratiam ſanctificantem, & virtutes eam conſequentes. Nec obeſt, quod homo juſtificatus à peccato ſoleat retinere habitus vitioſos, & diaboli tentationibus concuti: quibus miſeriis non ſubjiceretur, quandiu ſtatum purorum conſervaret. Nam hujuſmodi defectus ſatis ſuperque compenſantur tum viribus gratiæ, & habituum ſupernaturalium inclinantium ad bonum, & vitiis ipſis, ac toti ſuppoſito ſimpliciter dominantium; tum Sanctorum Angelorum cuſtodia, aliiſque ſubſidiis ſtatui juſtitiæ correſpondentibus. Unde quidquid poſſet homo conditus in puris, fatendum eſt, quod poſſit homo juſtus per vires, & auxilia generalia, quæ gratiæ ſtatui debentur, vel quæ ipſe ſtatus ſupponit, connotat, aut conſervat. Quocirca cum homo in puris conditus poſſit ſingula præcepta diviſive, & prout occurrent, & ſingulis tentationibus gravibus eodem modo acceptis reſiſtere, ut diximus *diſput. præced. dub. 5. & 8.* Conſequens eſt, ut id ipſum debeat concedi homini reparato per gratiam, ſaltem quando præceptum, & tentatio ſunt in materia mere naturali. Nec in hoc oportet immorari; cum nulla hic occurrat ſpecialis difficultas, quæ ex dictis locis citatis facile dilui non poſſit. Unde ſolum ſupereſt examinandum, an juſtus indigeat ſpeciali auxilio ad obſervandum Dei legem longo tempore, & ad eliciendum quamlibet ſupernaturalem operationem. Quas difficultates majoris claritatis gratia diverſis aſſertionibus decidemus.

Animadverſio. Sed prius obſervare oportet auxilium ſupernaturale poſſe comparari vel ad hominem, in quo eſt gratia, vel ad ipſam gratiam, ſive ad hominem formaliter ut gratum. Et facta priori comparatione, omne auxilium ſupernaturale appellandum eſt ſpeciale: tum quia excedit exigen-

Digitized by Google

exigentiam totius naturæ creatæ: tum quia non debetur homini niſi ratione gratiæ ſanctificantis, quæ eſt gratia ſpecialis: tum denique nam quod aliquid habeat rationem doni, & beneficij ſpecialis non attenditur præcipue penes principium *quo*, ſed magis penes principium *quod*, ſive ſuppoſitum, cui abſolute donatio fit. Si vero auxilium comparetur ad gratiam, vel ad hominem ut reduplicative gratum; dubitari poteſt, an omne auxilium ad opus ſupernaturale debeat dici ſpeciale, & ſimpliciter, ſive omnibus modis indebitum; an autem oporteat diſtinguere intra ſupernaturalem ordinem auxilia generalia, quæ ſuppoſita elevatione ad hunc ordinem, debeantur, & alia ſpecialiora, quæ adhuc ſuppoſita ea elevatione ſint indebita. Quæ difficultas reſolutioni præſentis dubij ſubjicitur.

§. I.

Statuitur prior & communis ſententia.

Prima concluſio. 223. Dicendum eſt primo hominem juſtum indigere ſpeciali auxilio, ut longo tempore bene operetur. In hac concluſione non determinamus, quæ, quantave ſit temporis mora, quæ ad conſtituendum tempus longum pro qualitate præſentis materiæ requiritur: id enim nequit certa regula dimetiri: nam diverſimode cenſendum eſt in hac parte juxta varias hominum complexiones, negotia, & occaſiones peccandi, ex quibus plurimum pendet, ut tempus, quod reſpective ad unum hominem poteſt dici breve, ſit longum per reſpectum ad alias. In communi tamen dici valet, quod tempus, ut reſpective ad hominem exiſtentem in gratia dicatur longum; debet amplius extendi, quam tempus, quod longum appellatur reſpective ad hominem lapſum, imo & ad hominem conditum in puris: plus enim temporis poteſt homo juſtus recte operando percurrere, quam poſſet homo gratiam juſtificantem non habens; ſiquidem hujuſmodi gratia aliquas vires adjicit, & potentiam peccandi aliquantulum refrænat, ut ex ſe conſtare videtur. Concluſionem ergo ita intellectam docet D. Thom. *in præſenti, art.* 9. quem ſequuntur communiter Theologi. Videantur Cajet. *in hoc art.* Curiel §. 1. *concl.* 1. Joannes à S.Thom. *diſp.* 21. *art.* 1. Arauxo *dub.* 2. *à num.* 57. Gonet *diſp.* 1. *art.* 6. *concl.* 3. & alij expoſitores D.Th. in præſenti.

D Thom. Caietanus. Curiel. Joannes à S.Thoma. Arauxo. Gonet.

Primum fundamentum ab auctoritate. Probatur primo ab auctoritate: nam in Concilio Arauſicano 2. *can.* 10. diffinitur: *Adjutorium Dei etiam renatis, & ſanctis eſt implorandum, ut ad bonum finem poſſint pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Ubi aperte Concilium diſtinguit perſeverantiam à continuatione rectè operandi: & ad utrumque docet neceſſarium eſſe adjutorium Dei, ſive auxilium ſpeciale, quale contra reliquias Pelagianorum aſſerere oportebat. Idem colligitur ſatis aperte ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 6. *can.* 13. & ex Innocentio I. *in epiſt.* ad Concilium Carthag. (quæ inter epiſtolas Auguſtini eſt 91.) ubi ait: *Nam quamvis redemiſſet hominem à præteritis illis peccatis; tamen ſciens iterum poſſe peccare; ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum & poſt iſta corrigere, multa ſervavit. Quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. Sed poſſem plura dicere, niſi vos conſtaret cuncta dixiſſe. Quiſquis ergo huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ, quæ dicat adiutorio nobis non opus eſſe divino, ſe catholicæ fidei, & Dei beneficiis profitetur ingratum.* Similia docet Cæleſtinus I. *epiſt.* 1. ad Epiſcopos Galliæ. Quæ cum non evincant neceſſitatem ſpecialis auxilij ad quodlibet minimum opus bonum, nec ad illa, quæ homo in puris conditus poſſet cum generali Dei concurſu præſtare, juxta ea, quæ diximus *diſp. præced.* convincunt ſaltem, quod juſtus egeat ſpeciali auxilio ad bene operandum per longum tempus in ſenſu ſuperius explicato.

Conc. Arauſ. Conc. Trid. Innocent. I.

Confirmatur Primo. D.Auguſt. Confirmatur primo eleganti teſtimonio D. Auguſtini *in lib. de natura, & gratia cap.* 26. ubi ait: *Sicut vulnere verbi gratia claudicans ideo ſanatur, ut ſanato malo præterito, futurus dirigatur inceſſus: ſic mala noſtra non ad hoc ſolum ſupernus medicus ſanat, ut illa jam non ſint; ſed ut de cætero recte ambulare poſſimus: quod quidem etiam ſani non niſi illo adiuvante poterimus. Nam medicus homo, cum ſanaverit hominem, iam de cætero ſubſtentandum alimentis, & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat, atque perſiſtat, Deo dimittit, qui præbet iſta in carne viventibus: cuius etiam erant illa, quæ, dum curaret, adhibebat. Non enim quemadmodum medicus ex his rebus, quas ipſe creaverit, ſanat, ſed ex illius opibus, qui creat omnia ſanis, atque vitioſis. Ipſe autem Deus, cum per mediatorem Dei, & hominum, hominem Ieſum Chriſtum ſpiritualiter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, id eſt, iuſtificat impium; & cum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam, iuſtitiamque perduxerit; non deſerit, ſi non deſeratur, ut pie ſemper, iuſteque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adiutus non poteſt cernere: ſic etiam homo perfectiſſime iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ divinitus adiuvetur, recte non poteſt vivere. Sanat ergo Deus, non ſolum ut diluat, quod peccavimus; ſed ut præſtet etiam, ne peccemus.* Similia habentur *in lib. de Eccleſ. dogmat. cap.* 24. quæ ad minus perſuadent neceſſarium eſſe ſpeciale Dei auxilium, ut homo juſtificatus longo tempore recte operetur.

Confirmatur Secundo. Confirmatur ſecundo, quia ut obſervat D.Thomas in præſenti articulo etiam renatis in filios Dei per gratiam juſtificationis convenit dicere: *Et ne nos inducas in tentationem, & Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra,* ut patet ex communi uſu omnium fidelium: quibus orationibus petunt à Deo auxilium ad declinandum tentationes, & ad conformandum ſe Dei voluntati per præceptorum obſervationem: ergo juſti etiam indigent prædicto auxilio, ut per longum tempus recte operentur.

Aliud motivum veræ ſententiæ. 224. Secundo probatur communis aſſertio ratione deſumpta ex D. Thom. quæ poteſt ad hanc formam reduci: quoniam auxilium datum ſupra exigentiam, & diſpoſitionem recipientis eſt gratia ſpecialis: ſed auxilium quod Deus præſtat homini juſto ad rectè operandum per longum tempus eſt ſupra exigentiam, & diſpoſitionem hominis iuſti prædictum auxilium recipientis: ergo habet rationem gratiæ ſpecialis: quæ proinde neceſſaria erit, ut iuſtus longo tempore bene operetur, recteque in negotio ſalutis ſe gerat. Maior, & utraque conſequentia conſtant. Minor autem ſuadetur: quoniam licet gratia iuſtificans ſanet hominem quantum ad mentem; relinquit tamen in eo rebellionem appetitus contra rationem, & infectionem carnis, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur *ad Rom.* 7. relinquit etiam in intellectu tantam obſcu

Ad Rom. 7.

obſcuritatem ignorantiæ, ut neſciat homo, quid petere oporteat, ut dicitur *ad Rom.* 8. Aliunde vero intra longum tempus occurrunt homini plura præcepta obſervanda, plures occaſiones peccandi, graves, ac repetitæ tam diabolo, quam à carne tentationes. Ergo auxilium datum juſto, ut rectè per longum tempus operetur, & negotium ſalutis agat, eſt ſupra diſpoſitionem, & exigentiam recipientis. Patet conſequentia: nam ſuppoſitis ex una parte illis impletionibus, quas gratia juſtificans non excludit, & concurrentibus ex alia parte tot difficultatibus, quæ intra longum tempus ſeſe offerunt; juxta diſpoſitionem, & exigentiam hominis eſt, quod aliquando deficiat vel in præceptorum obſervatione, vel in tentationum victoria: ergo auxilium Dei, ne deficiat, eſt ſupra exigentiam, & diſpoſitionem ſubjecti.

Illuſtratur. Confirmatur, & explicatur: nam ideo homo in puris conditus non poſſet per vires inſitas, & ſecundum providentiam propriam illius ſtatus per longum tempus abſque defectu ſe gerere, quia in prædicto homine datur duplex inclinatio, alia ſuperior & ad bonum rationis, alia vero inferior, & ad bonum ſenſibile, quod multoties Dei legi adverſatur: quocirca Deus hominem in puris conſtitutum gubernans deberet ad utramque inclinationem attendere, & juxta earum exigentiam ſuum concurſum diſpenſare; & conſequenter præſtare aliquando concurſum ad bonum opus morale; quandoque vero permittere defectus: & oppoſitus concurſus, nempe ut homo in puris conditus per longum tempus ſe continuo gereret recte operando, nullumque peccatum grave committendo, ſicut exigentiam, & diviſionem, ut ſic dicamus, illarum inclinationum excederet, ita non poſſet non eſſe ſpeciale Dei beneficium, & adjutorium ſuperans diſpoſitionem hominis in prædicto ſtatu conſtituti. Conſtat autem, quod eadem proportionabiliter ratio militat in homine, ut de facto reparatur per gratiam: tum quia ſimul cum ſtatu gratiæ conſervat inclinationem appetitus ad bonum ſenſibile, quæ non plene ſubjicitur gratiæ dominio, ut experientia liquet: tum quia ejus intellectus non levi obſcuritate circa agenda laborat: tum quia innumeris occaſionibus, & tentationibus incitatur ad peccandum. Unde quod Deus continuo juſtum dirigat, & protegat ſubminiſtrando auxilia ad rectè operandum, eſt ſupra exigentiam, & diſpoſitionem hominis juſti, ut de facto reparatur per gratiam: ergo juſtus indiget ſpeciali gratiæ auxilio ad rectè operandum per longum tempus, prout ly *rectè operari*, dicit obſervationem omnium præceptorum, & victoriam cunctarum tentationum, quæ intra longum tempus ſecundum præſentem providentiam occurrunt.

Prima objectio. 215. Nec refert, ſi huic reſolutioni opponas *primo:* nam ex ea ſequitur gratiam juſtificantem nihil conferre, ut homo recte operetur per longum tempus: conſequens eſt abſurdum: ergo, &c. Sequela oſtenditur: nam homo independenter à prædicta gratia poteſt ſingula præcepta obſervare, licet non poſſit obſervare omnia collectivè, ut diximus *diſp. præced. dub.* 5. Sed hanc poteſtatem, & non majorem concedimus homini juſtificato: ergo gratia juſtificans nihil confert ad prædictum effectum. Falſitas autem conſequentis ſic probatur: tum quia apertè contradicit iis, quæ diximus *diſp. cit. dub.* 6. Ubi ſtatuimus neceſſitatem gratiæ, ſanctificantis ad obſervanda præcepta per longum tempus: quod falſum eſſet, ſi talis gratia ad hujuſmodi obſervationem nihil conferret. Tum etiam & præcipuè, quia conſequens directè adverſatur doctrinæ Concilij Milevitani can. 3. *Ubi damnatur aſſerens gratiam Dei, in qua juſtificamur, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, non etiam ad adjutorium, ut non committantur.* *Concil. Milevit.*

Confirmatur primo. Confirmatur primo: nam ideo homo in peccato exiſtens nequit non intra longum tempus, ſecluſa ſpeciali gratia, peccare, quia non habet cor ſuum firmatum in Deo, ut ponderat D. Thomas *art.* 8. *præced.* ubi inquit: *Cum enim homo non habet cor ſuum firmatum in Deo, ut pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando ab eo ſeparari vellet; occurrunt multa, propter quæ conſequenda, vel vitanda homo recedit à Deo contemnendo præcepta ipſius, & ita peccat mortaliter: præcipuè quia in repentinis homo operatur ſecundum finem præconceptum, & ſecundum habitum præexiſtentem*, ut Philoſoph. *dicit* 3. *Ethic. &c.* Conſtat autem, quod homo juſtificatus habet cor ſuum firmatum in Deum, quem habitualiter reſpicit, ut ultimum finem: ergo homo juſtificatus poteſt abſque alia ſpeciali gratia vitare peccata, & rectè operari per longum tempus. *D. Thom.*

Secundo. Confirmatur ſecundo, quia rectè operari per longum tempus eſt opus proprium hominis ſani, ejus viribus correſpondens: ſed homo, cum juſtificatur, ſanatur per gratiam, quæ proinde appellatur *ſanans* à D. Thoma ſuprà art. 4. Ergo homo juſtus per vires, quas habet, & abſque ulteriori auxilio valet rectè operari per longum tempus.

Diluitur objectio. Non, inquam, hoc refert. Ad objectionem enim reſpondetur negando ſequelam: quia, ut explicando noſtram aſſertionem præmiſimus, gratia juſtificans vires præſtat, ut homo juſtus poſſit abſque ſpeciali auxilio percurrere plus temporis rectè operando, quam poſſet, ſi prædicta gratia deſtitueretur: unde tempus illud, quod reſpectu hominis vel conditi in puris, vel exiſtentis in peccato, eſſet longum pro qualitate præſentis materiæ; non eſt dicendum longum per reſpectum ad hominem juſtum: ſed oportet plus temporis adjicere; quamvis hoc additamentum nequeat metaphyſicè deſignari. Confert etiam plurimum gratia ſanctificans ad vitandum ea peccata, quæ originem trahunt ex perverſitate rationis, ſive ex averſione à Deo ultimo fine: quæ longe facilius incurrit exiſtens in peccato mortali, & à tali fine averſus, quam juſtus, qui ad prædictum finem eſt converſus habitualiter, ut ex ſe conſtare videtur. Quo ſenſu dixit D. Thom. artic. 8. *Iuſtificatum poſſe abſtineri ab omni peccato mortali, quod in ratione conſiſtit*, id eſt, quod provenit ex deordinatione rationis ſuperioris; licèt declinare non valeat omnia peccata, quæ originem ducunt ex rebellione appetitus. Confert denique prædicta gratia ad hoc, quod auxilia ad actus ſupernaturales recipiuntur connaturali modo, & juxta diſpoſitionem ſubjecti: quæ alioqui minus connaturaliter, & proportionate diſtribuerentur ſubjecto, in quo non præexiſteret forma habitualis, nempe gratia ſanctificans, quæ hujuſmodi auxilia pro actibus ſupernaturalibus ſaltem diviſive ſumptis exigeret. Ea vero, quæ conſequens improbant, quatenus doctrinæ noſtræ opponi videntur non urgent. Ad primum enim reſpondetur gratiam ſanctificantem eſſe quidem neceſſariam, ut homo juxta communem, & ſuavem Dei providentiam poſſit *D. Thom.*

longo tempore non deficere in aliquo præcepto, ut loco citato oſtendimus. Hinc vero minimè infertur, quod ſola prædicta gratia ad hujuſmodi effectum ſit ſufficiens: plura enim ſolent ad aliquem effectum requiri, quæ tamen ad illum non ſufficiunt; ſed ulterius requiritur aliud: & ita accidit in præſenti ob ea, quæ ſupra diximus. Ad ſecundum conſtat ex proximè dictis: fatemur enim gratiam, qua juſtificamur, valere etiam ad adjutorium, ut vitemus peccata: ſed tamen aſſerimus prædictam gratiam non eſſe omne adjutorium, ſed ulterius deſiderari aliud auxilium ad rectè operandum per longum tempus.

Reſpondetur confirmationibus.

Ad primam confirmationem reſpondetur concedendo præmiſſas, & negando conſequentiam: nam illa ratio D.Thomæ optima quidem, & ſufficiens eſt ad probandum, quod homo in peccato exiſtens non poſſit abſque ſpeciali auxilio vitare peccatum per longum tempus: ſed tamen non eſt adæquata: Nam licèt homo maneat habitualiter converſus ad Deum ultimum finem; poteſt nihilominus ſimul conſervare alios defectus ſufficientes, ut auxilium Dei cooperantis cum homine ad rectè longo tempore operandum ſit ſpecialis gratia: & ita accidit in præſenti.

Ad ſecundam reſpondetur maiorem ſolum verificari de homine ſano ſanitate, ut ſic dicamus robuſta, & non pluribus contrariis admixta, qualem habet iuſtus in hoc ſtatu, ut optimè docuit D.Thom. *in præſenti, art. 9.* Ubi aſſerit, quod licèt iuſtus non indigeat alia gratia habituali; *indiget tamen auxilio gratiæ ſecundum alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum, & hoc propter duo. Primo quidem ratione generali propter hoc, quod ſicut ſupra dictum eſt* art. 1. *nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ. Secundo ratione ſpeciali* (ex qua proinde convincitur neceſſitas ſpecialis auxilij) *propter conditionem ſtatus humanæ naturæ, quæ quidem licèt per gratiam ſanetur quantum ad mentem; remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam deſervit legi peccati, ut dicitur* ad Rom. 7. *remanet etiam quædam ignorantiæ obſcuritas in intellectu, ſecundum quam, ut etiam dicitur* ad Rom. 8. *quid oremus, ſicut oportet neſcimus,* &c.

D. Thom.

Altera obiectio. D.Thom.

226. Nec refert, ſi opponas ſecundo: nam D.Thom. *3. part. quæſt. 62. art. 6. ad 3. & in 3. diſt. 21. quæſt. 1. art. 3.* docet, quod minima charitas ſufficit ad obſervandum omne præceptum, & vincendum quamlibet tentationem: ergo habens charitatem habet principium, ſufficiens ad rectè operandum per longum tempus: ſed auxilium Dei, ut homo concurrat ad id, ad quod habet ſufficientem virtutem, non eſt ſpeciale, ſed generale; ſiquidem datur iuxta intrinſecam diſpoſitionem, & virtutem recipientis: ergo homo habens charitatem non indiget ſpeciali auxilio ad rectè operandum per longum tempus.

Confirmatur: quia gratia non minus præſtat, quam integritas ſolius ordinis naturalis, qualem ſupra deſcripſimus *diſp. 1. cap 2. §. 1.* ſed homo integer integritate ſolius ordinis naturalis poſſet abſque ſpeciali auxilio rectè operari per longum tempus: ergo idem dicendum eſt de homine exiſtente in gratia.

Enodatur.

Hæc, inquam, obiectio non refert: nam teſtimonia D. Thomæ, quibus innititur, vel loquuntur de victoria cuiuſlibet tentationis diviſim acceptæ, vel de obſervatione cuiuſcumque præcepti ſeorſim ſumpti: & in hoc ſenſu neganda eſt prima conſequentia, quæ procedit de modo rectè ſe habendi per longum tempus in obſervandis præceptis, & vincendis tentationibus collectivè acceptis. Quoniam ex poteſtate ad aliqua diviſivè ſumpta minus rectè colligitur poteſtas ad eadem collectivè conſiderata, ut ſatis liquet ex dictis *diſp. præced.* ferè per totam, & præcipuè *dub. 5.* Vel prædicta teſtimonia loquuntur, (quod eſt vero ſimilius, & textui magis cohærens,) de victoria omnium tentationum, & obſervatione omnium præceptorum collectivè ſumptorum; ſolum denotant ſufficientiam ex parte charitatis, quantum eſt de ſe; minimè vero attentis omnibus, quæ reperiuntur in ſuppoſito: & ita non excludunt neceſſitatem ulterioris auxilij. Licèt enim charitas, quantum eſt de ſe, potens ſit, & poteſtatem præbeat ad rectè operandum longo tempore ſuperando tentationes, & obſervando præcepta: nihilominus pro hoc ſtatu non plenè ſibi ſubjicit appetitum ſenſitivum, nec perfectè coërcet defectibilitatem arbitrij: atque ideo non facit ſibi debita auxilia ad diu rectè operandum; ſed locum relinquit, ut prædicta defectibilitas exigat expedire aliquando deficere, niſi ulteriori auxilio reprimatur. Quamobrem ſubminiſtratio auxilij, ut homo iuſtus longo tempore uniformiter, & abſque defectu in negotio ſalutis ſe gerat, excedit, attentis omnibus, diſpoſitionem, & exigentiam virium, quæ de facto exiſtunt in homine iuſto: & conſequenter habet rationem gratiæ ſpecialis.

Ad confirmationem dicendum eſt, quod licèt gratia ſanctificans ſit longè perfectior, quam integritas naturalis, & perficiat hominem in ordine ad altiorem finem; nihilominus illum perficit modo diverſo, & inferiori quantum ad rem, de qua agimus. Nam integritas naturalis non relinqueret in homine diviſionem inter partem ſuperiorem, & inferiorem; ſed hanc illi perfectè ſubjiceret in ordine ad finem naturalem: alioqui immerito integritas intra prædictum ordinem diceretur. Unde ceſſante rebellione appetitus contra rationem, poſſet homo integer abſque ulteriori auxilio ſpeciali rectè ſe gerere longo tempore in ordine ad naturalem finem, & ad illa, quæ rectitudo præciſè naturalis exigeret. Cæterum gratia prout de facto communicatur, non refrænat perfectè motus concupiſcentiæ contra rationem, ſed ſecum permittit fomitem appetitus: nec plenè ſubordinat partem inferiorem ſuperiori comprimendo, aut excludendo diviſionem inter utramque. Quocirca nequit homo iuſtus, niſi ſpeciali alia gratia fulciatur, aliquando intra longum tempus non peccare; ſive, & in idem redit, non valet in diuturna præceptorum obſervatione, & tentationum victoria perſiſtere.

227. Quod ſi interroges, in quo conſiſtat auxilium illud ſpeciale, quod diximus eſſe neceſſarium, ut iuſtus longo tempore rectè operetur, & in ſtatu gratiæ ſe contineat? Dicendum eſt prædictum auxilium non conſiſtere in novo aliquo habitu denuo infuſo, nec in ſolo auxilio præmovente ad agere, & ſupponente ſufficientiam completam ex parte principij: ſed ſitum eſſe in continuata, ac diuturna communicatione illuſtrationum ex parte intellectus; & piarum, ac ſubitarum affectionum ex parte voluntatis, & ſimul in externa Dei protectione: nam cuncta hæc complent iuſti ſufficientiam in ordine ad effectum rectè ſe gerendi per longum tempus. Et licèt huiuſmodi auxilia diviſim conſiderata non ſint ſupra exigentiam, & diſpoſitionem iuſti; ut ſtatim *§. ſeq.* dicemus: eorum tamen concatenatio, & ſucceſſivus, ac diuturnus influxus prædictam

Incidit quæſtiuncula.

dictam

dictam diſpoſitionem, & exigentiam excedit, ut patet ex dictis. Sed huius, & aliorum auxiliorum naturam latius, & ex profeſſo declarabimus *infra diſp. 5. cum ſequentibus*. Legatur D. Proſper *lib. 2. de vocatione gentium cap. 26.* (S. Proſper.)

§. II.

Alia Concluſio pro perfecta Dubij reſolutione.

228. Dicendum eſt ſecundo hominem juſtum non indigere ſpeciali auxilio ad quamlibet operationem ſupernaturalem; ſed poſſe elicere omnes operationes ſupernaturales præſentis ſtatus diviſim acceptas abſque alia gratia ſpeciali. In hac concluſione nomine *auxilij*, & *gratiæ ſpecialis* ſignificamus auxilium, quod habeat eſſe ſpeciale intra ordinem gratiæ, & reſpective ad hominem ut iuſtificatum, non autem excludimus, quod habeat eſſe ſpeciale abſolute, & reſpectu hominis conſiderati ſecundum ſe, iuxta ea, quæ ſupra *num.* 222. obſervavimus. Et in hoc ſenſu propoſitam aſſertionem defendunt Caietanus, & Medina *in præſenti*, ubi etiam Arauxo *dub. 2. num.* 58. Godoi *diſp.* 48. §. 1. *num.* 3. Valentia *diſp.* 8. *q.* 1. *puncto* 6. Curiel *dub. unico* §. 4. Soto *lib.* 1. *de natura & gratia cap.* 16. Vega *lib.* 6. *in Trident. cap.* 4. & 9. & *quæſt.* 14. *de Iuſtificat.* Suarez *lib.* 3. *de auxiliis cap.* 4. *num.* 6. & *lib.* 10. *de gratia cap.* 2. *num.* 12. Molina *in concordia diſp.* 37. & alij plures. (*Secunda concluſio.* — Cajetan. Medina. Arauxo. Godoy. Valentia. Curiel. Soto. Vega. Suarez. Molina.)

Probatur unico fundamento deſumpto ex dictis *diſp. præced. dub.* 2. quoniam homo conſtitutus in puris, vel homo lapſus poteſt abſque ſpeciali auxilio operari bene moraliter intra ordinem naturalem; ergo homo conſtitutus in ſtatu gratiæ, poteſt abſque ſpeciali auxilio elicere operationes ſupernaturales. Antecedens conſtat ex dictis loco citato, ubi illud late oſtendimus contra Vaſquez, & ex dictis *in eadem diſputat. dubio* 5. ubi ſtatuimus hominem lapſum poſſe ſingula peccata diviſim vitare, atque ſingula præcepta ſeorſim accepta adimplere. Conſequentia vero probatur à paritate rationis: tum quia gratia juſtificans, quæ in ordine ſupernaturali ſortitur rationem naturæ, non minorem proportionem habet ad operationes proprias prædicti ordinis, ac natura humana habet ad operationes moraliter bonas ordinis naturalis, ut ex ſe conſtare videtur: ergo ſi natura humana in ſtatu ſive purorum, ſive peccati habet ſufficientem proportionem, ut abſque ſpeciali auxilio poſſit bene moraliter operari intra ordinem naturalem; pariter juſtus per gratiam conſtitutus habet ex vi prædictæ gratiæ ſufficientiam, & proportionem ad ſupernaturaliter operandum, quin ad hoc requiratur aliud ſpeciale auxilium. Tum etiam quia ſicut natura humana exigit concurſum Dei ad operationem ſibi conſonam, cuiuſmodi eſt agere bene moraliter intra ordinem naturalem: ita natura, ut ſic dicamus, ſupernaturalis, nempe gratia iuſtificans expoſcit concurſum Dei ad operationem ſibi conſonam, qualis eſt operatio ſupernaturalis: ergo ſicut ob eam exigentiam concurſus Dei cum natura humana ad bene moraliter operandum non habet rationem gratiæ ſpecialis, ſed pertinet ad generalem concurſum ordinis naturæ; ita ob hanc exigentiam concurſus Dei cum homine iuſto ad operationes ſupernaturales non debet habere rationem ſpecialis auxilii, ſed pertinere debet ad generalem concurſum ordinis gratiæ. Tum denique nam ideo affirmant communiter Theologi hominem, ſive lapſum, ſive conſtitutum in puris, poſſe per vires inſitas, & abſque ſpeciali auxilio elicere aliquam operationem moraliter bonam, quia ex oppoſito inferretur vires naturæ, & facultatem arbitrii eſſe extinctas in ordine ad bonum morale: ſed idem, & ob idem motivum poſſet inferri circa gratiam in ordine ad operationes ſupernaturales, ſi abſque ſpeciali alio auxilio non poſſet homo iuſtus ſupernaturaliter operari, ut facile conſideranti apparebit: ergo dicendum eſt hominem iuſtum poſſe per vires gratiæ, quam habet, & abſque alio ſpeciali auxilio elicere operationes ſupernaturales. (*Ratio fundamentalis.*)

Confirmatur: quia ordo ſupernaturalis non minus patet, quam naturalis ordo: ergo ſicut in ordine naturali diſtinguuntur duo genera auxiliorum, nempe generalium, & ſpecialium, ita debent intra ordinem ſupernaturalem diſtingui: atque ideo ſicut non omnis concurſus Dei auctoris naturalis cum natura humana habet rationem auxilij ſpecialis; ſed ſolus concurſus ad actum, qui excedit vires, & exigentiam naturæ; ita ſimiliter non omnis concurſus Dei auctoris ſupernaturalis cum homine juſto debet habere rationem ſpecialis auxilij, ſed ſolus cõcurſus ad actum, qui ſuperat exigentiam, & vires gratiæ præexiſtentis in juſto: conſtat autem, quod actus verbi gratia fidei, vel charitatis intenſus ut quatuor non excedit exigentiam, & vires gratiæ intenſæ ut quatuor: idemque apparet in quolibet alio actu ſupernaturali præſentis ſtatus, diviſim & ſecundum ſe conſiderato: ergo concurſus Dei auctoris ſupernaturalis cum juſto, ut ſupernaturaliter operetur non habet rationem ſpecialis auxilij: & conſequenter, licet juſtus indigeat concurſu Dei ad ſupernaturaliter operandum, poteſt tamen abſque ſpeciali auxilio ſupernaturaliter operari. (*Confirmatur.*)

229. Quæ ratio facile proſternit varias Adverſariorum reſponſiones, quibus differentiam inter exemplum allatum, & rem præſentem aſſignare procurant. *Prima* eſt, quod opera ſupernaturalia ex pluribus impediuntur, quam opera naturalia: unde licet concurſus Dei ad hæc non ſit gratia ſpecialis, ſecus tamen concurſus ad illa. *Secunda* eſt, quod non eſt contra rationem concurſus naturalis eſſe debitum: eſt vero contra rationem ſupernaturalis auxilij, quod debeatur: nam ſemper habet rationem gratiæ. *Tertia*, quod voluntas eſt tota ratio proxima agendi operationes naturales; gratia vero, aut charitas non ſunt adæquata ratio operandi ſupernaturaliter, ſed ſubordinantur voluntati ut principio immediato, licet inadæquato eliciendi opera ſupernaturalia; unde concurſus Dei ad prædicta opera, ſaltem prout immediate confertur voluntati, nequit non habere rationem gratiæ ſpecialis. *Quarta*, quod vis proxima, ut voluntas operetur, completur per cogitationem offerentem objectum: & cogitatio naturalis eſt homini debita, ſecus vero cogitatio ſupernaturalis. Alias differentias minoris momenti addunt, quæ videri poſſunt apud Godoi ubi ſuprà. (*Adverſariorum effugia.*)

Sed omnes, ut diximus, ſunt inſufficientes, & cedunt motivo noſtræ aſſertionis. Prima rejicitur: tum quia non facile explicabunt Adverſarij, quæ majora impedimenta habeat juſtus ad rectè operandum ex ſupernaturali motivo, quam ex motivo honeſto naturali: difficultas enim ut plurimum attenditur penes materiam, in qua operamur, non autem ex motivo, ſuppoſita ſufficientia ad utrumque: unde non ſolent plura impedimenta occurrere ad jejunandum verbi gratia ad colendum pa- (*Impugnatur primum.*)

rentes, ad ſolvendum debitum, & ſimilia ex motivo ſupernaturali, quam ex naturali, & honeſto motivo: ergo ex hoc capite deſumi nequit diverſitas, ut concurſus Dei cum juſto ad opera ſupernaturalia habeat rationem gratiæ ſpecialis; ſi ſemel hanc rationem non habet concurſus ad opera naturalia. Tum etiam, quia eſto plura impedimenta occurrerent, ne fierent opera ſupernaturalia; nihilominus ad providentiam communem ordinis gratiæ pertinet removere quandoque prædicta impedimenta, & adjuvare juſtum, ut aliquam ſupernaturalem operationem eliciat: alioqui dicendum eſſet prædictam providentiam eſſe imperfectam, & gratiæ vires in ordine ad prædicta opera eſſe moraliter extinctas; quod eſt abſurdum: ergo ſecundum communem providentiam ordinis gratiæ, atque ideo ſine ſpeciali auxilio huius ordinis fieri poteſt, ut ceſſent quandoque illa impedimenta, & iuſtus ſupernaturaliter operetur. Tum denique nam reſpectu iuſti non eſt difficilius, vel impedimentis magis obnoxium dare exiguam eleemoſynam ob ſupernaturale motivum; quam reſpectu hominis lapſi ſervare aliquod præceptum gratiæ ob motivum naturale honeſtum, verbi gratia reſtituere alienum, ut facile conſideranti conſtabit: ergo ſicut homo lapſus poteſt hoc ultimum præſtare abſque ſpeciali gratia; ita iuſtus poterit abſque ſpeciali auxilio præſtare illud prius.

Refellitur ſecundum. Secunda etiam rejicitur: quia licèt ſit contra rationem auxilii ſupernaturalis eſſe abſolute debitum homini; & ſemper comparative ad naturam debeat habere rationem gratiæ ſpecialis, nihilominus non eſt contra rationem ſupernaturalis auxilii eſſe debitum gratiæ, & homini iuſtificato ratione gratiæ, & facta ſuppoſitione ſtatus iuſtitiæ: ſicut non eſt contra rationem virtutum ſupernaturalium eſſe debitas gratiæ, & homini ut per gratiam conſtituto: ſed aſſertio noſtra in hoc ſenſu procedit, ut eam ſtatuendo explicuimus, & fundamentum pro illa expenſum id ipſum evincit: ergo differentia ab Adverſariis adducta nullius roboris eſt. Et urgetur exemplo proxime allato: nam ſicut virtuti radicali debetur virtus proxima eiuſdem ordinis, ita proportionabiliter virtuti proximæ debetur concurſus ad actus: ſed licet virtutes ſupernaturales proximæ operativæ non debeantur homini ſecundum ſe, debentur tamen homini ex ſuppoſitione, quod habeat gratiam habitualem, quæ eſt principium operandi in ordine ſupernaturali: & ideo infuſio prædictarum virtutum, ſuppoſita gratia ſanctificante, non habet rationem ſpecialis concurſus, vel auxilii: ergo pariter quamvis concurſus Dei ad opera ſupernaturalia non ſit debitus homini ſecundum ſe; nihilominus eſt debitus homini ut conſtituto per gratiam, & virtutes proximas ordinis ſupernaturalis: & conſequenter facta hac ſuppoſitione non habet rationem gratiæ ſpecialis.

Tertium confutatur. Tertia differentia etiam refellitur: tum quia potentiæ naturales non habent concurſum immediatum ad actus ſupernaturales; ſed influunt, ut elevatas per virtutes infuſas tanquam per rationem proximam, & adæquatam ſupernaturaliter operandi, ut modo ſupponimus ex dictis *Tract.* 2. *diſp.* 4. *dub.* 4. ergo differentia ex hoc capite deſumpta nequit ſubſiſtere, & falſo innititur fundamento. Tum etiam quia gratis conceſſo, quod potentiæ naturales influant partialiter in ſupernaturales operationes, negari tamen non poteſt, quod prædictæ potentiæ ut elevatæ per virtutes ſupernaturales fiant porportionatæ ad ſupernaturaliter operandum: alioqui virtutes infuſæ nihil roboris aut proportionis prædictis potentiis adjicerent: atqui potentiæ proportionatæ ad aliquem actum debitus eſt concurſus ad talem actum eliciendum: ergo concurſus Dei cum potentiis elevatis ad ſupernaturaliter operandum debitus eſt prædictis potentiis ut elevatis; & conſequenter non excedit earum exigentiam, & diſpoſitionem, nec habet rationem gratiæ ſpecialis. Tum denique, quia hæc differentia ſolum ſuadet, quod concurſus Dei cum potentiis naturalibus ad ſupernaturaliter operandum, habeat rationem gratiæ ſpecialis reſpective ad prædictas potentias conſideratas ſecundum earum vires, & ut partialiter influunt: minime vero quod ſit ſpecialis gratia reſpectu virtutis ſupernaturalis, & reſpectu hominis ut elevati per illam: hoc autem ſufficit ad veritatem noſtræ aſſertionis: ergo, &c.

Diruitur ultimum. Quarta denique, & ultima differentia confutatur: nam ideo homini debetur cogitatio recta ordinis naturalis ad operandum bene moraliter in prædicto ordine, quia habet ex parte voluntatis vires ſufficientes ad ita operandum: & ita debitum eſt, ut homo aliquando excitetur ad bonum honeſtum ordinis naturalis: ſed juſtus ſupponitur habere ſufficientes vires ex parte voluntatis ad eliciendum ſupernaturales operationes: ergo juſto in quantum tali, debitum eſt, quod aliquando excitetur ſancta cogitatione ad ſupernaturaliter operandum: & conſequenter ſicut cogitatio recta ordinis naturalis, & alij concurſus deſiderati ad operationem honeſtam prædicti ordinis non habent rationem gratiæ ſpecialis: ita cogitatio ſupernaturalis, & alia auxilia requiſita, ut juſtus ſupernaturaliter operetur, non habent rationem ſpecialis gratiæ. Præſertim quia ratio noſtra æqualiter immediate poteſt applicari cogitationi ſupernaturali, ac aliis ſupernaturalibus operationibus. Quod ſic oſtenditur: nam ſicut intellectus noſter conſtituitur per lumen naturale, eſt principium ſufficiens ad intellectiones ordinis naturalis: ita per lumen fidei conſtituitur principium ſufficiens ad ſupernaturalem aſſenſum, & per prudentiam ſupernaturalem ad ſupernaturale dictamen, & imperium: ergo ſicut intellectus noſter poteſt cum generali concurſu ordinis naturæ elicere aliquas intellectiones naturales: ita intellectus juſti ut elevatus per lumen ſupernaturale fidei, prudentiæ, aut aliarum virtutum infuſarum, poteſt cum generali concurſu ordinis gratiæ elicere intellectiones ſupernaturales, & ſanctas cogitationes habere: & conſequenter ex parte cogitationum conſtituentium ultimo poteſtatem ad recte operandum nequit conveniens diſcrimen aſſignari.

Prima objectio. 230. Sed objicies primo: nam licet minima charitas ſit, quantum eſt de ſe, principium ſufficiens ad recte operandum non ſolum diviſim in hac, aut illa occaſione, ſed etiam collective, & per longum tempus; nihilominus concurſus Dei cum juſto, ut longo tempore recte operetur, eſt auxilium ſpeciale non ſolum reſpectu hominis ſecundum ſe, ſed etiam reſpectu juſti, quatenus talis, ut conſtat ex dictis §. *præcedenti*: ergo licet gratia præſtet ſufficientiam, & proportionem ad quamlibet operationem ſupernaturalem diviſim ſumptam; tamen concurſus Dei cum juſto ad operationem ſupernaturalem diviſim acceptam erit ſpecialis gratia non ſolum reſpectu hominis ſecundum ſe conſiderati, ſed etiam reſpectu juſti, ut juſti.

Diluitur. Reſpondetur negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt; quoniam charitas in homine exiſtens ita ſufficit, quantum eſt de ſe, ad recte operandum per longum tempus, quod ſimul ſecum in

eodem

eodem ſubjecto permittit fomitem peccati, & rebellionem appetitus. Unde quia Deus in diſpenſando ſuum concurſum ſecundum communem providentiam debet attendere non ſolum ad proportionem unius partis, ſed etiam ad exigentiam, & diſpoſitionem totius ſuppoſiti; nequit utens communi providentia conferre uniformiter auxilia ad rectè operandum juxta exigentiam præciſivè acceptam gratiæ, & charitatis; ſed debet quandoque permittere, ut defectibilitas arbitrij, cui non plene dominatur gratia, aliquando deficiat, & proceſſus rectè operandi non ſemel interrumpatur. Quocirca oppoſitus, & uniformis concurrendi modus, ut juſtus diu continuo rectè operetur, nequit non habere rationem gratiæ ſpecialis. Hæc autem ratio non militat in qualibet operatione ſupernaturali diviſim ſumpta: nam ex una parte juſtus habet ſufficientem virtutem, & proportionem ad eam eliciendam, ut hactenus oſtendimus; & ex alia parte defectibilitas arbitrij, & impetus concupiſcentiæ non petunt determinate in actum peccati pro hac, aut illa occaſione prodire; ſed tantum expoſcunt vage intra longum tempus peccare. Unde concurſus Dei cum juſto ad quamlibet operationem ſupernaturalem ſingillatim, & determinate acceptā ex nullo capite excedit juſti diſpoſitionem, & exigentiam: & conſequenter non habet rationem gratiæ ſpecialis reſpectu juſti, quatenus talis, quamvis abſolute ſit ſpecialis gratia juſti conſiderati ſecundum ſe.

Secunda objectio. 231. Objicies ſecundo: nam eaſdem proportionabiliter vires habet juſtus ad ſupernaturaliter operandum, quas habet homo in puris conditus, vel in ſtatu peccati exiſtens ad opera moraliter bona ordinis naturalis, ut in fundamento noſtræ aſſertionis expendimus: atqui homo vel in puris conſtitutus, vel in ſtatu peccati exiſtens, licet habeat vires ſufficientes, ut abſque ſpeciali gratia poſſit efficere aliqua opera moraliter bona, ſatis levia, & parum difficilia; nequit tamē ſine ſpeciali gratia efficere omnia opera moraliter bona ordinis naturalis adhuc diviſim: aliqua enim ſunt, quæ etiam ſeorſim, & per ſe conſiderata prædictas vires excedunt, ut puta amor efficax Dei ſuper omnia, & victoria tentationis gravis: ergo idem dicendum eſt de homine juſto reſpective ad opera ſupernaturalia: & conſequenter fundamentum pro aſſertione propoſitum illam non evincit, ſed magis labefactat.

Reſponſio. Reſpondetur negando minorem in ſenſu ſtatim explicando. Et ad inſertam probationem dicendum eſt hominem in puris conſtitutum poſſe abſque ſpeciali gratia (cujus, ſicut & peccati, carentia illum ſtatum conſtituit:) efficere omne opus bonum ordinis naturalis diviſive acceptum: & ita diligere Deum amore efficaci, licet non ſtabili, diligere Deum finem ultimum naturalem ſuper omnia, ut diximus *diſp. præced. dub.* 3. poteſt etiam ſuperare quamlibet tentationem gravem contra bonum rationis intra prædictum ordinem, ut ſtatuimus in eadem *diſput. dub.* 8. Quod ſatis erat ad veritatem, & fundamentum noſtræ aſſertionis: nam ita ſe habet juſtus elevatus per gratiam ad bonum ordinis ſupernaturalis, ſicut homo ſuæ naturæ relictus ad bonum naturalis ordinis: neque enim apparet conveniens diſparitatis ratio, ut ſatis conſtat ex ſupra dictis *numero* 228. Homo vero in ſtatu peccati exiſtens, licet habeat eandem potentiam antecedentem ad bonum rationis, quam habebat in ſtatu purorum, & propterea teneatur ad idem; caret tamen poteſtate conſequenti ad amorem Dei ſuper omnia, quem nequit ipſum cum ſtatu peccati componere, ut explicuimus *diſp. citata dub.* 4. & ſimiliter caret poteſtate conſequenti ad victoriam gravis tentationis, quam niſi virtute prædicti amoris ſuperare non valet: unde indiget ſpeciali gratia ad hujuſmodi opera, ut expoſuimus *in eadem diſp. dub.* 8. Hæc autem ratio non militat in homine juſto, qui ſicut caret peccato, ita caret impotentia conſequenti ad prædictas operationes, & poteſt egregia illa opera cum ſuo ſtatu conjungere: & ita habet in ordine ſupernaturali potentiam conſequentem, & expeditam ad omne id, ad quod peccator habet in naturali ordine potentiam antecedentem. Unde concedendum eſt, quod juſtus poſſit abſque ſpeciali gratia hanc, aut illam operationem ſupernaturalem diviſim acceptam elicere; ſed etiam quod poſſit efficere omne opus ſupernaturalis præſentis providentiæ diviſim acceptum: atque ideo, quod valeat diligere amore charitatis Deum ſupernaturalem finem, & ſuperare quamlibet tentationem gravem diviſim, & prout occurrit conſideratam. Cui reſolutioni non adverſatur Innocentius Papa *epiſt.* ad Concilium Carthaginenſe apud Aug. 91. ubi ait: *Quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores: neceſſe enim eſt, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante, vincamur.* Nam loquitur de diuturna, & continuata tentationum victoria: in quo ſenſu prædicta verba ſupra *numero* 223. allegavimus. Vel ſi loquatur de qualibet victoria tentationis ſeorſim, & diviſim accepta; adſtruit quidem neceſſitatem auxilij divini, quo deficiente vincemur: ſed inde non colligitur, quod tale auxilium habeat rationem gratiæ ſpecialis reſpectu juſti, ut juſti, licet ſit ſpecialis gratia reſpectu hominis ſecundum ſe, quando vincit tentationem ex ſupernaturali motivo. Innoc. Papa.

§. III.

Diluuntur argumenta contra ſecundam Aſſertionem.

232. CONtra primam concluſionem ſentiunt à fortiori illi, qui docent hominem peccatorem poſſe abſque ſpeciali gratia diu vitare peccatum, & obſervare præcepta: eorum autem motibus ſatisfecimus *diſp. præced. dub.* 5. unde nihil in præſenti adverſus illam occurrit præter ea, quæ §. 1. objecimus, & diluimus. *Sententia contraria.* Secundæ autem aſſertioni refragantur Monteſinos *diſp.* 29. *quæſt.* 2. *num.* 34. Lorca *diſp.* 13. *membro* 2. cum quibus ſentire videntur Joannes à Sancto Thoma *diſp.* 31. *art.* 2. Gregorius Martinez ad hunc *art. dub.* 1. & alij. *Primum motivum.* Monteſinos. Lorca. Ioann. à S. Thom. Quorum opinio poteſt probari primo auctoritate Conciliorum, & Patrum, in quibus frequenter edocemur baptizatos etiam, & juſtificatos nihil conducens ad ſalutem operari poſſe, niſi Deo auxiliante per Chriſtum, ut videri poteſt apud Gregor. Martinez & alios Auctores: Gregor. Martinez. ſed operationes ſupernaturales conferunt ad ſalutem, ut ex ſe liquet: ergo juſtus nullum opus ſupernaturale efficere valet abſque ſpeciali gratia per Chriſtum.

Confirmatur. D. Thom. Confirmatur ex D. Thom. *in hoc artic.* ubi ſtatuit hominem juſtum indigere auxilio Dei ad rectè operandum, quod probat duplici motivo, alio quidem generali deſumpto ex communi dependentia agentis ſecundi à primo, alio autem ſpeciali nempe ob rebellionem appetitus, & ignorantiam: ergo ſicut ex priori motivo evincitur

neceſſitas auxilij generalis; ita ex ſecundo debet colligi neceſſitas auxilij ſpecialis: alioqui fruſtra D.Thom. recurreret ad ſpecialem eam indigentiam juſti, & ad imperfectiones, quas habet. *D. Thom.*

Confirmatur ſecundo: quia S. Doctor *artic. ſequent.* probat perſeverantiam eſſe ſpeciale gratiæ donum, tum quia juſtificati illam in oratione Dominica petunt à Deo, tum quia pluribus datur gratia, quibus non datur perſeverantia: atqui juſti petunt Dei auxilium ad ſupernaturaliter operandum; & plures accipiunt gratiam, quæ tamen ſupernaturaliter non operantur: ergo ex ſententia D.Thom. juſti indigent ſpeciali gratiæ auxilio, ut ſupernaturaliter operentur.

Reſpondetur argumento. Ad argumentum deſumptum ex teſtimoniis Conciliorum, & Patrum reſpondetur ea tantum evincere, quod auxilium datum juſtis ad ſupernaturaliter operandum ſit abſolute ſpecialis gratia: quod nos minime negamus: ad hoc quippe ſufficit, quod non debeatur homini ſecundum ſe, ut ſupra *num.* 222. *præmiſimus.* Cæterum non docent, quod prædictum auxilium habeat rationem gratiæ ſpecialis intra ordinem gratiæ, vel quod non debeatur homini ut juſto, vel denique quod habens gratiam non ſit conſtitutus in actu primo ſufficienti, & proportionato ad ſupernaturaliter operandum. Unde non adverſatur ſecundæ noſtræ aſſertioni in ſenſu à nobis intento.

Occurritur confirmationibus. Ad primam confirmationem reſpondetur Divum Tho. ſolum docere, quod juſtus indiget ſpeciali auxilio ad rectè operandum collective, & per longum tempus, ut in prima aſſertione ſtatuimus: idque recte probat ex ſecundo illo motivo, nempe ex rebellione carnis, & ignorantia, ut ſupra expendimus *à num.* 224. Sed quemadmodum hoc motivum inefficax eſt, ut probet hominem non poſſe abſque ſpeciali gratia aliquam operationem moraliter bonam elicere, ut ſatis conſtat ex dictis *diſp. præced. dub.* 2. ita caret efficacia, ut convincat juſtum non poſſe abſque ſpeciali gratia ſupernaturaliter operari: ac proinde non proponitur in hoc ſenſu à D.Thom.

Ad ſecundam dicendum eſt illa duo motiva à D. Thom. propoſita non convincere generaliter rationem ſpecialis gratiæ, ſed ad ſummum rationem alicujus beneficij, quod poſſit citra injuriam huic, aut illi individuo denegari, ut patet ex dictis *diſp. præced. dub.* 2. ubi oſtendimus auxilium collatum peccatori ad hanc, aut illam operationem moraliter bonam non eſſe gratiam ſpecialem; & tamen poteſt homo illud à Deo petere, poteſtque Deus huic, aut alteri denegare, & pro ſuo arbitrio diſtribuere, ut ibidem explicuimus. Probant autem recte prædicta motiva juxta qualitatem materiæ cui à D.Thom. applicantur: quia perſeverantia, de qua diſputat, comprehendit continuatum modum recte operandi uſque ad mortem, qui excedit vires juſti, ut in prima concluſione ſtatuimus. Unde pariter à juſtis, ut ſpeciale, & ut tale inæqualiter diſtribuitur, & quod S.Doctor in hoc ſenſu loquatur, conſtat tum ex *corp. art. ad* 3. ubi ait: *Facilius homo per gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ, in quo nulla rebellio erat carnis ad ſpiritum, quam nunc poſſumus; quando reparatio gratiæ Chriſti, etſi ſit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen eſt conſummata quantum ad carnem.* Ubi neceſſitatem ſpecialis auxilij perſeverantiæ reducit ad difficultatem permanendi in bono, & reprimendi impetum appetitus: quæ ratio non probat neceſſitatem prædicti auxilij pro ſingulis operibus moraliter bonis diviſim acceptis, ſed evincit neceſſitatem prædicti auxilij ad omnia bona opera collective, ut iuſtus diu recte operetur. *D. Thom.*

233. Arguitur ſecundo: nam ut iuſtus ſupernaturaliter operetur, neceſſarium eſt, quod gratia continuetur, & perſeveret: ſed continuatio, ſeu perſeverantia gratiæ eſt ſpeciale auxilium: hoc igitur neceſſarium eſt, ut iuſtus quamlibet operationem eliciat. Confirmatur: nam plus debet Deo iuſtus, qui ſupernaturaliter operatur, quam qui gratia accepta non utitur: ergo ſignum eſt, quod ſpecialem aliquam gratiam accepit, abſque qua non poterat ſupernaturaliter operari. *Secundum argumentum.*

Solutio. Reſpondetur hoc argumentum cum ſua confirmatione æqualiter probare, quod homo non poſſit abſque ſpeciali gratia ullam operationem moraliter bonam elicere, ut facile conſideranti conſtabit: unde ſicut inefficax eſt ad hoc perſuadendum, ut patet ex dictis *diſp. præcedenti dub.* 2. ita vires non habet, ut probet iuſtum indigere ſpeciali gratia ad ſupernaturaliter operandum. Ad argumentum igitur conceſſa maiori diſtinguenda eſt minor, quæ ſi intelligatur de perſeverantia finali, concedenda eſt; negari vero debet, ſi intelligatur de continuatione gratiæ pro aliquo brevi ſpatio, & quale ad eliciendum quamlibet operationem ſupernaturalem diviſim conſideratam exigitur. Nam poſterior hæc conſervatio non habet rationem auxilii ſpecialis intra ordinem gratiæ: ſed ſit iuxta communem providentiam eiuſdem ordinis: hæc quippe poſtulat, ut gratia ſemel producta aliquantulum, & in aliquibus individuis conſervetur.

Ad confirmationem reſpondetur negando conſequentiam: nam ad fundandum maius illud debitum non requiritur ſpecialis gratia, ſed ſufficit quodlibet beneficium à Deo acceptum, licet ſecundum communem providentiam conceſſum fuerit. Recolantur, quæ diximus loco citato.

234. Arguitur tertio: nam ſicut iuſtus per alias virtutes ſupernaturales conſtituitur potens ad earum actus, ita per habitum charitatis conſtituitur potens ad dilectionem Dei ſuper omnia: ſed iuſtus hunc actum elicere non valet abſque ſpeciali gratia, ſiquidem in hoc actu continetur virtualiter diuturna legis adimpletio, quam homo abſque ſpeciali auxilio habere non valet: ergo iuſtus eget ſpeciali auxilio ad eliciendum ſupernaturales operationes. *Tertium argumentum.*

Prima ſolutio. Godoi. Huic argumento reſpondet Godoi ubi ſupra *à n.* 19. concedendo præmiſſas, & negando conſequentiam: exiſtimat enim aliter philoſophandum eſſe de amore charitatis, ac de reliquis virtutum operibus ob rationem inter arguendū inſinuatam. Unde infert iuſtum non poſſe abſque ſpeciali gratia elicere ullum opus ut meritorium vitæ æternæ: quia ad huiuſmodi meritum requiritur imperium, ſive ordinatio charitatis in Deum ultimum finem ſuper omnia dilectum.

Melior reſponſio. Sed melius, & magis conſequenter reſpondetur negando minorem iuxta ea, quę diximus *à n.* 228. Et motivum argumento inſertum non urget: quia maior, & longe diverſa gratia requiritur ad actualem legis adimpletionem, quam ad propoſitum efficax illam obſervandi implicitum in amore Dei ſuper omnia, ut ſatis conſtat ex dictis *diſp. præced. dub.* 3. ubi huius argumenti vires convulſimus. Et hinc colligitur iuſtum poſſe abſque ſpeciali gratia elicere actus meritorios vitæ æternæ: quia ſine illa valet elicere actum charitatis, qui per ſe meritorius eſt, & alios virtutum actus meritorios conſtituit. Reliqua huius opinionis motiva minoris ponderis ſunt, & quæ aliquam difficultatem videbantur habere inter probandum noſtram aſſertionem diluimus.

DU

Digitized by Google

DUBIUM UNDECIMUM.

Utrum juſtus indigeat ſpeciali gratia ad perſeverandum in bono.

NOn poſſumus ad præcipuum hujus difficultatis punctum convenienter accedere, niſi expediamur ab aliquibus, quæ æquivocationem gignere, & dubij reſolutionem minus claram reddere valent, & ideo

§. I.

Præmittuntur quædam ſuppoſitiones.

Multiplex perſeverantiæ acceptio.

235. PErſeverantia, ut obſervat D.Tho. *in præſenti art.* 10. & 2.2.q.137. ferè per totam, poteſt ſumi vel pro habitu firmante animum, ne removeatur à bono propter irruentes triſtitias; vel pro habitu eliciente propoſitum perſeverandi in bono uſque ad finem; vel denique pro actuali in bono perſeverantia. Et hæc poſterior perſeverantiæ acceptio pertinet per ſe ad præſentem difficultatem. De aliis autem prioribus acceptionibus egimus in Tract.de Virtutibus in arbore, *à n.*104. Rurſus actualis perſeverantia vel extenditur uſque ad mortem, vel ad illam non pertingit: & deinde vel importat longam durationem, vel breve duntaxat aliquod ſpatium. Si ergo loquamur de perſeverantia ſumpta pro continuatione in bono, & præciſivè à deceſſu finali, nihil in præſenti occurrit, quod deciſum non maneat ex dictis *dub. præc.* in quo ſtatuimus juſtum poſſe abſque ſpeciali gratia elicere operationes ſupernaturales diviſim acceptas, & rectè ſe gerere ſaltem per aliquod breve ſpatium, indigere gratia ſpeciali ad rectè ſe gerendum, & in bono permanendum per tempus diuturnum. Ex quibus etiam ſine controverſia infertur neceſſariam eſſe ſpecialem gratiam, ut juſtus perſeveret finaliter, quando hæc finalis perſeverantia importat longum tempus à juſtificatione uſque ad mortem. Unde quod in præſenti examinandum occurrit, eſt, utrum ſpeciale aliquod donum requiratur ad perſeverantiam finalem præciſivè etiam acceptâ à duratione longa, vel brevi, & prout ſolum importat conjunctionem gratiæ cum morte? Quæ perſeverantiæ acceptio propriiſſima eſt, quantum attinet ad præſentem controverſiam, ut colligitur ex D.Auguſt. *lib.de dono perſeverantiæ cap.*1. ubi inquirit, an qui conſervavit juſtitiam per decem annos, & poſtea eam amiſit, dicendus ſit habuiſſe perſeverantiam? Et reſpondet: *Non contendo de verbis, ſi & illa perſeverantia putatur eſſe dicenda tanquam temporis ſui; hanc certè, de qua nunc agimus, perſeverantiam, qua in Chriſto perſeveratur uſque in finē: potiuſque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari poteſt (atque ideo unius menſis, unius diei, unius horæ, aut etiam minoris durationis) ſi donec moreretur, fideliter vixit; quam multorum annorum, ſi exiguum temporis ante mortem à fidei ſtabilitate defecit. Quo conſtituto videamus; utrum hæc perſeverantia, de qua dictum eſt, Matth.* 10. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit, donum ſit Dei.*

D.Auguſt.

Quilibet juſtus habet potentiam ad perſeverandum.

236. Circa quam difficultatem ſupponendum eſt primo juſtum habere poteſtatem ad perſeverandum uſque in finem per auxilia vel recepta, vel oblata, quæ ſaltem media impetratione conſequi valet. Quam ſuppoſitionem communiter docent Catholici, & merito: tum quia illam ſatis apertè tradit Concilium Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 13. ubi dicitur: *Similiter de perſeverantiæ munere, de quo ſcriptum eſt Matth.* 10. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum, qui cadit reſtituere; nemo ſibi certi abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Et ſimilia habentur in Concilio Arauſic. II. can. ultimo ubi dicitur: *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent* (ad quam potiſſimum pertinet perſeverantia finalis) *& debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Tum etiam quia id ipſum apertè ſupponit, & docet D.Thom. *in hoc art. in reſponſione ad* 3. ubi inquit: *Dicendum, quod ſicut Auguſt. dicit in lib. de natura & gratia cap.* 48. *homo in primo ſtatu accepit donum per quod perſeverare poſſet, non autem accepit, ut perſeveraret: nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perſeverare poſſunt, & ulterius eis datur, quod perſeverent. Et ſic donum Chriſti eſt maius, quam delictum Adæ. Et tamen facilius homo per gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum,* &c. Et ſimilia tradit Magiſter *in* 2. *diſt.* 25. cujus verba refert D.Thom. *quæſt.* 24. *de Veritate art.* 13. *in* 2. *argum. Sed contra.* Tum denique, nam quod homo juſtus non perſeveret finaliter, ejus vitio tribuitur: quod immerito fieret, ſi juſtus per auxilia accepta, vel ſibi oblata non poſſet finaliter perſeverare: ergo dicendum eſt, quod perſeverare poſſit, ſive quod habeat principia proximè, vel remotè ſufficientia ad perſeverandum.

Conc.Trid.

Conc. Arauſ.

D.Thom.

Magiſter.

Obiicitur auctoritas D. Thom.

237. Nec huic veritati, aut ſibi contrarius eſt D.Thom. loco proximè citato ubi concedit hominem exiſtentem in gratia habere poteſtatem ad non peccandum; & addit: *Sed cum dicitur: Iſte poteſt perſeverare uſque ad finem vitæ in abſtinentia peccati, potentia fertur ad aliquid affirmativum, ut ſcilicet aliquid ponat ſe in tali ſtatu, quod peccatum in eo eſſe non poſſit: aliter enim homo per actum liberi arbitrij non poſſet ſe facere perſeverare, niſi ſe impeccabilem faceret. Hoc autem nō cadit ſub poteſtate liberi arbitrij; quia virtus motiva exequens ad hoc non ſe extendit. Et ideo homo cauſa perſeverantiæ ſibi eſſe non poteſt; ſed neceſſe habet perſeverantiam à Deo petere.* Et in reſp. ad 3. inquit: *Alio modo accipitur perſeverantia, prout eſt circumſtantia quædam virtutis deſignans permanentiam virtutis uſque in finem. Et ſic perſeverantia non eſt in poteſtate habentis gratiam.* Quibus verbis ſatis apertè docet juſtum non poſſe per auxilia accepta, vel ſibi oblata perſeverare uſque in finem.

Explicatur.

Hæc, inquam, teſtimonia non adverſantur ſuperiori reſolutioni. Et ideo pro eorum legitima intelligentia obſervandum eſt *primo* plus eſſe ex vi modi ſignificandi, & in proprietate ſermonis *poſſe perſeverare*, quam *poſſe non peccare*: nam ad hoc poſterius ſufficit virtus ad vitandum peccata prout occurrunt, & quia ſemper occurrunt diviſim; eo ipſo, quod quis valeat vitare omnia peccata diviſim, poteſt abſolutè non peccare. Cæterum perſeverare ſignificat omnimodam abſtinentiam à peccato gravi, & collectivam adimpletionem præceptorum, ſine reſtrictione ad determinatum tempus, ſed cum extenſione uſque ad mortem, quocumque tempore eveniat. Unde ut quis dicatur poſſe perſeverare, opus eſt, quod poſſit vitare

Digitized by Google

collectivè omnia peccata ſine reſtrictione ad aliquod tempus. Quia ergo juſtus ex vi gratiæ ſanctificantis habet poteſtatem ad vitanda diviſim omnia peccata,& adimplenda diviſim omnia præcepta, ut *dub. præced. à num.* 228. declaravimus; merito concedit D.Thom.quod exiſtens in gratia poſſit non peccare. E contra vero quia juſtus indiget ulteriori auxilio ſpeciali ad ſervandum collectivè omnia mandata abſolutè,& ſine reſtrictione ad tempus,ut *loc.cit.num.* 223. ſtatuimus,æquo jure negat D.Thom. perſeverantiam eſſe in poteſtate habentis gratiam: utique in eo ſenſu, quo concedit juſto poteſtatem ad non peccandum, videlicet per reſpectum ad eaſdem vires. *Secundo* nota poteſtatem perſeverandi eſſe duplicem, aut dupliciter conſiderari: alia eſt antecedens, quæ ſolum importat actum primum ad perſeverandum: & ad hanc non requiritur auxilium actuale perſeverantiæ ſe tenens ex parte ſubjecti; ſed hoc auxilium implicatur objectivè ex parte actus ſecundi perſeverandi, in quem actus ille primus collimat. Alia eſt poteſtas conſequens, & hæc ſupra actum primum addit infallibilem nexum cum actu ſecundo perſeverandi: unde importat auxilium actuale perſeverantiæ non ſolum ex parte actus ſecundi, ſed etiam ut modificans, & infallibilitans actum primum. Quamobrem ut quis dicatur poſſe perſeverare poteſtate conſequenti, non ſufficit, quod habeat actum primum ad perſeverandum; ſed etiam requiritur, quod habeat auxilium actualis perſeverantiæ, & quod actu perſeveret.

Hinc facile conciliantur teſtimonia D Thom. inter ſe, & cum veritate: nam loco citato ex diſput. ſolum intendit, quod juſtus ex vi gratiæ, quam habet,non poſſit poteſtate conſequenti perſeverare abſque indigentia ulterioris ſpecialis auxilij. Sed hoc veritati noſtræ ſuppoſitionis non præjudicat: quia ut aliquis dicatur abſolutè poſſe perſeverare, ſufficit, quod habeat poteſtatem antecedentem ad perſeverandum: quam juſtus habet per gratiam, & antequam recipiat auxilium, vel donum actualis perſeverantiæ. Et quod Div. Thom. loquatur de poteſtate conſequenti,conſtat ex ejus verbis: *Ut ſcilicet*, ait, *aliquis ponat ſe in tali ſtatu,quod peccatum in eo eſſe non poſſit*. Non dixit, *Ut poſſit ſe ponere*, quod pertinet ad potentiam antecedentem, ſed *Ut ponat ſe*, quod pertinet ad potentiam conſequentem, & actui indiſſolubiliter conjunctam. Et in hoc ſenſu poſuit differentiam inter poſſe perſeverare, & poſſe non peccare: quia videlicet juſtus habet poteſtatem tam antecedentem, quam conſequentem ad non peccandum, ſive ad vitandum cuncta peccata diviſim, & prout in exercitio occurrunt; quin ad hoc indigeat ſpeciali aliquo auxilio ſibi indebito. Cæterum juſtus licet habeat poteſtatem antecedentem ad perſeverandum, poſſitque ex vi auxiliorum,quæ ſtatum juſtitiæ comitantur, conſequi ſaltem per viam impetrationis perſeverantiam: nihilominus, niſi aliud ſpeciale donum,& ſimpliciter indebitum accipiat, caret poteſtate conſequenti ad perſeverandum, ut conſtabit ex dicendis. Unde in eodem ſenſu verificatur juſtum poſſe non peccare, & juſtum poſſe perſeverare: quoniam ad utrumque habet poteſtatem antecedentem, quod ſufficit ad verificandum noſtram ſuppoſitionem: ſed ad illud prius ſimul habet poteſtatem conſequentem; ſecus vero ad hoc poſterius. Et in hoc ſtat differentia intenta à D.Thom. quæ proinde non pertinet ad ſolas voces,ut exiſtimavit Godoy *in præſenti diſp.*47.§.2. *n.*8. ſed eſt de re,ut conſtat ex dictis. Videatur Ferrara 3.*contra gentes c.*155.§. *Sed occurrit dubium*,ubi eamdem ferè doctrinam, & expoſitionem tradit.

Godoy. Ferrara.

Ad actum perſeverandi requiritur donum à gratia habituali diſtinctum.

238. Secundo ſupponendum eſt,quod ad actum exercitum perſeverandi requiritur aliquid, & aliqua ratione à gratia ſanctificante diſtinctum. In quo etiam conveniunt Doctores Catholici,idque ſatis evincunt duæ rationes,quas D.Thom.in hoc art. proponit. Prima eſt, quia juſtificati petunt à Deo perſeverantiam, ut conſtat ex illo Pſalm.118. *Dirige greſſus meos in ſemitis tuis,ut non moveantur veſtigia mea.* Quod fideles petere illis verbis orationis Dominicæ *adveniat regnum tuum*,tradit idem D. Thom. 3. *contra gentes cap.*155. imo & ipſum poſtulari in omni ferè ejuſdem orationis petitione docet, & auctoritate S.Cypriani confirmat D. Auguſt. *lib.de bono perſeverantiæ à cap.*2. *uſque ad* 26. *& eo cap.*2. inquit: *Ergo & hi, qui iam ſancti ſunt,quid orant,niſi ut in ea ſanctitate, quæ illis data eſt, perſeverent?* Et in eodem ſenſu docet Concilium Arauſic.II. can. 10. *Adiutorium Dei etiam renatis,& ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono poſſint opere perdurare.* Et Concilium Trident. *ſeſſ.6.c.*13. inquit: *Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant,ne cadant; & cum timore,ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, & caſtitate.* Si autem ad perſeverandum actualiter nihil præter gratiam habitualem requireretur, fruſtra habentes gratiam poſtularent perſeverantiæ donum: fruſtra enim petitur,quod habetur, ut arguunt D.Hieronym. *in epiſt.ad Cteſiphontem* ante medium, & D. Auguſt. *lib.*2. *de bono perſeverantia cap.*2. *& epiſt.*107. *ad Vitalem*, & alibi ſæpè.

D.Thom. Pſalm.118. D. Auguſt. Conc. Arauſ. Conc. Trid.

D.Thom.

Secundam rationem aſſignat D.Thom.his verbis: *Multis enim datur gratia, quibus non datur perſeverantia in illa uſque ad finem:* idque liquet in Angelis proditoribus, & Juda, & in aliis pluribus,qui à gratia exciderunt: quod minimè contingeret, ſi perſeverantia actualis non importaret aliquid, & aliqua ratione à gratiâ diſtinctum.

An donum perſeverandi ſit gratia ſpecialis reſpectu juſti.

239. Sed licet prædictæ rationes id palam evincant,adhuc tamen diſputationi obnoxium relinquunt, utrum illud, quod exercitium perſeverandi deſideratur, & à gratia ſanctificante diſtinguitur, habeat rationem gratiæ ſpecialis. Fieri enim poteſt, ut aliquid ſub oratione cadat, & inæqualiter diſtribuatur; & quod nihilominus gratia ſpecialis non ſit, ſed pertineat ad generalem intra aliquem ordinem providentiam: quod ſatis liquet ex dictis *diſp.præced.dub.*2.ubi oſtendimus hominem lapſum poſſe abſque ſpeciali gratia efficere, & quandoque efficere opus moraliter bonum; licet divinum auxilium ad hoc imploret,& non ſemper bene moraliter operetur. Unde rationabiliter dubitari poteſt, an ſimile quid in præſenti materia contingat. Et quidem ſi auxilium actualis perſeverantiæ in gratia referatur ad hominis naturam ſecundum ſe; certum omnino eſt apud Catholicos prædictum auxilium eſſe gratiam ſpecialem: quoniam prædictum auxilium vel eſt entitativè ipſa gratia ſanctificans, vel ea mediatè habeatur: & utrumque excedit debitum, & exigentiam naturæ. Cæterum dubium eſt, utrum habeat eſſe ſpeciale reſpectu juſti, ut juſti: an vero juſtus poſſit poteſtate conſequenti abſque ſpeciali, & ulteriori gratia in ſtatu juſtitiæ finaliter permanere? Quæ difficultas non aptius poſſet reſolvi, quam ſtatuendo,quid ſit illud,quod ad exercitium perſeverãdi deſideratur:cognita enim ejus natura, haud obſcurè appareret legitima hujus controverſiæ

ſiæ deciſio. Et quamvis id ex dicendis magis conſtabit; nihilominus pro hujus rei declaratione.

Duplex perſeverantia actualis. 240. Supponendum eſt tertio, quod ut docet D.Thom.infra *queſt.114.art.9.* duplex eſt perſeverantia actualis: alia patriæ, quæ habetur per gloriam; & alia viæ,quæ habetur ex influxu Dei moventis per gratiam uſque ad finem, ſive uſque ad mortem. Et quemadmodum illa perſeverantia gloriæ importat ſimpliciter impotentiam ad peccandum: ita perſeverantia viæ importat aliquo modo impotentiam hujuſmodi. Nam qui habet donum perſeverantiæ non ſolum non peccabit, ſed nec peccare poteſt in aliquo vero ſenſu ſtatim dicendo. Quod ſatis expreſſit D.Thom. *loco ſupra citato ex quaſt. de Verit.* ubi docet, *poteſtatem perſeverandi* (utique conſequentem) *eſſe poteſtatem ponendi ſe in tali ſtatu, in quo peccatum eſſe non poſſit: aliter enim homo per actum liberi arbitrij non poſſet* (nempè poteſtate conſequenti) *ſe facere perſeverare, niſi ſe impeccabilem faceret.* Quibus verbis ſignificat perſeverantiam dicere non ſolum abſentiam peccati præſentis, & futuri, ſed etiam impotentiam aliquam illud contrahendi. Et hanc doctrinam hauſit ex D Auguſt. qui illam frequenter tradit, & præcipuè *lib. de corrept. & gratia cap. 12.* ubi deſcribit differentiam inter poteſtatem perſeverandi, & donum actualis perſeverantiæ, & inquit: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere; datum eſt donum perſeverantiæ: non quo fieret,ut perſeveraret,ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero ſanctis in regnum Dei per gratiam prædeſtinatis non tantum tale adiutorium perſeverantiæ datur; ſed tale, ut perſeverantia ipſa donetur: non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verumetiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint. Non ſolum enim dixit Ioann.15. ſine me nihil poteſtis facere: verumetiam dixit, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos,ut eatis,& fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Quibus verbis non ſolum iuſtitiam,verumetiam in illa perſeverantiam ſe dediſſe monſtravit. Chriſto enim ſic eos ponente, ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat,quis audeat dicere, forſitan non manebit?* Et circa finem ejuſdem capitis eamdem materiam tractans addit: *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma non deficeret, nec adverſitate aliqua vinceretur.* Ubi S.Doctor attribuit habentibus donum perſeverantiæ non ſolum potentiam ad non peccandum, ſed etiam impotentiam ad peccandum in ſenſu ſtatim magis declarando. Et ita eum intellexerunt Maſſilienſes, ut refert Hilarius *in epiſt. ad eumdem S.Doctorem,* ubi relatis verbis proximè adductis inquit: *His verbis ſanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi. Si enim Adam ita adiutus eſt, ut ſtare poſſet in iuſtitia, & à iuſtitia declinare: & nunc ita ſancti iuvantur, ut declinare non poſſint, ſi quidem eam acceperunt volendi perſeverantiam, ut aliud velle non poſſint,* &c. Unde ipſi contrariam Auguſtino amplexati ſunt ſententiam, ut ſtatim Hilarius addit his verbis: *Cæterum quidquid libet donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe & amittere, & retinere propria voluntate contendunt.* Quod tunc falſum eſſet, ſi verum putarent eam quidem perſeverantiam percepiſſe, ut niſi perſeverantes eſſe non poſſint.

D.Thom.

Perſeverantiæ donum importat aliquam impotentiam peccandi.

Prædicta impotentia non eſt neceſſitas abſoluta. 241. Hæc vero impotentia,quam Auguſt perſeverantibus tribuit,& quæ nimis dura Maſſilienſibus apparuit, non eſt impotentia abſolutè, & quæ tollat abſolutam, & antecedentem poteſtatem ad peccatum: certum quippè eſt perſeverantes poſſe abſolutè peccare, & cadere à ſtatu iuſtitiæ, ut ſatis apertè docet Concilium Tridentinum loco ſupra citato, & ſentiunt omnes Catholici. Sed eſt impotentia conſequens, & in ſenſu compoſito: quia videlicet habens donum perſeverantiæ nequit vel illud excludere, vel lapſum cum eo componere, licet adhuc ſtante prædicto dono habeat ſimul potentiam ad actum peccati ſecundum ſe: ſicut de potentia ad omiſſionem peccaminoſam conjunctâ cum auxilio efficaci ad actum præceptum docent communiter S. Auguſt. & D. Thom. diſcipuli, ut infra videbimus *diſp.7.* ferè per totam. Intercedit tamen hæc differentia,quod auxilium efficax ſolum dat illam impotentiam ad peccatum in hac, aut illa occaſione, materia, & tempore, pro quibus exhibetur: at donum perſeverantiæ præſtat impotentiam, illam conſequentem ad omne peccatum grave abſolutè, & ſine reſtrictione ad tempus, ſed cum extenſione uſque ad mortem, ut docent Sancti Doctores ubi ſupra. Unde impotentia ad peccandum, quam affert perſeverantiæ donum ſuperat impotentiam, quam auxilium efficax dicit.

Quod donum præſtet eam impotentiam. 242. Veruntamen non ita facile apparet,quale donum ſit illud, quod præſtat formaliter hanc impotentiam: præſertim cum donum perſeverantiæ ſit formaliter ejuſdem rationis tam in parvulis, quam in adultis, & in omnibus perſeverantibus per breve, & per longum tempus, ut docent ſatis communiter Theologi, & videri poteſt apud Arauxo infra *q.114.art.9.dub.1. & 2.* Nec enim conſiſtit per ſe, & formaliter in auxiliis ad operandum: tum quia parvuli ſunt eorum incapaces: tum quia adulti quandoque perſeverant ſine illis, ut ſi ſtatim,aut paulo poſt juſtificationem moriantur. Nec conſiſtere valet in concurſu ad ſuperandas tentationes,ob eadem ferè motiva. Nec in ſola protectione extrinſeca:nam Auguſt. ubi ſupra ſignificat, quod perſeverantes recipiunt donum perſeverantiæ. Nec tandem in ſola gratia habituali, & virtutibus infuſis: quia hæ poſſunt amitti,& relinquunt potentiam antecedentem,& conſequentem ad peccandum: quod de perſeverantiæ dono negat,ut vidimus,Auguſtinus. Unde relinquitur, quod in nullo horum ſolitariè, & per ſe ſpectato conſiſtat: ſed ſita ſit in conjunctione gratiæ cum morte ex intentione efficaci Dei prædeſtinantis, & infundentis gratiam ut nunquam per peccatum interrumpendam. Et ita perſeverantia activè ex parte Dei ſumpta importat e[illegible]m intentionem,& infuſionem;paſſivè autem,& [illegible]maliter dicit conjunctionem gratiæ cum mort[illegible] ita quod primum initium ſit gratia, ut illi Dei intentioni ſubeſt, quæ proinde dici poteſt perſeverantia inchoativè; terminus vero ſit mors, quæ poteſt appellari complementum, & conſummatio perſeverantiæ: alia autem, ſi quæ concurrunt, ſe habent diſpoſitivè,& auxiliativè ad effectum perſeverandi. Attentis tamen omnibus rectum doni perſeverantiæ conſtituendum eſt in gratia ſanctificante, non quidem ſecundum ſe accepta: ſic enim amiſſibilis eſt: ſed in eadem ut infuſa ex intentione efficaci Dei, ut perſiſtat uſque ad mortem: nam ita accepta nequit conſequenter amitti, & reddit hominem conſequenter impotentem ad peccandum. Fier[illegible] enim non poteſt, ut ea gratia per peccatum ami[illegible]ur, quam Deus efficaciter vult non amitti. Un[illegible] [illegible]icumque gratiam

Arauxo.

tiam ſanctificantem hac intentione datam accipiunt, infallibiliter perſeverant; & nequeunt poteſtate conſequenti eſſe niſi perſeverantes, aut ullum grave peccatum committere: qui ſunt effectus proprij doni perſeverantiæ, ut ſupra vidimus ex D. Auguſtino. Unde eadem gratia habitualis, ſecundum ſe accepta perſeverantia non eſt, illa intentione data, & ut ipſi ſubſtans eſt principale in dono perſeverantiæ, & hominem perſeverantem reddit, quamvis non excludat alia ſubſidia intrinſeca, vel extrinſeca, per quæ Deus decrevit, ut hujuſmodi gratia uſque ad mortem continuaretur: quæ proinde ad complementum perſeverantiæ, prout Deus decrevit, poſſunt requiri.

Doctrina D. Auguſtini. Quam doctrinam tradit ſatis apertè D. Auguſtinus quando de perſeverantia agit, & præcipuè lib. de correctione, & gratia cap. 7. ubi verſans illud Apoſtoli ad Rom. 8. (*Ad Rom. 8.*) *Quos autem prædeſtinavit, illos, & vocavit*, inquit: *Eos itaque vult intelligi, quos ſecundum propoſitum vocavit; ne putentur eſſe in eis aliqui vocati, & non electi, propter illam dominicam ſententiam. Matthei 20. Multi vocati, pauci electi. Quicumque enim electi, ſine dubio etiam vocati, non autem quicumque vocati, conſequenter electi. Illi ergo electi, & ſæpè dictum eſt, qui ſecundum propoſitum vocati, qui etiam prædeſtinati, atque præſciti. Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus: horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto, non quomodo electus eſt Iudas ad opus, cui congruebat.* Et luculentius adhuc in lib. de dono perſeverantiæ cap. 8. inquit: *Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Nam ſi fuiſſent ex nobis, ait unus prædeſtinatorum (Ioan. 1. cap. 2.) qui de pectore Domini bibebat hoc ſecretum, manſiſſent utrique nobiſcum. Quid eſt, quæſo, non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent, manſiſſent utique nobiſcum. Nonne utrique à Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant? Nonne poſtremo utrique vocati fuerant, & vocantem ſequuti, utrique ex impiis iuſtificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed in hoc audiret ille, qui ſciebat proculdubio, quod dicebat; reſpondere poſſet, & dicere: vera ſunt hæc; ſecundum hæc omnia erant ex nobis. Veruntamen ſecundum quandam aliam diſcretionem non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Quænam eſt tandem iſta diſcretio? Patent libri Dei, non avertamus aſpectum: clamat Scriptura divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant ſecundum propoſitum vocati: non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi: non erant in eo ſortem conſecuti: non erant prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui univerſa operatur. Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubio manſiſſent.* Ubi ut vides, non reducit Sanctus Doctor differentiam perſeverantis à non perſeverante ad diſtincta dona naturæ, vel gratiæ ſecundum ſe accepta; ſed ad prædeſtinationem æternam, & ſubinde ad prædicta dona, ut tali intentioni ſubſunt, atque ex intentione efficaci perſeverandi deſcendunt. Quod etiam tradit D.Thom. (*D.Thom.*) in comment. ad locum cit. ubi illum in eodem ſenſu interpretatur his verbis: *Sed non erant ex nobis, prædeſtinatione, & electione. Et ideo ex receſſu eorum Eccleſia non eſt damnificata, ſicut nec corpus damnificatur, humores pravi exeunt de corpore. Nam ſi fuiſſent ex nobis prædeſtinatione, & electione; permanſiſſent utique nobiſcum*, id eſt, *finaliter manſiſſent in conſortio fidei ſeu fidelium.* Diſcurrunt itaque hi duo ſacri Doctores de dono ad perſeverandum, ſicut de auxilio ad agendum, cujus efficaciam ab efficaci, & abſoluta Dei intentione perpetuo derivant, ut conſtat ex dictis *diſp. 1. proœm. cap. 5. §. 2. & cap. 6. §. 1.* & latius conſtabit ex infra dicendis *diſp. 7.* per totam. His neceſſario præmiſſis,

§. II.

Statuitur vera & communis ſententia.

243. Dicendum eſt donum perſeverantiæ eſſe ſpecialem gratiam reſpectu hominis ut juſtificati: atque ideo hominem exiſtentem in gratia indigere adhuc alio ſpecialiori beneficio ad perſeverandum. (*Concluſio.*) Ita ſentiunt communiter omnes Doctores Catholici, paucis exceptis referendis. Immo plures Auctores exiſtimant hanc aſſertionem eſſe de fide: & cenſuram inurunt illorum paucorum opinioni, qui eam, prout jacet, non admittunt; ſed varias limitationes, & abſurdas expoſitiones comminiſcuntur, quibus illam reddant minus univerſalem, aut certam. Videantur pro noſtra aſſertione Caietan. & Medina *ad hunc art. 10.* ubi etiam Curiel *dub. 1.* Lorca *diſp. 13.* Monteſin. *diſp. 29. quæſt. 3.* Greg. Martinez *dub. 1.* cum duobus ſequentibus Arauxo *dub. 4.* Godoy *diſp. 47. §. 5.* Gonet *diſp. 1. art. 8. §. 1.* cum ſequentibus. Ferrata *3. contra gentes cap. 155.* Sotus *lib. 1. de natura & gratia cap. 22.* Alvarez *de auxiliis diſp. 103. & lib. 6. Reſponſ. cap. 1.* & alij. (*Caietanus. Molina. Curiel. Lorca. Monteſinos. Greg. Mart. Arauxo. Godoy. Gonet.*)

Præcipuum hujus veritatis fundamentum deſumitur ab auctoritate Scripturæ, & Patrum, quorum teſtimonia latiſſimè allegant Auctores proximè relati; eaque omittimus, ut præciſè ponderemus auctoritates Concilij Arauſicani ſecundi, & Tridentini, quæ nobis videntur ſupra poſitam aſſertionem evidenter docere. (*Fundamentum ab auctoritate. Ferrata. Alvarez. Conc. Arauſ.*) Nam Arauſicanum *can. 10.* inquit: *Adiutorium Dei etiam renatis, & ſanctis eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono poſſint opere perdurare.* Ubi, ut rectè obſervavit Curiel, conſiderandum eſt, quod Concilium non refert neceſſitatem divini adjutorij ad hominis naturam ſecundum ſe, ſed etiam ad hominem ut affectum gratia ſanctificante: hanc enim vim habent illa verba, *Etiam renatis, & ſanctis*: atque adeo ex ſententia Concilij donum perſeverantiæ habet rationem gratiæ non ſolum comparativè ad hominem, ſed etiam comparativè ad ſanctitatem in eo præexiſtentem: quod non poſſet verificari, ſi prædictum donum conferretur ex generali providentia ordinis gratiæ. Deinde nulla in prædicto canone apponitur limitatio longi, vel brevis temporis; ſed indefinitè aſſeritur neceſſitas ſpecialis auxilij, ut perveniamus ad finem bonum; unde fateri oportet, quod neceſſarium ſit ad perſeverandum etiam pro tempore brevi. Tandem canon ille apertè diſtinguit perventionem, ut ſic dicamus, ad finem bonum à permanentia in rectè operando: quocirca neceſſitas prædicti adjutorij reſtringenda non eſt ad difficultatem rectè operandi, aut ſuperandi tentationes: ſed extendi debet ad omnem perſeverantiam finalem etiam ab illa difficultate præciſam. Quæ doctrina eſt omnino conſona Div. Auguſt. cujus ſententias Concilium illud collegit, & adverſus

adverſus Semipelagianos probavit, ut obſervavimus *diſp.1. cap. 3. §. 5. n*.... nam S. Doctor gratiam perſeverantiæ non revocat ad diuturnitatem temporis, ut conſtat ex *lib. de bono perſeverantiæ, cap.* 1. cuius verba ſupra dedimus *num.* 235. nec illam reduc[illegible] ad difficultatem operandi; ſed unice, & per [illegible] conſtituit in coniunctione ſtatus gratiæ cu[illegible] morte, ut ſatis conſtat ex

D.Auguſt. dictis §. *præced.* Unde ſpecialiſſimum perſeverantiæ donum recognoſcit in parvulis, ut liquet ex *lib. citat. cap.* 17. ubi ait: *Videte jam à veritate, quam ſit alienum negare donum Dei eſſe perſeverantiam uſque in finem hujus vitæ; cum vitæ hujus, quando voluerit, ipſe det finem, quem ſi dat ante imminentem, facit hominem perſeverare uſque in finem. Sed mirabilior, & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei eſt, quod etiam parvulis, quibus obedientia non eſt illius ætatis, ut videtur, datur hæc gratia.*

Conc. Trid. Nec minus perſpicua eſt doctrina Concilij Tridentini: nam, *ſeſſ.* 6. *cap.* 13. inquit: *Similiter de perſeverantiæ munere, de quo ſcriptum eſt, Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum qui cadit, inſtituere; nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur.* Ubi loquitur de eo, qui ſtat per gratiam: & tamen aſſerit illum non aliunde habere perſeverantiam, niſi à Deo, qui ſolum poteſt illam conferre, ſicut & reſtituere lapſum: unde ſicut reparatio poſt lapſum eſt ſpecialiſſimum beneficium homini indebitum: ita perſeverantia iuxta ſententiam Concilij reputanda eſt ut ſingulare donum, quod nec habenti gratiam debetur. Et in eodem ſenſu diffinit can. 12. *Si quis dixerit iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Quæ diffinitio univerſalis eſt, nec ullam habet reſtrictionem vel ad tempus, vel ad qualitatem perſonæ: & aliunde formalis eſt: nam ex parte ſubiecti ponitur iuſtificatus, ut denotetur, quod perſeverantia non ſolum reſpectu hominis ſecundum ſe conſiderati, ſed etiam ſub ſtatu iuſtitiæ reduplicativæ accepti, habet rationem gratiæ ſpecialis. Quam ſpecialitatem evidentius adhuc expreſſit Concilium can. 16. quem ita orditur: *Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum, &c.* non enim ita prædictum donum extolleret, ſi ſpecialiſſimum non eſſet, ac homini etiam iuſtificato protſus indebitum. Vnde oppoſitam, quorundam doctrinam ſentimus cum pleriſque noſtræ, & communis aſſertionis Auctoribus eſſe non ſatis ſecuram.

Expenditur ratio. 244. Deinde poteſt eadem aſſertio probari rationibus: quarum aliquæ à D. Thom adductæ, licèt optimæ ſint, & efficaciter evincant intentum, pro quo expenduntur; nihilominus ſunt minus univerſales, quam noſtra aſſertio, prout iacet; & tangunt difficultatem adimplendi præcepta per longum tempus, & ſuperandi graves tentationes, quæ intra illud occurrunt: eaſque expendimus dubio præcedenti à *num.* 223. *& diſput. præced. dub.* 5. *&* 8. Vnde eis modo relictis probatur concluſio unica ratione univerſaliori, quæ poteſt ita formari: nam donum firmans, & determinans ad bonum excedit exigentiam, & diſpoſitionem principij ex ſe mutabilis, & vertibilis à bono in malum: ſed homo etiam gratia ſanctificante præditus eſt de ſe mutabilis, & vertibilis à bono in malum: determinatur autem per donum perſeverantiæ, & firmatur circa bonum: ergo huiuſmodi donum excedit exigentiam, & diſpoſitionem hominis exiſtentis in gratia: atque ideo eſt ſpeciale beneficium reſpectu hominis adhuc ut iuſtificati. Hæc ſecunda conſequentia patet ex prima: nam illud dicitur ſpeciale beneficium, & ſpecialis gratia, quod excedit diſpoſitionem, & exigentiam principij, vel ſubiecti, cui datur, ut liquet ex hactenus dictis in hoc Tract. ergo ſi donum perſeverantiæ excedit diſpoſitionem, & exigentiam hominis ut iuſtificati, nequit non eſſe beneficium ſpeciale reſpectu illius. Prima vero conſequentia legitimè infertur ex præmiſſis. Maior autem eſt ſatis manifeſta: quia principium de ſe variabile, & vertibile à bono in malum non exigit firmitatem, & determinationem ad bonum; alioqui non eſſet de ſe vertibile, ut ex terminis liquet: ergo firmati, & determinari ad bonum eſt ſupra exigentiam, & diſpoſitionem prædicti principij. Minor denique quoad primam partem eſt certa: quoniam homo, licet habeat gratiam, poteſt peccare potentia antecedenti, & conſequenti, & gratiam amittere, ut patet in eis, qui non perſeverant: ergo de ſe, & ex ſola præſentia gratiæ adhuc eſt mutabilis, & vertibilis à bono in malum. Secunda vero eiuſdem minoris pars liquet ex ſupra dictis *num.* 241. Vbi declaravimus, qualiter donum perſeverantiæ firmet, & determinet hominem ad bonum, ita ut ſit impotens conſequenter à gratia recedere, licèt retineat poteſtatem antecedentem ad peccandum. Quam rationem proponit D.Thom. *lib.* 3. D.Thom. *contra gentes, cap.* 155. his verbis: *Omne, quod de ſe eſt variabile, ad hoc, quod figatur in uno, indiget auxilio alicuius moventis immobilis: homo autem variabilis eſt, & de malo in bonum, & de bono in malum: ad hoc igitur, ut immobiliter perſeveret in bono, indiget auxilio divino.* Et ſimilia repetit 2.2. *quæſt.* 137. *art.* 4. & alibi.

Confirmatur: quia ad id indiget homo nova, & ſpeciali gratia, quod præſtare non valet, nec ex ſe, nec ex vi habituum, aut vitiorum in eo præexiſtentium: ſed donum perſeverantiæ confert aliquid, quod homo iuſtus præſtare non valet nec ex ſe, nec ex ſola gratia habituali, & virtutibus, quas habet: ergo donum perſeverantiæ eſt nova, & ſpecialis gratia reſpectu hominis: etiam ut iuſtificati. *Roboratur.* Maior, & conſequentia conſtant. Minor autem ſuadetur: quia donum perſeverantiæ immobilitat in bono, & dat impotentiam conſequentem ad peccandum, ut ſuprà *num.* 242. expoſuimus: ſed iuſtus nec ex ſe, nec ex ſola gratia habituali poteſt præſtare huiuſmodi effectum; cum gratia ſit amiſſibilis, & homo illam habens poſſit antecedenter, & conſequenter peccare; & aliunde non apparet, qualiter poſſit iuſtus hanc habitualem diſpoſitionem excludere, aut quid valeat in ſe ipſo efficere, ut ſe conſtituat habitualiter immutabilem: ergo donum perſeverantiæ confert aliquid, quod homo iuſtus non valet præſtare, nec ex ſe, nec ex ſolis viribus gratiæ habitualis. Quod motivum expendit D. Thomas *loco ſupra citato* D.Thom. *ex* 3. *contra gentes*, ubi ait: *Licèt homo per voluntatem, & liberum arbitrium ſit Dominus ſui actus: non tamen eſt Dominus ſuarum naturalium potentiarum: & ideo licèt ſit liber ad volendum,*

vel

Digitized by Google

vel ad non volendum aliquid; non tamen volendo facere poteſt, quod voluntas in eo, quod vult, vel elegit, immobiliter ſe habeat: hoc autem requiritur ad perſeverantiam, ut ſcilicet voluntas in bono immobiliter permaneat: perſeverantia igitur non eſt in poteſtate liberi arbitrij: oportet igitur adeſſe homini auxilium divinæ gratiæ ad hoc, quod Conc. Trid. *perſeveret.* Idemque motivum inſinuavit Concilium Tridentinum *cap. illo* 13. cum de dono perſeverantiæ dixit: *Quod aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet.* Quibus verbis ſignificat ad ſolam Dei poteſtatem pertinere huiuſmodi immobilem perſiſtentiam cauſare.

Prima obiectio. 245. Sed obiicies primo: cum aſſeritur, quod homo per donum perſeverantiæ firmatur in bono, & fit immutabilis ad malum; vel ſignificatur, quod conſequitur hanc firmitatem in ipſo inſtanti mortis, vel ante illud? Primum non eſt ad rem: tum quia in præſenti loquimur de perſeverantia viæ, quæ pertinet ad viatorum ſtatum, ut ſupra obſervavimus *num.* 241. & ita non complectitur id, quod tribuitur in ultimo inſtanti intrinſeco mortis. Tum etiam quia immutabilitas conveniens animæ ratione mortis non eſt effectus gratiæ ſpecialis; ſed debetur eius naturæ: ubi enim anima ſeparatur à corpore, manet determinata ad id, quod exiſtens in corpore elegit. Secundum autem dici non valet: primo quia homo ante mortem non dicitur perſeveraſſe, ac proinde nec accepiſſe perſeverantiæ donum. Secundo quia homo ante mortem poteſt ſimpliciter peccare: atque ideo mutabilis de bono in malum. Igitur in nullo vero ſenſu poteſt aſſeri, quod homo per donum perſeverantiæ firmatur in bono; ut hinc probemus prædictum donum eſſe gratiam ſpecialem, & quæ ſuperat exigentiam, ac diſpoſitionem hominis iuſti.

Solutio. Reſpondetur donum perſeverantiæ pertinere ſimpliciter ad ſtatum viæ; atque ideo conferri ante inſtans mortis; compleri tamen extrinſecè per illud inſtans: conſiſtit enim donum perſeverantiæ in coniunctione gratiæ cum morte, ſive in ipſa gratia ſanctificante ut data ex efficaci intentione prædictæ coniunctionis, ut ſupra explicuimus *num.* 242. Vnde patet ad primam probationem in contrarium: nam licèt homo nequeat ante mortem dici, quod perſeveraverit complete, & de præterito; dici tamen poteſt, quod perſeveret, & quod infallibiliter perſeverabit: & hoc ſufficit ad verificandum, quod ante mortem receperit donum perſeverantiæ. Ad ſecundam dicendum eſt hominem, qui habet donum perſeverantiæ, poſſe quidem peccare poteſtate antecedenti, & in ſenſu diviſo; ad quod ſufficit poteſtas ad actum ſecundum ſe: non poſſe tamen peccare poteſtate conſequenti, & in ſenſu compoſito; ad quod requiritur poteſtas ad actum ut coniungendum cum circumſtantiis hic, & nunc occurrentibus: inter quas computatur donum perſeverantiæ, quod neque expelli valet, nec cum peccato componi; alioqui perſeverantia non eſſet. Sicut poſito auxilio efficaci ad amorem, ſtat adhuc poteſtas antecedens ad eius carentiam in ſenſu diviſo; non autem poteſtas conſequens, & in ſenſu compoſito: & hoc poſterius ſufficit, ut eo auxilio poſito dicatur homo infallibiliter, & indiſſolubiliter amare. Adeſt tamen diſcrimen, quod auxilium ſolum infallibilitat, & immobilitat ad actum, ad quem movet, & cui commenſuratur: & ita relinquit in homine poteſtatem non ſolum antecedentem, ſed etiam conſequentem ad peccandum in alia materia, occaſione, aut tempore: unde non importat immobilitatem abſolutam adhuc conſequenter; atque ideo non excedit diſpoſitionem, & exigentiam hominis operantis. Cæterum donum perſeverantiæ reſpicit ſine limitatione totum ſpatium vitæ, quod ſupereſt, & ita infallibilitat, ac immobilitat circa bonum abſolutè, excludendo poteſtatem conſequentem ad oppoſitum: quæ immutabilitas excedit diſpoſitionem, & exigentiam principij de ſe vertibilis à bono in malum, & à malo in bonum: iſtud quippe non expoſcit immobilitari ad unam partem, ut ex ſe liquet. Vnde donum perſeverantiæ nequit non eſſe ſpecialis gratia. An autem hinc ſequatur indiſtinctio inter donum confirmationis, & donum perſeverantiæ infra conſtabit à *num.* 256.

246. Obiicies ſecundo: nam ſicut liberum hominis arbitrium eſt vertibile de bono in malum, ita eſt vertibile de malo in bonum: ſed homo, qui exiſtebat in peccato, per mortem obfirmatur in malo, quin hæc obſtinatio excedat eius diſpoſitionem, & exigentiam: ergo pariter qui exiſtebat in gratia, per mortem firmabitur in bono, quin iſta circa bonum immutabilitas excedat eius exigentiam, ac diſpoſitionem; ac proinde quin habeat rationem gratiæ ſpecialis. *Secunda obiectio.*

Et confirmatur urgenter: quia ſi natura humana conderetur, & gubernaretur in puris, aliqua eius individua perſeverarent in rectitudine naturali, & naturalem beatitudinem aſſequerentur, ut diximus *diſp.* 1. *num.* 58. cui naturali beatitudini perſeverantia in bono, & immobilitas ad malum annexa eſſet, ut ex ſe liquet: & tamen in prædicto ſtatu nulla daretur gratia ſpecialis, ut ſæpius diximus *diſp. citata:* hæc igitur gratia neceſſaria non eſt ad perſeverandum in bono: atque ideo ex vi huius nullum gratiæ ſanctificanti ſpeciale beneficium adiiciendum eſt.

Reſpondetur obiectioni negando conſequentiam: quoniam licèt ſuppoſita perſeverantia viæ ſive in bono, ſive in malo uſque ad mortem, conſonum ſit naturis rerum, & iuxta earum exigentiam, quod homo iuſtus confirmetur in bono, & peccator obfirmetur in malo: nihilominus circa ipſam perſeverantiam viæ, quæ morte completur, aliter in bono, aliter in malo philoſophari oportet: Nam ut homo perſeveret in ſtatu peccati, in quo peccando actualiter ſe conſtituit, non requiritur impotentia antecedens, vel conſequens ad bene moraliter operandum: compatitur enim cum ſtatu, & perſeverantia peccati, quod homo eliciat aliquas operationes moraliter bonas; atque ideo quod inclinationem ad bonum rationis extinctam, aut omnino ligatam non habeat, ut conſtat ex dictis *diſp. præced. dub* 2. Cæterum ut homo perſeveret in ſtatu gratiæ, requiritur inter alia, quod gratia infundatur ex intentione efficaci Dei, vt perſiſtat uſque ad mortem: cum qua intentione non poteſt componi, quod homo labatur in peccatum grave: & ſic habet impotentiam conſequentem ad peccandum. Vnde perſeverantia hominis in peccato non excedit eius exigentiam, & diſpoſitionem, *Reſponſio.*

Digitized by Google

tionem ; ſecus autem perſeverantia hominis in gratia.

Præſertim, quod impotentia conſequens, quam habet peccator, ut propriis viribus convertatur ad bonum, conſequitur ejus actum peccaminoſum, quo ſe in tali ſtatu conſtituit: quod autem conſequitur actum, non excedit vires, & diſpoſitionem principij, à quo actus elicitur, ut ex ſe conſtat. Juſtus verò nullum actum efficere valet, quo ſe conſtituat in ſtatu non peccandi, vel in ſe cauſet impotentiam conſequentem ad peccandum, quæ in perſeverantia gratiæ importatur: unde talis impotentia nequit reduci ad vires, & diſpoſitionem intrinſecam juſti; ſed beneficium ſpeciale à Deo collatum. Quam doctrinam tradit D.Thom. 2.2.*quæſt.*137.*art.*4.*ad* 3. ubi ait: *Dicendum, quod homo per ſe poteſt cadere in peccatum, ſed non poteſt per ſe reſurgere à peccato ſine auxilio gratiæ. Et ideo ex hoc ipſo, quod homo cadit in peccatum, quantum de ſe eſt, facit ſe in peccato perſeverantem, niſi gratia Dei liberetur. Non autem ex hoc, quod facit bonum, facit ſe perſeverantem in bono: quia de ſe potens eſt peccare: & ideo ad hoc indiget auxilio gratiæ.*

D.Thom.

Unde ad confirmationem neganda eſt conſequentia intellecta de perſeverantia ſimpliciter tali, ſive in ſtatu gratiæ. Et diſparitas liquet ex proximè dictis: quoniam perſeverantia illa ſecundum quid (qualem poſſent habere homines conditi in puris, qui brevi tempore viverent) eſſet conſequens ad inſtans mortis, & ita non eſſet perſeverantia viæ. Quandiu enim viverent, nihil haberent, per quod excluderent poteſtatem conſequentem ad peccandum; atque ideo non importarent aliquid, per quod immobilitarentur in bono. Sed illa perſeverantia nihil aliud eſſet, quam brevis permanentia in bono, quam poſſent per vires naturales habere: non enim oporteret, quod ſemper peccarent, ut diximus loco citato. Haberent tamen impotentiam ad diu ſe continendum in bono; atque ideo ad abſolutè perſeverandum. Unde vis ad perſeverandum in eo ſtatu eſſet vel ut conditionata, nempè ſi brevem vitæ periodum agerent. Quod ſi Deus aliud perſeverantiæ genus magis abſolutum decerneret; eo ipſo non gubernaret naturam humanam, ut purorum ſtatus poſcit; ſed ei conferret ſpeciale aliquod beneficium. Cæterum perſeverantia hominis in ſtatu gratiæ non fundatur in ſuppoſitione mortis, ſed pertinet ad viam, & provenit ex efficaci intentione Dei hominis prædeſtinantis ad gloriam; unde eſt omnino abſoluta, ſicut & prædeſtinatio ipſa redditque hominem conſequenter impotentem ad peccandum. Nec, quantum eſt ex vi prædicti affectus, reſtringitur ad tempora, vel occaſiones, ſed figit abſolutè hominem in bono, quamvis quia illa intentio per certa media executioni mandari debet, quandoque inferat longiorem vitam, & quandoque breviorem, prout Deus vult. Hujuſmodi autem adeo magna & firma ſtabilitas excedit vires, & exigentiam gratiæ ſanctificantis; & ſolum derivatur à Deo, *qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut firmiter ſtet*, ut loquitur Concilium Tridentinum.

Alias objectiones nunc omittimus, quia non ſolum rationem, ſed concluſionem æquè directè impugnant, quas proinde inter argumenta adverſæ opinionis ſubjiciemus.

§. III.

Refertur Sententia contraria, & tribus ejus argumentis occurritur.

247. Contrariam noſtræ aſſertioni ſententiam tuentur Vega *lib.*12.*in Trident. cap.*22. & Andreas Duvalius *in Tract. de gratia quæſt.* 1. *art. ult.* qui docent, quod ſi à juſtificatione uſque ad mortem breve temporis ſpatium interveniat, in quo nulla gravis tentatio, vel præceptum difficile occurrat; non requiritur ſpecialis gratia ad perſeverandum finaliter: quod à fortiori dicerent de parvulis, qui ante adultam ætatem moriuntur. Idem etiam reipſa tuentur Auctores, vel qui neceſſitatem doni perſeverandi ad ſpeciales cauſas, & non ad principium adeo univerſale, ut nos fecimus, reducunt; vel qui donum perſeverantiæ à perſeverandi poteſtate non diſtinguunt, ut ex dicendis conſtabit. Id vero, in quo omnes convenire videntur, videlicet ad perſeverandum in gratia non requiri univerſaliter ſpeciale aliquod donum, poteſt probari ſequentibus.

Sententia contraria. Vega. Andreas Duvalius.

Arguitur primo: quia fieri poteſt, ut in ſpatio, quod intervenit ab infuſione gratiæ uſque ad mortem, non occurrat niſi aliquod præceptum facile, & leve: ſed homo poteſt hujuſmodi præceptum adimplere abſque ſpeciali gratia, ut conſtat ex dictis *dub. præced.* §.2. ergo poteſt abſque ſpeciali gratia perſeverare uſque ad mortem. Patet conſequentia: nam ille perſeverat in gratia, qui adimplet mandata: atque ideo quod ſufficit ad adimplendum mandata, ſufficit ad perſeverandum.

Primum argumentum.

Confirmatur primo: nam in prædicto caſu tria tantum interveniunt, nempè infuſio gratiæ, adimpletio præcepti, & mors: ſed mors contingere poteſt ex influxu cauſarum naturalium; adimpletio vero præcepti non expoſcit gratiam ſpecialem; gratiæ denique infuſio non eſt ſpeciale illud donum, de quo agimus in præſenti: ergo nulla ibi interveniret ſpecialis gratia: & tamen homo perſeveraret: nulla igitur requiritur ſpecialis gratia ad perſeverandum finaliter.

Confirmatur primo.

Confirmatur ſecundo: quia ad perſeverandum in prædicto caſu ſufficit, quod gratia conſervetur pro brevi tempore, & quod mors eveniat: ſed brevis gratiæ conſervatio non eſt beneficium ſpeciale: & multo minus mortis eventus: ergo fieri poteſt, ut homo perſeveret abſque ſpeciali Dei beneficio.

Secundo.

Ad argumentum reſpondetur negando conſequentiam: perſeverantia enim non conſiſtit formaliter in auxilio dato ad operandum, ſed in conjunctione gratiæ cum morte, ut hæc conjunctio eſt per ſe intenta à Deo prædeſtinante; unde ex eo, quod homo poſſit in eo eventu abſque ſpeciali gratia adimplere illud præceptum, minus rectè colligitur, quod poſſit abſque ſpeciali gratia perſeverare. Et hinc patet ad conſequentiæ probationem: licet enim ille, qui adimpleret mandata uſque ad mortem perſeveraret: nihilominus ex alio principio ſumitur, quod adimpleat mandata ſecundum ſe; & quod adimpleat mandata uſque ad mortem. Nam ad illud prius ſufficit virtus adæquans difficultatem mandatorum ſecundum ſe, quæ poteſt eſſe communis perſeverantibus, & non perſeverantibus: ſed ad hoc poſterius requiritur, quod adimplens mandata acceperit gratiam datam ex efficaci voluntate Dei intendentis ejus perſeverantiam, ſive conjunctionem cum morte: ex quo prædicta gratia habet immobilitare juſtum in bono, & excedere ejus vires, & exigentiam. Et ita in adimpletione uſ-

Occurritur argumento.

Digitized by Google

que ad mortem implicatur ipſum donum perſeverantiæ, de quo diſputamus.

Diluuntur confirmationes. Unde ad primam confirmationem dicendum eſt, quod licet mors ſecundum ſe conſiderata proveniat à cauſis naturalibus; & gratia ſanctificans ſecundum ſe accepta non ſit ſpecialis gratia, de qua agimus: nihilominus utriuſque conjunctio eſt effectus per ſe intentus à Deo prædeſtinante, & habet rationem beneficij ſpecialis, ſicut & ipſa prædeſtinatio. Immo vero ipſa gratia, ut data ex efficaci intentione, ut permaneat abſolutè, eſt ſpecialiſſimum donum, immobilitans hominem, ne peccet, ut ſupra declaravimus, & ſecum infallibiliter trahit omnia, quæ ad non peccandum requiruntur tam ex parte actus primi, quam ex parte actus ſecundi. Unde ita accepta excedit vires, & exigentiam ſui ipſius conſideratæ ſecundum ſe: habetque proinde rationem doni ſpecialis non ſolum reſpectu hominis, ſed etiam reſpectu juſti.

Ad ſecundam patet ex modò dictis: nam licet brevis permanentia gratiæ conſiderata ſecundum ſe non ſit beneficium ſpeciale reſpectu hominis juſtificati; infuſio tamen gratiæ ex efficaci intentione, ut ſemper maneat, & quæ immobilitat hominem, ne peccet, nequit non rationem ſpecialiſſimæ gratiæ ſortiri: & hoc poſterius importatur in dono perſeverantiæ.

Obiectio. 248. Sed dices ex hac doctrina inferri, quod qui accepit gratiam ea intentione ſibi infuſa, non indigeat ulteriori auxilio ad perſeverandum: conſequens eſt abſurdum: ergo prædicta doctrina admittenda non eſt. Sequela videtur manifeſta: nam gratia ea intentione data immobilitat hominem, ne peccet: independenter ab alio auxilio facit hominem perſeverare: atque ideo homo habens talem gratiam non indigebit ulteriori auxilio ad prædictum effectum. Falſitas vero conſequentis oſtenditur: nam omnes juſti poſſunt, & debent petere à Deo donum perſeverantiæ, illudque petunt illis verbis orationis Dominicæ, *Adveniat regnum tuum*, ut cum D. Thom. 3. *contra gentes cap.* 155. & D. Auguſt. *lib. de bono perſeverantiæ cap.* 2. docent communiter Theologi: quod ſuperfluum foret, ſi juſtus habens gratiam ea intentione datam non indigeret ulteriori auxilio ad perſeverandum.

Reſponſio. Reſpondetur negando ſequelam, univerſaliter, & prout jacet, intellectam. Nam ſicut ex eo, quod ſuppoſita prædeſtinatione alicujus infallibile eſt, quod ſalvabitur; & tamen hæc certitudo non excludit neceſſitatem gratiæ, auxiliorum, & orationis: ita quamvis gratia infuſa ex voluntate efficaci Dei prædeſtinantis, & intendentis perſeverantiam in bono, infallibiliter inferat effectum perſeverandi, nihilominus non excludit neceſſitatem aliorum auxiliorum. Et ratio eſt eadem utrobique: quia videlicet Deus prædeſtinans hominem decernit etiam media, quibus homo conſequatur ſalutem; & Deus infundens gratiam, & intendens perſeverantiam, intendit etiam, quod prædicta perſeverantia per determinata media (inter quæ reſpectu adultorum oratio, & mandatorum adimpletio communiter computantur) executioni mandetur. Unde adhuc ſuppoſita prædeſtinatione, & prædictæ gratiæ infuſione, ſuperfluum non eſt, ſed neceſſarium poſcere perſeverantiam, ſive auxilia, quæ ad eam complendam requiruntur. Ad probationem autem ſequelæ patet ex modò dictis: nam licet gratia ex efficaci perſeverandi intentione data ſit rectum principale doni perſeverantiæ, & immobilitet ſaltem inchoativè hominem in bono; nihilominus, ut hæc munia præſtet, debet connotare futuritionem aliorum auxiliorum, quibus perducenda eſt uſque ad mortem, & per quæ Deus decrevit, ut beneficium perſeverandi executioni mandetur. Quam doctrinam tradit Concil. Trident. *cap. ſæpius citato*, ubi ait: *Verumtamen, qui ſe exiſtimant ſtare, videant, ne cadant; & cum timore, ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in orationibus, in eleemoſynis, & oblationibus, in ieiuniis, & caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes, quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti: Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* *Conc Trid.* Videatur etiam D. Thom. 1. *part quæſt.* 14. *art.* 13. *& quæſt.* 19. *art.* 4. *& quæſt.* 22. *art.* 4. *& quæſt.* 23. *art.* 6. ubi ſimilibus difficultatibus eodem modo reſpondet. *D.Thom.*

249. Replicabis: nam ut verificetur, quod juſtus ut juſtus indiget dono alio ſpeciali ad perſeverandum; requiritur, quod hujuſmodi donum diſtinguatur à gratia ſanctificante: alioqui juſtus per ipſam gratiam intrinſecam haberet donum perſeverandi, quo proinde non indigeret: atqui donum perſeverantiæ à gratia ſanctificante non differt; ſed conſiſtit in eadem gratia ut infuſa ex intentione efficaci, quod perſeveret, ut conſtat ex hactenus dictis: ergo vel juſtus non indiget ſpeciali alio dono ad perſeverandum; vel rectum hujus doni non eſt gratia ſanctificans, ut affirmamus. *Replica.*

Solutio. Reſpondetur, quod ut ſupra *num.* 242. præmonuimus, donum perſeverantiæ adæquatè acceptum conſiſtit in conjunctione gratiæ cum morte ex intentione efficaci glorificationis: unde ita acceptum complectitur aliquid realiter diſtinctum à gratia, nempè mortem, aut etiam auxilia, quibus gratia uſque ad mortem perducitur: atque ideo non ſequitur, quod homo per gratiam entitativè acceptam habeat donum perſeverantiæ, ſaltem adæquatè, & completè. Sed rectum hujus doni, quod primo immobilitat hominem, & tollit poteſtatem conſequentem ad peccandum, in gratia ſanctificante merito conſtituimus: & in hac tantum conſideratione replica poteſt procedere. Quæ tamen non urget: quoniam licet hoc rectum non diſtinguatur materialiter, & in eſſe entis à gratia, diſtinguitur tamen formaliter in eſſe doni, & quantum ſufficit, ut habeat rationem ſpecialis beneficij reſpectu juſti. Gratia enim ſecundum ſe non præſtat eam immobilitatem, nec implet infallibiliter complementum perſeverandi: ita juſtus, conſideratus ut habens gratiam ſecundum ſe, adhuc indiget ſpeciali dono ad immobiliter perſeverandum. Sed quod gratia etiam immobilitatem præſtet, provenit ex eo, quod infunditur à Deo ex intentione efficaci, ne unquam deficiat: hinc enim debet excludere poteſtatem conſequentem ad peccandum. Quod autem ſic infundatur, accidit ipſi gratiæ ſecundum ſe, & eſt novum, & diverſum beneficium, ſeparabile à gratia ſecundum ſe. Unde non ſequitur, quod juſtus habens gratiam ſecundum ſe acceptam, habeat eo ipſo intranſitivè donum perſeverantiæ. Si vero ſermo fiat de juſto ut habente gratiam ea intentione ſibi datam; jam implicatur ipſum rectum perſeverantiæ; & ita inconveniens non eſt, quod non indigeat ulteriori auxilio ad inchoativè perſeverandum: habet enim prædictum auxilium.

250. At

Secundum argumentum.

150. Arguitur ſecundo: nam donum perſeverantiæ ad hoc ponitur neceſſarium, ut homo à ſtatu gratiæ per peccatum non delabatur: ſed pueri baptizati, qui ante uſum rationis moriuntur, nequeunt à gratia per peccatum labi; ſiquidem ſunt incapaces peccandi: ergo donum perſeverantiæ neceſſarium non eſt prædictis pueris, ut conſerventur in gratia, & conſequantur ſalutem: atque ideo aſſertio noſtra non eſt univerſaliter vera.

Curiel.

Propter hoc argumentum quidam, quos ſuppreſſo nomine refert Curiel, limitant noſtram aſſertionem, ut non extendatur ad parvulos. Sed eorum ſententia omnino tuta non eſt: nam doctrina Conciliorum ſtatuentium neceſſitatem ſpecialis doni perſeverantiæ univerſalis eſt, ut ſupra à *num.* 2.3. ponderavimus.

Enodatur.

Unde aliter ad argumentum reſpondetur, quod licèt pueri in ætate infantili nequeant peccare, poſſunt tamen ad ætatem adultam pervenire, & in ea peccare. Quod ergo poſt gratiam in Baptiſmo acceptam moriantur, & eripiantur ab his periculis, beneficium ſpeciale eſt; quippe quod nec naturæ ſecundum ſe, nec gratiæ ſecundum ſe debetur. Et hoc ſignificavit Scriptura *Sap.* 4. illis verbis: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus:* quæ in hoc ſenſu exponit D. Auguſt. *lib.* 4. *contra Iulianum, c.* 8. & *epiſt.* 107. *ad Vitalem, & lib. de prædeſt. Sanct. cap.* 14. & alibi ſæpe. Præſertim quia gratia illis pueris datur ex efficaci voluntate Dei eos prædeſtinantis, & intendentis, ne unquam peccent: quo pacto gratia eos immobilitat in bono, & tollit poteſtatem conſequentem ad peccandum, quæ ſunt propria munia doni perſeverantiæ. Atque ideo ſicut falſum omnino eſſet aſſerere, quod illi pueri conſequuntur ſalutem abſque prædeſtinatione: ita abſurdum prorſus eſt dicere, quod ſalventur abſque ſpeciali dono perſeverantiæ. Ipſa enim gratia ut ea intentione infuſa, & morti conjungenda eſt perſeverantiæ donum. Quæ eſt expreſſa ſententia D. Auguſt. *lib. de bono perſeverantiæ, cap.* 14. ubi ait: *Sed mirabilior, & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei eſt, quod etiam parvulis, quibus obedientia non eſt illius ætatis, ut detur, datur hac gratia*, nempe donum perſeverantiæ, de qua diſputat.

(Margin: *Sap.* 4. — *D August.* — *D. August.*)

Replica.

Dices: datis duobus pueris baptizatis, quorum unus ſtatim moriatur, & alter perveniat ad adultam ætatem, & in ea peccet; prior ille in perſeverando ſolum diſcernitur ab hoc per mortem naturalem: in gratia enim recepta pares ſupponuntur fuiſſe: ſed perſeverantia ſpecialis, de qua loquimur, debet eſſe aliquod ſupernaturale beneficium: ergo puer ille perſeverat abſque ſpeciali dono perſeverantiæ.

Solutio.

Reſpondetur negando majorem: tum quia mors in eo eventu, quamvis elicitivè, ut ſic dicamus, proveniat à cauſis naturalibus; imperatur tamen ex providentia ſupernaturali Dei prædeſtinantis puerum illum: & ita ſpectat aliquo modo ad ſupernaturalem ordinem, ſicut alij prædeſtinationis effectus. Tum etiam quia gratia ſanctificans data puero perſeveraturo provenit ex intentione efficaci Dei volentis pueri perſeverantiam, & ſalutem: & ideo licèt materialiter in eſſe entis non excedat gratiam alteri datam; ſuperat tamen conſiderata in eſſe doni, & beneficij deſcendentis à Deo: ſub qua ratione conſtituit rectum doni perſeverantiæ. Vnde liquet, quod puer perſeverans diſcernitur ab alio per aliquod beneficium ordinis ſupernaturalis.

Tertium argumentum.

151. Arguitur tertio: nam illud, quod debetur, non habet rationem doni ſpecialis: ſed habenti gratiam debetur perſeverantia: hæc igitur non eſt donum ſpeciale. Suadetur minor: nam gratia ſanctificans præſtat jus ad gloriam, quæ ſine perſeverantia contineri non poteſt: ergo perſeverantia debetur habenti gratiam. Patet conſequentia: nam habenti jus ad aliquem finem, debentur media neceſſaria ad illud conſequendũ.

Confirmatur.

Confirmatur primo: quia amicitiæ debetur firmitas, atque auxilium ad ejus confirmationem, ſed gratia ſanctificans fundat amicitiam inter Deum, & hominem: ergo gratiæ ſanctificanti, & juſto per eam conſtituto debetur firmitas, ſive auxilium ad amicitiæ conſervationem, & conſequenter donum perſeverantiæ.

Confirmatur ſecundo: quia unicuique habitui debetur auxilium ad ejus operationem: ſed in juſto datur ſpecialis habitus perſeverantiæ, qui ad perſeverandum inclinat, ut ſupra *n.* 140. vidimus ex D Thom. ergo juſto, mediante tali habitu, debetur auxilium, quo perſeveret.

Reſponſio ad argumentum.

Ad argumentum reſpondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum eſt, quod licèt gratia præſtet jus ad gloriam dandam perſeveranti; non tamen præſtat jus ad ipſam perſeverantiam viæ, ſive, & in idem redit, non dat vires, & exigentiam ſe immobilitandi, & conjungendi cum morte. Et ita licèt perſeverantia patriæ habeat rationem finis, ſeu præmij, & debeatur gratiæ, perſeverantia tamen viæ non debetur, ſed eſt requiſitum ſe tenens ex parte ſubjecti ad actualem collationem gloriæ. Vnde dici poteſt, quod jus importatum in gratia ſit ſubjectivè abſolutum, & objectivè conditionatum: nam habens gratiam habet abſolutè jus ad gloriam dandam tamen dependenter à conditione perſeverantiæ finalis.

Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem reſpondetur diſtinguendo, vel explicando majorem: quæ ſi ſignificet eſſe de ratione amicitiæ, quod amicus non deſiſtat ex parte ſua ab amicitia, concedenda eſt: & ita ſe gerit Deus, nunquam enim privat hominem ſua gratia, & amicitia, niſi ejus culpa prius provocetur. Si autem denotet, quod amicus debeat amicum in amicitia ita retinere, ut ei non permittat peccare, & ab amicitia reſilire; neganda eſt: nec probari valet ex legibus amicitiæ: præſertim in hac materia, & ſervata communi gratiæ providentia, quæ poſtulat, ut principium ex ſe mutabile permittatur aliquando mutari.

Ad ſecundã.

Ad ſecundam negamus conſequentiam, quæ non rectè infertur ex præmiſſis: nam operatio habitus perſeverantiæ non eſt actus, ſive exercitium perſeverandi; ſed eſt affectus perſeverandi, ſive propoſitum non deficiendi à bono. Et quamvis Godoi ubi ſupra *num.* 23. exiſtimet, quod ſicut ad reipſa perſeverandum requiritur ſpeciale auxilium, ita etiam ad propoſitum efficax perſeverandi: longè probabilius eſt oppoſitum: plus enim requiri poteſt aliquid præſtandum, quam ad propoſitum præſtandi illud, ut oſtendimus *diſp præced dub.* 3. *à num.* 121. Vnde admittimus, quod juſto debeatur auxilium ad actum proprium habitus perſeverantiæ, qui eſt propoſitum perſiſtendi in bono: & negamus, quod debeatur ad actu perſeverandum. Quam reſolutionem docet apertè D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 137. *art.* 4. ubi ait: *Cum liberum arbitrium de ſe ſit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præſentis vitæ; non ſubeſt poteſtati liberi arbitrij*

D.Thom.

arbitrij etiam per gratiam reparati, ut ſe immobiliter in bono ſtatuat; licèt ſit in poteſtate ejus, quod hoc eligat: plerumque enim cadit in noſtra poteſtate electio, ſed non executio. Et idem docet in reſponſione ad 2.

§. IV.

Diluitur quartum argumentum, & ſimul oſtenditur neceſſitas doni perſeverantiæ pro ſtatu juſtitiæ originalis.

Quartum argumentum.

252. ARguitur quarto: quia homo in ſtatu juſtitiæ originalis non indigebat ſpeciali aliquo dono ad actu perſeverandum: ergo hujuſmodi donum non eſt univerſaliter pro omnibus hominibus, & ſtatibus neceſſarium. Antecedens ſuadetur: quia homo in prædicto ſtatu erat ſimpliciter ſanus, nullamque in bene operando patiebatur difficultatem, vel rebellionem ex parte appetitus: homini autem ſic diſpoſito connaturale omnino eſt perſeverare: ergo homo in tali ſtatu non indigebat ſpeciali aliquo dono ad perſeverandum.

Prima ſolutio ex Janſenio, Molina. Suarez.

Propter hoc argumentum Cornelius Janſenius, & Ludovicus de Molina *in Concordia, quæſt.* 14. *art.* 13. *diſp.* 4. quibus etiam favet Suarius *lib.* 10. *de gratia, cap.* 9. limitant noſtram aſſertionem ad præſentem ſtatum naturæ lapſæ. Inter quem, & ſtatum juſtitiæ originalis quantum ad indigentiam ſpecialis doni perſeverantiæ conſtituunt differentiam, quam argumentum inſinuat: nam de facto adeſt rebellio appetitus, adſunt etiam plures aliæ difficultates, in quarum victoria ut homo perſeveret, indiget ſpeciali aliquo gratiæ beneficio: cujus oppoſitum contingeret in ſtatu originalis juſtitiæ ob oppoſitam rationem.

Obſtitur.

Sed hæc doctrina omnino rejicienda eſt. Tum quia videtur manifeſtè adverſari determinationi *Conc. Arauſ.* Concilij Arauſicani ſecundi *can.* 19. ubi dicitur: *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret.* Et nequit Concilium exponi de adjutorio per ſolos habitus infuſos, aut alia auxilia ſufficientia: quia Semipelagiani Maſſilienſes, quorum errores damnat, non negabant hos habitus, & auxilia, ſed neceſſitatem ulterioris auxilij efficacis, ut conſtat ex dictis *diſp.* 1. *Conc. Trid.* *cap.* 5. §. 2. & 3. Tum etiam quia Concilium Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 13. ut doceat hominem juſtificatum indigere ſpeciali dono perſeverantiæ, inferit rationem univerſalem, & quæ probat pro omni ſtatu viæ: *Quod, inquit, aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet.* Hæc vero propoſitio falſa eſſet, ſi perſeverantia in aliquo ſtatu aliunde haberetur, quam ex ſpeciali Dei dono firmante hominem circa bonum. Sentit ergo Concilium, quod homo in ſtatu juſtitiæ originalis indigebat ſpeciali aliquo auxilio, ut actu perſeveraret. Tum præterea quia non minori gratia indigebat homo in eo ſtatu, ac Angeli: ſed hi non perſeverarunt abſque ſpeciali aliquo Dei beneficio: ergo nec homo perſeveraret. *D. Auguſt.* Probatur minor ex D. Auguſt. *lib.* 12. *de Civitate Dei, c.* 9. ubi de Angelis tractans inquit: *Iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimè fieret, pervenerunt.* Quod majus adjutorium non pertinet ad auxilium ſufficiens, quod omnibus Angelis commune fuit; ſed ad ſpeciale aliquod auxilium efficax, quo Deus Angelos, quos voluit, adjuvit, ut permanerent in bono, juxta abſolutam perſiſtendi intentionem, qua ipſis gratiam ſanctificantem communicavit, ut apertius ſignificat idem S. Doctor *concione* 2. *in Pſal.* 32. ubi de eiſdem Angelis ſub nomine cælorum agens inquit: *Nec ipſi firmitatem ſibi propriam præſtiterunt: verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Idem etiam docet D. Gregor. *lib.* 25. *Moral. cap.* 28. ubi de Angelis affirmat: *Aliis cadentibus, alios fuiſſe à Deo ſolidatos, utique ſimiliter caſuros, niſi ſolidati fuiſſent.* Tum denique quia idem D. Auguſt. *lib. de correctione, & gratia, c.* 11. aſſerit Adamo datum fuiſſe auxilium, quo poſſet perſeverare, ſed non datum ei fuiſſe auxilium, quo perſeveraret: ergo ſentit S. Doctor, quod ut homo perſeveraret in ſtatu juſtitiæ originalis, præter auxilium ſufficiens præſtans poſſe, requirebatur aliud ſpecialius auxilium faciens actu perſeverare.

Urgetur impugnatio.

Adde *primo* motivum noſtræ aſſertionis univerſale eſſe, & comprehendere etiam ſtatum juſtitiæ originalis: quoniam principio de ſe variabili, & vertibili de bono in malum non debetur immutabilitas, & ſtabilitas in bono, quam importat perſeverantia: ſed homo per juſtitiam originalem non exueret propriam variabilitatem, & vertibilitatem à bono in malum, ut in Adamo peccante liquet: ergo non deberetur prædicto homini perſeverantia, ſed ſuperaret ejus diſpoſitionem, & haberet rationem gratiæ ſpecialis. Adde *ſecundo*, quod ſicut rectum perſeverantiæ eſt de facto gratia ſanctificans ut infuſa à Deo prædeſtinante, & efficaciter intendente ejus permanentiam; ita rectum perſeverantiæ in ſtatu innocentiæ eſſet juſtitia originalis ut infuſa à Deo prædeſtinante, & volente efficaciter, ne deficeret. Et quemadmodum gratiam infundi ex intentione addit aliquid ſupra ſe, quod ipſi ſecundum ſe ſumptæ non debetur, ſed provenit ex ſpecialiſſimo favore, & providentia Dei prædeſtinantis: ita juſtitiam originalem conferri ex illa intentione adderet aliquid ſupra ſe ipſam, indebitum ſibi conſideratæ ſumptæ ſecundum ſe, nempe ſpecialem amorem, & providentiam Dei prædeſtinantis: niſi Janſenius, & Molina velint homines, qui in ſtatu juſtitiæ originalis ſalvarentur, non deberi ſupponi prædeſtinatos: quod eſt omnino improbabile. Sicut ergo nunc perſeverantia eſt gratia ſpecialis; ita proportionabiliter foret in prædicto ſtatu.

Legitima reſponſio.

253. Ad argumentum ergo negandum eſt antecedens. Et ad ejus probationem negamus minorem: quia licèt in eo ſtatu non eſſet neceſſarium ſpeciale donum perſeverantiæ vel ob rebellionem appetitus, vel ob difficultatem rectè operandi: requireretur tamen ad immobilitandum vertibilitatem arbitrij, quam juſtitia originalis minimè excludit, ut patet in Adamo peccante, & ad conjungendum per ſe, & ex ſpeciali providentia prædictam juſtitiam cum morte. Id quod ſatis liquet in parvulis baptizatis, & ante uſum rationis decedentibus: in his enim non datur pugna appetitus, nec obligatio rectè operandi; immò in ea ætate impotentes ſunt ad peccandum: & tamen non perſeverant abſque ſpeciali dono perſeverantiæ, ut ſupra *numero* 250. vidimus ex D. Auguſtin. Unde à fortiori idem dicendum eſt de hominibus exiſtentibus in ſtatu juſtitiæ originalis. Præſertim cum ſecundum communem providentiam

Digitized by Google

tiam prædicti ſtatus poſſent homines à Diabolo tentari, & habere inconſiderationem circa agenda, ut Adamus expertus fuit.

Obiectiones contra reſponſionem.

254. Nec refert, ſi huic doctrinæ opponas *primò*: nam Divus Auguſtinus *in libris de bono perſeverantiæ, & de correptione, & gratia*, apertè intendit aliquam differentiam conſtituere inter hominem iuſtitia originali præditum, & hominem lapſum reſpectivè ad neceſſitatem doni perſeverantiæ: ergo ei opponimur, dum aſſtruimus neceſſitatem prædicti doni pro utroque ſtatu. *Secundò*: quia S. Doctor *in eo lib. de correpti. & gratia*, manifeſtè docet Adamum habuiſſe poteſtatem perſeverandi, & Deum reliquiſſe in libero eius arbitrio, ut vellet perſeverare: ſed non relinquitur in facultate liberi arbitrij id, ad quod requiritur gratia ſpecialis: ergo ex ſententia Auguſtini non requireretur ſpeciale donum, ut homo perſeveraret in ſtatu iuſtitiæ originalis. *Tertiò*, quoniam homo in prædicto ſtatu poſſet ſervare omnia præcepta collectivè: ergo auxilium ad ea ſervanda eſſet iuxta eius facultatem, & exigentiam; atque ideo non haberet rationem gratiæ ſpecialis: ſed qui collectivè ſervat omnia mandata, perſeverat, ut ex ſe liquet: ergo auxilium ad perſeverandum in eo ſtatu non eſſet ſpeciale.

Confirmatio.

Et confirmatur urgenter impugnando doctrinam ſuperius traditam: nam Angelus, ſicut & homo conditus in ſtatu innocentiæ, eſt mutabilis à bono in malum: uterque enim habet eſſe ex nihilo, & poſſe deficere: atqui Angelus non indiguit aliquo ſpeciali dono ad perſeverandum: ergo nec homo in ſtatu iuſtitiæ originalis. Probatur minor: quia Angelus non indiget ſpeciali auxilio ad eliciendum aliquem actum perfectè deliberatum, ut puta ad diligendum ex charitate Deum ſuper omnia, ſuppoſita infuſione gratiæ ſanctificantis: ſed Angeli per unum actum perfectè deliberatum immobilitantur in bono: ergo Angeli, ut in bono immobilitarentur, ac ſubinde perſeverarent, non indigebant ſpeciali aliquo auxilio. Minorem, in qua poterat eſſe difficultas, docet Divus Thomas *prima parte quæſtione 63. artic. 6. ad 3.* his verbis: *Dicendum, quod Angelus habet liberum arbitrium inflexibile poſt electionem. Et ideo niſi ſtatim poſt primum inſtans, in quo naturalem,* (id eſt, non perfectè deliberatum,) *motum habuit ad bonum, impedimentum beatitudinis præſtitiſſet; fuiſſet firmatum in bono.*

D.Thom.

Occurritur primæ obiectioni.

255. Hæ, inquam, obiectiones non referunt, ſed facilè diluuntur ex dictis. Ad primam dicendum eſt differentiam à D. Auguſt. intentam inter præſentem ſtatum, & ſtatum iuſtitiæ originalis ſitam non eſſe in eo, quod pro hoc ſtatu ſit neceſſarium donum ſpeciale perſeverantiæ; & non eſſet pro illo ſtatu: ſed conſiſtere in duplici alio diſcrimine, videlicet, quod Adamus habuerit minores difficultates, ut perſeveraret; iuſti vero huius ſtatus pluribus difficultatibus impediuntur: & quod nihilominus vice verſa Adamo non fuerit datum auxilium, ut perſeveraret, quod tamen pluribus iuſtis huius ſtatus conceditur: ut in Adamo ſano, valido, & potenti appareret, quanta ſit defectibilitas liberi arbitrij, quod ſe in tanta proſperitate continere neſcivit; & in iuſtis huius ſtatus expoſitis tot periculis, & tentationibus relucet, quanta ſit divinæ gratiæ efficacia, quæ facit hominem contra ea impedimenta prævalere, & finaliter perſeverare. Hunc vero eſſe legitimum ſenſum Auguſtini ex ſola textus lectione facilè percipiet ex *cap. 12. de corrept. & gratia* circa finem ubi totam differentiam utriuſque ſtatus quantum ad perſeverantiæ beneficium ita abſolvit: *Subventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei; cum voluntas primi hominis fortis, & ſana in bono ampliori non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrij, quamvis non defuturo adiutorio, ſine quo non poſſet perſeverare, ſi vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet, infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè, quod bonum eſt, vellent, nec hoc deſerere invictiſſimè nollent.* Et ferè immediatè orditur caput ſequens his verbis: *Hæc de his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei, &c.* Ut denotet perſeverandi beneficium derivari ex ſpecialiſſima Dei providentia, atque ideo generale non eſſe, ſed ſpeciale intra ipſum gratiæ ordinem.

D.Auguſt.

Diluitur ſecunda.

Unde patet ad ſecundam obiectionem: nam cum S. Doctor aſſerit Deum reliquiſſe in libero Adami arbitrio perſeverare, ſi vellet; ſolum ſignificat magnam facilitatem, quam Adamus haberet in perſeverando: ſed non excludit neceſſitatem ſpecialis auxilij, ut actu perſeveret. Hæc quippe neceſſitas non fundatur unicè in difficultate orta ex rebellione appetitus, quam de facto patimur: ſed fundatur ſufficienter in vertibilitate arbitrij, quam Adamus etiam habebat. Et quod Auguſtin. in hoc ſenſu loquatur, conſtat tum ex eodem S. Doctore *lib. citat. cap. 11.* ab illis verbis: *Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant ſancti, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c.* ubi difficultatem perſeverantiæ huius ſtatus exaggerat. Tum ex D. Thom. *in præſenti artic. in reſponſ. ad 3. & ſecunda ſecundæ queſt. 137. artic. 4. in reſponſ. ad 2.* ubi Auguſtini ſententiam in hoc ſenſu interpretatur.

D. Auguſt. *D.Thom.*

Ad tertiam dicendum eſt, quod licèt adimpletio omnium præceptorum collectivè conſiderata ſecundum ſe, ſive quantum ad difficultatem obiectivam, quam ipſa præcepta important, non excederet vires hominis iuſtitia originali exornati: poſſetque proinde, quantum eſt ex vi huius, executioni mandari cum ſolo generali concurſu: nihilominus eadem adimpletio ut continuata uſque ad mortem, & ut proveniens à gratia data ex efficaci intentione perſeverantiæ, atque immobilitate voluntatem creatam in bono: excederet diſpoſitionem prædicti hominis, haberetque proinde rationem doni ſpecialis, ut conſtat ex hactenus dictis. Unde negandum eſt, quod homo in tali ſtatu attentis omnibus poſſet poteſtate conſequenti omnia præcepta collectivè ſervare uſque ad mortem abſque ſpeciali beneficio doni perſeverantiæ. Recolantur, quæ diximus in reſponſione ad primum argumentum, quod idem ferè motivum afferebat.

Solvitur confirmatio.

Ad confirmationem reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum eſt Angelos eſſe inflexibiles intra ordinem naturalem

Digitized by Google

lem reſpectu eorum, quæ cum perfecta deliberatione eligunt ad finem prædicti ordinis: eſſe etiam inflexibiles intra ordinem ſupernaturalem, ut à malo convertantur ad bonum: quæ inflexibilitas etiam eſt naturalitas, & pertinet ad potentiam peccandi. Sed non habent ex natura ſua inflexibilitatem, ne intra ordinem ſupernaturalem à bono convertantur ad malum: huiuſmodi enim inflexibilitas eſt ſupernaturalis, & proveniens eis à gratia. Deus tamen, abſque ulla exigentia poſitiva ex parte naturæ angelicæ, voluit Angelos gubernare in ordine gratiæ cum proportione ad ea, quæ ipſi habent intra ordinem naturæ: & ita decrevit, ut poſt unum actum ſupernaturalem perfectè deliberatum finirent ſtatum viæ, & fierent inflexibiles in ordine gratiæ. Quam doctrinam tradunt communiter Thomiſtæ cum S. Doctore *prima parte quæſt. 26. artic. 5. & 6.* Et in hac ſuppoſitione Deo voluntaria, & Angelo indebita, & gratioſa, procedit doctrina D. Thom. loco in confirmatione citato. Si enim Deus oppoſitum non decreviſſet, Angelus, adhuc ſuppoſita electione perfectè deliberata erga bonum, poſſet à bono converti in malum peccando. Vnde quod Deus Angelis, quos voluit, prædictam firmitatem, & inflexibilitatem dederit; fuit beneficium ſpeciale, ortum ducens ex ſpecialiſſima providentia, quæ eos prædeſtinavit ad gloriam. In hoc ergo ſenſu diſtinguenda eſt maior: quæ ſi intelligatur per reſpectum ad unicum dilectionis actum conſideratum ſecundum ſe, concedenda eſt: negari autem debet, ſi intelligatur per reſpectum ad eumdem actum, ſecundum quod ex diſpoſitione Dei finivit viam, & fecit Angelos inflexibiles, & perſeverantes in bono. Nam ad eliciendum prædictum actum ſub hac poſteriori conſideratione acceptum requiritur ſpeciale Dei beneficium, nempe quod det Angelis gratiam ex affectu efficaci perſeverantiæ finalis, ut ſupra de hominibus dicebamus. Videantur, quæ diximus *in Tract. de Angelis, diſp. 12. dub. 3. §. 2.* ubi eamdem difficultatem diluimus.

§. V.

Solvitur quintum argumentum, & ſimul explicatur differentia intra donum perſeverantiæ, & donum confirmationis.

Quintum argumentum. 256. QVinto arguitur: nam ſi omnes, qui perſeverant, id haberent ex ſpeciali Dei dono, quod perſeverantiam vocamus; ſequeretur omnes, qui perſeverant, eſſe confirmatos in gratia: conſequens eſt falſum, & contra communem Theologorum ſententiam: ergo ad perſeverandum actu non requiritur univerſaliter ſpeciale donum perſeverantiæ. Sequela oſtenditur: quia effectus ſpecialis doni perſeverantiæ eſt firmare, & immobilitare voluntatem creatam in bono, ut conſtat ex his, quæ hactenus diximus: ſed hoc, & nihil aliud præſtat donum confirmationis: ergo ſequitur omnes, qui perſeverant, eſſe confirmatos in gratia.

Quorundam reſponſio. Huic argumento quidam reſpondent concedendo ſequelam: exiſtimant enim prædicta dona in nihilo intrinſeco differre; ſed perſeverantes eſſe confirmatos in gratia, & è converſo. Ita Salmeron *in præamb. ad epiſt. Pauli part. 2. diſp. 14. & 15.* *Salmeron.* Cui opinioni ſubſcribit ipſa Vaſquez in præſenti *diſp. 200. cap. 5.* *Vaſquez.* quatenus aſſerit illa dona in eo tantum differre, quod confirmatis in gratia fit revelatio ſuæ ſalutis, quæ tamen non fit univerſaliter omnibus, qui perſeverant in gratia. Hæc enim differentia extrinſeca tantum eſt, ut de ſe liquet.

Reijcitur. Sed horum opinio ſuſtineri non debet: tum quia in re gravi opponitur communis cæterorum Theologorum ſententiæ. Tum etiam quia ſpecialiter, & apertè opponitur D. Thom. *1. part. quæſt. 100. art. 2. ad 1.* *D. Thom.* ubi ait: *Dicendum, quod ſi Adam non peccaſſet, non generaret ex ſe filios gehennæ, ita ſcilicet, quod ab ipſo peccatum contraherent, quod eſt cauſa gehennæ. Poſſent tamen fieri filij per liberum arbitrium. Vel ſi filij gehennæ non fierent per peccatum; hoc non eſſet per hoc, quia eſſent in iuſtitia confirmati: ſed propter divinam providentiam, per quam à peccato conſervarentur immunes.* Vbi concedit quoſdam Adæ filios fore immunes à peccato, ſive perſeveraturos in bono, quibus tamen negat, quod eſſent in iuſtitia confirmati: ſentit ergo prædicta dona inter ſe diſtingui. Tum præterea quia iuxta communem fidelium ſenſum, donum confirmationis in gratia non eſt commune omnibus iuſtis, qui perſeverant, & ſalvantur; ſed convenit ſpecialibus perſonis, utputa B. Virgini, & Apoſtolis. Tum denique & à priori, quia donum confirmationis addit aliquid intrinſecum ſupra donum perſeverantiæ, ut infra declarabimus. Nec differentia, à Vaſquio excogitata alicujus momenti eſt: *primò*, quia non occurrit motivis proximè adductis. *Secundò*, quia innititur principio prorſus incerto, & quod ipſe probare non valet: incertum enim eſt, utrùm omnes confirmati in gratia habuerint ſuæ ſalutis revelationem, ut rectè diſcurrit Suarius contra Vaſquium agens *in lib. 10. de gratia, cap. 8. à num. 22.* *Suarez.*

Melior reſponſio. 257. Vnde aliter argumento reſpondetur negando ſequelam: adeſt enim intrinſeca diſtinctio inter utrumque donum, ut docent communiter Theologi. Sed in aſſignando hanc differentiam dividuntur in varios dicendi modos; ex quibus principaliores tantum ſubiiciemus.

Prior dicendi modus. Quidam affirmant diverſitatem in eo ſitam eſſe, quod donum confirmationis tollit potentiam conſequentem, & antecedentem ad peccandum, & reddit hominem impotentem abſolutè, ut peccet: donum autem perſeverantiæ non tollit poteſtatem antecedentem peccandi; ſed ſolum præſtat, ne homo peccet actu, quæ eſt impotentia præcisè conſequens, ut ſupra expoſuimus. Ita poſt Ochamum, & Gabrielem docet Valentia *tom. 2. diſp. 8. q. 3. punct. 4. §. 2.* *Valentia.*

Impugnatur. Hic tamen dicendi modus falſus eſt: quoniam gratis admiſſo, quod Deus poſſit abſolutè hominem viatorem ita perfectè confirmare in bono, ut ab eo excluderet poteſtatem antecedentem ad peccandum; nihilominus non eſt de conceptu generali doni confirmationis communicare huiuſmodi impotentiam. Vnde Apoſtoli, licèt confirmati fuerint in gratia, potuerunt abſolutè peccare: illiſque, ſicut aliis iuſtis valet accommodari illud Eccleſiaſtic. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* *Eccleſ. 31.* Et Paulus licèt ſciret ſe in gratia confirmatum eſſe; nihilominus 1. *ad Corinth. 9.* *1 ad Cor. 9.* dicebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne fortè cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus*

bus efficiar. Vbi particula *fortè* poſſibilitatem ſui lapſus, & damnationis ſignificat. Idemque ſignificant alia Scripturæ teſtimonia, quæ in hoc D. Thom. ſenſu exponit D. Thom. 4. *contra gentes cap.70. ratione 5.* ubi ſicut & *quæſt. 24. de verit. art. 9.* docere videtur, quod ſit impoſſibile hominem viatorem ita perfectè in bono confirmari, ut dicatur impotens ad peccandum.

Diximus, *gratia admiſſo, quod Deus, &c.* tum ut ab huius difficultatis deciſione modo non ne- D.Thom. ceſſariæ præſcindamus: tum quia D. Thom. illud admittere videtur 1. *part. quæſt.* 100. *art.* 2. ubi poſtquam aſſeruit non videri poſſibile, quod pueri in ſtatu innocentiæ naſcerentur in iuſtitia confirmati, addit: *Ex hoc creatura rationalis in iuſtitia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei viſionem. Cui viſo non poteſt non inhærere; cum ipſe ſit ipſa eſſentia bonitatis, à qua nullus poteſt averti; cum nihil deſideretur, & ametur, niſi ſub ratione boni. Et hoc dico ſecundum legem communem: quia ex aliquo privilegio ſpeciali ſecus accidere poteſt: ſicut creditur de Virgine Matre Dei.* Et ita poſſunt exponi oppoſita teſtimonia. Sed maior huius rei diſcuſſio pertinet *ad* 3. *part. quæſt.* 27.

Aliter Suarez occurrit. 258. Suarius *loco ſupra citato à n.* 29. recognoſcens aliquam diſtinctionem inter donum confirmationis, & donum perſeverantiæ, concludit eam non eſſe formalem, & eſſentialem; ſed accidentalem, & penes magis, & minus: ſicut differunt gratia magis intenſa, & minus intenſa. Nam licet omnibus perſeverantibus detur aliquod ſpeciale auxilium; quibuſdam tamen datur auxilium præſtantiſſimum, nimirum per illuſtriores illuminationes intellectus, & ardentiores affectus voluntatis, & cum largiori poteſtate extrinſeca Dei ad ſuperandum graves difficultates, & tentationes. Et auxilium perſeverantiæ his conditionibus præditum eſt reipſa donum confirmationis in gratia.

Reiicitur. Cæterùm hic dicendi modus, quem Suarius, aliis reiectis, elegit, inſufficientior eſt illis; & tandem relabitur in ſententiam Vaſquij ſupra impugnatam, poteſtque eiſdem motivis refelli. Sed inſuper reiicitur: tum quia donum confirmationis poteſt conferri parvulis: qui tamen non recipiunt eas illuſtrationes, & affectus: ergo donum confirmationis non rectè per eas illuſtrationes & effectus explicatur. Tum etiam quia fieri poteſt, ut confirmato in gratia non occurrant plures, & graviores tentationes, ac difficultates, quam alteri non confirmato: ergo ratio doni confirmationis minus convenienter explicatur per auxilium præſtantius datum, ut ex difficultates, & tentationes ſuperentur. Tum præterea quia non apparet, cur maior illa directio, & protectio Dei extrinſeca debeatur confirmatio in gratia, quam aliis, niſi ex parte ipſius doni confirmationis ponatur aliquid intrinſecum, & eſſentiale, quod poſcat eam protectionem: id vero non explicat Suarius, immo nec videtur admittere. Tum inſuper quia præſtantiſſimum illud auxilium per varias intellectus illuſtrationes, & voluntatis affectus pluribus iuſtis ſanctitate egregia præditis conceſſum eſt, ut ex eorum vita ſatis liquet: quos tamen fuiſſe communiter confirmatos in gratia non licet aſſerere: ergo donum confirmationis aliquid eſt præter illud auxilium. Tum denique, & præcipuè quia donum perſeverantiæ eſt proprium viatorum, poteſtque ipſis ſecundum ordinariam Dei providentiam communicari: donum autem confirmationis eſt proprium beatorum, & tantum poteſt haberi in via per quandam participationem imperfectam, & extraordinariam, ut docet D.Thom. locis ſupra relatis: hæc autem diverſitas maior eſt, quam præciſè accidentalis, & penes magis, & minus.

259. His ergo dicendi modis relictis, aſſe- *Legitimus dicendi modus.* rendum eſt donum confirmationis diſtingui à dono perſeverantiæ diſtinctione intrinſeca, eſſentiali, modali. Nam perſeverantiæ donum ſolum importat gratiam ſanctificantem ut infuſam ex voluntate efficaci Dei intendentis, ut perſeveret, & præparantis ex vi huius auxilia, & alia media, ne unquam gratia deficiat: unde prædicta gratia, quæ eſt rectum perſeverantiæ, non habet aliquid intrinſecum, per quod differat in eſſe entis à gratia, quæ datur in perſeverantibus. Cæterum donum confirmationis ſupra gratiam ea intentione datam addit modum aliquem intrinſecum, qui eſt participatio impeccabilitatis beatorum, & ab intrinſeco petit compleri per extrinſecam Dei protectionem: & per hunc modum gratia confirmatis data differt eſſentialiter modaliter nôn ſolum à gratia non perſeverantibus conceſſa, ſed etiam ab illa, quæ perſeverantibus datur. Unde provenit, quod immobilitas in bono propria confirmatorum ſit longè maior, quam communiter perſeverantium. Illa enim licèt non tollat omnem poteſtatem peccandi, eam tamen ligat in actu primo: quia importat in eſſe entis modum habitualem, qui nec per peccatum conſequenter valet expelli, nec cum peccato componi poteſt: & ratione huius modi petit ab intrinſeco cuncta auxilia, quæ ad non deficiendum per peccatum requiruntur. Gratia vero perſeverantibus communiter data non habet aliquid intrinſecum habituale, quod non poſſet conſequenter per peccatum excludi: quidquid enim in eſſe entis importat, poſſet tolli per peccatum, ſicut in non perſeverantibus contingit: ſed ea impotentia fundatur in aliquo extrinſeco, nempè in voluntate Dei gratiam infundentis ex intentione efficaci, ut perſeveret: cum qua voluntate componi non poteſt, ut gratia aliquando deſtruatur. Ex quo etiam & non ex aliqua modificatione intrinſeca habet annexa auxilia & protectionem extrinſecam Dei, quæ ad perſiſtendum uſque ad mortem, ſuperando varias difficultates, & tentationes requiruntur. Et hanc reſolutionem ſatis apertè indicat D Thom. *locis ſupra citatis*, & docent communiter eius diſcipuli, Ferrara 4. *contra gentes, cap.*70. Alvarez *de* Ferrara. *auxiliis, diſp.*104. *num.*4. Arauxo *infra, quæſt.*114. Alvarez. *art.*9. *dub.*1. *concl.*3. Gonet ubi ſupra *num.* 391. Arauxo. & alij: eamdemque prius inſinuavimus *Tract.*4. Gonet. *de voluntate Dei, diſput.* 10. *dub.*6. §. 3. circa finem.

260. Nec refert, ſi cum Suario ubi ſupra *Obiectio ex Suario.* obiicias: quia nihil intrinſecum poteſt intelligi in gratia, niſi maior aliqua intenſio, vel extenſio: ſed illud intrinſecum, in quo conſtituimus donum confirmationis, non conſiſtit in maiori extenſione; ſiquidem quælibet gratia non confirmatorum ſe extendit, & inclinat ad omnes actus proprios: nec conſiſtere valet in maiori intenſione, ut conſtat in his, qui à gratia valde intenſa exciderunt: ergo confirmationis donum nequit conſiſtere in aliquo intrinſeco; ſed voluntariè fingitur à nobis.

Non, inquam, hoc refert. Reſpondetur *Diluitur.* enim negando maiorem: nam prædictum intrinſecum

trinſecum conſiſtit, ut diximus, in aliqua participatione modali impeccabilitatis, & immutabilitatis gratiæ conſummatæ beatorum; quæ tamen participatio, quia imperfecta eſt, petit fulciri extrinſeca Dei protectione: & ita non conſtituit hominem ſimpliciter impeccabilem, ſed partim ab intrinſeco, & partim ab extrinſeco: atque ideo non reddit hominem immunem à neceſſitate orationis, & ulterioris auxilij, ut ſuprà *num.* 257. dicebamus. Nec hic modus eſt voluntariè confictus, ſed fundamentum habet tum in his, quæ adverſus aliorum ſententias diximus: tum in eo, quod non implicat ullam contradictionem. Poteſtque eius poſſibilitas amplius declarari ex his, quæ docent plures Thomiſtæ, & alij Theologi *3. part. quæſtione 64.* nempè gratiam Sacramentalem diſtingui à gratia ſecundum ſe per modum quemdam intrinſecum, ratione cuius ſpecialiter inclinat ad finem proprium Sacramenti, à quo cauſatur, exigitque auxilia pro prædicto fine obtinendo. Idem ergo de dono confirmationis, & de gratia ut per illud donum perfecta proportionabiliter dicendum eſt.

Solvitur argumentum.

261. Ex his ad argumentum *num.* 256. propoſitum, pro cuius enodatione hæc diximus, reſpondetur negando ſequelam. Et ad illius probationem conſtat effectum doni confirmationis ſatis diſtingui ab effectu doni perſeverantiæ: illud enim præſtat maiorem immobilitatem in bono: quia importat aliquid intrinſecum, quod ex propria ratione nequit vel per peccatum conſequenter expelli, vel cum peccato componi, & poſtulat ab intrinſeco, & per propria prædicata ſpecifica auxilium ad perſiſtendum. Donum autem perſeverantiæ non cauſat immobilitatem per aliquid intrinſecum, quod ſecundum ſe nequeat per peccatum excludi: ſed tantum firmat hominem in bono, quatenus dicit gratiam ut infuſam à Deo ex intentione efficaci perſeverantiæ. Vnde immobilitas perſeverantiæ non fundatur in gratia intrinſeca, nec in aliquo intrinſeco ſecundum ſe acceptis; ſed in propoſito efficaci Dei intendentis perſeverantiam, & in gratia, ut ſubſtat huic propoſito.

Godoi.

An autem ſit poſſibilis aliquis habitus, qui hominem viatorem reddat ſimpliciter ab intrinſeco impeccabilem, quæſtio eſt aliena à præſenti inſtituto. Et in partem affirmantem inclinat Godoi *in præſenti, diſp* 48. *num.* 15. referens pro ea Caiet. Alexandrum, Albertum, Bonaventuram, Sotum, & Herreram. Sed id Deo favente ex profeſſo diſcutiemus 3. *p. q.* 27. ubi propriam ſedem habet.

Alia argumenta remiſſivè. Molina. Suarez. Leſſius.

262. Tandem poſſet adverſus noſtram, & communem aſſertionem formari argumentum ex principiis, quæ tradunt Molina *in Concordia, quæſt.* 23. *diſp.* 1. *membro ult.* Suarez *lib. de auxiliis c.* 11. Leſſius *d.ſp. de prædeſt. ſect.* 6. quibus locis affirmant auxilium, quo perſeveramus, non diſtingui ab auxilio, quo poſſumus perſeverare: & ſimiliter auxilium, quo unus adultus perſeverat, non diſtingui ab auxilio, quo alter adultus non perſeverat, & perſeverare valet. Quod communiter docent alij Auctores eiuſdem familiæ, eodem motivo ducti, nempe quia efficacia divinorum auxiliorum dependet ab influxu, & conſenſu liberi arbitrij. Eamque doctrinam iam olim arripuerant Maſſilienſes contra S. Auguſt. ut refert Hilarius *in epiſt. ad eundem S. Doctorem*, ubi ait novellos illos Pelagij aſſeclas aſſeruiſſe: *Quidquid libet donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe, & amittere, & retinere propria voluntate. Quod tunc falſum eſſet, ſi verum putarent eam quoſdam perſeverantiam percepiſſe, ut niſi perſeverantes eſſe non poſſint*, ut Auguſt. affirmabat. Et quidem ſi prædicta ſententia vera eſt; evidenter inferri nobis videtur, quod perſeverantia non ſit ſpeciale donum. Sed quia conſequens omnino falſum cenſemus, & D. Auguſtino, immò Conciliis apertiſſimè contrarium; inde urgentius movemur ad negandum doctrinam, ex qua colligitur. In præſenti tamen non oportet in diruendo principia, quibus innititur, deteriori: nam id latè præſtabimus *diſp.* 7. per totam.

Hilarius.

QUÆSTIO CX.

De Gratia Dei quantum ad ejus eſſentiam, in quatuor articulos diviſa.

ARTICULUS I.

Vtrùm gratia ponat aliquid in anima.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod gratia non ponat aliquid in anima. Sicut enim homo dicitur habere gratiam Dei, ita etiam gratiam hominis. Vnde dicitur *Geneſ.* 39. quod Dominus dedit Joſeph gratiam in conſpectu principis carceris. Sed per hoc, quod homo dicitur habere gratiam hominis, nihil ponitur in eo, qui gratiam alterius habet, ſed in eo cuius gratiam habet, ponitur acceptatio quædam. Ergo per hoc quod homo habere gratiam Dei dicitur, nihil ponitur in anima, ſed ſolum ſignificatur acceptio divina.

Præterea ſicut anima vivificat corpus, ita Deus vivificat animam: unde dicitur *Deuter.* 30. Ipſe eſt vita tua. Sed anima vivificat corpus immediatè: ergo etiam nihil cadit medium inter Deum & animam. Non ergo gratia ponit aliquid creatum in anima.

Præterea *ad Rom.* 1. ſuper illud, Gratia vobis, & pax, dicit Gloſſ. Gratia, id eſt, remiſſio peccatorum. Sed remiſſio peccatorum non ponit in anima aliquid, ſed ſolum in Deo non imputante peccatum: ſecundum illud Pſal. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: ergo nec gratia ponit aliquid in anima.*

Sed contra, lux ponit aliquid in illuminato. Sed gratia eſt quædam lux animæ. Unde Auguſt. dicit *in lib. de natura & gratia*, Prævaricatorem legis divinæ lux deſerit veritatis, qua deſertus utique fit cæcus: ergo gratia ponit aliquid in anima.

Reſpondeo dicendum, quod ſecundum communem modum loquendi, tripliciter gratia accipi conſuevit. Uno modo pro dilectione alicuius: ſicut conſuevimus dicere, quod iſte miles habet gratiam regis, id eſt, rex habet eum gratum. Secundo ſumitur pro aliquo dono gratis dato: ſicut conſuevimus dicere. Hanc gratiam facio tibi. Tertio modo ſumitur pro recompenſatione beneficij gratis dati: ſecundum quod dicimur agere gratias beneficiorum. Quorum

trium

Digitized by Google

trium ſecundum dependet ex primo : ex amore enim, quo aliquis habet alium gratum, procedit, quod aliquid ei gratis impendat. Ex ſecundo autem procedit tertium : quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio conſurgit Quantum igitur ad duo ultima, manifeſtum eſt, quod gratia aliquid ponit in eo, qui gratiam accepit. Primo quidem, ipſum donum gratis datum : ſecundo hujus doni recognitionem. Sed quantum ad primum eſt differentia attendenda circa gratiam Dei, & gratiam hominis : quia enim bonum creaturæ provenit ex voluntate divina : ideo ex dilectione Dei, quæ vult creaturæ bonum, profluit aliquod bonum in creatura. Voluntas autem hominis movetur ex bono præexiſtente in rebus, & inde eſt, quod dilectio hominis non cauſat totaliter rei bonitatem, ſed præſupponit ipſam vel in parte, vel in toto. Patet igitur, quod quamlibet Dei dilectionem ſequitur aliquod bonum in creatura cauſatum quandoque tamen dilectioni æternæ coæternum. Et ſecundum hujuſmodi boni differentiam differens conſideratur dilectio Dei ad creaturam. Una quidem communis, ſecundum quam diligit omnia, quæ ſunt, ut dicitur *Sapient.* 11. ſecundum quam eſſe naturale rebus creatis largitur. Alia autem dilectio eſt ſpecialis, ſecundum quam trahit creaturam rationalem ſupra conditionem naturæ ad participationem divini boni, & ſecundum hanc dilectionem dicitur aliquem diligere ſimpliciter, quia ſecundum hanc dilectionem vult Deus ſimpliciter creaturæ bonum æternum, quod eſt ipſe. Sic igitur per hoc, quod dicitur homo gratiam Dei habere, ſignificatur quiddam ſupernaturale in homine à Deo proveniens. Quandoque tamen gratia Dei dicitur ipſa æterna Dei dilectio : ſecundum quod dicitur etiam gratia prædeſtinationis, in quantum Deus gratuito & non ex meritis aliquos prædeſtinavit, ſive elegit. Dicitur enim *ad Epheſ.* 1. Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam in hoc, quod dicitur aliquis habere gratiam hominis, intelligitur in aliquo eſſe aliquid, quod ſit homini gratum, ſicut & in hoc, quod dicitur aliquis gratiam Dei habere. Sed tamen differenter : nam illud, quod eſt homini gratum, in alio homine præſupponitur ejus dilectioni : cauſatur autem ex dilectione divina, quod eſt in homine Deo gratum : ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod Deus eſt vita animæ per modum cauſæ efficientis : ſed anima & vita corporis per modum cauſæ formalis. Inter formam autem & materiam non cadit aliquod medium : quia forma per ſeipſam informat materiam, vel ſubjectum. Sed agens informat ſubjectum non per ſuam ſubſtantiam, ſed per formam quem cauſat in materia.

Ad tertium dicendum, quod Auguſtinus dicit in *lib. Retractationum.* Vbi dicit gratiam eſſe in remiſſionem peccatorum, pacem vero in reconciliationem Dei : non ſic accipiendum eſt, ac ſi pax ipſa, & reconciliatio non pertineant ad gratiam generalem, ſed quod ſpecialiter gratiæ nomine remiſſionem ſignificaverit peccatorum. Non ergo ſola remiſſio peccatorum ad gratiam pertinet : ſed etiam multa alia Dei dona. Et etiam remiſſio peccatorum non ſit ſine aliquo effectu divinitùs in nobis cauſato, ut infra patebit,

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS II.

Vtrùm gratia ſit qualitas animæ.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod gratia non ſit qualitas animæ. Nulla enim qualitas agit in ſuum ſubjectum : quia actio qualitatis non eſt abſque actione ſubjecti : & ſic oporteret, quod ſubjectum ageret in ſeipſum. Sed gratia agit in animam juſtificando ipſam. Ergo gratia non eſt qualitas.

Præterea, ſubſtantia eſt nobilior qualitate. Sed gratia eſt nobilior, quam natura animæ : multa enim poſſumus per gratiam, ad quæ natura non ſufficit, ut ſupra dictum eſt. Ergo gratia non eſt qualitas.

Præterea, Nulla qualitas remanet, poſtquam deſinit eſſe in ſubjecto : ſed gratia remanet : non enim corrumpitur, quia ſic in nihilum redigeretur, ſicut ex nihilo creatur. Vnde & dicitur nova creatura *ad Galatas ultimo.* Ergo gratia non eſt qualitas.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Pſal. Vt exhilaret faciem in oleo, dicit Gloſſ. quod gratia eſt nitor animæ, ſanctum concilians amorem. Sed nitor animæ eſt quædam qualitas ſicut & pulchritudo corporis. Ergo gratia eſt quædam qualitas.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut jam dictum eſt,) in eo, qui dicitur gratiam Dei habere, ſignificatur eſſe quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis. Dictum eſt autem ſupra, quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo in quantum anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidem animæ : actus enim moventis in moto eſt motus, ut dicitur *in* 3. *Phyſic.* Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundum quod aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur. Et hoc ideo, quia non eſt conveniens, quod Deus minus provideat his, quos diligit ad ſupernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus ſi providet, ut non ſolum moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formas, & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecundum ſeipſas inclinentur ad hujuſmodi motus. Et ſic motus, quibus à Deo moventur, fiunt creaturis connaturales, & faciles, ſecundum illud *Sapient.* 8. Et diſponit omnia ſuaviter. Multo igitur magis illis, quos movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum, infundit aliquas formas, ſeu qualitates ſupernaturales, ſecundum quas ſuaviter, & promptè ab ipſo moveantur ad bonum æternum conſequendum. Et in donum gratiæ qualitas quædam eſt.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia ſecundum quod eſt qualitas, dicitur agere in animam, non per modum cauſæ efficientis, ſed

ſed per modum cauſæ formalis: ſicut albedo facit album, & juſtitia juſtum.

Ad ſecundum dicendum, quod omnis ſubſtantia, vel eſt ipſa natura rei cujus eſt ſubſtantia, vel eſt pars naturæ: ſecundum quem modum materia vel forma ſubſtantia dicitur. Et quia gratia eſt ſupra naturam humanam, non poteſt eſſe, quod ſit ſubſtantia, aut forma ſubſtantialis: ſed eſt forma accidentalis ipſius animæ. Id enim, quod ſubſtantialiter eſt in Deo, accidentaliter fit anima participante divinam bonitatem, ut de ſcientia patet. Secundum hoc ergo quia anima imperfectè participat divinam bonitatem, ipſa participatio divinæ bonitatis, quæ eſt gratia imperfectiori modo habet eſſe in anima, quam anima in ſeipſa ſubſiſtat: eſt tamen nobilior, quam natura animæ, in quantum eſt expreſſio, vel participatio divinæ bonitatis, non autem quantum ad modum eſſendi.

Ad tertium dicendum, quod (ſicut dicit Boëtius, accidentis eſſe eſt ineſſe. Vnde omne accidens non dicitur ens quaſi ipſum eſſe habeat, ſed quia eo aliquid eſt. Vnde & magis dicitur eſſe entis, quam ens, ut dicitur *in* 11. *Metaphyſic.* Et quia ejus eſt fieri, vel corrumpi, cujus eſt eſſe: ideo propriè loquendo neque fit, neque corrumpitur: ſed dicitur fieri vel corrumpi ſecundum quod ſubjectum incipit, vel deſinit eſſe in actu ſecundum illud accidens. Et ſecundum hoc etiam gratia dicitur creari, ex eo, quod homines ſecundum ipſam creantur, id eſt in novo eſſe conſtituuntur ex nihilo, id eſt non ex meritis, ſecundum illud *ad Epheſios* 2. Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS III.

Vtrùm gratia ſit idem, quod virtus.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod gratia ſit idem quod virtus. Dicit enim Auguſtinus, quod gratia operans eſt fides, quæ per dilectionem operatur, ut habetur *in lib. de Spiritu & litera.* Sed fides, quæ per dilectionem operatur eſt virtus. Ergo gratia eſt virtus.

Præterea, cuicumque convenit diffinitio, convenit, & diffinitum. Sed diffinitiones de virtute datæ ſive à Sanctis, ſive à Philoſophis conveniunt gratiæ: ipſa enim bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit: ipſa etiam eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, &c. Ergo gratia eſt virtus.

Præterea, Gratia eſt qualitas quædam. Sed manifeſtum eſt, quod non eſt in quarta ſpecie qualitatis, quæ eſt forma, & circa aliquid conſtans figura: quia non pertinet ad corpus: neque etiam in tertia eſt, quia non eſt paſſio, vel paſſibilis qualitas quæ eſt in parte animæ ſenſitivæ, ut probatur *in* 7. *Phyſicorum.* Ipſa autem gratia principaliter eſt in mente: neque iterum eſt in ſecunda ſpecie, quæ eſt potentia, vel impotentia naturalis: quia gratia eſt ſupra naturam, & non ſe habent ad bonum, & malum ſicut potentia naturalis: ergo relinquitur, quod ſit in prima ſpecie, quæ eſt habitus, vel diſpoſitio. Habitus autem mentis ſunt virtutes: quia etiam ipſa ſcientia quodammodo eſt virtus, ut ſupra dictum eſt: ergo gratia eſt idem quod virtus.

Sed contra, ſi gratia eſt virtus, maximè videtur, quod ſit aliqua trium Theologorum virtutum. Sed gratia non eſt fides, vel ſpes: quia hæc poſſunt eſſe ſine gratia gratum faciente: neque etiam charitas: quia gratia prævenit charitatem, ut Auguſtinus dicit *in libro de prædeſtinatione Sanctorum.* Ergo gratia non eſt virtus.

Reſpondeo dicendum, quod quidam poſuerunt idem eſſe gratiam & virtutem ſecundum eſſentiam, ſed differre ſolum ſecundum rationem: ut gratia dicatur, ſecundùm quod facit hominem Deo gratum, vel ſecundum quod gratis datur: virtus enim ſecundum quod perficit ad bene operandum. Et hoc videtur ſenſiſſe Magiſter *in* 2. *ſentent. diſt.* 16. Sed ſi quis rectè conſideret rationem virtutis, hoc ſtare non poteſt: quia, ut Philoſophus dicit *in* 7. *Phyſicorum.* Virtus eſt quædam diſpoſitio perfecti: dico autem perfectum, quod eſt depoſitum ſecundum naturam: ex quo patet, quod virtus uniuſcujuſque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexiſtentem: quando ſcilicet unumquodque ſic eſt diſpoſitum, ſecundum quod congruit ſuæ naturæ. Manifeſtum eſt autem, quod virtutes acquiſitæ per actus humanos, de quibus ſupra dictum eſt, ſunt diſpoſitiones, quibus homo convenienter diſponitur in ordine ad naturam, qua homo eſt. Virtutes autem infuſæ diſponunt hominem altiori modo, & ad altiorem finem. Vnde etiam oportet, quod in ordine ad aliquam altiorem naturam, hoc eſt in ordine ad naturam divinam participatam, quæ dicitur lumen gratiæ, ſecundum quod dicitur 2. *Petri* 1. Maxima & precioſa vobis promiſſa donavit, ut per hoc efficiamini divinæ conſortes naturæ: & ſecundum acceptionem hujuſmodi naturæ dicimur regenerari in filios Dei. Sicut igitur lumen naturale rationis eſt aliquid præter virtutes acquiſitas, quæ dicuntur in ordine ad ipſum lumen naturale, ita etiam ipſum lumen gratiæ, quod eſt participatio divinæ naturæ, eſt aliquid præter virtutes infuſas, quæ à lumine illo derivantur, & ad illud lumen ordinantur. Vnde Apoſtolus dicit *ad Epheſ.* 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambulate. Sicut enim virtutes acquiſitæ perficiunt hominem ad ambulandum ſecundum quod congruit lumini naturali rationis, ita virtutes infuſæ perficiunt hominem ad ambulandum, ſecundum quod congruit lumini gratiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Auguſtinus nominat fidem per dilectionem operantem gratiam, quia actus fidei per dilectionem operantis eſt primus actus, in quo gratia gratum faciens manifeſtatur.

Ad ſecundum dicendum, quod bonum poſitum in diffinitione virtutis dicitur ſecundum convenientiam ad aliquam naturam præexiſtentem, vel eſſentialem, vel participatam. Sic autem bonum non attribuitur gratiæ, ſed ſicut radici bonitatis in homine: ut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quod gratia reducitur ad primam ſpeciem qualitatis. Nec tamen eſt idem quod virtus, ſed habitudo quædam, quæ præſupponitur virtutibus infuſis, ſicut earum principium, & radix.

Conclusio est negativa.

ARTICU

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Utrum gratia ſit in eſſentia animæ ſicut in ſubjecto, an in aliqua potentiarum.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod gratia non ſit in eſſentia animæ ſicut in ſubjecto, ſed in aliqua potentiarum. Dicit enim Auguſtinus in Hypognoſticon, quod gratia comparatur ad voluntatem, ſive ad liberum arbitrium ſicut ſeſſor ad equum. Sed voluntas ſive liberum arbitrium eſt potentia quædam; ut in primo dictum eſt. Ergo gratia eſt in potentia animæ ſicut in ſubjecto.

Præterea, Ex gratia incipiunt merita hominis, ut Auguſt. dicit. Sed meritum conſiſtit in actu, qui ex aliqua potentia procedit. Ergo videtur, quod gratia ſit perfectio alicujus potentiæ animæ.

Præterea, ſi eſſentia animæ ſit proprium ſubjectum gratiæ, oportet, quod anima, in quantum habet eſſentiam, ſit capax gratiæ. Sed hoc eſt falſum: quia ſic ſequeretur, quod omnis anima eſſet gratiæ capax. Non ergo eſſentia animæ eſt proprium ſubjectum gratiæ.

Præterea eſſentia animæ eſt prior potentiis ejus. Prius autem poteſt intelligi ſine poſteriori: ergo ſequeretur, quod gratia poſſit intelligi in anima, nulla parte, vel potentia animæ intellecta, ſcilicet neque voluntate, neque intellectu, neque in aliquo hujuſmodi, quod eſt inconveniens.

Sed contra eſt, quod gratia regeneramur in filios Dei. Sed generatio per prius terminatur ad eſſentiam, quam ad potentias. Ergo gratia per prius eſt in eſſentia animæ, quam in potentiis.

Reſpondeo dicendum, quod iſta quæſtio ex præcedenti dependet. Si enim gratia ſit idem quod virtus, neceſſe eſt, quod ſit in potentia animæ ſicut in ſubjecto: nam potentia animæ eſt proprium ſubjectum virtutis, ut ſupra dictum eſt. Si autem gratia differt à virtute, non poteſt dici, quod potentia animæ ſit gratiæ ſubjectum: quia omnis perfectio potentiæ animæ habet rationem virtutis, ut ſupra dictum eſt. Unde relinquitur, quod gratia ſicut eſt prius virtute, ita habeat ſubjectum prius potentiis animæ, ita ſcilicet quod ſit in eſſentia animæ. Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei, & ſecundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem charitatis: ita etiam per naturam animæ participat ſecundum quandam ſimilitudinem naturam divinam per quandam regenerationem, ſive recreationem.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut ab eſſentia animæ effluunt eius potentiæ, quæ ſunt operum participia, ita etiam ab ipſa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ moventur ad actus. Et ſecundum hoc gratia comparatur ad voluntatem, ut movens ad motum, quæ eſt comparatio ſeſſoris ad equum, non autem ſicut accidens ad ſubiectum.

Et per hoc etiam patet ſolutio ad ſecundum: eſt enim gratia principium meritorii operis mediantibus virtutibus; ſicut eſſentia animæ eſt principium vitæ mediantibus potentiis.

Ad tertium dicendum, quod anima eſt ſubiectum gratiæ ſecundum quod eſt in ſpecie intellectualis, vel rationalis naturæ: non autem conſtituitur anima in ſpecie per aliquam potentiam, cum potentiæ ſint proprietates animæ ſpeciem conſequentes. Et ideo anima ſecundum ſuam eſſentiam differt ſpecie ab aliis animabus, ſcilicet brutorum animalium, & plantarum. Et propter hoc non ſequitur, ſi eſſentia humanæ animæ ſit ſubiectum gratiæ, quod quælibet anima poſſit eſſe gratiæ ſubiectum: hoc convenit eſſentiæ animæ in quantum eſt talis ſpeciei.

Ad quartum dicendum, quod cum potentiæ animæ ſint naturales proprietates ſpeciem conſequentes, anima non poteſt ſine his eſſe. Dato autem, quod ſine his eſſet, adhuc tamen anima diceretur ſecundum ſpeciem ſuam intellectualis vel rationalis: non quia actu haberet has potentias: ſed propter ſpeciem talis eſſentiæ, ex qua natæ ſunt huiuſmodi potentiæ effluere.

CONCLUSIO.

GRatia recipitur immediate in eſſentia animæ.

DISPU

Digitized by Google

DISPUTATIO QUARTA.
DE QUIDDITATE,
ET PERFECTIONE GRATIÆ HABITUALIS.

DEVICTA difficultate circa quæſtionem *an ſit* cujuſcumque objecti; ſuccedit, ut dubia circa *quod quid eſt* decidantur. Unde poſtquam D. Thom. *in quæſt.* 109. oſtendit neceſſitatem gratiæ, perindeque illius exiſtentiam (cum Deus in neceſſariis non deficiat) ſtatim *quæſt.* 110. gratiæ naturam, perfectionem, aliaſque affectiones exponit, & quamvis gratiæ vocabulum tam actuali quam habituali applicari ſoleat; in præſenti tamen pro ſola habituali communiter uſurpatur, ut conſtat ex totius quæſtionis contextu: nam etſi S. Doctor aliqua de gratia actuali inſerat; ea ſolum obiter tangit, ut gratiæ habitualis naturam declaret, in quam ex inſtituto collimat. Continet autem hæc materia profundam, & ſubtiliſſimam doctrinam, cui illuſtrandæ ſequentia dubia deſervient.

DUBIUM PRIMUM.

Utrum gratia habitualis, ſit aliquid creatum, & in anima intrinſece receptum.

LIcet D. Thom. videatur hanc difficultatem ſub majori univerſalitate diſcutere: inquirit enim in articulo primo, *utrum gratia ponat aliquid in anima:* nihilominus ex corpore ipſius articuli conſtat difficultatis deciſionem gratiæ habituali peculiariter convenire. Oportet autem ad illius perfectam reſolutionem aliqua præſupponere: proderunt enim cum ad tituli intelligentiam; cum ut certa ab incertis ſeparamus; cum & præcipuè, ut propria hujus ab extraneis ſecernantur.

§. I.

Obſervationes nonnullæ.

Nota 1. 1. PRimo animadvertendum eſt cum D. Thoma in præſenti gratiam tribus modis dici. Nam in primis ſolet ſignificare amorem alicujus: quo pacto miles dicitur habere gratiam regis, quando ab eo diligitur: & homo dicitur habere gratiam Dei, vel eſſe in gratia Dei, vel habere gratiam apud Deum, cum ab illo amatur, ut conſtat ex uſu Scripturæ. Solet præterea gratia ſignificare beneficium gratis collatum: qua ratione in conſuetudinem venit, ut princeps ſubdito dicat, facio tibi hanc gratiam, hoc eſt, confero tibi hujuſmodi beneficium: quæ etiam acceptio frequenter occurrit in ſacris litteris. Tandem gratia uſurpatur pro gratitudine, ſeu recompenſatione beneficij accepti: ſecundum quam rationem dicimur gratias agere benefactori, cum ejus dona recognoſcimus, & aliquo modo compenſamus. De quibus gratiæ acceptionibus latius egimus *dub.* 1. *diſp.* 1. Ergo D. Thom. in præſenti artic. non diſputat de gratia ſecundum duas poſteriores acceptiones conſiderata, ut ipſe S. Doctor ſe exponit: quia manifeſtum eſt beneficium à Deo collatum creaturæ, & gratitudinem quam creatura rependit Deo, eſſe aliquid in ipſa creatura. Sed dubium eſt, utrum ad hoc, ut creatura dicatur eſſe in gratia Dei, & terminare illius dilectionem (quæ eſt prima gratiæ acceptio) ſit neceſſarium aliquid creatum in ipſa creatura exiſtens; an vero ſufficiat amor exiſtens in Deo, per quem homo extrinſece denominetur à Deo dilectus, & illi gratus: ſicut miles denominatur gratus regi per amorem in rege exiſtentem, licet amor regis nihil producat in milite. Et quia cum dicitur hominem eſſe gratum Deo, vel eſſe in Dei gratia, ſignificatur gratia habitualis, & concurſus ad operandum; propterea inquirit titulus, An gratia habitualis ſit aliquod creatum &c.

2. Supponendum eſt ſecundo aliquos homines eſſe vere, & realiter Deo gratos, atque acceptos ad vitam æternam; ſive id fiat (quod diſcutimus in præſenti) per aliquid intrinſecum in eis receptum, ſive per ſolum favorem, & acceptationem Dei extrinſecam. In cujus veritatis confirmationem poſſemus totam ſacram paginam expendere; maxime vero epiſtolas Pauli, in quibus nil frequentius inculcat ut ad Rom. 5. *Inimici cum eſſemus, reconciliati ſumus Deo.* 2. ad Corinthios 5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit per Ieſum Chriſtum.* Et paucis interpoſitis, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* ad Epheſ. 2. *Deus autem qui eſt dives in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, vivificavit nos in Chriſto, cujus gratia eſtis ſalvati, & conreſuſcitati,* &c. 1. ad Corinth. 6. *Hæc aliquando fuiſtis* (nempè adulteri, idololatræ, &c.) *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Quod quia vel ipſi hæretici, contra quos agimus, non negant, majori probatione non indiget; ſed ab omnibus præſup

Nota 2. Ad Rom. 5. 2. ad Cor. 4. ad Epheſ. 2. 1. ad Cor. 6.

præſupponitur. Difficultas eſt, an in hoc, quod eſt hominem eſſe Deo gratum, & acceptum ad vitam æternam, ſignificetur præciſe amor Dei denominans hominem ab extrinſeco; an vero aliquis effectus prædicti amoris, qui ſe teneat ex parte noſtra, noſque intrinſecè, & formaliter afficiat.

Nota 3.

3. Pro quo ſtatuendum eſt tertio gratiam illam, per quam homines dicuntur Deo grati, & ad vitam æternam accepti, non eſſe ipſam ſubſtantiam animæ rationalis, ita quod anima per ſe ipſam ſit gratia, & ratio faciendi hominem Deo gratum. Hæc ſuppoſitio procedit contra hæreticos Manichæos, & Priſcillianiſtas aſſerentes animas rationales eſſe portiones quaſdam naturæ divinæ, ejuſdem quidditatis, ac rationis cum ipſo Deo. Quorum error refellitur tum *ex epiſtola* 91. Leonis Papæ *cap.* 5. & ex Concilio Toletano 8. *in confeſſione fidei*, & Bracharenſi primo *cap.* 5. Ubi oppoſitum ſtatuitur. Tum etiam quia ſi anima rationalis per ſe ipſam eſſet gratia, vel grata Deo, non poſſet eſſe principium peccandi, neque inclinaret ad peccatum: cum nihil magis opponatur gratiæ, quam peccatum. Ex quo ulterius fieret hominem per animam conſtitutum eſſe impeccabilem: ſicut Chriſtus eſt impeccabilis, quia conſtituitur per perſonalitatem divinam, quæ nequit ad peccatum concurrere. Tum denique quia ſi anima per ſuam ſubſtantiam eſſet ejuſdem naturæ cum Deo, poſſet elicere operationes Deo proprias, utputa amorem charitatis, & viſionem beatam, alioſque actus ſupernaturales: cujus oppoſitum conſtat tam ex ipſa experientia, quam ex dictis tota *diſputatione præcedenti*. Ubi neceſſitatem gratiæ ſuperadditæ pro prædictis operibus ſtatuimus. Quapropter ſi præter amorem Dei in ipſo immanentem datur aliquid creatum conſtituens animam Deo gratam; nequit non iſtud à ſubſtantia animæ diſtingui, eique realiter ſuperaddi.

Leo Papa. Conc. Tolet. Bracharenſ.

Nota 4.

4. Quarto ut ea, quæ per ſe ſpectant ad tractatum, de juſtificatione intempeſtive non præveniamus, ſed ſuis locis reſervemus (in quo plures hic exorbitare advertimus,) bene obſerva cum M. Curiele difficultates longè diverſas eſſe, utrum id, per quod homo fit Deo gratus, ſit aliquid in ipſo exiſtens, vel ſola dilectio Dei. Et utrum hoc intrinſecum (ſi ſemel datur) ſit cauſa unica formalis juſtificationis, & ratio adæquata deſtruendi peccatum. Quamvis enim Thomiſtæ unum, & alterum aſſeramus; tamen prior difficultas eſt ſeparabilis à ſecunda. Et ideo poteſt, debetque inveſtigari, an homo fiat Deo gratus per aliquid intrinſecum, quidquid ſit de peccati deſtructione: nam quæſtio locum etiam habet, ibique per ſe tractatur, ibi nullum peccatum præceſſit, ut in Adamo, in Angelis, & in Beata Virgine. Unde Angelicus Doctor in hoc articulo oſtendit gratiam ponere aliquid intrinſecum in anima, quin recurrat ad deſtructionem peccati, cujus nec verbum facit, remittens illam difficultatem ad *quæſt.* 113. Quocirca plurimum deflectunt ab ejus methodo, & mente, qui ideo in præſenti probant gratiam eſſe aliquid intrinſecum, quia peccatum abſque aliqua intrinſeca peccatoris immutatione remitti non valet. Inſiſtendum enim eſt cum S. Doctore priori difficultati, quidquid ſit de reſolutione ſecundæ, quam tractabimus quæſt. nuper citata.

Curiel.

Confectarium.

Ex quo etiam fit alienas eſſe tam à D. Thom. conſideratione, quam à præſenti difficultatis ſcopo difficultates, quas alij ſolent in hoc loco tractare: quales ſunt utrum actus charitatis poſſit eſſe forma reddens hominem juſtum, & Deo acceptum: & utrum per potentiam Dei abſolutam poſſit homo fieri Deo gratus ſine aliqua immutatione, & dono intrinſeco. Hæc enim, & ſimilia dubia vel pertinent ad tractatum de juſtificatione, ubi ea decidemus: vel ſaltem non ſpectant ad præſentem difficultatem: quæ ſolum inveſtigat, an ſecundum legem ordinariam, & juxta communem providentiam amor Dei diligentis, & acceptantis hominem ad æternam beatitudinem ponat effectivè aliquod donum in homine, per quod hic reddatur formaliter Deo gratus, & objectum congruum divinæ dilectionis? Id quippè ſi oſtendatur, liquido ſtatuemus gratiam habitualem eſſe aliquid creatum, & in anima intrinſecè receptum. Ab aliis autem difficultatibus utpote extraneis, quantum fieri poteſt, præſcindendum eſt in præſenti: quamvis, ibi argumentorum moleſtia id poſtulaverit, cætera etſi aliena non poterimus non attingere.

Punctum difficultatis.

§. II.

Veritas Catholica auctoritate munitur.

5. Dicendum eſt gratiam habitualem, ſecundum quam homo dicitur Deo gratus, eſſe aliquid creatum, & in anima intrinſecè receptum. Hanc veritatem ſtatuit Concilium Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. *& can.* 11. Quam docent communiter omnes Theologi cum D. Thom. in præſenti: unde ſuperfluum foret ſingulos in particulari referre. Videantur tamen Vega *lib.* 7. *in Trident. cap.* 14. Bellarm. *lib.* 1. *de gratia, & libero arbitrio cap.* 4. Suarez *lib.* 6. *cap.* 1. *& lib.* 7. *cap.* 1. Arauxo *diſp.* 1. *præambula ſect.* 1.

Concluſio. Conc. Trid. Vega. Bellarminus. Suarez. Arauxo.

Poſſemus in confirmationem hujus veritatis plures auctoritates ſacræ ſcripturæ expendere, ex qua tamen ſelectiores tantum adducemus Probatur ergo ex Apoſtolo ad Hebræos 12. *Habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo.* Quod nequit convenienter interpretari de gratia extrinſecam, nam principium rectè operandi, ſeu Deo ſerviendi debet eſſe in nobis: quia id, quo agimus, eſt intrinſecum, atque inexiſtens, ut tradit Ariſtot. *in* 2. *de Anima.* Idem ſignificat D. Petrus *in* 2. *epiſt.* illis verbis. *Maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ conſortes naturæ*; conſtat enim, quod per actum amoris in Deo immanentem non efficimur formaliter divinæ naturæ participes; cum ille actus purè extrinſecus nobis ſit. Id ergo, quo homo redditur formaliter Deo gratus, quodque D. Petrus illis verbis circumloquitur, eſt aliquid productum in nobis, & animæ realiter ſuperadditum.

Probatur auctoritate. ad Hebr. 12. D. Petrus in 2. Epiſtol.

Confirmatur primo ex verbis Domini Joan. 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Per quæ ſignificatur ſpiritus gratiæ reddentis nos Deo gratos, & acceptos, ut conſtat ex Evangeliſta, qui ſtatim ſubjunxit: *Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Id autem quod fit in nobis, eſt aliquid creatum, & in nobis exiſtens: ergo reddimur Deo grati per aliquid intrinſecum, & inhærens: atque ideo gratia habitualis eſt aliquid creatum, & in anima receptum.

Confirmatur. Joan. 4.

Confirmatur ſecundo: quoniam gratia ſanctificans ſolet appellari unctio, ut 1. Joan. 2. *Unctio, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* Aliquando autem vocatur ſemen Dei, ut in eadem epiſtola capite 3. *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ejus manet in eo.* Aliquando

Alia confirmatio. 1. Joan. 2.

Digitized by Google

Aliquando vero dicitur pignus, & ſigillum, ut
2.ad Cor.1. 2. ad Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit nobis pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Conſtat autem, quod rationes propriæ unctionis, ſeminis, pignoris, & ſigilli nequeunt, niſi impropriiſſime, adaptari dilectioni exiſtenti formaliter, & intrinſece in Deo; congruunt autem optimæ formæ exiſtenti in nobis, & per illum amorem productæ, ergo gratia habitualis eſt aliquid creatum, & in anima noſtra intrinſecè receptum.

Effugium. 6. Nec refert, ſi cum aliquibus ex ſectariis, quos refert Cardinalis Oſius *lib. 1.* contra Brentium, reſpondeas omnia hæc teſtimonia ſolum probare gratiam ſanctificantem eſſe aliquid in nobis; minime vero, quod ſit aliquid creatum, vel à Deo diſtinctum. Sufficit enim, quod Deus ipſe in nobis peculiari modo habitet, & animæ ſpecialiter uniatur, ut ſalventur omnes locutiones ſcripturæ hactenus relatæ, & ut ipſi Deo grati, & acceptabiles efficiamur. Sicut humanitas Chriſti Domini redditur ſancta, & Deo grata, per perſonalitatem divinam ſibi ſpecialiter communicatam; quin ad prædictas denominationes indigeat aliqua forma creata, & in ea recepta.

Præcluditur. Hoc, inquam, minime ſatisfacit, ſed poteſt efficaciter refelli. Tum quia gratia, quam relata teſtimonia ſignificant, importat aliquid intrinſece unitum nobis per modum formæ, & naturæ, atque principij operandi, ut ea legens facile deprehendet: ſed Deus nequit uniri per modum formæ, & naturæ, & principij operandi
D. Thom. ut oſtendunt communiter Theologi cum D. Thoma *2. 2. quæſtione 23. articulo 2. & 3. part. 2. quæſtione 2. artic. 1.* ergo gratia per quam reddimur Deo formaliter grati, non eſt ipſe Deus nobis intrinſecè unitus. Per quod evaneſcit exemplum illud ſanctitatis Chriſti Domini; nam perſonalitas verbi divini terminat intrinſecè, & ſubſtantialiter illam humanitatem, ut fides docet: & ita potuit eam ſanctificare, & Deo gratam conſtituere. Cum autem Deus realiter, perſonaliter, vel alio ſubſtantiali modo nobis non uniatur, ut ex eadem fide edocemur, non poteſt dici, quod efficiamur ſancti, & Deo acceptabiles per aliquid formaliter increatum, ſed admittenda eſt aliqua forma creata, quam gratiam habitualem vocamus, & cui rectè competunt teſtimonia Scripturæ nuper expenſa.

Tum etiam, quia homo nequit dici Deo gratus, per hoc quod Deus in illo ſit eo generali modo, quo eſt in omnibus rebus: alias dæmones, & peccatores dicerentur grati Deo, quod eſt abſurdum: ergo debet habere Deum intra ſe aliquo ſpeciali modo, quem Scriptura apertè ſignificat, cum juſtos appellat templum
1.ad Cor.3. Dei, & Spiritus ſancti, ut 1. ad Corinth. 3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus*
& cap. 6. *Dei habitat in vobis?* Et capite 6. *Neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo?*
2. cap.6. Et Epiſtola 2. capite 6. *Vos eſtis templum Dei vivi.* Conſtat autem, quod ſicut Deus eſt generaliter in rebus, quatenus eas generaliter efficit, &
D. Thom. conſervat, ut docet D.Thom. *1.p.q.8.art.1.* ita dicitur peculiariter exiſtere, ubi peculiares effectus operatur: ergo ut inhabitet hominum mentes, & corda tanquam templum proprium, & ſibi gratum; oportet quod ibi producat aliquid intrinſecum, per quod homo aptetur, ut ſit dignum Dei hoſpitium: & hoc intrinſecus vocamus gratiam habitualem, ſemen Dei, unctionem, ſigillum, & pignus Spiritus ſancti. Quam rationem ſatis expreſſit Chriſtus Dominus Joan. 14. ubi ait: *Si* Joan.14.
quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Quibus verbis ſignificat ad unionem, quam Deus habet cum homine ſibi grato, requiri ex parte hominis obſervantiam divinæ legis: pro qua deſiderari formam creatam, & homini ſuperadditam nempe gratiam habitualem oſtendimus *diſp. 1. dub. 7.* Videantur etiam, quæ diximus *diſp. 1. dub....*

Tum denique quia SS. Patres, quorum eſt legitimum Scripturæ ſenſum interpretari, colligunt ex prædictis teſtimoniis noſtram, & catholicam aſſertionem, ut Dionyſ. *cap. . . Caleſtis Hierarch* ubi ait: Dionyſ.
Primus animi ad divina motus dilectio eſt, & ſubdit *dilectionis progreſſum eſſe ſacratiſſimum, & ineffabilem operationem qua divinus in nobis ſtatus efficitur.* D. Auguſt. *lib. de peccatorum meritis, &*
remiſſione cap. 9. Ille, inquit, *in quo omnes vivifica-* D. Auguſt.
buntur, præterquam quod ſe ad juſtitiam exemplum imitantibus præbet, dat etiam ſui ſpiritus occultiſſimam gratiam, quam etiam latenter infundit, &
parvulis. D. Ambroſ. *lib. 6. Examer. cap. 8.* loquens D.Ambroſ.
de hac gratia, *Pictus eſt ergo homo,* inquit, *& pictus à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem, atque pictorem: noli bonam delere picturam, non fuco, ſed veritate fulgentem, non cera expreſſam, ſed*
gratia. D. Cyrillus Alex. *lib. 4. in Iſai. orat. 2. For-* D. Cyrill.
matur, ait, *in nobis Chriſtus, ſancto nobis Spiritu* Alexand.
divinam quandam formam per ſanctificationem, & juſtitiam indente. Quibus evidentiſſime tradunt dari aliquid creatum, nobis unitum, & in anima receptum, per quod efficimur Deo grati: & hoc nihil aliud eſt, quam gratia habitualis, ſive ſanctificans. Similia habent communiter cæteri Patres,
quos referunt Hoſius *in confeſſione fidei catholica* Hoſius.
cap. 7. & Becanus Lovanienſis *art. 8.* contra Lu- Becan. Lovanienſ.
therum, & paſſim alij Doctores.

§. III.

Expenditur fundamentum D. Thomæ.

7. Ratio fundamentalis hujus veritatis tra- Probatur ratione.
ditur à Divo Thoma in hoc *artic. & 3.*
contra gentes capite 190. poteſtque ad hanc for- D. Thom.
mam reduci: quoniam hominem eſſe Deo gratum eſt terminare amorem ſupernaturalem Dei per modum objecti amati: ſed amor Dei efficit in objecto amato aliquam bonitatem: ergo hominem eſſe Deo gratum non eſt denominatio pure extrinſeca deſumpta ab amore in Deo exiſtente, ſed importat aliquid creatum derivatum ab illo amore, & in anima intrinſecè receptum, quod appellamus gratiam habitualem. Conſequentia eſt legitima. Major liquet ex ipſis terminis: nam ſicut militem eſſe gratum regi conſiſtit in eo, quod rex militem diligat: ita hominem eſſe gratum Deo (peculiari videlicet illo modo, de quo loquimur in præſenti, nempè amore ſupernaturali, & in ordine ad ſupernaturalem finem) conſiſtit in eo, quod Deus ut agens ſupernaturale, & per ſupernaturalem amorem hominem ſibi charum habeat. Minor autem probatur ex diſcrimine, quod reperitur inter amorem divinum, & amorem creatum: nam iſte ſupponit bonitatem in objecto, & ad eam afficitur, quocirca dicitur amor affectivus; ille vero non ſupponit, ſed efficit ſuum objectum, quamobrem effectivus appellatur: ergo amor

Digitized by Google

amor Dei ad hominem ſibi gratum efficit aliquam bonitatem in illo. Quam differentiam tradit eleganter Divus Thomas 1. *p. quæſt.* 20. *art.* 2. ubi ait: *Voluntas Dei eſt cauſa omnium rerum: & ſic oportet, quod in tantum habeat aliquid eſſe, aut quodcunque bonum, in quantum eſt volitum à Deo. Cuilibet igitur exiſtenti Deus vult aliquod bonum. Unde cum amare nihil aliud ſit, quam velle bonum alicui, manifeſtum eſt, quod Deus omnia, quæ ſunt, amat: non tamen eo modo, ſicut nos. Quia enim voluntas noſtra non eſt cauſa bonitatis rerum, ſed ab ea movetur, ſicut ab objecto; amor noſter, quo bonitatem alicui volumus, non eſt cauſa bonitatis ipſius, ſed è converſo bonitas ejus, vel vera, vel æſtimata provocat amorem, quo ei volumus & bonum conſervare, quod habet, & addi, quod non habet, & ad hoc operamur. Sed amor Dei eſt infundens, & creans bonitatem in rebus.*

D. Thom.

Ex qua generali doctrina colligit in præſenti noſtram, & communem aſſertionem, his verbis: *Patet igitur quod quamlibet Dei dilectionem ſequitur aliquod bonum in creatura cauſatum, non tamen dilectioni æternæ coæternum. Et ſecundum hujuſmodi boni differentiam differens conſideratur dilectio Dei ad creaturam. Una quidem communis, ſecundum quam diligit omnia, quæ ſunt, ut dicitur Sapient.* 11. *ſecundum quam trahit creaturam rationalem ſupra conditionem naturæ ad participationem divini boni: & ſecundum hanc dilectionem dicitur aliquem diligere ſimpliciter: quia ſecundum hanc dilectionem dicitur aliquem diligere ſimpliciter: quia ſecundum hanc dilectionem vult Deus ſimpliciter creaturæ bonum æternum, quod eſt ipſe. Sic igitur per hoc quod dicitur homo gratiam Dei habere, ſignificatur quiddam ſupernaturale in homine à Deo proveniens.* Videantur ea quæ diximus *tractatu* 4. *diſp.* 3. *à num.* 29. *& diſp.* 5. *à num.* 13. ibi aliqua adduximus, quæ ad hujus rationis majorem penetrationem, & robur queunt deſervire.

Prima evaſio.

8. Reſpondebis primo hanc rationem ſolum ſuadere, quod amor Dei amatoris ſupernaturalis debeat aliquid producere in homine ſibi grato; minime vero quod producat illam formam, quam habitualem gratiam vocamus. Nam cum prædicta ſpecialis dilectio conſiſtat in ordinatione, qua Deus hominem promovet ad æternam Beatitudinem, ſive ad bonum æternum, quod eſt ipſe Deus, ut ex diſcurſu Divi Thomæ liquet; ſufficienter explicatur efficacia, ſeu virtus prædicti amoris in productione prædictæ beatitudinis, ſive in eo quod Deus ſe communicet homini per modum objecti beatifici: quin opus ſit aliam diverſam formam producere, ut ille amor dicatur effectivus ſui objecti. Sicut Deus auctor ſupernaturalis dilexit humanitatem Chriſti Domini in ordine ad unionem hypoſtaticam, ad quam ipſam evexit: & tamen prædictus amor nihil produxit prævium in illa humanitate, quod præcederet unionem. Conſtat autem gratiam, quam habitualem vocamus, debere eſſe aliquid diſtinctum à beatitudine: unde ex prædicta ratione minime infertur, quod prædicta gratia ſit aliquid creatum, & in nobis intrinſece exiſtens.

Confutatur.

D. Thom.

Hanc tamen evaſionem prævidit, & optimè præcluſit Angelicus Doctor *quæſtione* 27. *de verit. artic.* 1. in corpore, ubi inquit: *Vult Deus omnibus creaturis bonum naturæ, propter quod dicitur omnia diligere Sapient.* 11. *& Gen.* 1. *Sed ratione hujus acceptationis non conſuevimus dicere aliquem habere gratiam Dei: ſed in quantum Deus vult ei aliquod bonum ſupernaturale, quod eſt vita æterna ſicut Iſai.* 64. *Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te: unde Rom.* 6. *dicitur gratia Dei vita æterna. Sed hoc bonum Deus non vult alicui indigno. Ex natura autem ſua homo non eſt dignus tanto bono, cum ſit ſupernaturale: & ideo ex hoc ipſo, quod ponitur aliquis Deo gratus reſpectu hujus boni, ponitur, quod ſit dignus tali bono ſupra ſua naturalia. Quod quidem non movet divinam voluntatem, ut hominem ad illud bonum ordinet: ſed potius è converſo ex hoc ipſo, quod Deus ſua voluntate aliquem ordinet ad vitam æternam, præſtat ei aliquid, per quod ſit dignus vita æterna. Hoc & quod dicitur ad Coloſſenſ.* 1. *qui dignos nos fecit in partem Sanctorum in lumine.* Itaque ſicut Deus auctor naturalis ordinans creaturas ad finem ſuæ naturæ conſonum, priuſquam finem aſſequantur, confert illis eſſe, & diſpoſitiones, quæ prædicto fini correſpondeant, & quibus aptentur, & proportionentur reſpectu illius: ita Deus promovens quoſdam homines ad finem ſupernaturalem, qui eſt æterna beatitudo, confert illis aliquid intrinſecum, & excedens exigentiam totius naturæ, per quod ad prædictum finem aptantur, & diſponuntur: & hoc intrinſecum appellamus gratiam habitualem.

Unde diſcurſus Divi Thomæ legitimè evincit amorem Dei erga hominem ſibi gratum efficere non ſolum aſſecutionem ultimi finis ſupernaturalis, ſed etiam gratiam habitualem, per quam homo habilitatur, & dignificatur in ordine ad prædictum finem. Maxime quia in quocunque ordine operari ſupponit eſſe: æterna autem beatitudo conſiſtit in operatione: & ideo debet ſupponere hominem conſtitutum in eſſe ſupernaturali, quod eſt proprius effectus gratiæ habitualis: atque ideo ut vis effectiva amoris Dei ſe explicet in communicatione beatitudinis, prius ſe debet explicare in productione gratiæ. Per quod evaneſcit exemplum illud in contrarium adductum: quia amor ſupernaturalis erga humanitatem in ordine ad unionem hypoſtaticam fuit reſpectu communicationis perſonalitatis, & exiſtentiæ divinæ: quæ ex ſuo genere antevertunt omnem diſpoſitionem accidentalem, & immediate afficiunt naturam, ut docet Divus Thomas, 3. *quæſt.* 6. *art.* 6. *ad* 1. & ideo non potuit prædictus amor aliquid ſupernaturale producere, quod præcederet unionem. Amor autem Dei erga alios homines eſt in ordine ad beatitudinem: quæ cum ſit operatio, & quidem perfectiſſima, debet ſupponere in ſubjecto eſſe, & naturam divini ordinis, ut illi reddatur connaturalis: & hujuſmodi eſſe eſt effectus formalis gratiæ.

Altera evaſio.

9. Reſpondebis ſecundo adhuc non colligi ex ratione D. Thomæ quod amor Dei in homine ſibi grato, & ad beatitudinem accepto producat actu, & de præſenti aliquid intrinſecum, à quo gratus denominetur. Sed ſatis ſuperque erit illud bonum producere, quando ei contulerit beatitudinem, ad quam ipſum acceptavit. Nam efficacia divini amoris ſufficienter explicatur in productione tum beatitudinis, tum formæ, per quam homo ad beatitudinem diſponitur, & aptatur. Et conſequenter ſicut miles dicitur gratus regi, quia de facto acceptatur ad præmium,

Digitized by Google

ſibi de futuro conferendum, licet actu nil recipiat: ita homo dicetur de præſenti Deo gratus, & habere gratiam Dei, per hoc quod ab extrinſeco acceptetur tam ad gratiam, quam ad beatitudinem ſibi de futuro communicandam.

Impugnatur. Sed contra eſt primo: nam licet hæc ſolutio doctrinam aliunde falſam contineat; tamen ea admiſſa adhuc non evacuat, quod D. Thom. præcipue intendit, nempe gratiam habitualem ponere aliquid creatum, & intrinſecum in anima & in ejus productione explicetur efficacia divini amoris. Sive enim illud producatur de præſenti, ſive de futuro; nihilominus aliquid producitur: & conſequenter homo non fit Deo gratus per denominationem purè extrinſecam deſumptam ab amore in Deo immanente; ſed dependenter ab aliquo creato, & ipſi homini intrinſeco, ad quod terminatur prædictus amor: quod intrinſecum habitualem gratiam vocamus. Tum etiam quia juxta hanc reſponſionem amor Dei pro illa duratione, pro qua eſt efficax, aliquid producit: ſed nulla eſt apparens ratio, quare de præſenti non ſit efficax, & coaptet hominem ad beatitudinem: ergo actu producit gratiam habitualem, qua homo ad illum finem coaptatur; quin hoc oporteat ad ſtatum futuræ vitæ differre. Tum præterea quia homo in præſenti ſtatu Deo acceptus, & gratus diſponitur ad conſequutionem beatitudinis, tenditque in ipſam per opera ſupernaturalia, quibus illam promeretur, juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 2. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*, & 2. ad Timoth. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Sed opera noſtra ut procedunt à principiis pure naturalibus nec diſponunt, nec merentur conſequutionem ultimi finis ſupernaturalis: ergo admittenda eſt aliqua forma creata, & nobis intrinſeca, quæ ſit principium prædictorum operum, & quam appellamus gratiam habitualem.

Ad Epheſ. 2.

2. ad Tim. 4.

Tum denique, & præcipue quia licet per illam extrinſecam acceptionem ad præmium poſtea dandum ſalvetur amor alicujus imperfectæ benevolentiæ; hæc quippè ſolum petit ex parte ſubjecti capacitatem ad recipiendum beneficium: tamen amor amicitiæ, ſecundum quam amans diligit ſimpliciter perſonam amici, & in ea complacet ſibi, petit ex parte illius aliquid intrinſecum, quod fundet prædictam amicitiam, & ſit principium redamandi: eo quod amicitia eſt mutuus benevolentiæ amor in alicujus boni communicatione fundatus, ut oſtendunt communiter Theologi in tractatu de Charitate. Deus autem hominem ſibi ſimpliciter gratum, amat de facto non quocumque amore, ſed amore veræ, & ſupernaturalis amicitiæ, ut conſtat ex ſcriptura: nam Sapientiæ 7. dicitur, *Sapientia transfert ſe in animas ſanctas, & amicos Dei conſtituit*, & poſt pauca. *Quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ.* & Joannis capite decimo quinto. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* Et ibidem, *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, &c.* Ergo homo, qui ſimpliciter dicitur gratus Deo, vel eſſe in gratia Dei, non denominatur talis purè ab extrinſeco, vel ex divina ordinatione ad gratiam poſtea recipiendam: ſed habet de facto aliquid intrinſecum conſtituens ipſum in ratione objecti congrui divinæ amicitiæ: quod intrinſecum appellatur gratia habitualis. Et de hoc poſteriori amore, qui eſt ſimpliciter talis, procedit ratio Divi Thomæ, ut ſatis conſtat ex hoc articulo, ubi ait: *Alia eſt dilectio ſpecialis, ſecundum quam trahit creaturam rationalem ſupra conditionem naturæ ad participationem divini boni: & ſecundum hanc dilectionem dicitur aliquem diligere ſimpliciter.* Quod adhuc magis expreſſit *loco citato ex quæſtione de veritate*, ubi inquit: *Sic ergo homo dicitur Dei gratiam habere, non ſolum ex hoc, quod à Deo diligitur in vitam æternam; ſed ex hoc quod datur ei aliquod donum, per quod eſt dignus vita æterna. Et hoc donum dicitur gratia gratum faciens. Aliter enim in peccato mortali exiſtens poſſet dici in gratia eſſe, ſi gratia ſolam acceptationem divinam diceret; cum contingat aliquem peccatorem eſſe prædeſtinatum ad vitam æternam habendam.* Unde excluſum manet exemplum illud militis qui dicitur regi gratus ex hoc, quod acceptatur ad præmium poſtea conferendum: nam cum amor hominis non efficiat bonitatem objecti ſibi grati, ut ſupra *numero ſeptimo*, vidimus ex Divo Thoma, poteſt ab extrinſeco, & abſque communicatione alicujus boni tam præſentis, quam futuri, objectum gratum ſibi denominare. Præſertim cum ex parte unius hominis, dentur omnia requiſita ad terminandum amorem naturalem alterius. Cujus oppoſitum contingit in amore ſupernaturalis amicitiæ Dei ad creaturas, ut nuper vidimus.

Sapient. 7.

Joann. 15.

D. Thom.

§. IV.

Objectiones contra rationem D. Thomæ, & earum enodatio.

10. PLures plura opponunt fundamento Divi Thomæ quibus oportet occurrere. Primo objicit Durandus *in* 1. *diſtinctione* 17. *quæſtione prima*, ex illo potiùs colligi oppoſitum: nam ſi amor Dei erga hominem ſibi gratum eſt cauſa alicujus doni creati: ergo eſt prior ipſo dono: & tamen pro illo priori denominat objectum ſibi: ſicut viſio pro quocumque ſigno, in quo eſt, denominat objectum viſum: ergo homo denominatur Deo gratus antecedenter ad receptionem doni creati, quod appellamus gratiam habitualem. Et urgetur: nam amor Dei eſt ſimpliciter independens à bonitate quam cauſat: ergo poterit ſeparari ab illa; cum ſeparatio in independentia fundetur: & conſequenter poterit homo terminare amorem Dei, & fieri illi gratus, & acceptus abſque receptione alicujus doni creati.

Prima objectio.

Durand.

Reſpondetur, quod licet amor Dei ſit prior bonitate creata, quam objecto communicat, nihilominus non denominat hominem adhuc ab extrinſeco amatum, priuſquam illi communicet gratiam intrinſecam. Et ratio eſt: quia prædictus amor terminatur ad hominem non immediate, ſed mediante forma, qua illum dignificat, & conſtituit in ratione objecti congrui ipſius amoris, & ideo licet hic actus præcedat tam gratiam, quam objectum gratum; tamen objectum non denominatur gratum, niſi media gratia. Sicut actio ſolis illuminantis aërem eſt prior, quam lux: & nihilominus aër non denominatur illuminatus à ſole pro illo priori ad lucem, ſed ipſa luce mediante.

Diluitur.

Digitized by Google

diante. Et ſi viſio produceret colorem in objecto, eſſet prior quam color: & nihilominus objectum non denominaretur viſum, antequam haberet colorem. Idemque poteſt oſtendi in amore naturali, quo Deus communicat eſſe creaturis. Quod ergo ſignificavit D. Auguſt. *tract.* 102. *in Ioan.* dicens: ***Amorem noſtrum pium, quo colimus Deum, fecit Deus, & vidit, quod bonum eſt: ideo quippe amavit ipſe quod fecit.*** Per quod diluitur argumentum illud difficultatis: quoniam rectè cohæret eſſe aliquid independens ab alio, & eſſe inſeparabile ab illo: nam cauſa actu cauſans importat neceſſariam connexionem cum effectu, ſiquidem illum actu infert; quamvis ab eo non dependeat. Et idem contingit in noſtro caſu: quia amor divinus ut reſpicit hominem ſibi gratum, importat eſſentialiter terminationem liberam ad ipſum media bonitate, ſeu forma, quam illi communicat, quo ſublato manet quidem ille amor, ſubjective, & entitative, & in eſſe actus neceſſarij; non tamen in ratione amoris liberi. Et ideo non poteſt Deus reſpicere hominem ut objectum ſibi ſimpliciter, & actu gratum, quin ipſi impertiatur aliquod donum intrinſecum, nimirum gratiam habitualem. Videantur quæ diximus *tractatus* 4. *diſputatione* 7. *dubio* 6. *& ſequentibus*, ubi diluimus ſimiles objectiones.

D. Auguſt.

Secunda objectio. Okam.

11. Secundo opponit Okam *in eadem diſt.* quoniam ut ſalvetur amor Dei erga hominem, non requiritur, quod prædictus amor aliquid in homine producat: ergo corruit fundamentum D. Thomæ. Probatur antecedens: tum quia ut dicitur Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Unigenitum daret:* & tamen ex prædicto amore non ſequitur, quod Deus communicaverit aliquam perfectionem intrinſecam omnibus creaturis, imo neque omnibus hominibus: ergo. Tum etiam quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Timoth. 2. ex quo tamen effectu nihil derivatur ad ſingulos homines, ut patet in pluribus infidelibus, & præſertim in parvulis decedentibus ſine baptiſmo. Tum præterea quia Deus diligit quemcumque prædeſtinatum amore abſoluto, & ſimpliciter tali; cum prædeſtinatio importet electionem efficacem tranſmittendi hominem ad æternam beatitudinem: quæ electio, utpote maximum beneficium, nequit non includere amorem rigoroſum Dei erga prædeſtinatum: & nihilominus prædictus amor nihil actu ponit in aliquibus prædeſtinatis, ut liquet in parvulis, antequam baptizentur, & in pluribus adultis peccatoribus: ergo non requiritur, quod amor Dei aliquid in objecto producat. Tum denique quia amor ſufficienter explicatur in ablatione mali, quamvis non ſemper conferat bonum; ergo ad ſalvandum amorem Dei erga hominem non oportet recurrere ad productionem doni intrinſeci; ſed ſatis erit, quod Deus remittat offenſam, & deleat culpam hominis peccatoris, quamvis non infundat illi aliquod donum intrinſecum.

Joan. 3.

Confirmatur.

Confirmatur primo: quia poteſt Deus magis diligere hominem abſque doni intrinſeci augmento: ergo poteſt abſolute diligere illum abſque ullo dono intrinſeco. Conſequentia liquet à paritate. Et antecedens ſuadetur: quoniam datis duobus hominibus juſtis quorum quilibet habeat gratiam ut quatuor; ſi unus eliciat actum charitatis ut tres, alter vero non eliciat: ille qui elicit], magis diligitur à Deo, cum acceptetur ad majorem gloriam merito illius actus correſpondentem: & tamen ejus gratia actu non augetur ob defectum diſpoſitionis phyſicæ: nam actus ut tres non diſponit ad gratiam ut quinque. Idemque apparet in eo, qui poſt plurima merita incidit in peccatum mortale, & deinde reſurgit cum actu contritionis ut duo: tunc quippe non conſequitur gratiam niſi ut unum: & tamen acceptatur à Deo ad tantam gloriam, quanta correſpondet meritis præcedentibus, juxta communem Thomiſtarum ſententiam *in tractatu de Merito*, poteſt ergo Deus magis diligere hominem abſque intrinſeci augmento.

Confirmatur ſecundo: quoniam ſicut homo Deo gratus terminat Dei amorem, ita homo peccator terminat odium Dei: ſed ut homo terminet odium Dei, non requiritur, quod prædictum odium aliquid in homine producat: ergo homo ut terminet amorem, non deſideratur aliquid, quod fiat per ipſum amorem.

12. Reſpondetur rationem D. Thom. non procedere in amore ſecundum quid, & in affectu inefficaci cujuſdam imperfectæ benevolentiæ: ſed probare de amore abſoluto, & ſimpliciter tali, ſecundum quem Deus reſpicit aliquos homines, ut ſibi vere gratos, & amicos. Et in hoc ſenſu negandum eſt antecedens argumenti; quod nulla probatione ſuadetur. Non *prima*, quia amor Dei ſimpliciter talis eſt ille, quo Deus promovet creaturam rationalem ad æternam beatitudinem, quæ in viſione ipſius intuitiva conſiſtit. Unde quibus vult tale bonum, confert etiam in hac vita gratiam habitualem, per quam ad ipſum coaptentur. Creaturæ autem irrationales cum ſint illius incapaces, non dicuntur à Deo dilectæ ſimpliciter; ſed per quandam analogiam, quatenus nobilitantur, in humanitate aſſumpta à Verbo, in qua omnia entia creata, ſaltem in aliquo gradu communicant. Ad *ſecundam* probationem reſpondemus voluntatem illam generalem ſalvandi homines non eſſe amorem abſolutum, quo Deus omnes reddat ſibi gratos; ſed eſſe affectum antecedentem, & inefficacem: ex quo tamen derivantur auxilia ſufficientia ad ſalutem, & ad quæ terminatur prædictus amor, ut infra declarabimus *diſp.* 6. *dub.* 3. Occurritur objectioni.

Ex quo ad *tertiam* reſpondetur, quod licet amor quo Deus diligit prædeſtinatum, ſit in ſe æternus; tamen non terminatur ad ipſum niſi pro illa duratione, in qua eum reſpicit ut amicum, & in qua confert ipſi gratiam, per quam coaptatur ad beatitudinem: illa quippe eſt connotatum requiſitum ad prædictam terminationem. Et ideo pro tempore in quo prædeſtinatus eſt in peccato mortali, non terminat amorem Dei; ſed potius eſt illi ingratus, & inviſus: nam ſecundum illud tunc, & præſentem diſpoſitionem non acceptatur ad gloriam, ſed obnoxius eſt pœnæ. Ad *ultimam* dicendum eſt peccatum non poſſe remitti abſque infuſione gratiæ, ut oſtendemus tractatu de juſtificatione. Eſto tamen, quod auferretur; adhuc homo non redderetur ſimpliciter Deo gratus, & objectum congruum divinæ amicitiæ abſque infuſione alicujus intrinſeci doni, & in eo caſu non tam diceretur Deum hominem ſimpliciter amare; quam antiquum odium deponere: neque hominem eſſe poſitive Deo gratum, ſed jam non eſſe inimicum. Sed de hoc ex profeſſo dicemus *Tractatu ſequenti, diſputatione* 2. *dubio* 5. *&* 6.

Confirmatio-nes ſolvuntur. Ad primam confirmationem omiſſo anteceden- ti in ſenſu ſtatim declarando, negamus abſolute conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt: quoniam licet in duobus exemplis ad ſuadendum antecedens allatis non augeatur gratia phyſice in eſſe qualitatis, & formæ ob defectum diſpoſitionis: nihilominus propter conjunctionem ad plures actus meritorios quantumvis remiſſos, & ob eorum connotationem creſcit moraliter in eſſe radicis exigentis majus præmium, atque ideo augètur in eſſe gratiæ. Quod ſatis eſt, ut homo dicatur magis Deo gratus, & ad majorem gloriam acceptus. Cæterum antecedenter ad omnem receptionem dòni intrinſeci non habet homo aliquod, per quod conſtituatur in eſſe objecti congrui divini amoris, & aptetur, ac diſponatur ad æternam beatitudinem, ut conſtat ex ſupra dictis. Et idcirco non poteſt dici abſolutè Deo gratus, & illi acceptus.

Ad ſecundam reſpondetur negando conſequentiam: quia ſicut homo habet ex ſe, quod poſſit peccare, ita habet quod poſſit recedere ab amicitia Dei, & ſe conſtituere in eſſe objecti abominabilis, & odibilis: & ideo non oportet, quod odium Dei ponat aliquid in peccatore, niſi ad ſummum pœnam, qua punit culpam. Homo autem non habet ex ſe eſſe objectum congruum divinæ amicitiæ, nec proportionem, & dignitatem, ut acceptetur ad æternam beatitudinem: quamobrem indiget aliquo dono intrinſeco derivato ex amore Dei, per quod reddatur ipſi gratus in ordine ad prædictum finem.

Tertia objectio. 13. Tertio objicies: nam amor Dei erga hominem ſupponit in eo bonitatem, quæ ſit motivum ipſius amoris: ergo non cauſat prædictam bonitatem: corruitque proinde fundamentum D.Thom. qui ex eo probat gratiam habitualem eſſe aliquid creatum, & nobis intrinſecum, quia derivatur ex amore Dei terminato ad hominem ſibi gratum. Antecedens ſuadetur primo ex ſacris litteris: nam *Iſai.43. Joan. 16.* Iſai.43. dicitur, *Ex quo honorabilis factus eſt, & glorioſus in oculis meis, ego dilexi te.* Et Joan. 16. *Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Quibus verbis ſignificatur dari ex parte hominis bonitatem, quæ ſit motivum, & non effectus divini amoris. Deinde probatur ratione: quia objectum actus præſupponitur ad ipſum actum in genere cauſæ formalis extrinſecæ; cum illi tribuat ſpeciem: ergo amor Dei ſupponit in homine bonitatem, quæ ſit objectum prædicti amoris. Tandem id ipſum explicatur exemplo amoris Dei, quo hominem acceptat ad beatitudinem propter merita: qui actus non cauſat merita, ſed ea ſupponit ut motivum conferendi homini præmium.

Diſſolvitur. Reſpondetur negando antecedens: nam ex eo, quod Deus amat creaturas, non ſequitur (*D.Thom.* inquit Divus Thomas *quæſtione vigeſima tertia, de veritate articulo primo, ad 7.*) *quod à creaturis moveatur: quia creaturas non vult, niſi ratione ſuæ bonitatis.* Unde non oportet, quod ex parte hominis ſupponatur bonitas movens divinum amorem; ſed qualibet perfectio in eo reperta eſt effectus prædicti amoris, & nullo modo habet rationem cauſæ reſpectu illius, ut latè oſtendimus, *tract.4. diſput.3. dub.2.* Ad *primam* probationem in contrarium reſpondemus illam particulam *ex quo* primi teſtimonij non deſignare rationem, vel cauſam, ſed ſolam concomitantiam, & ſignum divini amoris. Et eodem modo exponenda eſt particula *quia* in ſecunda auctoritate. Ad *ſecundam* negandum eſt amorem Dei erga objecta creata ſpecificari ab illis, cum hoc deceat ſummam perfectionem illius: ſed tantum reſpiciat ea ut objecta pure terminativa, allectus unice à divina bonitate tanquam à motivo adæquato. Unde ex vi hujus nequit concludi, quod prædictus amor ſupponat bonitatem in homine ſibi grato: ſed magis infertur oppoſitum. Nam ut inquit Divus Thomas *in 3. diſtinctione 32. quæſtione 1. articulo primo ad quartum.* D.Thom. *Sicut intellectus divinus non informatur rebus, quas cognoſcit per eſſentiam ſuam: ita nec voluntas ejus informatur rebus, quas amat: quia eas per bonitatem ſuam amat, & amando communicat eis bonitatem ſuam.* Ad *tertiam* dicendum, quod licet Deus amet, & acceptet hominem ad gloriam dandam propter merita, ſed omnino independenter ab eis habet illum actum amoris. Immo ex illo amore gratioſo oritur voluntas conferendi homini auxilia ad merendum, ut in executione gloriam ex juſtitia conſequatur, ut docent communiter Thomiſtæ *in tractatu de Prædeſtinatione.*

§. V.

Colliguntur aliqua ex dictis.

14. INfertur primo cum D. Thom. *in hac quæſt. art. 2. ad 2.* gratiam gratum facientem non eſſe ſubſtantiam, ſed quandam formam accidentalem: *Gratia non eſt ſubſtantia.* *quia omnis ſubſtantia*, inquit S.Doctor, *vel eſt ipſa natura rei, cujus eſt ſubſtantia, vel eſt pars naturæ: ſecundum quem modum materia, vel forma ſubſtantia dicitur. Et quia gratia eſt ſupra naturam humanam, non poteſt eſſe, quod ſit ſubſtantia, aut forma ſubſtantialis:* (quod vero ſit modus aliquis unionis, relinquitur ut per ſe notum ex dictis:) *ſed eſt forma accidentalis ipſius animæ. Id enim, quod ſubſtantialiter eſt in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem, ut de ſcientia patet.* Præſertim quia in Concilio Trident. *ſeſſione 6. cap. 7.* Conc.Trid. dicitur, quod gratia *inhæret*: inhærere autem non convenit ſubſtantiæ, ſed ſoli accidenti.

15. Infertur ſecundo prædictam gratiam pertinere ad genus qualitatis, & non ad alia prædicamenta accidentium. *Pertinet ad genus qualitatis.* Ita reſolvit D. Thom. *in hac quæſt. art. 2.* Et ratio eſt: quoniam accidens ſpirituale abſolutum, & permanens nequit pertinere niſi ad genus qualitatis: ſed gratia habitualis eſt accidens ſpirituale abſolutum, & permanens: ergo conſtituitur in genere qualitatis. Minor ſuadetur quoad omnes partes: nam gratia hæc recipitur in ſubſtantia pure ſpirituali, ut in Angelis, & anima rationali: ergo eſt accidens ſpirituale. Deinde dat eſſe abſolutum, nempe eſſe objectum congruum divini amoris, & dignificat animam in ſe ipſa; quæ rationes nequeunt per ſe primo provenire à relatione, licet eam fundent. Ergo eſt accidens abſolutum. Tandem, quod ſit forma permanens, conſtabit ex iis, quæ ſtatim dicemus. Major autem probatur: quia accidens ſi eſt ſpirituale, nequit eſſe quantitas, ſitus, ubi, habitus, vel quando: quia omnia hæc ſunt accidentia corporea. Præterea ſi eſt abſolutum, nequit eſſe relatio. Denique ſi eſt permanens, non valet eſſe actio, vel paſſio, cum hæc ex natura ſua ſint aliquid fluidum. Reſtat igitur, quod accidens ſpirituale, abſolutum, & permanens in ſolo qualitatis genere debet conſtitui.

16. In

Eſt qualitas permanens.

16. Infertur tertio gratiam ſanctificantem eſſe qualitatem permanentem. Hoc corollarium docent omnia teſtimonia Scripturæ, & SS.PP. quæ ſupra dedimus *à num.* 5. ut ea ponderanti conſtabit. Et inſuper oſtenditur: tum quia gratia ſanctificans eſt radix viſionis beatificæ, quæ ex natura ſua permanens eſt: ergo ipſa eſt forma permanens. Tum etiam quia hujuſmodi gratia fuit fundamentum juſtitiæ originalis, ut D.Thom. 1. *part. quæſt.* 100. *art.* 1. *ad* 2. ſed prædicta juſtitia erat principium immortalitatis, ut tradit ipſe Sanctus Doctor *eadem* 1. *part. quæſt.* 107. *art.* 1. ergo gratia ſanctificans eſt aliquid ex ſe permanens. Tum denique quia hæc gratia eſt ejuſdem rationis tam in adultis, quam in parvulis: conſtat autem, quod parvuli non juſtificantur per aliquid fluidum, utputa per aliquem motum ſpiritualem, cum ſint incapaces illius; ſed per aliquid in ipſis permanens: ergo hujuſmodi gratia eſt qualitas habens ex ſe permanentiam.

D.Thom.

Confirmat D.Thom. hanc veritatem 3. *contra gentes cap.* 150. *ratione* 1. quæ ſic ſe habet: *Quod in aliquem finem dirigitur, oportet, quod habeat continuum ordinem in ipſum: nam movens continuè mutat, quouſque mobile per motum finem ſortiatur. Cum igitur auxilio divinæ gratiæ homo dirigatur in ultimum finem; oportet, quod continuè homo iſto auxilio potiatur, quouſque ad finem perveniat. Hoc autem non eſſet, ſi prædictum auxilium participaret homo ſecundum aliquem motum, aut paſſionem, & non ſecundum aliquam formam manentem, & quaſi quieſcentem in ipſo. Motus enim, & paſſio talis non eſſet in homine, niſi quando actu converteretur in finem: quod non continuè ab homine agitur, ut præcipuè patet in dormientibus. Eſt ergo gratia gratum faciens aliqua forma, & perfectio in homine manens etiam quando non operatur.* Idemque ſuadet ibidem aliis quatuor argumentis.

Pertinet ad primam ſpeciem qualitatis.

17. Infertur quarto hujuſmodi gratiam (ſi ſemel collocanda eſt in prædicamento) pertinere ad primam ſpeciem qualitatis, eſt eſſe habitum. Quod facile ſuadetur ex dictis: nam gratia nequit eſſe naturalis potentia, aut impotentia, ſiquidem, ut infra oſtendimus, non ordinatur per ſe primo ad operandum, vel ad recipiendum. Deinde non ſolet eſſe paſſio, aut paſſibilis qualitas, nec forma, vel figura: quia hujuſmodi ſpecies ſunt accidentia corporea. Reſtat igitur, quod pertineat ad primam ſpeciem qualitatis. Rurſus eſt qualitas ex ſe permanens, & difficile mobilis: ergo non eſt diſpoſitio, ſed habitus. Et ita jam pridem docuit, vel potius ut certum ſuppoſuit Concilium Viennenſe, & refertur in Clementina unica *de Summa Trinitate*, & tradunt communiter omnes Theologi in præſenti. An autem ſit habitus operativus, & rigoroſè collocetur in ſpecie habitus prædicamentalis infra *dub.* 5. connotabit.

Concil. Vien.

Objectiones.

18. Sed objicies primo: nam habitus eſt virtus immediatè operativa, & potentiæ immediatè inhærens: atqui gratia ſanctificans non eſt virtus immediatè operativa, nec recipitur immediatè in potentiis, ſed in ſubſtantia: ergo non eſt habitus. Secundo: quia habitus eſt qualitas difficilè mobilis: gratia autem eſt facilè amiſſibilis; cum deſtruatur per quodlibet peccatum mortale: ergo non eſt habitus.

Enodantur.

Ad *primam* objectionem reſpondetur ex ſupra dictis *quæſt.* 71. *art.* 1. *num.* 8. habitum univerſaliter acceptum non importare immediatum ordinem ad operationem; ſed dari aliquos habitus, qui ordinantur ad perficiendum ſubjectum in ſeipſo: quos proinde non oportet recipi in potentiis operativis. Et hujus conditionis eſt gratia ſanctificans ut *dub.* 5. oſtendemus ex profeſſo. Ad *ſecundam* reſpondet Divus Thomas *quæſt.* 27. *de Veritate, art.* 1. *ad* 9. his verbis: *Dicendum, quod quamvis per unum actum peccati mortalis gratia amittatur; non tamen facile gratia amittitur: quia habenti gratiam non eſt facile illum actum exercere propter inclinationem in contrarium: ſicut Philoſophus dicit in 5. Ethicorum, quod juſto difficile eſt operari injuſta.* D.Thom.

Quam certitudinem habeant præcedentes reſolutiones.

19. Ultimo colligitur deciſio alterius difficultatis, quæ hic communiter agitari ſolet circa qualitatem certitudinis doctrinæ hactenus ſtatutæ: in quo acriter controvertunt Doctores. Reſolutoriè tamen dicendum eſt doctrinam traditam, qua parte aſſerit gratiam habitualem, ſeu ſanctificantem eſſe aliquid creatum, & nobis inhærens, eſſe certam ſecundum fidem, ita ut oppoſitum ſit hæreſis: qua parte vero aſſerit, gratiam eſſe qualitatem, & habitum non eſſe certam ſecundum fidem, nec oppoſitum ejus eſſe hæreſim: gaudere tamen tanta certitudine, ut contrarium aſſerere ſit temerarium, & fortè erroneum. Hæc reſolutio habet tres partes: & prima admittitur ab omnibus Theologis, conſtatque manifeſtè ex iis, quæ adduximus §. 2. & expreſſiùs adhuc ex Concilio Tridentino ſeſſione 6. canone 11. *ubi diffinit gratiam juſtificationis non eſſe externum Dei favorem, ſed charitatem, quæ in cordibus eorum, qui juſtificantur, diffunditur per Spiritum ſanctum, atque illis inhæret.* Tertiam etiam partem tradunt communiter Doctores, & meritò: nam ex definitione Concilij nuper relata colligitur adeo manifeſtè, & urgenter gratiam habitualem eſſe qualitatem, & habitum, ut oppoſitum nequeat abſque temeritate, & errore dici: præſertim adjunctis iis, quæ in ſecundo, & quarto corollario expendimus. Conc. Trid.

Secunda vero pars, quæ aſſerit non eſſe de fide, quod gratia habitualis ſit qualitas, & habitus; & oppoſitum non eſſe hæreſim, non admittitur ita communiter à Doctoribus. Nam contrarium docent Bellarminus, Valentia, Vega, Lorca, & alij non pauci. Noſtram vero reſolutionem defendunt Soto *lib.* 2. *de natura, & gratia cap.* 17. *& ſequenti*, Cano *lib.* 7. *de locis cap.* 2. Aſturicenſis *de gratia Chriſti quæſt.* 1. *concluſ.* 6. §. *Dico tertio.* Bañez 2. 2. *quæſt.* 23. *art.* 2. Medina *in præſenti art.* 2. *concluſ.* 2. ubi etiam Curiel §. *Sed quæres.* Zumel §. *Ex ſuperius dictis.* Arauxo *dub.* 1. *concluſ.* 3. & alij. Fundamentum præcipuum eſt: quia ante Concilium Tridentinum non erat de fide gratiam habitualem eſſe qualitatem, & habitum, cum hæc nomina non reperiantur in ſacra Scriptura, vel in aliquo Concilio Generali, ut communiter obſervant Moderni: at ſic eſt, quod Concilium nihil de gratia habituali determinavit ſub nomine qualitatis, & habitus, ut ipſi Adverſarij concedunt: ergo licet ſit de fide gratiam eſſe formam creatam, & inhærentem, non eſt de fide, quod ſit qualitas, & habitus. Bellarmin. Valentia. Vega. Lorca. Soto. Cano. Aſturicenſis. Bañez. Medina. Curiel. Zumel. Arauxo.

Confirmatur: quia in Conciliis id intelligitur diffinitum, quod ſufficit ad repellendum, & damnandum errorem, contra quem procedit; ſed Tridentinum intendebat damnare errorem hæreticorum aſſerentium nos juſtificari, & fieri

Deo gratos per ſolum favorem Dei, & juſtitiam Chriſti nobis extrinſecus applicatam: qui error ſufficienter exoluditur confitendo gratiam eſſe formam creatam, & nobis intrinſecus inhærentem; quidquid ſit, an prædicta forma ſit qualitas, & habitus: ergo illud primum manet diffinitum, ſecus autem hoc poſterius.

Obiectio. Catechiſm. 20. Nec refert, ſi adverſus hanc partem opponas, quod in Catechiſmo edito juſſu Pij V. (qui proinde magnæ auctoritatis eſt) hæc habentur in materia de Baptiſmo: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna Anathematis propoſita decrevit, non ſolum peccatorum ſit remiſſio; ſed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit.* Ergo in Tridentino diffinitum eſt gratiam habitualem eſſe qualitatem.

Reſponſio. Non, inquam, hoc refert: reſpondetur enim Catechiſmum explicuiſſe non ſolum ea, quæ ex prædicta determinatione intelliguntur deduci, cujuſmodi eſt gratiam eſſe qualitatem, & habitum. Itaque licet Concilium ſolum diffiniat gratiam eſſe aliquid inhærens; Catechiſmus tamen explicat juxta communem Theologorum ſententiam, quid ſit hæc forma, dicens eſſe qualitatem. Hoc autem non reddit hanc partem certam ſecundum fidem: Sed conciliat illi tantam auctoritatem, ut oppoſitum ſit temerarium, vel etiam erroneum, aut ſaltem errori proximum.

§. VI.

Refertur Hæreticorum ſententia.

Calvinus. Kemnitius. Tilmanus Heshuſius. Bucerus. Illiricus. 21. Adverſus noſtram, & Catholicam aſſertionem docuerunt Calvinus in Antidoto Concilij Tridentini *ſeſſione 6. cap. 7.* Kemnitius *in examine Trident. prima parte pag. 640.* Tilmanus Heshuſius *in lib. de ſexcentis erroribus Pontificiorum.* Bucerus apud Tiletanum *in apologia pro Tridentino*, Illiricus *apud Caponium in præſenti*, & alij Sectarij. Quibus, licet ſeductus, acceſſit Albertus Pighius Campenſis, vir alioqui pius, & Catholicus: nam *in lib. de gratia, & libero arbitrio §. gratia acceptionem*, hæc habet: *Gratiæ acceptionem non ex Scholis, ſed ex divinis Scripturis petemus: quandoquidem in illis ferè imaginantur gratiam Dei qualitatem aliquam increatam animæ noſtræ à Deo, vel eandem cum charitatis habitu, vel diſtinctam ab eodem; quæ commentaria univerſa exiſtimo, nec habere ullam auctoritatem ex Scripturis.* Albert. Pigh.

Primum hæreticorum fundamentum. Et præter ea, quæ adverſus rationem Divi Thomæ objecimus, & diluimus, pauca ſuperſunt, quæ poſſimus in favorem hujus erroris adducere, & quibus oportet breviter ſatisfacere. Probatur ergo hæc ſententia ex Apoſt. *1. ad Corinth. 1.* ubi loquens de Chriſto Domino inquit: *Factus eſt nobis ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio:* ergo juſtitia, à qua denominamur juſti, ſive Deo grati, eſt ipſa juſtitia exiſtens in Chriſto, quin opus ſit ad aliam formam nobis inhærentem recurrere. Quod videtur docere Auguſt. *lib. de prædeſtin. Sanctorum cap. 15.* ubi aſſerit eadem gratia fieri hominem ab initio ſuæ fidei Chriſtianum, qua ille homo factus eſt Chriſtus: indicans eadem gratia Chriſtum intrinſecè, & Chriſtianos extrinſecè fieri gratos.

1. ad Cor. 1. D. Auguſt.

Confirmatur primo. Confirmatur primo: nam frequenter in Scriptura monemur, ut induamur Dominum Jeſum Chriſtum, quo grati efficiamur Deo, ut ad Rom. 13. *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Ad Galat. 3. Chriſtum induiſtis. Ad Coloſſ. 3. & ad Epheſ. 4. *Induite novum hominem.* Ergo ornamur, & operimur gratia Chriſti nobis extrinſecus applicata, ut ſub illa ſimus Deo grati: ſicut Jacob veſtibus Eſaü ornatus fuit à patre benedictus. Ad Rom. 13. Ad Coloſſ. 3. & ad Epheſ. 4.

Secundo. Confirmatur ſecundo quoniam juxta communem uſum Scripturarum habere gratiam, vel invenire gratiam apud Deum ſolum ſignificat extrinſecum Dei favorem, & externam acceptationem in ordine ad aliquod beneficium: ergo ut homo dicatur habere gratiam Dei, & eſſe illi gratus, non requiritur aliqua forma intrinſeca, & conſequenter gratia habitualis non ponet in anima aliquid creatum, & illi intrinſecum: utraque conſequentia patet, & antecedens oſtenditur: nam *Gen. 6.* dicitur, quod Noë invenit gratiam apud Deum: & ſtatim explicatur prædictam gratiam fuiſſe Dei favorem, quo ipſum liberavit ab aquis diluvij. Idemque conſtat aliis exemplis *Gen. 18. & 19. Tobiæ 12. Daniel 1. & Lucæ 1.* & alibi ſæpè.

Tertio. Confirmatur tertio: nam eſſe aliquid tale per gratiam, & eſſe tale gratis, convertuntur, ut conſtat ex communi uſu loquendi: ſed ut aliquid dicatur eſſe tale gratis, non requiritur forma intrinſeca, ut liquet in pluribus beneficiis extrinſecis: ergo nec ut ſit tale per gratiam: poterit ergo homo eſſe Deo gratus per ejus gratiam, licet non participet aliquam formam intrinſecam.

Fundamentum diruitur. 22. Reſpondetur argumento Chriſtum dici juſtitiam, & ſanctificationem noſtram non in ſenſu formali, ſed cauſali: quia videlicet & eſt exemplar noſtræ juſtitiæ, & illam ſuis meritis cauſat: cauſa autem ſolet denominari ab effectu, juxta illud Pſal. 70. *Tu es patientia mea.* Et quod iſte ſit legitimus ſenſus illius teſtimonij liquet ex aliis ejus verbis: vocat quippè Chriſtum ſapientiam noſtram: & tamen certum eſt, quod ſumus ſapientes per aliam ſapientiam nobis intrinſecam. Quam interpretationem tradit tum D. Ambroſ. exponens illa verba Apoſtoli *Chriſtum Dei virtutem, & ſapientiam*, inquit enim: *Chriſtus virtus Dei eſt, quia per ipſum omnia facta: ſapientia autem, quia per ipſum cognitus eſt Deus.* Tum etiam D. Cyrillus lib. 7. in Joan. nam verſans illa Chriſti verba: *Ego ſum reſurrectio, & vita* ait: Ipſe *ergo reſurrectio, & vita, quia per ipſum reſurgimus à peccato, ut vivamus juſtitiæ.* Nec amplius docet Divus Auguſtinus *loco citato*, ſolum quippè intendit gratiam, quâ Chriſtus unctus eſt, nos effectivè reddere Chriſtianos: quia effectivè moraliter ſeu meritoriè produxit gratiam nobis inhærentem. D. Ambroſ. D Cyrillus.

Reſponſio ad 1. confirm. Ad primam confirmationem reſpondemus ex illa metaphora induendi Chriſtum Dominum non colligi, quod homo fiat formaliter juſtus, & gratus per gratiam in Chriſto exiſtentem; ſed potius ſignificari renovationem intrinſecam, ut conſtat ex contextu Apoſtoli: nam juxta illum induere Chriſtum eſt imitari ejus opera; quæ operibus carnis opponuntur: inquit enim: *objiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, &c. Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Quæ omnia fiunt

ſunt media gratia intrinſeca data per Chriſtum. Ideo autem prædicta gratia appellatur indumentum, quia ita exornat animam, ut tamen ſit ab extrinſeco, & non ex nobis, ut acutè ſignificavit Auguſtinus ſerm. 15. de verbis Apoſtoli, cap. 9. *Sacerdotes tui*, inquit, *induant juſtitiam: Veſtis accipitur, non cum capillis tibi naſcitur; pecora de ſuo veſtiuntur.*

D. Auguſt.

Ad ſecundam. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando antecedens, quod nullo Scripturæ teſtimonio ſuadetur: quia licet aliquando homo acceptetur, vel à Deo, vel ab alio homine in ordine ad aliquod beneficium purè extrinſecum: nihilominùs non dicitur gratus denominatione ſumpta à beneficio extrinſeco, aut ab extrinſeca acceptatione; ſed ratione alicujus doni intrinſeci terminantis amorem, & acceptationem alterius. Quam ſolutionem tradit D. Thomas *in hoc articulo in reſponſione ad* 1. ubi ait: *Dicendum, quod etiam in hoc, quod dicitur aliquis habere gratiam hominis, intelligitur in aliquo eſſe aliquid, quod ſit homini gratum: ſicut & in hoc, quod dicitur aliquis gratiam Dei habere, ſed tamen differenter: nam illud, quod eſt homini gratum in alio homine, præſupponitur eius dilectioni: cauſatur autem ex dilectione divina, quod eſt in homine Deo gratum.* Per quod diluitur etiam tertia confirmatio: nam licet ut aliquid dicatur fieri, aut eſſe tale per gratiam, non requiratur univerſaliter forma intrinſeca: tamen ut aliquid per gratiam ſit objectum terminans Dei amorem, & ipſi gratum, neceſſaria eſt aliqua forma intrinſeca, quæ producatur per ipſum amorem propter ea, quæ ſupra diximus.

D. Thoma. *Ad tertiam.*

Aliud argumentum. 23. Secundo arguitur: quia non ſunt multiplicandæ entitates abſque neceſſitate: ſed non eſt neceſſarium, quod detur forma permanens quam gratiam habitualem vocamus: ergo non datur: Probatur minor: quia ut homo conſequatur beatitudinem, illamque mereatur, ſufficit ſperare, credere, diligere, & alia præcepta ſervare, juxta illud Chriſti Domini, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata:* ſed ad eliciendum hos actus, ſufficiunt auxilia actualia, quæ tandiu ſunt in nobis, quandiu operamur: ergo non eſt neceſſarium ponere aliquam formam permanentem.

Confirmatur: quia ſi prædicta forma eſſet neceſſaria: maximè ut tranſactis operationibus perſiſteret in nobis aliquid, à quo permanenter denominaremur juſti, & Deo grati: ſed neque ad hoc requiritur: ergo, &c. Suadetur minor: quia ad prædictam denominationem ſufficiunt actus boni præteriti non retractati, ſeu moraliter permanentes: ſicut ad hoc, quod homo dicatur habitualiter peccator, ſufficit eliciuiſſe actum peccaminoſum, & illum retractaſſe: ergo non requiritur alia forma permanens, & diſtincta ab operationibus.

Solutio. Reſpondetur ad argumentum negando minorem. Ad cujus probationem ſatis conſtabat ex ſupra dictis §. 2. & 3. Quibus addimus, quod licet ad exercendum abſolutè actus ſupernaturales ſufficiant auxilia tranſeuntia: tamen ut connaturaliter eliciantur, requiritur aliqua forma permanens exigens auxilia, & concurſum Dei ad prædictas operationes. *Et hoc ideo*, (inquit Divus Thomas in præſenti articulo 2.) *quia non eſt conveniens, quod Deus minus provideat his, quos diligit ad ſupernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum: Creaturis autem naturalibus ſic providet, ut non ſolum moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formas, & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecundum ipſas inclinentur ad huiuſmodi motus. Et ſic motus, quibus à Deo moventur, fiunt creaturis connaturales, & faciles, ſecundum illud Sapient. 8. Et diſponit omnia ſuaviter. Multo igitur magis illis, quos movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum, infundit aliquas formas, ſeu qualitates ſupernaturales, ſecundum quas ſuaviter, & promptè ab ipſo moveantur ad bonum æternum. Et ſic donum gratiæ qualitas quadam eſt.* Ex quibus patet etiam ad confirmationem: nam peccatum habituale non eſt principium operandi: & ideo poſſet peccator, quantum eſt ex vi hujus, denominari talis ab actibus præteritis non retractatis, abſque alio intrinſeco permanenti. De facto tamen peccatum habituale non conſiſtit in illis actibus moraliter permanentibus; ſed in privatione gratiæ, quæ ex prædictis actibus relinquitur, & habitualiter perſeverat, ut diximus *tract.* 13. *diſput.* 16. *dub.* 5.

D. Thoma.

Ultimum medium. Ultimo ſuadetur hic error: quia hominem eſſe Deo gratum non eſt effectus formalis alicujus formæ creatæ: ergo homo non denominatur Deo gratus per aliquid creatum, & ſibi inhærens. Conſequentia conſtát. Antecedens ſuadetur: quoniam ſi aliqua forma creata haberet pro affectu formali conſtituere hominem Deo gratum; ſequeretur Deum non poſſe nos facere ſibi gratos abſque illa forma; nec poſſe, illa poſita, impedire, quod eſſemus ipſi grati: conſequens derogat Omnipotentiæ divinæ: ergo nulla forma creata habet pro effectu formali reddere hominem Deo gratum. Hoc argumentum plura tangit, quibus non poteſt communiter occurri, niſi excitando.

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum gratia habitualis per ſe, & ex natura ſua reddat hominem Deo gratum.

Iſtius difficultatis reſolutio, quam multitudo ſententiarum obſcuram, & difficilem fecit, pendet ex recta intelligentia terminorum: qua ſuppoſita pervium erit dubio legitimè reſpondere.

§. I.

Prælibantur aliqua pro dubij reſolutione.

Nota 1.

25. PRimo igitur obſervandum eſt præſentem difficultatem tractandam eſſe abſolutè; hoc eſt, independenter à ſuppoſitione accidentali, quod homo, cui gratia communicatur, prius fuerit in peccato mortali. Quod obſervamus propter aliquos, inter quos eſt Gabriel Vazquez *diſp.* 204. qui intempeſtivè exagitant in hoc loco quæſtiones pertinentes ad tractatum de Juſtificat. examinantes, an gratia & peccatum valeant ſimul eſſe; & utrum eorum oppoſitio ſit phyſica, vel moralis? A quibus tamen,

Vazquez.

men, quantum fieri poteſt, abſtrahendum eſt conſiderando præciſè gratiam quoad effectum poſitivum faciendi gratum, qualem communicavit B. Virgini, & Angelis, qui infecti nunquam fuerant peccato.

Nota 2. 26. Obſerva ſecundo totam obſcuritatem hujus dubij, & ſententiarum multitudinem ortum duxiſſe ex æquivocatione latente in illo termino *gratum:* hinc enim provenit, quod plures Auctores videantur inter ſe contrarij; cum tamen re bene inſpecta non idem affirment, & negent, ſed eandem vocem diverſimodè uſurpent. Quam æquivocationem vitabimus præſupponendo cum Okam (Okam.), & aliis Nominalibus infra referendis dupliciter poſſe aliquid dici gratum Deo modo generali quadam ratione, ſicut omne ens placet Deo, juxta illud Sapient. 11. (Sapient. 11.) *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Alio modo ſpeciali amore complacentiæ, & amicitiæ: & hujuſmodi amor ſolet explicari per acceptationem ad bona propria ipſius Dei, quæ in ejus poſſeſſione, ſeu æterna felicitate conſiſtunt. Hic autem amor Dei erga hominem eſt, qui ſimpliciter reddit hominem ſibi gratum, & acceptum, ut optimè docet D.Thom. (D.Thom.) *in 2. diſt. 26. quæſt. 1. artic. 1. ad 7.* his verbis: *Dicendum, quod cum dilectio Dei bonitatem creaturæ cauſet ſecundum diverſos gradus bonitatis in creaturis, diverſimodè Deus aliqua diligere dicitur, nulla diverſitate in ipſo intellecta: unde & diligere omnes creaturas dicitur, ſecundum, quod bonum naturæ omnibus tradit. Sed illa eſt ſimpliciter, & perfecta dilectio quaſi amicitiæ ſimilis, qua non tantum diligit creaturam ſicut artifex opus, ſed etiam quadam amicabili ſocietate, ſicut amicus amicum, in quantum trahit eat in ſocietatem ſuæ fruitionis, ut in hoc eorum ſit gloria, & beatitudo, qua Deus beatus eſt: & hæc eſt dilectio, qua ſanctos diligit, quæ anthonomaſticè dilectio dicitur: & ideo etiam effectus hujuſmodi dilectionis anthonomaſticè gratia vocatur; quamvis & omnes naturales bonitates gratia dici poſſunt, quia gratis à Deo dantur.*

In præſenti igitur dubio non inveſtigamus an gratia faciat ex natura ſua hominem Deo gratum, ſumendo ly *gratum* pro objecto amoris generalis, & utcumque; nam in hoc ſenſu evidenter apparet pars affirmativa. Tum quia nullum eſt ens, quod ratione ſuæ entitatis non placeat Deo, ut nuper dicebamus: quare cum gratia ſit quoddam ens reale in anima intrinſecè receptum, ut *dub. præced.* probavimus; nequit non terminare aliquem amorem, & conſtituere proprium ſubjectum Deo gratum. Tum etiam quia gratiæ nomine intelligimus quandam qualitatem nobiliſſimam, ut modo ſupponimus, & Adverſarij non negant: ergo ſi alia, etiam ratione ſuæ entitatis, & perfectionis placent Deo, & terminant ejus amorem; id à fortiori gratiæ, & homini gratia affecto concedendum eſt. Quare ex ſuppoſitione, quod Deus velit gratiam producere, & conſervare, nequit illam non diligere. Præſertim quia Deus agit ad extra non ſolum per intellectum, ſed etiam per voluntatem: & ideo ſicut gratia exiſtens debet eſſe cognita ſcientia viſionis, ita poſtulat eſſe amata, amore ſaltem generalis complacentiæ, & reddere in hoc ſenſu ſubjectum gratum. Procedit ergo difficultas de grato in poſteriori acceptione: & ita inquirimus, utrum gratia ex natura ſua reddat ſubjectum acceptum ad gloriam: id enim ſi poteſt, eo ipſo convincitur conſtituere ex ſe ſubjectum ſimpliciter gratum.

27. Pro cujus majori intelligentia obſervandum eſt tertio, quod acceptatio ad gloriam poteſt dupliciter conſiderari. Nota 3. Nam vel ſumitur pro acceptabilitate, hoc eſt pro aptitudine, & proportione ſubjecti, ut admittatur ad gloriam, & aptitudo hæc iterum dividitur in radicalem, ſeu obedientialem, quæ non diſtinguitur à natura intellectiva; & in aptitudinem connaturalem, & proximam, quæ conſiſtit in aliquo dono ſuperaddito naturæ. Vel prædicta acceptatio ſumitur pro actuali, & exercita acceptatione: quæ rurſus bifariam accipi poteſt: nam vel conſideratur activè; quo pacto importat actum formaliter exiſtentem in Deo, & promoventem hominem ad gloriam: vel conſideratur paſſivè; qua ratione ſolum ſignificat aut denominationem extrinſecam, ſecundùm quam homo dicitur ad gloriam acceptus, aut relationem rationis in prædicta denominatione fundatam. Poſſuntque hujuſmodi diviſiones, & conſiderationes explicari exemplo objecti potentiæ viſivæ: nam vel ſignificatur ut viſibile, vel ut actu viſum. Etſi ut viſibile; aut ſumitur radicaliter, aut proximè. Si autem ut actu viſum, poteſt conſiderari vel activè, vel paſſivè. Ex quibus eſſe viſibile eſt denominatio intrinſeca ſe tenens ex parte objecti: ita quod viſibile radicale ſit ipſa ſubſtantia corporea; viſibile autem proximè conſiſtat in luce, & colore. Eſſe vero viſum eſt ſimpliciter denominatio extrinſeca reſpectu objecti: ita quod eſſe viſum activè ſumptum ſit actus viſionis ut exiſtens in vidente; paſſivè autem conſideratum ſit ipſa viſio ut quodammodo tangens objectum, & fundans relationem rationis ad videntem. Quod adhuc congruentius explicatur exemplo reatus ad pœnam, qui in peccato, (cui gratia opponitur) reperitur. Etenim prædictus reatus poteſt accipi vel pro condignitate ad pœnam: quæ iterum dividitur in condignitatem radicalem, & in condignitatem proximam: ex quibus prior non differt ab eſſentia peccati poſterior vero importat quemdam conceptum ſecundarium, & ab eſſentia virtualiter diſtinctum. Vel ſumitur prædictus reatus pro ordinatione actuali ad pœnam: quæ ordinatio alia eſt activa, & alia paſſiva: ex quibus illa ſignificat actum Dei pœnam taxantis, aut infligentis; hæc vero importat denominationem extrinſecam ab illo actu provenientem, ſecundum quam homo dicitur ordinatus ad pœnam: quæ denominatio ſemper à nobis concipitur ſub quodam reſpectu rationis, ut explicuimus *tract. 13. diſp. 17. dub. 1.* per totum.

Quando ergo inveſtigamus, an gratia ex ſua natura reddat hominem gratum, ideſt, acceptum ad gloriam, non loquimur de acceptabilitate remota, & obedientiali, quæ nihil aliud ſignificat, quam capacitatem creaturæ intellectivæ, ut ad gloriam queat acceptari: hanc enim capacitatem ſupponimus non eſſe effectum proprium gratiæ, ſed illius communicationem præcedere. Nec ſermo præcipuè eſt de acceptatione actuali paſſivè ſumpta: hæc enim per ſe ſupponit acceptationem activam, & juxta illam regulanda eſt. Sed difficultas procedit tam circa acceptabilitatem proximam quam circa acceptationem actualem activè conſideratam: Punctum difficultatis. & ita inquiremus, an gratia habitualis ex natura ſua conſtituat hominem proportionatum, & aptum ad gloriam, ita quod iſtius communicatio ſit homini in gratia exiſtenti connaturaliter debita: & utrum gratia tantam habeat

cum

Digitized by Google

cum gloriæ connexionem, ut gratiæ communicatio neceſſario afferat acceptationem actualem ad gloriam. Cui difficultati, ſuppoſitis præmiſſis diſtinctionibus, jam poſſumus expeditè reſpondere.

§. II.

Aliquibus aſſertionibus dirimitur dubij difficultas.

Prima concluſio. 28. Dicendum eſt primo gratiam ex natura ſua facere hominem gratum, hoc eſt, ita aptum, & proportionatum ad gloriam, ut hæc ſit connaturaliter debita. Ita Divus Thomas *in* 1. 2. *quæſtione* 111. *articulo* 5. in corpore, ubi ait: *Gratia gratum faciens ordinat hominem immediatè ad conjunctionem ultimi finis*, & quæſtione 114. articulo 3. in corpore, ubi inquit: *Attenditur etiam pretium operis*, nempe meritorij, *ſecundum dignitatem gratiæ, per quam homo conſors factus divinæ naturæ adoptatur in Filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipſo iure adoptionis, illud Roman. 8. Si Filij, & hæredes. Idem docet 3. parte quæſtione* 23. *articulo* 1. Sancto Doctori ſubſcribunt Caietanus loco nuper citato, §. *& tu habes.* Medina in præſenti articulo 4. Capreolus in 1. diſtinctione 17. quæſtione 1. articulo 2. Hiſpalenſis ibidem *articulo* 4. Ferrara 3. *contra gentes cap.* 150. §. *ultim.* & communiter Thomiſtæ. Quibus etiam conſentiunt Aurelian. *in* 1. *diſtinctione* 17. *quæſtione* 1. *articulo* 2. Suarez *libro* 7. *de gratia capite* 1. cum ſequentibus. Vazquez *diſput.*204. Lorca *diſp.*36. & alij plures.

(D.Thom. — Caietanus. Capreol. Hiſpalenſ. Medina. Ferrara. Thomiſtæ. Suarez. Vazquez. Lorca.)

Fundamentum. Probatur concluſio ratione deſumpta ex verbis Div. Thom. modo relatis, quæ poteſt ſic formari: nam filio connaturaliter debetur hæreditas: ſed gratia conſtituit hominem Filium Dei: ergo gratia ex natura ſua facit gratum, hoc eſt, objectum congruum, & proportionatum ad hæreditatem Dei, ſive ad gloriam; quæ in ejus viſione, ac poſſeſſione conſiſtit. Major conſtat tum ex verbis Apoſtol. ad Roman. 8. *Si filij, & heredes:* quibus apertè ſignificat dari connexionem inter filiationem, & hæreditatem: aliàs illa conſecutio eſſet nulla. Tum etiam quia ſicut filius eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum patre, ita oportet, quod habeat communicationem in eiſdem bonis. Tum denique, nam qui dat eſſe, debet, ſaltem per ſe loquendo, conferre ea, quæ ad perfectionem, & conſervationem prædicti eſſe deſiderantur; qualia ſunt ea bona in quibus conſiſtit hæreditas. Minor etiam probatur ex eadem Apoſtol. loco nuper citato illis verbis. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei.* Ubi nomine Spiritus ſignificat Spiritum ſanctum in nobis habitantem per gratiam, ut ſtatim explicat dicens: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, pater: ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus Filij Dei.*

(Ad Rom.8. — Apoſtol.ubi ſupra.)

Evaſio. 29. Reſpondebis huic argumento negando conſequentiam: nam licet filiatio naturalis præbeat connaturale jus ad hæreditatem; id tamen non præſtat filiatio adoptiva: hæc quippè non eſt aliquid naturale, ſed pertinet præciſè ad moralem ordinem, & conſiſtit vel in denominatione extrinſeca deſumpta ab actu acceptantis aliquem in filium, vel in aliquo reſpectu rationis filij adoptivi ad patrem: quorum neutrum dat naturale jus, aut naturalem proportionem ad bona parentis. Gratia autem non conſtituit nos filios naturales Dei, ſed tantum adoptivos, ut liquet ex verbis Apoſtoli proximè relatis. Et ideo non ſequitur, quod ex natura ſua faciat hominem gratum, hoc acceptum ad gloriam, ita ut hæc connaturaliter ipſi debeatur.

Confutatur. Sed contra: nam ideo filiatio adoptiva inter homines non dat jus phyſicum, ut ita dicamus, vel connaturalem hæreditatis exigentiam, quia homo adoptans nihil phyſicum ponit in adoptato: eo quod nequit propriam naturam per phyſicam participationem accidentalem diffundere, ſed tantum media generatione ſubſtantiali, quæ filium non adoptivum, ſed naturalem conſtituit: atqui Deus adoptans per gratiam hominem in filium imprimit ei aliquod phyſicum, quod eſt vera, etſi accidentalis, participatio naturæ Dei: ergo gratia reddens hominem Filium Dei adoptivum præſtat illi connaturale, & phyſicum jus ad hæreditatem, ſeu gloriam. Major ex ſe conſtat. Minor autem quoad primam partem manet probata ex dictis *dub. præced.* ubi oſtendimus gratiam habitualem eſſe qualitatem phyſicam, & in anima intrinſecè receptam. Secunda vero ex profeſſo probabitur dubio ſequenti, ubi ſtatuemus prædictam gratiam eſſe phyſicam participationem formalem naturæ divinæ, juxta illud 2. Petri 1. *Maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hoc divinæ efficiamini conſortes naturæ.* Unde licet gratia ſanctificans non conſtituat hominem filium Dei naturalem; ad hoc quippè opus erat quod prædicta gratia eſſet natura divina ſubſtantialiter, & per eſſentiam, quod repugnat: conſtituit tamen hominem phyſicè, & intrinſecè filium Dei per participationem, quæ eſt adoptio perfectiſſima: & conſequenter tribuit intrinſecam, & connaturalem proportionem ad habendam gloriam, ſive jus internum ad hæreditatem. Id quod clariſſimè ſignificavit Joan. *epiſt.*1. *cap.*3. illis verbis: *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*; Quaſi dicat, jam habemus dignitatem filiorum Dei, hæreditatem tamen quæ in ejus viſione conſiſtit, nondum poſſidemus: ſed certi ſumus, quod eam, ſi in hac gratia perſeveraverimus, tandem obtinebimus. Unde Auguſtin. *lib.* 2. *de peccatorum meritis, & remiſſ. cap.* 8. *Adoptio*, inquit, *plena filiorum in redemptione fiet corporis noſtri. Primitias itaque ſpiritus nunc habemus: unde iam filij Dei reipſa facti ſumus.*

(2. Petri 1. — Ioan.epiſt.1. cap.3. — D. Auguſt.)

Maior ratiocinii confirmatio. Ex quibus confirmatur ratio ſuperius facta: nam ſicut homo conſtituitur in eſſe naturali per ſuam naturam, ita conſtituitur in ordine divino per gratiam habitualem, quæ eſt natura Dei per participationem: ſed homo conſtitutus per naturam propriam, manet diſpoſitus, & proportionatus ad beatitudinem naturalem, quæ prædictæ naturæ correſpondet: & ideo habet jus, & exigentiam illius: ergo homo conſtitutus in gratia, quæ eſt participativè natura Dei, manet in eo ipſo proportionatus ad beatitudinem ſupernaturalem eidem naturæ correſpondentem: & idcirco fundat jus, & exigentiam, ut eam aliquando conſequatur,

Digitized by Google

tur. Ac proinde ſicut Deus dans rebus eſſe naturale, confert etiam proportionem, & jus ad naturalem beatitudinem conſequendam: ita quando dat eſſe ſupernaturale per gratiam, communicat etiam jus, exigentiam, & proportionem ad obtinendum ſupernaturalem beatitudinem, ſeu gloriam, quæ in ejus intuitione conſiſtit. Maneat igitur gratiam ſanctificantem ex natura ſua conſtituere hominem gratum, hoc eſt, connaturaliter proximè acceptabilem ad gloriam.

Secunda concluſio. 30. Dicendum eſt ſecundo gratiam habitualem non inferre, aut ſecum afferre eſſentialiter acceptationem actualem ad gloriam; ſed fieri poſſe abſolutè, quod homo in gratia conſtitutus in æternum gloria privetur. Hanc concluſionem docent communiter Theologi, & præcipuè illi, qui negant gratiam ex natura ſua facere hominem Deo gratum, quos *numero* 34. dabimus. *Ratio aſſertionis.* Fundamentum eſt; quoniam beatitudo non eſt effectus formalis primarius gratiæ, ſed eſt quædam operatio dependens à gratia in genere cauſæ efficientis, ad quam proinde requiritur concurſus Dei diſtinctus ab illo, quo gratiam producit, & conſervat: atqui nulla eſt repugnantia in eo, quod Deus iſtum concurſum impediat in æternum, licet ſemper conſervet gratiam: & conſequenter poteſt id abſolutè decernere: ergo gratia non infert eſſentialiter acceptationem actualem ad gloriam, ſed poteſt in æternum gloria privari. Sicut enim de facto Deus producit, & conſervat gratiam ſine gloria in homine viatore; eadem ratione poſſet idem per totam æternitatem præſtare.

Confirmatur. Confirmatur ab exemplis: tum quia non magis redditur homo Deo gratus per gratiam habitualem, quam humanitas Chriſti per unionem hypoſtaticam ad perſonalitatem divinam: ſed illa humanitas potuit de potentia abſoluta privari gratia accidentali, & gloria, ut communiter docent Theologi: ergo homo affectus gratia poteſt abſolutè ad gloriam non acceptari. Tum etiam quia licet homo per animam rationalem, & intellectum conſtituatur proportionatus ad beatitudinem naturalem, habeatque, per ſe loquendo, jus ad eam obtinendam; nihilominus poteſt abſolutè hujuſmodi beatitudine privari, vel per annihilationem, vel per negationem concurſus ad prædictam beatitudinem requiſiti: ergo idem de homine gratia affecto dicendum eſt. Tum denique quia ſicut homo ratione gratiæ habet condignitatem ad gloriam, & eſt ad illam connaturaliter acceptabilis: ita ratione peccati mortalis importat reatum, ſeu ſubjectionem ad pœnam, & manet illi obnoxius: ſed Deus poteſt abſolutè homini exiſtenti in peccato mortali pœnam non infligere, licet ſibi diſpliceat culpa: ergo poſſet etiam homini exiſtenti in gratia gloriam negare; quanquam gratia illa ipſi ſemper complaceret. Et conſequenter gratia non habet ita facere hominem Deo gratum, & ad gloriam acceptum, ut inferat eſſentialiter gloriam, & acceptationem actualem ad illam: ſed tantum hæc affert connaturaliter, & per ſe loquendo, & juxta communem providentiam, quæ ad rerum exigentias attendit.

Dubium incidens. 31. Sed inquires, utrum ſicut gratia eſt ſeparabilis ab hoc effectu, qui eſt hominem reddere gratum, id eſt, actu acceptum ad gloriam; ita prædictus effectus ſit à gloria ſeparabilis, ita ut poſſit homo acceptari ad gloriam independenter à gratia? & ſermo eſt de homine, cui Deus nec iſtam, nec altiorem gratiam communicaret, qualem contulit humanitati Chriſti Domini per perſonalitatem divinam.

Reſpondet Suarez ubi ſupra *cap.* 3. *num.* 12. *Suarij reſponſio.* Deum poſſe abſolutè conferre gloriam abſque gratia habituali; quia operatio in qua conſiſtit beatitudo non dependet eſſentialiter ab habitu, ſed poteſt elici per auxilium, ſeu motionem actualem. Obſervat tamen, quod tunc beatitudo non haberetur connaturaliter, nempè juxta exigentiam, & diſpoſitionem ſubjecti. Et ideo aſſerit, quod eſſe acceptum modo connaturali ad gloriam eſt effectus adeo connexus cum gratia, ut non valeat abſque illa reperiri: licet eſſe acceptum purè ab extrinſeco, & præternaturaliter non ſit effectus ejus, & conſequenter abſque ipſa inveniri queat. Hæc doctrina eſt probabilis, & ſufficienter occurrit interrogationi factæ, & aliis objectionibus, ex ea emergentibus.

Secundo poteſt reſponderi, quod eſſe actu *Alia reſponſio.* acceptum ad gloriam habet tantam connexionem cum gratia habituali, ut repugnet Deum acceptare ad gloriam, quin intendat conferre prius tempore, vel natura habitualem gratiam. Ratio eſt: quia dantur aliquæ operationes adeò perfectæ, & divinæ, (inter quas beatitudo forſan computatur,) quod poſtulant eſſentialiter oriri à natura divina habita ſaltem per participationem, ut oſtendemus *tractatu ſequenti, diſputatione* 2. *dubio* 6. Natura autem divina nequit participari in aliquo auxilio, ſed in ſolo habitu: eò quod natura ſub conceptu naturæ importat primum, ac radicale principium operandi: & ideo non poteſt immediatè actuare potentias: auxilium vero eſt principium proximè operativum, & potentias immediatè perficiens. Unde fortè repugnat quod viſio beatifica eliciatur abſque gratia habituali: quocirca nequit homo acceptari ad gloriam, quin ad dictam gratiam prærordinetur, de hoc latius agimus loco citato.

32. Dicendum eſt ultimo concedendum eſſe, *Ultima aſſertio.* abſolutè loquendo, quod gratia ex natura ſua reddit hominem Deo gratum, ſeu acceptum ad gloriam. Hanc concluſionem docent Auctores pro prima relati, & communiter omnes Theologi Moderni. Probatur primò: quia ut *Fundamentum ab auctoritate.* ex Scriptura, Patribus, & Concilio Tridentino probavimus *dubio præcedenti*, homo redditur Deo gratus per aliquid phyſicum, & in eo intrinſecè receptum: ſed hoc non poſſet verificari, ſi gratia ex natura ſua non redderet hominem Deo gratum: ergo ita aſſerendum eſt. Probatur minor: tum quia ſi gratia ex natura ſua non redderet hominem gratum, ſolum faceret gratum ratione divinæ inſtitutionis: ſed hæc eſt quid extrinſecum, ut ex ſe liquet: ergo homo non fieret gratus per aliquid phyſicum, & ipſi intrinſecè inhærens. Tum etiam quia hominem eſſe gratum per aliquid phyſicum, & intrinſecè receptum eſt terminare divinam dilectionem ratione alicujus in eo exiſtentis, quæ ipſum ad prædictam terminationem proportionat: ſed ſi gratia ex natura ſua non faceret gratum, homo non terminaret divinam dilectionem ratione ipſius gratiæ,

nec

Digitized by Google

nec per ipſam proportionaretur, ſed totum hoc fieret per extrinſecam inſtitutionem, ut ex ipſis terminis liquet: ergo ſi gratia ex natura ſua non facit gratum, ſequitur hominem non fieri gratum per aliquid intrinſecum, & in eo receptum: Tum denique quia ſi gratia ex natura ſua non faceret gratum, ſolum eſſet quoddam ſignum, aut conditio, qua poſita ſequeretur dilectio Dei: ſed hoc admiſſo rectè infertur hominem non eſſe gratum per aliquid intrinſecum, ſed per dilectionem extrinſecam, quæ poſito illo ſigno ſubſequitur: ergo idem quod prius.

Confirmatur. Confirmatur: quia per id ipſum redditur homo Deo gratus, & amabilis, per quod fit ſanctus, & juſtus: ſed homo fit ſanctus, & juſtus per ſanctitatem, ac juſtitiam ſibi inhærentem, ut docet *Conc. Trid.* Concil. Trident. *ſeſſ. 6. cap. 7.* & ridiculum foret dicere, quod juſtitia ex natura ſua non ſit juſtitia, & faciat juſtum: ergo homo redditur Deo gratus per aliquid intrinſecum, quod ex natura ſua eſt gratia, & facit gratum.

Probatur ratione. 33. Secundo ſuadetur eadem aſſertio: quia ut aliqua forma dicatur facere ex natura ſua hominem Deo gratum, & ad gloriam acceptum, ſufficit quod per ſe, & ab intrinſeco conſtituat ipſum in ratione ſubjecti proportionati ad gloriam, ipſamque connaturaliter exigentis; quamvis de potentia abſoluta poſſit in æternum illa privari: ſed gratia ſanctificans ſic ſe habet, ut conſtat ex dictis in prima, & ſecunda aſſertione: ergo abſolutè loquendo prædicta gratia ex natura ſua reddit hominem Deo gratum, atque ad gloriam acceptum. Major probatur: quia ſic ſe habet peccatum mortale in ordine ad pœnam, ſicut forma, quæ dicitur gratia, in ordine ad gloriam: ſed licèt Deus poſſit non infligere pœnam homini peccanti mortaliter; tamen quia peccatum illam ex ſe meretur; ideo abſolute loquendo, dicimus prædictum hominem ex intrinſecis prædicatis peccati manere Deo exoſum, & reum pœnæ: ergo ut gratia dicatur facere hominem Deo gratum, & ad gloriam acceptum, ſufficit quod per ſe, & ab intrinſeco conſtituat ipſum in ratione ſubjecti proportionati ad gloriam, ipſamque exigentis; quamvis illam actu non conſequatur. Idemque aliis exemplis liquet: nam hac ratione dicitur, quod albedo ex natura ſua diſgregat, quia videlicet ex ſe infert hunc effectum; licèt abſolutè valeat ab eo ſeparari. Et grave ex natura ſua eſt in loco deorſum, quia in illum ex ſe propendit; quamvis valeat per accidens in loco ſurſum conſtitui. Et quamvis ad conſequendam gloriam nova Dei actio requiratur; hæc tamen connaturaliter exigitur à gratia: & ideo Deus communicans gratiam homini manet ſibi connaturalitatis jure obligatus ad conferendum homini gloriam, ſi ipſe in gratia perſeveraverit, juxta illud: *Qui dat formam, dat conſequentia formam:* quod non tantum de proprietatibus, ſed de aliis etiam, quæ formæ connaturaliter debentur, accipiendum eſt. Quæ omnia amplius roborabuntur tum ex immediate dicendis in hac diſp. ubi exponemus maximam perfectionem hujus qualitatis, quæ gratia vocatur, tum ex dicendis *tract. ſequenti*, ubi declarabimus, quantam oppoſitionem gratia cum peccato habeat.

§. III.

Satisfit argumentis opinionis adverſæ.

34. Oppoſitam nobis ſententiam amplectuntur Nominales aſſerentes eodem modo philoſophandum eſſe de qualitate nobis inhærente, quam gratiam appellamus, ac de moneta, & ejus valore. *Opinio contraria.* Nam ſicut metallum ante regis impoſitionem, & ſuaptè natura conſideratum non habet valorem monetæ: ita illa qualitas, (inquiunt,) ex ſuis intrinſecis prædicatis, & ante Dei diſpoſitionem ſolum eſt quædam entitas carens valore ſufficienti, ut hominem reddat acceptum Deo. Sed quemadmodum accedente diſpoſitione extrinſeca regis, metallum fit moneta, & habet valorem moralem, abſque reali mutatione metalli: ita accedente ordinatione, & favore Dei, qualitas illa recipit moralem valorem, & fit gratia, nulla facta mutatione in ejus entitate. Sic docuerunt Oxam *Ocam.* *in 1. d. 17. quæſt. 1.* ubi etiam Gregor. *Gregor.* *quæſt. 1. art. 2.* Gabriel *Gabriel.* *quæſt. 1. art. 1.* & *art. 3. dub. 4.* Aliacenſis *Aliacenſis.* *in 1. quæſt. 9. art. 2. lit. O.* Joann. de Medina *Joann. de Medina.* *Codice de pœnit. quæſt. 12. §. Corollarie ſequitur.* Quibus conſentire videntur Durandus *Durand.* *in 1. d. 17. quæſt. 1. num. 7. & 8.* & Scotus *Scotus.* ibidem *quæſt. 2.*

Primum argumentum. Pro qua opinione arguitur primo: quia gratia habitualis ſolet in Scriptura Sacta appellari ſignum, & pignus juxta illud Apoſt. 2. ad Corinth. 1. *2. ad Cor. 1.* *Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris:* atqui ratio ſigni, & pignoris nequeunt phyſicè, & ex natura rei convenire gratiæ, ſed tantum moraliter, & ex inſtitutione divina: ergo hujuſmodi qualitas non eſt gratia, nec facit gratum ex intrinſecis prædicatis, ſed ſolum moraliter, & ſuppoſita Dei inſtitutione. Probatur minor: quia prædicta qualitas nequit eſſe ſignum naturale: ergo eſt ſignum ad placitum: & conſequenter ſignificat moraliter, & ex inſtitutione divina. Rurſus pignus non eſt aliquid à natura, ſed provenit ex inſtituto, & conventione aliquorum: ergo gratia non eſt naturaliter pignus, ſed id habet ex Dei ordinatione. Quæ omnia poſſunt explicari exemplo characteris, verbi gratia, baptiſmalis, qui non ex propriis, ſed ex inſtitutione Dei habet conſtituere hominem Chriſtianum: ergo pariter gratia non ex ſe, ſed ex Dei diſpoſitione conſtituit hominem gratum.

Reſponſio. Reſpondetur negando minorem: quia gratia non ab extrinſeco, ſed ex natura ſua habet diſtinguere juſtum ab injuſto, & configurare hominem Deo, ut conſtat ex ſupra dictis: & ideo eſt ſignum naturale tum amicitiæ Dei ad hominem, tum diſtinctionis juſti ab injuſto. Et licèt nomen pignoris deſumatur ab eis, quæ inter homines contingunt, & moralia ſunt; tamen id, quod aſſumitur in pignus, eſt aliquid phyſicum, & ſolet habere intrinſecum valorem. Et hac ratione Deus communicans nobis gratiam dicitur dare pignus Spiritus: quia eo ipſo habemus aliquid phyſicè æquivalens gloriæ, ut optime docuit D.Thom. *D.Thom.* *1. 2. quæſt. 114 art. 3. ad 3.* ubi ait: *Gratia Spiritus ſancti, quam in præſenti habemus, etſi non ſit æqualis gloriæ in actu, eſt tamen æqualis in virtute: ſicut ſemen arboris, in quo eſt virtus ad totam arborem. Et ſimiliter per gratiam inhabitat hominem Spiritus ſanctus, qui eſt ſufficiens cauſa vitæ æternæ: Unde & dicitur eſſe pignus hæ-*

Digitized by Google

reditatis. Nec ex illo teſtimonio Apoſtoli oppoſitum colligitur, ſed potius noſtra ſententia, ut conſtat ex D. Thom. 4. *contr. Gen. cap.* 21. ubi illud eleganter explicat in hunc modum: *Manifeſtum eſt, quod ſicut ad hoc, quod corpus aliquod ad locum ignis perveniat, oportet quod igni aſſimiletur, levitatem acquirens, ex qua motu igneo proprio moveatur: ita ad hoc, quod homo ad divinæ fruitionis beatitudinem, quæ Deo propria eſt, ſecundum ſuam naturam perveniat, neceſſe eſt primo quidem, quod per ſpirituales perfectiones Deo aſſimiletur, & deinde ſecundum eas operetur: & ſic tandem prædictam beatitudinem conſequatur. Dona autem ſpiritualia nobis per Spiritum ſanctum dantur, ut oſtenſum eſt: & ſic per Spiritum ſanctum Deo configuramur, & per ipſum ad bene operandum habiles reddimur: & per eundem ad beatitudinem nobis via præparatur. Quæ tria Apoſtolus inſinuat nobis,* 2. Corinth. 1. dicens: *Vnxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit nobis pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Signatio enim ad ſimilitudinem configurationis pertinere videtur: unctio autem ad habilitationem hominis ad perfectas operationes: pignus autem ad ſpem, qua ordinamur in cœleſtem hæreditatem, quæ eſt beatitudo perfecta.* Ad id, quod additur, negandum eſt, quod character pure moraliter conſtituat hominem Chriſtianum: eſt enim quædam qualitas, & potentia phyſica, quæ ex natura ſua habet configurare hominem Chriſto quantum ad participationem alicujus ſpiritualis poteſtatis, ut ſumitur ex D. Thom. 3. *part. quæſt.* 63. *artic.* 3. in corpore. Videatur N. à Jeſu Maria *tract.* 1. *cap.* 6. *dub.* 6.

Idem.

Noſter à Ieſu Maria.

Secundum argumentum.

35. Secundo arguitur: quoniam poteſt homo eſſe Deo gratus, & acceptus ad gloriam abſque habitu gratiæ: hæc igitur ex natura ſua non habet conſtituere hominem Deo gratum, & ad gloriam acceptum. Conſequentia liquet: quia ſi gratia ex natura ſua præſtaret prædictum effectum, non poſſet hujuſmodi effectus abſque gratia reperiri. Antecedens autem probatur à Gregorio: tum quia poſſet Deus dare homini Spiritum ſanctum, non conferendo ei illam qualitatem inhærentem: homo autem Spiritum ſanctum habens eſſet Deo gratus, & acceptus. Tum etiam quia homo nullo affectus peccato, uti eſſet in puris, maneret acceptabilis ad gloriam, & conſequenter Deo gratus: & tamen poteſt eſſe in puris abſque gratia, vel qualitate inhærente, ut liquet ex terminis. Tum denique nam anima Chriſti Domini non prius habuit gratiam, quam gloriam; ſiquidem in primo inſtanti ſui eſſe vidit Deum in ſeipſo: ergo non requiritur qualitas ſuperaddita, ut homo ſit Deo gratus, & acceptetur ad gloriam.

Gregorius.

Solutio.

Reſpondetur negando antecedens: cujus probationes parum urgent, nec impugnant doctrinam præſentis dubii, ſed traditam in præcedenti. Vnde *ad primam* dicendum eſt Spiritum ſanctum eatenus nobis dari, quatenus ſpecialiter habitat in nobis per gratiam: quia non reddit nos formaliter gratos, ſed tantum effectivè, mediante ſcilicet gratia, quam in anima producit. *Nam Deus* (inquit D. Thom. *q.* 27. *de verit. art.* 1. *ad* 1.) *vivificat animam, non ſicut cauſa formalis, ſed ſicut cauſa efficiens: unde aliqua forma cadit media: ſicut pictor facit parietem album effectivè, mediante albedine: albedo vero nulla forma mediante: quia facit album formaliter.* Ad *ſecundam* reſpondemus hominem conſtitutum in puris non eſſe acceptabilem ad gloriam acceptabilitate proxima, & fundante

D. Thom.

proportionem, & jus ad gloriam conſequendam; ſed acceptabilitate remota, quæ coincidit cum potentia obedientiali ad recipiendum gratiam, & gloriam. Effectus autem proprius gratiæ habitualis non eſt quælibet acceptabilitas; ſed illa, quæ gloriam reddit homini tanquam digno connaturaliter debitam, ut explicuimus in ſecunda concluſione. Ad *tertiam* dicimus, quod licèt anima Chriſti non prius tempore habuerit gratiam, quam gloriam; nihilominus prius prioritate naturæ, & ordinis recepit illam, quam hanc: elicuit enim viſionem beatificam per ipſum habitum gratiæ. Quod ſatis declarat acceptabilitatem intrinſecam ad gloriam, & acceptationem actualem, ſaltem connaturaliter habitam, pendere neceſſario à gratia ſanctificante, nec valere connaturaliter abſque illa reperiri: Nam ſicut ad hoc ut res connaturaliter quieſcat in aliquo loco, debet prius habere naturam inclinantem ad illum: ita ut anima quieſcat in ſummo dono tanquam in fine ſupernaturali, debet prius fieri particeps naturæ Dei, quæ ad prædictum bonum inclinat: & hæc participatio habetur per gratiam habitualem.

36. Arguitur tertio: nam hominem eſſe Deo gratum idem eſt ac eſſe à Deo dilectum: ſed gratia ex natura ſua non facit, quod homo diligatur à Deo: ergo ex natura ſua non reddit hominē Deo gratum. Probatur minor: quia ſi gratia ex natura ſua faceret, quod homo diligeretur à Deo, poſita gratia neceſſitaretur Deus ad diligendum hominem: conſequens eſt abſurdum: ergo, &c. Suadetur minor; tum quia voluntas divina non fertur neceſſario, niſi in bonum neceſſarium, & infinitum: gratia vero importat perfectionem finitam, & contingentem. Tum etiam quia Deus una actione producit gratiam, & alia actione diligit hominem: ergo non repugnat, quod eliciat primam, & ſuſpendat ſecundam: ac per conſequens poſita gratia non manet neceſſitas ad eam diligendam.

Tertium argumentum.

Reſpondetur huic argumento negando minorem: nam gratia ut conſtat ex ſupra dictis, reddit hominem Deo dilectum, non quidem formaliter cauſando dilectionem Dei; ſed objectivè, & terminativè: conſtituit enim hominem in ratione objecti congrui ut diligatur, & terminet actum ipſam dilectionem. Ad *primam* autem probationem in contrarium reſpondemus quod licèt Deus non neceſſitetur neceſſitate abſoluta ad amandū aliquod objectum, niſi habeat bonitatem infinitam, & neceſſariam, quæ nulli creaturæ poteſt convenire: nihilominus poteſt neceſſitari neceſſitate ex ſuppoſitione ad bonum finitum diligendum. Cum enim Deus agat ad extra per amorem, nihilque poſſit producere, quod bonum non ſit: propterea ex ſuppoſitione, quod velit aliquid producere, manet eo ipſo neceſſitas ad ipſum amandum, amore quidem naturali, ſi objectum naturale fuerit, ſupernaturali vero dilectione, ſi fuerit ſupernaturale. Quare cum gratia ſanctificans ſit qualitas ſupernaturalis, & excellentiſſima, ut ex diſcurſu hujus diſpoſitionis conſtabit; nequit non terminare divinum amorem, ſi ſemel à Deo producitur. Quemadmodum enim ſi viſio corporalis produceret colorem, deberet colorem à ſe productum videre: ita quia amor Dei producit gratiam, debet gratiam à ſe productam diligere. Id autem non magis derogat divinæ libertati, quam quod neceſſario agat ex ſuppoſitione, quod agit. Quæ intelligenda ſunt de amore terminato ad gratiam, & ad hominem ipſa affectum: nam circa amorem tela-

Solutio.

tum

tum ad alia bona ipſi gratiæ connaturaliter debita non eandem neceſſitatem adſtruimus: poſſet enim Deus conferre gratiam homini, & in illo prout gratia affecto complacere; & tamen negare ulteriora bona, nempe viſionem beatificam, ut in ultima aſſertione explicuimus. Per quod etiam patet ad *ſecundam* probationem: quia Deus eodem amore producit, & amat gratiam: & ideo nequit productionem gratiæ elicere, & amorem circa ipſam ſuſpendere. Beatitudinem autem, & alia bona producit per actionem diſtinctam: & propterea adhuc ex ſuppoſitione, quod produxerit gratiam, poteſt prædicta bona homini denegare.

Quartum argumentum.

37. Ultimo arguitur: nam ſi gratia ex natura ſua faceret hominem Deo gratum, faceret etiam Dei amicum: ſed id non præſtat ex natura ſua: ergo nec primum. Probatur minor: tum quia non poteſt vera amicitia ſalvari abſque acceptatione ad bona propria amici: ſed poteſt Deus conferre gratiam, & non acceptare hominem ad communicationem in propriis bonis, quæ in ejus viſione conſiſtunt, ut in ſecunda concluſione ſtatuimus: ergo gratia ex natura ſua non facit hominem Dei amicum. Tum etiam quia amicitia importat vim ad reciprocam reclamationem: eſt enim mutuus benevolentiæ amor in alicujus boni communicatione fundatus: ſed poteſt Deus infundere gratiam, non communicando charitatem, quæ eſt vis proxima ad diligendum Deum: ergo gratia ſe ſola, atque ideo ex intrinſecis prædicatis non reddit hominem Dei amicum. Tum denique quia gratia poteſt conſiderari in eſſe qualitatis, & in eſſe gratiæ, ut docent ſatis communiter Theologi: ergo poſſet infundi in eſſe qualitatis; & non in eſſe gratiæ: ſed in eo caſu conſtitueret amicum Dei: ergo, &c.

Confirmatur.

Confirmatur: nam repugnat hominem exiſtentem in peccato mortali eſſe Dei amicum; cum Deus odio habeat peccatorem: ſed fieri poteſt, quod gratia, & peccatum ſint ſimul in eodem homine, utputa ſi in inſtanti, in quo homo peccat, Deus non ſuſpendat concurſum gratiæ conſervativum: ergo gratia ex natura ſua non conſtituit hominem Dei amicum.

Solvitur argumentum.

Huic argumento reſpondetur animadvertendo, quod amicitia ſupernaturalis conſiſtit in mutuo benevolentiæ ſupernaturalis amore ſuper alicujus ſupernaturalis boni communicatione fundato. Unde quia charitas eſt principium proximum prædicti amoris: gratia vero eſt principium radicale diligendi, & fundamentum ſupernaturalis & ſpiritualis communicationis: propterea ratio amicitiæ invenitur formaliter in charitate, fundamentaliter autem in gratia, ut communiter docent Theologi cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 23. *art.* 1. Et in hoc ſenſu conceſſa majori negamus minorem: habet enim gratia ſanctificans ex natura ſua conſtituere hominem fundamentaliter Dei amicum, ſive, quod idem eſt, fundare amicitiam hominis ad Deum. Nec oppoſitum ſuadent inductæ probationes. Ad *primam* reſpondetur, quod duplex communicatio intervenit in amicitia: alia antecedens, in qua mutuus amor fundatur: alia conſequens, quæ oritur à prædicto amore. Ex quibus prima eſt fundamentum eſſentiale amicitiæ; ſine qua proinde nequit vera amicitia conſiſtere. Et hujuſmodi communicatio eſt inſeparabilis à gratia; cum per ſeipſam afferat conſortium naturæ divinæ: quæ circa eſſentialiter habet eſſe fundamentaliter amicitiam. Poſterior vero communicatio, naturaliter loquendo, ad amicitiam conſequitur: ſed nihilominus non ſpectat ad ejus conceptum eſſentialem: poteſt enim iſte abſolute ſalvari in communicatione antecedenti, licèt ulterior bonorum communicatio non ſubſequatur. Unde ſi Deus decerneret nunquam conferre gloriam homini exiſtenti in gratia; adhuc perſiſteret eſſentialis conceptus amicitiæ, licèt careret complemento ſibi connaturaliter debito.

Ad *ſecundam* etiam probationem conſtat ex iis, quæ nuper obſervavimus: nam gratia habitualis ſeparata ab habitu charitatis eſt fundamentaliter amicitia, & eodem modo conſtitueret hominem Dei amicum. Ad *tertiam* reſpondemus gratiam in eſſe qualitatis dicere ſeipſam ut formam phyſicam, in eſſe vero gratiæ dicere ſeipſam ut formam moralem, & ut amplectitur jus ad gloriam fundatum non ſolum in ſeipſa, ſed etiam in actibus meritoriis. Et quia hi ſemper ſufficiunt, ut augeatur jus ad gloriam, & non ſemper ſufficiunt, ut gratia actu phyſicè intendatur: propterea ſolet dici, quod gratia augetur in eſſe gratiæ, & non in eſſe qualitatis: hincque ortum duxit modus ille loquendi communis apud Theologos. Abſolutè tamen negandum eſt, quod gratia poſſit homini communicari in eſſe qualitatis, & non in eſſe gratiæ: nam minimus gradus prædictæ qualitatis importat eſſentialiter conceptum naturæ divinæ per participationem; & conſtituit hominem Deo gratum, atque acceptum ad gloriam, ut conſtat ex ſupra dictis.

Occurritur confirmationi.

Confirmatio tangit difficultatem ex profeſſo diſcutiendam in tractatu de juſtificatione. Et ex ibidem dicendis *diſp.* 2. *dub.* 4. breviter reſpondemus negando minorem: nam gratia habitualis eſſentialiter convertit hominem ad Deum ultimum finem ſupernaturalem; à quo peccatum mortale eſſentialiter avertit. Implicat autem contradictionem hominem habere averſionem, & converſionem reſpectu ejuſdem finis. Quamobrem ſi Deus vult permittere peccatum in homine gratiam habente, obligatur eo ipſo ad ſuſpendendum concurſum, quo prædictam gratiam conſervabat: aliàs vellet ſimul duo contradictoria, quod repugnat. Sed de hoc latius in loco citato.

DUBIUM III.

Utrùm gratia habitualis, ſit formalis participatio naturæ divinæ ſub conceptu naturæ.

UT explicemus hujus tituli terminos, & ſimul ſtatuamus ea, quæ ad reſolutionem tam præſentis, quam ſequentis dubij deſiderantur, oportet ut prius aliqua obſervemus.

§. I.

Prænotantur aliqua ad deciſionem dubij.

Quid ſit participare.

38. QUia perfecta hujus dubij reſolutio pendet ex recta notitia participationis formalis, propterea animadvertendum eſt participare nihil aliud eſſe, quam rem inferiorem imitari, atque exprimere perfectionem rei ſuperioris, non quidem adæquatè, & ſecundum omnes conceptus, ſed inadæquatè, & quoad aliquam rationem partialem. Ubi enim unum extremum aliud adæquat, ibi non participatio, ſed æqualitas, adæquatio, & identitas reperitur. Unde ita abeſt, ut ad participationem requiratur omnimoda convenientia, & ſimilitudo inter participans, & id, à quo participat, quod potius deſtrueretur per illam: participare enim, ut docet Divus Thomas 1. *Metaph. lect.* 10. & *lib.* 2. *de cœl.*, *lect.* 18. eſt habere partialiter perfectionem rei ſuperioris, & ex perfectione per ſe inſpecta, atque imitabili ab inferiori, quandam partem capi, & alias partes, ſive conceptus relinqui. Requiritur tamen, quod inferius habeat aliquam perfectionem propriam rei ſuperioris ipſumque aliquo modo imitetur: nam ſecluſa omni ſimilitudine, & expreſſione, non adeſt fundamentum, ut illud participare dicatur. Unde juxta diverſum modum imitationis, ac convenientiæ rei inferioris cum ſuperiori, oportet dividere participationem ut ſic in diverſa membra. Et relicta participatione morali, quæ conſiſtit in voluntaria ſubſtitutione unius, loco alterius, & nil continet difficultatis.

D.Thom.

Quotuplex ſit participatio phyſica.

39. Participatio phyſica dividitur in participationem formalem, & virtualem. Tunc verò dicitur aliquid participare formaliter perfectionem alterius, cum ratio participata in utroque extremo phyſicè, & intrinſecè reperitur, & de utroque formaliter prædicatur, ut benè docet Caietan. 2. 2. *quæſtione* 24. *artic.* 7. Quod dupliciter contingit: uno modo cum convenientia univoca, licèt ſemper ratio participata inveniatur cum excellentiori modo in eo, à quo participatur, quam in participante: & hoc pacto aër illuminatus participat lucem ſolis, & aqua calida calorem ignis. Altero autem modo reperitur, & prædicatur cum ſola convenientia analoga licèt prædicta perfectio utrique extremo formaliter, & cum proprietate conveniat: & hac ratione creatura participat plures perfectiones à Deo, utpota juſtitiam, miſericordiam, charitatem, viſionem Dei in ſeipſo, & alia hujuſmodi. Participatio vero virtualis tunc contingit, quando participans, & id, à quo participat, non conveniunt formaliter in perfectione participata; ſed alio modo longè inferiori. Idque accidit, vel quia id, quod inferius habet formaliter, ſolum eminenter invenitur in ſuperiori: ſicut homo participat à Deo eſſentiam hominis, quæ in homine invenitur formaliter, & in Deo non formaliter, ſed eminenter; idemque eſt de aliis creaturis: & metalla exiſtentia intra terram participant à ſole calorem, qui in metallis reperitur formaliter, non autem in ſole. Vel accidit prædicta participatio virtualis, quia id, quod invenitur formaliter in ſuperiori, ſolum virtualiter convenit inferiori, quatenus videlicet vel habet virtutem ad producendum aliquid, quod conveniat formaliter cum ſuperiori, ſicut ſemen deciſum ab animali eſt participatio virtualis illius, quia habet virtutem ad producendum animal vel habet eſſe id, in quo cauſa virtualiter ut in termino relucet: ſicut omnis creatura eſt virtualis participatio Dei. Ex quibus jam apparet, quid ſignificatur per ly *participatio formalis*, quo utitur titulus dubij, inquirimus enim utrum gratia ſit participatio naturæ divinæ non ſolum virtualis, de quo nullus dubitat; ſed etiam formalis, ita ut aliquis conceptus proprius, & conſtitutivus naturæ divinæ de gratia etiam formaliter, & cum proprietate dicatur.

Caietan.

Diſtinctio inter prædicata divina.

40. Sed pro aliorum terminorum intelligentia ulterius animadvertendum eſt, quod licèt omnia, quæ in Deo formaliter reperiuntur, (ſecluſis relationibus inter ſe comparatis,) ſint realiter formaliter idem abſque ulla diſtinctione actuali; tamen cum fundamento ex parte ipſius perfectionis divinæ diſtinguimus in ea plures conceptus, aut rationes virtualiter diverſas, utpota conceptum naturæ, attributi, & perſonalitatis. Ex quibus primus, ſi cum analogia ad creata procedamus, eſt conceptus eſſentiæ, & naturæ: nam hic ſe habet ut radix, vel ratio à priori omnium, quæ in divinis reperiuntur. Prædictum autem conceptum importare intellectualitatem ſaltem radicalem communiter tradunt Doctores: eò quod natura divina debet conſtitui in perfectiſſimo rerum ordine, qui eſt intellectivus, utpote qui & abſolvi poteſt ab omni imperfectione, & alios rerum gradus longè tranſcendit. Imo vero probabilior ſententia docet naturam divinam conſtitui non ſolum per eſſe radicem intelligendi, ſed etiam per ipſam actualem intellectionem: ita ut prædicta natura omnia ad lineam intellectivam, & intelligibilem ſpectantia utputa radicem intelligendi, virtutem proximam, ſpeciem intelligibilem, objectum, & intellectionem cum ſumma eminentia, & abſque ulla diſtinctione virtuali ſub unico ſimpliciſſimo conceptu identificat. De quo videantur quæ diximus *tractat.* 3. *diſput.* 4. *dub.* 1. & 2. Id tamen non impedit, quod nos illum ſimplicem conceptum in diverſas rationes, & eminentias cum aliquo ordine, & fundamento dividamus: ita quod conceptus radicis ſit propriiſſimum expreſſivum naturæ: hæc quippè ab omnibus concipitur ut fundamentum aliorum prædicatorum, quæ ſunt in re, & ideo licèt alij affirment, alij negent naturam divinam conſtitui formaliter per intellectionem actualem; omnes tamen communiter tradunt conceptum radicis intelligendi pertinere ad propriam rationem naturæ divinæ. Inveſtigamus igitur utrum gratia ſit formalis, & phyſica participatio naturæ Dei ſub conceptu proprio naturæ, nempe ſub munere radicis cæterarum perfectionum, maxime vero videndi Deum in ſeipſo.

Quid importet ſupernaturalitas.

41. Et quia frequenter in his dubiis ſupernaturalitas rerum occurrit, animadverte ex dictis ſupernaturalitatem ut ſic importare exceſſum ſupra naturam, ut ex ipſis terminis liquet. Invenitur autem primario conceptus entis ſupernaturalis in ſolo Deo: non quidem quia in ipſo reperiatur aliquod prædicatum ejus naturam excedens; cum omnia illi ſint connaturaliſſima, & aliunde non emendicata: ſed quia ipſe Deus eſt per ſeipſum ſupra omnem naturam creatam. Porro hic exceſſus convenit Deo non ſecundum

illa

Digitized by Google

illa prædicata, quæ abſtrahunt à modo divino, & ſunt creaturis communia, qualia ſunt ratio entis ſubſtantiæ, intelligentis, &c. Sed in quantum eſt ens per eſſentiam, & infinitum in genere entis; nam creatura, quatenus talis habet eſſe ab alio, & ex conſequenti finitum: unde in iis prædicatis eſſentialiter exceditur à Deo. Cum autem ſupernaturalitas creaturæ conveniat ipſi per imitationem, ſeu participationem ſupernaturalitatis divinæ, cui in prædicatis entis à ſe & infiniti adæquari minime poteſt; conſequens eſt, ut non conſtituatur formaliter per illa prædicata, ſed per habitudinem mediatam, vel immediatam ad Deum tanquam ad principium, & objectum illam excellentiam importans, ut magis declarabitur ex dicendis.

Gratia eſt forma ſupernaturalis.

42. Vltimo præſupponendum eſt gratiam ſanctificantem eſſe formam ſupernaturalem, Quod patet ex dictis duobus dubiis præcedentibus, & inſuper poteſt oſtendi. Tum quia viſio beatifica eſt ſimpliciter ſupernaturalis, ut communiter docent Theologi 1. *part. quæſt.* 12. ſed gratia ſanctificans eſt connaturale principium viſionis beatæ, ut conſtat ex illo Joan. 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam:* ergo gratia eſt forma ſupernaturalis. Tum etiam quia peccatum mortale, cum opponatur Deo ſupernaturali fini, debet expelli per aliquod ordinis ſupernaturalis: expellitur autem per gratiam ſanctificantem, ut ſtatuit Tridentin. *ſeſſ.* 6. *can.* 10. & 19. ergo. Tum præterea quia forma terminans amorem ſupernaturalem, & habilitans, ac dignificans hominem in ordine ad ſupernaturalem finem debet eſſe ſupernaturalis: ſed gratia ſanctificans præſtat hæc munia, ut oſtendimus duobus dubiis antecedentibus: ergo eſt ſupernaturalis. Tum denique quia aliæ gratiæ, quales ſunt fides, charitas, & lumen gloriæ, ſunt ſupernaturales: ergo idem de gratia ſanctificante dicendum eſt. Quod ſignificatur in Scriptura, cum hæc gratia ſpecialiter appellatur donum Dei, ut *ad Epheſ.* 2. & 1. *Ioann.* 3. & alibi ſæpè. Sed quia ſupernaturalitas creata eſt talis per imitationem, & participationem ſupernaturalitatis divinæ, ut nuper dicebamus, viſendum eſt, quem conceptum divinum gratia participet, an videlicet naturam divinam ſub conceptu naturæ? & rurſus utrum eam imitetur, quatenus divina eſt, nempe quatenus excedit omnem naturam creatam, & creabilem, & eſt ens à ſe per eſſentiam, atque importat infinitatem in genere entis: Sed claritatis gratia primum determinabimus in hoc dubio, & ſecundum in ſequenti.

Ioan. 4. — Trident. — Status controverſiæ.

§. II.

Statuitur vera ſententia, & auctoritate probatur.

Concluſio. — D. Auguſt.

43. Dicendum eſt gratiam ſanctificantem eſſe participationem formalem naturæ divinæ ſub conceptu naturæ. Hanc concluſionem docet Divus Auguſtinus *pluribus in locis*, & præcipuè *lib.* 4. *de conſenſu Evangeliſtarum, cap.* 3. & *lib. de Trinitate, & unitate Dei, cap.* 11. & *epiſt.* 57. circa medium, & *Pſal.* 49. in principio ubi explicans illa verba, *Deus Deorum*, inquit: *Manifeſtum eſt ergo, quia homines dixit Deos, & gratia ſua deificatos, non de ſubſtantia ſuâ natos. Ille enim iuſtificat qui per ſemetipſum iuſtus eſt; & deificat, qui per ſeipſum, non alterius participatione Deus eſt. Qui autem iuſtificat, quia iuſtificando filios Dei facit. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Si filij Dei facti ſumus, & Dij facti ſumus. Sed hæc gratia eſt adoptantis, non naturæ eſt generantis.* Idem docet Divus Thomas *in hac quæſt. artic.* 3. *in corp.* ubi tradit gratiam eſſe naturam divinam participatam, & *artic.* 4. inquit: *Sicut per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei, & ſecundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem charitatis: ita etiam per naturam animæ participat ſecundum quandam ſimilitudinem naturam divinam per quandam generationem, ſive recreationem.* Quod frequenter repetit aliis locis. Unde ſic docent communiter Thomiſtæ Caietan. *ientaculo* 2. *quæſt.* 2. Arauxo *diſput.* 2. *præambula ſect.* 5. *concluſ.* 7. & *in præſenti, artic.* 4. *dub.* 1. Gregorius Martinez *artic.* 2. *dub.* 3. Vincentius *in ſua relectione; pag.* 23. Ledeſma *de divina perfectione; quæſt.* 4. *artic.* 6. & alij. Quibus etiam conſentiunt Aureol. *in* 2. *diſt.* 26. *quæſt. unica.* Curiel *in præſenti, artic.* 2. *dub.* 2. Suarez *lib.* 6. *de gratia, cap.* 12. & communiter Theologi huius temporis.

D. Thom. — Caietan. — Arauxo. — Greg. Mart. — Vincentius. — Ledeſma. — Aureolus. — Curiel. — Suarez.

Fundamentum ab auctoritate. — 2. Petri. 1.

Probatur primo concluſio auctoritate deſumpta ex ſecunda canonica D. Petri *cap.* 1. ubi dicitur: *Per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Quibus verbis ſignificat donum gratiæ habitualis, ut docent Divus Athanaſius *orat.* 2 *contra Arianos*, & *in lib. ad Serapionem*, Ambroſius *lib.* 6. *epiſt.* 38. Auguſtinus *epiſt.* 102. *cap.* 4. Cyrillus Alexandr. *lib.* 5. *Theſauri, cap.* 3. & *lib.* 9. *contra Iulianum*, parum à principio. Divus Thomas *in hac quæſt. artic.* 8. in corpore, & alij Patres. Conſtat autem idem eſſe fieri conſortes naturæ divinæ, ac fieri participes illius: ergo gratia habitualis vere conſtituit nos participes naturæ divinæ: ſed ad hoc requiritur, quod ipſa gratia ſit in ſe formalis participatio prædictæ naturæ; cum quælibet forma cauſet per exhibitionem ejus, quod in ſe habet: ergo gratia eſt formalis participatio naturæ divinæ ſub conceptu naturæ.

D. Athanaſ. — D. Ambroſ. — Auguſtin. — Cyrill. Alex. — D. Thom.

Effugium.

44. Reſpondebis primo prædictum teſtimonium intelligendum eſſe vel de conſortio naturæ divinæ, quod habemus cum Chriſto Domino per Euchariſtiæ ſumptionem, ut interpretatur Dionyſ. *lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia, cap.* 3. Cyrillus Hieroſolymitan. *Catecheſi* 3. & alij: vel de conſortio, quod media unione naturæ humanæ ad Verbum divinum omnes cenſemur habere cum Deo, ut Oecumenius interpretatur. Unde non colligitur efficaciter, & determinate ex prædicto teſtimonio, quod gratia ſanctificans ſit participatio formalis naturæ divinæ. Præſertim cum D. Petrus non loquatur ſpecialiter de aliquo dono, ſed de pluribus beneficiis, quæ appellat maxima, & pretioſa promiſſa.

Dionyſ. — Cyrillus Hieroſolymit.

Præcluditur.

Sed contra eſt *primo:* quia Sacra Scriptura frequenter ſub eadem littera continet plures ſenſus litterales, ut expreſsè docent D. Aug. *lib.* 12. *confeſſ. c.* 30 *cum ſequent.* D. Thom. *quodl.* 7. *art.* 14. & communiter Doctores, quos referunt N. à Jeſu Maria *diſp.* 2. *de ſenſibus Sacræ Scripturæ, dub.* 2.

D. Auguſt. — D. Thom. — Noſter à Jeſu Maria.

Noſter Antonius à matre Dei.

dub. 2. & N. Antonius à matre Dei *prælud.* 3. *dub.* 8. §. 1. ergo quod aliqui Patres locum ſupra relatum intelligant de conſortio, quod cum Deo habemus ratione Incarnationis, vel Euchariſtiæ; minimè evincit quod in eo ſermo non ſit de conſortio habito per gratiam, ut alij Patres interpretantur: ſed ad ſummum ſuadet in utroque ſenſu, utique vero, & inter ſe non contrario, intelligendum eſſe. *Secundo:* quia verba Scripturæ Sacræ intelligenda ſunt quantum fieri poteſt, cum proprietate: nequeunt autem prædicta verba intelligi cum proprietate de aliis cum Deo conſortiis, ſi formale, & verum, ac phyſicum conſortium ratione gratiæ ſanctificantis non amittamus. Nam licèt aſſumptio humanitatis ad perſonam divinam magnam toti generi humano contulerit dignitatem extrinſecam: nihilominus non reddidit ſingulos homines formaliter, & propriè conſortes divinæ naturæ: ſed hoc conſortium propriè dictum ſolum reperitur in juſtis, ſeu habentibus gratiam habitualem. Similiter coniunctio hominis cum Deo ratione Euchariſtiæ, ſi fuerit ſolum Sacramentalis, non conſtituit hominem Deo gratum, & illius naturæ conſortem; ſed communis eſt peccatoribus. Quando autem eſt ſpiritualis, & præſtat illum effectum; includit gratiam ſanctificantem, & ratione illius dicitur præbere divinum conſortium. Quod ſi D. Petrus loquitur in plurali de eo, per quod reddimur conſortes naturæ divinæ; non ideo eſt, quia gratiæ ſanctificanti ſpecialiter non competit exhibere prædictum conſortium, ſed quia huiuſmodi forma alia dona ſecum affert: ex quibus quædam ſe habent diſpoſitivè, quædam vero conſequenter ad illud conſortium, quod per gratiam tanquam per formam communicatur.

Alia evaſio.

45. Reſpondebis ſecundo ex prædicto teſtimonio non colligi, quod gratia tribuat conſortium phyſicum naturæ divinæ, de quo loquimur in præſenti: ſed magis inferri, quod præbeat conſortium morale conſiſtens in conformitate affectus, quatenus videlicet per gratiam volumus, quæ Deus vult. Quod videtur Apoſtolus ſignificare per verba, quæ immediatè ſequuntur, & quibus explicat qualitatem illius conſortij, *Fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem:* hæc enim ſolum deſignant voluntatem, qua peccata devitamus, & adhæremus Deo. Quæ reſponſio poteſt firmari ex eo, quod D. Petrus (ut inquit Origenes hom. 4. in Leviticum) loquitur de eo conſortio, quod Joannes *in ſua prima Canonica, cap.* 1. appellat *ſocietatem cum Deo, ut & vos*, inquit, *ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas ſit cum Patre, & Filio ejus Jeſu Chriſto*, huiuſmodi vero ſocietas non importat participationem phyſicam naturæ eorum quibus aſſociari dicimur, ſed tantum voluntatis conformitatem: aliàs ſocietas cum Chriſto, & Apoſtolis afferunt participationem phyſicam naturæ Chriſti, & Apoſtolorum, quod eſt abſurdum. Pariter igitur conſortium naturæ divinæ, de quo loquitur D. Petrus, non ſignificat phyſicam participationem, & convenientiam noſtri cum Deo, ſed conſenſionem affectus quæ duntaxat eſt participatio moralis.

Origenes. Joannes in 1. Canon. c. 1.

Confutatur.

Sed nec iſta reſponſio eſt alicuius momenti: quia licet gratia ſanctificans ſecum afferat illud morale conſortium, per quod tanquam per effectum, explicat D. Petrus gratiæ naturam; falſum tamen eſt, quod non præſtet etiam conſortium phyſicum, & quod id Apoſtolus non exprimat per illa verba, divinæ conſortes naturæ. Nam quemadmodum in Deo rectitudo moralis, & effectus voluntatis ad bonum ſupponit naturam divinam tanquam ſui radicem: ita ſi ſemel participamus rectitudinem moralem conſiſtentem in conformitate affectus cum Deo, debemus prius per ſe loquendo participare divinam naturam, quæ ſit in nobis radix prædictæ rectitudinis: ut ſicut Deificamur in affectu, ita Deificemur in natura. Unde Apoſtolus utramque participationem ſignificavit; ſed unam ut principium alterius, videlicet participationem in natura per gratiam, & participationem in rectitudine morali per virtutes, & actus ab eis procedentes: primam illis verbis divinæ conſortes naturæ; ſecundam vero per ſubſequentia, fugientes eius, &c.

Impugnatur amplius.

Confirmatur: quia D. Petrus loquitur de eo naturæ conſortio: per quod conſtituimur Filij Dei adoptivi: hanc enim affiliationem deducunt communiter ex hoc loco Patres, & Theologi conformiter ad alia Scripturæ teſtimonia, in quibus regenerari in Filios Dei per gratiam dicimur, ut Pſal. 81. *Ego dixi, Dij eſtis, & Filij Excelſi omnes*, & Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*, ut acute interpretatur Caietanus *loco ſupra citato:* & ideo, Concilium Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. declarat iuſtificationem eſſe tranſlationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei. Adoptio autem vel ſupponit naturam generantis in adoptato, ut contingit inter homines, & tunc ſolum addit aliquem reſpectum rationis ad adoptantem, vel eam non ſupponit, ut accidit in adoptione hominis in filium Dei, & tunc debet per ſe primo conſtituere naturam generantis in adoptato: quippe cum non conſiſtat vera affiliatio abſque ſimilitudine in natura. Gratia ergo ſanctificans tribuit homini non ſolum conſortium morale in natura divina, ſive conſenſionem cum Deo in affectu; ſed prius, & principalius communicat veram, & formalem participationem ipſius naturæ.

Pſalm. 81. Joan. 1. Caietan. Conc. Trid.

Nec oppoſitum colligitur ex teſtimonio D. Joan. ſupra relato: quia ibidem per ſocietatem vel intellexit convenientiam phyſicam, & formalem, quam homines iuſti habent tam inter ſe, quam cum Deo ratione gratiæ ſanctificantis. Ad quod non deſideratur, quod participent naturam Apoſtolorum, & Chriſti ut hominis; ſed quod omnes ſive Chriſtus, ſive Apoſtoli, ſive alij iuſti habeant conſortium naturæ divinæ per gratiam, iuxta illud Chriſti Domini Joan. 20. *Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum* (Chriſtus tamen nequit dici filius Dei adoptivus propter conſubſtantialitatem cum patre; de quo aliàs,) vel eſto, Joannes nomine ſocietatis intellexerit conſortium morale; illud tamen ſupponit per ſe gratiam ut regenerantem nos in filios Dei, & ad eam ſequitur tanquam ad formam, quæ mediis virtutibus concurrit ad conſenſionem affectus noſtri cum voluntate divina.

Joan. 20.

Obiectio.

46. Dices, quod etiam per fidem regeneratur homo in filium Dei, ut conſtat ex Scriptura: nam *ad Galat.* 3. dicitur, *Vos eſtis filij Dei per fidem*, & Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt, &c.* & tamen fides non eſt participatio

ad Galat. 3. Joan. 1.

participatio formalis naturæ diviſæ: ergo ex eo, quod gratia ſanctificans dicatur conſtituere filios Dei, non rectè colligitur, quod participet formaliter naturam divinam. Præſertim cum prædicta filiatio ſoleat attribui rebus, in quibus reperiri non valet proprium, & formale naturæ divinæ conſortium, ut non dicitur Job. 38. *Quis eſt pluviæ pater, & qui genuit ſtillas roris, & gelu de cœlo quis genuit*, ſcilicet, præter Deum? Ergo ex eo, quod dicamur filij Dei, non evincitur, quod habeamus phyſicam, & formalem participationem divinæ naturæ.

Solutio. Reſpondetur generationem filij eſſe propriam viventium: atque ideo ſolam fidem vivam poſſe ad illam deſervire. Fides autem viva & affert gratiam ſanctificantem tanquam formam, per quam formaliter renovamur, & iuſtificamur; & dicit ſemetipſam tanquam diſpoſitionem ad prædictam formam. Unde ſicut quando in Scriptura dicitur hominem iuſtificari per fidem, ſermo eſt de fide viva, quæ ad iuſtificationem diſponit: ita cum aſſeritur per fidem regenerari, intelligendum etiam eſt de fide viva, quæ diſpoſitivè ad prædictam regenerationem concurrit. Diſpoſitio autem non habet naturam formæ, ad quam diſponit: & ideo non oportet, quod fides participet formaliter naturam divinam. Oppoſitum autem contingit in gratia: quia eſt forma conſtituens filium Dei, ut conſtat ex dictis. Ad id, quod additur, reſpondetur verba Sacræ Scripturæ intelligenda eſſe in ſenſu proprio, niſi ex hoc ſequatur inconveniens. Sequitur autem ex eo, quod res inanimatæ, & irrationales dicantur formaliter participes naturæ divinæ; non autem ex eo quod hæc perfectio attribuatur creaturis rationalibus. Et ideo quando filiatio, vel generatio attribuitur illis, ſermo eſt metaphoricus, & impropriius, quatenus præcisè ſignificat principium efficiens: cum vero applicatur rationalibus, debet intelligi de participatione naturæ Dei formali, & phyſica; licèt analoga, & deficienti.

Alterum ſubterfugium. 47. Tandem reſpondebis, quod licèt ex verbis D. Petri colligatur gratiam eſſe participationem naturæ divinæ; non tamen evincitur participare naturam Dei ſub formali, & propriiſſimo conceptu naturæ: ſufficit enim, quod eam ſub alio conceptu imitetur, vel ſaltem id non infertur ex prædicto teſtimonio. Præſertim cum gratia producatur per voluntatem, iuxta illud Jacob. 1. *Voluntariè enim genuit nos*, & ideo D. Thom. *in hac quæſt. art.* 1. docet gratiam eſſe effectum dilectionis Dei. Voluntas autem licèt in Deo ſit identicè natura; nihilominus non exprimit, nec in propria linea importat ſpecialem conceptum naturæ, ſed habet rationem attributi, ut diximus, *tract.* 4. *diſp.* 2. *dub.* 3. Atque ideo quamvis gratia participet id, quod identicè eſt natura divina; nihilominus non illam imitabitur ſub propriiſſimo, & expreſſo conceptu naturæ.

Jacob. 1. D. Thom.

Refellitur. Sed hæc evaſio præcluſa manet ex nuper dictis: quoniam ad veram generationem in filium, requiritur, quod illi communicetur natura generantis, non utcumque, ſed ſub conceptu proprio naturæ: qua ratione Spiritus ſanctus non eſt filius, nec eius proceſſio eſt generantis, quia videlicet licèt ei communicetur realiter natura divina, tamen non communicatur ſub conceptu naturæ, ſed ſub expreſſione amoris, ut docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 27. *art.* 4. Atque homines recipiendo gratiam ſanctificantem regenerantur in filios Dei, ut proximè dicebamus: ergo gratia participat conceptum naturæ divinæ, non utcumque, ſed ſub formali, & propriiſſimo conceptu naturæ. Adde verba Scripturæ Sacræ intelligenda eſſe in ſenſu proprio, & formali, quando hinc non ſequitur aliquod inconveniens: ſed ij termini *natura divina* propriè, & formaliter ſumpti ſignificant ſpecialem conceptum naturæ, ut ex ſe liquet: ergo cum D. Petrus aſſerat nos per gratiam fieri divinæ naturæ conſortes, intelligendus de conſortio, & convenientia in ſpeciali naturæ divinæ conceptu. Maxime cum natura divina ſub aliis conceptibus utpute cognitionis, vel amoris participetur per alias qualitates ſupernaturales, v. g. per charitatem aut lumen gloriæ: & ideo ſub expreſſione naturæ participanda eſt per aliam ſpecialem formam, quam gratiam ſanctificantem vocamus. Dicitur autem gratia produci per voluntatem, & eſſe effectus illius, quia producitur libere, & gratuitò, & quia regenerat in filios non naturales, ſed adoptivos. Nihilominus non producitur immediatè per voluntatem; ſed per ſcientiam Dei, quæ habet rationem virtutis proximæ, per quam natura divina, & principium radicale *quo* generandi influit, & ſe diffundit ad extra, ut explicuimus *tract.* 3. *diſp.* 5. *dub.* 3. Unde ex vi huius non excluditur, quod gratia ſit participativè natura divina ſub proprio conceptu naturæ.

D. Thom.

§. III.

Fulcitur eadem concluſio ratione.

48. DEinde probatur aſſertio fundamento deſumpto ex D. Thom. *in præſenti art.* 3. quod poteſt ad hanc formam reduci: quoniam in Deo prima radix videndi, & amandi Deum in ſe ipſo habet propriam, & ſpecialem rationem naturæ divinæ: ſed gratia ſanctificans participat formaliter conceptum proprium radicis videndi, & amandi Deum in ſe ipſo: ergo eſt participatio formalis naturæ divinæ ſub conceptu naturæ. Maior conſtat ex dictis *num.* 40. & inſuper probatur: quia in quacumque ſubſtantia creata illud habet rationem naturæ, quod habet rationem primæ radicis operationum, & affectionum ipſi ſubſtantiæ connaturalium, ut patet ex communi modo concipiendi, & definitione naturæ tradita à Philoſopho 2. *Phyſic. c.* 1. ergo pariter in Deo illud propriiſſime exprimit rationem naturæ, quod eſt prima radix operationum Deo connaturalium: atqui nihil eſt Deo connaturalius, quam videre, & amare ſe in ſeipſo: ergo prima radix videndi, & amandi Deum in ſe ipſo habet propriam, & ſpecialem rationem naturæ divinæ. Minor autem probatur: quoniam in iuſtis reperiuntur actus videndi, & amandi Deum in ſeipſo, ut in propriis tractatibus de viſione, & charitate ſolet oſtendi, & ſupponitur in præſenti: ergo in eis reperitur aliqua forma ſupernaturalis, quæ ſit prima radix prædictarum operationum. Cum enim ex una parte procedendum non ſit in infinitum, & ex alia nequeat hic proceſſus terminari, vel ad formam naturalem, vel ad formam increatam unitam animæ per modum formæ, ut ſatis oſtendimus *dubio primo*; neceſſario aſſignanda eſt aliqua forma creata ſupernaturalis, quæ ſit radix prædictarum operationum. Hanc appellamus gratiam ſanctificantem. Ergo huiuſmodi gratia eſt prima radix videndi, & amandi Deum in ſeipſo.

Ratio aſſert. ex D. Thom.

 49. Reſpon-

Reſponſio. 49. Reſpondebis, quod licèt illi actus ſupernaturales videndi, & amandi Deum in ſeipſo debeant reduci ad aliquam radicem ſupernaturalem, à qua procedant; tamen ſufficienter reducuntur ad virtutes luminis gloriæ, & charitatis, cum in eis adæquatè continentur. Sicut etiam actus fidei, & ſpei ſupernaturalis petunt principium ſupernaturale: quod tamen unicè, & adæquatè ſalvatur in ipſis fidei, & ſpei habitibus, & liquet in peccatoribus. Lumen autem gloriæ, & charitas non ſunt participationes formales naturæ divinæ, ſed quorumdam attributorum, videlicet ſcientiæ, & amoris. Unde non infertur dari in nobis formam ſupernaturalem, quæ participet formaliter naturam divinam ſub conceptu proprio naturæ.

Impugnatur. Sed contra eſt: quia abſtrahendo nunc à difficultate *dub.* 3. diſcutienda, videlicet, an gratia diſtinguatur realiter ab habitibus proximè operativis, neceſſariò admittenda eſt in iuſtis aliqua prima radix operationum ſupernaturalium, quæ participet formaliter conceptum radicis prout in Deo, atque ideo propriam formalitatem naturæ divinæ. Id autem oſtenditur. Tum quia in ordine naturali præter operationes, & virtutes proximè operativas, datur prima radix operandi, quam naturam vocamus quidquid ſit an hæc radix differat realiter à virtute proximè operativa, vel non: ergo pariter in ordine ſupernaturali præter operationes, & virtutes proximè operativas deſignanda eſt quædam prima radix operandi in prædicto ordine, quam appellamus gratiam ſanctificantem; ſive ſit idem cum virtutibus, ſive non. Tum etiam quia ſi non repugnat participatio formalis operationis divinæ, & virtutis divinæ; nulla poteſt deſignari ratio, cur repugnet participatio formalis naturæ divinæ, quæ eſt prima radix operandi in Deo, ut latè oſtendit Suarez *loco citato.* Tum præterea quia ſi non datur prædicta radix ſupernaturalis, vel operationes ſupernaturales, ſe habebunt diſparatæ inter ſe, vel ſatis difficile erit deſignare veram aliquam eorum ſubordinationem: quod etiam contingeret in naturalibus, ſi nulla daretur communis radix omnium naturalium operationum.

Confutatur amplius. 50. Confirmatur primo & directè refellitur prædicta ſolutio: quia repugnat virtutem ſupernaturalem operari connaturaliter in proprio ordine, niſi ſupponat in ſuo ſubiecto aliquam naturam eiuſdem ordinis divini: ſed dantur virtutes ſupernaturales, & aliquando connaturaliter intra prædictum ordinem operantur: ergo ſupponunt naturam divinam in proprio ſubjecto, non quidem habitam ſubſtantialiter, & adæquatè, & per formam accidentalem, quæ eſt gratia. Conſequentia conſtat. Minor etiam quoad primam partem ſupponitur certa. Quoad ſecundam vero eſt ſatis manifeſta, & præcipuè in beatis, qui viſionem, & amorem Dei connaturaliſſime eliciunt. Major autem probatur: tum quia operari connaturaliter nihil aliud eſt, quam operari iuxta inclinationem naturæ: ergo virtutes ſupernaturales connaturaliter operantes ſupponunt naturam ordinis divini. Tum etiam quia in quocumque ordine operari, ſaltem connaturaliter, ſupponit eſſe eiuſdem ordinis: ergo ſi virtutes ſupernaturales operantur connaturaliter in ordine divino, ſupponunt ſubjectum in eodem ordine conſtitutum: ſed dare eſſe, & conſtituere in ordine rerum eſt proprium naturæ: ergo ſupponunt naturam divinam. Quo ſenſu

D.Cyrillus. D. Cyrillus *lib.*4. Theſauri *in fine*, dixit: *eandem operationem*, nempe Dei, *connaturaliter habentes neceſſe eſt illius naturæ eſſe.* Tum denique, nam virtus quando connaturaliter operatur, habet proprium ſtatum virtutis: ſed virtus in eſſe talis eſt diſpoſitio perfecti ad optimum ex Ariſtot. 7. *Phyſic. text.* 17. & perfectum non dicitur, nec intelligitur abſque conceptu naturæ; cum importet ea, quæ naturæ uniuſcujuſque debentur: ergo virtutes ſupernaturales, quando connaturaliter operantur, neceſſario ſupponunt naturam ordinis divini.

Refellitur ultimo. Confirmatur ſecundo: quia inclinatio perfecta ad bonum proprium alicujus naturæ ſupponit ipſam naturam, ut patet in naturalibus: inclinatio enim ad locum ſurſum ſupponit naturam levis, & inclinatio ad locum deorſum ſupponit naturam gravis, idemque eſt de aliis inclinationibus: ſed iuſtus inclinatur perfectè ad bonum proprium naturæ divinæ: ergo præter virtutes proximè operantes habet in ſeipſo naturam divinam non quidem ſubſtantialiter, ſed participativè, & per formam accidentalem. Minor liquet: nam iuſtus inclinatur per charitatem ad ſummum bonum prout eſt in ſe diligendo ipſum ſuper omnia: ſed hæc eſt perfecta inclinatio ad bonum proprium naturæ divinæ, ut liquet ex terminis: ergo, &c.

Motivũ reſponſionis diruitur. Fides autem, & ſpes (ut ſic exemplis in contrarium adductis occurramus) licèt queant ſeparari actu à gratia ſanctificante, quæ habet rationem naturæ in ordine divino; ſemper tamen dicunt ordinem exigentiæ ad ipſam tanquam ad ſibi connaturale principium: ſicut licèt calor ſeparetur ab igne, ſemper importat reſpectum ad naturam ignis, velut ad radicem ſibi connaturalem. Quandiu vero fides, & ſpes manent ſeparatæ à gratia, non habent ſtatum virtutis, neque inclinant perfectè ad bonum divinum: ſiquidem non reſpiciunt ipſum tanquam ultimum finem: hunc quippe ordinem tribuit gratia ſanctificans media charitate. Et ideo D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 5. *ad* 3. dixit, *quod fides formata, & informis non differunt ſpecie, ſicut in diverſis ſpeciebus exiſtentes: differunt autem ſicut perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie: unde fides informis, cum ſit imperfecta, non pertingit ad perfectam rationem virtutis: nam virtus eſt perfectio quædam*, ut dicitur, *in* 7. *Phyſic.* Idemque de ſpe informi intelligendum eſt. Ad efficaciam vero rationis noſtræ ſufficit, quod virtus ſupernaturalis, quando habet ſtatum virtutis, & attingit actu ſupernaturalem finem ad eumque perfectè inclinat, ſupponat actu tanquam ſui radicem naturam ordinis divini, & quod per ſuam entitatem illam connaturaliter exigat etiam quando ab ea ſeparatur. An autem ſicut habitus fidei, & ſpei queunt ſeparari à gratia, valeant etiam divinitus charitas, & lumen gloriæ, vel ſaltem eorum operationes ab eadem gratia præſcindi; quæſtio eſt alibi tractanda, nempe in materia de Charitate, ubi negativam partem eligemus: ex quo magis firmabitur præſens concluſio. D. Thom.

§. IV.

Occurritur cuidam objectioni.

51. NEc refert, ſi noſtræ rationi, & eius confirmationibus opponas: quoniam natura divina prout eſt in ſe, non conſtituitur per intellectivum præcisè radicale, ſed eſt formaliſſime ipſum intelligere actuale, ut latè oſtendimus *tract.* 3. *Objectio.*

tract. 3. *diſp.* 4. *dub.* 2. ſed gratia habitualis non participat formaliter intelligere divinum actuale; cum non ſit operatio, ſed quidam habitus, ut *dub.* 1. ſtatuimus: ergo gratia habitualis non eſt participatio formalis naturæ divinæ ſub conceptu proprio divinæ naturæ.

Solvitur. Hoc, inquam, non refert: reſpondetur enim, quod natura divina dicitur eſſe ipſum intelligere actuale, non quia excludat à ſuo conceptu formali munus radicis omnium, quæ inveniuntur in Deo; ſed quia eſt radix adeò actualis, & perfecta ut identificet ſibi abſque virtuali diſtinctione ultimam actualitatem ſuæ lineæ. Unde ratio adæquata naturæ divinæ ut talis, & quatenus diſtinguitur ab attributis, & relationibus continet eminenter rationes principij radicalis, & proximi, & operationis, quæ in creatis realiter diſtinguuntur: ita quod omnes eæ rationes pertineant ad conceptum proprium divinæ naturæ, ſecundum quod eſt in ſe. Ad participationem autem formalem non requiritur, quod participans imitetur ſuum exemplar conveniendo cum eo in omnibus conceptibus propriis illius: id quippe non eſſet participare, ſeu partem capere; ſed foret ipſum adæquare, & repræſentativè exhaurire, ut ſupra obſervavimus *num.* 53. Quare cum gratia habitualis imitetur naturam divinam in munere radicis videndi, & amandi Deum in ſeipſo; ſequitur, quod ſit participatio formalis prædictæ naturæ ſub conceptu proprio naturæ, quamvis deficienter, & inadæquatè.

Replica. 52. Dices hinc ſequi, quod non magis gratia habitualis ſit participatio formalis naturæ divinæ ſub conceptu naturæ, quam cognitio ſupernaturalis, v. g. viſio beatifica: conſequens adverſatur doctrinæ hactenus traditæ, quæ peculiariter attribuit gratiæ ſanctificanti participium, formale naturæ divinæ, & per ipſum aſſerit regenerari homines in filios Dei, non vero per aliquam operationem ſupernaturalem: ergo, &c. Sequela oſtenditur: nam ad naturam divinam, prout eſt in ſe, pertinet conceptus radicis & conceptus intellectionis actualis, ut nuper diximus: ſed quia gratia ſanctificans participat conceptum radicis, eſt participatio formalis naturæ divinæ: ergo quia viſio beatifica participat conceptum intellectionis divinæ, erit participatio formalis eiuſdem naturæ. Imo infertur, quod prædicta viſio ſit participatio formalis naturæ divinæ perfectior, quam gratia habitualis: nam ex parte naturæ divinæ, prout eſt in ſe, majorem perfectionem exprimit munus intellectionis actualis, quam munus radicis; cum illud addat infinitam actualitatem ſupra iſtud: ergo viſio beata participans primum illud munus eſt perfectior participatio naturæ divinæ, quam gratia, quæ participat ſecundum.

Diluitur. Reſpondetur ex dictis *tract. citato*, *num.* 73. negando ſequelam: quia licèt utraque ratio & radicis, & intellectionis pertineat ad unicum, & adæquatum conceptum naturæ divinæ prout eſt in ſe; nihilominus propriiſſimum munus naturæ reperitur in conceptu expreſſo radicis omnium, quæ ſunt in Deo; licèt producta radix, utpote exiſtens in ſummo actualitatis gradu, identificet ſibi operationem propriæ lineæ, videlicet intellectionem primordialem. Id quippe commune eſt omnibus in Deo repertis, nimirum quod quælibet linea complectatur abſque diſtinctione virtuali omnia ad ipſam pertinentia à prima potentia uſque ad ultimum actum. Unde munus intellectionis actualis ſupponit eminenter, aut æquivalenter divinam naturam, non quidem adæquatè conſtitutam, ſecundum quod poſtulat ſumma actualitas divina; ſed inadæquatam, & complendam per ipſum intelligere actuale: & ideo utrumque munus, utpote indiſtinctum ſpectat ad conſtitutionem naturæ divinæ prout in ſe. Si autem prædicta munera diſtinguerentur virtualiter, conceptus naturæ in ſolo munere radicis ſalvaretur adæquatè, ut aſſerunt, qui docent naturam divinam conſtitui per intelligere radicale. Quapropter cum munus radicis, & munus intellectionis participaretur per formas realiter diſtinctas, videlicet per gratiam habitualem, & per viſionem beatificam; ſequitur, quod gratia participans munus radicis, ſit participativè formaliter natura divina; licèt non pertingat ad participandum formaliter munus intellectionis: viſio autem, cum non participet munus radicis, nequit dici participatio formalis naturæ Dei ſub conceptu proprio naturæ; ſed eam participat ſub conceptu operationis, vel ultimæ actualitatis naturæ, ut ſatis expreſſit D. Thom. *in hac quaſt. art.* 4. in fine corporis. *D.Thom.*

Per quod patet ad difficultatis augmentum: quia etſi admitteremus munus intellectionis exprimere maiorem perfectionem, quam munus radicis; adhuc tamen munus radicis exprimit, conceptum magis proprium naturæ, ut patet ex communi modo concipiendi. Imò exprimit munus adeo proprium illius, ut cæteri alij conceptus ſi ab eo munere ſepararentur, nequeant conceptum naturæ adhuc participativè importare. Et ideo, cum infertur viſionem beatam eſſe perfectiorem participationem naturæ divinæ, negandum eſt ſuppoſitum: nam cum non participet munus radicis, quod eſt primum in natura, nequit alia munera ſub conceptu naturæ participare. Diximus, Eſto admitteremus, &c. propter dicenda *dub.* 7. ubi oſtendemus gratiam habitualem eſſe ſimpliciter perfectiorem viſione beatifica.

53. Sed replicabis: nam ſi viſio beata non participat formaliter naturam divinam ſub conceptu naturæ quia non participat eam ſub expreſſione radicis, qui eſt de conceptu eſſentiali, & communi omnis naturæ; pariter gratia habitualis non participabit formaliter naturam divinam ſub proprio conceptu naturæ divinæ. Probatur ſequela: quia natura divina, ut talis, non dicit eſſe radicem utcumque, ſed radicem quæ identificat ſibi divinum intelligere: atqui gratia habitualis ſolum participat conceptum radicis videndi Deum; minime autem identificat ſibi viſionem actualem: ergo non participat naturam divinam ſub conceptu proprio naturæ divinæ. *Alia replica.*

Explicatur hoc amplius: etenim conceptus radicis videndi, & amandi Deum in ſeipſo abſtrahendo ab identificatione cum ultima operandi actualitate, eſt quædam ratio communis naturæ divinæ, & gratiæ ſanctificantis; cum utrique eſſentialiter, & formaliter conveniat: ſed gratia ſolum participat conceptum radicis præciſæ ab actuali operatione; ergo ſolum participant conceptum ſibi, & Deo communem: atqui ad participationem formalem requiritur, quod participans participet aliquid proprium exemplaris, quod imitatur: ergo gratia non eſt participatio formalis naturæ divinæ. Sicut quia ſubſtantia creata participat conceptum ſibi, & ſubſtantiæ increatæ communem, non vero propriam rationem iſtius, propterea non dicitur

dicitur participatio formalis ejus, ſed ad ſummum virtualis.

Solvitur. Huic replicæ, quæ tangit difficultatem *dub. ſeq.* ex profeſſo diſcutiendam, nunc breviter reſpondetur negando ſequelam. Ad cujus probationem dicendum eſt naturam divinam quatenus talem, non conſtitui adæquatè per conceptum identificandi ſibi propriam operationem; ſed importare etiam alios conceptus, qui peculiariter pertinent ad ſuam lineam: inter quos præcipuè computatur munus radicandi omnia, quæ ſunt in Deo, maximè vero actus videndi, & amandi Deum in ſeipſo. Quem conceptum cum gratia ſanctificans formaliter participet; nequit non eſſe participatio formalis divinæ naturæ ſub conceptu proprio naturæ divinæ. Ad quod non deſideratur, quod ſibi identificet operationes, quarum eſt radix: id quippe ſi haberet, non eſſet participatio accidentalis naturæ Dei; ſed potius ipſamet natura increata ſubſtantialiter foret: quod eſt abſurdum. Imo vero, ut ſupra inſinuavimus, hoc quod eſt identificare ultimam actualitatem, non eſt peculiare conſtitutivum naturæ divinæ ſub formalitate naturæ: ſed eſt quædam ratio generalis omnibus lineis divinis, utputa voluntati, ſcientiæ, & aliis attributis: ortumque trahit ex generali ratione actus puri, quæ in omnibus lineis reperitur. Unde ſicut voluntas divina identificat ſibi ultimam actualitatem ſuæ lineæ: charitas autem creata non identificat ſibi propriam operationem; licèt ſit participatio formalis voluntatis divinæ: ita de natura Dei, & gratia eam participante proportionabiliter dicendum eſt. Et quamvis conceptus radicis videndi Deum in ſeipſo ſit communis naturæ increatæ, & gratiæ ſanctificanti; nihilominus prædicta convenientia ſolum eſt analogica: ita quod radicare prædictam viſionem convenit per eſſentiam naturæ increatæ, & independenter ab alio exemplari; gratiæ vero ſolum convenit per participationem, & quandam deficientem imitationem increatæ naturæ. Vnde natura Dei in ſeipſo eſt eminenter principium connaturaliſſimum prædictæ viſionis: gratia vero non eſt principium illi omnino connaturale, ut obſervavimus *tract. 2. diſp. 2. dub 7. num.* 170. Differt autem plurimum hæc analogia ab ea, qua ſubſtantia creata, & increata analogantur: quia ſubſtantia creata non participat aliquid proprium ſubſtantiæ Dei in ſeipſa; ſolum imitatur eam iuxta modum exactum ab ipſis creaturis: quocirca non eſt participatio formalis ejus, ſed tantum virtualis. Cujus oppoſitum ob oppoſitam rationem invenitur in gratia, ut conſtat ex dictis.

§. V.

Diluuntur fundamenta contraria.

Opinio contraria. Nominales. 54. Nominales *num.* 34. relati conſequenter ad ibidem dicta negant gratiam ſanctificantem eſſe phyſicam, & formalem participationem naturæ divinæ. Huic opinioni accedunt etiam aliqui Thomiſtæ, quos ſuppreſſo nomine refert Araujo ubi ſupra *num.* 9. aſſerentes gratiam non habere aliquam convenientiam formalem cum natura divina; ſed eam præcisè imitari in aliquibus conditionibus. Idem expreſſius docent Coninchus 2. 1. *diſp.* 11. *num.* 75. Leſſius *lib.* 2. *de ſummo bono, cap.* 1. ubi abſurdam ſatis, & ſingularem opinionem tuetur, nempe homines *Coninch. Leſſius.* fieri filios Dei adoptivos per ipſam naturam Dei increatam communicatam per gratiam tamquam per vinculum, & unionem. Quæ ſententia poteſt ſuaderi primo ab auctoritate: quoniam gratia in Sacra Scriptura appellatur ſemen Dei ut 1. Petri 1. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum*, & 1. Joan. 3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet:* atqui ſemen non participat formaliter naturam generantis, nec convenit formaliter cum eo in conceptu proprio naturæ: ergo gratia non eſt participatio formalis naturæ Dei, nec convenit formaliter cum Deo in proprio naturæ conceptu. *Primum ejus fundamentum. 1. Petr. 1. 1 Joan 3.*

Confirmatur: quia tribuere veram participationem divinæ naturæ eſt proprium Sacramenti Euchariſtiæ, ut conſtat ex illa oratione, quam dicunt ſacerdotes, dum miſcent aquam vino conſecrando, *Tribue nobis, quæſumus, per hujus aquæ, & vini myſterium, ejus divinitatis eſſe conſortes, &c* ſed gratia poteſt tribui, & non per Euchariſtiam, ut patet, antequam hoc Sacramentum inſtitueretur: ergo gratia per ſeipſam non confert veram, & formalem participationem naturæ divinæ. *Confirmatur.*

Reſpondetur gratiam ſanctificantem ideo appellari ſemen Dei, quia à Deo derivatur, & quia per eam regeneramur in Dei filios, & quia participat imperfectè naturam ſui principij: in quibus omnibus convenit cum vero ſemine viventium. Differt autem ab illo in eo, quod gratia eſt prima radix operationum divinarum in proprio ſuppoſito: in qua ratione convenit formaliter analogice cum natura divina prout eſt in ſe; & differt à vero ſemine. Iſtud quippe non inſtituitur, ut immediatè per ſeipſum conſtituat filium, & ſit radix intrinſeca operationum vitalium: ſed ſe habet ut inſtrumentum ad perficiendam generationem. Gratia autem immediatè & per propriam informationem regenerat nos in filios Dei, ut conſtat ex dictis: quod præſtare non poſſet, ſi non eſſet natura Dei participatio formaliter. Vnde ſicut ex eo, quod ſpecies intelligibilis ſoleat vocari ſemen objecti, non tollitur, quod habeat formaliter ejus naturam in eſſe repræſentativo: ita ex eo, quod gratia dicatur ſemen Dei, non excluditur, quod habeat Dei naturam in quodam eſſe imperfecto, & diminuto. Præſertim cum in uſu ſcripturæ ſeminis vocabulum ſoleat attribui filiis, & his, qui habent naturam alterius, ut 2. ad Corinth. 11. *ſemen Abrahæ ſunt*. Et Iſaias loquens de habentibus gratiam, *cap.* 61. inquit: *Omnes, qui viderint illos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* *Fundamentum convulſum. 2. Cor. 11. Iſ. 61.*

Ad confirmationem dicendum Sacramentum Euchariſtiæ non tribuere immediatè, & formaliter per ſeipſum conſortium divinæ naturæ, ſed tantum effectivè: quia videlicet producit gratiam ſanctificantem, quibus conſtituimur divinitatis conſortes. Quo ſenſu dixit Damaſcenus *lib.* 4. *de fide, cap.* 14. *Participatio etiam hoc Sacramentum dicitur, quia per illud divinitatis Ieſu participes efficimur.* Per illud, utique ut inſtrumentum efficiens in nobis divinitatis participationem. Et hoc petunt ſacerdotes in oratione citata. Ex quo non ſequitur, quod hujuſmodi participatio eſſentialiter ſumpta non producatur per alia Sacramenta, vel ſine illis. *Confirmatio ſolvitur. Damaſcen.*

55. Secundo arguitur ratione: quia ſi gratia ſanctificans eſſet participatio formalis naturæ *Secundum argumentum.*

divinæ

divinæ ſub conceptu proprio naturæ; poſſibilis foret forma creata participans formaliter divinam eſſentiam ſub conceptu eſſentiæ; imo talis forma exiſteret de facto, ſicut & ipſa gratia: conſequens eſt abſurdum: ergo, &c. Sequela quoad utramque partem oſtenditur: nam in quocumque ordine conceptus naturæ ſupponit conceptum eſſentiæ, ſicut virtus operativa, & operatio ſupponunt naturam: ergo ſi ex poſſibilitate, & exiſtentia virtutum, & operationum ordinis divini infertur poſſibilitas, & exiſtentia formæ, quæ participet formaliter naturam divinam ſub conceptu naturæ; pariter ex poſſibilitate, & exiſtentia formæ participantis naturam Dei ſub conceptu naturæ colligetur poſſibilitas, & exiſtentia formæ, quæ participet eſſentiam Dei ſub conceptu eſſentiæ. Falſitas autem conſequentis oſtenditur: quia prædicta forma vel diſtingueretur à gratia, vel non? Primum dici non poteſt, cum gratia dicatur eſſe prima radix totius ordinis ſupernaturalis in nobis, & conſtituere nos filios Dei: quod non haberet, ſi ſupponeret aliam formam participantem eſſentiam Dei, ut videtur ex ſe notum. Secundum etiam eſt falſum: nam gratia importat per ſe primo conceptum radicis operationum divinarum: qui conceptus eſt proprius naturæ, ut condiſtinctæ ab eſſentia. Præſertim cum gratia dicatur communiter participatio naturæ divinæ non autem eſſentiæ.

Confirmatur primo. Confirmatur primo: nam repugnat ſpecies creata repræſentans formaliter naturam divinam, ut docent communiter Thomiſtæ 1 *p. q.* 12. & oſtendimus *tract.* 2. *diſp.* 2. *dub.* 4. ergo repugnat forma creata, quæ prædictam naturam formaliter participet. Probatur conſequentia: tum quia plus eſt participare phyſicè aliquam naturam, quam illam intelligibiliter repreſentare: ergo ſi hoc repugnat, magis repugnabit primum. Tum etiam quia ideo implicat prædicta ſpecies, quia deberet convenire formaliter cum natura divina in aliquo gradu immaterialitatis: ſed etiam ad participationem formalem phyſicam requiritur convenientia formalis, ut conſtat ex prænotis: ergo, &c.

Secundo. Confirmatur ſecundo: quia ſi eſſet poſſibilis participatio formalis naturæ divinæ ſub conceptu naturæ, etiam eſſet poſſibilis participatio formalis ejuſdem naturæ ſub conceptu ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ. Siquidem eæ formalitates ſe habent ut modi naturæ ſubſtantialis, ejuſque conditionem ſequuntur: atqui repugnat, quod aliquid creatum participet formaliter naturam divinam ſub conceptu ſubſtantiæ, & exiſtentiæ: ergo & quod participet illam ſub conceptu formali naturæ.

Ad argumentum. Ad argumentum reſpondetur admittendo ſequelam, quam ſatis probabiliter ſuadet inducta probatio. Ad illius autem impugnationem eligenda eſt ſecunda dilemmatis pars: nam gratia ſanctificans ita habet eſſe radicem operationum divinarum, in quo explicat conceptum naturæ, quod prius, & immediatius conſtituat hominem in eſſe divino, in quo exprimit munus eſſentiæ, ut ſatis aperte docet D.Thom. *in præſenti art.* 3. *&* 4. & *q.* 27. *de veritate, art.* 2. in fine corporis ubi concludit: *Quod hæc comparatio ſit rectè accepta patet per Dionyſ. in* 2. *cap. Cœleſtis Hierarch.* ubi dicit, *quod non poteſt aliquis habere ſpiritualem operationem, niſi prius eſſe ſpirituale accipiat, &c.* Unde ſive conceptus eſſentiæ, & naturæ differant virtualiter in divinis, ut vult Cornexo; ſive non diſtinguantur, ut eſt communior Thomiſtarum opinio; in gratia tamen nequeunt non virtualiter differre in aliis creaturis docent N. Complut. *in lib. Phyſic. diſp.* 7. *q.* 2. *n.* 15. & ideo per primum conceptum conſtituitur in ordine entium; & per ſecundum in ordine operativorum: ita ut prior conveniat ipſi per ſe primo abſolute; poſterior vero non eſt abſolutè primarius, niſi tribuatur ei ſub formalitate naturæ: quæ eſt expreſſio propria radicis, & reduplicat quemdam conceptum ſecundarium nempe officium principij. Per quod patet ad primam probationem in contrarium. Ad *ſecundam* dicendum, quod licèt gratia habitualis participet eſſentiam divinam ſub conceptu eſſentiæ; conveniens tamen eſt, quod communius explicatur illius ratio per hoc, quod eſt participare naturam divinam ſub conceptu naturæ, quam ſub conceptu eſſentiæ: quia natura dicitur per ordinem ad operationem, & hæc notior eſt, quam eſſe, qui eſt actus eſſentiæ.

D. Thom.

Complut.

Ad primam confirmationem. Ad *primam* confirmationem negamus conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt: quoniam ſpecies repræſentans formaliter aliquod obiectum eſt ejuſdem, vel majoris actualitatis ac ipſum objectum: alias non poſſet reddere illud intelligibile in actu. Cum ergo repugnet ſpecies creata habens tantam actualitatem, & puritatem, ac habet natura Dei in ſeipſa; ſequitur, quod nulla ſpecies creata valeat quidditative naturam divinam repræſentare, ut latè oſtendimus loco citato. Gratia autem eſt forma ſe tenens ex parte ſubjecti, quod elevat, confertque ipſi elevationem ad ordinem divinum ipſi creaturæ, & Deo analogice communem. Ad quod non deſideratur adæquatio cum puritate, & actualitate divina; ſed ſufficit deficiens quædam, & imperfecta expreſſio ejus, quod in Deo habet rationem naturæ. Et ideo ex repugnantia prædictæ ſpeciei, non colligitur, quod gratia repugnet. Maxime cum ad repreſentationem quidditativam Dei requiratur, quod omnia prædicata Dei, ipſa etiam immenſitas, & independentia inveniatur adæquate in ſpecie ſub eſſe repræſentativo, quod eſt aliquod verum eſſe reale: prædicta autem continentia aperte repugnat formæ creatæ. Ad participationem vero formalem naturæ divinæ ſub conceptu naturæ, ſufficit quod participetur conceptus radicis videndi Deum ſub hoc præcisè munere, & cum præciſione ab aliis prædicatis, quæ repugnant creaturæ, ut magis conſtabit ex dicendis *dub. ſequenti*. Utraque vero conſequentiæ probatio ſatis diluitur ex dictis.

Ad ſecundam. Ad *ſecundam* confirmationem neganda eſt ſequela: quia ſubſiſtentia, & exiſtentia ut ſubſiſtentiæ correſpondens ſunt modi excludentes inhærentiam ad ſubjectum, & exprimunt ſiſtentiam rei in ſeipſa. Natura autem divina nequit participari formaliter niſi per formam accidentalem, quæ hoc ipſo non ſiſtit in ſe, ſed communicatur ſubjecto. Unde licèt naturam divinam per eſſentiam comitentur ſubſiſtentia, & exiſtentia propria ſubſtantiæ; eandem tamen naturam divinam per participationem, vel participatam per formam accidentalem non ſequuntur ſubſiſtentia, & exiſtentia, quæ formaliter participent ſubſiſtentiam, & exiſtentiam Dei: ſed conſequuntur alij modi accidentales nempe inhærentia, & exiſtentia ei correſpondens. Qui modi licet ſupernaturales ſint, non participant formaliter prædicata Dei; ſed reſpiciunt mediate Deum auctorem ſupernaturalem, & de virtutibus moralibus, & quibuſdam aliis entibus ſupernaturalibus

libus dici ſolet. Videantur quæ diximus *tract.* 12. *diſp.* 3. *num.* 33. Diximus: *Exiſtentia, ut ſubſiſtentia correſpondet, &c.* propter ea, quæ infra dicemus *num.* 124. *cum ſeq.* ex quibus poterit deſumi alia reſponſio.

Tertium argumentum. 56. Arguitur tertio: quoniam id, quod producitur per artem, non participat formaliter naturam ipſius artificis, ut in omnibus artefactis oſtendi poteſt: domus quippe, vel cathedra ſunt naturæ longè diverſæ ab artifice, quo producuntur: ſed Deus comparatur ad gratiam ſicut artifex ad artefactum; cum Deus omnia quæ ſunt ad extra, per artem producat, ut tradit D. Thom. 1. *part. q.* 15. *art.* 1. & 2. & ſpecialiter *opuſc.* 60. *cap.* 1. circa finem ubi docet gratiam procedere a Deo, ſicut imaginem ab artifice, ergo gratia ſanctificans non eſt participatio formalis naturæ divinæ. *D.Thom.*

Reſponſio. Reſpondetur, quod licèt artefactum non debeat aſſimilari arti, debet tamen aſſimilari ideæ, per quam producitur, & quam agens reſpicit, imitaturque, dum artefactum producit. Artifex ergo creatum ſemper operatur per ideam accidentalem à ſua natura diſtinctam: & propterea artefactum non evadit ſimile in natura, quamvis conveniat formaliter cum idea. Si autem agens operetur per ideam, quæ ſit ſua natura; hoc ipſo artefactum, ſicut aſſimilatur ideæ, aſſimilabitur etiam naturæ artificis. Porrò hæc eſt excellentia gratiæ ſanctificantis, quod reſpicit tanquam ideam, à qua immediate exemplatur, ipſam naturam Dei ſub ſpeciali conceptu naturæ: quemadmodum alia entia tam naturalia, quam ſupernaturalia, imitantur alias perfectiones vel formaliter, vel eminenter in Deo repertas. Unde licèt gratia procedat à Deo ſicut artefactum ab artifice; adhuc tamen participat naturam divinam ſub conceptu naturæ; ac proinde hoc nobiliſſimum artefactum convenit formaliter cum ſuo artifice in natura, licèt deficienter, & analogice. Obſervat etiam Caietanus *loco ſupra citato,* hoc reperiri diſcrimen inter entia ordinis naturalis, & ſupernaturalis, quod entia primi ordinis ſe habent ut artificiata ad artificem, quæ ſunt prorſus aliena à natura artificis: gratia vero, charitas, lumen gloriæ, & alia entia ſecundi ordinis ſe habent ad Deum ſicut connaturalia ad id, cui ſunt connaturalia, & ſicut ea, quæ ſunt ſecundum naturam, ad naturam, quemadmodum calefacere ad ignem, & moveri deorſum ad grave. Unde concludit Deum ſe habere ad entia poſterioris ordinis, ut ad cognata, ut ad connaturalia, ut ad ſecundum naturam ipſius Dei. *Et propterea,* inquit, *reliqua creatura facta dicuntur; filij autem Dei nati dicuntur. Iure ſiquidem nati dicuntur, qui ad connaturalia producuntur, qui ad ea, quæ ſunt ſecundum Dei naturam, elevantur. Nativitatis ſiquidem tam ratio, quam nomen ad naturam ſpectat. Si itaque ex termino conſideres productionem filiorum Dei, natos ex Deo intelliges, quia fiunt cognati ipſi ſummo Deo.* Hæc pie, & ſubtiliter Caietanus: quæ licèt aliqui tanquam metaphorica, & à Theologiæ rigore aliena calumnientur, ſpernenda tamen non ſunt: nam optime declarant excellentiam hujus artefacti ſuper alia, quæ à Deo procedunt. *Caietan.*

Vltimum argumentum. 57. Vltimo arguitur: quoniam ſi gratia ſanctificans eſſet formalis participatio naturæ divinæ, jam natura divina prædicaretur formaliter de gratia: unde eæ prædicationes eſſent formales, & veræ, *Gratia eſt divinitas, homo habens gratiam eſt Deus: conſequens eſt abſurdum:* ergo, &c. Probatur minor: tum ex D. Thom. *quodl.* 2. *art.* 1. ubi docet dupliciter poſſe aliquid participari ab alio, uno modo ſicut ſuperius in inferiori, quo pacto participatur animal ab homine; alio modo ſicut exiſtens extra eſſentiam, qua ratione exiſtentia participatur à creatura: aſſeritque id, quod participatur priori modo prædicari formaliter de participante; ſecus vero, quod poſteriori modo participatur: atque natura divina eſt extra eſſentiam cujuſcumque creaturæ: ergo nequit de ulla creatura formaliter prædicari. Tum etiam ratione, quia Deus, & creatura habent rationes oppoſitas, ut ex ſe liquet: ergo id, quod eſt proprium Dei, nequit prædicari formaliter de creatura, ac proinde nec de gratia ſanctificante. *D.Thom.*

Confirmatur primo, & explicatur vis hujus argumenti: nam id per quod Deus diſtinguitur eſſentialiter à creatura, nequit in creatura formaliter reperiri: eſt enim manifeſta implicatio, quod ea ratio, per quam duo extrema formaliter, & eſſentialiter diſtinguuntur, ſit utrique extremo formaliter, & eſſentialiter communis: atqui Deus per ſuam naturam diſtinguitur eſſentialiter à quocumque ente creato: ergo natura divina nulli enti creato poteſt formaliter convenire, aut de eo formaliter prædicari: & conſequenter gratia non erit participatio formalis naturæ divinæ. Minor oſtenditur: quoniam Deus conſtituitur eſſentialiter per ſuam naturam, ſicut quodlibet aliud ens: ſed idem eſt conſtitutivum, & diſtinctivum eſſentiale: ergo Deus per ſuam naturam differt eſſentialiter à quocumque ente creato. *Confirmatur primo.*

Confirmatur ſecundo: nam quia duæ ſpecies creatæ utpote homo & leo, differunt eſſentialiter; repugnat quod una vere participet ſubſtantialiter, vel accidentaliter naturam alterius: ſed non minus diſtinguuntur Deus, & creatura: ergo repugnat, quod creatura verè participet vel ſubſtantialiter, vel accidentaliter naturam Dei. *Secundo.*

Confirmatur ultimo: nam participans formaliter aliquam naturam, participat conſequenter ea, quæ ad prædictam naturam velut proprietates, aut perfectiones intrinſecæ, conſequuntur, & cui repugnat hoc poſterius, repugnat etiam illud primum: ſed implicat creaturam participare formaliter proprietates, & perfectiones naturæ divinæ: aliàs diceretur omnipotens, æterna, invariabilis, & producens verbum divinum, atque Spiritum ſanctum, quod eſt omnino falſum, & abſurdum: ergo nec gratia, nec alia creatura poteſt eſſe vera, phyſica, & formalis participatio naturæ divinæ ſub conceptu proprio naturæ. *Tertio.*

Prima argumenti evaſio. 58. Huic argumento ſunt, qui reſpondeant negando ſequelam: exiſtimant enim ad participationem formalem non deſiderari vel convenientiam formalem, vel quod forma participata prædicetur formaliter de participante; ſed ſufficere, quod eam imitetur in aliqua conditione. Quod ſibi videntur exemplis convincere: nam ſcientiæ ſpeculativæ ſunt participationes formales beatitudinis, ut tradit D. Thom. *hac* 1. 2. *q.* 3. *art.* 6. & tamen prædictæ ſcientiæ non ſunt formaliter beatitudo. Similiter character ſacerdotalis eſt participatio formalis ſacerdotij Chriſti Domini teſte eodem D. Thom. 3. *part. quæſt.* 63. *articulo* 3. & nihilominus nequit dici formaliter ipſum ſacerdotium Chriſti. Pariter igitur ut gratia ſit formalis participatio naturæ divinæ, *D.Thom.*

divinæ, non requiritur, quod ſit formaliter divinitas.

Diſplicet. Cæterum hæc doctrina eſt inſufficiens, & falſa: quippè quæ non diſtinguit inter participationem formalem, & virtualem, nec plus illi, quam huic attribuit: cum tamen habeant rationes longè diverſas, ut §. 1. prænotavimus. Deinde ex ea doctrina ſequitur, quod omnis creatura ſit participatio formalis Dei; ſiquidem ipſum imitatur in aliqua conditione, utputa Angelus in ſpiritualitate, homo in intellectualitate, & ſic de aliis. Exempla autem in contrarium adducta nihil probant: nam ſcientiæ ſpeculativæ ſupernaturales ſunt formaliter divinæ, & quatenus verſantur circa Deum, ſunt formaliter beatitudo participativè. Similiter character ſacerdotalis eſt formaliter Sacerdotium Chriſti per participationem.

Melior reſponſio. Unde ad argumentum admittendo ſequelam negamus minorem: quia ſicut natura divina, & gratia conveniunt formaliter analogicè in conceptu radicis videndi, & amandi Deum in ſeipſo, quæ eſt propria ratio divinitatis: ita divinitas poteſt de utraque formaliter prædicari: & ita natura divina eſt formaliter Deitas, & gratia eſt formaliter Deitas: ſed natura divina eſt Deitas per eſſentiam, & illimitato modo; gratia vero eſt Deitas per participationem, & inadæquatè, ut conſtat ex dictis. Et idem dicendum eſt de illa prædicatione, homo exiſtens in gratia eſt Deus. Cui doctrinæ favet communis uſus Scripturarum, in quibus juſti vocantur Dij, ut vidimus *numero* 43. & 45. Nec oppoſitum probat auctoritas Divi Thomæ; nam Sanctus Doctor, ſolum intendit, quod ea, quæ participantur ſecundo modo, non prædicentur eſſentialiter, minimè autem negat, quod prædicentur formaliter, ut conſtat ex ipſo exemplo, quo utitur: exiſtentia enim prædicatur formaliter de ſubſtantia exiſtente, licet illi eſſentialis non ſit. Et eodem modo natura divina participata per gratiam prædicatur formaliter de homine; & ideo hæc: Homo conſtitutus in gratia eſt participativè divinus, & Deus eſt vera, & formalis, licet accidentalis. Ad rationem etiam conſtat ex dictis: quia Deus, & creatura habent rationes oppoſitas ſimpliciter, convenientes autem ſecundum quid, videlicet analogicè: & hoc poſterius ſufficit, ut id, quod eſt proprium Dei prædicetur formaliter de creatura: non quidem ſub eo modo, quo conveniat Deo per eſſentiam; ſed quatenus deficienter, & analogicè à creatura participatur, ut docet Divus Thomas *prima parte, quæſtione* 13. *articulo* 5.

Solvitur 1. confirmatio. 59. Per quod patet ad primam confirmationem: nam cùm analogia importet convenientiam ſecundum quid, & diverſitatem ſimpliciter; optimè cohæret, ut unum analogatum conveniat cum alio in ea ratione, per quam ab eo ſimpliciter, & eſſentialiter differt. Et hoc pacto quamvis Deus, & analogentur in conceptu naturæ divinæ, ſeu in munere radicis videndi, & amandi Deum in ſeipſo; adhuc tamen Deus per ſuam naturam differt ſimpliciter à gratia. Præſertim quia conceptus naturæ divinæ invenitur primario in Deo, & ab eo per quamdam deficientem participationem derivatur, & ſecundario extenditur ad creaturam.

Occurritur ſecundæ. Ad ſecundam reſpondemus non ideo præciſè repugnare unam ſpeciem creatam participari formaliter ab alia per accidentalem participationem, quia eſſentialiter diſtinguantur; ſed quia quælibet ſpecies creata, ſicut habet perfectionem limitatam, ita etiam habet determinatum, & limitatum modum communicandi propriam naturam: unde ſolum per generationem ſubſtantialem, & productionem alterius individui intra propriam ſpeciem poteſt ſuam naturam formaliter communicare. Deus autem, cum ſit infinitæ, & illimitatæ perfectionis, poteſt ſuam naturam dupliciter communicare: uno modo ad intra retinendo ſummam identitatem cum genito, qui eſt filius naturalis: altero modo ad extra conferens ſolam convenientiam analogam genito, qui eſt filius adoptivus.

Diluitur tertia. Ad ultimam reſpondetur negando majorem univerſaliter intellectam: nam cum participare ſit partem capere, & partem relinquere, non requiritur ad participationem formalem alicujus naturæ, quod omnes ejus proprietates, & perfectiones, ut ſic dicamus, capiantur: ſed ſufficit eam imitari in aliquo munere proprio illius. Et ubi daretur convenientia in omnibus muneribus, proprietatibus, & perfectionibus, eo ipſo deſtrueretur participatio formalis, & induceretur convenientia univoca, & rigoroſa adæquatio. Quare ad participationem naturæ divinæ ſufficit, quod aliquæ participationes attributorum divinorum eam conſequantur, quales ſunt charitas, & lumen gloriæ: alia vero attributa important pro expreſſo modum repugnantem creaturæ: & idcirco nequeunt participari formaliter à creatura, ut magis conſtabit ex *dub. ſequenti.* Idemque dicendum eſt de virtute productiva Verbi, & Spiritus ſancti. Præſertim cum gratia ſit formalis participatio naturæ divinæ, ſecundum eſſentialia, non vero quoad notionalia; ſive eum, & idem reddit, participet naturam Dei ut unius, non ut trini. Et bene obſerva omnia ferè argumenta, quæ contendunt oſtendere repugnantiam gratiæ participantis formaliter naturam divinam ſub conceptu naturæ, æquè urgere in charitate, lumine gloriæ, viſione beatifica, & aliis formis ſupernaturalibus, participantibus formaliter alias perfectiones divinas, ut conſideranti conſtabit. Quare vel univerſaliter perſuadebunt repugnantiam horum entium, quod eſt abſurdum; vel non impugnant efficaciter noſtram aſſertionem.

DUBIUM QUARTUM.

Utrum Gratia ſanctificans participatio formalis naturæ divinæ, ut eſt ens per eſſentiam infinitum, independens, irreceptum, &c.

Difficultas hæc eſt appendix præcedentis, illique proinde eam immediatè annectimus. Tangit autem rem (ut merito dixit Joannes à Sancto Thoma) intellectu difficillimam: cui non aptius quàm diſtinctione, lucem conciliare valemus: oppoſitus enim procedendi modus, dum indiſcretè affirmat, aut negat, plurimùm obſcuritatis rei ex ſe difficili attulit. Et ideo ſit.

Digitized by Google

§. I.

Prima concluſio ex parte reſpondens quæſtioni.

Prima concluſio.

60. Dicendum eſt primo gratiam ſanctificantem non participare formaliter naturam divinam, ut eſt ens per eſſentiam, infinitum, independens, irreceptum, &c. participatione convenientiæ formalis in his prædicatis, ſive eo perfectionis modo ut rationes entis per eſſentiam infiniti, & ſimiles, quæ prædicantur formaliter de natura divina, prædicentur etiam formaliter de gratia ſanctificante. Hanc concluſionem latiſſimè probat Curiel in præſenti, *dub.*1. §.1. Nec oppoſitum, ut ipſe falſo credit, docent Thomiſtæ; ſed potius communiter hanc concluſionem expreſsè ſupponunt. Et merito: nam eam docet D. Thom. 1. *contra Gentes cap.*30. ubi ait: *Nomina, quæ perfectiones exprimunt cum ſupereminentiori modo, quo conveniunt, de ſolo Deo dicuntur, ſicut ſummum bonum, primum ens, & alia huiuſmodi*, & in 1. diſt.43. quæſt.1. art. 2. ad 1. inquit: *Quidquid perfectionis eſt in creatura, totum eſt exemplatum à perfectione divina: tamen perfectius eſt in Deo, quam in creatura: nec ſecundum illum modum in creatura eſſe poteſt, quo in Deo eſt: & ideo omne nomen, quod deſignat perfectionem divinam abſolutè, non concernendo aliquem modum, communicabile eſt creaturæ, ut potentia, ſapientia, bonitas, & huiuſmodi. Omne autem nomen concernens modum, quo illa perfectio eſt in Deo, creaturæ incommunicabile eſt, ut eſt ſummum bonum, eſſe omnipotentem, & huiuſmodi.* Idemque reperit aliis locis.

Curiel.

D.Thom.

Ratio fundamentalis ex D.Thom.

Probatur ratione deſumpta ex verbis D.Thom. quoniam licet natura ſuperioris poſſit in inferiori participari, ut oſtendimus *dubio præcedenti*, nihilominus debet in ſuperiori habere modum longè diverſum ab eo, quem habet in inferiori: ergo quamvis poſſimus per gratiam participare naturam Dei; tamen non poſſumus eam habere cum eo modo perfectionis, quem in Deo habet: atqui prædictus modus conſiſtit in eo, quod in Deo ſit ens per eſſentiam, irreceptum, infinitum, &c. ergo natura divina, ut exprimit illas perfectiones, non participatur per gratiam participatione convenientiæ formalis, ita ut prædictæ perfectiones poſſint tam de gratia, quam de natura divina verè, & formaliter prædicari.

D.Thom.

Cætera conſtant: & antecedens probatur tum ex D.Thom. *in* 3. *diſt.*27. *quæſt.*2. *art.*4. *quæſtiunc.*3. *ad* 5. ubi ait: *Inferiora participant perfectionem ſuperiorum ſecundum modum ſuum: & ideo participationes determinantur in participantibus ex capite, & natura participantium.* Tum etiam, quia forma participata ut in ſuperiori exiſtens gaudet modo eſſendi omnino connaturali; & habet omnem perfectionem, quam ex propria ratione importat: in inferiori autem dicit modum eſſendi ſibi quodammodo extraneum, & ſuam perfectionem deprimentem: ergo forma participata habet in ſuperiori modum longè diverſum ab eo, quem habet in inferiori. Tum denique, nam ſi ſuperius, & inferius haberent eandem naturam, & eodem modo; eo ipſo non compararentur ut ſuperius, & inferius, ſed ſe adæquarent, & conſequenter deſtrueretur conceptus proprius participationis: quamvis ergo ſuperioris natura participetur in inferiori; nihilominus debet ab eis haberi diverſo modo.

Confirmatur.

Confirmatur & explicatur amplius: nam ex eo, quod gratia ſanctificans ſit participatio formalis naturæ divinæ ſub conceptu naturæ, ut *dubio præcedenti*, ſtatuimus; ſolum ſequitur, quod Deus, & creatura conveniant formaliter analogicè in conceptu naturæ, ſeu radicis videndi, & amandi Deum in ſeipſo, ut ibidem oſtendimus: ſed quamvis analogum prædicetur formaliter de utroque analogato; unum tamen analogatum nequit de alio formaliter prædicari; ſed habent modos longè diverſos, & ad invicem incommunicabiles, ut inductivè poteſt oſtendi in omni analogia: hac quippè ratione licet ens per ſe, & ens in alio conveniant analogicè in conceptu entis, & ratio entis de utroque prædicetur; tamen ens in alio non eſt formaliter ens per ſe, ut ex ipſis terminis liquet: ergo quamvis ratio naturæ, ſeu radicis videndi, & amandi Deum in ſeipſo prædicetur formaliter analogicè de natura Dei in ſe, & de eadem natura participata per gratiam, nihilominus natura participata per gratiam non eſt formaliter natura Dei in ſeipſo: ergo nec eſt natura Dei ut eſt ens per eſſentiam, infinitum, independens, &c. eæ quippè modificationes exprimunt determinatè naturam Dei in ſeipſa.

Ad hæc: implicat gratiam ſanctificantem convenire formaliter cum natura divina in eis prædicatis, quæ ipſi gratiæ eſſentialiter repugnant: atqui rationes entis per eſſentiam, infiniti, independentis, irrecepti, & ſimiles repugnant eſſentialiter gratiæ: ergo implicat, quod in illis conveniat formaliter cum natura divina. Minor liquet: quia gratia habet accidentaliter exiſtere, & dicit perfectionem determinatam, & dependet à Deo, & recipitur in anima: eæ quippè rationes ſunt inſeparabiles à forma accidentali, qualis eſt gratia: ergo repugnat illi eſſentialiter eſſe ens per eſſentiam, infinitum, independens, irreceptum, & alia hujuſmodi. *Urgetur.*

61. Nec refert, ſi reſpondeas ex doctrina Capreoli *in* 2. *diſt.* 26. *quæſt.*1. quod ſicut non repugnat ſpeciem entitativè accidentalem eſſe repræſentativè ſubſtantiam: ita non implicat, quod forma entitativè creata, & accidentalis qualis eſt gratia, ſit ſub quodam eſſe diminuto ipſe Deus, & ens per eſſentiam, infinitum, independens, &c. Nam hoc ipſo, quod dicatur prædictam formam habere hujuſmodi prædicata per participationem, ſatis exprimitur, quod habet ea modo longè diverſo ab eo, quo ſunt in Deo. Et ideo licet non poſſit concedi gratiam eſſe abſolutè ens per eſſentiam, & infinitum; nihilominus non eſt abſurdum, quod dicatur ens per eſſentiam participativè, ens infinitum modo finito, & ſic de aliis. Quod videtur docere D.Thom. *in præſenti art.* 2. *ad* 2. ubi ait: *Quia gratia eſt ſupra naturam humanam, non poteſt eſſe, quod ſit ſubſtantia, aut forma ſubſtantialis: ſed eſt forma accidentalis ipſius animæ. Id enim, quod ſubſtantialiter eſt in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem, ut de ſcientia patet.* Ergo quemadmodum ex eo, quod rationes naturaliter inventæ in objecto communicantur intentionaliter ſpeciei; ſequitur ſpeciem eſſe repræſentativè, quidquid objectum eſt in eſſe naturali: ita ſi id, quod eſt in Deo ſubſtantialiter, communicatur accidentaliter per gratiam; rectè infertur gratiam eſſe ipſum Deum, ens per eſſentiam, infinitum, &c. accidentaliter tamen & ſub quodam eſſe diminuto. *Reſponſio.* *D.Thom.*

Non, inquam, hoc ſatisfacit, ſed poteſt efficaciter refelli. Tum quia vel prædicta ſolutio nihil dicit: *Evertitur.*

dicit: vel concedit eamdem numero naturam, quæ eſt in Deo ſubſtantialiter, eſſe in gratia accidentaliter, & ſub quodam eſſe diminuto, vero tamen, & reali, ut exemplum ſpeciei intelligibilis declarat: atqui implicat eamdem numero naturam divinam, quæ eſt in Deo, eſſe verè, & realiter in aliqua forma creata: aliàs prædicta forma in aliquo modo eſſendi vero, & reali foret ſuum eſſe, & actus purus, & adæquaret immaterialitatem divinam, ut communiter oſtendunt Thomiſtæ 1.*p.q.*12.*art.*2. & ſtatuimus *tract.*2.*diſp.*2.*dub.*4. ergo gratia ſanctificans nequit eſſe ens per eſſentiam, infinitum, & independens, adhuc participativè, & accidentaliter. Tum etiam quia gratia non poteſt habere hujuſmodi prædicata ſub eſſe magis debili, ut ſic dicamus & diminuto, quam ſit eſſe intentionale proprium ſpecierum intelligibilium: ergo ſi repugnat ſpecies intelligibilis quidditativè repræſentans prædictas perfectiones; à fortiori repugnabit, quod gratia illas habeat in aliquo eſſe reali, quantumvis diminuto. Tum præterea, nam ideo ſpecies entitativè accidentalis poteſt eſſe repræſentativè ſubſtantia, quia ab ordine phyſico transfertur ad ordinem intentionalem; & ita non repugnat eſſe in illo accidens, & in hoc ſubſtantiam: quod etiam diceretur, ſi eſſet poſſibilis ſpecies intelligibilis Deum quidditativè repræſentans: atqui gratia eſt adæquatè in ordine phyſico, & non ſubeſt illis cõſiderationibus, & diverſis ordinibus: ergo cum verè ſit forma creata, finita, inhærens, &c. implicat, quod verè ſit ens per eſſentiam, infinitum, irreceptum, & alia hujuſmodi. Tum denique, nam quantumcumque dicatur Deum, & Dei prædicata formaliter in gratia ſanctificante participari, adhuctamen debet Deus retinere aliquam perfectionem, in qua gratiam eſſentialiter excedat: & ideo non poteſt Deus illam ita evehere, quod fiat ipſe Deus ſubſtantialiter, & per eſſentiam, ut ex ipſis terminis liquet: ergo prædicta perfectio non invenitur formaliter in gratia, nec de illa formaliter prædicatur: eadem autem ratio eſt de aliis prædicatis, quę in titulo recenſentur: ergo, &c. Præſertim, quia ſi abſque participatione formali modi habẽdi naturã divinam per eſſentiã, poteſt gratia eſſe participatio formalis prædictæ naturæ; id ipſum habere poterit abſque aliorum modorum formali participatione.

D.Thom.exponitur. Ad auctoritatem D.Tho. reſpondetur mentem S.Doctoris eſſe ſatis manifeſtam: ſolum enim intendit, quod anima mediante gratia participet accidentaliter naturam divinam in Deo ſubſtantialiter exiſtentem; minimè vero, quod eam participet cum convenientia formali in modis perfectionis, cum qua reperitur in Deo. Et ideo ſubdit: *Ipſa participatio divinæ bonitatis, quæ eſt gratia, imperfectiori modo habet eſſe in anima, quam anima in ſeipſa ſubſiſtat.* Quod falſum eſſet, ſi gratia ſanctificans foret ens per eſſentiam, infinitum, & irreceptum: ſiquidem hi perfectionis modi excedũt profectò modum perfectionis, quo anima ſubſiſtit in ſe. Et quod oppoſitum non doceat D.Thom. liquet manifeſtè in exemplo, quo utitur, *Ut,* inquit, *de ſcientia patet:* nam licet ſcientia creata ſupernaturalis ſit formalis participatio ſcientiæ divinæ; illa tamen non eſt infinita adhuc per participationem, quamvis hæc infinita ſit per eſſentiam, ut frequenter tradit S Doct. 3.*part.quæſt.*9. agens de ſcientia animæ Chriſti.

Objectio. 62. Sed oppones: quoniam hoc nomen *Deus* maximè ſignificat perfectionem propriam Dei, & ut propriam illius: & tamen quia gratia participat formaliter naturam divinam; conceditur, quod gratia eſt Deitas per participationem, & quod homines in gratia exiſtentes ſunt Dij per participationem, ut non ſemel admiſimus dubio præcedenti: ergo pariter poteſt concedi, quod gratia ſit participativè formaliter ens per eſſentiam, infinitum, &c.

Reſpondetur negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt, quod nomen *Deus* cum attribuitur homini grato, determinatur ad particularem rationem in Deo repertam, videlicet ad conceptum naturæ divinæ ſub munere inadæquato radicandi viſionem, & amorem Dei in ſeipſo: in qua ratione homo exiſtens aſſimilatur Deo: & ideo poteſt dici Deus participativè. *Diluitur.* Cæterum hæc nomina *ens per eſſentiam*, infinitum, independens, & alia hujuſmodi afferunt expreſsè modos proprios Dei, in quibus ipſe eſt imparticipabilis à creatura: cum hæc nequeat in illis cum Deo formaliter convenire. Quod ſi prædicta nomina determinentur per alias modificationes, ut ſi dicatur gratia ens per eſſentiam participativè, ens infinitum finitè, & ens independens dependenter; adducitur manifeſta implicatio in terminis, & unus deſtruitur per alium. Unde nequit concedi, quod gratia ſit participatio formalis naturæ divinæ, ut eſt ens per eſſentiam, infinitum, &c. ſi per hoc ſignificamus convenientiam formalem in prędictis perfectionibus. Quam doctrinam tradit D. Thom. 1.part.quæſt.13. art.9. ubi inquirit: *utrum hoc nomen Deus, ſit communicabile*, & poſt alia reſolvit: *Eſt nihilominus hoc nomen, Deus, communicabile, non ſecundum totam ſuam ſignificationem, ſed ſecundum aliquid eius per quandam ſimilitudinem, ut Dij dicantur, qui participant aliquid divinum per ſimilitudinem, ſecundum illud Pſal.*81. *Ego dixi, Dij eſtis.* *D.Thom.* Et ad 1. argumentum, quod erat hujuſmodi: *Cuicumque communicatur res ſignificata per nomen, communicatur & nomen ipſum: ſed hoc nomen Deus ſignificat naturam divinam, quæ eſt communicabilis aliis, ſecundum illud* 2.*Petri* 1. *Magna, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hoc efficiamur divinæ conſortes naturæ: ergo hoc nomen, Deus, eſt communicabile:* reſpondet in hunc modum: *Dicendum, quod natura divina non eſt communicabilis, niſi ſecundum ſimilitudinis participationem.* Ubi ut vides; admittit, quod Deitas, & Deus dicantur de creatura, non ſecundum ſuam adæquatam perfectionem ſecundum quam inveniuntur in Deo, ſed ſecundum partialem, & inadæquatam ſimilitudinem. E contra vero in art.11. ejuſdem quæſtionis probat hoc nomen, *qui eſt*, eſſe maximè proprium nomen Dei: *quia quanto aliqua nomina ſunt minus determinata, & magis communia, & abſoluta, tanto magis propriè dicuntur de Deo à nobis. Unde & Damaſcenus dicit, quod principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur nominibus, eſt, qui eſt; totum enim in ſeipſo comprehendens velut quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum, & indeterminatum.* Cum ergo rationes entis per eſſentiam, infiniti, independentis, & ſimiles eamdem præſeferant amplitudinem; ſequitur, quod non poſſint ulli creaturæ ſecundum veram, & formalem convenientiam attribui. Et hoc ipſo, quod per alias modificationes determinentur; cadunt à ſuo conceptu formali, & incurrunt manifeſtam contradictionem.

§. II.

Alia concluſio pro perfecta dubij reſolutione.

63. DIcendum eſt ſecundo gratiam ſanctificantem participare formaliter naturam di- *Alia concluſio.*

vinam ut eſt ens per eſſentiam, infinitum, indepẽdens, &c. participatione imitationis formalis analogicæ. Explicatur concluſio: etenim participatio bifariam accipi poteſt: primo pro convenientia cum altero: ſecundo pro imitatione illius. Quamvis enim ad imitationem requiratur aliqua conveniẽtia, & propterea convenire, ac imitari videantur inter ſe converti; re tamen differunt: nam convenientia ſolum fit in eo, in quo extrema formaliter conveniunt, & quod de extremis formaliter prædicatur: imitatio autem tendit per ſe etiam in id, in quo exemplar excedit exemplatum. Nam inferius imitatur per ſe non ſolum rationem, in qua cum exemplari convenit, ſed etiam totum exemplar ſuperius; licet non conveniat cum eo in ipſa ſuperioritate, ſed in aliqua ratione utrique analogicè cõmuni. Unde imitari conſiſtit in eo, quod exemplatum reſpiciendo totum exemplar exprimat ipſum, non quidem adæquatè, & cũ convenientia in modis, ſed inadæquatè, & cum convenientia in aliqua particulari ratione, propria tamen exemplaris.

Explicatur.

Legitimus eius ſenſus.

Aſſerimus ergo, quod quãvis gratia ſanctificans non participet naturam divinam, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum, participatione convenientiæ formalis in his prædicatis, ut concluſione prima ſtatuimus: participat tamen formaliter naturam divinam ut eſt ens per eſsẽtiam, & infinitum, participatione imitationis formalis analogicæ eorumdem prædicatorum. Quapropter ly *natura divina, ut eſt ens per eſſentiam, infinitum*, &c. non deſignãt gradum convenientiæ: ſed exprimunt proprium exemplar, quod gratia per ſe reſpicit, & imitatur, eſſe ipſum eſſe per eſſentiam, infinitum, illimitatũ, quod eſt pelagus omnium perfectionum: ita quod omnes iſtæ rationes ſe teneant per ſe ex parte exẽplaris, ut imitabiles per gratiam ſanctificantem. Ex qua imitatione conſequitur prædicta gratia cõvenientiam formalem immediatam in conceptu proprio naturæ Dei, juxta dicta *dub. præced.* conſequitur etiam convenientiam formalem mediatam aliquorum attributorum divinorum mediis virtutibus, quæ ipſa gratia radicat, ut volũtatis media charitate, intellectus medio lumine gloriæ, & ſic de aliis rationibus dicentibus perfectionem abſolutam, & non explicãtibus modum proprium eſſendi in Deo: & tandem conſequitur convenientiam aliquam virtualem, & valde deficientem aliorum prædicatorum, quæ expreſsè afferunt conditiones formaliter incommunicabiles, ut independentiæ, illimitationis, &c. Concluſionem ergo ſic intellectam, licet non adeo explicatam docent communiter Thomiſtæ. Caiet. *ientaculo* 2. *q.* 2. Vincentius *relectione de gratia Chriſti, p.* 14. *cum ſeq.* Ledeſma *de perfectione divina quæſt.* 4. *art.* 6. Cabrera 3. *p. q.* 62. *art.* 1. *diſp.* 2. §. 5. Nazarius 3. *p. q.* 12. *art.* 5. *controverſ.* 3. Arauxo *in hac* 12. *diſp.* 2. *præambula ſect.* 3. *à num.* 24. Gregor. Mart. *in præſenti dub.* 4. Joan. à S. Thom. *diſp.* 22. *art.* 1. Labat *diſp.* 2. *dub.* 1. §. 2. Gonet *diſp.* 2. *art.* 4. *concluſ.* 3. & alij.

Caietanus.
Vincentius.
Ledeſma.
Cabrera.
Nazarius.
Arauxo.
Greg. Mart.
Joan. à S. Th.
Labat.
Gonet.

Probatur ex D. Thom.

64. Probatur primo ex D. Tho. infra *quæſt.* 112. *art.* 1. *in corpore*, ubi ait: *Donum gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cum nihil aliud ſit, quam quædam participatio divinæ naturæ, quæ excedit omnem naturam.* Natura autem divina importat prædictũm exceſſum, quatenus eſt ens per eſſentiam, infinitum, & independens: ergo gratia eſt formalis participatio naturæ divinæ, quatenus dicit prædictas perfectiones: ſed non eſt participatio per convenientiam formalem in ipſis prædicatis, ut §. *præced.* declaravimus: ergo eſt participatio per imitationem formalem analogicam: quia videlicet *id, quod ſubſtantialiter eſt in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem*, ut loquitur Sanctus Doctor *in præſenti art.* 2. *ad* 2.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo: quia quotieſcumque D. Thom. explicat in quo conſiſtat hæc participatio naturæ divinæ per gratiam, ferè ſemper eam exponit expreſſionem, & ſimilitudinem divinæ naturæ: & ideo *loco nuper cit. ex quæſt.* 112. inquit: *Deus deificat communicando conſortium divinæ naturæ per quandam ſimilitudinis participationem.* Et 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 10. *ad* 1. ait: *Gratia, quæ eſt accidens, eſt quædam ſimilitudo divinitatis participata in homine*, & *quæſt.* 62. *art.* 2. *in corpore*, inquit; *Gratia perficit eſſentiam animæ, in quantum participat ſimilitudinem divini eſſe.* At ſic eſt, quod ad imitationem, & ſimilitudinem formalem imperfectam, & analogicam alicujus exemplaris non requiritur convenientia formalis in omnibus prædicatis, ſed ſufficit reſpicere totum exemplar conveniendo cum ipſo inadæquatè in aliqua notione, ut docet S. Doct. 1. *part. quæſt.* 18. *art.* 4. *ad* 2. ubi ait: *Exemplata oportet conformari exemplari ſecundum rationem formæ, non autem ſecundum modum eſſendi: nam alterius modi eſſe habet forma quandoque in exemplato, & exemplari.* Ergo gratia poteſt reſpicere tanquam exemplar ſuæ perfectionis divinam naturam ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum; licet non conveniat formaliter cum ea in his prædicatis.

D. Thom.

Secunda. D. Thom.

Confirmatur ſecundo ex eodem S. Doctore 1. *part. quæſt.* 93. *art.* 1. ubi ait: *Æqualitas non eſt de ratione imaginis: quia ut Auguſt. dicit, ubi eſt imago, non continuo eſt æqualitas, ut patet in imagine alicuius in ſpeculo relucente. Eſt tamen de ratione perfectæ imaginis: nam in perfecta imagine non deeſt aliquid imagini, quod inſit illi, de quo eſt expreſſa. Manifeſtum eſt autem, quod in homine invenitur aliqua Dei ſimilitudo, quæ deducitur à Deo ſicut ab exemplari: non tamen eſt ſimilitudo ſecundum æqualitatem: quia in infinitum excedit exemplar hoc tale exemplatum. Et ideo in homine dicitur eſſe imago Dei, non tamen perfecta, ſed imperfecta.* Et ad 2. *Quia ſimilitudo*, inquit, *perfecta Dei non poteſt eſſe niſi in identitate naturæ, imago Dei eſt in filio ſuo primogenito, ſicut imago regis in filio ſibi connaturali: in homine autem ſicut in aliena natura: ſicut imago regis in nummo argenteo.* Quæ intelligenda etiam ſunt de homine gratia affecto: nunquam enim pertingit ad rationem perfectæ imaginis Dei. Ergo ex mente D. Thom. optimè cohærere poteſt, quod gratia participet, hoc eſt, imitetur, totum eſſe per eſſentiam, & infinitum, licet non conveniat adæquatè cum illo in omnibus prædicatis, ſed ex parte, & in aliqua peculiari ratione: & conſequenter corruit præcipuum fundamentum Adverſariorum, qui ideo negant abſolutè gratiam eſſe participationem formalem naturæ divinæ, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum, quia hinc inferri exiſtimant convenientiam formalem gratiæ cum Deo in prædictis prædicatis.

Ratio ex D. Thom.

65. Secundo probatur, & declaratur concluſio ratione deſumpta ex teſtimoniis Divi Thomæ nuper relatis, per quam deſtruitur præcipuum fundamentum opinionis adverſæ: quoniam ut exemplatum imitetur formaliter totum exemplar imitatione participationis formalis, non requiritur; quod capiat omnes rationes formales in exemplari repertas, & quod conveniat formaliter cum eo in omnibus prædicatis; ſed ſufficit, quod capiat aliquam rationem formalem propriam exemplaris, & quod in ea conveniat formaliter

formaliter cum illo: atqui gratia ſanctificans participat aliquam rationem formalem propriam entis, per eſſentiam, infiniti, independentis, &c. & convenit formaliter cum illo in prædicta ratione: ergo gratia ſanctificans imitatur tanquam exemplar ens per eſſentiam, infinitum, & independens imitatione participationis formalis:& conſequenter eſt participatio formalis naturæ divinæ,ut hæc eſt ens per eſſentiam, infinitum, atque independens, &c. participatione imitationis formalis, & quatenus ly ut eſt ens per eſſentiam, &c. reduplicat exemplar imitabile per gratiam. Hæc ultima conſequentia rectè infertur ex prima,& ex declaratione noſtræ aſſertionis. Prima etiam patet ex præmiſſis. Minor autem conſtat ex dictis dub. præced. ubi oſtendimus radicem videndi, & amandi Deum in ſeipſo eſſe propriam, & omnino connaturalem enti per eſſentiam,infinito,ac independẽti; & participari formaliter per gratiam ſanctificantem. Major vero,in qua poterat eſſe difficultas, oſtenditur,tum quoniã eo ipſo,quod imitatio formalis non fiat per adæquationem, ſed per participationem;repugnat quod exemplatum capiat omnes rationes proprias exemplaris, & quod conveniat adæquatè cum illo in omnibus prędicatis:nam participare formaliter conſiſtit in eo,quod ex exẽplari per ſe inſpecto quædam perfectio capiatur, & quædam relinquatur:ergo ut exemplatum,quod eſt tale per participationem,imitetur totum exemplar,non requiritur,quod capiat omnes ejus rationes; ſed ſufficit,quod conveniat cum eo in aliqua ratione formali,& propria illius. Tum etiam quia aliqua differentia conſtituẽda eſt inter imaginem perfectiſſimam,& exemplatum imperfectum: ſed hæc differentia nequit conſiſtere in eo,quod imago perfectiſſima imitetur(ſi ita loqui licet) totum exemplar; exemplatum vero imperfectum non imitetur illud; ſi quidem de ratione cujuſcunque imaginis,& exẽplati eſt habitudo ad ſuum exemplar adæquatè ſumptum; (cum hoc ita,& non aliter acceptum habeat rationem cauſæ,vel principij reſpectu exemplati,)ergo prædicta differentia ſita eſt in eo,quod imago perfectiſſima imitatur exemplar totum, & totaliter,ſive per adæquationem,& convenientiam in perfectione; exemplatum vero imperfectum imitatur totum exemplar partialiter, ſive per convenientiam in aliqua ratione inadæquata. Tum denique nam exemplatum imperfectum non imitatur præcisè rationem, quam ab exemplari participat; aliàs ſola hæc ratio haberet rationem exemplaris,& principij reſpectu exemplati, quod eſt abſurdum: (nam præter rationem analogicè cõmunem,in qua exercetur convenientia, diſtinguendæ ſunt rationes propriæ exemplaris,& exemplati) ergo exemplatum imperfectum imitatur totum exemplar imitatione participationis formalis: & tamen non convenit formaliter cum eo in omnibus prædicatis, ut liquet ex dictis §. *præced.* ergo ad imitationem totius exemplaris per formalem participationẽ non requiritur,quod exemplatum habeat formaliter omnes perfectiones exemplaris;ſed ſufficit,quod conveniat formaliter cum eo in aliqua ratione propria ipſius.

Confirmatur primo. Confirmatur primo & declaratur amplius: nam exemplar cauſat non ſolum illam rationem in qua convenit cum exemplato, ſed etiam totum exemplatum, ipſumque per ſe reſpicit ut effectum;aliàs tota gratia non cauſaretur à Deo in genere cauſæ exemplaris,quod eſt abſurdum;ergo pariter exemplatum cauſatur non à ſola illa ratione,in qua cum exemplari convenit, ſed etiam à toto exemplari, illudque reſpicit per ſe tanquam propriam cauſam: atqui exemplatum cauſari ab exemplari eſt exemplatum imitari exemplar:ergo exemplatum imitatur totum exemplar, licet non conveniat formaliter cum eo in omnibus prædicatis: ergo ut gratia per participationem formalis imitationis participet ipſum eſſe per eſſentiam,infinitum,& indepẽdens, non requiritur, ut falſo exiſtimant Adverſarij,quod habet formaliter hæc prædicata,quæ denotant convenientiam formalem adæquatam cum Deo, ſed ſufficit, quod conveniat formaliter cum eo in conceptu inadæquato naturæ.

Confirmatur ſecundo: nam id, quod participatur,determinatur in participante:& ideo perfectio ſuperioris ab inferiori imitabilis eo ipſo, quod participetur, limitatur in inferiori, ut ſatis liquet ex teſtimoniis D. Thom.& rationibus,quas expendimus § *præcedenti:* ergo licet ens per eſſentiam, infinitum,& independens participetur formaliter in gratia ſanctificante;tamen in ipſa gratia determinatur, & contrahitur, habetque proinde in ea eſſe participativè,finitè, & dependenter: ergo ex eo, quod gratia formaliter participet, & imitetur ens per eſſentiam,infinitum,& independens; minimè infertur, quod ipſa ſubjectivè & in ſe conſiderata ſit formaliter ens per eſſentiam, infinitum,& independens: & conſequenter ex prædicta participatione per formalem imitationem perperam colligunt Adverſarij convenientiam formalem gratiæ cum Deo in prædictis:corruitque proinde præcipuum eorum argumentum. *Secundo.*

Quod amplius explicari, & urgeri poteſt ex principiis ab eis conceſſis:nam ipſi docent gratiam ſanctificantem eſſe participationem formalem naturæ divinæ ſub conceptu proprio naturæ:& tamẽ natura divina in ſuo conceptu formali complectitur plures rationes,quæ nequeunt formaliter gratiæ cõvenire,& de ea formaliter prædicari,quales ſunt eſſe ipſam exiſtentiam, & ipſum intelligere actuale:ergo ut gratia ſit formalis participatio naturæ divinæ ut eſt ens per eſſentiam,& infinitum, non requiritur,quod conveniat formaliter cum ente per eſſentiam, & infinito in prædicatis eſſendi à ſe, & infinitatis; ſed ſufficit,quod conveniat cum eo in prædicatis naturæ divinæ inadæquatè acceptæ: ſicut hoc ſufficit, ut dicatur participatio naturæ divinæ ſub conceptu naturæ. *Tertiò.*

66. Sed objicies:nam valde diverſum eſt,quod gratia ſanctificans ſit participatio formalis entis per eſſentiam,& infiniti ut eſt natura; & quod ſit participatio formalis naturæ divinæ,ut eſt ens per eſſentiam,& infinitum. Quoniam in prima propoſitione denotatur ens per eſſentiam eſſe proprium exemplar gratiæ,& convenientiam formalem cum illa exerceri in conceptu particulari naturæ, quod eſt veriſſimum, ut conſtat ex dictis tam in hoc, quam in præcedenti dubio. Secunda vero denotat, naturam divinam eſſe proprium exemplar gratiæ, & habere convenientiam formalem cum ea in ipſa ratione entis à ſe, & infiniti,hanc enim vim habent illæ reduplicationes, ut eſt ens per eſſentiam,& infinitum,quod eſſe falſum conſtat ex iis, quæ §. *præced.* ſtatuimus. Ergo quamvis prima propoſitio admittatur, non debet concedi ſecunda, nec inferri valet ex prima. *Objectio.*

Reſpondetur hanc objectionem evincere id, quod negare non valemus, videlicet præſentem difficultatem plurimum conſiſtere in vocibus, & in diverſa terminorum acceptione: ad quam quia aliqui non attenderunt, convincuntur docuiſſe falſum. Igitur concedimus hanc propoſitionem, *Gratia eſt formalis participatio entis infiniti, ut eſt natura*, eſſe præferendam huic, *Solutio.*

Digitized by Google

Gratia eſt formalis participatio naturæ divinæ, ut eſt ens per eſſentiam, infinitum, &c. nam prior ex rigore verborum, & ex communi modo concipiendi explicat id, quod reipſa participatur in gratia, & ſignificat rationem convenientiæ, in qua prædicta participatio exercetur: & ideo abſolutè debet concedi. Poſterior autem, ſi eodem rigore accipiatur, videtur idem ſignificare; & ideo nequit abſolutè admitti. Unde diſtinguenda eſt: nam ly *ut eſt ens per eſſentiam* vel reduplicat rationem, in qua gratia conveniat formaliter cum Deo: & ſic continet ſenſum falſum, meritoque illam in prima concluſione negavimus. Vel ſpecificat formaliter proprium exemplar gratiæ ſanctificantis, & denotat illud eſſe ipſum primum ens per eſſentiam, infinitum, &c. quo pacto reddit ſenſum verum, eamque jure admiſimus in hac ſecunda concluſione. Thomiſtæ autem ſolum eam docent in hac poſteriori acceptione, ut videre eſt apud Joannem Vincentium, & Ledeſmam; non enim docent gratiam eſſe participationem formalem naturæ divinæ ut eſt ens per eſſentiam; ſed pro aſſertione ſtatuunt gratiam ſanctificantem participare formaliter ipſum eſſe per eſſentiam, & infinitum: & ſuis argumentis id intendunt, & convincunt, quod nimirum gratia participet illud eſſe participatione formalis imitationis ut exemplatum exēplar; non vero participatione convenientiæ formalis in prædicatis independentiæ, & infinitatis. Quod immerito renuunt Adverſarij concedere cauſantes ex qualibet participatione formali inferri convenientiam formalem in eiſdem prædicatis: oppoſitum enim ſatis conſtat ex dictis.

§. III.

Roboratur amplius eadem aſſertio.

Probatur tertio eadem aſſertio. 67. Argumento præcedenti potius adverſæ opinionis præcipuum fundamentum evertere, quam propriam à priori munire curavimus. Supereſt, ut id præſtemus ſequenti ratione: quoniā natura divina eſt ſupernaturalis, quatenus eſt ipſum eſſe per eſſentiam, independens, & plenitudo omnium perfectionum: ſed gratia ſanctificans participat formaliter naturam divinam, ut eſt ſupernaturalis: ergo gratia ſanctificans eſt participatio formalis naturæ divinæ, ut eſt ens per eſſentiam independens, & plenitudo omnium perfectionum, modo tamen in §. antecedenti deſcripto. Conſequentia conſtat ex præmiſſis. Major etiam liquet ex iis, quæ *dub. prec.* §. 1. obſervavimus: nam ſupernaturalitas divina nequit applicari per exceſſum ſupra ipſum Deū, ſed per exceſſum ſupra omne ens creatum, & creabile: prædictus autem exceſſus conſiſtit in eo, quod Deus ſit ens per eſſentiam, independens, & infinitū: nam creatura, quatenus talis, habet eſſe per participationē à Deo, & cum depēdentia: & limitatione: ergo natura divina eſt ſupernaturalis, quatenus eſt ipſū eſſe per eſſentiam, independens, & infinitum. Minor autē quoad primam partem conſtat ex toto dub. præc. ubi eam ex profeſſo probavimus. Quoad ſecūdam verò ſuadetur: nam gratia ſanctificans eſt forma ſupernaturalis: ergo imitatur, & participat naturam divinam, non utcumque, ſed quatenus eſt ſupernaturalis: ſi enim reſpiceret eam vel quatenus naturalem, vel quatenus à naturali, & ſupernaturali præſcindit, non poſſet evadere ſupernaturalis in entitate, ſed ſe haberet ut aliæ formæ ordinis naturalis.

Confirmatur primo. Confirmatur primo; nam ſi gratia ſanctificans non eſſet participatio formalis naturæ divinæ, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum, non poſſet de gratia prædicari id, quod convenit naturæ divinæ, quatenus eſt ens per eſſentiam, & infinitū: ſed aliquid Deo conveniens, quatenus eſt ens per eſſentiam, & infinitum, prædicatur formaliter participativè de gratia: hæc igitur participat formaliter naturam divinam, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum. Minor probatur: quia ex eo, quod Deus ſit ipſum eſſe per eſſentiam, & infinitum, cōſequitur, quod ſemetipſum intelligat tanquam objectū primarium cognitione quidditativa, intuitiva, & cōprehenſiva: ſed gratia tendit in Deum prout eſt in ſe tanquam in objectum primarium per cognitionem quidditativam, & intuitivam, licet non comprehenſivam: (nam comprehenſio, ſive adæquatio deſtruit conceptum participationis,) ergo id, quod convenit Deo, quia eſt ens per eſſentiam, & infinitum, prædicatur formaliter participativè de gratia.

Confirmatur ſecundo: quoniā ſi gratia non participaret formaliter naturam divinam ut infinitā; *Confirmatur ſecundo.* minimè poſſet radicare charitatem participantem amorem Dei ut infinitum: id quippè poſtulat proportio ſervanda inter naturam, & ejus proprietatem: atqui charitas radicata in gratia participat formaliter amorem Dei ut infinitum: ergo gratia participat formaliter divinam naturam infinitam. Probatur minor: nam ideo charitas poteſt ex parte ſui augeri in infinitū, quia eſt participatio amoris Dei infiniti, ut D. Th. 2.2. *q.* 24. *art.* 7. arguit his verbis: *Charitas ſecundum rationem propriæ ſpeciei terminum augmenti non habet: eſt enim participatio quædam infinitæ charitatis, quæ eſt Spiritus ſanctus.* Qui diſcurſus nihil evinceret; ſi charitas creata participaret charitatem Dei, quæ alias eſt infinita, non vero ut infinitam: nam primum illud etiam cōvenit omnibus illis formis, quæ ex parte ſua nequeūt uſque in infinitum augeri: ergo charitati convenit etiam ſecundū: atque ideo participat amorē Dei ut infinitū, modo tamē in noſtra aſſertione declarato.

68. Confirmatur tertio: nam in ſacra Scriptura *Confirmatur tertio.* tribuuntur gratiæ ſanctificanti prædicata denotantia plenitudinem eſſendi, & illimitationē: ſed hæc nequeunt ſignificare, quod gratia ſit in ſeipſa plenitudo eſſendi, & infinita ut §. 1. oſtendimus: ergo deſignant, quod participet formaliter inadæquatè ipſum eſſe per eſſentiam, & infinitum. Patet cōſequentia: quia verba Scripturæ interpretanda ſunt, quantum fieri poteſt, in ſenſu magis proprio, & rigoroſo, niſi ex hoc ſequatur abſurdum: ex eo autem quod gratia dicatur participare eſſe per eſſentiā, & infinitum participatione imitationis formalis, nullum ſequitur inconveniens, ut ſatis liquet ex dictis §. præced. ergo teſtimonia Scripturæ intelligenda ſunt in hoc ſenſu: præſertim cum hoc cedat in recommendationem, atque excellentiam divinę gratię, cui dedecet nos ingratos eſſe. Major autē probatur, Tum quia eſſe abſolutè, & ſine reſtrictione attribuitur Deo in Scriptura ad ſignificandum ejus amplitudinem, & plenitudinem in eſſendo, juxta illud Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum.* Et hoc etiam nomen attribuitur gratiæ ſanctificanti, ut 1. ad Cor. 15. *Gratia Dei ſum id, quod ſum*, & ad Epheſ. 1. juxta lectionem antiquam, qua utitur Baſil. lib. 2. contra Eunom. *Sanctis, qui ſunt:* ſicut ob oppoſitam rationem, qui carent gratia, dicuntur non eſſe, ut Eſther c. 14. *Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt.* Tum etiam quia gloria in uſu Scripturæ deſignat amplitudinem, & immenſitatem divini eſſe, ut Pſalm. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, & Pſalm. 57. *Super omnem terram gloria tua*, & alibi ſæpè: Idemque nomen tribuitur gratiæ ad Roman. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, id eſt*, gratia, *qua ſanat hominem*

Exod. 3. 1. ad Cor. 15. Ad Eph. c. 1. Eſther. 14. Pſalm. 16. Pſalm. 57. Ad Rom 3.

à

Digitized by Google

à peccato: Tum præterea nam Deus ob ſummam plenitudinem eſſendi dicitur ipſa lux, & immaterialitas, ut 1. Joan. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ:* Gratia autem etiam dicitur lux ad Epheſ. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, ad Theſſal. 5. *Omnes vos filij lucis eſtis, & filij Dei*, & Jacob. 1. Deus vocatur *pater luminum*, ideſt, filiorum adoptivorum per gratiam. Deinde regnum gloriæ, cujus Deus dicitur rex *Pſ.* 23. deſignat omne eſſe, cui præminet Deus. Gratia autem eſt hoc regnum, ut conſtat ex illo Luc. 17. *Regnum Dei intra vos eſt*, & cap. 11. *Pervenit in vos regnum Dei*, ad Theſſal. 3. *Qui vos vocavit in ſuum regnum* ad Coloſſ. 1. *Qui nos tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Tandem ipſum nomen Deus, quo ſummam perfectionem primi entis ſignificamus, attribuitur in Scriptura iis, qui dignificantur per gratiam, ut Pſ. 81. *Ego dixi, Dij eſtis, & Filii Excelſi omnes.* Ergo ſacra Scriptura attribuit gratiæ ſanctificanti nomina denotantia plenitudinem eſſendi, & illimitationem. Scimus Suarium, & Curielem aliter hæc teſtimonia interpretari, & ad ſingula reſpondere. Conſulto tamen eorum expoſitiones non impugnamus: quia ex una parte libenter admittimus unumquodque ex relatis teſtimoniis ſingillatim ſumptum poſſe aliter exponi: & ex alia negari non poteſt, quod ſenſum à nobis intentum admittant; & quod ſimul ſumpta deſignent id, pro quo ea adduximus; deſerviantque noſtræ opinioni cum magna probabilitate. Maxime cum abſque abſurdo queant ita interpretata commendare divinæ gratiæ excellentiam.

[1. Joan. — Ad Epheſ. 5. — Ad Theſſ. 5. — Jacob. 1. — Luc. 17. — Et c. 11. — Ad Theſ. 3. — Ad Coloſ. 1. — Pſalm. 81.]

Objectio. 69. Sed oppones: nam argumentum noſtrum, & ejus confirmationes vel nihil evincunt, vel ſuadent gratiam eſſe formaliter, & ſubjective in ſe ipſa ens per eſſentiam, infinitum, independens, &c. cumque hoc poſterius non admittamus, ſequitur prædictam rationem, & illius confirmationes nullius roboris eſſe. Suadetur antecedens: *Primò* quia ſi ſemel gratia non eſt formaliter in ſe ipſa ens per eſſentiam, & infinitum, nihil conſequitur ex imitatione Dei, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum; ſed perinde ſe habebunt iſtæ rationes ad Deum, ut eſt exemplar gratiæ, ac ſi in ipſo non eſſent. *Secundo:* nam quia gratia eſt participatio formalis naturæ divinæ ſub conceptu naturæ, propterea ſubjective & in ſe ipſa eſt natura divina per participationem: ergo ſi gratia eſt participatio formalis naturæ divinæ ut eſt ens infinitum, & per eſſentiam, erit ſubjective, & in ſe ens per eſſentiam, & infinitum, ſaltem participative. *Tertiò* nam plura entia naturalia ſunt exemplariter, & effective à Deo, ut ente per eſſentiam, & infinito, ut patet in Angelo, qui ad ſui productionem, (ut pote quæ eſt creatio) petit infinitam virtutem ex parte principij: & tamen quia in ſe ſubjective, & formaliter non ſunt entia infinita, & per eſſentiam, nequeunt dici participationes formales Dei ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum: ergo vel gratia dicenda eſt ens per eſſentiam, & infinitum ſaltem participative; vel non participat formaliter Deum, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum.

Solvitur. Reſpondetur ex dictis §. *anteced.* negando antecedens: nam cum participare ſit ab exemplari per ſe inſpecto aliquam partem, ſeu perfectionem capere, & alias relinquere; nequit ex participatione formali alicujus exemplaris deduci convenientia adæquata cum illo, vel quod omnes rationes per ſe in exemplari inſpectæ debeant in exemplato formaliter relucere, aut de eo formaliter prædicari: ſed magis infertur oppoſitum. Et contrarius imaginandi modus ita abeſt à vero conceptu participationis formalis, ut potius ipſum deſtruat, & adæquationem, atque univocationem inducat. Quod magis conſtabit diluendo ſingulas probationes.

Ad primam ergo reſpondetur gratiam ſanctificantem ex imitatione formali entis per eſſentiam, & infiniti conſequi in primis convenientiam formalem analogicam in conceptu naturæ divinæ: quod ſatis erat ad explicandam prædictam participationem. Conſequitur etiam virtualiter, radicaliter, vel aliquo modo omnes perfectiones divinas: ex quo efficaciter evincitur ipſam imitari Deum, ut explicat plenitudinem omnium perfectionum, Nam in primis formaliter, radicaliter, ſeu mediis virtutibus, quas radicat, participat plura attributa, ut intellectum per lumen gloriæ, voluntatem per charitatem, miſericordiam, juſtitiam, ſapientiam, prudentiam, &c. per virtutes his attributis formaliter correſpondentes. Participat etiam quodammodo virtualiter ipſamet attributa, quæ in ſuo conceptu formali exprimunt modum proprium Dei, & nequeunt formaliter communicari creaturæ. Nam immutabilitatem, & æternitatem participat, quatenus radicat viſionem Dei in ſe ipſo, quæ ex natura ſua eſt invariabilis, & æterna, & ideo Chriſtus Dominus ſpiritum gratiæ promittens Joan. 4. *Aqua*, inquit, *quam ego dabo ei, fit in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et ad Rom. 6. dicitur: *Gratia Dei vita æterna.* De quo D. Thom. *in* 4. *d.* 49. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. *ad* 3. Omnipotentiam etiam quodammodo participat videlicet in ordine ad ea quæ ad ſalutem hominis conducunt, juxta illud Apoſt. ad Philip. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Et ad Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* & poſt pauca: *Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Participat etiam immutabilitatem Dei: unde provenit quod gratia ex natura ſua ſit perpetua, & inamiſſibilis, ut probat Divus Thom. 2. 2. *q.* 24. *art.* 11. agens de charitate, quæ in gratia velut in radice præhabetur. Præterea participat aliquomodo infinitatem divinam, quatenus eſt principium menti ſyncategorematice infiniti, & in ordine ad præmium objective infinitum: & ideo Sapientiæ 7. dicitur de gratia: *Infinitus Theſaurus eſt hominibus.* Deinde participat omne bonum divinum non quidem ſubjective, & phyſice, ſed objective & intentionaliter videndo, ſcilicet, & poſſidendo immediate Deum in ſe ipſo juxta illud Exod. 33. *Ego oſtendam tibi omne bonum:* quo pacto transformat hominem, ut fiat intelligibiliter ipſe Deus. Inſuper participat ipſam independentiam, & ut ſic dicamus, Dei aſſeitatem, non quia exuat omnem dependentiam, cum hoc repugnet creaturæ; ſed quia à nullo agente creato poteſt produci; imo neque ab ipſo Deo ut agente naturali, ſed quatenus eſt agens ſupernaturale, & ſecundum primam hujus ordinis rationem, juxta illud Pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Tandem adeo magna eſt perfectio gratiæ ſanctificantis, ut excedat perfectionem totius hujus univerſi, ut docent D. Auguſt. *tract.* 72. *in Ioan.* & D. Thom. *infra quæſt.* 13. *art.* 9. *in corpor.* ubi loquens de juſtificatione impij, ſeu renovatione per gratiam inquit: *Poteſt dici magnum opus propter magnitudinem eius, quod ſit:*

[*Prima probatio diluitur.* — *Maxima gratiæ perfectio.* — Ioan 4. — Ad Philip. 4. — Ad Rom. 8. — Sapient. 7. — Exod. 33. — D. Auguſt. — D. Thom.]

Digitized by Google

& ſecundum hoc maius opus eſt iuſtificatio impij, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quam creatio Cœli, & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Imò & excedit gratia perfectionem omnium aliarum formarum ſupernaturalium, ut pote quæ cunctas radicaliter, aut alio modo præhabet per modum naturæ, ut ex profeſſo oſtendemus *dub.6.& 7.* Omnia igitur hæc conſequitur gratia ex eo, quod participet ipſum eſſe per eſſentiam, atque infinitum participatione imitationis formalis. Unde objectio debet in oppoſitum retorqueri: quia non poſſet gratia perfectiones alias magnas participare, niſi imitaretur divinam naturam, ut eſt ens per eſſentiam, & pelagus omnium perfectionum.

Reſpondetur ad 2. Ad ſecundam probationem dicendum eſt illam propoſitionem, *Quia gratia eſt participatio formalis divinæ naturæ, ut natura eſt, ideo gratia eſt divina natura per participationem*, non verificari ex terminis, & ratione formæ, ſed ratione materiæ: quia nimirum conceptus naturæ divinæ participatur ut *quod*, & ut *quo* in gratia ſanctificante: hæc enim & imitatur naturam divinam, & exercet prædictam imitationem capiendo conceptum naturæ, & per convenientiam formalem in illo. Id autem, quod habetur ut *quo*, & tanquam conceptus captus, ut ſic dicamus, ab exemplari, poteſt de participante formaliter prædicari: & ideo de gratia verificatur, & quod participet formaliter naturam divinam, & quod ſit formaliter ipſa natura per participationem. Cæterum id, quod ſolum participatur ut *quod* tanquam exemplar per ſe à participante inſpectum, nequit formaliter, & in recto prædicari de participante: quia ad veritatem prædicationis requiritur, quod ſubjectum contineat prædicatum: exemplar autem habet plures rationes, quæ non inveniuntur in participante, ſeu exemplato, cum participans non capiat omnes ejus perfectiones, ſed quaſdam relinquat. Unde nequit exemplar formaliter, & in recto prædicari de participante, etiam cum addito participationis. Quæ doctrina poteſt explicari exemplo Verbi divini, quod eſt ſubſtantialis imago Patris, habens ab eo ſuam naturam, *Ad Coloſ. 1.* & perfectionem, juxta illud Apoſt. ad Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus creaturæ:* quod licet imitetur formaliter Patrem, ut Patrem (rationes enim imaginis, & exemplaris dicuntur perſonaliter in divinis, ut reſolvit Divus Thom. 1.*p. qu.35. art.*1. in corp.) nihilominus Verbum non eſt Pater: quia nimirum Pater eſt exemplar *quod*, & nequit in recto de ſua imagine, cui opponitur, prædicari. Prædicatur tamen Deitas formaliter de Verbo: nam habetur ut *quo*, & eſt id, *in quo* exercetur ſimilitudo Verbi ad ſuum exemplar. Idem ergo proportionabiliter de natura divina per participationem, & de filiis adoptivis per eam conſtitutis dicendum eſt.

Tertia diluitur. Ad ultimam probationem admittimus entia creata petere, ſaltem ſecundum conceptum entis, procedere à principio, quod ſit ens per eſſentiam, & infinitum: negamus tamen, quod ideo non ſint participationes formales entis per eſſentiam, & infiniti, quia nequeunt dici ens per eſſentiam, & infinitum: oppoſitum enim ſatis conſtat ex hactenus dictis. Sed ratio eſt: quoniam ad participationem formalem alicujus exemplaris, requiritur, quod participatio, ſeu exemplatum conveniat formaliter cum eo in aliqua ratione illius propria, ut obſervavimus *dub. præced. §.* 1. Entia autem naturalia non participant perfectionem propriam Dei, ut propriam Dei, ſed juxta exigentiam, & connaturalem diſpoſitionem ipſorum. Unde nequeunt dici participationes formales entis per eſſentiam, & infiniti; ſed tantum virtuales, & ſecundum generalem rationem, qua omne ens per participationem derivatur, & exemplatur ab ente per eſſentiam. Videantur quæ diximus *tract. 2. diſp. 3. dub. 2. num. 31. & 35.*

§. IV.

Refertur opinio ſecundæ Concluſioni contraria.

70. Adverſus primam aſſertionem non invenimus, qui ſentiat: nam aliqui Thomiſtæ, qui contra illam ſolent referri, eam non negant; ſed docent nobiſcum ſecundam. Hanc autem impugnant Suarius *lib.7. de gratia, cap. 1. à num. 14.* Ripalda *lib. 6. diſp. ult. ſect. 8.* & Curiel *in præſenti art. 3. dub. 1. §. 5.* Porrò eorum argumenta tantum ſuadent noſtram primam concluſionem, quam libenter illis damus: ſi quæ vero videntur ſecundam impugnare, manent majori ex parte ſoluta ex iis, quæ inter diſputandum objecimus, & diluimus: unde pauca, aut nulla ſuperſunt, quibus occurramus. *Opinio contraria. Suarez. Ripalda. Curiel.*

Arguitur tamen primo: quia ad participationem formalem requiritur convenientia formalis inter participatum, & participans, & quod ratio participata prædicetur formaliter de participante, ut obſervavimus *diſp. præced. §. 1.* ſed natura divina, & gratia non conveniunt formaliter in prædicatis entis per eſſentiam, & infiniti, neque iſtæ rationes poſſunt de gratia formaliter prædicari, ut in hoc *dub. §. 1.* ſtatuimus: ergo gratia non eſt participatio formalis naturæ divinæ, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum. *Primum argumentum.*

Reſpondetur ex dictis diſtinguendo majorem: & ſi intelligatur de participato ut quo, & per modum rationis, in qua exercetur imitatio, concedenda eſt: ſi vero intelligatur de eo, quod participatur ut quod, & per modum exemplaris, ſubdiſtinguenda eſt: & concedatur de convenientia in aliqua ratione propria exemplaris; negetur vero de convenientia in omnibus rationibus propriis exemplaris, quod participari dicitur. Nam cum participare formaliter conſiſtat in eo, quod ex exemplari per ſe inſpecto participans capiat aliquam rationem, & alias rationes relinquat; non requiritur ad participationem formalem exemplaris, quod participans conveniat formaliter cum ipſo in omnibus ejus prædicatis, & quod hæc prædicetur formaliter de illo: ſed ſatis eſt, quod participans imitando totum exemplar capiat formaliter quandam ejus perfectionem. Unde ut gratia dicatur formalis participatio entis per eſſentiam, & infiniti; ſufficit, quod participet ab eo conceptum aliquem proprium illius, nempe rationem naturæ. Hæc autem prædicatur formaliter de gratia: quia participatur non utcumque, ſed ut quo, & ut id, quod ab exemplari derivatur in exemplatum. *Reſponſio.*

71. Arguitur ſecundo: nam ut gratia ſit formalis participatio naturæ divinæ ſub conceptu naturæ, non requiritur, quod eam participet ut eſt ens per eſſentiam independens, & infinitum: ergo abſque fundamento id aſſeritur, augendo difficultatem non neceſſariam. Suadetur antecedens: nam infinitas (& idem proportionabiliter eſt de aliis prædicatis) non conſtituit peculiariter conceptum *Secundum argumentum.*

Digitized by Google

conceptum naturæ, ſed vel eſt attributum, vel quædam ratio divina tranſcendens per naturam, & attributa: ergo ut gratia participet formaliter naturam divinam ſub conceptu proprio naturæ, non requiritur quod participet naturam divinam ut infinitam.

Solutio. Reſpondetur negando antecedens: tum quia gratia eſt forma ſupernaturalis, atque ideo debet exemplari à Deo, quatenus excedit omnem naturam creatam, & creabilem: quem exceſſum importat, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum, ut ſupra diximus. Tum etiam quia non poſſet gratia capere à Deo tantas, & tam univerſales perfectiones, quales deſcripſimus *numero 69.* niſi imitaretur Deum, ut eſt pelagus omnium perfectionum, & conſequenter ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum. Unde patet ad probationem in contrarium: nam eſto, infinitas non ſit prædicatum peculiare naturæ divinæ, ſed quid commune omnibus divinis perfectionibus (in quo ſtradendo occupatur Curiel ubi ſupra) nihilominus ſe tenet ex parte exemplaris gratiæ in eſſe exemplaris illius. Ad quod non requiritur, quod ipſa gratia ſit ſubjective, & in ſe infinita; ſed ſufficit, quod ex Deo infinito, quem imitatur, capiat prædicatum naturæ, licet ipſam infinitatem formaliter non participet. Diximus *formaliter:* nam virtualiter, aut alio modo deficienti conſequitur etiam quandam infinitatem, vel quia radicat meritum ſyncategorematice infinitum, vel quia poteſt in infinitum connaturaliter intendi, vel quia bonum infinitum aſſequitur, ut diximus *numero citato.* Quod profecto non haberet, ſi non exemplaretur, & participaretur à Deo, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum.

Tertium argumentum. 72. Arguitur tertio: nam ſi gratia eſſet formalis participatio divinæ naturæ, ut eſt ens per eſſentiam, & infinitum, & plenitudo omnium perfectionum; etiam participaret naturam divinam, ut ſubſiſtit in tribus perſonis: conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens. Sequela eſt manifeſta: nam ad perfectionem, & infinitatem divinæ naturæ pertinet ſubſiſtere in tribus perſonis, & eſſe principium proceſſionis ad intra: ergo ſi gratia participat naturam divinam ut eſt infinita, & plenitudo omnium perfectionum, participabit utique illam, quatenus in tribus perſonis ſubſiſtit. Falſitas autem conſequentis oſtenditur: nam etiam ſi Deus non eſſet trinus, adhuc tamen poſſet formaliter participari per gratiam, & ita foret ejuſdem prorſus rationis, ac modo eſt, ut diximus *tract. 2. diſp. 3. dub. 2. num. 35.* hoc autem poſſet verificari, ſi gratia de facto participaret formaliter naturam divinam, ut ſubſiſtentem in tribus ſuppoſitis: ergo non participat illam ſecundum iſtam rationem.

Enodatio. Huic difficultati non eodem modo occurrunt Thomiſtæ, ut videri poteſt apud Greg. Martinez *in præſenti art. 2. dub. 5.* & Arauxo *diſp. 2. præambula ſect. 3. concl. 8.* Nos tamen conſequenter ad hactenus dicta reſpondemus diſtinguendo ſequelam: eamque negamus, ſi denotet, quod gratia participet naturam divinam, ut ſubſiſtentem in tribus ſuppoſitis, participatione convenientiæ formalis in hoc prædicato: concedimus autem illam intellectam de participatione imitationis formalis, & quatenus deſignat conditionem propriam exemplaris gratiæ in eſſe exemplaris illius. Itaque cum divinum eſſe, quod eſt pelagus omnium perfectionum, includat inter alias fecunditatem ad intra, & proceſſionem divinarum perſonarum; nequit non hanc perfectionem importare in eſſe exemplaris imitabilis per gratiam. Ad quod tamen non deſideratur, quod ipſa gratia in tribus perſonis ſubſiſtat; ſed ſatis eſt, quod imitando naturam divinam ut ſubſiſtentem in tribus perſonis capiat formaliter conceptum naturæ, alios vero conceptus formaliter non capiat, ſed ad ſummum virtualiter, aut alio modo participet, ut de aliis perfectionibus incommunicabilibus dictum eſt. Præſertim cum gratia inclinet connaturaliter ad videndum Deum in ſe ipſo, atque ideo non ſolum ut unum, ſed etiam ut trinum: ex quo etiam radicaliter habet quendam extenſionis, & perfectionis modum, ut attingat intuitive non ſolam eſſentiam divinam, quæ eſt objectum formale *quo* viſionis beatæ, ſed etiam divinas perſonas, quæ pertinent ad rationem formalem *quæ* adæquatam prædictæ viſionis. Hujuſmodi autem inclinatio, & perfectio non competeret gratiæ ſanctificanti, ſi non participaretur, & exemplaretur à natura divina ut ſubſiſtente in tribus perſonis, *ly ut ſubſiſtente*, &c. ſignificante ut minus modum proprium exemplaris gratiæ: nam inclinatio ad aliquod objectum, ejuſque attingentia debet ortum ducere ex aliqua participatione ipſius objecti.

Ad improbationem vero ſequelæ hoc modo intellectæ reſpondemus hypotheſim eſſe abſolute impoſſibilem. Ea tamen admiſſa, dicendum eſt, quod ſicut eo eventu maneret idem Deus quoad ſpeciem, ut ſic dicamus, non vero quantum ad hunc numero modum perfectionis, quam actu explicat in fœcunditate ad intra, & proceſſione divinarum perſonarum; ſiquidem ſit ſuppoſitio, quod non eſſet trinus. Ita etiam in eo eventu maneret eadem gratia quoad eſſentiam, non tamen perſiſteret cum eodem modo perfectionis: careret enim inclinatione ad videndum Trinitatem, & non contineret radicaliter eum modum extenſionis, quo actu gaudet, cum divinas perſonas attingit. Nam quemadmodum divina natura in gratia participata eſſet eadem eſſentialiter, & non quoad modum: ita gratia eam participans eſſet eadem ſecundum prædicata eſſentialia, careret tamen quodam modo perfectionis. Nec oppoſitum aſſeruimus loco citato: ſolum enim intendebamus, quod etiam ſi Deus non eſſet Trinus, adhuc forent abſolute poſſibilia entia ſupernaturalia, quæ modo ſunt: quod non negatur à nobis, ut conſtat ex dictis.

DUBIUM QUINTUM.

Utrum Gratia Sanctificans diſtinguatur à charitate.

Quidditas gratiæ habitualis, quam manifeſtare ſtudemus, plurimum illuceſcet ex comparatione ad virtutes, & dona ſupernaturalia: hæc autem non recte fiet, niſi præmiſſa qualitate diſtinctionis inter ea, quam dubium inveſtigat. Sed pro illius, & tituli intelligentia.

§. I.

Præmittuntur aliqua obſervationes.

73. Ne in dubij progreſſu hæreamus vocibus; animadvertere prius oportet, quid nomine gratiæ habitualis, & nomine charitatis accipiatur *Nota 1.*

Digitized by Google

accipiatur in præſenti. Gratia enim vel ſumitur pro qualibet perfectione ſupernaturali, vel pro habitu ſupernaturali, vel pro forma participante ſpecialiter naturam divinam, & regenerante nos in filios Dei. Et quidem in duabus prioribus acceptionibus eſt quædam ratio communis, & ſe habens ut genus vel remotum, vel proximum ad gratiam, & cæteras virtutes: quamobrem non diſtinguetur realiter ab eis ſed ſola ratione. Unde quæſtio procedit de gratia poſteriori modo conſiderata, ſecundum quod eſt particularis habitus in ſpecie atoma conſtitutus, qui ob inſignem excellentiam ſolet per anthonomaſiam gratiæ abſolute vocari. Similiter charitas, (quod vocabulum derivatur à græco *Charis*, & gratiam vel pulchritudinem ſignificat,) aliquando uſurpatur pro gratia ſanctificante, qua regeneramur in filios Dei, juxta illud 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus.* Aliquando autem accipitur pro virtute ſpeciali elevante voluntatem ad diligendum Deum ſuper omnia: quæ acceptio plurimum jam invaluit apud Theologos latinos. Et de charitate hoc poſteriori modo conſiderata procedit hoc dubium: nam priori modo acceptam coincidere cum gratia ſanctificante extra controverſiam eſt.

Ioan. 3.

Nota 2.

Ubi obiter animadverte charitatis vocabulum commune eſſe & gratiæ ſanctificanti, qua efficimur diligibiles Deo, & virtuti ſuperadditæ voluntati, qua dilectores Dei conſtituimur; atque utramque acceptionem frequentem eſſe tam in ſacra ſcriptura, quam in SS. Patribus eandem ſcripturam edoctis: & hinc fieri, quod neutra pars in hac difficultate valeat ex Scriptura, & Patribus manifeſte evinci, ut recte obſervavit Suarez *lib.6. cap.12. num.6.* Nam poterit quivis vocabulum *charitas* diverſimodè interpretari, pro diverſis qualitatibus, ut ſua magis refert; niſi oppoſitum conſtet ex contextu, quod haud facilè continget. Poſſunt tamen plurima teſtimonia ad ſuadendam utramque partem probabiliter expendi. Unde Curiel *in præſenti concl.2.* immeritò aſſeruit ſententiam à nobis ſtatuendam (quam & tuetur ipſe,) nullum habere fundamentum in Scriptura, & Patribus: oppoſitum ſatis ex dicendis conſtabit.

Suarez.

Curiel.

Gratia differt à virtutibus.

74. Conſulto autem inquirimus, an gratia ſpecialiter diſtinguatur à charitate: quia communis Theologorum opinio jam docet contra Enricum *quodl.4. quæſt.* 10. gratiam non eſſe idem cum omnibus virtutibus. Et merito quidem: tum quia gratia ſanctificans eſt unus peculiaris habitus in ſpecie atoma conſtitutus, ut modo ſupponimus ex hactenus in hac diſputatione dictis: implicat autem unam ſpeciem identificari ſpeciebus inter ſe diſtinctis, quales ſunt virtutes, ut puta fides, & charitas: ergo non eſt idem realiter cum omnibus illis. Tum etiam quia fides, & ſpes ſeparantur realiter à gratia, ut patet in peccatoribus; & ſimiliter gratia ſeparatur à lumine gloriæ, ut modo contingit in juſtis viatoribus: nequeunt autem realiter ſeparari, niſi quæ differunt realiter: ergo gratia diſtinguitur realiter à pluribus virtutibus. Tum denique quia virtutes ſunt in diverſis ſubjectis quo, ut puta in intellectu, & voluntate: gratia vero, cum ſit quædam ſimplex qualitas, nequit eſſe niſi in unico ſubjecto quo; ergo non identificatur cum omnibus virtutibus.

Motivum Henrici diſpellitur.

Nec refert, ſi objicias cum Enrico: nam ita ſe habet gratia ad animam, ſicut pulchritudo ad corpus: atqui pulchritudo non eſt ſimplex qualitas diſtincta à colore, figura, & proportione membrorum, ſed conſiſtit in horum omnium aggregatione: ergo gratia nihil aliud eſt, quam collectio, ſeu aggregatum virtutum: atque ideo non diſtinguitur ab illis.

Hæc, inquam, objectio nihil refert, ſed laborat in æquivoco: nam ſi gratia uſurpetur pro omni eo, quod animam utcumque exornat; fatemur gratiam complecti omnia chariſmata ſupernaturalia. Hic autem, ut jam ſupra obſervavimus, non conſideramus gratiam in acceptione adeo communi, ſed loquimur de gratia ſpecialiter dicta, quæ videlicet in ſupernaturali ordine habet rationem naturæ, per quam regeneramur in filios Dei. Et ſic accepta non identificatur omnibus virtutibus: ſicut neque in naturalibus forma identificatur qualitatibus, & accidentibus, quibus pulchra fit. Unde ſolum manet difficultas circa virtutem charitatis, cui ob ejus maximam excellentiam plures Theologi attribuunt munus gratiæ ſanctificantis, quin agnoſcant neceſſitatem alterius qualitatis realiter diſtinctæ. Et in hoc ſenſu, & cum hac limitatione procedit dubium.

Gratia diſtinguitur aliquo modo à charitate.

76. In quo etiam præſupponendum eſt cum eiſdem Theologis contra Durandum *in 2. d.26. quæſt.* 1. gratiam ſanctificantem, & charitatem diſtingui aliquo modo, ſaltem ſecundum rationem, & quoad munera. Nam Scriptura, Concilia, & Patres hæc diſtinctis vocibus ſignificant, ut 2. ad Corinth. 13. *Gratia Domini Ieſu Chriſti, & charitas Dei.* Trident. ſeſſ.6. can.11. *Excluſa gratia, & charitate.* Auguſt. libro de bono perſeverantiæ cap. 16. *Gratia prævenit charitatem.* Hæc autem indicant ut minimum diverſa munia ejuſdem formæ; ne dicamus verba ſynonyma, & impertinentia in rebus graviſſimis, & dogmaticis induci: ergo gratia, & Charitas differunt ſaltem ſecundum rationem, & penes diverſa munera. Ad hæc: gratia eſt participatio naturæ divinæ ſub conceptu naturæ: charitas vero eſt participatio voluntatis divinæ ſub conceptu voluntatis, ſeu virtutis ad amandum: atqui ex parte Dei natura, & voluntas diſtinguuntur virtualiter, & quoad munera: ergo multo magis ex parte formæ, quæ dicitur gratia, & charitas: nequit enim reperiri major identitas inter perfectiones creatas participantes rationes divinas, quam inter ipſas rationes increatas, quæ participantur.

2. ad Cor. 13. Trident. Auguſtin.

Durandi fundamentum diruitur.

Sed opponit Durandus: quoniam effectus proprius gratiæ eſt eſſe Deo gratum, & effectus proprius charitatis eſt eſſe Deo charum: atqui eſſe gratum, & eſſe charum alicui, ſunt voces ſynonymæ eandem prorſus rationem objectivam ſignificantes: ergo gratia, & charitas ſunt omnino idem re, & ratione.

Hoc tamen nihil eſt: nam licet grammaticaliter videatur idem ſignificari per eſſe gratum, & eſſe charum; plurimum tamen differunt in præſenti. Gratiæ quippe effectus eſt eſſe Deo gratum, hoc eſt, conſtituere objectum in eſſe amabilis: charitas autem effectus eſt eſſe, ut ſic dicamus, amativum, hoc eſt conſtituere voluntatem proxime potentem ad amandum Deum. Conſtat autem quod eſſe amabile, & eſſe amativum important rationes diverſas, & ſatis differentes habitudines; ſiquidem primum ſignificat conceptum objecti terminantis amorem Dei; & ſecundum exprimit conceptum principij in Deum tendentis: ex quibus illud ſupponitur ad hoc,

juxta

Auguſtin.

juxta illud Auguſtini, *Gratia prævenit charitatem.* Unde gratia, & charitas nequeunt non ſaltem ſecundum rationem, & quoad munera diſtingui. An autem diſtinguantur etiam realiter, quæſtio præſens eſt, quam jam decidimus.

§. II.

Præfertur, & auctoritate roboratur D. Thomæ Sententia.

Concluſio. D. Thom. Cajetan. Conradus. Medina. Zumel. Arauxo. Greg. Mart. Curiel. Gonet. Monteſinos. Capreolus. Hiſpalenſ. Ferrara. Soto. B. Albert. D. Bonavent. D. Antonin. Ægid. Argentinus. Suarez. Valentia. Ripalda. Becanus.

77. Dicendum eſt gratiam, & charitatem diſtingui realiter. Hanc aſſertionem docet, & ex profeſſo probat Divus Thomas *in præſenti art. 3. & in 2. diſt. 26. art. 4. & 6. & quæſt. 27. de veritate, art. 2. lib. 3. contra gentes cap. 150.* & alibi ſæpè. S. Doctori ſubſcribunt ejus diſcipuli Cajet. Conradus, Medina, Zumel, Arauxo, Gregorius Martinez, Curiel, & Monteſinos in præſenti. Capreolus, & Hiſpal. *in 2. d. 26. quæſt. 1.* Ferrara, *3. contra gentes capite 150.* Soto *lib. 2. de natura, & gratia cap. 18.* & alij Thomiſtæ. Quibus etiam conſentiunt B. Alb. *in 2. d. 26. art. 3. & in 3. d. 27. art. 3.* D. Bonavent. *ibidem art. 1. quæſt. 3. & 4.* Divus Antonin. *4. part. tit. 9. cap. 2.* Ægidius *in 2. d. 26. quæſt. 1. art. 2.* ubi Argentinus *art. 1.* Suarez *lib. 6. de eſſentia gratiæ, cap. 12.* Valentia in præſenti, Ripalda *lib. 6. de ente ſupernaturali, diſp. ult. ſect. 4.* Becanus *tom. 2. ſumma tract. 4. cap. 1.* & alij plures.

Fundamentum ab auctoritate. Conc. Vienn. Conc. Trid.

Probatur primo concluſio auctoritate Concilij Vienneſis relati in Clementina 1. de Summa Trinitat. & fide catholica, ubi ſtatuitur *in Baptiſmo infundi parvulis gratiam, & virtutes,* & Tridentini *ſeſſ. 6. cap. 7.* ubi dicitur *juſtificari homines per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.* Conſtat autem charitatem eſſe quandam virtutem, & peculiare donum: ergo ex mente Conciliorum diſtinguitur à gratia, quemadmodum aliæ virtutes, & dona differunt ab ea: atqui diſtinctio inter gratiam, & alias virtutes eſt realis, ut oſtendimus *num. 74.* ergo eadem diſtinctio invenitur inter gratiam, & charitatem.

D. Auguſt.

Eodem modo, ac Concilia, loquuntur Auguſt. *lib. 1. de gratia Chriſti cap. 30.* ubi inquit *in juſtificatione infundi nobis gratiam*, & charitatem, & *libro de ſpiritu, & litter. cap. 32.* inquit: *charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non qua nos diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos: ſicut juſtitia Dei, qua eius munere juſti efficimur; & fides qua fideles nos facit.* Ubi eodem modo comparat charitatem cum juſtitia (quæ eſt gratia ſanctificans) ſicut cum fide, à qua certum eſt realiter diſtingui. Et Catechiſmus Romanus *parte 2. num. 51.* cui titulus eſt, *Gratia divina, quæ Baptiſmo infunditur, adduntur veluti pediſſequæ virtutes, & ſtatim ſubdit: Huic autem additur nobiliſſimus virtutum comitatus, quæ in anima cum gratia divinitus infunditur.*

Quorundam interpretatio refellitur.

78. Nec ſatisfacit aliquorum interpretatio aſſerentium Concilia non diſtinguere gratiam ab omnibus virtutibus, & donis infuſis: ſed nomine gratiæ ſignificare præcipuum habitum ſupernaturalem, qui eſt charitas, eumque ſecernere à Fide, Spe, & cæteris virtutibus.

Hæc, inquam, expoſitio non ſatisfacit: tum quia eſt voluntaria, & cui non præbent fundamentum ipſa Concilia. Tum etiam quia jam fatetur virtutes diſtingui à gratia: ergo vel charitas non eſt virtus, quod eſt abſurdum; vel debet à gratia, ſicut aliæ virtutes, differre: ridiculum enim eſt, quod præcipua virtus non comprehendatur ſub voce virtutum. Tum etiam quia prædicta interpretatio nequit congruere auctoritati Auguſtini, qui expreſſe loquitur de charitate. Tum denique, quia non eſt veriſimile, quod Concilia, & Patres in re dogmatica eandem rem diverſis nominibus ſignificent cum inutili repetitione. Tum denique quia Concilium Moguntinum *cap. 7.* de juſtificatione deſtruit prædictam evaſionem, dum expreſſe diſtinguit gratiam à charitate, ſicut à fide, & ſpe: ita enim habet, *Cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & per ſpiritum ſanctum una cum fide ſimul charitatem in corde diffuſam, ac ſpem accipit.* Et quamvis libenter fateamur Concilia non intendiſſe aſſertionem noſtram diffinire; ſatis tamen eſt, quod in ſuis locutionibus magis illi faveant, dum eam ſupponunt, eique conformantur: hoc quippe magnam probabilitatem ipſi conciliat. Sed quia teſtimonia evidenter non ſuadent, ideo. Conc. Mog.

§. III.

Probatur Concluſio ratione D. Thomæ.

79. Fundamentum præcipuum noſtræ aſſertionis proponitur à Divo Thoma in præſenti, poteſtque ad hanc formam reduci: quoniam virtus ſupernaturalis ſupponit realiter naturam ejuſdem ordinis: ſed charitas eſt virtus ſupernaturalis, & gratia ſe habet ut natura in eodem ordine: ergo charitas ſupponit realiter gratiam: ergo differt realiter ab illa. Prima conſequentia liquet ex præmiſſis: ſecunda vero legitime infertur ex prima: nam prioritas, & ordo realis petit diſtinctionem realem inter extrema. Minor vero quoad primam partem conceditur ab Adverſariis, & quoad ſecundam manet probata ex dictis *dub. 3. cum ſeq.* Major autem probatur tum auctoritate Philoſophi 7. Phyſic. text. 17. *Virtus eſt quædam diſpoſitio perfecti: dico autem perfectum, quod eſt diſpoſitum ſecundum naturam:* ergo virtus ſupernaturalis perficit, & diſponit ſubjectum conformiter ad naturam ejuſdem ordinis, quam proinde ſupponere debet. Tum inductione facta in virtutibus humanis, vel Angelicis: omnes enim ſupponunt realiter naturam hominis, vel Angeli: ergo pariter virtutes ordinis divini ſupponunt realiter naturam divinam participatam in nobis. Tum etiam ratione, quia virtus diſponit ſubjectum in ordine ad operationes ipſi convenientes, & proportionatas: ſed hæc proportio & convenientia attenditur per reſpectum ad naturam ipſius ſubjecti: hac quippe habitudine ſecluſa, nequit ulla porportio, & convenientia ſubſiſtere: ergo virtus ſupernaturalis debet ſupponere aliquam naturam, cui operationes ſupernaturales, ad quas diſponit, ſint proportionatæ, & convenientes: atqui hujuſmodi natura non eſt ſola natura humana ſecundum ſe; huic enim non ſunt connaturales operationes divinæ: ergo eſt aliqua altior natura elevans hominem ad conſortium naturæ Dei: atque ideo virtus ſupernaturalis debet hanc naturam ordinis divini realiter ſupponere.

Ratio ex D. Thom. Ariſtoteles.

Confirmatur primo: quia quilibet appetitus conſequitur aliquam formam, ſeu naturam ut docet D. Thomas *1. p. quæſt. 19. art. 1.* ſed virtus affectiva ſupernaturalis, qualis eſt charitas, eſt quidam appetitus: ergo conſequitur aliquam formam; hujuſmodi autem forma ad quam conſequitur,

Confirmatur primo. D. Thom.

Digitized by Google

quitur, non eſt natura humana ſecundum ſe, ſiquidem charitas non appetit bonum conſonum humanæ naturæ ſecundum ſe ſumptæ: ergo prædicta forma eſt gratia ſanctificans elevans hominem ad conſortium naturæ divinæ: atque ideo charitas ſupponit realiter gratiam. Quam rationem proponit eleganter D. Thom. *in 2. ad Ambald. d. 26. quæſt. 1. art. 2.* in corpore his verbis: *Cum charitas quamdam inclinationem appetitus in bonum ſupernaturale importet, quæ quidem inclinatio non proportionatur ad eſſe naturæ; oportet, quod aliquod ſpirituale eſſe præintelligatur in anima ante charitatem, per quod homo ſit divinitatis particeps: ſic enim appetitus ejus poterit per charitatem tendere in divina, & per alias virtutes ea quæ Dei ſunt, operari; unde ſicut eſſe naturale præcedit inclinationem naturalis appetitus ex viribus naturalibus: ita gratia charitatem, & alias virtutes.*

Idem.

Confirmatur Secundo. Confirmatur ſecundo: &c. nam in ordine naturali diſtinguuntur hæc tria, nempe, natura, inclinatio, & motus, ut docet D. Thom. *quæſt. 27. de verit. art. 2.* ſicut in lapide aliud eſt natura, aliud gravitas ſeu inclinatio ad centrum, & aliud motus ad ipſum: ergo pariter in ordine ſupernaturali diſtinguenda eſt gratia, qua habet rationem naturæ, & charitas, quæ inclinat ad bonum Dei, & amor quo movemur in ipſum. Conſtat autem quod in naturalibus inclinatio, & motus ſupponent naturam: ergo pariter in ordine divino per participationem. Quæ ratio, & confirmationes deſumuntur ex D. Dionyſ. *in 2. cap. cæleſtis Hierar.* ubi dicit, *quod non poteſt aliquis habere ſpiritualem operationem, niſi prius eſſe ſpirituale accipiat: ſicut neque operationem alicuius naturæ, niſi prius habeat eſſe in natura illa, ut refert.* D. Thom. loco proxime cit.

D. Dionyſ.

Effugium. 80. Nec hujus argumenti robur infringes, ſi reſpondeas primo virtutes naturales (idemque eſt de appetitu, & inclinatione) ideo ſupponere naturam, quia cum ſint accidentia, debent præſupponere ſubjectum, atque ideo naturam illud conſtituens. Virtus autem ſupernaturalis jam præſupponit ſubjectum, nempe ſubſtantiam creatam: & ideo non prærequirit aliam naturam præter naturam ipſius ſubjecti, quam ornat, & ad cujus pulchritudinem per operationes ſupernaturales diſponit. Id quod ſatis apparet in fide, & ſpe, quæ poſſunt homini communicari, licet nullam aliam naturam, quam hominis, præſupponant, ut patet in peccatore fideli. Ita Durandus, Eſtius, & alij.

Durandus.

Præcluditur. Hoc, inquam, non ſatisfacit, ſed facile refellitur. Tum quia virtus debet præſupponere naturam non ob ſolam conditionem generalem accidentis; ſed etiam ob ſpecialem rationem ipſius virtutis, videlicet quia diſponit ad operationes proprias, & conſonas ipſi naturæ: & propterea diverſarum naturarum diverſæ ſunt virtutes: atqui operationes ſupernaturales, ad quas ſupernaturales virtutes diſponunt, non ſunt propriæ, & connaturales naturæ humanæ ſecundum ſe: ergo debent ſupponere aliquam naturam ſuperiorem, quæ humanam naturam elevet ad ordinem divinum. Tum etiam quia cum virtus ſit diſpoſitio perfecti, & quodammodo habeat rationem ultimi; debet ſupponere ſubjectum non utcumque, ſed conſtitutum in eſſe, & ſtatu ejuſdem ordinis cum virtute, ut vidimus ex D. Dionyſio: atqui ſubſtantia creata non habet ex ſe eſſe, & ſtatum ejuſdem ordinis cum virtute ſupernaturali: ergo debet illi adjungi aliqua forma ſuperior ipſam elevans ad ordinem divinum: quæ forma eſt gratia ſanctificans. Cujus oppoſitum non evincitur exemplo fidei, & ſpei exiſtentium in peccatore: quoniam licet prædicti habitus queant per accidens ob indiſpoſitionem ſubjecti ſeparari à gratia (quo pacto non habent ſtatum virtutis) nihilominus ſemper ex ſe poſtulant naturam ordinis divini, videlicet gratiam ſanctificantem, illamque, quantum eſt de ſe, connaturaliter præſupponunt, tanquam primam radicem ſui ordinis, & abſque illa quaſi manci, & defectuoſi manent, ut optime obſervavit Ferrara *3. contra gent. capite 53.* Quod ſatis eſt ad robur noſtræ rationis. Sicut etiam virtutes naturales, & alia accidentia, ut puta quantitas, & color, ſupponunt per ſe aliquam naturam realiter à ſe diſtinctam; licet divinitus ab ea ſeparari poſſint. Ferrata.

Alia evaſio. 81. Nec refert, ſi cum aliis auctoribus reſpondeas prædictam rationem ſolum evincere, quod virtus ſupernaturalis ſupponat naturam ejuſdem ordinis; minime vero quod realiter differat ab illa, ſed ſolum virtualiter, & quoad munera. Poteſt enim una, & eadem qualitas utrumque munus obire; cum utrumque ſit accidentale, & valeat in forma eminenti, qualis eſt charitas, adunari. In naturalibus vero ideo natura differt realiter à virtute, quia illa eſt ſubſtantia, & hæc accidens: cujus oppoſitum hic contingit.

Confutatur. Hoc, inquam, non refert: quia forma, quæ in ordine ſupernaturali habet rationem naturæ, licet ſit accidens; debet tamen eſſe communis radix eorum, quæ ſpectant ad talem ordinem, & tendere mediis virtutibus in omnia illarum objecta, atque ideo debet ad omnes præſupponi: ſicut in naturalibus natura comparatur ad potentias: quod ſatis liquet ex dictis *dub. 3.* ubi id ex profeſſo oſtendimus. Atqui nulla virtus poteſt ſic comparari ad cæteras alias virtutes; ſiquidem nulla eſt communis earum radix, nec verſatur circa omnia objecta, ſed determinatur ad objectum ſpeciale, ut patet in ipſa charitate, de qua agimus: ergo forma, quæ habet rationem naturæ in ordine ſupernaturali, ita ſupponitur ad virtutes hujus ordinis, ut cum nulla identificetur. Id quod poteſt in omnibus aliis virtutibus præter charitatem oſtendi: nulla quippe eſt, quæ à gratia non diſtinguatur, ut ipſi adverſarij concedunt. Unde inconſequenter loquuntur, cum id denegant charitati.

Præterea, in quocunque ordine, in quo reperitur virtus cognoſcitiva, & virtus appetitiva, intimior eſt illa naturæ, quam hæc: eo quod vis cognoſcitiva ſupponitur ad affectivam, ſicut cognitio ad amorem: ſed virtus cognoſcitiva ordinis ſupernaturalis ita ſupponit naturam hujus ordinis participatam per gratiam ſanctificantem, quod ab ea realiter diſtinguitur: ergo idem à fortiori de virtute affectiva, qualis eſt charitas, dicendum eſt. Cætera conſtant, & minor conſtat tam in fide, quæ eſt virtus cognoſcitiva viæ, quam in lumine gloriæ, quod eſt virtus cognoſcitiva patriæ: & utraque virtus diſtinguitur à natura, ſeu gratia ſanctificante, quam ſupponit.

Ad hæc: virtus appetitiva nequit conjungi, aut identificari cum natura, niſi media virtute cognoſcitiva; ſicut nec amor poteſt dici, niſi prævia cognitione: ſed charitas diſtinguitur realiter à virtute cognoſcitiva, quam ſupponit, & hæc ulterius differt realiter à gratia ſanctificante, quæ habet rationem naturæ: ergo de primo ad ultimum charitas & ſupponit realiter gratiam, & ab ea realiter differt.

§. IV. *Roba*

Digitized by Google

§. IV.

Roboratur eadem doctrina alio argumento.

Alia ratio ex D. Thom. 82. SEcundo probatur concluſio alia ratione deſumpta ex D. Thoma *loco citato*, quæ poteſt ſic formari: quoniam forma quæ ordinatur per ſe primo ad eſſe, diſtinguitur realiter à virtute, quæ ordinatur per ſe primo ad operari: ſed gratia ſanctificans ordinatur per ſe primo ad eſſe; charitas vero ordinatur per ſe primo ad operari: ergo gratia diſtinguitur realiter à charitate. Conſequentia eſt legitima. Majorem late oſtendunt N. Complut. *in lib. Phyſic. diſp.* 10. *quæſt.* 4. ut probent nullam ſubſtantiam creatam eſſe immediate operativam: quod nunc à nobis citra controverſiam ſupponitur. Minor quoad utramque partem ſuadetur: tum quia ita ſe habent eſſe, & operari in ordine ſupernaturali, ſicut eſſe, & operari in ordine naturali: ergo ſicut eſſe, & operari in ordine naturali ſunt actus per ſe primo intenti in hoc ordine; & ideo unus reſpicitur per ſe primo à ſubſtantia, & alius à virtute immediate operativa: ita eſſe, & operari ordinis ſupernaturalis debent intendi per ſe primo in hoc ordine, ita quod unum reſpiciatur per ſe primo à gratia, & aliud à charitate, & cæteris virtutibus.

Confirmatur. Confirmatur, & expenditur amplius hæc ratio: quia aliqua forma ſupernaturalis debet immediate afficere ſubſtantiam animæ in ſe ipſa, eam ſupernaturalizando, & conſtituendo in eſſe, atque ordine divino; quam formam appellamus gratiam ſanctificantem, ut conſtat ex dictis *dub.* 3. Deinde alia forma debet immediate afficere voluntatem, ipſam elevando, & conſtituendo proxime potentem ad eliciendum amorem Dei ſuper omnia: quam formam vocamus charitatem, ut ipſi adverſarij fatentur. In hoc quippe nulla repugnantia apparet, ſed potius ordo, & maxima congruentia: nam participatio immediata naturæ divinæ, qualis eſt gratia, debet immediate afficere naturam creatam, quam per ſe primo elevat: & participatio immediata voluntatis divinæ, qualis eſt charitas, debet immediate afficere voluntatem creatam, quam per ſe primo confortat. Atqui anima, & voluntas realiter differunt, ut modo ſupponimus ex vera Philoſophia: ergo gratia, & charitas realiter diſtinguuntur. Patet conſequentia: nam eadem indiviſibilis perfectio nequit immediate afficere ſubjecta realiter diverſa.

Reſponſio ex Durando. 83. Reſpondebis cum Durando *in* 2. *d.* 26. *q.* 1. *n.* 5. rationem noſtram recte probare in natura, quæ eſt ſubſtantia, & proinde nequit ſpeciem capere ab operatione, quæ eſt accidens; ſed adæquate ſpecificatur intra ſuum genus. Minime vero ſuadere in natura accidentali: hæc quippe optime valet tam eſſe, accidentale, quam operationem immediate, & per ſe primo reſpicere, ut patet in calore, qui conſtituit ſubjectum in eſſe calidi, & in ratione calefactivi, dat enim & eſſe aliquod accidentale, & virtutem ad calefaciendum. Quare cum gratia ſit forma, & natura accidentalis; poterit ſimul præſtare ſubjecto & eſſe ſupernaturale, & vim proximam ad agendum in hoc ordine.

Refellitur. Sed contra eſt primo: nam hæc evaſio non enervat vim confirmationis nuper factæ, ut conſideranti conſtabit. Secundo: quoniam licet eſſe, & operari poſſint ab eadem forma accidentali reſpici, quando unum reſpicitur per ſe primo, & aliud per ſe ſecundo, & cum ſubordinatione ad aliud, ut contingit in calore, qui per ſe primo reſpicit operationem; inexiſtentiam vero reſpicit ſecundario, quatenus videlicet deſervit, & ſubordinatur operationi: nihilominus ſi eſſe, & operari reſpiciantur per ſe primo, nequeunt reſpici ab eadem forma, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis ſit. Et ratio differentiæ eſt: quoniam eſſe, & operari inſpecta cum ſubordinatione unius ad aliud non ſunt plura ſpecificativa, ſed unum: & ideo ſufficienter attinguntur per eandem formam, ſeu virtutem. Quando vero reſpiciuntur per ſe primo, conſtituunt plura ſpecificativa adæquata; & propterea transfundunt diverſas ſpecies, & diverſificant formas, à quibus inſpiciuntur. Unde ſicut in creatis eſſe, & operari realiter differunt: ita oportet, quod forma reſpiciens per ſe primo eſſe diſtinguatur realiter à forma, quæ reſpicit per ſe primo operationem. Gratia autem, & charitas ita comparantur inter ſe, quod gratia ordinatur per ſe primo ad eſſe ſupernaturale; cum ſit participatio eſſentiæ Dei ſub conceptu naturæ: charitas autem ordinatur per ſe primo ad operationem ſupernaturalem; cum ſit participatio voluntatis Dei ſub conceptu virtutis. Quamobrem opus eſt, ut gratia à charitate realiter diſtinguatur.

84. Dices hæc, ſi quid probant, evincere, quod nec per reſpectum ad divinam potentiam, valeat dari qualitas, quæ ſimul eminenter habeat rationem gratiæ ſanctificantis, & charitatis: hoc autem non eſt denegandum divinæ virtuti: ergo prædictæ rationes, utpote probantes plus quam oportet, parvi faciendæ ſunt. *Objectio*

Solvitur. Reſpondent Curiel, & Ripalda *locis cit.* negando ſequelam: quia exiſtimant hactenus dicta ſolum procedere juxta ſuavem rerum providentiam exigentem diverſas qualitates, ut effectus gratiæ, & charitatis connaturalius præbeantur. Nos autem concedimus ſequelam, & negamus minorem: quia rationibus ſuperius factis adeo convincimur, ut exiſtimemus eas concludere implicantiam prædictæ formæ per reſpectum ad quamcumque potentiam. Quibus accedit prædictam formam vel recipiendam eſſe in ſola eſſentia, vel in ſola voluntate: utrumque enim eſt impoſſibile, ſicut quod eſſentia, & voluntas ſint idem. Si primum, non eſſet virtus immediate operativa, nec gereret officium charitatis, cujus eſt alleviare voluntatem ad amorem. Si ſecundum; non communicaret eſſe ſupernaturale, nec eſſet radix virtutum exiſtentium tam in intellectu, quam in voluntate; & conſequenter non exerceret officium naturæ, & gratiæ ſanctificantis, ad quam ſpectat hæc munia præſtare. Præſertim quia ſi forma habens rationem naturæ poſſet ſibi identificare rationem virtutis appetitivæ, pariter, imo à fortiori poſſet identificare munus virtutis cognoſcitivæ: & conſequenter ſimul eſſet cognoſcitiva, & appetitiva. Quod licet Ripalda non renuat, admittens poſſibilitatem virtutis, quæ ſimul foret charitas, fides, prudentia, lumen gloriæ, &c. adeo tamen falſum apparet, ut apud Philoſophos ſine impugnatione corruat.

85. Ex dictis manent deciſæ aliæ difficultates, quas ſolent alij ſingillatim hic pertractare. *Prima* eſt, quodnam ſit ſubjectum gratiæ habitualis? Conſtat enim eſſe ipſam ſubſtantiam animæ, ut ex profeſſo docet D. Thom. *in hac quæſt. art.* 4. Oppoſitum docuit D. Bonavent. *loco ſuperius cit.* qui licet nobiſcum gratiam à charitate diſtinguat, nihilominus docet utramque immediate inhærere voluntati. In quo tamen ut inquit Suar. *num.* 13. minus conſequenter loquitur: nam ſi gratia ſe *Incidentes quæſtion. decidantur.* *D. Thom.* *D. Bonavent.* *Suarez.*

Digitized by Google

habet ut natura diſtincta à virtutibus, debet in natura ſubſtantiali recipi, ſicut illæ recipiuntur in potentiis. Videatur Gregor. Mart. *art.* 4. *dub.* 1. ubi pluribus hanc partem confirmat. Secunda eſt, utrum diſtinctio realis inter gratiam, & charitatem ſit entitativa, vel formalis? Rationes enim ſuperius factæ ſatis perſuadent eſſe entitativam; cum inveniatur inter entia completa, & exiſtentia in ſubjectis realiter diverſis. Et ita docent communiter Auctores *num.* 77. relati contra Albertum, & quoſdam alios, qui oppoſitum affirmant.

Greg. Mart.

§. V.

Sententia negativa proponitur.

Opinio contraria. Magiſter. Alexander. Scotus. Durandus. Richardus. Gabriël. Macor. Eſtius. Marſel. Baſſolis. Nominales. Bellarminus. Vega. Gaſpard Caſ. Coninchus. Leſſius.

86. Oppoſitam nobis opinionem tuentur Magiſter ſent. *in* 2. *d.* 26. Alexander 3. *p. q.* 62. *vel* 69. *memb.* 2. *art.* 4. Scotus *diſtinct. cit. unica.* Durandus *quæſt.* 1. Richard. *art.* 1. *q.* 4. Gabriel *art.* 2. *concl.* 4. Macor. *quæſt.* 1. Eſtius §. 4. Marſel. *q.* 17. *art.* 1. Baſſolis *diſt.* 28. *qu.* 1. & alij Nominales. Quibus ex recentioribus adhærent Bellarm. *lib.* 1. *de gratia cap.* 6. Vega *lib.* 7. *in Trident. cap.* 25. Gaſpar Caſſalius *lib.* 1. *de quadripartita juſtitia.* Coninchus *diſp.* 21. *de charit. dub.* 2. Leſſius *lib.* 2. *de perfect. divina num.* 76. & alij.

Primum motivum.

Probatur auctoritate ſimul, & ratione ſub hac forma conjunctis: quoniam gratia, & charitas habent eoſdem realiter effectus: ergo ſunt eadem realiter forma. Conſequentia patet. Antecedens autem ſuadetur: nam Scriptura, Concilia, & Patres attribuunt charitati, quidquid nos attribuimus gratiæ ſanctificanti: hæc igitur, & illa habent eoſdem realiter effectus. Quod ſic ex profeſſo oſtenditur: primò gratiæ ſanctificanti attribuitur regenerare nos in filios Dei: & idem de charitate dicitur 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus.* Et Matth. 5. *diligite inimicos veſtros, ut ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Secundo gratiæ attribuitur remittere peccata: & idem dicitur de Charitate Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tertio gratiæ attribuitur conjungere nos ſpecialiter cum Deo: & id ipſum de charitate dicitur 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quarto gratiæ attribuitur facere nos diligibiles Deo: quod etiam charitati convenit, Sap. 8. *Ego diligentes me diligo.* Quinto gratiæ attribuitur ſanctificare homines: & id ipſum præſtat charitas, ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo, ut eſſemus ſancti, & electi in conſpectu ejus in charitate.* Sexto gratiæ attribuitur eſſe principium, & radicem omnis juſtitiæ: & hoc etiam convenit charitati, ad Rom. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio.* & 1. ad Corinth. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat.* Et propterea charitas dicitur à Theologis forma omnium virtutum, & Auguſt. tom. 10. ſerm. 1. in Domin. 2. poſt Epiph. inquit: *Sicut radix omnium malorum eſt cupiditas: ita radix omnium bonorum eſt charitas.* Tandem gratiæ attribuitur eſſe perfectiſſimum Dei donum: & hæc excellentia eſt propria Charitatis, ad Coloſſ. 3. *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Et 1. ad Corinthios 13. ita anteponitur aliis donis, ut aſſerat Apoſtolus *ea nihil eſſe, niſi adſit charitas.* Omnia ergo, quæ nos attribuimus gratiæ, attribuit ſacra pagina charitati.

1. Ioan. 3. Matth. 5. Luc. 7. 1. Joan 4. Sap. 8. Ad Epheſ. 1. Ad Rom. 13. 1. ad Cor. Auguſtin. Ad Coloſ. 3. 1. ad Cor. 13.

Confirmatur Primo. Conc. Trid.

Confirmatur primo auctoritate Concilij Tridentini *ſeſſ.* 6. *capite* 7. ubi poſtquam contra Lutheranos determinavit juſtificationem noſtram fieri per aliquid intrinſecum, ſtatim declarat id fieri, *cum per Spiritum charitas diffunderetur in cordibus eorum, qui juſtificantur*, nullam mentionem faciens alterius formæ à charitate diverſæ: ergo vel Concilium diminute proceſſit, quod dici nequit; vel gratia ſanctificans, & charitas ſunt eadem forma. Quod ſatis exprimit Concilium *can.* 11. his verbis: *Si quis dixerit homines juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat*, &c. Non enim dixit, excluſis gratia, & charitate, quæ diffundantur, & inhæreant, ſed dixit in ſingulari, excluſa gratia, & charitate, quæ diffundatur, & inhæreat: qua loquendi phraſi ſatis indicat ſe minime loqui de gratia, & charitate, ut de habitibus realiter diverſis, ſed tanquam de unica ſimplici qualitate, quæ ob diverſa munera diverſis nominibus inſignitur. Et tandem *cap.* 10. explicans, qualiter noſtra juſtitia, ſeu gratia augeatur, inquit: *Hoc vero juſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cum orat, Da nobis Domine fidei, & charitatis augmentum.* Ubi cum nullam aliam tertiam formam adducat, ſatis exprimit juſtitiam ſeu gratiam in tribus adæquate conſiſtere, videlicet in charitate per ſe, & in aliis ut informatis per charitatem.

Confirmatur ſecundo. D. Auguſt.

Confirmatur ſecundo auctoritate D. Auguſtini *lib. de natura, & gratia, capite ultimo*, ubi ait: *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt; charitas provecta, provecta juſtitia eſt; charitas magna, magna juſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* Et paulo poſt ſubdit: *Ipſa eſt gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Et *capite* 42. dixerat: *Charitas eſt veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaque juſtitia.* Et *tract.* 5. *in epiſtola* 1. *Ioann. Charitas*, inquit, *eſt quæ ſeparat inter filios Dei, & filios perditionis.* Et *tractatu* 32. *in Ioann.* circa finem ait: *His omnibus tam magnis rebus prepoſuit charitatem* & *libro* 15. *de Trinitate capite* 18. aſſerit, *Nullum eſſe iſto Dei dono excellentius*, nempè charitate. Et *concione* 1. *in Pſalm.* 113. inquit: *Nihil eminentius in Scriptura ſacra inveniri poteſt, quam charitas.* Si autem gratia eſſet forma diſtincta realiter à charitate, ipſam perfectione antecelleret, ut ex ſe liquet. Quæ teſtimonia adeo efficacia viſa ſunt Benedicto Pereira *capite* 5. *ad Roman. diſp.* 2. ut licet magis probet ſententiam D. Thomæ aſſerat tamen oppoſitum opinionem eſſe Auguſtini. Videantur alia teſtimonia SS. Patrum apud Suarez *ubi ſuprà num.* 5. & Araujo *num.* 26.

Occurritur argumento.

87. Ad argumentum reſpondetur negando antecedens. Ad cujus probationem, ut reſpondeamus, recolenda ſunt ea, quæ ſupra *num.* 73. præmiſimus, videlicet nomen charitatis in uſu Scripturæ commune eſſe, & indifferenter attribui tam illi qualitati, quæ habet rationem naturæ, & vocatur gratia ſanctificans, quam alteri qualitati, quæ eſt virtus voluntatis, & charitas appellatur. Unde quoties Scriptura deprædicat excellentias charitatis, interpretanda eſt juxta ſubjectam materiam: nam excellentias proprias virtutis operativæ attribuit charitati, quæ eſt habitus voluntatis: alias vero proprias naturæ, ut puta regenerare, & eſſe radicem virtutum, attribuit charitati, quæ eſt qualitas afficiens immediate

Digitized by Google

mediate ſubſtantiam animæ: quamvis utraque perfectio eadem voce ſignificetur. Et hoc ſatis ſuperque erat ad diluendum robur omnium auctoritatum, quin obligaremur illas ſigillatim exponere. Adde Scripturam attribuere charitati excellentias proprias gratiæ ſanctificantis, non quidem in ſenſu formali, ſed ſolum concomitanter ob naturalem nexum inter utramque. Aliter tamen, & aliter hujuſmodi excellentiæ gratiæ, & charitati conveniunt: nam gratiæ attribuuntur ut naturæ; charitati vero principio proximo, per quod gratia ſe maxime explicat in actus excellentiſſimos viæ, & per quos homo diſponitur ad effectus proprios gratiæ.

Teſtimonia in argumento allata explicantur.

Ex quibus haud arduum eſt ſingulas auctoritates exponere; Nam prima vel (quod veriſſimilius apparet) interpretanda eſt de gratia ſanctificante, quæ illo loco inſignitur nomine charitatis: vel ſolum ſignificat charitatem, quæ eſt virtus, diſponere, ut filij Dei efficiamur per gratiam: ſicut proprietates diſponunt, ut homo conſtituatur in eſſe naturali per formam. Et hoc pacto eſt à fortiori intelligendum illud teſtimonium Matthæi; procedit enim de charitate, ſeu amore actuali, qui in omnium ſententia differt à gratia ſanctificante. *Secunda* etiam auctoritas loquitur de dilectione actuali, quæ ſolum remittit peccatum diſpoſitive, præparando ſcilicet ad gratiam, quæ illud deſtruit formaliter. *Tertia* & *quarta* reddunt præciſe ſenſum concomitantem ob inſeparabilitatem inter charitatem, & gratiam: nam qui habet charitatem, & manet in Deo, & diligitur ab illo: ſed hoc non excludit conſortium alterius formæ, quam gratiam appellamus. *Quinta* ſimiliter exponi debet: nam charitas ſanctificat ſolum diſpoſitive; gratia vero formaliter: hæc ut natura, illa ut proprietas. Alia teſtimonia ſexto loco relata minime docent charitatem eſſe communem radicem omnium virtutum: præſertim cum primum teſtimonium, & auctoritas Auguſtini loquantur de charitate actuali: ſed ſolum tradunt charitatem eſſe complementum, & perfectionem virtutum, videlicet per directionem proximam in ordine ad ultimum finem. Ex quo tamen minime evincitur quod ſit natura, vel gratia; ſed magis infertur oppoſitum. Denique Paulus locis ultimo relatis nunquam fecit comparationem inter charitatem, & gratiam: ſed comparavit opera charitatis operibus aliarum virtutum, ut eorum excellentiam oſtenderet, ad illaque magis alliceret; aſſerens nihil prodeſſe, niſi ex imperio, & directione charitatis ordinentur in ultimum finem. Quod, & non aliud ibi prædicat, ut ex ipſo contextu liquet.

Prima confirmatio diluitur.

Ad primam confirmationem reſpondemus Concilium Tridentinum nihil circa hanc difficultatem determinaſſe, *ſed ita loqui voluiſſe* (quod ex adverſariis ultroneus fatetur Bellarminus cap. 7.) *ut indefinitam relinqueret quæſtionem ſcholaſticam de diſtinctione gratiæ à charitate, & ſolum definiret, quod ab hæreticis negabatur, nos juſtificari per aliquid re ipſa in anima inhærens: ea ſiquidem cauſa fuit, ut Tridentinum Concilium nunc gratiam, & charitatem, nunc ſolam charitatem nominaret.* Neque ex allatis teſtimoniis colligitur, (ut Adverſarij intendunt) quod Concilium in modo loquendi magis faveat eorum ſententiæ: contrarium enim ſatis oſtendimus *num. 77.* Unde ad primum reſpondetur in ipſo ſatis exprimi formam unicam juſtificationis condiſtinctam à virtutibus: ſic enim habet ante verba nobis oppoſita: *Unica formalis cauſa noſtræ juſtificationis eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit*: & ita non diminute proceſſit. Cum verò docet hanc juſtificationem fieri dum *charitas*, &c. illa particula *dum* in rigore non identitatem, ſed ſolam concomitantiam, & connexionem ſignificat: & ita ſolum exprimunt cauſalitatem diſpoſitivam. Secundum teſtimonium minus adhuc premit, quia licet in eo gratia, & charitas nominentur in ſingulari; tamen in aliis nominantur in plurali, & tanquam diverſa extrema ejuſdem copulative, ut ſupra vidimus *num. 77.* Quod caute fecit Concilium ob rationem proxime tactam. Unde nihil poteſt ex vi hujus efficaciter evinci. Ultimum, ſi quid probaret, ſuaderet gratiam ſanctificantem non diſtingui à fide, & ſpe, ſicut neque à charitate: eodem quippe modo loquitur de omnibus his habitibus. Quod cum falſum ſit, certum debet eſſe ſolum facere ſenſum concomitantem, abſtrahendo à quæſtione ſcholaſtica de diſtinctione gratiæ à virtute.

Ad ſecundam confirmationem reſpondemus Pereiram immerito annumeraſſe D. Auguſt. opinioni nobis adverſæ: nihil enim continent relata teſtimonia, quo obligemur ad id aſſerendum. *Secunda diluitur.* Nam S. Doctor phraſim Scripturæ edoctus ſolet gratiam ſanctificantem charitatis voce inſignire, vel ob naturalem nexum inter utramque; vel quia charitas ex primæva inſtitutione gratiam ſonat, licet Theologorum uſus prædictam vocem habitus elevanti voluntatem peculiariter arrogaverit. Et hoc pacto poſſent omnes relatæ auctoritates interpretari de gratia ſanctificante. Sed veroſimilius eſt, & textui magis inhærens, quod S. Doctor non loquatur de aliquo dono habituali; ſed de amore actuali charitatis, quem certum eſt à gratia ſanctificante diſtingui. Comparat autem Auguſt. prædictum amorem, non cum gratia, & aliis donis habitualibus; ſed cum aliis operibus virtutum, quibus ipſum longiſſime præponit, ut ſupra interpretabamur auctoritates Apoſtoli. Unde non oportet ad ſingulas reſpondere. Videatur Suarius *l. b. 7. cap. 8. num. 37.*

§. VI.

Reliqua ejuſdem opinionis argumenta diluuntur.

88. Secundo arguitur: quia fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora: ſed effectus gratiæ, & charitatis poſſunt præſtari per eandem formam: ergo fruſtra multiplicantur qualitates realiter diverſæ. *Secundum argumentum.* Probatur minor: quia idem calor verbi gratia poteſt tribuere eſſe calidum, & eſſe calefactivum: ergo pariter eadem forma ſupernaturalis poteſt conſtituere hominem Deo gratum, qui eſt effectus proprius gratiæ, & conſtituere Dei dilectorem, qui eſt effectus charitatis. Præſertim quia ea, quæ in inferioribus ſunt diſperſa, ſunt in ſuperioribus unita: ergo ſi forma ordinis inferioris, qualis eſt calor, præſtat illos effectus, aptius illos præſtabit forma ordinis divini, qualis eſt gratia, vel charitas.

Confirmatur primo: quia tota ratio aſſerendi neceſſitatem gratiæ ſanctificantis ſumitur ab operatione: ſi enim non darentur operationes ſupernaturales, nobiſque innoteſcerent; nullum motivum haberemus ad excogitandam, & prædicandam hujuſmodi gratiam: ſed ad eliciendas operationes ſupernaturales ſufficiunt virtutes: ergo nulla eſt ratio, vel neceſſitas ponendi *Confirmatur primo.*

Digitized by Google

gratiam à virtutibus, & præcipuè à charitate realiter diſtinctam.

Secundo. Confirmatur ſecundo, & ſimul præcluditur reſponſio, quæ poſſet præcedenti confirmationi adhiberi: nam ſi ob aliquam rationem requireretur gratia ſanctificans, maxime ad conſtituendum hominem Deo gratum, & acceptum, & ſimpliciter bonum: ſed ad hæc omnia ſufficit charitas: ergo non requiritur gratia ſanctificans à charitate realiter diverſa. Suadetur minor: nam de ratione virtutis eſt facere bonum habentem: ſed charitas eſt ſimpliciter perfectiſſima inter virtutes: ergo facit hominem ſimpliciter bonum, perindeque Deo gratum, & acceptum. Aliunde etiam eſſentialiter habet eſſe mutuam amicitiam inter Deum, & hominem, ut ſatis aperte docet Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 23. *artic.* 1. ergo ſecluſis aliis formis, & donis, ſi homo retineret charitatem, maneret adhuc in amicitia divina, & conſequenter Deo gratus, & acceptus: ſuperfluit igitur alia forma à charitate diſtincta. D. Thom.

Ad argumentum. Reſpondetur argumento negando minorem: nam ſatis ſuperque à nobis oſtenſum eſt effectus proprios gratiæ ſanctificantis, & charitatis non poſſe ab unica indiviſibili forma communicari: nec oppoſitum ſuaderi exemplo caloris, quod jam diluimus *numero* 83. Ratio autem naturæ ordinatæ per ſe primo ad eſſe, & ratio virtutis immediate operativæ, quæ in inferioribus diſtinguntur, nequeunt identificari niſi in forma ſuperiori, in qua eſſe, & operari ſint idem: cujuſmodi eſt ſola ſubſtantia divina, & non aliqua forma creata.

Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem dicendum, quod licet ſecluſis operationibus ſupernaturalibus non poſſemus venire in notitiam gratiæ ſanctificantis; id tamen minime contingeret ex eo, quod gratia ordinetur per ſe primo ad operandum, ſed quia eſſe ſolet communiter per operationem explicari, & innoteſcere, ut inductive conſtat in aliis naturis. Hinc tamen minime infertur nullam formam ſupernaturalem requiri præter virtutes proxime operativas; ſed magis colligitur oppoſitum: nam ſicut in quocumque ordine creato operatio ſupponit eſſe, & ab eo diſtinguitur: ita requiritur quod virtus ordinata ad operari ſupponat formam ordinatam ad eſſe, & ab illa realiter differat. Et hoc pacto comparantur gratia ſanctificans, & quælibet virtus operativa in ordine ſupernaturali. Præſertim cum in hoc ordine præter principia proxima reſpicientia particulares operationes debeat aſſignari aliquod principium radicale, & commune, quod gratiam ſanctificantem vocamus.

Ad ſecundam. Per quod patet ad ſecundam confirmationem: nam gratia ſanctificans conſtituit hominem Deo gratum, acceptum, & ſimpliciter bonum non utcumque, ſed per modum naturæ, & radicis omnium virtutum ſupernaturalium. Id autem non competit charitati per ſe, & ratione ſui, ſed præſuppoſitive, & concomitanter, nempe ratione gratiæ, quam ſemper præſupponit, & comitatur. Unde formaliter ſolum perficit voluntatem cui immediate inhæret; alias vero potentias, & virtutes rectificat tantum imperative, quatenus earum operationes dirigit in ultimum finem, quem reſpicit tanquam proprium objectum. Nec eſt de ratione virtutis facere bonum habentem per modum naturæ, & in ordine entis; ſed ſolum per modum diſpoſitionis, & in genere operativorum, ut colligitur ex ejus definitione, quod eſt *diſpoſitio perfecti*, nempe *conſtituti in ſuo eſſe, ad optimum*, videlicet *ad operationem perfectam, & naturæ congruam*, ut explicuimus §. 3. Quod optime tradit Divus Thomas *in* 2. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *articulo* 4. *ad* 3. his verbis: *Dicendum, quod bonitas, quam virtus habenti confert, eſt bonitas perfectionis in comparatione ad opus: ſed gratia confert animæ perfectionem in quodam divino eſſe, & non ſolum reſpectu operis: ſecundum quod quodammodo gratiam habentes Deiformes conſtituit.* D. Thom.

Porro charitas (ut ita difficultatis augmento occurramus) eatenus habet rationem amicitiæ hominis ad Deum, quatenus ſupponit conſortium, & participationem divinæ per gratiam: eſt enim de ratione amicitiæ, quod ſit mutuus benevolentiæ amor ſuper alicujus boni communicatione fundatus, ut definit Ariſtoteles 8. *Æthiop.* Et ideo data hypotheſi, quod charitas maneret ſeparata à gratia, non eſſet vere, & complete amicitia, ut cui deficeret fundamentum hujus amoris: ſed tantum foret principium proximum illius dilectionis, quæ ſi connotaret gratiam, eſſet amicitiæ amor. De facto autem charitas eſt vera amicitia inter Deum, & hominem, & connotat gratiam: quod præciſe intendit Divus Thom. *loco citato.*

89. Arguitur ſecundo: quoniam gratia ſanctificans recipitur immediate in voluntate: ergo eſt virtus immediate operativa: ergo eſt idem realiter cum charitate. Hæc ſecunda conſequentia conſtat: quia non apparet, quænam aptior virtus poſſit eſſe idem cum gratia. Prima vero rectè infertur ex antecedenti: nam virtus debet proportionari ſuo perfectibili: ſed voluntas eſt potentia immediate operativa: ergo qualitas in voluntate recepta debet immediate operari. Antecedens autem probatur, tum quia oppoſita ſunt circa idem: atqui gratia, & peccatum opponuntur, iſtudque recipitur in voluntate: ergo & gratia. Tum etiam quia gratia eſt juſtitia hominis: juſtitia autem recipitur in voluntate, ut docet Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 58. *artic.* 4. & D. Anſelmus *capite* 3. *de conceptu virginali.* Tum præterea quia omnis habitus eſt perfectio propria potentiæ: ſed gratia eſt quidam habitus, ut ſupra ſtatuimus *numero* 16. ergo debet in aliqua potentia recipi, nempe in voluntate. Tum deinde quia id, quod recipitur immediate in ſubſtantia, non ſuſcipit magis, & minus: gratia autem ſuſcipit magis, & minus: ergo non eſt immediate in anima, ſed in voluntate. Tum denique quia Auguſt. *ſerm.* 12. *de verbis Apoſtol. capite* 18. docet gratiam comparari ad liberum arbitrium ſicut ſeſſorem ad equum: ergo eſt ſubjectivè in libero arbitrio ſeu voluntate. *Tertium argumentum.* D. Thom. D. Anſelm. D. Auguſt.

Confirmatur quia gratia ſacramentalis eſt eadem ſecundum ſpeciem cum gratia ſanctificante, ut tradit Divus Thom. 3. *parte quæſt.* 62. *art.* 2. ſed gratia ſacramentalis eſt virtus immediate operativa, ut patet in gratia verbi gratia ſacramenti Confirmationis, quæ præſtat ſpeciale robur ad confitendam fidem: ergo idem de gratia ſanctificante aſſerendum eſt. *Confirmatur.* D. Thom.

Huic argumento ſunt, qui reſpondeant admittendo antecedens, & negando utramque conſequentiam: exiſtimant enim ex identitate ſubjecti minime colligi, quod gratia, & charitas ſint realiter eadem forma. Sed conſequenter ad ſuperius dicta reſpondemus cum Divo Thoma *Reſponſio ad argumentum.*

art. 4.

articulo 4. negando abſolute antecedens. Et ad primam probationem dicimus gratiam non opponi immediate peccato actuali, quod recipitur in voluntate, ſed peccato habituali, quod eſt macula relicta ex actuali, & ſubjectatur immediate in eſſentia animæ, ut tradit D.Thom. 1. 2. *quæſt.* 83. *articulo* 2. Unde potius infertur oppoſitum.

D.Thom.

Ad ſecundam reſpondetur ex Divo Thoma 2. 2. *quæſt.* 58. *articulo* 2. *ad* 1. duplicem eſſe juſtitiam, alteram ſpecialem, & proprie dictam, quæ eſt virtus ad alterum: & hæc ſubjectatur in voluntate, & de ea loquitur Divus Thomas *loco citato.* Altera vero eſt juſtitia, quæ importat rectitudinem univerſalem totius hominis, & coincidit cum forma ſanctificante, de qua loquitur Apoſtolus ad Romanos 3. *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti.* Et hujuſmodi juſtitia, non vero prima coincidit cum gratia ſanctificante. Sicut enim juſtitia particularis conſtituit debitam ordinationem unius ad alterum: ita gratia, ſeu juſtitia univerſalis conſtituit debitam ordinationem potentiarum animæ ad Deum. Sed hæc non recipitur in aliqua potentia, ſed in anima, quæ eſt communis radix earum.

Ad Rom. 3.

Ad tertiam negamus majorem: quia datur aliquis habitus ordinatus ad eſſe, qui proinde non potentias, ſed ſubſtantiam debet immediate afficere: & hujuſmodi eſt gratia ſanctificans, ut hactenus oſtenſum eſt. Nec oppoſitum perſuadet inductio in aliis habitibus, quos libenter concedimus ordinati immediate ad operationem. Et deſumitur hæc ſolutio ex D. Thoma *quæſt.* 17. *de verit. art.* 2. *ad* 7. ubi inquit: *Dicendum, quod gratia eſt in prima ſpecie qualitatis, quamvis non proprie poſſit dici habitus, quia non immediate ordinatur ad actum, ſed ad quoddam eſſe ſpirituale, quod in anima facit, & eſt ſicut diſpoſitio, quæ eſt reſpectu gloriæ, quæ eſt gratia conſummata. Nihil tamen ſimile in accidentibus animæ, quæ Philoſophi ſciverunt, invenitur: quia Philoſophi non cognoverunt niſi illa animæ accidentia, quæ ordinantur ad actus naturæ humanæ proportionatos.* Et in hac 1. 2. *quæſt.* 50. *artic.* 2. *in corp.* ait: *Sed ſi loquamur de aliqua ſuperiori natura, cujus homo poteſt eſſe particeps (ſecundum illud 2. Petri 1. Ut ſimus conſortes naturæ divinæ) ſic nihil prohibet in anima ſecundum ſuam eſſentiam eſſe aliquem habitum, ſcilicet gratiam, ut infra dicetur*, nempe *in hac quæſt. art.* 4. videatur etiam S. Doctor, *q. unic. de virtutibus art.* 2. *ad* 21.

D. Thom. **Idem.**

Ad quartam negatur major: quia nulla eſt ratio, cur accidentia immediate recepta in anima (præſertim ſi non ſint proprietates naturales illius) nequeant intenſionem ſubire. Imo vero ipſas proprietates, utputa, intellectum, & voluntatem poſſe per divinam virtutem intendi docent communiter Philoſophi.

D. Auguſt.

Ad ultimam reſpondemus Auguſtinum non aſſerere, quod gratia ſanctificans ſedeat in libero arbitrio; ſed quod Spiritus ſanctus ſedeat in homine, ſic enim habet: *Sentis te habere ſeſſorem? Sentis te habere rectorem? Sentio inquis. Illi ergo dic: greſſus meos dirige ſecundum verbum tuum.* Porrò Spiritus ſanctus reſidens in anima per gratiam ſanctificantem poteſt regere voluntatem, cæteraſque potentias per virtutes, & gratiam auxiliantem ipſis impreſſa, quæ vel à gratia habituali fluunt, vel ipſi debentur. Et eſt comparatio moventis ad motum, & non ſicut accidentis ad ſubjectum, ut tradit Divus Thomas *in hac quæſtione, articulo quarto ad primum.*

Confirmationi occurritur.

Ad confirmationem reſpondetur gratiam ſacramentalem addere ſupra gratiam ſanctificantem quemdam modum intrinſecum, ratione cujus dicit ſpecialem ordinem exigentiæ ad peculiaria auxilia juxta uniuſcujuſque ſacramenti virtutem: & ideo gratia data in Sacramento Confirmationis poſtulat auxilia requiſita ad confitendam fidem coram tyranno. Hujuſmodi autem modus non ſolum afficit gratiam ſanctificantem, ſed etiam virtutes proximè operativas, quæ ſimul cum gratia vel producuntur per Sacramentum, vel augentur. Si ergo loquamur de gratia Sacramentali ſecundum entitatem, & ſpeciem accepta, ejuſdem rationis eſt cum gratia ſanctificante: ſed ita conſiderata non ordinatur immediate ad operationem, ſed ad eſſe. Si vero loquamur de illa ſecundum illum modum, quem gratiæ ſanctificanti ſuperaddit, reſpicit quidem operationem, aliter tamen, & aliter: nam modus afficiens gratiam reſpicit operationem radicaliter; qui vero afficit virtutes, reſpicit illam proxime: attemperant enim ſe qualitatibus, quas modificant. Videatur N. à Jeſu Maria *tractatu* 1. *capite* 5. *punct.* 3.

A Jeſu Maria.

Quartum argumentum.

90. Arguitur quarto: quia ſi gratia, & charitas diſtinguerentur realiter, poſſent ad invicem ſeparari; cum ex duobus entibus realiter diverſis valeat Deus conſervare unum ſine alio: conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens. Probatur minor: nam ſi homo haberet gratiam abſque charitate, eſſet Deo acceptus ad vitam æternam, contra illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Similiter ſi haberet charitatem abſque gratia, eſſet Deo acceptus & gratus, utpote qui diligeretur à Deo juxta illud Sapientiæ. *Ego diligentes me diligo*, atque ideo haberet effectum proprium gratiæ ſine gratia, quod eſt manifeſta implicatio. Tandem prædictus homo & ſalvaretur, quia non haberet peccatum, & non ſalvaretur, quia nemo conſequitur ſalutem abſque gratia, & charitate.

1 ad Cor. 13. Sapient.

Confirmatio.

Confirmatur: quia ſi gratia, & charitas differrent, una eſſet perfectior alia, ut contingit in aliis ſpeciebus: ſed de neutra poteſt id affirmari; cum ex una parte videatur gratia perfectior, utpote ſe habens ſicut natura; & ex alia dicat Apoſtolus, *Major autem horum eſt charitas* 1. ad Corinth. 13. ergo non diſtinguuntur realiter.

1. ad Cor. 13.

Diluitur argumentum.

Reſpondetur ad argumentum concedendo poſſe gratiam à charitate realiter ſeparari, & permittendo, quod charitas valeat ſeparari à gratia: ex quo tamen non ſequitur ulla implicatio. Nam in primo caſu homo foret ſimpliciter Deo gratus, haberet enim formam, quæ præſtat hunc effectum, licet ſeparatam à quadam nobiliſſima proprietate: in ſecundo autem non eſſet gratus ſimpliciter, ſed tantum diſpoſitione; cum non haberet formam, ſed ſolam diſpoſitionem ad hujuſmodi affectum: & ideo non terminaret amorem Dei ſimpliciter, ſed ſolum quandam benevolentiam. Nec oppoſitum ſuadent auctoritates inductæ: procedunt enim ſecundum præſentem providentiam, quæ nunquam ſeparat iſtas formas: & conſequenter qui de facto non habet charitatem, caret etiam

Digitized by Google

gratia, & pro nihilo habetur in ordine ad æternam beatitudinem: ſicut è converſo qui charitatem habet, & diligit Deum, habet etiam gratiam, & à Deo diligitur. Si autem homo decederet cum gratia abſque charitate, ſalvaretur: quia haberet naturam divinam regenerantem nos in filios Dei, quibus eo ipſo debetur hæreditas, nempe beatitudo, quæ in ſua eſſentia non dependet ab amore charitatis, ſed ſalvatur in viſione Dei in ſeipſo. Si vero decederet cum charitate abſque gratia; tunc diſtinguendum eſt: nam vel Deus habet decretum conſervandi charitatem in perpetuum à gratia ſejunctam; & profecto in eo eventu homo non poſſet ſalvari: quia ſalus æterna, ſeu beatitudo conſiſtit eſſentialiter in viſione Dei, & hæc non ſubſiſtit abſque gratia, ut oſtendimus *tractatu 9. diſp. 1. dubio 2. à numero 17.* Ubi autem non conſtat de tali decreto; veroſimilius eſt Deum habiturum decretum conferendi prædicto homini gratiam, & gloriam: tum quia ille homo nullum haberet peccatum: tum quia haberet diſpoſitionem exigentem connaturaliter gratiam.

Confirmationi ſatisfit. Ad confirmationem conſtat ex ſupra dictis gratiam eſſe ſimpliciter perfectiorem charitate. Auctoritas vero oppoſita, & aliæ ſimiles non comparant charitatem cum gratia; ſed vel cum aliis virtutibus, vel cum aliis operibus, ut conſtat ex ipſo contextu.

Ultimum argumentum. 91. Ultimo arguitur: nam fundamentum ad diſtinguendum gratiam à charitate, & virtutibus eſt, quia gratia comparatur ad illas ſicut natura, & radix ad ſuas proprietates: ſed hoc fundamentum eſt falſum: ergo corruit noſtra concluſio. Suadetur minor: nam ſi gratia, & virtutes ita compararentur; virtutes dimanarent phyſice à gratia, ſicut proprietates fluunt ab eſſentia: conſequens eſt abſurdum; ut patet tum in fide peccatoris, quæ conſervatur ſine emanatione à gratia, tum in lumine gloriæ, quod de facto à gratia viæ non dimanat: ergo &c. Hoc argumentum tangit gravem, & ſubtilem difficultatem, quam opus eſt, in diverſo dubio diſcurrere.

DUBIUM SEXTUM.

Utrum virtutes ſupernaturales dimanent phyſicè à Gratia.

In quo conſiſtat dimanatio phyſica unius ab alio. PRo tituli intelligentia præmittendum eſt dimanationem phyſicam unius ab alio ſitam eſſe in eo, quod duo aliqua, vel plura ordine quodam per unam, & eandem actionem producantur; ita quod primum ita determinet agens, ut abſque interventu novæ actionis ſeſe extendat ad ſecundum. Ad quod oportet, ut illud aliquomodo iſtud contineat, & cauſalitatem agentis uſque ad ipſum deferat, ut ex profeſſo docent Complutenſes *in libro Phyſic. diſputat. 10. quæſtione 7.* *Complut.* Et hujuſmodi emanatio habet locum non ſolum in accidentibus, quæ ſunt rigoroſæ proprietates, ſed etiam in illis, quæ formam, ſeu eſſentiam productam in eodem productionis inſtanti comitantur, & ipſi connaturaliter debetur, ut obſervant prædicti PP. *loco citato numero 120.* Per quod liquet (ut id obiter dicamus) non recte ſe gerere, qui aſſertionem ſtatim ſtabiliendam ex eo unice propugnant, vel oppugnant, quod virtutes ſupernaturales aſſerunt, vel negant eſſe rigoroſas gratiæ proprietates: poteſt quippe præſens difficultas independenter ab hac ſuppoſitione reſolvi. Quod ut præſtemus, obſervandum etiam eſt ex virtutibus quaſdam eſſe morales, ut juſtitia, temperantia, &c. quaſdam vero Theologicas, ut fidem, ſpem, charitatem. Ex quibus ſupponimus fidem, & ſpem poſſe produci antecedenter ad gratiam, ut contingit in adulto, qui baptizatur cum affectu ad aliquod peccatum mortale: in quo caſu certum eſt fidem non dimanare à gratia ſanctificante. Sed quæſtio procedit tam de fide, & ſpe, quam de virtutibus, quæ ſimul cum gratia in uno, & eodem inſtanti producuntur, ut contingit in parvulis baptizatis.

§. I.

Reſolutio difficultatis juxta mentem D. Thomæ.

92. DIcendum eſt omnes virtutes ſupernaturales, quæ ſimul cum gratia in eodem inſtanti producuntur, dimanare phyſice ab illa. *Concluſio D.Thom.* Hanc concluſionem aperte docet D. Thomas *in præſenti art. 4. in reſp. ad 1.* ubi ait: *D.Thom.* *Dicendum, quod ſicut ab eſſentia animæ effluunt ejus potentiæ, quæ ſunt operum principia; ita etiam ab ipſa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ moventur ad actus.* Et 3. parte quæſt. 62. artic. 2. in corp. inquit: *Gratia ſecundum ſe conſiderata perficit eſſentiam animæ, in quantum participat quandam ſimilitudinem divini eſſe. Et ſicut ab eſſentia animæ fluunt eius potentiæ, ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes, & dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad ſuos actus.* Sed effluxio potentiarum ab anima eſt emanatio phyſica, ut docet idem S. Doctor 1. parte quæſt. 77. artic. 6. & admittitur communiter ab Adverſariis: ergo virtutes ſimul cum gratia productæ dimanant phyſice ab ea.

Aliquorum interpretatio. 93. Nec ſatisfacit reſponſio Averſæ, Curielis, & aliorum dicentium comparationem D. Thomæ non eſſe ita rigoroſe intelligendam; ſed præciſe ſtare in eo, quod ſicut potentiæ naturales ſupponunt naturam, & illi debentur, ita virtutes prædictæ cum gratia eam ſupponant, & ſint ipſi connaturales. Cum quo tamen cohæret, quod dimanatio in primo caſu ſit phyſica, & per verum influxum eſſentiæ in ſuas proprietates; in ſecundo vero ſit ſolum moralis, quatenus gratia petit virtutes, licet non influat in eas.

Refellitur. Nam contra eſt: tum quia hæc ſolutio eſt prorſus voluntaria, & nullum habet fundamentum in verbis D. Thomæ. Tum etiam, quia directe illi adverſatur: nam S. Doctor non ſolùm tradit virtutes fluere à gratia, ſed etiam aſſerit hanc influere in illas, & earum actus: quod falſum foret, ſi virtutes non dimanarent affective phyſice ab illa. Et ideo poſt verba relata in primo teſtimonio ſtatim ſubjungit: *Et ſecundum hoc gratia comparatur ad voluntatem ſicut movens ad motum.* Et immediate *in reſponſ. ad 2.* ait: *Gratia eſt principium meritorij operis mediantibus virtutibus: ſicut eſſentia animæ eſt principium operum vitæ mediantibus potentiis.* Non poſſet autem gratia influere in actus virtutum, ſi prius non influeret ſaltem per dimanationem in ipſas virtutes;

tutes; cum gratia non ſit immediatè operativa; ſicut ob hanc rationem eſſentia non influeret in actus potentiarum, ſi eæ non fluerent activè per dimanationem ab illa: ergo dimanatio virtutum à gratia juxta mentem Divi Thomæ non eſt duntaxat moralis, ſed phyſica. Quam ſimilitudinem evidentius adhuc expreſſit idem

Idem. Sanctus Doctor *in 2. diſt. 26. quæſt. 1. art. 4.* in fine corporis, ubi ait: *Gratia eſſentialiter à virtute differt: oportet enim perfectiones perfectibilibus proportionatas eſſe: unde ſicut ab eſſentia animæ fluunt potentiæ ab ipſa eſſentialiter differentes; ſicut accidens à ſubiecto: & tamen omnes uniuntur in eſſentia animæ ut in radice: ita etiam à gratia, eſt perfectio eſſentiæ, ut dictum eſt, & ab ea fluunt virtutes, quæ ſunt perfectiones potentiarum, ab ipſa gratia eſſentialiter differentes, in gratia tamen coniunctæ ſicut in ſua origine per modum, quo diverſi radij ab eodem corpore lucente procedunt.* Quid expreſſius pro noſtra aſſertione? Cui etiam ſubſcribunt

Hiſpalenſ. Capreolus. Greg. Mart. Cabrera. Labat. Granados. Ripalda. Hiſpalenſ. *in 2. diſt. 26. quæſt. 1. art. 3. notab. 2.* (ubi etiam in eam inclinat Capreol. *in reſponſ. ad argumenta Aureoli contra 1. concluſionem*) Gregor. Mart. *art. 4. dub. 2. in corollario*, Cabrera *3. parte, quæſt. 2. art. 13. diſp. 1. §. & quæſt. 62. art. 1. diſp. 11. §. 5. & diſp. 21. §. 4.* Labat *diſput. 2. de gratia, dub. 2. concl. 2.* Granad. *controverſ. 8. de gratia, tract. 4. diſp. 3.* Ripalda *lib. 6. de ente ſupernaturali diſp. 121. ſect. 3.* licet aſſerat oppoſitam opinionem eſſe communem inter recentiores.

§. II.

Probatur eadem concluſio ratione.

Ratio ex D. Thom. 94. FUndamentum noſtræ aſſertionis continetur in verbis D. Thom. proximè relatis, & valet ita formari: quoniam omnia, quæ perſuadent accidentia connaturalia naturæ, eamque comitantia in inſtanti ſuæ productionis, fieri per dimanationem ab illa; militant etiam in gratia ſanctificante, & in virtutibus ſupernaturalibus, quæ ſimul cum ipſa producuntur: ergo ſicut emanatio illorum accidentium à natura eſt phyſica; ita emanatio virtutum à gratia. Conſequentia videtur manifeſta. Antecedens autem ſuadetur ſequenti diſcurſu: nam in naturalibus natura ſe habet ut radix, & accidentia ut vires proximæ: ita in ſupernaturalibus gratia ſe habet per modum radicis, & reliqui habitus ſunt virtutes proximè operativæ. Præterea ſicut natura petit aliqua accidentia ad ſui perfectionem tam in eſſendo, quam operando; & hac ratione determinat agens ad eorum productionem: ita gratia, cum ſe habeat per modum naturæ, poſtulat aliqua accidentia ad ſui complementum requiſita, quæ non ſunt alia, niſi habitus ſupernaturalis, & hoc pacto determinat Deum, ut ea producat. Tandem ſicut natura comparatur ad accidentia ſimul cum ipſa producta per modum termini primarij tam in intentione, quam in executione; & ob hanc cauſam poteſt deferre cauſalitatem agentis uſque ad illa: ita gratia comparata ad virtutes ſimul cum illa infuſas præcedit eas ſimpliciter cum in intentione, cum in executione; valeatque proinde deferre cauſalitatem Dei uſque ad ipſas. Conſtat autem naturam ideo eſſe principium, à quo accidentia ſimul cum ea producta phyſicè dimanant, quia comparatur ad ea per modum radicis illa exigentis, & determinantis agens ad eorum productionem, & deferentis hujus cauſalitatem uſque ad ipſa. Cum igitur hæc omnia conveniant gratiæ reſpectu virtutum ſimul cum ea infuſarum; ſequitur omnia, quæ perſuadent illa accidentia dimanare phyſicè à natura, militare in virtutibus ſupernaturalibus reſpectu gratiæ.

Confirmatur primo. Confirmatur primo: nam quando plura per eandem actionem ordine quodam cauſantur, quod primo producitur, defert cauſalitatem agentis ad alia, ac proinde eſt principium phyſicum eorum ſaltem per dimanationem, & reſultantiam, ut tradit Divus Thomas *prima parte, quæſtione 77. articulo 6.* Sed gratia, & virtutes, quando ſimul infunduntur, producuntur à Deo per eandem actionem, & ordine quodam, ita videlicet quod gratia ſe habet ut terminus primarius, & reliqua ut ſecundarij: ergo gratia comparatur ad virtutes ſimul cum ea infuſas ut principium phyſicum ſaltem per dimanationem, & reſultantiam. Minor, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, ſuadetur quoad utramque partem. *Prima* quidem: nam juſtificatio non eſt niſi unica actio Dei, ut ſatis liquet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* ſed in juſtificatione producuntur gratia, & virtutes infuſæ, ut tradit idem Concilium loco nuper citato: ergo omnia hæc producuntur à Deo per eandem actionem. Præſertim quia ſi in generatione naturali poteſt agens creatum producere unica actione naturam, & accidentia ipſam comitantia; pariter Deus in hac ſpirituali regeneratione per eandem actionem efficiet naturam hujus ordinis, videlicet gratiam, & accidentia ipſi connaturalia, nempè virtutes infuſas. Nec enim reperitur minor efficacia ex parte actionis divinæ, nec minor proportio ex parte termini attacti. *Secunda* etiam minoris pars eſt ſatis manifeſta: quia virtutes nequeunt connaturaliter produci, niſi aliquam naturam ſupponant; ſiquidem connaturalitas accidentium tam in fieri, quam in eſſe attenditur per conformitatem ad naturam: id quippè dicitur connaturale, quod eſt naturæ conforme: ergo cum gratia ſe habeat per modum naturæ, debet præſupponi ſimpliciter ad virtutes, atque ideo ſe habet ut terminus primarius, & illæ ut ſecundarius.

D. Thom. — Con. Trid.

Roboratur amplius. Confirmatur ſecundo: nam in divinis attributa, ſeu virtutes ſupponunt virtualiter naturam, & ab ea virtualiter dimanant: ſed gratia eſt participatio formalis naturæ divinæ, & virtutes infuſæ ſunt participationes formales attributorum: ergo virtutes ſimul cum gratia infuſæ eam realiter præſupponunt, & dimanant phyſicè ab illa. Major, & minor ſunt certæ. Conſequentia vero probatur quia non ob aliam rationem attributa non dimanant realiter actualiter ab eſſentia divina niſi ob defectum diſtinctionis realis inter illa: ſi enim realiter differrent, nihil deſiderari poſſet ad veram, & phyſicam dimanationem attributorum à natura: ſed gratia, & virtutes in aliis comparantur naturæ divinæ, & attributis; & inſuper realiter differunt inter ſe, ut conſtat ex dictis *dubio præced.* ergo virtutes ſimul infuſæ cum gratia dimanant phyſicè ab illa.

Adverſariorum reſponſio. 95. Huic argumento quidam occurrunt negando antecedens: quia ratio præcipua, ob quam in naturalibus accidentia dimanent phyſicè à natura, eſt quia hæc habet rationem ſubſtantiæ, de cujus conceptu eſt radicare aliquas proprietates, & in eas influere: gratia autem eſt verè accidens: & ideo nequit eſſe principium

Digitized by Google

phyſicæ dimanationis. Idque vel ex eo conſtare videtur, quod natura in naturalibus non ſolum efficit, ſed etiam recipit ſua accidentia: aliter enim non poſſet cum eis per modum radicis phyſicè conjungi. Conſtat vero gratiam non recipere virtutes infuſas; cum illa ſit immediatè in anima, & eæ inhæreant immediatè potentiis. Unde falſum eſt ſic ſe habere gratiam, & virtutes infuſas, ſicut naturam, & accidentia ipſi connaturalia. Per quod etiam videtur occurri primæ confirmationi: nam quod Deus ordine quodam producat gratiam, & virtutes; ſolum ſuadet gratiam primario, & virtutes ſecundario à Deo produci; minimè vero quod eæ dimanent à gratia.

Ad ſecundam reſpondent ex ea ad ſummum evinci, quod illæ virtutes dimanent phyſicè à gratia, quæ ſunt participationes formales divinorum attributorum, quales ſunt fides, ſpes, & charitas. Virtutes autem morales non participant formaliter attributa Dei, cum in eo non reperiatur, verbi gratia, temperantia. Et ideo potius infertur has virtutes non comparari ad gratiam ſicut ad radicem ex qua phyſicè reſultent.

Confutatur. 96. Sed iſtæ reſponſiones facile refelluntur: quia in primis falſum eſt dimanationem phyſicam ſolum reperiri in accidentibus comparativè ad ſubſtantiam: nam etiam poteſt convenire uni accidenti reſpectu alterius: valet quippe unum eſſe principium, & radix, ſeu ratio proxima, ex qua alterum reſultet. Qua ratione docent communiter Philoſophi ſecundas qualitates dimanare à primis, & calorem à luce, & voluntatem ab intellectu, & ſic de aliis. Unde ex eo, quod gratia ſit accidens, minimè excluditur, quod ſit radix, ex qua aliqua accidentia effluant per phyſicam reſultantiam. Deinde eſto, quod alia accidentia ob ſuam imperfectionem non poſſent eſſe principium dimanationis phyſicæ; gratia tamen tantæ perfectionis eſt, ut id neceſſario poſtulet: nam in ordine ſupernaturali habet eſſe ſimpliciter primum, & quaſi ſubſtantiale: participat enim id, quod in Deo habet rationem naturæ. Et in hoc ſtat vis noſtræ rationis: æquiparat enim gratiam naturæ in munere formaliſſimo naturæ, & radicis: quod ſatis eſt ad verificandam aſſertionem, quidquid ſit de aliis differentiis in eſſe entis, quas libenter admittimus ut impertinentes ad punctum præſentis difficultatis. Hujuſmodi vero eſt conceptus recipiendi accidentia: is quippe non deſideratur ex proprio conceptu dimanationis phyſicæ, ſed ex generali ratione accidentis, quod debet ineſſe ſubſtantiæ. Unde omnes aſſerunt potentias ſenſitivas dimanare ab anima; cum tamen plures probabiliter defendant eas non recipi in anima, ſed afficere immediatè materiam: & voluntas dimanat ab intellectu, licet ipſi non inhæreat, ſed animæ. Præterquam quod gratia quodammodo recipit omnes virtutes infuſas, in quantum perficit eſſentiam animæ, ut ſit congruum ſubjectum potentiarum in quibus recipiuntur virtutes; & propterea Div. Thom. *quæſt.* 2. *de virtutibus art.* 3. *ad* 19. dixit, *quod gratia Dei dicitur eſſe forma virtutum, in quantum dat eſſe ſpirituale animæ, ut ſit ſuſceptiva virtutum.* Et quæſt. 1. art. 2. ad 22. aſſeruit *gratiam exiſtentem in eſſentia animæ per modum cujuſdam habilitatis eſſe principium virtutis infuſæ.* Et prima parte, quæſt. 77. artic. 7. ad 2. docuerat, *quod unum accidens dicitur eſſe ſubiectum alterius, ut ſuperficies caloris, in quantum ſubſtantia uno accidente mediante, recipit aliud, & ſimiliter dicitur de potentiis animæ.* Unde fit, quod non ſolum Deus concurrat effectivè ad attingendum primario gratiam, & ſecundario virtutes, ſed quod has attingat media gratia ut principio in ipſas influente per dimanationem phyſicam.

D.Thom.

Solutio ſecundæ confirmationis evacuatur. Id etiam, quo occurritur ſecundæ confirmationi, nullius momenti eſt: nam ſi ſemel gratia habet, quidquid requiritur, ut ſit principium phyſicum per dimanationem virtutum Theologalium nulla eſt ratio, cur id ipſum non habeat reſpectu moralium; eæ quippe etiam ſunt connaturales gratiæ noſtræ, & ipſi debitæ in primo generationis inſtanti: & ad dimanationem non requiritur idem genus connexionis eorum, quæ dimanant, cum ſuo principio. Unde licet gratia non reſpiceret virtutes morales tanquam paſſiones, vel naturæ divinæ participatæ, vel naturæ divinæ in ſeipſa; adhuc tamen in eas per dimanationem influeret: ſicut à natura dimanant non ſolum illius proprietates, ſed etiam accidentia communia, quæ ipſum individue comitantur, ut in dubij limine prænotavimus. Videantur, quæ diximus *loco ſupra citato, num.* 48.

§. III.

Diluuntur objectiones contra fundamentum Divi Thomæ.

97. SEd adverſus rationem hactenus expenſam oppones primo: nam in Chriſto domino gratia habitualis, & virtutes infuſæ comparantur ad gratiam unionis ſicut accidens connaturale, & ipſi debitum in primo Incarnationis inſtanti: imo vero comparantur ad ipſam ſicut proprietas quædam eam conſequens, ut aſſerit Divus Thomas 3. *quæſt.* 7. *art.* 13. *ad* 2. his verbis: *Gratia habitualis non intelligitur, ut præcedens unionem, ſed ut conſequens eam, ſicut proprietas quædam naturalis. Unde & Auguſt. dicit, quod gratia eſt quodammodo Chriſto homini naturalis.* Et nihilominus gratia habitualis non dimanavit phyſicè à gratia unionis ſed tantum moraliter, ut tenet communior opinio Thomiſtarum. Ex eo igitur quod virtutes infuſæ comparentur ad gratiam habitualem tanquam proprietates ipſi connaturaliter debitæ, non evincitur, quod dimanent phyſicè ab ea. Unde etiam eliditur robur auctoritatum, quas ſupra ex Divo Thoma adduximus: nam eodem modo loquitur de gratia unionis, & gratia habituali inter ſe comparatis; ac de iſta, & de virtutibus infuſis, ut illius teſtimonia conferens deprehendet: ergo ubique vel neutrobi adſtruet ſolam emanationem moralem. *Prima objectio.* D.Thom.

Confirmatur primo. Confirmatur primo: quia ſpecies rerum naturalium ſunt Angelo connaturaliter debitæ in primo ſuæ creationis inſtanti, ut ipſa perfectio intellectiva naturæ Angelicæ perſuadet, & ſatis exprimit Divus Thomas *prima parte, quæſtione* 54. *articulo* 4. ubi ait, *ſcientiam in Angelis non generari, ſed naturaliter adeſſe:* & tamen prædictæ ſpecies non dimanant ab Angelo per reſultantiam phyſicam, ut cum pluribus docuimus *tractatu* 7. *diſputatione* 5. *dubio* 4. ergo dimanatio phyſica virtutum à gratia non rectè probatur ex ea, quod illæ huic debeantur. D.Thom.

Secundo. Confirmatur ſecundo: nam motus cœli eſt ei naturaliter debitus, ipſumque conſequitur: & nihilominus

nihilominus non emanat à cœlo; ſed eſt ab extrinſeco, ut tradit Divus Thomas quæſtione quinta, de potentia articulo quinto, ergo idem, quod prius.

Tertio. Confirmatur tertio: quoniam quantitas eſt accidens connaturaliter debitum ſubſtantiæ corporeæ, ipſamque comitatur vel tanquam paſſio, vel tanquam accidens inſeparabile, & tamen quando ſubſtantia per nutritionem producitur, quantitas illam conſequens non dimanat ab ea, ſed fit per diſtinctam actionem; ut tradunt N. Complutenſ. *in lib. Phyſic. diſput.* 22. *quæſt.* 2. ergo quod virtutes infuſæ ſint connaturales & debitæ gratiæ ſanctificanti, ipſamque in prima ſui productione comitentur; minimè adſtruit phyſicam emanationem earum à gratia. *Complut.*

Notanda pro resolutione objectionis. 98. Ut huic objectioni, & illius confirmationibus liquido ſatisfiat, obſerva primo, quod cum influere per dimanationem ſit quoddam agere; & agere conſequatur ad eſſe non quidem exiſtentiæ, aut ſubſiſtentiæ, ſed ad eſſe ſpecificum, & formale; propterea primum principium cujuſcumque dimanationis phyſicæ debet eſſe natura, vel aliquid ſe habens ad inſtar illius: ad hanc quippe ſpectat communicare primum eſſe formale.

Præterea nota dimanationem phyſicam reduci ad genus cauſæ efficientis principalis: eo quod primum illius principium per ſeipſum, & abſque extrinſeca elevatione determinat agens ad productionem aliorum, defertque illius cauſalitatem ad ipſa: quod & nihil aliud importat hæc emanatio. Porro de ratione principij efficientis principalis eſt præcontinere ſuum effectum; & ideo primum principium, à quo cætera dimanant, debet ipſa præcontinere. Diximus *primum principium:* quia alia principia intermedia fortè non poſtulant tantam perfectionem, ſed poſſunt influere cum ſubordinatione ad primum, quæ eſt quoddam genus elevationis.

Tandem animadverte id, quod eſt primum principium dimanationis, debere per ſe intendi in actione, per quam attingitur: nam, ut ſupra diximus, determinat agens ad productionem aliorum; atque ideo eſt ratio, ob quam agens cætera attingat: quod minimè contingeret, ſi ipſum non intenderetur primario, ut ſatis ex ſe liquet.

Occurritur objectioni. Ex iis ad objectionem reſpondemus gratiam unionis ſumptam ſive pro unione media nectente humanitatem cum Verbo, ſive pro ipſa Verbi perſonalitate, non habere rationem formæ, vel naturæ; ſed gerere munia vel cujuſdam modi ſubſtantialis, vel puri termini ſuppoſitantis humanitatem. Unde nihil poteſt ab illis immediatè effluere per dimanationem phyſicam; ſed tantum media humanitate, vel natura. Ab humanitate vero nequit dimanare gratia ſanctificans, & quia altioris ordinis eſt, & quia in humanitate ut in principio activo non continetur, ut ſatis ex ſe conſtat. Præſertim cum humanitas facta fuerit per actionem diverſam ab ea, per quam Deus illi gratiam infudit: quod deſtruit rationem dimanationis phyſicæ. Quapropter licet perſonalitas Verbi poſtulet pro ſua dignitate, quod humanitas illa gratia exornetur; & hac ratione gratia ſit ipſi connaturalis: hoc tamen ſolum evincit dari ibidem dimanationem moralem, ſeu jus ad habendam gratiam; neutiquam vero effluxum per veram reſultantiam phyſicam. Gratia autem comparatur ad virtutes ſimul cum ea productas per modum naturæ; habetque ex hac parte quidquid deſideratur, ut per phyſicam dimanationem effluant ab illa.

99. Nec hinc evacuatur robur auctoritatum D. Thom. quas pro aſſertione adduximus: nam Sanctus Doctor modo longè diverſo loquitur de conſecutione gratiæ habitualis ad gratiam unionis, ac de conſecutione virtutum ad gratiam habitualem. Illa enim præciſè appellat conſecutionem, non vero dimanationem, vel effluxum: hanc vero & dimanationem, & effluxum abſolutè vocat, ut teſtimonia legenti conſtabit. Conſecutio vero poteſt cum proprietate ſalvari, etiam ubi diverſæ actiones interveniunt, & præciſè denotat ordinem unius termini poſt alium (quem intendebat Divus Thomas ſalvare inter gratiam unionis, & gratiam habitualem:) dimanatio autem, & effluxio abſolutè & cum proprietate dictæ non ſolum ordinem, ſed veram cauſalitatem ſignificant, ut conſtat ex communi modo concipiendi. Et propterea quamvis conſecutio gratiæ habitualis ad gratiam unionis, quam ſtatuit Sanctus Doctor in teſtimonio nobis oppoſito, non ſit emanatio phyſica: dimanatio tamen & effluxio virtutum à gratia ſanctificante, quam in teſtimoniis pro noſtra aſſertione relatis ſtabilivit, eſt vera, & phyſica reſultantia. Præſertim cum Divus Thomas id apertè explicet in aliis teſtimoniis, quæ *num.* 92. dedimus: & è contrario in eo, quod nobis objicitur, loquatur addito diminuente, Gratia, inquit, eſt quodammodo Chriſto homini connaturalis. *Incidens objectio in limine ſolvitur.*

Ad primam confirmationem reſpondemus ex dictis loco ibi citato naturam Angeli non continere adhuc virtualiter, & per modum ordinis ſpecies omnium intelligibilium; alias Angelus ſeipſum comprehendens eo ipſo omnia intelligibilia cognoſceret, quod eſt abſurdum. Unde cum ad dimanationem phyſicam requiratur continentia eorum, quæ dimanant, in primo principio dimanationis; ſequitur ſpecies intelligibiles non effluere per dimanationem phyſicam ab eſſentia Angeli, licet ſint ipſi valde connaturales, utpote perficientes ipſum juxta exigentiam ſaltem paſſivam ſui intellectus. Gratia autem habitualis continet per modum radicis virtutes ipſas, ſicut eſſentia divina continet attributa, juxta ſuperius dicta: unde non repugnat illi ex hoc capite influere in eas per dimanationem phyſicam. *Prima confirmatio diluitur.*

100. Ad ſecundam dicendum eſt motum cœlorum non eſſe activè ab illis; cum non habeant formam, à qua moveantur; ſed tantum reddi ipſis connaturalem ratione principij paſſivi, videlicet materiæ primæ. Inſuper ille motus fit per actionem prorſus diverſam ab ea, per quam cœli producti ſunt: hæc enim eſt verè creatio, ac perinde actio ſolius Dei, ut optimè tradunt N. Complutenſ. *in lib.* 3. *Phyſic. diſputatione* 4. *quæſtione* 3. illa autem eſt immediatè actio intelligentiæ motricis, ut docet Divus Thomas *prima parte, quæſtione* 112. *articulo* 2. Quamobrem nequit prædictus motus effluere à cœlo per reſultantiam phyſicam: ad hanc enim requiritur, & influxus aliquomodo activus unius termini in alium, & quod uterque fiat per eandem actionem, ut in gratia, & virtutibus ſimul cum ea productis contingit. *Solvitur ſecunda.* *Complut.*

Ad ultimam reſpondetur id, quod per ſe primo intenditur in augmentatione viventium, non eſſe ſubſtantiam, ſed quantitatem: & ideo licet utraque ſimul producatur, tamen quantitas non *Occurritur tertiæ.*

non ſit ratione ſubſtantiæ; ſed è converſo ſubſtantia producitur ratione quantitatis, hæcque determinat ad productionem illius. Unde ſi aliqua dimanatio ibidem interveniret, non flueret quantitas à ſubſtantia, ſed è contra ſubſtantia reſultaret à quantitate. Nequit tamen ita contingere: quia ſubſtantia non valet in quantitate præcontineri: quod ad phyſicam dimanationem requiritur. Et propterea nulla adeſt ibidem dimanatio: ſed ſubſtantia, & quantitas producuntur per diverſas actiones, quarum una, nempè attingens ſubſtantiam, ſubordinatur alteri, quæ quantitatem producit, ut rectè docent N. Complutenſes *in lib. Phyſic. diſputatione 22. quæſtione 2.* Gratia autem comparatur ut terminus primarius ad virtutes ſimul cum ea productas tanquam ad terminum ſecundarium, qui propter ipſam gratiam intenditur; unde nihil eſt ibidem, quod phyſicam dimanationem impediat.

Complut.

Altera obiectio. 101. Secundò adverſus eamdem rationem oppones: nam fides, & ſpes ſunt virtutes gratiæ hujus ſtatus connaturales, & quas ipſa gratia non minus intime exigit, quam alias virtutes infuſas: & tamen fides, & ſpes non effluunt per dimanationem à gratia: ergo nec aliæ virtutes. Major, & conſequentia conſtant. Minor etiam liquet: nam fides, & ſpes ſæpè producuntur antecedenter ad gratiam, & per actionem particularem, ut contingit in eo, qui ante infuſionem gratiæ ſanctificantis credit myſteria fidei.

Reſponſio. Huic objectioni reſpondetur non concludere vel contra aſſertionem noſtram, vel contra rationem ſuperius factam: illa enim ſolum ſe extendit ad virtutes, quæ ſimul cum gratia in eodem inſtanti producuntur, quales non ſunt fides, & ſpes ante juſtificationem infuſæ: hæc vero non innititur in eo, quod omnes virtutes ſint, vel non ſint proprietates gratiæ ab ipſa inſeparabiles; ſed independenter ab utraque ſuppoſitione procedit. Unde ſicut in naturalibus poteſt calor per propriam actionem produci, & antevertere formam ignis: quo non obſtante, quando ſimul cum ipſa per eandem actionem attingitur, (ut contingit in ignis generatione) reſultat ab ea per veram, & phyſicam dimanationem: ita quod fides terminet aliquando propriam actionem; & fiat antecedenter ad gratiam, minimè ſuadet, quod quando ſimul cum ea producitur (ut in parvulorum juſtificatione contingit) non effluat ab ea per dimanationem phyſicam. Præſertim quia ſicut calor petit, quantum eſt de ſe conjungi cum igne tanquam cum principio; à quo tamen per accidens ob ſubjecti indiſpoſitionem disjungitur: ita fides ſupernaturalis poſtulat, quantum eſt de ſe conjunctionem cum gratia velut cum principio, & radicali principio ſupernaturalis ordinis; à quo nihilominus per accidens ſeparatur, quia nimirum ſubjectum habet ſufficientem determinationem ad fidem, & caret diſpoſitione ad gratiam requiſita.

Replicas. 102. Sed replicabis: quia non ſolum fides ante gratiam infuſa non dimanat ab eâ, ſed neque illa, quæ ſimul cum ipſa gratia in eodem inſtanti producitur: eadem autem eſt ratio de aliis virtutibus ſimul cum gratia infuſis: ergo nulla effluit ab ea per dimanationem phyſicam: & conſequenter corruit reſponſio proximè tradita. Probatur minor: nam quæ diverſis actionibus conſervantur, per diverſas etiam actiones producuntur; cum conſervatio nihil aliud ſit, quam continuata productio: atqui fides ſimul cum gratia producta, & ipſa gratia conſervantur à Deo per actiones diverſas, ſiquidem deſtructa gratia, perſeverat adhuc fides, ut patet in peccatore Catholico: quod minimè contingeret, ſi fides conſervaretur ad conſervationem gratiæ: ergo gratia, & fides cum illa ſimul infuſæ producuntur per diverſas actiones.

Reſpondetur negando majorem: ad cujus probationem dicendum eſt fidem cum gratia ſimul productam conſervari, per ſe loquendo, ex vi ejuſdem actionis divinæ, per quam utraque à principio producta eſt: quod ſatis arguit emanationem fidei à gratia. Poteſt nihilominus deſtructa gratia adhuc conſervari fides: tum quia omnia peccata mortalia habent oppoſitionem cum gratia, utpote quæ avertunt hominem à Deo ultimo fine, ad quem per gratiam convertitur: & non omnia habent oppoſitionem cum fide, ſed optimè cum ipſa cohærent, permittunt enim in ſubjecto rationem illius objectivam: & idcirco, gratia deſtructa, manet fides. Tum quia etiamſi deſtruatur gratia; adhuc tamen ſtatus hominis viatoris petit conſervationem fidei, ut homo iterum poſſit diſponi, & exhortari ad converſionem in Deum, juxta illud Iſai. 1. *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen*, nempe fidem, *quaſi Sodoma fuiſſemus*. Manet tamen prædicta fides in ſtatu non omnino connaturali, quia ex ſe ſemper propendet ad conjunctionem cum gratia tanquam cum primo vitæ ſupernaturalis principio, à quo ſeparatur ob indiſpoſitionem ſubjecti. An autem conſervetur in illo ſtatu ex vi ejuſdem actionis, per quam primo producta eſt, an vero per aliam, quæ loco illius ſubrogetur; parum aut nihil intereſt noſtra: nam optimè cohæret, quod aliquid producatur per unam actionem, & conſervetur per aliam, ut videre eſt tum in materia prima, quæ primo producta fuit per creationem alicujus elementi, & nunc conſervatur per actionem producentem, & conſervantem aliquod mixtum: tum in accidentibus Euchariſticis, quæ producta ſunt per actionem factivam panis, & modo conſervantur per aliam. Unde ſicut in hoc exemplo conſervatio accidentium independenter à ſubſtantia panis, minimè evincit quod non fuerint à principio producta per eandem actionem, & per dimanationem phyſicam ſubſtantiæ quam poſtea ſupplet Deus: ita in noſtro caſu dicendum eſt.

Solutio. *Iſai. 1.*

Inſtantia. 103. Urgebis hinc fieri, quod conſervatio fidei ſeparatæ à gratia ſanctificante non ſit minus miraculoſa, quam conſervatio accidentis ſeparati à proprio ſubjecto: conſequens eſt falſum, & contrarium communi Theologorum ſententiæ: ergo gratia, & fides producuntur per diverſas actiones. Sequela oſtenditur: quia juxta noſtram ſententiam ita comparatur gratia ad virtutes cum ea infuſas, ſicut natura ſubſtantialis ad accidentia cum ea ſimul producta: & tam hic, quam ibi intervenit vera, & phyſica dimanatio à principio: ergo ſeparatio erit utrobique miraculoſa.

Diruitur. Reſpondetur negando ſequelam: quia præcipuum miraculum, quod intervenit in conſervatione accidentium Euchariſtiæ non conſiſtit in eo, quod Deus ſuppleat influxum effectivum ſubſtantiæ: (quem plures negant:) ſed in eo quod conſerventur independenter à ſubjecto, cum,

cum eſſe connaturale accidentis ſit illi ineſſe. Hæc autem ratio non urget in fide ſeparata à gratia ſanctificante: quia adhuc ineſt ſubjecto, *quo*, cui antea inhærebat, nempè intellectui, & habet idem ſubjectum *quod*, videlicet animam. Verum quidem eſt prædictum ſubjectum non manere ita proportionatum, ſicut antea erat: ſed hic proportionis defectus non inducit miraculum, ſed ſolum arguit minorem connaturalitatem, ut in calore exiſtente in aqua contingit. Quo magis perſpicuum fiet obſervando, quod fides dupliciter conſiderari poteſt, uno modo quoad ſubſtantiam, & in eſſe entis; alio modo ſecundum ſtatum, & perfectionem virtutis, quæ ratio ſupra priorem addit aliquam modificationem intrinſecam ſeparabilem ab ipſa fide, ut ſatis apertè docet D. Thom. 2. 2. *quæſt*. 4. *art*. 4. (*D. Thom.*) Fides igitur ut formata, & perfecta petit per ſe conjungi cum gratia ſanctificante, dimanatque per ſe ab illa: ut informis vel quoad ſubſtantiam accepta non petit per ſe effluere determinatè à gratia, ſed poteſt aliter produci, ut contingit, quando infunditur ante gratiam. Nonnunquam tamen etiam ſecundum ſubſtantiam conſiderata dimanat à gratia, videlicet quando ſimul cum ipſa producitur: ſed hæc dimanatio eſt quaſi per accidens, & reſpicit gratiam, ut habet munus auxilij. Licet ergo ſit miraculum conſervare aliquod accidens ſeparatum ab illo principio, quod per ſe reſpicit, & à quo dimanat per ſe; citra miraculum tamen contingit, quod conſervetur independenter ab eo, quod non reſpicit per ſe, licet ab eo per accidens fluxerit. Unde conſervatio fidei ſecundum ſubſtantiam acceptæ & ut præciſè ab ſtatu virtutis non eſt miraculoſa; ſed juxta communem providentiam ordinis gratiæ contingit; licet fiat modo fidei minus connaturali.

Nova replica. 104. Sed adhuc dices: nam vel gratia ſanctificans habet rationem naturæ, vel non? Si eligatur hoc ultimum, corruunt, quæ hactenus diximus: ſuadebant enim ideo omnes virtutes infuſas cum gratia dimanare ab ea, quia ad eam comparantur ſicut ad naturam. Si autem dicatur primum: ergo cum omnis natura intellectiva, (qualis debet eſſe gratia) vendicet ſibi tanquam proprietatem aliquam potentiam, ſeu virtutem proximè intelligentem, & hæc reſpectu gratiæ hujus ſtatus nequeat eſſe alia, quam fides; ſequitur fidem comparari ad gratiam ut ejus proprietatem, à qua proinde non poterit citra miraculum ſeparari: ergo doctrina proximè tradita non cohæret cum hactenus dictis.

Diſpellitur. Reſpondetur gratiam habere quidem rationem naturæ; at non omnia, quæ naturæ debentur, eſſe illius proprietates; cum etiam poſtulet quædam accidentia communia. Fatemur tamen libenter gratiam petere ex ſe aliquam facultatem proximè intellectivam tanquam proprietatem. Hoc autem tantùm ſuadet, quod ipſa gratia nequeat citra miraculum ab illa ſeparari; minimè vero quod prædicta virtus nequeat ſecundum aliquam rationem, juxta quam non eſt gratiæ proprietas, ſeparata ab illa conſiſtere. Sicut natura ignis nequit naturaliter exuere omnem calorem: & tamen calor ſecundum ſubſtantiam valet ſeparari ab igne, ut patet in calore aquæ: licet ut præditus quodam perfectionis modo, utputa intenſionis ut octo, conjungatur per ſe cum igne, & nequeat ab eo ſine miraculo ſeparari. Quod proportionabiliter in noſtro caſu contingit, ut conſtat ex dictis.

Verum quidem eſt gratiam non reſpicere ut proprietatem rigoroſam fidem infuſam, ſed aliam virtutem intellectivam à fide longè diverſam, in cujus locum prædicta fides per accidens nunc ſubrogatur: de quo aliàs.

§. IV.

Refertur oppoſita ſententia, & illius motivis occurritur.

105. Negativam opinionem tuentur Aureolus apud Capreol. *ubi ſupra*. Curiel in præſenti *dub*. 1. §. 3. Averſa *ſect*. 4. Suarez *libro 6. cap*. 13. *num*. 20. & alij plures. Quæ poteſt ſuaderi primo: nam ſi aliqua virtus efflueret per dimanationem phyſicam à gratia ſanctificante, maximè lumen gloriæ: ſed lumen gloriæ non dimanat à gratia: ergo nec aliæ virtutes. Major ſuadetur: quia nulla virtus eſt excellentior lumine gloriæ, in quod proinde gratia maxima inclinatione propendit, & petit ipſi conjungi: ergo ſi aliqua virtus efflueret à gratia per dimanationem phyſicam, id præcipuè congrueret prædicto lumini: nam emanatio fundatur in conjunctione, & connaturalitate virtutis ad ſuum principium. Minor etiam conſtat: quia de facto producitur gratia in viatoribus, & tamen lumen gloriæ non dimanat ab illa. (*Opinio contraria.* Aureolus. Curiel. Averſa. Suarez. *Primum argumentum.*)

Nec ſatisfacit, ſi reſpondeas ideo lumen gloriæ de facto à gratia non dimanare, quia gratia, quæ præſenti datur, eſt propria ſtatui viatorum, cum quo prædictum lumen nequit conjungi, ſaltem de lege ordinaria. Dimanabit tamen prædictum lumen à gratia patriæ, cujus eſt proprietas. Unde argumentum factum non evertit noſtram aſſertionem, quippè quæ ſolum procedit de virtutibus infuſis, quæ in hoc ſtatu ſimul cum gratia infunduntur. (*Præcluditur quædam reſponſio.*)

Hoc, inquam, non ſatisfacit, ſed manifeſtè petit principium: nam ſtatus viæ conſtituitur propriè per carentiam luminis gloriæ, ſeu viſionis Dei in ſeipſo: unde reſpondere ideo lumen gloriæ de facto non dimanare à gratia, quia eſt gratia viæ, eſt idem, ac dicere ideo lumen gloriæ non dimanare à gratia, quia gratia non habet lumen gloriæ. Si enim gratia petit, quod lumen gloriæ ab ipſa dimanet; eo ipſo poſtulabit deſtructionem ſtatus viæ, qui prædicto lumini opponitur: ſicut quia ignis petit quod calor in ſummo ab eo dimanet, petit etiam deſtructionem frigiditatis, quæ cum illo calore conjungi nequit. Præter quam quod nec à gratia conſummata dimanat lumen gloriæ: nam gratia illa non differt entitativè à gratia hujus ſtatus, quæ ſupponitur facta per unam actionem; & lumen gloriæ communicatur per aliam: ad emanationem vero unius termini ab alio deſideratur, quod uterque eadem actione fiat.

106. Huic argumento reſpondent Granados, & Ripalda ubi ſupra negando majorem: quia exiſtimant aliter philoſophandum eſſe de lumine gloriæ, ac de aliis virtutibus ſimul cum gratia productis. Nam lumen gloriæ, inquiunt, non tam eſt virtus, & proprietas gratiæ, quam præmium ad quod pervenitur per merita; & eſt hæreditas danda filiis. Præmium vero non fluit effectivè ab eo, qui illo honorandus eſt, ſed illud præmians purè ab extrinſeco dat. Et ſimiliter hæreditas non dimanat ab hærede, ſed confertur ab eo, qui hæredem inſtituit: præſertim cum adhuc vivit, ut contingit in noſtro (*Aliorum ſolutio.* Granados. Ripalda.)

caſu,

Digitized by Google

caſu. Hæ autem rationes non militant in aliis virtutibus : unde nequit eis applicari argumentum à prædicto lumine acceptum.

Non ſatisfacit.

Cæterum hæc ſolutio, licet non ſit improbabilis, eſt minus ſufficiens, & motiva ejus non urgent : nam rectè cohæret aliquid deberi per modum præmij, aut hæreditatis, & quod nihilominus per dimanationem fiat, ut conſtat in gloria corporis Chriſti Domini, quæ omnibus iis titulis debebatur ; & nihilominus dimanavit à gloria animæ, ut ſatis apertè tradit

D.Thom.

Divus Thomas *tertia parte, quæſtione 45. articulo & quæſtione 54. articulo 3.* ubi ait : *Eſt autem diſpenſativè factum, ut ab anima gloria non redundaret in corpus, ad hoc, quod myſterium noſtræ redemptionis ſua paſſione impleret : & ideo peracto hoc myſterio paſſionis, & mortis Chriſti, ſtatim anima in corpus in reſurrectione reſumptum ſuam gloriam derivavit.* Præſertim cum in noſtro caſu lumen gloriæ non dimanet ab eodem omnino principio, cui per modum præmij, & hæreditatis debetur, ut ſtatim amplius conſtabit.

Legitima reſponſio.

107. Reſpondetur ergo ad argumentum ſuſtinendo ſolutionem inter arguendum datam. Ad cujus impugnationem ut perſpicuè occurramus, obſerva plura eſſe accidentia, ſeu virtutes alicui formæ connaturalia, quæ non conveniunt ipſi, niſi dependenter à quodam perfectionis modo, quo proinde poſito, & non antea, ſtatim ab ipſa per dimanationem phyſicam effluunt. Quod exemplis fiet manifeſtum: etenim anima rationalis eſt primum principium *quo* riſibilitatis, virtutis admirativæ, & intellectus ut attingentis objecta cum diſcurſu, ſeu converſione ad phantaſmata : & tamen prædicta accidentia non dimanant ab anima ſecundùm ſe, ſed ut habet modum, ſeu ſtatum conjunctionis ad corpus. Similiter gratia ſanctificans eſt primum principium dotum corporis glorioſi : & nihilominus hujuſmodi dotes non effluunt à gratia præcisè ſumpta, ſed ab illa quatenus habet ſpecialem modum dominij ſupra ipſum corpus. Pariter à juſtitia originali primorum parentum pullularunt per dimanationem phyſicam plures perfectiones, & habitus, qui modo à noſtra juſtitia non dimanant : quia licet eæ juſtitiæ non differant ſubſtantialit.r, ſed ſint idem habitus gratiæ ; tamen in primis parentibus habuit ſpecialem perfectionis modum, quo in nobis caret, ut explicuimus *tractatu 13. diſputatione 16. numero 7. & numero 54.* Sic ergo licet lumen gloriæ ſit accidens connaturale gratiæ, & in quod ipſa valde propendet ; petit tamen in ſua radice, nempè in gratia, quemdam ſpecialem modum perfectionis, & dominij ſupra ipſam animam : quem quia de facto gratia non habet, cum primo producitur, propterea ab ipſa de præſenti lumen gloriæ non effluit. Congruum tamen fuit, ut Deus nobis gratiam abſque prædicto modo conferret, ut ſic poſſemus gloriam per propria opera promereri.

Reſponſio inter arguendum data approbatur.

Ex quo fit reſponſionem ibi traditam non petere principium, ſed reddere rationem à priori : nam ſtatus viæ non conſtituitur primario per abſentiam luminis gloriæ, ſed per abſentiam illius modi perfectionis, quem ipſum lumen ſupponit. Unde ſicut poſitio modi infert lumen ; ita carentia modi, (quem circumloquimur per ſtatum viæ, arguit carentiam dimanationis illius luminis à gratia : ea planè ratione, qua carentia illius modi, quam gratia habuit in Adamo, infert carentiam aliquarum perfectionum, quæ in Adamo fluxerunt ab illa, quin in hoc detur petitio principij. Si autem lumen gloriæ deſtruit ſtatum viæ, ideo eſt quia præſupponit illum perfectionis modum in gratia, per quem ſtatus viatorum excluditur : & uſque dum prædictus modus adſit, non datur ſufficiens determinatio gratiæ, ut lumen gloriæ dimanet ab illa, ut explicari poteſt exemplis proximè adductis. Ad id, quod additur, concedendum eſt lumen gloriæ fieri per actionem diverſam ab ea, per quam gratia nunc entitativè producitur ; quod ſolum evincit non dimanare à gratia ſic ſumpta, efficitur tamen per eandem actionem, per quam gratia fit perfecta, ſeu (& in idem redit) recipit illum perfectionis modum : quod ſatis ſuadet dimanare phyſicè ab illa ut prædicto modo perfecta. Sicut riſibilitas non fit per actionem producentem animam ſecundum ſe ; ſed per eam actionem, per quam anima corpori unitur : & ita non dimanat ab anima ſecundum ſe, ſed ab ea ut habet modum unionis.

108. Sed objicies : nam ea, quæ dimanant à natura, comparantur ut proprietates ad illam, proindeque debent eam in omni ſtatu comitari : ergo ſi lumen gloriæ non ſic ſe habet ad gratiam, ſequitur quod nec ſit proprietas ejus, nec reſultet ab illa. *Objectio.*

Reſpondetur antecedens eſſe abſolutè falſum : nam plura accidentia communia dimanant à ſubſtantia in prima ſui productione, quæ de curſu temporis amittuntur : & aliquæ proprietates non effluunt à natura ex vi actionis primo eam producentis, quæ poſtea ab illa affecta quodam modo dimanavit, ut conſtat in potentia ridendi. Eſto autem, antecedens verum eſſet in natura, quæ eſt ſubſtantia, nequit tamen verificari univerſaliter in natura entitativè accidentali, qualis eſt gratia ſanctificans. Illa enim utpote per ſe ſubſiſtens majorem uniformitatem tam in modis quam in proprietatibus habet : hæc vero, quia inhæret ſubjecto, poteſtque ipſi diverſo modo communicari ; magnæ variationi in radicando ſua accidentia, & virtutes ſubjecta eſt. Unde videmus gratiam pro diverſitate ſubjecti diverſas virtutes, & effectus formales communicare : nam in nobis radicat quaſdam virtutes, quas non radicat in Angelis, utputa temperantiam, & pœnitentiam : & nobis communicat filiationem adoptivam, quam non præſtat Chriſto Domino. Idem ergo de eadem gratia, per reſpectum ad idem ſubjectum dicendum eſt : nam valet eidem diverſis modis uniri, & conſequenter fundare proprietates longè diſtinctas, quæ hoc, aut illo tempore ab ea dimanent. Videatur Arauxo *diſp. 1. prœm. ſect. 4. à num. 47.* ubi aliam adhibet reſponſionem. *Diſſolvitur.* *Arauxo.*

109. Secundo arguitur : quoniam virtutes ſupernaturales ſunt per ſe infuſæ : ſed id, quod infunditur, non dimanat ab aliquo principio intrinſeco, ſed unicè fit à Deo : ergo virtutes ſupernaturales non reſultant phyſicè à gratia. Et confirmatur : quia intenſio virtutum infuſarum non dimanat à gratia : ergo nec ipſæ virtutes. Conſequentia liquet : quia virtus, & ejus intenſio ſunt ejuſdem rationis. Et antecedens ſuadetur : nam fieri poteſt, ut gratia *Secundum argumentum.*

ſit

ſit valde remiſſa, & virtus ſit valde intenſa, ut contingit in eo, qui exiſtens in peccato elicuit actus intenſiſſimos fidei: hic enim ſi convertatur cum actu charitatis remiſſo, habebit gratiam remiſſam, & fidem ſatis intenſam, ergo intenſio virtutum non commenſuratur cum gratia, & conſequenter non effluet per dimanationem ab illa.

Solutio. Reſpondetur ad argumentum negando majorem: quia non eſt contra rationem virtutis per ſe infuſæ, quod dimanet ab aliquo principio intrinſeco, ſi iſtud etiam producatur per infuſionem, ut in noſtro caſu contingit. Sicut non adverſatur rationi creationis, quod aliquid fluat à natura, ſi tam ipſa, quam id, quod effluit, fiant per eandem rem è nihilo producentem, ut conſtat in intellectu, & voluntate reſpectu animæ, & in quantitate, & aliis accidentibus reſpectu cœli.

Ad confirmationem reſpondemus intenſionem virtutum, quæ ſimul infunduntur cum gratia, eidem in ſua intenſione commenſurari, & etiam ſecundum ipſam intenſionem à gratia effluere. Illæ autem virtutes, quæ per accidens præcedunt gratiam, ſicut per accidens ſecundum entitatem non dimanant ab ea, ita nec ſecundum intenſionem: unde non oportet, quod gratiæ in ſua intenſione commenſurentur, ſed valent illam excedere. Et ita accidit in caſu, qui nobis objicitur.

Ultimum argumentum. 110. Ultimo arguitur: quia ſi virtutes dimanarent à gratia ſanctificante, prius & intimius effluerent ab ea fides, quam charitas: conſequens eſt abſurdum: ergo non dimanant ab ea. Sequela oſtenditur: nam in quacumque natura intellectiva, qualis eſt gratia, prius, & intimius dimanat virtus proxime intellectiva, quam virtus affectiva, ut conſtat in intellectu, & voluntate comparatis ad animam noſtram: ergo ſi fides, & charitas dimanant à gratia ſicut à natura, ſequitur, quod prius & intimius effluat fides, quam charitas. Falſitas vero conſequentis oſtenditur: tum quia major connexio invenitur inter gratiam, & charitatem, quam inter gratiam & fidem, ſiquidem illæ nequeunt de lege ordinaria ſeparari; iſtæ vero ſeparantur: datur enim fides ſine gratia in peccatore, & gratia ſine fide in beatis. Tum etiam quia ſi fides intimius, & prius flueret à gratia, quam charitas, perfectiori modo influeret, & viveret gratia per fidem, quam per charitatem, & actus fidei eſſet perfectior actu charitatis: eo quod natura ſe præcipue explicat in operatione potentiæ, quæ prius, & intimius ab ipſa dimanat: qua ratione probant Thomiſtæ intellectum, & ejus operationem excedere voluntatem, & illius actum.
D. Thom. Conſequens autem eſt contrarium D. Thom. infra *quæſt.* 114. *art.* 4. ubi ſtatuit gratiam principalius mereri per charitatem, quam per alias virtutes: contrariatur etiam Apoſtolo dicenti: *Major autem horum eſt charitas:* ergo fides non dimanat à gratia prius, & intimius, quam charitas.

Reſponſio. Huic argumento, quod propriam ſedem habet in tractatu de Merito, ubi illud ex profeſſo diluemus, nunc breviter reſpondetur eandem difficultatem importare apud Adverſarios, & ab illis diſſolvendum eſſe; Sive enim fides, & charitas dimanent phyſicè à gratia, ut nos aſſerimus, ſive ſolum moraliter ut illi affirmant, tamen prior eſt fides, quam charitas, & prius gratia influit per fidem, quam per charitatem, cum hæc dirigatur per illam, ſicut quælibet vis affectiva dirigitur per virtutem cognoſcitivam. Dicimus ergo ex hoc principio ſolum colligi exceſſum ſecundum quid fidei ſupra charitatem; cum quo cohæret, ut charitas excedat ſimpliciter fidem. Et ratio eſt: quoniam perfectio gratiæ attenditur ſimpliciter penes conjunctionem hominis cum Deo tanquam cum ultimo fine ſupernaturali. Hanc autem conjunctionem aſſequitur gratia ſimpliciter per charitatem, quæ per ſuos actus convertit hominem ad Deum tanquam ad finem ſuper omnia dilectum, utpote cum reſpiciat proprium objectum, nempe Deum ipſum auctorem ſupernaturalem ſub ratione formali finis. Fides vero non ita attingit Deum, ſed ſub ratione ſummi veri: qui modus attingentiæ non conjungit hominem cum Deo tanquam cum fine ſuper omnia dilecto, ſed cohæret cum averſione ab illo, ut conſtat in fideli exiſtente in peccato mortali. Et propterea licèt actus fidei præcedat actum charitatis; nihilominus non intelligitur pro illo priori meritorius vitæ æternæ: hanc enim rationem participat fides à charitate referente illius actum ad Deum ultimum finem: quæ relatio & requiritur ad prædictum meritum, & non convenit actui fidei ante imperium charitatis, ut ex ſe liquet.

Ordo inter fidem & charitatem. Unde fit, quod licèt fides prius ordine generationis oriatur à gratia, quam charitas: hæc tamen ſit prior illa ordine intenſionis, & intimius conjungitur cum gratia, ardentiuſque appetatur ab ipſa. Imo adhuc in ordine generationis fides non eſt per ſe prior charitate, ſed tantum per accidens, & per ſubrogationem in defectum luminis gloriæ. Hoc quippe eſt virtus, cui magis per ſe convenit ratio potentiæ cognoſcitivæ ſupernaturalis dirigentis charitatem: & propterea inclinatio gratiæ non ſe explicat principaliter in actu fidei, ſed in actu luminis gloriæ, nimirum in viſione clara Dei in ſeipſo: qui actus eſt perfectior ſimpliciter actu charitatis, ut tradunt N. Complut. *in lib. de Anima, diſp. & quæſt. ult.* Unde exemplum illud intellectus, & voluntatis reſpectu animæ non eſt accommodandum fidei, & charitati reſpectu gratiæ; ſed charitati & lumini gloriæ.

DUBIUM VII.

Quanta ſit perfectio gratiæ ſanctificantis.

HUjus difficultatis reſolutio nequit congruentius haberi, quam per comparationem gratiæ ad alia entia creata. Sed ut à facilioribus nos breviter explicemus, viamque ſternamus ad magis obſcura, oportet aliqua prælibare,

§. I.

Præſupponuntur aliqua ad dubij reſolutionem.

111. PRimo igitur obſervandum eſt dupliciter poſſe aliquid dici perfectius alio: *Quomodo unum dicatur perfectius alio.*
uno modo in æſtimatione morali, quo pacto aurum eſt perfectius formica: alio modo in eſſe phyſico, & quoad ſpeciem, qua ratione formica eſt præſtantior auro. Similiter poteſt perfectio

Digitized by Google

rei bifariam conſiderari: primo abſolutè, & in ſe; ſecundo reſpectivè, & per comparationem ad aliud: plura enim ſunt in ſe minus perfecta, quæ reſpectivè ad aliud ſunt perfectiora ſeu magis congruentia: ſicut eſſe Angelum perfectius eſt abſolutè, & in ſe quam eſſe hominem; & tamen reſpectu Petri melius eſt eſſe hominem, quam Angelum. Tandem duobus modis poteſt aliquid adhuc in eſſe phyſico, & conſideratum in ſe dici perfectius, quam aliud, nimirum vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. Tunc autem aliquid excedit ſimpliciter, quando habet nobiliorem ſpeciem, ſeu eſſentiam: tunc vero excedit ſecundum quid, quando excedit in hoc, aut illo conceptu quaſi accidentali. Priori modo ſubſtantia eſt perfectior ſuis accidentibus naturalibus, utpote ſuperans illa in ſpecie: poſteriori autem modo accidentia ſunt perfectiora ſubſtantia, communicant quippe illi aliquam majorem actualitatem. Difficultas ergo præſens principaliter non procedit de exceſſu gratiæ ſuper alia entia ſolum in æſtimatione morali, & ſecundum quid, & relate accepta; ſed de perfectione phyſica, conſiderata in ſe, & ſimpliciter tali.

Gratia eſt perfectior accidentibus naturalibus.

112. Secundo ſupponendum eſt gratiam ſanctificantem eſſe phyſicè, & ſimpliciter perfectiorem omnibus accidentibus ordinis naturalis. Hanc ſuppoſitionem, licèt Ripalda *diſp.* 227. dicat eſſe dubiam, & ſolo arbitrio æſtimandam, docent ſatis communiter Theologi, & quidem merito. Tum quia accidētia naturalia, & gratia conveniunt in ratione accidentis, & in modo habendi imperfectè exiſtentiam: & aliunde gratia eſt forma ordinis ſimpliciter ſuperioris, & perfectioris; cum ſit ordinis divini: ergo gratia eſt ſimpliciter perfectior accidentibus naturalibus. Tum etiam quia ſuppoſita convenientia in ratione communi, exceſſus ſimpliciter talis deſumendus eſt ex differentia ſpecifica uniuſcujuſque rei: at ſic eſt, quod nullum accidens naturale gaudet differentia ſpecifica ita perfecta, ſicut gratia ſanctificans: nam differentia accidentis naturalis ſumitur per habitudinem ad ſpecificativum naturale; gratiæ vero differentia conſiſtit in participatione formali naturæ divinæ, ut vidimus *dub.* 3. quæ ratio longiſſimè præſtat alteri: ergo gratiæ perfectio excedit ſimpliciter perfectionē accidentium naturalium. Quod majori confirmatione non indiget, & à fortiori conſtabit ex dicendis à *n.* 117.

Excedit alia accidentia ſupernaturalia.

113. Tertio præmittendum eſt gratiam habitualem eſſe ſimpliciter perfectiorem omnibus habitibus, & virtutibus ordinis ſupernaturalis. Ratio ſumitur ex dictis: quoniam in quocumque ordine natura eſt perfectior ſimpliciter iis, quæ ab ea dimanant vel tanquam proprietates, vel tanquam accidentia communia: hæc quippe comparantur ad illam ſicut ad communem radicem, in qua perfectio, quæ in ipſis diviſa invenitur, cum majori unitate, ac ſimplicitate continetur: ſed gratia ſanctificans ſe habet in ordine ſupernaturali ſicut quædam natura, à qua omnes virtutes, & habitus ſupernaturales dimanant, ut oſtendimus *dub. præced.* ergo eſt ſimpliciter perfectior, quam illa. Adde primo, quod nullius virtutis perfectionem magis extollunt ſancti Patres, quam charitatis: atqui gratia eſt ſimpliciter perfectior charitate, ut diximus, *n.* 87. ergo excedit in perfectione omnes virtutes. Lumen etiam gloriæ dimanat à gratia, & tantum habet quandam partem illius perfectionis, quæ continetur in gratia: hæc quippe eſt radix generalis omnis rectitudinis, & in ordine ad omnia objecta: at lumen ſolum perficit animam in ordine ad intelligendum Deum ſub ratione veri. Adde ſecundo, quod in Deo conceptus eſſentiæ, ſeu naturæ præſtat ſimpliciter aliis cōceptibus in perfectione: gratia autem participat formaliter conceptum naturæ divinæ; & aliæ virtutes participant alios conceptus: ergo perfectio gratiæ excedit ſimpliciter aliorum habituum ſupernaturalium perfectionem.

Eſt perfectior viſione beata.

114. Quarto ſupponendum eſt gratiam ſanctificantem eſſe ſimpliciter perfectiorem viſione beatifica, & conſequenter omnibus aliis operibus ſupernaturalis ordinis. Hæc ſecunda ſuppoſitionis pars legitimè infertur ex prima: quia nulla operatio adæquat perfectionem viſionis beatificæ. Prima vero non admittitur ab omnibus Theologis etiam intra ſcholam D. Thom. Modo vero illam ſupponimus ut probabiliorem, & S. Doctori magis conformem. Tum quia in nullo ordine operatio eſt perfectius ſimpliciter, quam primum eſſe, ſed è converſo: atqui gratia in ordine ſupernaturali dat primum eſſe, & viſio beatifica eſt quædam operatio, ut ex ſe, & ex dictis ſatis conſtat: ergo gratia eſt perfectior ſimpliciter, quam viſio. Tum etiam quia nulla operatio particularis quantumvis perfecta continet adæquatè perfectionem contentam in natura, quæ eſt principium illius: cum hæc poſſit efficere plures alias operationes: ergo cum viſio ſit particularis operatio, & gratia ſe habeat ut natura, quæ eſt ejus principium, ſequitur gratiam excedere ſimpliciter viſionem. Tum præterea quia per gratiam communicatur nobis tota Dei natura ſub conceptu radicis eſſendi, operandi, & attributorum; per viſionem autem ſolum participamus naturam divinam ſub particulari conceptu operationis: ſed perfectior eſt illa communicatio, quam hæc: ergo perfectior eſt gratia quam viſio. Tum denique, & præcipue, (ut obiter deſtruamus præcipuum fundamentum opinionis adverſæ,) quia licèt finis *qui*, ſive objectivus, ſit ſimpliciter perfectior eo, quod eſt ad finem; non tamen finis *quo*, ſeu aſſecutio formalis finis *qui*: nam hæc aſſecutio finis ordinatur per ſe ad perfectionem finis *cui*, & eſt propter ipſum: at ſic eſt, quod viſio non eſt finis *qui* gratiæ ſanctificantis, ſed ſolum finis *quo*, ſive aſſecutio finis objectivi, nimirum Dei in ſeipſo: ipſa vero gratia, vel ſuppoſitum gratum ſe habet ut finis *cui*: ergo viſio non eſt ſimpliciter perfectior, quam gratia, ſed è converſo.

Eſt minus perfecta, quā unio hypoſtatica.

115. Quinto ſupponendum eſt unionem hypoſtaticam, (ſi eſt aliquis modus creatus,) eſſe perfectiorem ſimpliciter gratia ſanctificante. Hanc ſuppoſitionem negat Cabrera 3. *p. quæſt.* 2. *art.* 9. *diſp.* 2. ſed etiam rectè probat Suarez *ibidem ſect.* 2. Quoniam perfectiori modo conjungit unio hypoſtatica humanitatem cum Deo, quam gratia: illa enim conjungit ſubſtantialiter, & in unitate perſonæ, hæc vero ſolum accidentaliter: ſed perfectio entitatum ſupernaturalium attenditur penes majorem conjunctionem, & acceſſum ad Deum: ergo perfectior ſimpliciter eſt illa unio, quam gratia. Quod ſatis expreſſit D. Thom. *loco citato*, *art.* 10. *ad* 1. his verbis: *Gratia, quæ eſt accidens, eſt quædam ſimilitudo divinitatis participata in homine. Per Incarnationem autem humana natura non dicitur participaſſe ſimilitudinem aliquam divinæ naturæ, ſed dicitur eſſe conjuncta ipſi divinæ naturæ in perſona filij: majus autem eſt ipſa res, quam ſimilitudo ejus participata.* Et ſimilia habet in

Cabrera. Suarez.

D. Thom.

eadem

eadem 3. p. q. 7. art. 13. ad 3. Unde Caiet. 3. part. q. 4. art. 1. ad 2. inquit: *Proculdubio majus, nobilius, excellentius, perfectiusque eſt uniri Deo in perſona, quam per gratiam, & gloriam conſummatam.* In quo amplius roborando non immoramur in præſenti, ne difficultatem 3. part. tractandam nunc præveniamus. — Caietan.

116. Suppoſito igitur, quod gratia excedat ſimpliciter omnes formas accidentales tam naturales, quam ſupernaturales, & quod non adæquet perfectionem unionis hypoſtaticæ; videndum præcisè ſupereſt, qualiter ſe habeat comparata ad formas, & naturas ſubſtantiales. — *Punctum difficultatis.*

Circa quod etiam ſupponimus cum D. Thom. q. 110. art. 2. ad 2. gratiam, & ſubſtantiam ſe mutuo excedere exceſſu ſecundum quid: nam ſi gratia conſideratur ut actualitas quædam elevans naturam ad ordinem ſuperiorem, nequit non illam ſaltem ſecundum quid antecellere: ſi vero ſubſtantia conſideretur ut ens per ſe, cui gratia, ut exiſtat, innititur; profecto explicat exceſſum aliquem ſupra gratiam. Difficultas autem eſt, utrum attentis omnibus, & librata hinc, & inde perfectione ſubſtantiæ creatæ, & gratiæ ſanctificantis, hæc ſit ſimpliciter, & abſolutè perfectior, quam illa. Vbi rejiciendus occurrit Ripalda tom. 1. diſput. 21. ſect. 2. ubi tradit hoc dubium non poſſe ſolidis fundamentis, ſed tantum conjecturis, & quadam arbitraria æſtimatione reſolvi: oppoſitam enim ſatis liquet ex communi Theologorum praxi, qui illud tractant, & amplius conſtabit ex iis, quæ ſtatim dicemus. Fatemur tamen cum Ledeſma infra referendo quæſtionem hanc, licet optimam eſſe difficillimam. — D. Thom. — Ripalda.

§. II.

Eligitur vera ſententia, & auctoritate munitur.

Concluſio. 117. Dicendum eſt gratiam ſanctificantem eſſe ſimpliciter perfectiorem omni forma ſubſtantiali. Hanc concluſionem docent Ledeſma *de perfect. divinis, quæſt. 4. art. 6. ſub art. unico, concluſ. 3.* Martinez *in præſenti, art. 1. dub. 2.* Cabrera *3. part. quæſt. 64. art. 1. diſp. 1. §. 2.* Curiel *infra quæſt. 112. art. 1. dub. 1. §. 2.* Arauxo *lib. 7. Metaph. quæſt. 1. art. 4 & in præſenti, quæſt. 113. art. 9. dub. unico, & diſp. 3, præambula, ſect. 5. concluſ. 2.* dicens ſic ſentire plures modernos doctiſſimos diſcipulos D. Thomæ, Aragon 2. 2. *quæſt. 23. art. 3. dub. ult.* Granad. *controv. 8. tract. 4. diſp. 5.* Valentia *quæſt. 4. punct. 1.* & alij. — Ledeſma. Martinez. Cabrera. Curiel. Arauxo. Aragon. Granados. Valentia.

Probatur ex D. Thom. Probatur ex D. Thom. *quæſt. 112. art. 1.* ubi probans nullam creaturam poſſe per modum cauſæ principalis producere gratiam habitualem, (quod nos ex profeſſo ibi oſtendemus:) inquit: *Nulla res poteſt agere ultra ſuam ſpeciem: quia ſemper oportet, quod cauſa potior ſit effectu. Donum autem gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ; cum nihil aliud ſit, quam quædam participatio divinæ naturæ, quæ excedit omnem naturam. Et ideo impoſſibile eſt, quod aliqua creatura gratiam cauſet.* Nihil autem concluderet S. Doctor, ſi gratia excederet naturam, & ſubſtantiam exceſſu præcisè ſecundum quid: nam optime cohæret effectum eſſe perfectiorem ſecundum quid ſua cauſa principali, ſi ſemel illa ipſum excedit ſimpliciter, & inductivè poteſt oſtendi: ergo juxta D. Thom. gratia eſt ſimpliciter perfectior, quam ſubſtantia. Idem tradit S. Doct. *quæſt. 113. art. 9.* ubi inquirit, an juſtificatio impij ſit maximum opus Dei, & reſpondet in hunc modum: *Dicendum, quod opus aliquod poteſt dici magnum dupliciter. Uno ex parte modi agendi: & ſic maximum opus eſt creatio, in quo ex nihilo fit aliquid. Alio modo poteſt dici opus magnum propter magnitudinem ejus, quod fit: & ſecundum hoc majus opus eſt juſtificatio impij, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quam creatio cœli, & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis.* Si autem cœlum, & terra, (& idem eſt de aliis ſubſtantiis tametſi ſpiritualibus: nam D. Thom. nullam excludit, ut ex contextu liquet,) eſſent ſimpliciter perfectiora, quam gratia; jam creatio cœli, & terræ excederent juſtificationem impij, non ſolum ex parte modi agendi, verum etiam ex parte rei factæ: cujus oppoſitum ſtatuit, & probat D. Thom. ergo ex ejus mente gratia eſt ſimpliciter perfectior, quam ſubſtantia creata. Quod adhuc magis expreſſit *in 4. d. 17. quæſt. 1. art. 5. quæſtiunc. 1. ad 1.* ubi hæc habet: *Dicendum, quod verbum Auguſtini,* de quo ſtatim, *) intelligendum eſt quantum ad id, quod fit: quia in creatione fit res ſecundum eſſe naturæ, quod eſt minus, quam eſſe gratiæ, &c.* — D. Thom. — Idem.

Confirmatur ex aliis Patribus. Confirmatur ex aliis S. Patribus, & præcipuè ex D. Auguſtino qui pluribus in locis tradit noſtram aſſertionem: nam *lib. 2. ad Bonifacium, cap. 6.* circa finem ait: *Gratia Dei non ſolum omnia ſydera, & omnes cœlos, verum etiam omnes Angelos ſupergreditur.* Et, *tract. 72. in Ioann.* inquit: *Prorſus majus hoc eſſe dixerim,* videlicet juſtificare impium,) *quam eſt cœlum, & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo, & in terra.* Et, *ſerm. 15. de verbis Apoſtoli,* aſſerit: *Melius eſt juſtum eſſe, quam hominem eſſe.* Idemque tradit in aliis locis loquens de gratia ſub nomine charitatis. Quod etiam docent alij Patres, Origenes *lib. 6. in Iſaiam,* Gregorius *lib. 3. Dialogi, cap. 17.* Anſelmus *lib. de libero arbitrio, cap. 10.* Bernard. *ſerm. 29. in Cantica,* Nazianzenus *orat. 40.* ubi hæc habet: *Quemadmodum creavit nos Dominus, ita creatos inſtauravit, ac refinxit, & quidem figmento diviniori, primumque figmentum ſuperante.* Qui exceſſus debet eſſe ſimpliciter: alias idem poſſit dici de quolibet accidente naturali. — D. Auguſt. — Origenes. Gregor. Anſelmus. Bernard. Nazianzen.

Ad hæc accedit auctoritas ſacræ paginæ, quæ non obſcurè noſtram aſſertionem tradit, dum ſapientiam, hoc eſt, divinam gratiam, omnibus rebus creatis anteponit, ut Proverb. 8. *Melior eſt ſapientia cunctis opibus pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Et Sapient. 7: *Præpoſui illam regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* Et Job. 28. *Neſcit homo pretium ejus.* Ac denique Divus Petrus in 2. cap. 1. gratiam juſtificantem maximum & pretioſum donum Dei antonomaſticè vocat: *Maxima,* inquit, *& pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Et hinc provenit, quod gratia ſanctificans appellatur abſolutè participatio divinæ naturæ, & conſortium ejus: quoad de nulla ſubſtantia dici conſuevit. Recolantur ſupra dicta *numero* 6[illegible] *& 69.* — Proverb. 3. — Sapient. 7. — Job. 28. — 2. Petr. c. 1.

118. Unde excluſæ manent evaſiones, quibus Ripalda contendit robur horum teſtimoniorum eludere

elevare, vel quia loquantur in ſola æſtimatione morali; vel quia in eis ſolum fiat comparatio gratiæ ad alia dona, quæ poſſunt communicari naturæ, non vero ad ipſam naturam; vel denique quia interpretari debent de gratia in concreto, quo pacto includunt ipſam ſubſtantiam, & addunt perfectionem ſupra illam conſideratam ſecundum ſe.

Præcluduntur. Hæ inquam, evaſiones præcluduntur ex eiſdem teſtimoniis. Prima quidem: nam D. Thom. hanc comparationem metaphyſicè tractat, & conditionem cum naturæ, cum gratiæ hinc, & inde perpendit, ut ipſa teſtimonia ſatis evincunt. Et ſi loqueretur de ſola æſtimatione morali, idem poſſet aſſerere de quolibet actu bono virtutis acquiſitæ, nec ita gratiam efferret. Secunda etiam excluditur: nam D. Auguſt. comparat gratiam non cum donis accidentalibus, ſed cum ipſis rerum ſubſtantiis, ut cum cœlo, & terra, & Angelis. Et D. Nazianz. expreſsè loquitur de gratia reſpectivè ad primum figmentum, quod fuit homo ipſe, vel anima. Tertia tandem ſeipſa corruit: quia relata teſtimonia non loquuntur de gratia in concreto, ſed in abſtracto: non enim dicunt, quod eſſe gratum ſit perfectius, ſed quod ipſa gratia ſit excellentior tum aliis rebus, tum ipſo ſubjecto, cui ineſt. Et plane oppoſitus ſenſus, quem Ripalda illis attribuit, indignus eſt Patrum gravitate: nam eodem modo poſſent dicere, quod quantitas eſt perfectior cœlo: quatenus enim complectendo ſubſtantiam cœli majorem perfectionem exprimit, quam ſola ſubſtantia, & ſic de aliis: quod eſt ridiculum.

§. III.

Eadem aſſertio ratione probatur.

Ratio fundamentalis ex D. Thom. 119. Fundamentum præcipuum noſtræ aſſertionis continetur in relatis teſtimoniis, & poteſt in hunc modum formari: quoniam perfectio cujuſcumque creaturæ ſumitur per majorem acceſſum: & conjunctionem ad increatam perfectionem Dei: ſed gratia ſanctificans magis ſimpliciter accedit ad increatam Dei perfectionem, quam quælibet ſubſtantia creata: ergo gratia ſanctificans excedit ſimpliciter omnem ſubſtantiam creatam. Conſequentia eſt legitima. Major videtur manifeſta: nam ſicut illud eſt magis calidum ſimpliciter, quod magis accedit ad maxime calidum: ita illud debet eſſe ſimpliciter magis perfectum, quod magis accedit ad maxime perfectum, quod eſt D. O. M. juxta illud, *primum in unoquoque genere eſt cauſa, & menſura cæterorum.* Minor autem oſtenditur: quia gratia ſanctificans accedit ad perfectionem divinam participando formaliter id, quod in Deo eſt maxime perfectum, nimirum conceptum naturæ divinæ: nulla autem ſubſtantia creata, vel creabilis participat conceptum adeo perfectum; cum ſit participatio Dei non juxta modum proprium Dei, ſed juxta exigentiam connaturalem ipſarum rerum: ergo gratia ſanctificans magis ſimpliciter accedit ad perfectionem Dei, quam omnis ſubſtantia creata.

Roboratur. Confirmatur: nam ideo Suarez *num.* 115. relatus, & omnes fere adverſarij docent unionem hypoſtaticam eſſe ſimpliciter perfectiorem gratia ſanctificante, quia natura creata intimius, & immediatius unitur Deo per unionem hypoſtaticam, quam per gratiam ſanctificantem, ut arguit Suarius *loco citato*: atqui intimius, & immediatius unimur Deo per gratiam, quam per naturam, ſive ſubſtantiam: ergo gratia præſtat ſimpliciter omni naturæ, & ſubſtantiæ creatæ. Probatur minor: quia unio fundat conformitatem, & ſimilitudinem: ſed magis conformamur, & aſſimilamur Deo per gratiam, quam per naturam: & ideo gratia conſtituit nos Deos per participationem, & facit nos filios adoptivos Dei, aliaque munia divina præſtat, quæ nullo modo per naturam conſequi poſſumus: ergo intimius ac perfectius unimur Deo per gratiam, quam per naturam.

Duæ reſponſiones. 120. Huic argumento occurrit Ripalda dupliciter. Primo reſpondet hominem perfectius Deo coniungi per gratiam, quam per naturam: eo quod coniunctio per gratiam complectitur perfectiones tam naturales, quam ſupernaturales; coniunctio vero per naturam ſolum explicat perfectiones naturalis ordinis: unde mirum non eſt, quod illa coniunctio iſtam excedat, licèt gratia non excedat ſimpliciter naturam. *Secundo* reſpondet coniunctionem, & acceſſum ad Deum, qui fit per gratiam, ſolum eſſe intentionalem, videlicet per cognitionem, & amorem; non vero phyſicam, & entitativam: quoad æmulationem, inquit, & imitationem perfectionum: nam gratia ſeorſim à ſubſtantia non eſt vivens, libera, & intellectiva, atque ideo non adæquat perfectionem entitativam ſubſtantiæ, cui animæ hæc prædicata congruunt.

Prima evertitur. Sed prima ſolutio vel non penetrat vim argumenti, vel deſtruit ſtatum quæſtionis effugiens eius difficultatem: nam aliud eſt, quod coniunctio facta per gratiam ſupponat coniunctionem factam per naturam; aliud vero, quod eam includat. Primum quidem verum eſt, ſed hoc potius eſt falſum: quoniam ſicut gratia ſupponit realiter naturam, & tamen ab ea eſſentialiter differt, & eam eſſentialiter non includat: unde præſtat locum, ut unam cum altera conferamus: ita licet coniunctio cum Deo per gratiam ſupponat coniunctionem cum ipſo per naturam, nihilominus ab ea diſtinguitur eſſentialiter, & illam in ſuo conceptu formali non complectitur, ſed permittit, quod una cum altera comparetur. Quamobrem licèt eæ coniunctiones non ſeparentur realiter mutuo; poſſunt tamen per intellectum abinvicem abſtrahi, & inter ſe conferri. Et hoc pacto procedit noſtrum argumentum, quod proinde non diluitur hac ſolutione, ſed in ſuo robore perſeverat, ut iam videbimus.

Secunda confutatur. Secunda reſponſio plura continet falſa, & nobis improbabilia. Tum quia homo per gratiam coniungitur Deo, acceditque ad illius perfectionem non ſolum intentionaliter media cognitione, & amore, ſed etiam phyſicè, & antecedenter ad omnem operationem. Quod ſatis liquet in parvulis baptizatis, qui ſecundum illam diſpoſitionem nequeunt Deum cognoſcere, & amare: & nihilominus ſunt vere filij Dei, participes naturæ divinæ, Deo grati, & modo ſpecialiſſimo ei ſimiles: id quod ſine temeritate, & errore negari non valet. Gratia igitur coniungit hominem cum Deo non ſolum intentionaliter, ſed etiam phyſicè. Tum etiam quia maior coniunctio, ſeu acceſſus phyſicus creaturarum ad Deum conſiſtit in eo, quod per ſuas entitates imitentur, &

exprimant

exprimant, aut æmulentur, ut ille Auctor loquitur, divinam perfectionem: at ſic eſt quod gratia ſanctificans per ſuam entitatem imitatur, & exprimit perfectionem divinam, idque excellentiori modo præſtat, quam omnis ſubſtantia creata: eo quod gratia, per ſuam entitatem eſt participatio formalis naturæ Dei ſub conceptu proprio naturæ: quæ ratio nulli ſubſtantiæ creatæ poteſt convenire (ſi enim competeret, jam illa ſubſtantia eſſet ſupernaturalis: quod eſſe impoſſibilem ſupponimus in præſenti) ergo gratia phyſicè, & perfectius accedit ad perfectionem Dei, quam omnis ſubſtantia creata. Tum præterea quia falſum eſt gratiam ſecundum ſuam entitatem non eſſe viventem, intellectivam, & liberam: nam oppoſitum evidenter ſuadent actus ſupernaturales vitales, intelligentes, & liberi, qui ab ipſa gratia tanquam à natura, & prima hujus ordinis radice procedunt, ut ſatis liquet ex dictis *dub. 1.* Tum denique quia ſi prædictus Auctor reducit totam perfectionem phyſicam animæ, vel Angeli ad hujuſmodi prædicata, eo ipſo ſequitur gratiæ exceſſus ſupra illa: nam gratia eſt participatio formalis vitæ per eſſentiam, & ideo *ad Rom. 6.* dicitur, *Gratia Dei vita æterna*: eſt principium nobiliſſimæ intellectionis, videlicet viſionis Dei in ſeipſo: gaudet perfectiſſima libertate, ſiquidem ita attingit bonum, ut nequeat declinare ad malum: quæ omnia ſuperant vitam, intellectualitatem, & libertatem ordinis naturalis, ut ex ſe liquet. *Ad Rom. 8*

Objectio. 121. Sed oppones: quoniam ſpecies Angeli ſuperioris exiſtens in Angelo inferiori eſt participatio formalis naturæ Angeli ſuperioris, ſive, & in idem redit, eſt ipſa natura per participationem: ſed Angelus ſuperior eſt ſimpliciter perfectior Angelo inferiori, ut ex ſe liquet: ergo ſi ratio à nobis facta aliquid probat, ſuadet, quod prædicta ſpecies eſt ſimpliciter perfectior, quam Angelus inferior, cui inhæret: conſequens eſt abſurdum, ergo prædicta ratio nihil convincit. Declaratur vis hujus objectionis: nam magis accedit ad Angelum ſuperiorem ſpecies illum quidditativè repræſentans, quam ſubſtantia Angeli inferioris: eo quod prædicta ſpecies habet participativè formaliter naturam, quam repræſentat; non minus quam gratia habet participativè naturam Dei, quam imitatur: & tamen quia prædicta ſpecies eſt accidens, & Angelus inferior ſubſtantia; hic eſt ſimpliciter perfectior, quam illa, magiſque accedit abſolutè ad perfectionem Angeli ſuperioris: ergo cum gratia ſit accidens, ſequitur quod non excedat ſimpliciter ſubſtantias creatas, licèt aliquomodo videatur magis accedere ad divinam perfectionem.

Reſponſio. Reſpondetur objectioni negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt: quoniam ſubſtantia Angeli inferioris, & ſpecies ſuperioris in inferiori exiſtens pertinent phyſicè loquendo, ad eundem ordinem naturalem, & ſunt, ut plures volunt, ejuſdem immaterialitatis: conſtat autem, quod intra eundem ordinem ſubſtantia præſtat ſimpliciter accidentibus: & propterea Angelus inferior eſt ſimpliciter perfectior, quam ſpecies repræſentativa Angeli ſuperioris. Hæc autem ratio non militat in gratia ſanctificante, quæ, ut ſupponimus, eſt ordinis divini, & habet ſpecialem cognitionem cum Deo, ut *dub. 4.* explicuimus. Accedit quod ſpecies non eſt participatio phyſica objecti, quippe quæ conſiderata ſecundum ſuam entitatem non aſſimilatur illi, neque elicit phyſicè ejus operationes: ſed tantum dicitur habere ipſius naturam in quodam eſſe diminuto, & intentionali, quamobrem ex prædicto acceſſu, & conjunctione ad ſuperiorem Angelum, non arguitur habere phyſicè exceſſum ſimpliciter ſupra Angelum inferiorem. Gratia autem imitatur perfectionem Dei non præcisè intentionaliter, aut in ordine ad cognitionem; ſed phyſicè, & entitative: ſicut enim natura Dei in ſe conſiderata eſt principium radicale videndi, & amandi Deum in ſeipſo: ita gratia eſt phyſicum principium in nobis, ut eliciamus ſimiles operationes & circa idem objectum. Per quod liquet ad id, quod in objectione adhibetur: nam falſum eſt, quod ſpecies participet naturam objecti eo modo, quo gratia participat naturam Dei, ut patet ex modo dictis.

122. Replicabis: quia abſolutè loquendo non minus gratia diſtat à Deo, quam ſpecies Angeli ſuperioris diſtat ab illo: ſed propter hanc diſtantiam licèt Angelus ſuperior excedat ſimpliciter Angelum inferiorem; ſpecies tamen illius hunc ſimpliciter non excedit: ergo gratia non excedet ſimpliciter ſubſtantiam, quamvis Deus, cujus eſt participatio, ipſam excedat. *Replica.*

Reſpondetur negando conſequentiam: quia licèt habens gratiam multum diſtet à Deo, tamen ſubſtantia creata multum etiam diſtat ab illo; & facta comparatione inter utramque, major eſt hæc diſtantia, quam illa: quod ſatis evincitur ex ipſa elevatione naturæ per gratiam. Angelus autem inferior magis accedit phyſicè ad Angelum ſuperiorem, quam ſpecies illum repræſentans; ſiquidem ſunt ſimpliciter ejuſdem generis. Unde replica peccat in eo, quod præcisè comparat gratiam, & ſpeciem, non vero ſubſtantiam creatam, & Angelum inferiorem. Et ideo ſic debet formari: ita ſe habent gratia, & ſubſtantia creata ad Deum, ſicut reſpectu Angeli ſuperioris ſe habent ſpecies cum repræſentans, & Angelus inferior. Sed tum negatur antecedens: nam quamvis gratia magis diſtet à Deo, quam ſpecies ab Angelo ſuperiori; nihilominus Angelus inferior minus diſtat à ſuperiori Angelo, quam ſubſtantia creata diſtat à Deo. Et propterea attentis omnibus, prædicta ſpecies non excedit Angelum, & gratia ſuperat ſubſtantiam creatam. *Solvitur.*

§. IV.

Aliud fundamentum noſtræ ſententiæ.

Aliud fundamentum veræ ſententiæ.

123. Secundo probatur noſtra concluſio ratione ſatis efficaci: quoniam illa natura eſt ſimpliciter perfectior, quæ habet operationes ſimpliciter perfectiores: atqui operationes propriæ gratiæ ſanctificantis excedunt ſimpliciter operationes cujuſcumque ſubſtantiæ creatæ: ergo illa eſt ſimpliciter perfectior, quam hæc. Major videtur per ſe nota: nam cum operari ſequatur ad eſſe ſpecificum, ſeu naturæ; illa procul dubio erit perfectior natura, quæ fuerit principium nobiliorum operationum. Et hoc pacto venamur perfectiones naturarum, & colligimus exceſſum unius ſupra aliam, utputa ſenſitivæ ſupra vegetativam, & rationalis ſupra ſenſitivam: quia videlicet ſentire eſt perfectius quam nutriri, aut augeri, & diſcurrere eſt nobilius, quam ſentire. Minor etiam conſtat: quia viſio, & amor Dei in ſeipſo ſunt operationes propriæ gratiæ ſanctificantis

Digitized by Google

cantis : ſed prædictæ operationes excedunt ſimpliciter omnes operationes ordinis naturalis, ſiquidem attingunt excellentiſſimum objectum, & nobiliſſimo modo ; ita ut nec perfectius objectum, nec excellentior attingentiæ modus poſſunt excogitari in creatis : ergo operationes gratiæ ſanctificantis præſtant ſimpliciter operationibus cujuſcumque ſubſtantiæ creatæ.

Confirmatur primò. Confirmatur primo : nam illa natura eſt ſimpliciter perfectior, à qua dimanant, & cui correſpondent perfectiores virtutes, & potentiæ : at ſic eſt, quod potentiæ, ac virtutes dimanantes à gratia, & quæ correſpondēt illi, ſunt ſimpliciter perfectiores quam potentiæ, & virtutes propriæ ſubſtantiæ creatæ : ergo gratia excedit ſimpliciter omnem creatam ſubſtantiam. Major conſtat ; quia nobiliori principio debentur nobiliora inſtrumenta, cujuſmodi ſunt virtutes, & potentiæ reſpectu naturæ. Minor etiam oſtenditur : quia charitas (ut alias potentias, & virtutes ſupernaturales omittamus) eſt perfectior ſimpliciter, quam voluntas, & omnis alia virtus acquiſita; ſiquidem attingit nobiliſſimum objectum, & ſub perfectiſſima ratione, videlicet ſummum bonum ſupernaturale ſub ratione ultimi finis : & deinde ſubjicit ſibi voluntatem, & omnes eius inclinationes.

Roboratur amplius. Confirmatur ſecundo ex doctrina D. Thom. *quæſt. 27. de verit. art. 5. ad 24.* quia principium, cui correſpondet finis nobilior, eſt perfectius alio principio, cui correſpondet finis inferior: nam cum principium, & finis mutuò ſibi correſpondeant ; talis eſt ordo agentium, qualis eſt ordo finium ipſis correſpondentium : ſed finis proprius gratiæ ſanctificantis excedit ſimpliciter omnes fines proprios naturarum ſubſtantialium: ergo gratiæ perfectio ſuperat ſimpliciter aliarum naturarum perfectionem. Minor liquet : quoniam finis proprius, & peculiaris gratiæ ſanctificantis eſt ipſe Deus ſub ratione ſummi boni tam naturalis, quam ſupernaturalis : finis autem particularis aliarum rerum vel eſt aliquid creatum, vel eſt ipſe Deus ſub aliqua ratione particulari boni naturalis : ſed Deus ſub ratione ſummi boni tam naturalis, quam ſupernaturalis excedit ſimpliciter & alia bona creata, & ſeipſum ſub ratione particulari boni naturalis : ergo fines proprios naturarum ſubſtantialium.

Fulcitur ulterius. Ex quibus confirmatur tertio : quia ita ſe haber ſubſtantia creata ad gratiam, ſicut ſe habent operationes, virtutes, & finis ſubſtantiæ ad operationes, virtutes & finem gratiæ : ſiquidem perfectio cujuſcumque rei nequit congruentius, ſaltem à poſteriori, explicari, quam per operationes, virtutes, & finem illius ; atqui operationes, virtutes, & finis gratiæ ſanctificantis excedunt ſimpliciter operationes, virtutes, & finem omnis ſubſtantiæ creatæ, ut conſtat ex dictis: ergo gratia hanc ſimpliciter excedit in perfectione.

Prima reſponſio. 124. Huic argumento, & confirmationibus poteſt reſponderi primo colligi potius ex eis, quod ſubſtantia creata ſit ſimpliciter perfectior, quam gratia ſanctificans : nam prima actualitas uniuſcujuſque rei eſt eſſe, ut tradit D.Thom. *1. part. quæſt. 4. art. 1. ad 3.* & ſecundum doctrinam D.Dionyſ. *5. de divinis nominibus eſſe* eſt ſimplicirer perfectius omnibus, quæ ad ipſum conſequuntur, cujuſmodi ſunt virtutes, & operationes : quamobrem perfectio cujuſvis naturæ non ex operationibus, ſed ex ejus eſſe primò inveſtiganda eſt. Conſtat autem, quod ſubſtantia creata habet nobilius eſſe, quam gratia ſanctificans; ſiquidem illa habet eſſe per ſe, & abſolutè tale, hæc vero utpote accidens ſolum habet eſſe in alio, & ſecundum quid. Unde exceſſus gratiæ ſupra naturam tam in operationibus, quam in virtutibus, & fine, ſolum atteſtantur exceſſum ſecundum quid, & compenſatur per exceſſum naturæ ſupra gratiam in exiſtendo, qui eſt exceſſus ſimpliciter. Cui doctrinæ ſuffragari videtur D.Thom. *in hac quæſt. 21. ad 2.* ubi ait : *Ipſa participatio bonitatis, quæ eſt gratia, imperfectiori modo habet eſſe in anima, quam anima ſeipſa ſubſiſtat : eſt tamen nobilior, quam natura animæ, in quantum eſt expreſſio, vel participatio divinæ bonitatis, non vero quantum ad modum eſſendi.* Idemque aperte tradit in aliis locis, ut *num. 131.* videbimus. Vnde argumentum ſuperius factum poteſt in nos retorqueri. *Idem.*

Evertitur. Sed contra eſt : quoniam licèt verum ſit, quod eſſe rei ſit potiſſima ejus perfectio, falſum tamen eſt, quod perfectio tam eſſentiæ, quam exiſtentiæ uniuſcujuſque rei non rectè colligatur ex virtutibus, operationibus, & fine, quæ ipſi correſpondent : oppoſitum enim ſatis manifeſtatur ex dictis. Vnde ſicut operationes gratiæ (ut alia prætermittamus) excedunt ſimpliciter operationes naturæ ; ita eſſe gratiæ ſuperat ſimpliciter eſſe naturæ : nam operari conſequitur eſſe, & explicat illius perfectionem. Quamobrem qui concedit operationes gratiæ præſtare ſimpliciter operationibus naturæ, ut admittit hæc reſponſio, inconſequenter negat exiſtentiam gratiæ excedere ſimpliciter ſubſtantiæ exiſtentiam. Nos autem utrumque affirmamus : quia licèt in eodem ordine naturali, vel ſupernaturali eſſe per ſe ſit perfectius ſimpliciter, quam eſſe in alio; tamen eſſe in alio ordinis divini, cujuſmodi eſt eſſe gratiæ, excedit ſimpliciter eſſe per ſe ordinis naturalis. Vnde pariter Theologizamur de eſſentia, & exiſtentia gratiæ ſanctificantis : tum quia nobiliori eſſentiæ correſpondet nobilior actualitas exiſtentiæ : tum quia ſicut eſſentia gratiæ participat formaliter conceptum naturæ Dei, quæ antefertur omni naturæ ; ita exiſtentia gratiæ formaliter participat conceptum exiſtentiæ divinæ, quæ antecellit omnes exiſtentias creatas. Imo exiſtimamus exiſtentiam gratiæ eſſe perfectiorem ſimpliciter eſſentia ſeu quidditate ipſius gratiæ, ut in naturalibus tradunt Complut. abbreviati *in lib. de Generat. diſp. ult. quæſt 5. num. 6.*

Motivum reſponſionis enervatur. 120. Nec iſtam reſponſionem impugnant, quæ in ſui favorem prædicta reſponſio adducebar, quoniam aliud eſt *eſſe*, & aliud modus eſſendi. Quamvis ergo modus eſſendi per ſe explicet majorem perfectionem, quam modus eſſendi in alio ; nihilominus eſſe, ſive exiſtentia actuans quidditatem alteri inhærentem poteſt eſſe perfectior, quam exiſtentia actuans eſſentiam ſubſiſtentem in ſe, ut in præſenti contingit. Quod evidentius fiet, ſi animadvertamus exiſtentiam accidentis non eſſe ipſam inhærentiam, ſive unionem eius ad ſubjectum, ut aliqui falſo apprehendunt, ſed eſſe aliam actualitatem, quæ quidditatem accidentis jam inhærentem ſupponit : ſicut exiſtentia ſubſtantiæ non eſt ſubſiſtentia, ſed alia actualitas, quæ ad eſſentiam ſubſtantiæ terminatam per ſubſiſtentiam ſubſequitur. Vnde fieri poteſt, quod modus eſſendi per ſe, nempe ſubſiſtentia, ſit perfectior, quam modus eſſendi in alio, videlicet, quam inhærentia : & quod nihilominus exiſtentia, ſive

actualitas

Digitized by Google

actualitas rei inhærentis ſuperet ſimpliciter exiſtentiam, & actualitatem rei ſubſiſtentis. Perfectio itaque cujuſcumque rei per ejus eſſentiam, & exiſtentiam, atque operationem ſimpliciter venanda eſt, in quibus gratia excedit naturam; non autem penes modum exiſtendi, in quo natura ſuperat gratiam. Et conſulto D. Thom. in teſtimonio, quod nobis objicitur, non dixit, quod gratia habet imperfectius eſſe, ſed quod habet eſſe imperfectiori modo; nec dixit, quod natura habet nobilius eſſe, ſed quod eſt nobilior quantum ad modum eſſendi. Primum autem deſiderabatur, ut natura excederet ſimpliciter gratiam.

Differentia inter accidentia naturalia, & ſup. naturalia. Ratio autem quare accidentia naturalia hoc ipſo, quod habent eſſe in alio, ſint ſimpliciter minus perfecta, quam ſubjectum, cui inſunt, non ſumitur præciſè ex eorum dependentia à ſubjecto, ſed ex qualitate dependentiæ: quia videlicet totum eorum eſſe, & perfectio reducitur ad ſubſtantiam: nullum quippe eſt accidens naturale, quod non cauſetur ex principiis ſubſtantiæ, vel cui ineſt, vel cui poſtulat naturaliter inhærere, ut tradit D. Thom. *1.p.q.77.art.6.in corp.* & propterea ſubſtantia excedit ſimpliciter accidentia ordinis naturalis. Eſſe autem, & perfectio accidentium ordinis ſupernaturalis non reducitur ad ſubſtantiam (hujus quippe vires, & exigentiam ſuperant eo ipſo, quod ſint ſupernaturalia:) ſed revocatur ad ipſam ſubſtantiam increatam Dei, à qua derivantur, & cujus participationes ſunt. Unde nihil prohibet ex hoc capite, quod gratia ſanctificans ſimpliciter excedat ſubſtantiam. Dependentia vero, quam habet à ſubjecto, tanquam à ſola cauſa, ex qua educitur, & in qua recipitur, ſolum arguit exceſſum ſecundum quid: ſicut hoc pacto forma ſubſtantialis materialis dependet à materia prima, quam tamen excedit ſimpliciter. Quamvis autem gratia ſit ſimpliciter perfectior ſubſtantiis tam in eſſentia, quam in exiſtentia; petit nihilominus modum eſſendi minus perfectum: quia ea, quæ ſunt in Deo ſubſtantialiter, nequeunt nobis ſubſtantialiter communicari, ſed tantum participantur per gratiam accidentaliter, & ſub modo eſſendi imperfecto. De quo iterum in hoc dub. dicemus.

D. Thom.

Aliud argum. 126. Secundo reſpondebis noſtræ rationi perfectionem alicujus principij non tam inveſtigandam eſſe ex operationibus, quam ex modo operandi, ſicut videre eſt in potentiis proxime operativis, & in ipſis operationibus, quæ potius mutuantur ſpeciem, & perfectionem ex modo attingendi objectum, quam ex ipſis motibus, & objectis. Subſtantia autem creata operatur ut quod, & ſine dependentia ab alio ſubjecto: gratia vero ſolum influit ut quo, & ut innixa ſubſtantiæ. Unde cum operari ut quod ſit perfectius, quam operari ut quo, ſequitur quod ſubſtantia perfectius operetur, quam gratia, & conſequenter, quod illam excedat in perfectione.

Confutatur. Hæc tamen reſponſio facile ex dictis refellitur. Tum quia juxta illam jam habetur, quod gratia excedat formas, & naturas creatas: nam iſtæ ſolum agunt *ut quo* (influere enim *ut quod* eſt proprium ſuppoſiti) & aliunde gratia elicit perfectiores operationes: hoc autem eſt, quod potiſſime intendimus, quidquid ſit de exceſſu gratiæ ſupra ſuppoſitum: ergo hæc ſolutio non evacuat vim noſtræ rationis. Tum præterea quia licèt ſubſtantia agat *ut quod*, & gratia ſolum *ut quo*; nihilominus gratia per ſe, & ratione ſui continet operationes ſupernaturales, ſubſtantia vero ſolum continet per ſe, & ratione ſui naturales operationes: ſed perfectio operationum debet præcontineri in ſuo principio, & illius excellentiam explicare: ergo ſicut operationes ſupernaturales excedunt ſimpliciter operationes naturales: ita gratia excedit ſubſtantiam, licèt hæc agat *ut quod*, & illa *ut quo*. Tum denique nam ideo facta comparatione inter principium *quod*, & *quo* ejuſdem ordinis naturalis illud eſt ſimpliciter perfectius, quam iſtud: quia tunc principium *quo* habet ſuam virtutem & virtutem proximam derivatam à principio *quod*, ut inductivè poteſt oſtendi in omnibus potentiis, & virtutibus: atqui facta collatione inter principium *quod* naturale, & principium *quo* ſupernaturale, oppoſitum invenitur: nam gratia, quæ eſt principium *quo* per ſe, & ratione ſui habet virtutem ad eliciendas operationes ſupernaturales; ſubſtantia vero, quæ eſt principium *quo* eas non continet, nec elicit per ſe, & ratione ſui, ſed ratione gratiæ ſanctificantis, quæ eſt talis adæquata ratio radicalis eliciendi hujuſmodi opera: ergo gratia eſt ſimpliciter perfectior, quam ſubſtantia, quamvis ab ea excedatur ſecundum quid in modo operandi, ſicut exceditur etiam in modo habendi eſſe, quod non negamus.

§. V.

Difficilis objectio enodatur.

127. Sed contra hactenus dicta opponeſ: nam ex illis videtur inferri non ſolum gratiam eſſe ſimpliciter perfectiorem ſubſtantia, ſed etiam quamcumque entitatem ſupernaturalem, quantumvis minimam, & imperfectam: hæc enim eſt etiam ejuſdem ordinis cum gratia, & tendit in eumdem finem: conſequens autem eſt incredibile, & aperte falſum: ergo & antecedens. Minor videtur perſpicua: quis enim dicet imperfectiſſimam entitatem ſupernaturalem, utpute motum timoris, aut qualitatem fluidam qua eliciantur Sacramenta, eſſe ſimpliciter, & attentis omnibus perfectiorem nobiliſſimis ſubſtantiis, quales ſunt Angelus, & anima rationalis? Nam prædictum accidens ſolum poſſet excedere rationem ſupernaturalitatis: hæc autem affatim compenſatur per plures perfectiones naturales, quæ Angelo, & animæ rationali conveniunt. *Prima objectio.*

Quorundam reſponſio. Huic objectioni varie occurrunt Auctores noſtræ ſententiæ: quidam enim negant ſequelam, quia rationes, quibus evincitur exceſſus gratiæ ſuper alia entia naturalia, non ſic elucent in minutiſſimis entitatibus ſupernaturalis ordinis, quales ſunt v. g. motus, & relationes. Nam gratia ... hominem ſu... tia, & conjungit per modum naturæ ho... cum Deo, & eſt radix aliarum perfectionum ... ſupernaturalium: quorum nihil imperfectiſſimis entitatibus ſupernaturalibus congruit. Vide ... licet hujuſmodi entitates ex parte ordinis, ſeu generis ſubſtantiam creatam excedant, nihilominus ... attentis omnibus cedunt abſolutè ſubſtantiæ. Sicut virtus intellectualis eſt ex parte generis perfectior, quam virtus moralis; cum illa ſpectet ad genus intellectivum, & hæc ad appetitivum: & tamen abſolute virtus moralis antecellit intellectivam. Conceſſo igitur exceſſu gratiæ etiam charitatis, aut aliis valde perfectis ... tibus ſupra ſubſtantiam creatam, non ſequitur idem attribuendum fore aliis entitatibus imperfectis ſupernaturalis ordinis. Sic reſpondet ...

edeſma, Granados, Arauxo *locis citatis*, & alij Doctores communiter.

128. Sed licèt hæc doctrina ſit ſatis probabilis, & ſufficienter occurrat objectioni ſuperius actæ; nobis tamen non omnino arridet, cum ex a haud levis confuſio ſuboriatur in ſtatuendo xceſſu entium ſupernaturalium ſupra ſubſtantiam, & non tradat regulam univerſalem ad perendendum, quibus entitatibus conveniat prædictus exceſſus, & quibus non. Unde ad objectionem reſpondemus cum Gregorio Martinez, & aliis Thomiſtis egregie dictis, quorum ſuppreſſo nomine meminit Arauxo, concedendo ſequeam, & negando minorem: verius quippe exiſtimamus, quod omnis realitas entitativè, & ſpecificè ſupernaturalis quamvis minima ſit aut modalis, excedit ſimpliciter quamcumque ſubſtantiam creatam. Quod poteſt ſuaderi: tum ex D. Thom. qui licèt hanc ſententiam expreſsè on doceat, illi tamen plurimum favet, ut vidit uarez *lib. 6. cap. 13. num. 10.* Nam *in 4. d. 49. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 5.* inquit: *Aliquod ccidens poteſt eſſe ſubſtantia nobilius, in quantum et ipſum ſubſtantia aliqua conjungitur alicui nobiori ſe, & hoc modo beatitudo creata, & gratia, & ujuſmodi ſunt aliquid nobilius natura animæ, cui hæret.* Quoniam per ly *hujuſmodi* comprehendere videtur reliquas omnes realitates ſupernaturalis ordinis; cum iſtæ etiam afferant nobis liquam conjunctionem cum Deo. Et Auguſtius, ut Suarius nuper relatus *num. 11.* concedit, on ſolum gratiam ſanctificantem, & charitatem, verum etiam quodcumque ſupernaturale pus vitæ naturali præponit. Præſertim quia S. Patres cum tradunt exceſſum gratiæ ſupra aturam, gratiæ vocabulo non ſolam ſanctificantem formaliter, ſed etiam omnia chariſmata upernaturalia ad illa ordinata comprehendunt, tque ſignificant: ergo ſicut gratia ſanctificans xcedit ſimpliciter naturam, ita etiam proporionabiliter excedunt eam aliæ entitates ſupernaturales.

Tum etiam quia ratio præcipua in favorem gratiæ ſanctificantis ſuperius facta militat etiam n aliis entitatibus ſupernaturalis ordinis, ut jam oſtendimus. Nam perfectio cujuſcumque entis reati conſiſtit in acceſſu, & conjunctione ad Deum per expreſſionem & imitationem perfectionis divinæ: ſed quælibet entitas ſpecifice upernaturalis, quantumvis minima, magis exrimit, & imitatur perfectionem propriam Dei, uam quælibet ſubſtantia creata: ergo excedit implicitet illam. Major relinquitur probata ex ictis ¢. 3. Minor autem probatur: quia magis xprimit, & imitatur perfectionem Dei id, quod articipat eſſe à Deo juxta modum proprium pſius Dei, quam illud, quod eſſe participat juxa modum proprium creaturæ, ut ex ipſis terminis liquet: atqui omnis entitas ſupernaturalis, oc ipſo quod talis ſit, participat ſuum eſſe juxa modum proprium ipſius Dei; ſubſtantia vero reata habet eſſe juxta modum, & exigentiam ropriam: ergo omnis entitas ſupernaturalis agis imitatur perfectionem Dei, quam quælibet ſubſtantia creata. Minor liquet ex ipſa differentia eſſentiali inter entia naturalia, & ſupernaturalia: qua ſublata, non eſſet ratio, cur quædam naturalia, quædam vero ſupernaturalia dicerentur.

Tum præterea, quia illud eſt ſimpliciter perfectius, quod habet perfectiorem ſpeciem, ſeu eſſentiam, quidquid ſit de modo illam habendi: ſed quæcumque entitas ſupernaturalis habet ſpeciem, & eſſentiam nobiliorem, quam omnis ſubſtantia creata: ergo eſt ſimpliciter perfectior. Suadetur minor: primo quidem nam eſſentia cujuſcumque entitatis ſupernaturalis participat aliquod prædicatum proprium Dei auctoris ſupernaturalis: nulla autem ſubſtantia creata pertingit ſecundum ſuam eſſentiam ad hanc participationem, ſed participat aliquid inferius: ergo quælibet entitas ſupernaturalis habet nobiliorem eſſentiam, quam omnis ſubſtantia creata. Secundo, quia illa eſſentia eſt ſimpliciter perfectior, quæ ordinatur ex natura ſua ad perfectiorem finem, ſiquidem nobilitas cujuſcumque medij conſtituitur per reſpectum ad finem: ſed quælibet entitas ſupernaturalis ordinatur ex ſe ad finem excellentiorem fine cujuſcumque ſubſtantiæ creatæ: hæc quippe ſolum tendit in finem naturalem; illa vero ordinatur ad finem ſupernaturalem, qui excellentior eſt, ut ex ipſis terminis liquet: ergo quælibet entitas ſupernaturalis eſt perfectior ſecundum eſſentiam, quam quælibet ſubſtantia creata.

Confirmatur: quia ſi quælibet entitas ſupernaturalis non eſſet ſimpliciter perfectior quam ſubſtantia creata, vel eſſet quia eſt accidens, vel quia habet minimam entitatem, ſed hæc non impediunt prædictum exceſſum: ergo, &c. Suadetur minor: tum quia gratia ſanctificans etiam eſt accidens, & quodlibet accidens comparativè ad ſubſtantiam habet minimam entitatem: & tamen gratia eſt ſimpliciter perfectior, quam ſubſtantia creata, ut jam probatum relinquimus: ergo ex illo capite non impeditur exceſſus quem intendimus. Tum etiam quia unio hypoſtatica excedit ſimpliciter omnem entitatem creatam: ut conſtat ex dictis *num. 115.* & nihilominus prædicta unio habet minimam entitatem, cum ſolum ſit quidam modus: vel reſpectus tranſcendentalis: ergo idem proportionabiliter de modis, & realitatibus ſupernaturalibus dicendum eſt. Reſpondere enim quod ille modus unionis eſt excellentioris ordinis, non ſatisfacit: nam ſicut ordo hypoſtaticus excedit ordinem naturæ, & gratiæ, ita proportionabiliter ordo ſupernaturalis excedit ordinem naturæ. Unde concedimus motum timoris ſupernaturalis, & modos, ac relationes ſupernaturalis ordinis eſſe ſimpliciter perfectiores quacumque ſubſtantia creata. Nec hoc incredibile videbitur, qui excellentiam prædicti ordinis penetraverit, & de dignitate divinæ gratiæ pro meritis judicium fecerit. *Maior noſtra rationis confirmatur.*

129. Dices: implicat quod illud, quod non eſt perfectum ſimpliciter, ſit perfectius ſimpliciter, quam id, quod eſt ſimpliciter perfectum, ut ex ſolis terminis conſtat: ſed ſubſtantia creata utputa Angelus eſt ſimpliciter quid perfectum; entitates vero ſupernaturales modales, aut relativæ non ſunt quid perfectum ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid: ergo implicat, quod ſint perfectiores ſimpliciter, quam ſubſtantia creata. Minor oſtenditur: quia bonum, & perfectum convertuntur cum ente: ſed Angelus eſt ens ſimpliciter; entitates vero ſupernaturales, modales, vel relativæ non ſunt entia ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid; ſiquidem ſupponimus, quod habent entitatem diminutam: ergo, &c. *Objectio.*

Reſpondetur, quod objectio hæc non ſolum impugnat exceſſum harum entitatum ſupernaturalium ſupra ſubſtantiam creatam, ſed etiam exceſſum gratiæ ſanctificantis, & unionis creatæ *Diluitur.*

ſupra

ſupra naturam: nam etiam gratia eſt ens ſecundum quid comparativè ad ſubſtantiam, cum ſit accidens, & unio hypoſtatica, cum ſit modus. Unde ſicut hoc non obſtante, gratia, & unio ſunt perfectiores ſimpliciter, quam ſubſtantia creata, ita de entitatibus diminutis ſupernaturalis ordinis dicendum eſt. Licet ergo facta comparatione inter ens ſimpliciter, & ens ſecundum quid eiuſdem ordinis, illud huic præſtat in perfectione: tamen ens ſecundum quid ſupernaturalis ordinis excedit abſolutè ens ſimpliciter ordinis naturalis. Nam ea, quæ ſunt formaliter in Deo, nequeunt participari in creaturis niſi accidentaliter, ut ſupra vidimus ex D. Thom. qua de cauſa habent in nobis imperfectum modum eſſendi, videlicet in alio, quo in ordine naturalis eſt proprius entium ſecundum quid. At ex parte ſuæ ſpeciei, ſeu quidditatis pertinent ad ordinem entis ſimpliciter, nempe Dei in ſeipſo, cuius ſunt formales participationes, ſaltem mediatæ. Perfectio autem ſimpliciter talis debet eſſe eſſentialis, ſeu quidditativa: & propterea magis regulanda eſt penes eſſentias rerum, quam penes modos eſſendi. Unde cum entia ſupernaturalia excedant ſubſtantiam ex parte eſſentiæ, licèt excedantur in modo eſſentiam habendi; ſequitur, quod ſint ſimpliciter perfectiores, quam ſubſtantia, & imperfectiores illa ſecundum quid: ſive, & in idem coincidit, quod habeant maiorem perfectionem licèt modo minus perfecto. Quod licèt evidentius appareat in gratia ſanctificante, de qua proinde Patres, & Doctores, expreſſum ſermonem faciunt, militat tamen proportionabiliter in motibus, auxiliis, & quibuſvis aliis eiuſdem ordinis entitatibus, ad quæ propterea illam doctrinam merito extendimus.

Incidens quæſtio.

130. Porro, ſi inquiras, an intelligenda ſit non ſolum per comparationem ad ſubſtantias creatas ſeorſim ſumptas, ſed etiam ad eas collectivè acceptas, ſive ad totum hoc univerſum? Reſpondetur affirmativè, ut ſatis expreſſit D. Auguſt. *locis num.* 117. *citatis*. Quod nonnulli probant ex eo, quod potius debet homo eligere deſtructionem ſui, & totius mundi; quam deſtructionem gratiæ: ergo hæc perfectior eſt univerſo. Hoc tamen argumentũ nullius eſt roboris: nam ſi gratia poſſet abſque peccato amitti, ut ſi Deus ſuſpenderet, nulla prævia culpa, conſervationem illius; eligibilior profectò eſſet deſtructio gratiæ, quam deſtructio propria: nam deſtructo ſubiecto nullum bonum aut naturæ, aut gratiæ in eo remaneret: deſtructa vero gratia, perſeveraret ſaltem bonum naturæ: & melius eſt habere aliquod eſſe licet non ornatum gratia, quam nullo eſſe gaudere, ut ex ſe liquet. De facto autem ideo debet potius eligi deſtructio univerſi, quam gratiæ, quia gratia non deſtruitur de facto niſi per peccatum, quod propter nullum bonum poteſt prudenter eligi. Ratio igitur legitima noſtræ reſolutionis habetur ex ſupra dictis: quia exceſſus metaphyſicus rerum ſumitur penes eorum eſſentias: quare ſi ſubſtantiæ creatæ diviſim, vel collectivè ſumptæ non habent eſſentiam ita perfectam ſicut gratia, ut probatum à nobis eſt; ſequitur quod hæc excedat ſimpliciter, & metaphyſicè omnes ſubſtantias creatas quoquomodo acceptas, ac proinde totum hoc univerſum, imo & omnia, quæ à Deo Auctore naturæ ſunt factibilia. Sicut Angelus ſuperior ſuperat metaphyſicè omnes inferiores tam diviſim, quam ſimul ſumptos: quia in prædicatis ſpecificis unumquemque illorum excedit. Diximus, & probavimus gratiam excedere metaphyſicè, &c. quia exceſſum eius moralem ſuper omnia naturalia omnes fere Adverſarij citra controverſiam concèdunt: & ideo non immoramur in prædicto exceſſu ſuadendo.

§. VI.

Refertur oppoſita ſententia, & illius motivis occurritur.

131. Contrariam nobis opinionem tuentur Scotus *in* 4. *d.* 10. *quæſt.*8. *concl.*2. Richardus *in* 2. *d.* 26. *art.* 2. *quæſt.*2. Philipus Faber *in* 3. *diſt.*42. *cap.*2. Lorca *in hac* 1.2.*q.*113. *art.*9. Fonſeca 7. *Metaph. diſp.*12. *ſect.* 4. *concluſ.*2. Ripalda *tom.*1. *diſp.*21. *ſect.*2. Sfortia Pallavicinus *diſp.*6. *de actibus humanis, quæſt.*2. *art.*12. Suarez *in Metaph. tom.*2. *diſp.*32. *ſect.*2. *n.* 32. (licèt hanc ſententiam videatur aliquomodo tacite retractare *in lib.*6. *de gratia*, dum aſſerit noſtram aſſertionem eſſe piam, & valde credibilem, & non poſſe argumento firmo impugnari.) Eidem opinioni ſuffragari videntur ex Thomiſtis, Capreolus *in* 2. *d.*26. *quæſt. unica ad* 6. Aureol. contra Lam. Caiet. 2. 2. *quæſt.*23. *art.*3. Conradus *in præſenti*, *art.*2. *in reſponſione ad* 2. & alij.

Opinio contraria. Scotus. Richard. Philip. Fab. Lorca. Fonſeca. Suarez. Capreolus. Caietan. Conrad.

Probatur primo ex D. Thom. *in* 1. *d.*17. *q.*1. *art.*2. *ad* 3. ubi ait: *Dicendum eſt igitur, quod ſimpliciter anima eſt melior charitate, & quodlibet ſubjectum ſuo accidente: ſed ſecundum quid eſt è converſo.* Et poſt pauca: *Quia anima*, inquit, *habet nobilius eſſe, quam accidens, ideo ſimpliciter nobilior eſt.* Et *quæſt.*27. *de verit. art.*1. *ad* 6. comparans gratiam Chriſti, & eius animam ait: *Nulla creatura ſimpliciter eſt anima Chriſti nobilior: ſed ſecundum quid omne accidens animæ eſt ea nobilior, in quantum comparatur ad ipſam ut forma eius.* Et eandem ſententiam repetit aliis pluribus locis, quæ videri poſſunt *in tabula aurea, num.*33. & 34. licèt non omnia ita expreſsè loquantur de accidentalibus ſupernaturalibus, ſed de accidentibus in communi.

Primum motivum ex D. Thom.

Reſpondetur cum Ledeſma, & Granados ſupra citatis ea teſtimonia, quæ nobis ex D. Thom. objiciuntur, non haberi in ſumma, ſed in aliis operibus, quo iuvenis ſcripſit. Unde illam ſententiam videtur tacite revocaſſe in illis ſummæ teſtimoniis, quæ pro noſtra aſſertione adduximus, & quæ aperte illi ſuffragantur ut oſtendimus *num.* 117.

Diſpellitur. Ledeſma. Granados.

132. Melius poſſet nobis objici (& ſic repli- ca reſponſionem datam) teſtimonium aliud D. Thom. 2. 2. *quæſt.*23. *art.*3. *ad* 3. quod ab Auctoribus noſtræ ſententiæ ſolet in eius favorem adduci, & poteſt in eam retorqueri: & propterea illud *num. citato*, non propoſuimus, ſed huic loco reſervavimus. Sic ergo habet S. Doctor: *Dicendum, quod omne accidens ſecundum ſuum eſſe eſt inferius ſubſtantia: quia ſubſtantia eſt ens per ſe, accidens autem in alio. Sed ſecundum rationem ſuæ ſpeciei accidens quidem, quod cauſatur ex principiis ſui ſubiecti, eſt indignius ſubiecto, ſicut effectus cauſa. Accidens autem, quod cauſatur ex participatione alicuius ſuperioris naturæ, eſt dignius ſubjecto, in quantum eſt ſimilitudo ſuperioris naturæ, ſicut lux diaphano. Et hoc modo charitas* (*eadem eſt ratio de gratia*) *eſt dignior anima, in quantum eſt participatio quædam Spiritus Sancti.* Ubi, ut vides, eodem modo aſſerit gratiam habere ad ſubiectum, ſicut ſe habet lux ad corp

Replica ex D. Thom.

Digitized by Google

corpus diaphanum, & eundem exceſſum ſeu ſuperioritatem utrique attribuit: atqui lux non eſt perfectior ſimpliciter, quam corpus diaphanum, ſed è converſo: ergo gratia non eſt perfectior ſimpliciter ſuo ſubjecto, ſed è contra.

Reſpondetur prædictum teſtimonium merito adduci pro opinione noſtra: nam D.Thom. aſſerit charitatem ſecundum ſpeciem excedere ſuum ſubjectum, quamvis ſecundum modum eſſendi excedatur ab illo: unde cum exceſſus in ſpecie, ſeu eſſentia ſit talis ſimpliciter; exceſſus vero in modo eſſendi comparatus priori ſit tantum exceſſus ſecundum quid; ſequitur, quod ex mente D.Thom. charitas (& idem à fortiori eſt de gratia) excedat ſimpliciter ſubſtantiam in perfectione. Exemplum autem lucis, & diaphani non inducitur à D.Thom. ut probet in omnibus, ſed tantum ut explicet, qualiter aliqua accidentia non dimanent à principiis ſubjecti, ſed fiant per influxum cauſæ ſuperioris. Cum quo tamen rectè cohæret, quod cauſa ſuperior ſit aliquando ordinis naturalis, & tunc accidentia ab ea derivata non excedunt ſimpliciter ſuum ſubiectum: quia facta comparatione inter ſubſtantiam, & accidentia intra eundem ordinem, ſemper ſubſtantia præſtat accidentibus: & hoc pacto ſe habent lux, & diaphanum. Gratia vero non ſolum eſt participatio cauſæ ſuperioris, ſed etiam pertinet ad ordinem divinum, & imitatur formaliter Deum ſecundum modum perfectionis, quem habet in ſe. Vnde excedit ſubſtantiam creatam ex parte eſſentiæ, ſeu quidditatis, atque adeo ſimpliciter.

133. Secundo arguitur: quia nullum ens ſecundum quid eſt abſolutè perfectius, quam ens ſimpliciter: ſed gratia eſt ens ſecundum quid, cum ſit verum accidens: ergo nequit abſolutè excedere ſubſtantiam, quæ eſt ens ſimpliciter.

Reſpondetur maiorem eſſe veram in his, quæ ſunt eiuſdem ordinis, & cæteris paribus: falſificari autem in rebus, quæ ad ordines differentes ſpectant, ut in noſtro caſu contingit. Et ratio diſparitatis habetur ex dictis: nam licèt gratia ex parte modi eſſendi ſit ens ſecundum quid, ſive ens in alio: nihilominus ex parte quidditatis pertinet ad ordinem entium per ſe, cum ſit formalis participatio divinæ naturæ, ſuperatque ex hac parte, atque adeo ſimpliciter ſubſtantiam creatam, licèt hæc perfectiori modo exiſtat. Quod magis perſpicuum fiet, ſi obſervemus gratiam, & Angelum, v. g. poſſe bifariam comparari: primum ſecundum conceptus genericos præcisè acceptos: ſecundo adæquatè ſecundum totam ſpeciem. Et quidem priori modo majorem perfectionem exprimit Angelus, quam gratia: eo quod ille exprimit ſolam rationem ſubſtantiæ, & hæc ſolam rationem accidentis, & nihil aliud: nobilior autem eſt conceptus ſubſtantiæ, quam accidentis, dum aliunde inæqualitas non apparet. Poſteriori autem modo fieri valet, ut accidens excedat ſubſtantiam: quia poteſt contrahere rationem genericam accidentis per differentiam ſpecificam, quæ differentias ſubſtantiæ excedat: & perfectio ſimpliciter ſumitur à differentia ſpecifica, utpote quæ habet rationem formæ, & actus; non vero à genere, quod exercet munus potentiæ, & materiæ. Et ob hanc cauſam res ex ſuo genere inferior excedit ratione differentiæ res alias generis ſuperioris. Sicut licet genus corporis incorruptibilis ſit perfectius, quam genus corporis corruptibilis; tamen in hoc genere datur quædam ſpecies, nempe homo, quæ omnes ſpecies alterius generis ſupergreditur. Et quamvis ſubſtantia completa ut ſic exprimat maiorem perfectionem, quam modus ſubſtantialis ut ſic: nihilominus quidam particularis modus, videlicet unio hypoſtatica excedit ſimpliciter omnes ſubſtantias completas, & ſic de aliis.

134. Sed contra hanc doctrinam replicatur urgenter: quia omnibus analogatis principale analogatum excedit ſimpliciter analogata minus principalia: ſed ens in communi eſt analogum ad ſubſtantiam, & accidens, & principalius dicitur de ſubſtantia, ut cum communi ſententia Doctorum docent Complutenſ. *in logica, diſp.* 11. *quæſt.* 3. ergo ſubſtantia creata eſt ſimpliciter nobilior omnibus accidentibus tam in communi, quam in particulari: atque ideo quam gratia ſanctificans. Præſertim quoniam ideo gratia ſecundum conceptum genericum eſt minus perfecta, quia ſecundum illum conceptum eſt accidens: ſed etiam ſecundum ultimam differentiam eſt accidens: ergo adhuc adæquatè accepta eſt ſimpliciter minus perfecta, quam accidens. *Replica.* Complut.

Confirmatur primo: quia tota perfectio prædicamenti qualitatis non adæquat perfectionem prædicamenti ſubſtantiæ: ſed gratia non tranſcendit genus qualitatis, cum vere contineatur in illo: ergo gratia non adæquat ſubſtantiæ perfectionem. *Urgetur.*

Confirmatur ſecundo: nam licèt ſpecies aliqua generis inferioris valeat excedere aliquam ſpeciem generis ſuperioris; fieri tamen non poteſt, quod ſpecies generis inferioris omnes ſpecies generis ſuperioris excedat: ſed genus ſubſtantiæ eſt ſuperius ad genus qualitatis, in quo collocatur gratia: ergo licèt hæc poſſit excedere hanc, aut illam ſpeciem ſubſtantiæ, nequit tamen omnes excedere, & præcipue perfectiores, uti ſunt Angeli. Major probatur: tum quia ſpecies continentur in genere, & oriuntur ex illo: ergo implicat, quod in genere inferiore detur ſpecies ſuperans omnes ſpecies generis ſuperioris. Tum etiam quia omnis potentia habet ſpeciem, & perfectionem per ordinem ad proprium actum: ſed genus ſe habet ut potentia ad differentias tanquam ad actum: ergo genus perfectius habet aliquam ſaltem differentiam, quæ excedat ſimpliciter omnes differentias generis inferioris: cum quo non cohæret dari aliquam ſpeciem inferioris generis, quæ ſpecies omnes nobilioris generis excedat in perfectione. *Roboratur amplius.*

135. Ad replicam reſpondetur, conceſſa majori, diſtinguendo minorem: quæ ſi intelligatur de accidentibus naturalibus, concedenda eſt; ſi autem extendatur ad ſupernaturalia, negatur. Pro quo animadvertendum eſt, quod ens, ut poté tranſcendens, & imbibitum in ultimis differentiis, nunquam poteſt ab inferioribus perfectè præſcindi, & conſequenter non prædicatur de illis univoce, & per modum conceptus generici, ſed ſemper dicitur inæqualiter, ſeu analogicè. Et quidem ſi loquamur de analogia proportionalitatis, nihil ex ea valet contra noſtram doctrinam evinci: nam prædicta dependentia non cauſatur per dependentiam unius analogati ab alio, ſed per proportionum æqualitatem, ut cum dicimus, ita ſe habet cor ad vitam ſicut fundamentum ad domum. Si vero loquamur de analogia attributionis, quæ per dependentiam cauſatur, aliter admittenda eſt in accidentibus ſupernaturalibus reſpectu *Replica ſatisf.*

reſpectu ſubſtantiæ, ac in naturalibus accidit. Etenim cum accidentia ordinis naturalis dependeant in genere cauſæ materialis, efficientis, & finalis à ſubſtantia creata, idcirco in omnibus his generibus reſpiciunt ſubſtantiam ut principale analogatum, cui proinde cedunt ſimpliciter in perfectione. Gratia vero, & alia accidentia ordinis divini licèt dependeant à ſubſtantia creata in genere cauſæ materialis receptivæ, non tamen in aliis generibus; ſed potius è converſo contingit, ut infra dicemus. Et propterea ens dictum de ſubſtantia, & prædictis accidentibus prædicatur de ſubſtantia ut de principaliori analogato ſolùm in genere cauſæ materialis, & minus principali in aliis generibus. Quod potius declarat perfectionem horum accidentium ſupra ſubſtantiam creatam. Et poſſunt hæc omnia inſtari exemplo modi unionis hypoſtaticæ: nam etiam ſubſtantia ut ſic dicitur analogicè de ſubſtantia completa, & modis ſubſtantialibus: quo non obſtante prædictus modus eſt excellentior ſubſtantia.

Ad id, quod additur, dicendum eſt non ideo præcisè gratiam ſecundum conceptum genericum eſſe imperfectiorem ſubſtantia, quia ſecundum illum conceptum eſt accidens, ſed quia eſt præcisè accidens, & non exprimit majorem perfectionem. Differentia autem ſpecifica ita tranſcendentaliter eſt accidens, quod addit ulteriorem perfectionem, & conſequenter adæquatè accepta excedit genus ſubſtantiæ. Quod etiam liquet exemplo unionis nuper adducto.

Diluitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem reſpondemus, quod ſi ſemel datur modus creatus unionis hypoſtaticæ; (quod ut probabilius ſupponimus:) libenter concedimus totum genus qualitatis ſimul acceptum non adæquare perfectionem generis ſubſtantiæ: nam gratia, quæ eſt ſuprema qualitas, illum modum non adæquat. Er hoc ſatis erat ad enervandam confirmationem. Adhuc tamen reſpondemus quod de prædicamentis dupliciter loqui poſſumus uno modo logicè, quo pacto non exprimunt niſi conceptus genericos, & univerſaliſſimos contrahibiles per ſua inferiora: altero modo phyſicè, aut etiam Theologice, qua ratione important illos conceptus genericos ut contractos, & determinatos per ſpecies, & factos, ut ſic loquamur, juxta talitatem earum. Et hinc provenit quod licèt qualitas logicè accepta non ſit naturalis, vel ſupernaturalis, tamen phyſicè ſumpta ſit ſemper naturalis in ſpeciebus naturalibus, & ſupernaturalis in ſupernaturalibus. Fatemur igitur prædicamentum qualitatis logicè acceptum non adæquare ſubſtantiæ genus: quod ſolum probat qualitatem ex parte generis præciſivè ſumpti eſſe imperfectiorem ſubſtantia. Negamus tamen, quod qualitas phyſicè ſumpta ſit minus perfecta, aut ſub genere ſubſtantiæ contineatur: nam hoc pacto complectitur ſpecies ſupernaturales, quæ illud genus ſimpliciter excedunt, ut conſtat ex dictis. Ariſtot. autem, cum deſtitueretur lumine fidei, hanc philoſophiam non eſt aſſecutus: unde communiter præponit ſubſtantiam omnibus accidentibus. Inſinuavit nihilominus hanc doctrinam 8. *Phyſic. textu* 18. dicens plures æquivocationes latere ſub genere, quia non habet eamdem perfectionem in omnibus ſpeciebus.

Occurritur ſecundæ. Ad ſecundam confirmationem conſtat ex modo dictis: nam ſi ſemel in genere ſubſtantiæ continetur modus unionis hypoſtaticæ; jam ſalvatur quod hoc genus habeat aliquam ſpeciem, aut quaſi ſpeciem excedentem omnia, quæ ſunt in genere qualitatis. Abſolutè tamē negamus majorem: quia illius oppoſitum ſatis conſtat ex exemplis ſupra relatis. Ad probationes vero illius ut occurramus, animadvertendum eſt, quod genus non eſt potentia propriè activa, vel receptiva reſpectu ſuarum differentiarum, aut ſpecierum: quia non diſtinguitur realiter ab eis, ſed tantum per noſtros conceptus. Habet tamen rationem potentiæ receptivæ, vel materiæ, in quantum determinatur, & perficitur per illas. Quo ſuppoſito ad primam probationem dicendum eſt poſſe in materia, aut potentia receptiva minus perfecta contineri forma perfectior, quam ſit illa, quæ continetur in potentia magis perfecta: & ita forma equi, quæ eſt perfectior, quam forma cœli, continetur in materia ſublunari, quæ eſt imperfectior cæleſti. Et è converſo forma accidentalis continetur in potentia ſubjecti, quod eſt ens in actu, & perfectius, quam materia prima, in qua continetur forma ſubſtantialis, quæ eſt perfectior accidentali, ut ex ſe liquet. Ad ſecundam reſpondemus majorem verificari in potentia activa, de cujus ratione eſt continere in actu ſuum effectum, & ideo juxta qualitatem effectuum, quos continet, eſt magis, aut minus perfecta. In potentiis autem receptivis non ſic contigit: quia fieri poteſt ut potentia minus perfecta recipiat formam perfectiorem, & è converſo: nam prædicta receptio non exigit æqualitatem, ſed proportionem, quæ frequenter reperitur inter extrema ſatis diverſa, ut rectè obſervarunt Complut. *in lib. de Anima, diſp. ult. q. ult.* Nec genus qualitatis, vel ſubſtantiæ phyſicè loquendo habet ſpeciem per reſpectum ad inferiora, ſed eſt quædam ratio abſoluta, licèt imperfecta ex ſe: & ultimo conſtituta per actus differentiarum. *Complut.*

136. Tertio arguitur: quia facta comparatione inter extrema illud eſt ſimpliciter magis perfectum, quod minus dependet ab alio, cum independentia quædam perfectio ſit: atqui ſubſtantia minus dependet à gratia, quam hæc ab illa: ergo ſubſtantia eſt ſimpliciter perfectior, quam gratia. *Tertium argumentum.*

Probatur minor: tum quia gratia dependet abſolutè, & in ſuo eſſe à ſubſtantia, hæc vero ſolum dependet in quodam eſſe tali, nempe in eſſe gratis: plus autem eſt dependere abſolutè in ſuo eſſe, quam dependere ſolum in tali eſſe. Tum etiam quia gratia nequit naturaliter exiſtere ſine ſubſtantia: & hæc poteſt naturaliter exiſtere ſine gratia: ergo ſubſtantia minus dependet à gratia, quam è converſo.

Confirmatur. Confirmatur: nam quod eſt permanentius, eſt ſimpliciter perfectius: ſed ſubſtantia eſt permanentior, quam gratia: ergo eſt perfectior ſimpliciter quam illa. Major probatur: quia major permanentia rei oritur ex majori, & intimiori conjunctione cum eſſe: ergo cum eſſe ſit maxima actualitas, & perfectio rei, ſequitur illud fore ſimpliciter perfectius, quod fuerit abſolutè magis permanens. Minor autem liquet experientia: nam facilius corrumpitur gratia, quam ſubſtantia: ergo hæc eſt permanentior, quam illa.

Reſponſio ad argumentum. Ad argumentum reſpondetur perfectionem rerium non tam regulandā eſſe penes dependentiam, quam penes qualitatem, & modum dependentiæ. Gratia autē non dependet à ſubjecto niſi in genere cauſæ materialis receptivæ quod in illa vel ſatis levem perfectionem arguit in illo. Subſtantia vero dependet à gratia in genere cauſæ finalis, & formalis, cum recipiat ab ea nobiliſſimum effectum, videlicet eſſe gratum, & filium adoptivum

Digitized by Google

adoptivum:& melius eſt eſſe Deum per participationem,quam hominem per eſſentiam. Unde attentis omnibus plus gratia confert ſubſtantiæ, quam recipit ab ea : quod ſatis arguit exceſſum ſimpliciter ſupra illam:Et in hoc ſenſu magis dependet ſubſtantia à gratia, quam è converſo. Ad primam vero probationem in contrarium conſtat ex dictis gratiam in ſuo eſſe non dependere abſolutè a ſubſtantia, niſi in genere cauſæ materialis:in aliis vero generibus perfectio gratiæ reducitur in Deum tanquā in proprium principiū. Ad ſecundam dicendum eſt,quod ſicut hæc forma v.g.equi non poteſt eſſe natura ſine hac portione materiæ,& hæc portio materiæ valet eſſe naturaliter ſine hac forma:ex quo tamen non colligitur, quod materia ſit ſimpliciter perfectior,quam illa. Et ſicut genus poteſt abſtrahi ab ſpeciebus , hæ vero nequeunt præſcindere à genere : & nihilominus genus non eſt ſimpliciter perfectius ſpeciebus. Ita quod gratia ob generalem conditionem accidentis nequeat eſſe naturaliter ſine ſubſtantia non arguit hanc eſſe ſimpliciter perfectiorem. Et ratio eſt eadem utrobique:quia ſicut forma ſubſtantialis,& ſpecies ſupponunt materiam, & genus in genere cauſæ materialis , ex quo genere non deſumitur perfectio ſimpliciter:ita & in eodem genere gratia ſupponit naturam.

Ad confirmationem reſpondetur majorem non eſſe univerſaliter veram, ut patet in homine, qui eſt ſimpliciter perfectior ſole,& aliis corporibus incorruptibilibus. Imo vero quo aliquid eſt perfectius, eo ſolet eſſe corruptioni magis obnoxiū: quia dependet in ſuo eſſe à pluribus diſpoſitionibus,quæ poſſunt de facili alterari,aut diſſipari,ut in homine liquet.Et hac de cauſa gratia de facto facile corrumpitur , quia ob ſuam perfectionem nequit conſiſtere ſimul cum peccatis, in quæ homo plerumque labitur.Nec tunc proprie loquendo corrumpitur per actionem creaturæ:hæc enim nec eam produxit,nec illam conſervabat:ſed deficit ad deſtructionem converſionis in Deum ultimum finem, quæ nequit cum peccato gravi ab eo fine avertente componi. Subſtantia vero conjungitur naturaliter cum ſuo eſſe , & ideo habet majorem connexionem cum illo , & difficilius poteſt ab eo ſeparari. Addimus etiam gratiam ex natura ſua eſſe multo permanentiorem ſubſtantia : quia eſt de ordine rerum æternarum, & petit in æternum manere,firmatque ipſam naturam, ut tradit D.Thom.*q.7.de verit.art.6 ad* 7. De facto tamen infunditur ſubjecto modo imperfecto, & non plene dominatur illi : unde corruptioni ſubjecta eſt. Sed hoc ſolum arguit imperfectionem , aut exceſſum ſecundum quid. Præſertim quia perfectiones,de quibus in argumento,quam in confirmatione fit mentio pertineant potius ad modum eſſendi quam ad eſſentias rerum,ad quas potiſſime attenditur ad inveſtigandum exceſſum ſimpliciter , ut ſupra vidimus.

137. Arguitur ultimo:quia ſi gratia ſanctificans eſt forma excellentior omni alia forma ſubſtantiali , & accidentali inexiſtenti quam poſſibili ut nos aſſeveramus; ſequitur divinam omnipotentiam exhauriri per hunc effectum ; ſiquidem non valet aliam perfectiorem producere: conſequens eſt contra communem Theologorum, & Philoſophorum ſententiam, quam referunt,& ſequuntur Complut.*in lib.Phyſic diſp.*18. *q.*3. ubi aſſerunt, quod data quacumque ſpecie, quantumvis perfecta, valet Deus aliam, & aliam ſpeciem perfectiorem ſine termino producere: ergo doctrina à nobis tradita falſa eſt.

Hoc argumentum nequit convenienter diſſolvi, niſi excitando.

DUBIUM VIII.

Utrùm ſit poſſibilis alia gratia ſanctificans perfectior, & ſpecie diſtincta.

AD hujus dubij deciſionem oportet aliqua præſuppónere , quæ minoris difficultatis ſunt , & frequentius admittuntur à Doctoribus, ut difficultatis punctum magis expedite valeamus attingere.

§. I.

Prælibanda pro reſolutione quæſtionis.

138. PRimo igitur ſupponendum eſt poſſibilem eſſe gratiam ſanctificantem perfectiorem in intentione , quam ſit gratia de facto exiſtens ſive in hominibus , ſive in Angelis, ſive in ipſo Chriſto Domino. Hanc ſuppoſitionem, quam nunc levi manu attingimus , admittunt communiter, & late probant Doctores 2.2.*q.*24. *art.*7. ubi agunt de augmento charitatis, & 3.*p.* *q.*2. *art.*9. *q.*10. *art.*4. ubi tractant de augmento gratiæ Chriſti.Ratio eſt : quia gratiæ nullus terminus præfigitur, nec ex parte formæ, cujus eſt participatio, nec ex parte ſubjecti, cui ineſt, nec tandem ex parte propriæ ſpecificationis, aut naturæ : ergo data quacumque gratia , & in quocumque gradu , poſſibile eſt dari aliam gratiam magis intenſam : & conſequenter non repugnat gratia perfectior,quam gratia nunc exiſtens.Utraque conſequentia liquet.Et antecedens ſuadetur: nam forma quæ participatur per gratiam eſt natura Dei infinita,cui nunquam poteſt gratia noſtra adæquari,ſed ſemper reſtat diſtantia per majorem,& majorem acceſſum,& imitationem pertranſibilis : ergo nullus terminus præfigitur gratiæ ex parte formæ,cujus eſt participatio. Ruſſus ſubjectum ejus eſt creatura ſecundum potentiam obedientialem,quæ infinita ſyncathegorematice eſt,utpote ſubordinata agenti infinito : ergo nec ex hac parte determinatur ejus augmentum. Tandem gratia per ſui intenſionem non variat prædicata ſpecifica eo modo,quo color fuſcus,ſi intendatur,tranſit in nigrum ; ſed ſemper tendit in objectum idem , & ſub eodem medio ſpecifico; ergo ex parte propriæ ſpeciei nullum ſibi vendicat terminum. Quod amplius roborare & objectionibus in oppoſitum obviam ire,non eſt præſentis materiæ,ſed ſpectat ad loca citata. Suppoſita igitur poſſibilitate gratiæ perfectioris quoad intenſionem, diſſidium eſt,an admitti debeat poſſibilitas alterius gratiæ perfectioris ſecundum ſpeciem, & quæ noſtram eſſentialiter excedat. *Gratia poteſt in infinitum intendi.*

139. Pro quo ſupponendum eſt ſecundo omnem gratiam ſanctificantem , quam Deus hactenus produxit , fuiſſe , & eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ in Chriſto Domino, in Angelis , in primis parentibus ante peccatum , & in omnibus juſtis tam veteris teſtamenti, quam legis gratiæ. Hæc etiam ſuppoſitio ſecundum omnes ſuas partes eſt communis inter Doctores, admittiturque vel ab illis,quos in hoc dubio habebimus Adverſarios. Probatur : quoniam operationes propriæ gratiæ ſanctificantis ſunt ejuſdem ſpeciei in omnibus ſubjectis, quæ recenſuimus:ergo gratia illorū eſt ejuſdem rationis.Conſequentia conſtat:nam ſicut diverſæ ſpeciei naturæ habēt diverſas operationes ſpecificas, *Omnis gratia habitualis de facto exiſtens eſt ejuſdem ſpeciei.*

Digitized by Google

ſpecificas, ita convenientia eſſentialis operationum inſinuat convenientiam eſſentialem naturæ. Antecedens vero probatur: nam actus charitatis, ut alios prætermittamus, in omnibus illis ſubjectis attingit idem objectum, & ſub eodem motivo, nempè ſummum bonum ſub ratione finis ſupernaturalis ſuper omnia dilecti, ut rectè probat Joan. à S. Thom. 2. 2. *diſp.* 14. *art.* 3. Idemque de identitate ſpecifica viſionis beatificæ oſtendimus *Tract.* 2. *diſp.* 5. *dub.* 2. ergo operationes propriæ gratiæ ſanctificantis ſunt ejuſdem rationis ſpecificæ in omnibus ſubjectis nuper telatis.

Joan. à S. Th.

Roboratur hoc ſuppoſitio. Confirmatur: quia ex omnibus in gratia exiſtentibus componitur una ſpiritualis reſpublica, ſive unica Eccleſia, eique præſidet Chriſtus Dominus, qui, ut dicitur ad Col. 2. *eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* Et ideo tota illa cœleſtis multitudo Angelorum, & hominum beatorum dicitur unica ſponſa Chriſti juxta illud Apocal. 21. *Vidi Hieruſalem novam deſcendentem de cœlo quaſi ſponſam ornatam viro ſuo, nempè Chriſto*, cui Paulus 1. ad Cor. 7. *ut uni viro virginem caſtam deſpondebat omnes juſtos.* Conſtat autem hanc unitatem præcipuè conſiſtere in gratia ſanctificante, qua regeneramur in cives ſanctorum, & prævenimur ad ſponſalia cœleſtia; ergo prædicta gratia eſt ejuſdem ſpeciei in omnibus, qui gratiam habent. Patet conſequentia: quia ſi differret ſpecie, non induceret unitatem, & conformitatem ſpiritualis vitæ, ſed magis diverſitatem, quæ unius reipublicæ, & unicæ ſponſæ vinculum reſcinderet.

Ad Coloſſ. 2. Apocal. 21. 1. ad Cor. 7.

Ad hæc: omnes juſti in Scriptura ſacra vocantur filij Dei, & fratres ſpirituales, imo & fratres Chriſti, ut quilibet facile deprehendet: ſed filiatio, & fraternitas fundatur ſuper unitatem naturæ, quæ ab uno patre in plures filios diffunditur: ergo omnes juſti habent ſpiritualiter eandem naturam: hæc autem convenit juſtis per gratiam: ergo omnes habent gratiam ſanctificantem ejuſdem ſpeciei. Sicut è converſo ſi homines, & Angeli, & Chriſtus haberent diverſas ſpecie gratias, neceſſent filij ejuſdem patris, nec verè eſſent fratres inter ſe: ſed omnes differrent ſpiritualiter inter ſpecie: quod cum vera ſpirituali conſanguinitate, ut ſic loquamur, minimè cohæret.

Objectio contra doctrinam præcedentem. 140. Nec refert, ſi contra hanc doctrinam objicias: nam gratiæ ſanctificantes exiſtentes in prædictis ſubjectis habent effectus, proprietates, & operationes ſpecie diſtinctas: ergo hujuſmodi gratiæ differunt eſſentialiter. Conſequentia conſtat tam ex ſe, quam ex deſtructione præcipui fundamenti noſtræ doctrinæ. Antecedens autem ſuadetur: nam in primis gratia collata primis parentibus erat vera juſtitia originalis omnes animæ potentias mira conſenſione ſubjiciens, & corpus immortale, atque incorruptibile reddens: ſed gratia communicata aliis hominibus hæc munia non confert: ergo prædictæ gratiæ præſtant effectus ſpecie diverſos. *Præterea*, quia gratia data poſt adventum Chriſti communicat ſpiritum filiorum: gratia vero collata in veteri teſtamento non præſtabat hunc ſpiritum, ſed ſpiritum ſervitutis, qui cum vera filiatione non cohæret, ſiquidem ſervus eſt expers dominij, filius autem eſt hæres, ac dominus omnium: ergo iſtæ gratiæ conferunt effectus diſtinctos in ſpecie. Quæ diverſitas videtur habere fundamentum in epiſtolis Pauli, nam ad Rom. 8. inquit: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Et ad Galat. 4. docet Deum miſiſſe filium, *ut adoptionem filiorum reciperemus*: ergo ante adventum

Ad Rom. 8. Ad Galat. 4.

Chriſti gratia non communicabat hujuſmodi effectum. *Deinde*, quia homines per gratiam verè fiunt filij Dei, ſatis oſtendimus *dub.* 3. ſed Angeli non fiunt Dei filij per gratiam, quam habent, ut teſtatur D. Chryſoſt. hom. 22. in Geneſim, docens Angelos in Scriptura nunquam fuiſſe appellatos filios Dei, reprehenditque illos, qui *cap.* 6. *Geneſ.* per filios Dei intelligunt Angelos. Et Chryſoſt. favere videtur Paulus *ad Hebr.* 1. illis verbis. *Cui aliquando Angelorum dixit Deus, Filius meus es tu?* ergo idem quod prius. *Inſuper* quoniam gratia Chriſti Domini conſtituit ipſum in eſſe capitis cæterorum juſtorum, influitque moraliter in omnes, ut tradit D. Tho 3. *part. quæſt.* 8. *art.* 5. atqui gratia data aliis hominibus hunc effectum non præſtat, nec præſtare poteſt: ergo, &c. *Tandem* quia gratia viæ eſt radix fidei, & ſpei: gratia vero beatorum eſt radix luminis gloriæ, & comprehenſionis eliciuntque operationes eſſentialiter diverſas, quales ſunt actus fidei, & actus viſionis, ergo prædictæ gratiæ habent effectus eſſentialiter diverſos. Omittimus fundamenta, quæ ſuadent viſiones beatificas hominum, & Angelorum diſtingui eſſentialiter inter ſe: nam videri poſſunt loco ſuprà citato.

D. Chryſoſt. Ad Hebr. 1. D. Thom.

Objectionis ſolutio. 141. Hæc objectio manet majori ex parte enervata ex dictis *dub.* 6. ubi declaravimus eandem naturam accidentalem poſſe in diverſis ſtatibus, & ſubjectis radicare proprietates, & elicere operationes eſſentialiter diſtinctas. Semper tamen debet communicare eundem effectum formalem, ab hoc quippe nequit ſeparari quandiu exiſtit in ſubjecto. Et hoc pacto gratia ſanctificans ob connotationem diverſorum ſtatuum, vel ob varias modificationes, quas habet ex parte ſubjecti, valet diverſas denominationes, proprietates, aut effectus etiam formales ſecundarios impertiri; retenta tamen unitate ſpecifica ejuſdem effectus formalis primarij Et in hoc ſenſu nihil obeſt objectio propoſita, ut diluendo ſingulas ejus partes conſtabit. Ad primam dicimus gratiam nobis, & primis parentibus communicatam habuiſſe eundem effectum formalem primarium, nempè facere participes naturæ divinæ, ſeu Deos per participationem. Habuit etiam eaſdem operationes, videlicet credere, ſperare, diligere, &c. Præbuit tamen quoſdam effectus primis parentibus, quos nobis non communicat, quia in illis afficiebatur quodam modo intrinſeco perfectionis, quo caret in nobis.

Ad ſecundam reſpondemus cum Medina 3. p. *quæſt.* 23. *art.* 3. negando minorem: nam oppoſitum ſatis conſtat ex pluribus Scripturæ locis, in quibus Patres antiqui vocantur filij Dei, ut Exod. 4. *Filius meus primogenitus Iſraël.* Iſaiæ 1. *Filios enutrivi.* Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum*, ideſt, Judæorum, *& mittere canibus*, nempè Gentilibus & alibi ſæpè. Maximè quia cùm hæc adoptio conſiſtat in jure ad hæreditatem æternam ex gratia Dei adoptantis; & conſtat plures ex Patribus habuiſſe jus ad hæreditatem æternam ex gratia, cum plures fuerint prædeſtinati: negari nequit, quod verè fuerunt filij Dei adoptivi. Quod ſatis expreſſit Paulus ad Rom. 8. loquens de omnibus prædeſtinatos, de quorum numero fuerunt antiqui Patres, vocat *fratres Chriſti*: *Quos prædeſtinavit*, inquit, *conformes fieri imaginis filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Verum quidem eſt adoptionem filiorum in lege gratiæ excedere aliquomodo adoptionem filiorum in lege antiqua: non quia quiſque juſtus habeat nunc excellentiorem, aut intenſiorem gratiam, quam fuerit in aliquibus Patribus

Medina. Exod. 4. Matth. 15. Ad Rom. 8.

Digitized by Google

Patribus; ſed ob aliquas perfectiones accidentales. Quia noſtra gratia non ſolum confert jus ad hæreditatem, ſed etiam poſſeſſionem, ſive ingreſſum ad regnum: quæ illa non præſtabat, donec veniret temporis plenitudo. Gratia inſuper hujus ſtatus affert ſecum explicitam notitiam ſecretorum cœleſtium; in illa vero non omnibus revelavit Deus explicitè ſacratiora myſteria, ut divinitatem Meſſiæ, & Dei Trinitatem: & ſic de aliis. Propter quæ gratia hujus ſtatus conſtituit magis abſolutè homines filios Dei: quod illa non ita excellenter præſtabat, ſed cum minori perfectione, ob quam videbantur Patres illius ſtatus cuidam ſervituti obnoxij. Et hoc præciſè evincunt teſtimonia, quæ nobis objiciuntur: nam loquuntur de adoptione perfecta.

Iob.c.2. Ad tertiam negamus minorem: contrariũ enim habemus ex lib. Job. in quo non ſemel Angeli appellantur filij Dei, ut cap. 2. *Cum quadam die veniſſent filij Dei, ideſt Angeli*, & cap. 38. *Ubi eras, cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filij Dei?* nempè Angeli. Verum quidem eſt quod in iis locis ſeptuaginta Interpretes non vertunt filios, ſed Angelos Dei. Quod in cauſa fuit, ut Chryſoſtomus, cui illa verſio erat familiaris, negaret Angelos appellari Dei filios in Scriptura. Unde non irrationabiliter arguebat eos, qui verba Gen. 6. *Videntes filij Dei filias hominum*, &c. interpretabantur de ſanctis Angelis: nam incredibile videtur, quod ſeptuaginta Interpretes eo loco Angelos vocaverint filios Dei, cum tamen in nullo alio hunc titulum eis affinxerint. Paulus autem in illo teſtimonio loquitur de filiatione Dei non adoptiva, ſed naturali; quam merito Angelis negat.

(Cap.38. — D. Chryſoſt. — Geneſ.6.)

Ad quartam dicimus, quod ut gratia ſanctificans conſtituat rationem capitis ſpiritualis, debet connotare in ſubjecto quaſdam excellentias: quæ quia fuerunt in Chriſto, & non ſunt in nobis, propterea ipſi ſoli convenit ratio capitis. Sed hoc nullatenus arguit diverſitatem ſpecificam inter gratiam illam, & noſtram, ut ſatis expreſſit D. Thom. *loco citato, in reſponſ. ad 2.* ubi ait: *Dicendum, quod diverſi actus, quorum unus eſt cauſa alterius, non diverſificant habitum: actus autem perſonalis gratiæ, qui eſt ſanctum facere formaliter habentem, eſt ratio juſtificationis aliorum, quæ pertinet ad gratiam capitis. Et inde eſt, quod per hujuſmodi differentiam non diverſificatur eſſentia habitus.* Ad ultimam conſtat ex dict. dub. 6. nam eadem gratia in ſpecie poteſt eſſe radix diverſarum virtutum, & operationum: maximè quando habet diverſos modos, ut contingit in gratia viatorum, & patriæ.

(D.Thom.)

142. Suppoſito igitur, quod de facto omnis gratia ſanctificans ſit ejuſdem ſpeciei, ubicumque ſit, videndum reſtat, utrum ſit poſſibilis alia gratia ſanctificans, quæ diverſam, & excellentiorem ſpeciem habeat. Nomine gratiæ ſanctificantis (ne quæſtio fiat de nomine,) intelligimus formam ſupernaturalem, qualem deſcripſimus *dub. 4.* eam videlicet, quæ ad minus ſit participatio formalis naturæ divinæ ſub conceptu naturæ, & ſit radix, & primum principium quaſi intrinſecum earum, quæ ad ordinem ſupernaturalem ſpectant. Et procedit quæſtio non ſolum ſecundum legem ordinariam, ſed etiam per reſpectum ad quancumque potentiam.

(*Status controverſia.*)

§. II.

Præfertur negativa ſententia, & ratione probatur.

143. Dicendum eſt repugnare aliam gratiam ſanctificantem eſſentialiter diverſam à gratia ſanctificante, quæ nunc datur. Hæc concluſio eſt omnino conformis menti Divi Thomæ tam in præſenti, quam *infra quæſtione 112. articulo 1.* Cui proinde communiter ſubſcribunt Thomiſtæ. Aſturicenſis *in relect. quæſtione 3. folio 130.* Araujo *diſputatione 1. præambula, ſectione 4. & diſputatione 3. ſectione 2.* Joannes à Sancto Thoma, *quæſtione 112. diſputatione 24. articulo 1.* Ubi Curiel *dubio 2. §. 2.* Zumel *dubio 4.* Montesinos *articulo 2.* Suarez *libro 8. de gratia, cap. 3. num. 10.* & alij.

(*Concluſio.* — D.Thom. — Aſturicenſis. — Araujo. — Ioan. à S Th. — Curiel. — Zumel. — Monteſinos. — Suarez.)

Probatur ratione deſumpta ex D. Thom. locis nuper citatis: quoniam gratia ſanctificans eſt formalis participatio naturæ divinæ ſub conceptu naturæ: ſed non eſt poſſibilis alia participatio formalis naturæ divinæ diverſa in ſpecie ab illa, quam nunc habemus per gratiam: ergo repugnat gratia ſanctificans diverſa in ſpecie ab ea, quæ modo datur. Major, & conſequentia conſtant. Minor autem ſuadetur: quia vel prædicta diverſitas ſpecifica deſumeretur ex parte naturæ, quæ participaretur; vel ex parte modi illam participandi: neque enim apparet, unde poſſit prædicta diſtinctio ſpecifica deſumi, niſi ex dictis capitibus: atqui participatio formalis naturæ divinæ neutro ex iis capitibus valet diverſificari in ſpecie: ergo impoſſibilis eſt alia participatio formalis naturæ divinæ diverſa in ſpecie ab ea, quam nunc habemus per gratiam. Probatur minor: nam in primis impoſſibilis eſt natura divina ſuperior, vel diverſa in ſpecie ab ea, quæ nunc participatur per gratiam, ut ſatis ex ſe liquet: deinde modus, ſub quo nunc participatur, eſt ſupremus omnium excogitabilium; ſiquidem gratia participat naturam divinam immediatè, formaliter, & prout eſt in ſe: ergo participatio formalis naturæ divinæ, quam nunc habemus per gratiam, neutro ex prædictis capitibus valet diverſificari in ſpecie.

(*Ratio ex D. Thom.*)

Confirmatur: quia cuilibet naturæ finis determinatus correſpondet: ſed repugnat dari finem altiorem, vel perfectiori modo ſpecifico attingibilem, quam finem, qui nunc correſpondet gratiæ ſanctificanti, ergo impoſſibilis eſt gratia ſanctificans perfectior in ſpecie, quam gratia ſanctificans, quæ nunc datur. Probatur minor: quia finis gratiæ nunc ſanctificantis eſt Deus ſub ratione ſummi boni, tam in ordine naturali, quàm in ordine ſupernaturali: modus vero ipſum attingendi eſt per immediatam poſſeſſionem ipſius, quæ conſiſtit in viſione beata: ſed licet concedamus licentiam fingendi, nequit excogitari vel altior finis, vel altior modus ſpecificus ipſum conſequendi: ergo, &c.

(*Confirmatio.*)

144. Nec refert, ſi reſpondeas primo, quod licet gratia nequeat diverſificari in ſpecie, vel ex parte naturæ, quam participat, vel ex parte finis in quem tendit; valet nihilominus prædictam diverſitatem ſortiri ex parte modi participandi naturam divinam, & conſequendi ſuum finem. Etenim prædictus modus participandi naturam divinam formaliter, & prout eſt in ſe, non conſiſtit in indiviſibili, nec conſtituitur in ſpecie

(*Primum effugium.*)

atoma

atoma; ſed eſt quaſi genericus, ſub quo plures alij ſpecie diſtincti valent excogitari. Nam cum eſſentia divina in ſeipſa conſiderata habeat modum eſſendi longè perfectiorem, & in infinitum diſtantem à modo illo, quo participatur per gratiam, relinquit ſpatium, ut ſic dicamus, ut infinitos alios modos ſpecie diſtinctos, & perfectiores excogitemus.

Præcluditur. Non, inquam, ſatisfacit hæc reſponſio: quoniam modus ſpecificus, quo gratia ſanctificans participat de facto naturam divinam, pertingit ad maximum quod ſic perfectionis, quæ inter modos ſpecificos eam participandi excogitari poteſt: ergo non eſt excogitabilis alius perfectior. Antecedens probatur ex dictis: quoniam prædictus modus imitatur modum formalem, quem natura divina habet in ſe; licet ipſius perfectionem non adæquet: atqui hujuſmodi imitatio pertingit ad maximum quod ſic perfectionis excogitabilis inter modos ſpecificos participandi naturam divinam: eo quod nullus modus creatus poteſt naturam divinam participare per identitatem, vel adæquationem, vel convenientiam ſpecificam, ſed ſolum per imitationem formalem: ergo modus, quo gratia noſtra participat naturam divinam, pertingit ad maximum quod ſic perfectionis, quæ inter modos eam participandi excogitari poteſt. Unde falſum eſt, quod modus participandi naturam divinam prout eſt in ſe, ſit ſolum unus in genere, & habeat latitudinem ſpecificam: oppoſitum enim convincit noſtra ratio. Nam vel prædictus modus imitatur formaliter modum, quo natura divina eſt in ſe; & ſic coincidit cum modo, quem gratia habet de facto: vel ad id non pertingit; & ſic non eſt modus proprius gratiæ: vel tandem imitatur altiorem modum; & hoc repugnat, ut conſtat ex dictis.

Maior effugij confutatio. Ad hæc: ſi eſſet poſſibilis alius modus perfectior participandi naturam divinam, non poſſet non conſiſtere in majori acceſſu ad Deum & in actualiori, ac immaterialiori imitatione illius modi, quem natura divina habet in ſe; retenta nihilominus ſemper inæquali, ac deficienti conditione gratiæ, quæ in infinitum diſtaret à perfectione increata: ſed hoc non ſufficit ad diſtinctionem ſpecificam: ergo non eſt poſſibilis modus participandi formaliter naturam divinam diſtinctam in ſpecie ab eo, qui tunc convenit gratiæ ſanctificanti. Major videtur evidens: quia impoſſibile eſt, quod aliquis modus creatus adæquet perfectionem modi illius, quem natura divina habet in ſe: ſed major, vel minor perfectio modi creati conſiſtit in majori, & actualiori acceſſu ad modum proprium perfectionis increatæ. Minor etiam oſtenditur: nam de facto gratia ſanctificans magis, ac magis imitatur modum proprium perfectionis increatæ, recipitque novos, & actualiores modos perfectionis: eſt enim capax intenſionis, ſeu augmenti, ut omnes Theologi docent: ſed hoc non obſtante prædicti non inducunt diverſitatem ſpecificam in ſubſtantia gratiæ, ſed eam retinent, & magis perficiunt, ut communiter tradunt Thomiſtæ, quos referunt, & ſequuntur Complutenſ. *in lib. de generat. diſput. 4. quæſt. 7. & 9.* ergo ille modus participandi perfectius naturam divinam non ſufficit ad diſtinctionem ſpecificam gratiæ. Unde obiter manet excluſum, quod hæc reſponſio tangebat: nam infinita diſtantia inter naturam divinam, & gratiam ſanctificantem ſolum evincit, quod gratia poſſit magis ac magis intendi; non vero, quod inter illam, & naturam divinam valeant dari aliæ formæ perfectiores, & ſpecie à gratia diſtinctæ. Sicut etiam inter intellectualitatem divinam, & gradum intellectualitatis creatæ datur diſtantia infinita: & nihilominus nequit excogitari alius gradus medius eſſentialiter perfectior.

145. Dices: quia ſubſtantia creata, quæ eſt virtualis participatio ſubſtantiæ divinæ, diſtat in infinitum ab ea, propterea data qualibet ſpecie ſubſtantiali, poteſt dari alia, & alia ſpecies perfectior uſque in infinitum ſyncategorematicè, ut arguunt Complutenſes *in libro Phyſic. diſputatione 18. quæſtione 3.* ergo eadem diſtantia inter gratiam & naturam Dei evincit poſſibilitatem alterius gratiæ perfectioris, & ſpecie diſtinctæ, vel prædictus diſcurſus nullius erit efficaciæ. *Objectio.* *Complut.*

Diſſolvitur. Reſpondetur poſſibilitatem ſpecierum ſubſtantialium in perfectione ſpecifica abſque termino ſe excedentium non fundari in ſola diſtantia à ſubſtantia divina; ſed magis in qualitate, ſeu modo diſtantiæ. Nam ſubſtantia creata ita diſtat à Deo, quod non imitatur formaliter aliquem modum proprium ipſius, ſed ideas, quas Deus de creaturis format juxta uniuſcujuſque conditionem, & naturam. Unde quia ex parte ipſarum nullus certus terminus ſpecificus valet præfigi; & aliunde nunquam pertingunt adhuc analogicè ad imitandum formaliter aliquem modum proprium Dei in ſeipſo: propterea data qualibet ſpecie ſubſtantiali, poteſt excogitari alia, & alia perfectior ſine termino. Gratia vero ita diſtat à Deo, quod nihilominus imitetur formaliter modum proprium, quem natura divina habet in ſeipſa, ut oſtendimus *dubio 3. & 4.* & quia prædictus modus ex ſua communi ratione importat certam determinationem, & pertingit *ad maximum quod ſic* in imitando perfectionem divinam; idcirco impoſſibilis eſt alia gratia ſanctificans, quæ noſtram ſuperet in perfectione ſpecifica: poteſt tamen ob infinitam diſtantiam ad ejus actualitatem, & immaterialitatem per intenſionem ſyncategorematicè infinitam magis, ac magis accedere. Adde ſubſtantiam eſſe incapacem intenſionis, & ideo majorem, & minorem ejus acceſſum ad perfectionem divinam inducere ſpecificam diſtinctionem. Quod non ita contingit in gratia, & aliis qualitatibus ob oppoſitam rationem.

Alia reſponſio. *Ripalda.* 146. Nec refert ſecundo, ſi hactenus dictis occurras iterum cum Ripalda dicendo excogitabiles eſſe innumerabiles alios modos, quo gratia imitetur naturam divinam: nam fieri poteſt, inquit ille, quod quædam ſit determinata ad ſolam ſpeciem humanam, alia ad ſolam naturam Angelicam, & alia ſit utrique communis. Rurſus fieri poteſt, quod quædam gratia differat realiter à charitate; alia quæ charitatem ſibi identificet; alia etiam, quæ non diſtinguatur à lumine gloriæ; & alia denique, quæ nativa virtute queat gratiam ſanctificantem, & habitus ſupernaturales in aliis ſuppoſitis efficere. Quæ tam diverſa munia ſuadent diverſitatem ſpecificam inter prædictas gratias.

Hoc, inquam, non refert, & corruit facile ex dictis. Nam in primis diverſitas ſpecifica gratiæ ſanctificantis nequit deſumi ex ſubjecto, ſeu potentia obedientiali, cum hæc ſe teneat ex parte cauſæ materialis, & omnibus habitibus ſit com-

munis: ſed deſumenda eſt vel ex parte formæ, quæ participatur, vel ex parte modi participandi illam: Angeli autem, & homines eandem naturam divinam, & eodem modo ſpecifico in qualibet hypotheſi per habitualem gratiam participarent, ut conſtat ex dictis. Deinde priuſquam dicamus unam gratiam eſſe determinatam ad naturam Angelicam, & aliam ad humanam, deſignanda eſt diſtinctio ſpecifica inter illas, & radix exigendi diverſa ſubjecta; aliàs incurritur evidens petitio principij. Præterea gratiam ſanctificantem non poſſe eſſe charitatem, lumen gloriæ, vel aliam immediatè operativam ſatis oſtendimus *dub.* 5. ubi de hac re egimus etiam per reſpectum ad potentiam abſolutam. Nam ſicut impoſſibile eſt eandem formam eſſe ſubſtantiam, & potentiam immediatè operativam: ita repugnat eamdem formam afficere immediatè ſubſtantiam animæ, in qua eſt gratia, & potentiam, in qua eſt virtus. Porro illa inſignis efficacia, quam prædictus auctor arrogat gratiæ ſanctificanti poſſibili in ordine ad producendum gratiam in alieno ſuppoſito, refelletur ex profeſſo *diſput.* 8. *dub.* 1. Unde non oportet horum impugnationi amplius inſiſtere.

§. III.

Eadem veritas alio fundamento communitur.

Aliud aſſertionis fundamentum ex D.Thom.

147. SEcundo probatur noſtra concluſio: quia ſi daretur gratia ſanctificans ſpecie diſtincta à gratia, quæ modo datur, eſſet principium operationum ſpecie diverſarum ab iis, quarum gratia modo eſt principium: ſed hoc repugnat: ergo & quod detur alia gratia ſpecie diſtincta. Major eſt certa: quia natura, ut communiter dicunt Philoſophi, eſt propter operationem, ad eam quippè mediis virtutibus proximis concurrit, & in ea explicat propriam virtutem, & perfectionem, ergo ad naturas eſſentialiter diverſas nequeunt non conſequi operationes eſſentialiter diſtinctæ: atqui gratia ſanctificans habet rationem naturæ in ordine ſupernaturali, ut ſæpius in hac diſputatione diximus: ergo gratia ſanctificans ſpecie diſtincta à gratia, quæ nunc datur, eſſet radix operationum ſpecie differentium ab iis, quæ modo ad gratiam ſequuntur. Minor probatur: quia præcipuæ operationes cujuſcumque gratiæ ſanctificantis conſiſtunt in viſione, & amore Dei in ſeipſo; cum per eas conſequatur, atque attingat ultimum finem ſupernaturalem, in quem ipſa gratia peculiariter inclinat: at ſic eſt, quod omnes viſiones beatificæ ſunt tam de facto, quam de poſſibili unius ſpeciei atomæ, ut oſtendimus *tractat.* 2. *diſputatione* 5. *dubio* 2. Quod etiam de actu charitatis aſſerit Joannes à Sancto Thoma 2. 2. *diſputatione* 14. *articulo* 3. & ratio eſt ſatis manifeſta; ſiquidem omnes viſiones totum Deum in ſeipſo, & ſub eodem medio ſeu lumine, & omnes actus charitatis attingunt eundem ultimum finem ſupernaturalem, & ſub motivo ejuſdem bonitatis divinæ: ergo repugnat dari operationes eſſentialiter diverſas, quarum diſtinctæ gratiæ ſint radices. (Joan. à S.Th.)

Confirmatur.

Confirmatur: quia repugnat naturas ſpecificè diſtinctas præſtare eundem effectum formalem etiam ſecundarium: ſed ad duas gratias ſanctificantes, quantumvis fingantur diſtinctæ, ſequitur idem effectus formalis ſecundarius: ergo repugnat, quod prædictæ gratiæ diſtinguantur in ſpecie. Major eſt ſatis manifeſta: quoniam effectus formalis ſecundarius correſpondet primario effectui, & ipſi commenſuratur: ergo ſicut repugnat naturas eſſentialiter diſtinctas præſtare eundem effectum formalem primarium, ut omnes Philoſophi docent: ita repugnat, quod communicent eundem effectum ſecundarium. Minor autem oſtenditur: nam conſtituere hominem filium Dei adoptivum eſt effectus formalis ſecundarius gratiæ ſanctificantis, ut ſatis conſtat ex dictis *dub.* 1. *&* 2. atqui duæ gratiæ ſanctificantes, quantumvis fingantur diverſæ, communicarent hominibus eandem filiationem Dei adoptivam: ergo præſtarent eundem effectum formalem. Suadetur minor: quia in prædicto caſu homines illi diſtinctis gratiis effecti eſſent verè fratres ſpiritualiter; ſiquidem haberent eundem patrem, Deum videlicet adoptantem; & acceptarentur ad eandem hæreditatem, æternam ſcilicet beatitudinem: conſtat autem ad veram fraternitatem deſiderari, quod fratres ſint filij ejuſdem ſpeciei, & rationis: eo quod diverſitas filiationis non fraternitatem, & aſſimilationem, ſed potius difformitatem, & elongationem inducit, ut ex terminis liquet: ergo gratiæ illæ præſtarent eundem effectum formalem ſecundarium.

Ad hæc: effectus formalis primarius gratiæ ſanctificantis eſt conſtituere Deum per participationem; nam ſicut natura divina per eſſentiam conſtituit Deum per eſſentiam: ita gratia, quæ eſt natura divina participativè, Deum per participationem conſtituit: ergo duæ gratiæ ſanctificantes ſpecie diſtinctæ conſtituerent plures Deos per participationem ſpecie diverſos: conſequens eſt impoſſibile, ergo & quod illæ gratiæ eſſentialiter diſtinguantur. Cætera conſtant, & minor ſubſumpta probatur: tum quia Deus per participationem habet ſupremam excellentiam participabilem: ſicut Deus eſſentialiter ſumptus habet per eſſentiam excellentiam omnium ſupremam: ergo impoſſibile eſt dari plures Deos per participationem ſpecie diſtinctos. Patet conſequentia: quia ex prædicto caſu jam Deus inferioris ſpeciei careret ſuprema excellentia, & non compararetur ut Deus ad alterum Deum ſuperiorem, ſed magis ut creatura. Tum etiam quia ut dentur plures Dij per participationem ſpecie diverſi, requiritur, quod plures naturæ divinæ ſpecie diverſæ participentur, & non ſufficit diverſus modus eandem naturam participandi: quia ubi eadem eſt natura licet modo diverſo, præſtat eundem effectum formalem quamvis modaliter diſtinctum: atqui natura divina participata eſt eadem in ſpecie; tametſi gratiæ illæ, quæ finguntur, diverſimode illam participarent: ergo impoſſibile eſt dari plures Deos per participationem ſpecie diſtinctos. Unde in prædicto caſu ſequeretur manifeſta contradictio: nam ex qua parte illæ gratiæ diſtinguerentur in ſpecie, tribuerent effectus formales ſpecie diſtinctos, atque ideo conſtituerent plures Deos per participationem ſpecie diverſos. Et qua parte tribuerent conſortium ejuſdem naturæ licet diverſo modo, non poſſent conſtituere Deos eſſentialiter diverſos, ſed tantum modaliter. (*Roboratur amplius.*)

148. Dices: ſicut natura divina per eſſentiam eſt una in ſpecie, aut quaſi ſpecie, ita eſt etiam una numero: & hoc non obſtante poſſunt dari plures naturæ divinæ per participationem numero diverſæ:

diverſæ:

diverſæ: ergo etiam poſſunt dari plures naturæ divinæ per participationem ſpecie diſtinctæ. Unde ſicut non eſt inconveniens, quod plures homines habentes gratias numero diverſas, ſint plures Dij per participationem numero diſtincti: ita non repugnabit, quod habentes plures gratias differentes in ſpecie ſint plures Dij per participationem ſpecie diverſi. Nam ſi diverſus modus participandi naturam in ſe ſimpliciſſimam, & unicam ſufficit ad diſtinctionem numericam gratiæ, & ad conſtituendos Deos per participationem numero diverſos, cur non ſufficiet ad diſtinctionem ſpecificam gratiæ, & ad conſtituendos Deos per participationem ſpecie differentes?

Solutio. Reſpondetur unitatem ſpecificam, & numericam gratiæ ſanctificantis habere rationes longè diverſas: nam gratia, cum ſit participatio formalis naturæ divinæ ſumit ſuam unitatem ſpecificam ab eadem divina natura, vel a modo formali illam participandi. Unde cum natura divina ſit in ſe una, & ſimpliciſſima, aliunde modus eam participandi importet certam, & determinatam rationem ſpecificam; quippè cum conſiſtat in hoc, quod eſt participare naturam divinam prout eſt in ſe, & quatenus radicat operationes ordinis divini: propterea repugnat dari plures naturas divinas per participationem ſpecie differentes, & quæ conſtituant plures Deos per participationem ſpecie diſtinctos. Cæterum prædicta participatio nequit fieri per ipſas ſubſtantias, aut eſſentias hominum, vel Angelorum; ſed tantum fit per communicationem cujuſdam formæ accidentalis ipſis ſubſtantiis rerum ſuperadditæ, quæ imitatur formaliter naturam divinam quantum ad conceptum naturæ, à quo ſumitur rei ſpecies, & eſſentia. Porro quælibet forma accidentalis individuatur à ſubjecto, cui inhæret, ab eoque deſumit ſuam unitatem numericam, ut oſtendimus *Tract. 1. diſp. 2. dub. 1.* Unde cum gratia inſit ſubjectis numero diverſis; nequit non ex hoc capite individualiter dividi. Et propterea gratiæ exiſtentes in Angelis, & hominibus diſtinguuntur numero, licet eandem numero naturam increatam imitentur: quia videlicet non individuantur à natura, quam participant, ſed à ſubjectis, quibus inhærent. Sicut viſiones, quas Petrus, & Paulus vident idem numero objectum, diſtinguuntur numero: eo quod unitas materialis, qualis eſt numerica, non ab objecto, quod ſe habet ut forma extrinſeca, ſed à ſubjecto, quod comparatur per modum materiæ, deſumenda eſt. Repugnat igitur dari plures Deos per participationem ſpecie diverſos; ſed non repugnat, quod ſolo numero diſtinguatur. Et quamvis unus eſſet individualiter perfectior altero; hic tamen exceſſus ſolum conſiſteret in majori intenſione ejuſdem formæ, retenta ſemper eadem ratione ſpecifica: & conſequenter uterque abſolutè haberet eandem excellentiam, & dignitatem. Per quod manet excluſa tacita quædam replica, quæ fieri poterat contra ſuperius dicta.

Quædam evaſiones rejiciuntur. Ripalda. 149. Conſulto omittimus evaſiones, quibus Ripalda conatur diluere vim rationis ſuperius factæ, quatenus aſſerit poſſibiles eſſe viſiones beatificas ſpecie diſtinctas: nam poſſet, inquit ille, una viſio attingere eſſentiam ſine attributis, & perſonis, & alia unum attributum abſque alio, utputa miſericordiam ſine ſapientia: quæ viſiones non poſſent non ſpecie diſtingui tam inter ſe, quam à viſione: quæ modo datur. Idemque dicendum eſſet de actu charitatis, qui per hujuſmodi viſionem regularetur. Et conſequenter non repugnat ex hoc capite dari gratias ſpecie differentes, quæ ſint radices prædictarum operationum.

Hæc, inquam, omittimus confutare: tum quia oppoſitam doctrinam latè tradidimus loco ſupra citat. ubi Adverſariorum argumentis occurrimus. Unde ne actum agamus, ab hoc inſtituto nunc ſuperſedemus, eo remittentes lectorem. Tum etiam, & præcipuè, quoniam gratis admiſſo poſſe per divinam potentiam dari viſiones Dei, quarum una attingat eſſentiam ſine attributis, vel unum attributum ſine alio; nihilominus negari nequit, quod viſio intuitiva Dei videat connaturaliter, & per ſe loquendo omnia, quæ ſunt formaliter in ipſo, & conſequenter, quod ſit ejuſdem ſpeciei cum his viſionibus, quæ de facto dantur. Quælibet autem natura fundat, & radicat per ſe primo operationes connaturali modo eliciendas, & juxta exigentiam ipſius naturæ: & ſecundum has operationes venamur à poſteriori naturæ conditionem, & ſpeciem; non autem ſecundum operationes, quæ eliciuntur præternaturaliter, & de potentia abſoluta. Unde ſi omnes gratiæ ſanctificantes poſſibiles debent radicare viſionem Dei in ſeipſo, ut ſupra *num.* 147. probavimus; & rurſus omnis viſio intuitiva Dei attingit per ſe loquendo idem omnino objectum, & habet eandem eſſentiam, legitimè infertur omnem gratiam poſſibilem eſſe ejuſdem ſpeciei: & conſequenter repugnare, quod detur alia gratia ſpecie à noſtra diſtincta. Et in hoc ſenſu procedit ratio ſuperius facta; quidquid ſit de poſſibilitate alicujus viſionis præternaturalis, quam aliunde ſupponimus repugnare.

§. IV.

Satisfit motivis adverſæ opinionis.

150. Contrariam ſententiam tuentur Granados *controverſ.* 8. *tractat.* 4. *diſputatione* 4. Ripalda *tom.* 1. *diſputatione* 23. *ſectione* 14. *& tom.* 2. *diſputatione ultima*, *ſect.* 39. Saavedra *de Virgine Deipara veſtig.* 2. *diſp.* 2. *ſect.* 5. & alij Juniores. Quæ poteſt ſuaderi primo: quoniam ex noſtra aſſertione ſequitur Deum non poſſe producere entitatem perfectiorem gratia ſanctificante, quæ modo datur: conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens. Sequela oſtenditur: nam in primis nulla entitas creata, vel creabilis adæquat perfectionem gratiæ ſanctificantis, ut ſtatuimus *dubio præcedenti*: inſuper nulla forma ſupernaturalis, quæ ſe habeat per modum virtutis proximæ, ipſam excedit in perfectione, ut ibidem declaravimus: tandem nunc affirmamus non eſſe poſſibilem formam ſupernaturalem ſe habentem ad inſtar naturæ, quæ ſpecie diſtinguatur à gratia: ergo ex noſtra ſententia manifeſte ſequitur Deum non poſſe producere entitatem perfectiorem gratia ſanctificante. Falſitas autem conſequentis probatur: nam inde fieret Dei omnipotentiam de facto exhauriri per productionem gratiæ ſanctificantis, ſiquidem non valeret perfectiorem effectum producere: atqui implicat divinam omnipotentiam exhauriri per productionem alicujus entis increati: nullum quippè ejus perfectionem adæquat, vel terminum in producendo præfigit; ſed in infinitum diſtat ab ea, ſicut finitum ab infinito: ergo abſurdum eſt dicere, quod Deus nequeat producere entitatem perfectiorem gratia habituali, quæ modo datur.

Opinio contraria. Granados. Ripalda. Saavedra. Primum argumentum.

Reſponſio. Reſpondetur concedendo ſequelam intellectam de perfectione ſpecifica, & abſtrahendo à modo unionis hypoſtaticæ; nam hoc pacto optimè evincitur ex inducta probatione, cui favent plurima, quæ in tota hac diſputatione ſtatuimus. Unde concedendum eſt divinam omnipotentiam exhauriri per productionem gratiæ habitualis, in hoc videlicet ſenſu, quod nequit producere entitatem quæ illam excedat imperfectione ſpecifica. Hoc autem non oritur ex limitatione divinæ omnipotentiæ, ſed ex maxima excellentia gratiæ ſanctificantis, quæ pertingit ad imitandum naturam divinam ſecundum modum, quem habet in ſe. Qui modus cum ex una parte ſit excellentiſſimus, & ex alia importet certam determinationem, ſubterfugit multiplicationem, & diviſionem ſpecificam: & locum præcludit, ut excogitemus aliam formam ſpecie perfectiorem, quam gratia ſanctificans. Sed quia divina natura ita eſt una, & ſimpliciſſima in ſeipſa, quod nihilominus habet infinitos quaſi gradus actualitatis; propterea gratia illam formaliter participans poteſt magis, ac magis ad ejus actualitatem accedere, & fundat intenſionem ſyncategorematicè infinitam. Quamobrem non eſt concedendum abſolutè, quod divina omnipotentia exhauriatur per productionem gratiæ ſanctificantis, quæ de facto datur: nam poteſt adhuc producere aliam gratiam intenſivè, & individualiter perfectiorem: & nunquam producet gratiam adeo intenſam, ut nequeat aliam, & aliam intenſiorem uſque in infinitum producere. Dicere autem divinam omnipotentiam eſſe quodammodo exhauſtam, quia nimirum non valet ſpeciem perfectiorem producere, non eſt illum inconveniens: ſed potius atteſtatur excellentiam divinæ gratiæ, & virtutem maximam Dei, quæ potuit formam adeo perfectam producere. Unde Eccleſia in quadam collecta canit: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas*: parcit autem, & miſeretur, cum communicat nobis gratiam, per quam peccata dimittit.

Illuſtratur ſolutio ex D. Thom. Quæ illuſtrari poſſunt ex doctrina D.Thom. *1. part. quæſt. 25. art. 6.* ubi licet in corpore ſtatuat, *quod ſimpliciter loquendo, qualibet re à ſe facta poteſt Deus facere aliam meliorem*; nihilominus in reſponſione ad 4. inquit: *Dicendum, quod humanitas Chriſti ex hoc, quod eſt unita Deo, & beatitudo creata ex hoc, quod eſt fruitio Dei, & beata Virgo ex hoc, quod eſt mater Dei habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus: & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Sicut ergo non eſt inconveniens aſſerere, quod nequit dari viſio beata ſpecie perfectior, quam viſio, quæ modo datur, & quod repugnat maternitas majoris excellentiæ, quam ea, quæ convenit beatæ Virgini: ita non eſt abſurdum affirmare, quod implicat alia participatio naturæ divinæ, quæ excedat gratiam noſtram in perfectione ſpecifica.

D.Thom. Id, quod ſatis expreſſit D. Thom. *eadem quæſt. art. 5.* ubi inquirit, utrum Deus ſit omnipotens, & cum eſſet hoc argumentum, *De Deo dicitur, quod omnipotentiam ſuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtat: Ultimum igitur, quod poteſt omnipotētia divina, eſt parcere, & miſereri.* Non reſpondet D.Th. negando conſequentiam, ſed in hunc modum: *Dicendum, quod Dei omnipotentia oſtenditur maximè in parcendo, & miſerando: quia per hoc oſtenditur Deum habere ſummam poteſtatem, quod libere peccata dimittit: ejus enim, qui ſuperioris legi aſtringitur, non eſt libere peccata condonare. Vel quia parcendo hominibus, & miſerando* (pende verba) *perducit eos ad participationem infiniti boni, qui eſt ultimus effectus divinæ virtutis.* Hæc autem participatio fit ſimpliciter, & principalius per gratiam ſanctificantem, quæ eſt radix cæterorum bonorum, & participationum ſupernaturalium. Unde ſine præjudicio divinæ virtutis aſſeritur non poſſe produci aliam formam ſpecie perfectiorem: *hoc enim* (ut loquitur D.Thom. artic. nuper citato in corpore) *omnipotentiæ non ſubditur, non propter defectum divinæ potentiæ; ſed quia non poteſt habere rationem factibilis, neque poſſibilis.*

Diximus ad argumentum ſuperius factum concedendam eſſe ſequelam *abſtrahendo à modo unionis hypoſtaticæ*: quia ſi ſemel datur prædictus modus, ſuperat ſimpliciter perfectionem ſpecificam gratiæ ſanctificantis, ut obſervavimus *dub. præced. num. 115.*

Secundum argum. 151. Arguitur ſecundo; quia poſſibiles ſunt uniones hypoſtaticæ ſpecie diſtinctæ: ergo repugnant gratiæ ſanctificantes ſpecie diverſæ. Antecedens ſuadetur: quia poteſt dari unio hypoſtatica purè ſpiritualis, ut ſi Deus aſſumeret naturam Angelicam; & poteſt dari unio hypoſtatica purè corporea, ut ſi aſſumeret naturam lapidis: conſtat autem ſpirituale, & corporeum diſtingui pluſquam ſpecie: ergo poſſibiles ſunt uniones hypoſtaticæ ſpecie diſtinctæ. Conſequentiam probat Granados: quia gratia ſanctificans eſt effectus phyſicè dimanans ab unione hypoſtatica: ergo pro diverſis ſpecie unionibus conſtituendæ ſunt diverſæ in ſpecie gratiæ. *Grana.*

Solvitur. Reſpondetur admiſſo antecedenti negando conſequentiam; quoniam gratia ſanctificans non conſequitur unionem hypoſtaticam per veram dimanationem phyſicam, ſed tantum per ſequelam logicam fundatam in ſola exigentia, & condecentia morali. Porro unio hypoſtatica non fundat hanc exigentiam in quacumque natura aſſumpta, ſed ſolum in ea, quæ poteſt ſuſcipere gratiam ſanctificantem, & elicere operationes ſupernaturales, quibus tendat in ultimum finem hujus ordinis, cujuſmodi ſunt viſio beatifica, & amor charitatis. Hæc autem capacitas non invenitur in naturis purè corporeis, ut ex ſe liquet, ſed ſolum in natura intellectiva. Unde non infertur, quod diverſæ gratiæ in ſpecie debeant conſequi illas diverſas uniones; ſed unionem ad naturam ſpiritualem conſequitur gratia ſanctificans; unionem vero ad naturam purè corpoream nulla conſequitur gratia.

152. Nec refert, ſi replices cum Ripal- nam inter ipſas uniones hypoſtaticas Dei ad naturas ſpirituales poteſt dari diſtinctio ſpecif- ſi enim Deus aſſumeret naturam Angelicam, fecto illa unio differret in ſpecie ab unione, aſſumpſit animam rationalem: eo quod præ- unio eſt quidam modus ſubſtantialis, qui pro- debet eſſe talis juxta conditionem rei, quam dificat. Idemque argumentum fieret, ſi per- divina terminaret diverſas naturas Angeli- tunc quippè diſtinguerentur ſpecie modi- i- nis, ſicut ipſæ naturæ terminatæ. Quæ omnes, eſſent capaces gratiæ ſanctificantis, & hæc de- ret habere ſpeciem juxta modos unionis hypo- ticæ, à quibus exigeretur, & ad quos conſeq- tur; planè infertur admittendas eſſe in prædi- caſibus gratias ſanctificantes ſpecie diſtinctas.

Hoc, inquam, non refert: negandum enim eſt, quod uniones hypoſtaticæ perſonæ divinæ animam

animam rationalem, & naturam Angelicam, vel ad diverſas naturas Angelicas diſtinguantur in ſpecie. Nam prædictæ naturæ non ſubſunt prædictæ unioni ratione potentiæ naturalis, in qua eſſentialiter differunt, ſed ratione potentiæ obedientialis, in qua univoce conveniunt: reſpiciunt enim idem agens, & eundum terminum, & eandem conditionem, ut ſic dicamus, unionis: hæc quippe non valet in his caſibus diverſificari ex conceptu generico corporeitatis, vel ſpiritualitatis, ut in modis unionis ad naturam corpoream, & ſpiritualem contingit. Unde ex hoc capite nequit colligi diſtinctio ſpecifica inter gratias ſanctificantes. Eſto vero, gratis concedamus prædictos modos unionis diſtingui ſpecie; adhuc tamen non ſequitur eamdem diverſitatem in gratiis habitualibus admittendam fore. Et ratio eſt: quoniam gratia ſanctificans non conſequitur naturaliter ad unionem per modum proprietatis illius; ſed tantum moraliter, ut perfectio ipſi valde conveniens. Non eſt autem inconveniens, quod eadem perfectio tribuatur ſuppoſitis, & unionibus valde diſtinctis: quemadmodum de facto eadem ſpecie gratia communicatur Chriſto Domino, & puris creaturis; licet unio ſuppoſiti creati ad naturam, & unio Verbi divini ad humanitatem differant plus quam uniones, quæ in replica recenſentur. Cum enim gratiæ ſpecies non deſumatur à ſuppoſitis, vel naturis, in quibus eſt, ſed per reſpectum ad naturam divinam, quam formaliter participat; quantumvis ſit in ſuppoſitis diverſis, vel conſequatur diſtinctas uniones, ſemper tamen retinet eandem unitatem ſpecificam: quippe quæ ſemper participat eandem naturam, ſub eodem modo formali. Quod ſatis atteſtantur operationes ab ea procedentes: nam quantumcumque fingantur uniones hypoſtaticæ ſpecie diſtinctæ; nihilominus viſio beatifica, & amor charitatis retinerent eandem ſpeciem, ſiquidem tenderent in idem objectum formale, quod modo attingunt. Idem ergo de gratia affirmandum eſt.

Tertium argumentum.

153. Arguitur tertio: quoniam poſſibiles ſunt aliæ virtutes ſpecie diſtinctæ ab iis, quæ modo dantur: ergo poſſibilis eſt alia gratia ſpecie diverſa ab ea, quæ modo exiſtit. Conſequentia eſt legitima: nam virtutes comparantur ad gratiam, ſicut proprietates ad naturam: ſed ex diverſitate ſpecifica proprietatum recte colligitur ſpecifica variatio naturæ: ergo ſi ſunt poſſibiles virtutes ſpecie diverſæ à virtutibus nunc exiſtentibus, poſſibilis erit gratia ſpecie diſtincta ab ea, quæ modo eſt. Antecedens probatur ſpecialiter in fide Theologica: nam fides nunc exiſtens innititur auctoritate Dei obſcura revelantis: ſed poſſibilis eſt alius habitus innitens auctoritati Dei clare loquentis, ſeu evidentiæ in atteſtanti: qui non poſſet non ſpecie diſtingui à fide nunc exiſtenti, ſiquidem haberet motivum adeo diverſum: ergo, &c.

Confirmatur primò.

Confirmatur primo: quia ſicut natura eſt unica, & infinita, & participatur per gratiam, ita lumen increatum eſt unicum, & infinitum, & participatur per lumen ſupernaturale creatum: ſed lumen increatum eſt participabile per diverſa lumina ſpecie, ut pluta per lumen propheticum, per lumen fidei, per lumen gloriæ, &c. ergo natura divina poterit participari per gratias ſpecie diverſas.

Secundò.

Confirmatur ſecundo: nam perfectio infinita eſt infinitis modis participabilis: ſed natura divina eſt infinita: ergo poteſt participari infinitis modis: participatur autem per gratiam: hæc igitur valet, ſpecifice in infinitum multiplicari.

Occurritur argumento.

Reſpondetur argumento negando antecedens intellectum de his habitibus, quæ ſunt præcipuæ virtutes proximæ gratiæ ſanctificantis, & poſtulant conſequi naturam divinam ſubitam in nobis per participationem: quidquid ſit, an poſſint dari aliqui habitus, qui nullam naturam ordinis divini per ſe ſupponant. Ad probationem autem in contrarium dicendum eſt fidem innitentem teſtimonio Dei clare loquentis, & teſtimonio Dei obſcure revelantis eſſe abſolute ejuſdem ſpeciei quia habent idem ſimpliciter motivum, videlicet teſtimonium Dei non manifeſtantis objectum in ſe ipſo: claritas enim, vel obſcuritas, quibus teſtimonium divinum nobis innoteſcit, ſolum habet rationem conditionis. Imo eſt conditio per accidens reſpectu fidei: nam conditio per ſe petita conſiſtit in obſcuritate objecti, ſive in illius non manifeſtatione: ſive divina revelatio ſit in ſe evidens, ſive non. Unde D. Thom. 2. 2. *quæſt. 171. artic. 5. & lib. 3. contra gentes capite 154.* aſſerit Prophetas, Apoſtolos, & Evangeliſtas habuiſſe hanc evidentiam in atteſtante: quæ tamen nec illorum fidem evacuavit, nec induxit aliam fidem ſpecie diverſam à noſtra. *D. Thom.*

Confirmationi diluitur.

Ad primam confirmationem reſpondetur negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt: quia ſolum lumen gloriæ attingit Deum prout eſt in ſe: cætera vero lumina attingunt ipſum modo longe diverſo, atque inferiori, videlicet per ſpecies creatas, & connotando alias imperfectiones. Unde licet omnia lumina creata ſupernaturalia ſint participationes ejuſdem luminis increati, queunt tamen ob diverſum, & inadæquatum modum, quo illud imitantur diverſificari in ſpecie. Hoc autem non habet locum in gratia ſanctificante: quia ex proprio conceptu participat naturam divinam ſecundum modum, quem habet in ſe, & quatenus eſt radix aliarum perfectionum, quæ ſunt in Deo. Unde aditum præcludit, ut excogitetur alia gratia excellentior in ſpecie. Quicumque vero habitus hanc perfectionem non attingens deficit eo ipſo à proprio conceptu gratiæ ſanctificantis.

Per quod etiam conſtat ad ſecundam confirmationem: nam licet perfectio infinita naturæ divinæ poſſit participari infinitis modis inadæquatis, & inferioris ordinis, nequit tamen ſecundum illum modum, quem habet in ſe, participari, niſi unico modo ſpecifico quo de facto invenitur in gratia ſanctificante, ut ſupra diximus.

Quartum argumentum.

154. Arguitur quarto: nam ſi gratia ſanctificans eſt adeo perfecta, quod ex una parte excedit omnes ſpecies ſubſtantiales poſſibiles, & ex alia nequit excedi ab aliqua ſpecie accidentali poſſibili; ſequitur perfectionem gratiæ ſanctificantis eſſe ſimpliciter infinitam: conſequens eſt falſum, & contra D.Thom. 1. *parte quæſt.* 7. *art.* 2. ubi reſolvit omnem eſſentiam creatam eſſe ſimpliciter finitam: ergo gratia ſanctificans non habet ſpeciem perfectiorem omni eſſentia poſſibili. Sequela probatur: tum quia id, quod excedit perfectionem ſimpliciter infinitam nequit non habere infinitam ſimpliciter perfectionem, ut ex ipſis terminis liquet: atqui collectio omnium ſpecierum poſſibilium importat perfectionem ſimpliciter infinitam; ſiquidem eſt terminus adæquatus virtutis activæ ſimpliciter infinitæ, nimirum omnipotentiæ: ergo ſi gratia ſanctificans excedit omnes ſpecies poſſibiles, nequit non habere perfectionem ſimpliciter infinitam. Tum etiam, nam illa perfectio, qua nequit excogita[illegible]

Digitized by Google

major, nequit non eſſe infinita: ſi enim aliquo termino finiretur, eo ipſo præſtaret locum ad excogitandum aliam majorem perfectionem: ergo ſi gratia eſt ita perfecta, quod nequit excogitari alia perfectior ſpecies, ſequitur habere perfectionem ſimpliciter infinitam. Tum denique nam ex eo, quod Deus ſit ſimpliciter perfectior omni eo, quod non eſt Deus, recte concluditur Deum eſſe infinite perfectum: ergo ex eo quod gratia ſit ſimpliciter perfectior omni eo, quod non eſt gratia; optime evincimus, quod ſit perfecta infinite.

Satisfit argumento. Reſpondetur negando ſequelam: quia licet perfectio gratiæ ſanctificantis ſit ſatis magna, ut omnia, quæ in hac diſputatione diximus, liquido oſtendunt: adhuc tamen clauditur terminis eſſentialibus, nempe genere, & differentia; ſiquidem convenit univoce cum aliis qualitatibus tam naturalibus, quam ſupernaturalibus, ab eiſque per determinatam differentiam diſtinguitur: quidquid autem terminis clauditur, nequit eſſe ſimpliciter infinitum. Præſertim quia quælibet gratia data poteſt magis, & magis perfici intra propriam ſpeciem ſuſcipiendo novos modos actualitatis, ut in limine dubij præmiſimus: quod ſatis oſtendit nullam gratiam habere actu, & cathegorematice infinitam perfectionem. Ad primam autem ſequelæ probationem reſpondemus negando minorem: quia collectio omnium creaturarum poſſibilium non importat aliquam unam perfectionem ſimpliciter infinitam, ſed multitudinem infinitam finitarum perfectionum: ſicut nec dicit aliquam eſſentiam, ſed infinitas eſſentias, quarum quælibet ſit finita. Unde ut gratia dicatur excedere eſſentialiter, & quoad ſpeciem omnes creaturas, & eſſentias poſſibiles, ſatis eſt, quod habeat ſpeciem nobiliorem quacumque ſpecie creata ſeorſim, & ſingillatim accepta: id vero minime ſuadet ineſſe gratiæ perfectionem infinitam ſimpliciter: nam ad excedendum perfectionem finitam ſufficit alia perfectio finita melior. Quare ſicut ex eo, quod numerus binarius verbi gratia ſit perfectior omnibus numeris poſſibilibus, non arguitur, quod binarius ſit infinitus in linea numeri: & quemadmodum ex eo, quod homo ſit animal perfectius omnibus animalibus poſſibilibus, nequaquam infertur, quod homo ſit infinitus in genere animalis: ita ex eo, quod gratia ſit perfectior quoad ſpeciem omnibus eſſentiis poſſibilibus, non colligitur, quod ſit infinita ſimpliciter quoad ſpeciem.

Communis huius doctrinæ ratio. 155. Et ratio generalis hujus doctrinæ, ex qua etiam conſtabit ad alias ſequelæ probationes, eſt: quoniam dupliciter poteſt aliquid excedere aliud. Uno modo continendo formaliter, vel eminenter ejus perfectionem adæquatam tam genericam, quam ſpecificam, & inſuper addendo aliam differentiam, aut quaſi differentiam nobiliorem. Et quidem quod hoc modo excedit perfectionem omnium creaturarum poſſibilium, nequit non eſſe actu, & ſimpliciter infinitum: nam eo ipſo tranſgreditur omne genus, & ad nullam particularem perfectionem determinatur. Sed hic modus excedendi eſſentias poſſibiles eſt proprius ſolius Dei, qui omnem perfectionem creatam adæquate eminenter continet; cum illam poſſit producere. Nequit autem convenire gratiæ ſanctificanti, vel alij creaturæ: hæc quippe licet actu formaliter contineat, vel potius participet genus, in quo convenit cum aliis ſpeciebus; nihilominus eorum proprias differentias ſpecificas (penes quas præcipue attenditur rerum perfectio) nec formaliter, nec eminenter importat, ſed magis removet à ſuo conceptu: eo quod ſpecies ſub eodem genere contentæ ſe propriis differentiis excludunt & quodammodo mutuo ſibi opponunt. Quæ eſt doctrina D.Thom. 1. *p. q.* 55. *art.* 3. *& q.* 84. *art.* 2. *in corp. & ad* 3. *D. Tho.* Alio modo dicitur unum excedere aliud, non quia illud contineat, ſed quia licet mutuo ſe excludant, unum tamen eſt melius alio, quod optime abſque incluſione, vel continentia unius in alio cohæret. Angelus enim excedit eſſentialiter hominem; non quia importat formaliter, vel eminenter perfectionem propriam hominis, & addat aliam: ſed quia perfectio ejus propria, licet non includat, & addat, ſed ſimplex ſit; eſt tamen melior, quam quidditas hominis. Et hoc pacto gratia excedit omnes creaturas poſſibiles: non quidem includendo earum perfectiones; ſed quia perfectio ſimplex, quam dicit, eſt melior quacumque alia eſſentia ſingillatim accepta: & conſequenter excedit eſſentialiter omnes collective ſumptas: nam collectio non addit aliquod prædicatum ſpecificum, & eſſentiale ſupra ſingulas ſpecies. Videatur D.Thom. locis citatis ubi tradit Angelum, & animam rationalem non continere ſimpliciter perfectionem ſpecierum inferiorum, quas ſimpliciter excedunt.

Ad ſecundam ſequelæ probationem conſtat ex modo dictis: nam in primis licet nequeant excogitari prædicata ſpecifica creata perfectiora illis, quæ gratiæ ſanctificanti conveniunt; nihilominus prædicta prædicata important genus determinatum, & differentiam determinatam: unde conſtituunt ſpeciem finitam, & non pertingunt ad perfectionem eſſentiæ infinitæ, quæ eſt ſinum eſſe abſque omni determinativo. Deinde cum dicitur nullam eſſentiam creatam poſſe excogitari perfectiorem gratia ſanctificante; idem eſt ac dicere nullam ex eſſentiis finitis eſſe gratia ſanctificante præſtantiorem: nam creatum, & finitum convertuntur: unde totus exceſſus gratiæ ſuper alia entia continetur intra latitudinem entis finiti, eamque finitam relinquit. Quod autem non poſſit excogitari alia eſſentia perfectior, non provenit ex eo, quod eſſentia gratiæ infinita ſit; ſed quia importat nobiliſſimum modum, quo poſſumus divinam perfectionem participare, & imitari, & qui ſubinde quaſi in indiviſibili conſiſtit. Sicut nulla forma incompleta poteſt excogitari perfectior, quam anima rationalis: & tamen hoc non arguit infinitatem in illa.

Ad ultimam reſpondetur infinitam Dei perfectionem non colligi ex eo, quod excedat eſſentialiter utcumque perfectionem rerum poſſibilium, ſed quia illam excedit, & ſimul continet, abſque determinatione ad ullum genus, & ſpeciem. Gratia autem excedit eſſentialiter alia entia non continendo earum perfectionem, nec adæquando modum proprium ſubſtantiæ creatæ, ut conſtat ex hactenus dictis. Unde ex prædicto exceſſu non infertur infinitas ſimpliciter, ſed ad ſummum ſecundum quid. Hanc vero non negamus, ſed potius illi attribuimus, ut quæ decet maximam gratiæ perfectionem juxta dicta *dub.* 4. ubi ex ſcriptura oſtendimus gratiam inſigniri quadam infinitudine, & plenitudine eſſendi.

156. Dices: omne comparativum ſupponit abſolutum: ergo non cohæret, quod gratia ſit eſſentialiter melior aliis rebus, & quod non habeat earum bonitatem, & inſuper addat aliquam perfectionem: ergo perperam attribuimus illi exceſſum eſſentialem ſuper alia entia creata, & negamus, quod earum perfectionem contineat. *Obje.*

Reſpon

Solvitur. Reſpondetur negando utramque conſequentiam: nam oppoſitum evidenter conſtat in omnibus ſpeciebus: Angelus enim eſt melior homine, ipſumque eſſentialiter excedit; & tamen nec formaliter, nec eminenter habet perfectionem propriam hominis, & ſimiliter homo eſt ſpecie melior omnibus animalibus poſſibilibus; & nihilominus non includit formaliter, aut eminenter eorum perfectiones. Nec id probatur ex illo proloquio: nam, quod unum ſit melius alio, & comparativum ſupponat poſitivum, minime infertur, quod unum habeat determinate perfectionem propriam alterius, & aliquid aliud: ſed ſufficit, quod id, quod dicitur melius, ſit ita bonum, ac aliud, ſecundum quandam æquivalentiam, & inſuper magis bonum: quod abſque incluſione fieri optime valet. Quanquam enim duæ rationes ſint valde diſparatæ, nullamque inter ſe ſubordinationem, vel incluſionem obſervent: nihilominus poteſt una eſſe ita bona, ac alia, (licet non non eadem bonitate) & inſuper illam excedere in perfectione. Abſolutum enim in his comparationibus eſt bonum, non quidem alterius extremi, ſed proprium, alteri tamen æquivalens in æſtimatione ejus, qui ponderat rerum eſſentias.

Quintum argumentum. 157. Arguitur quinto: quoniam forma ſanctificans corporea, & forma ſanctificans ſpiritualis nequeunt non ſpecie diſtingui, ut ſupra de unione hypoſtatica ſpirituali, & corporea dicebamus: ſed præter formam, ſeu gratiam ſanctificantem ſpiritualem, quæ de facto datur, eſt poſſibilis forma ſanctificans corporea: ergo præter gratiam ſanctificantem, quæ de facto exiſtit, poteſt dari alia gratia, ſeu forma ſanctificans ſpecie diverſa. Cætera conſtant, & minorem, in qua eſt difficultas,

Saavedra. late probat Saavedra *loco ſupra citato*, ubi ſtatuit eſſe poſſibilem ſanctitatem corpoream. Robur autem ſuarum probationum, ad ſequentia motiva reducitur. *Primò*, quia corpus eſt immediate capax ſanctitatis; ſiquidem humanitas Chriſti Domini ſanctificata eſt per hypoſtaſim divinam, à qua terminatur: ergo poſſibilis eſt aliqua forma creata, quæ corpus immediate ſanctificet: forma autem, quæ immediate afficit corpus, eſt corporea: ergo ſanctitas corporea eſt poſſibilis. *Secundo*, quia *ſanctitas eſt ab omni immunditia libera, & perfecta,*

Dionyſ. *& incontaminata mundities*, ut definit Dionyſ. *cap.* 12. de divinis nominibus: ſed non repugnat forma corporea, quæ corpus ab omni immunditia, & de ordinatione expurget: ergo non repugnat ſanctitas corporea. *Tertio*, quia poſſibiles ſunt virtutes, & perfectiones corporeæ ordinis ſupernaturalis, ut ſunt habitus laudabiles reſidentes in appetitu, & dotes corporis glorioſi, & alia hujuſmodi: ergo poſſibilis eſt aliqua forma corporea, quæ hujuſmodi perfectiones radicet: hæc autem forma eſt vera ſanctitas: ergo dabilis eſt ſanctitas corporea. *Quarto*, quia poſſibilis eſt ſanctitas ſpiritualis, quæ animam ſanctificet: ergo ſimiliter erit poſſibilis ſanctitas corporea, quæ corpus ſanctificet: id quippe expoſcit paritatis ratio.

Confirmatur. Confirmatur: quia de facto B. Virgo Maria habuit ſanctitatem corpoream: hæc igitur eſt poſſibilis. Antecedens probatur ex pluribus teſtimoniis SS. Patrum, qui deprædicant Virginem ſanctam corpore, & Spiritu: idque præſertim aſſerunt elucidantes illud Luc. 17. *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.* Præ omnibus hoc apertius ſignificat Eccleſia in quadam collecta dicens, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, ut dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti, &c.* Propria enim Spiritus ſancti operatio eſt ſanctificare id, quod peculiariter diſponit, & præparat ad finem ſupernaturalem.

Solvitur argumentum. Ad argumentum poſſet reſponderi minime evincere oppoſitum ejus, quod in noſtra aſſertione præcipuè intendimus, nimirum non eſſe poſſibilem aliam gratiam ſanctificantem ſpiritualem, quæ à noſtra eſſentialiter diſtinguatur, eamque excedat in perfectione: quidquid ſit de poſſibilitate gratiæ ſanctificantis corporeæ, & imperfectioris, quæ reſpective ad ſpiritualem eſſet æquivoce gratia. Abſolute autem conceſſa majori, negamus minorem. Ad cujus probationem ut perſpicue occurramus, & ſimul extricemus plura ſatis obſcura, dubia, & indigeſta, quæ coacervavit citatus Auctor, animadvertendum eſt ex D. Thom. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 81. *art.* 8. quod nomen *ſanctitatis duo videtur importare. Uno quidem modo munditiam: & huic ſignificationi competit nomen Græcum: dicitur enim agios, quaſi ſine terra. Alio modo im-* *Nota circa ſanctitatem.* *portat firmitatem: unde & dicitur aliquid eſſe ſancitum, quia eſt lege firmatum. Poteſt etiam ſecundum Latinos hoc nomen, Sanctus, ad munditiam pertinere, ut intelligatur ſanctus, quaſi ſanguine tinctus: eo quod antiquitus illi, qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tingebantur, ut dicit Iſidorus in lib.* 10. *Ethymol. cap.* 18. *Et utraque* *Iſidorus.* *ſignificatio competit, ut ſanctitas attribuatur his, quæ divino cultui applicantur: ita quod non ſolum homines, ſed etiam templum, & vaſa, & alia hujuſmodi ſanctificari dicantur ex hoc, quod cultui divino applicantur. Munditia enim neceſſaria eſt ad hoc, quod mens Deo applicetur: quia mens humana inquinatur ex hoc, quod inferioribus rebus conjungitur, ſicut qualibet res ex permixtione pejoris ſordeſcit, ut argentum ex commixtione plumbi.* Ex quibus habetur nomen ſanctitatis latiſſime divagari, extendique non ſolum ad ſpiritum, ſed etiam ad corpora, nedum viventia, ſed etiam inanimata. Cum enim ſanctitas ſignificet munditiam, & receſſum à rebus profanis, per quas mens indiſponitur, ut Deo poſſit ſacrari, & uniri; ambit quidquid ab uſibus illicitis ablegatur, Deoque ſpecialiter deſervit: ſive concurrat phyſice, ſive moraliter; & ſive importet formam extrinſecam, ſive extrinſecam preciſè denominationem; ac tandem ſive munus ſanctificandi obeat ſimpliciter ſive tantum ſecundum quid, ut ſatis liquet exemplis, quæ D. Thom. adducit.

158. Sed quia omnia, quæ ſunt in aliquo ordine, debent ad aliquam radicem primam reduci; neceſſum eſt, quod detur aliqua ſanctitas ſacrans, & ſanctificans hominem per modum formæ, & naturæ; alia verò ſanctificabunt diſpoſitive, vel antecedenter, vel conſequenter, uti ſe habent omnes virtutes ſupernaturales, quæ proinde ſunt quædam ſanctitates: ſpecialiter tamen id competit Religioni, cujus actus eſt hominem Deo cum quadam firmitate ſacrare, ut tradit D. Thom. *loco* *Quid ſit ſanctitas per modum formæ.* *citato.* Porro ſanctitas ſacrans, & ſanctificans per modum formæ, & radicis debet eſſe illa, quæ immediate, & per ſe ipſam excludit præcipuam animæ immunditiam, nimirum peccatum mortale habituale, per quod homo à Deo recedit, & fit illi exoſus, atque abominabilis. Hujuſmodi autem peccatum non recipitur immediate in corpore, vel in aliqua potentia operativa, ſed afficit immediate ſubſtantiam animæ, ut tradidimus *tr.* 13. *diſp.* 16. *dub.* 5. per totum, & præcipue *num.* 120. Unde ſanctitas per modum formæ, & radicis, atque ideò ſanctitas ſimpliciter, debet immediate tangere prædictum

Digitized by Google

prædictum ſubjectum. Quod cum non conveniat alteri formæ, quam gratiæ ſanctificanti, quæ de facto datur; ſequitur prædictam gratiam eſſe ſanctitatem per modum formæ, & radicis. Præſertim, quia cum ſanctitas importet quandam ſubjecti ſacrationem, & ad Dei cultum dedicationem; ea erit rigoroſa ſanctitas, quæ per modum formæ ſubjicit totum hominem Deo, & radicat omnem rectitudinem, quæ tam in potentiis ſpiritualibus, quam in corpore reperitur, & aptat hominem ad Dei cultum: qualem eſſe gratiam ſanctificantem ſatis conſtat ex dictis *dub.6.* ubi oſtendimus omnia hæc dimanare phyſice à gratia tanquam à prima radice ordinis ſupernaturalis. Alia autem quæcumque forma in corpore reperta, ſive ſit ſupernaturalis, ſive non, nequit prædicta munia exercere: quamobrem non eſt ſanctitas formalis, ſeu per modum naturæ, ſed tantum diſpoſitivè.

Repugnat ſanctitas corporea per modum formæ.

159. Ex quibus ad illius minoris probationem ſatis liquet: nam gratis admiſſa ſanctitate corporea per modum cujuſdam diſpoſitionis, minime infertur poſſibilitas ſanctitatis corporeæ per modum formæ: nam ut nuper vidimus, ſanctitas per modum formæ eſt quæ immediate expellit immunditiam peccati habitualis, & ſacrat Deo totum hominem: quod nequit ulla forma corporea per ſe ipſam præſtare, quamvis ad prædictos effectus diſponat. Ad primum autem motivum in contrarium dicendum eſt corpus eſſe quidem capax ſanctitatis diſpoſitivæ aut etiam moralis, per deputationem ad aliquem uſum ſacrum, non tamen ſanctitatis formalis. Nec oppoſitum ſuadetur exemplo humanitatis Chriſti Domini: nam licet ſubſiſtentia divina tam animam, quam corpus terminaverit, munus tamen ſanctitatis formalis ſolum exercuit reſpectu animæ. Corpus vero eatenus dicitur ſanctificaſſe, quatenus communicavit ipſi aliquos effectus, qui ad ſanctitatem formalem diſponunt, eique valde congruunt, utpute quod nullum haberet motum inordinatum, & quod fuerit inſtrumentum conjunctum ad plurima opera ſupernaturalia.

Ad ſecundum conſtat ex dictis immunditiam, quæ per ſanctitatem expurgatur, non eſſe immunditiam corporum; alias Sol, qui mundiſſimus naturaliter eſt, haberet ſanctitatem corpoream, quod eſt ridiculum: ſed eſſe immunditiam animæ per peccata: quod ſatis expreſſit quædam translatio definitionis ibidem adductæ: dicitur enim ſanctitas ab omni ſcelere libera munditіes: ſcelus enim peccatum eſt. Quare cum expellere immediate, & formaliter peccatum non competat illi formæ corporeæ; nequit hujuſmodi forma eſſe ſanctitas formalis, ſed ad ſummum diſpoſitiva.

Ad tertium dicendum omnes illas qualitates ſupernaturales (eſto, omnes ſupernaturales ſint,) radicari in gratia ſanctificante tanquam in prima radice hujus ordinis, ut explicuimus *dub.6.* & nequeunt ad formam corpoream reduci.

Ad quartum negatur conſequentia: & diſparitas conſtat ex ipſis terminis: nam immunditia peccati, quæ per ſanctitatem abjicienda eſt, reſidet immediate in anima: & idcirco debet expelli per formam ſpiritualem, non autem per formam corpoream: unde non hæc, ſed illa queit eſſe formalis ſanctitas.

Confirmatio diluitur.

Ad confirmationem reſpondetur ex nuper dictis admittendo antecedens intellectum de ſanctitate diſpoſitiva, aut etiam morali per deputationem ad ſacrum uſum; & illud negando, ſi intelligatur de ſanctitate per modum formæ. Nec oppoſitum probant auctoritates, quæ nobis objiciuntur: fatemur enim B. Virginem eſſe ſanctam corpore, & ſpiritu, & utrumque eſſe ſacratiſſimum, atque ab Spiritu ſancto præparatum; aliter tamen, & aliter. Nam erat ſancta in anima per ſanctitatem formalem immediate, ac directe repugnantem peccato. Erat etiam ſancta in corpore: moraliter quidem, quia fuit templum Dei, phyſice vero, quia habuit appetitum ſenſitivum exornatum virtutibus ſupernaturalibus, & fomitem perfecte ligatum, aut etiam extinctum. Quibus chariſmatibus eam abundantiſſime reſperſit Spiritus ſanctus juxta illud Pſal. 44. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circum amicta varietatibus.* Præcipua enim, & quaſi omnis erat intus in ejus anima: quamquam etiam corpus variis chariſmatibus ſeu fimbriis ab anima redundantibus ornaretur, ut optime tradit Angelicus Doctor *3. part. q. 17. art. 2.* Alia vero, quæ Saavedra adducit, nempe dignitatem Matris Dei eſſe formam ſanctificantem corpoream, & poſſe appellari naturam; B. Virginem habuiſſe potentiam generativam ſupernaturalem; & non potuiſſe adhuc de potentia abſoluta maculari peccato originali, aliaque ſexcenta, concitant quidem admirationem vulgi; ſed majorem gravium Theologorum indignationem. Quod noſtra vero refert, admonitum deſideramus lectorem inter plures approbationes, quæ limina operis Saavedræ exornant, reperiri etiam lectorum hujus Collegij Syngraphas laudatorias, in quibus R.P.F. Dominicus à S. Thereſia ſubſcribit. Sed virum hunc doctiſſimum ſcimus ſæpè de hac impoſtura conqueſtum fuiſſe, dum ingenuè aſſerebat ſe nunquam tale judicium vel tuliſſe, vel probaſſe. Quod vel inſinuare ſufficiat, ut videat prudens lector quanti facere oporteat approbationes, quibus Juniores quidam exopticas opiniones ſuffulciunt. Et hæc de quidditate gratiæ ſanctificantis. *D. Thom.*

QUÆSTIO CXI.

De diviſione Gratiæ, in quinque Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de diviſione gratiæ.

ARTICULUS I.

Utrum gratia convenienter dividatur per gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod gratia non convenienter dividatur per gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam. Gratia enim eſt quoddam donum Dei, ut ex ſupra dictis patet. Homo autem ideo non eſt Deo gratus, quia aliquid eſt ei datum à Deo, ſed potius è converſo: ideo enim aliquid datur alicui gratis à Deo, quia eſt homo gratus ei: ergo nulla eſt gratia gratum faciens.

Præterea, Quæcumque non dantur ex meritis præcedentibus, dantur gratis: ſed etiam ipſum bonum naturæ datur homini abſque merito præcedenti, quia natura præſupponitur ad meritum: ergo ipſa natura eſt etiam gratis data à Deo: natura autem dividitur contra gratiam. Inconvenienter igitur hoc, quod eſt gratis datum, ponitur ut gratiæ

gratiæ differentia: quia invenitur etiam extra gratiæ genus.

Præterea, Omnis diviſio debet eſſe per oppoſita: ſed etiam ipſa gratia gratum faciens per quam juſtificamur, gratis nobis à Deo conceditur, ſecundum illud *Rom.* 3. Juſtificati gratis per gratiam ipſius: ergo gratia gratum faciens non debet dividi contra gratiam gratis datam.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus utrumque attribuit gratiæ, ſcilicet & gratum facere, & eſſe gratis datum. Dicit enim quantum ad primum *ad Epheſ.* 1. Gratificavit nos in dilecto filio ſuo. Quantum vero ad ſecundum dicitur *ad Rom.* 2. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia. Poteſt ergo diſtingui gratia, quæ vel habet unum tantum, vel utrumque.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut Apoſtolus *ad Rom.* 13. Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. In hoc autem rerum ordo conſiſtit, quod quædam per alia in Deum reducuntur, ut Dionyſ. dicit *in lib. cæleſt. Hierarch.* Cum igitur gratia ad hoc ordinetur, ut homo reducatur in Deum, ordine quodam, hoc agitur, ut ſcilicet quidam per alios in Deum reducuntur. Secundum hoc igitur duplex eſt gratia. Una quidem per quam ipſe homo Deo conjungitur, quæ vocatur gratia gratum faciens. Alia vero per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur. Hujuſmodi autem donum vocatur gratia gratis data: quia ſupra facultatem naturæ, & ſupra meritum perſonæ homini conceditur. Sed quia non datur ad hoc, ut homo ipſe per eam juſtificetur, ſed potius ut ad juſtificationem alterius cooperetur: ideo non vocatur gratum faciens. Et de hac dicit Apoſtol. 1. *ad Corinth.* 12. Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, ſcilicet aliorum.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia non dicitur facere gratum effective, ſed formaliter, ſcilicet quia per hanc homo juſtificatur, & dignus efficitur vocari Deo gratus, ſecundum quod dicitur *ad Col.* 1. Dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.

Ad ſecundum dicendum, quod gratia ſecundum quod gratis datur, excludit rationem debiti. Poteſt autem intelligi duplex debitum. Unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad perſonam, cujus eſt agere meritoria opera, ſecundum illud *ad Rom.* 4. Et qui operatur, merces imputatur ſecundum debitum, non ſecundum gratiam. Aliud eſt debitum ſecundum conditionem naturæ, puta, ſi dicamus debitum eſſe homini, quod habeat rationem, & alia, quæ ad humanam pertinent naturam. Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc, quod Deus creaturæ obligetur, ſed potius inquantum creatura debet ſubjici Deo, ut in ea divina ordinatio impleatur: quæ quidem eſt, ut talis natura tales conditiones, vel proprietates habeat, & quod talia operans talia conſequatur. Dona igitur naturalia carent primo debito, non autem carent ſecundo debito: ſed dona ſupernaturalia utroque debito carent, & ideo ſpecialius ſibi nomen gratiæ vendicant.

Ad tertium dicendum, quod gratia gratum faciens addit aliquid ſupra rationem gratiæ gratis datæ, quod etiam ad rationem gratiæ pertinet, quia ſcilicet hominem gratum facit Deo: & ideo gratia gratis data, quæ hoc non facit, retinet ſibi nomen commune, ſicut in pluribus aliis contingit. Et ſic opponuntur duæ partes diviſionis, ſicut gratum faciens, & non faciens gratum.

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA.

Quæ D. Thom. in hoc, & quarto articulo tradit, ex profeſſo explicuimus *tom.* 3. *in arbore Prædicament. virtutum* § 17. per totum: unde non oportet circa eorum expoſitionem immorari.

ARTICULUS II.

Utrum gratia convenienter dividatur per operantem, & cooperantem.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod gratia inconvenienter dividatur per operantem, & cooperantem. Gratia enim accidens quoddam eſt, ut ſupra dictum eſt: ſed accidens non poteſt agere in ſubjectum: ergo nulla debet dici operans.

Præterea. Si gratia aliquid operetur in nobis, maxime operatur in nobis juſtificationem: ſed hoc non ſola gratia operatur in nobis. Dicit enim Auguſt. ſuper illud *Joan.* 14. Opera, quæ ego facio, & ipſe faciet. Qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te: ergo nulla gratia debet dici ſimpliciter operans.

Præterea, Cooperari alicui, videtur pertinere ad inferius agens, non autem ad principalius: ſed gratia principalius operatur in nobis, quam liberum arbitrium, ſecundum illud *Rom.* 8. Non eſt currentis neque volentis, ſed miſerentis Dei: ergo gratia non debet dici cooperans.

Præterea, Diviſio debet dari per oppoſita: ſed operari, & cooperari non ſunt oppoſita, idem enim poteſt operari, & cooperari: ergo inconvenienter dividitur gratia per operantem, & cooperantem.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, gratia dupliciter poteſt intelligi. Uno modo divinum auxilium, quo nos movet ad bene volendum, & agendum. Alio modo habituale donum nobis divinitus inditum. Utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem, & cooperantem. Operatio enim alicujus effectus non attribuitur mobili, ſed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota & non movens, ſolus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur, & ſecundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens noſtra & movet, & movetur, operatio non ſolum attribuitur Deo, ſed etiam animæ, & ſecundum hoc dicitur gratia cooperans. Eſt autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis: & quantum ad iſtum actum voluntas ſe habet ut mota, Deus autem ut movens, & præſertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Et ideo ſecundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia gratia operans.

Alius autem actus eſt exterior, qui cum à voluntate imperetur, ut ſupra habitum eſt, conſequens eſt, quod ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat & interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exterius facultatem operandi præbendo, reſpectu hujuſmodi actus dicitur gratia cooperans. Unde poſt præ-

miſſa

Digitized by Google

miſſa verba ſubdit Auguſt. Ut autem velimus, operatur: cum autem volumus, ut perficiamus, nobis cooperatur. Si igitur gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, qua movet nos ad bonum meritorium, convenienter dividitur gratia per operantem, & cooperantem. Si vero accipiatur gratia pro habituali dono, ſic eſt duplex gratiæ effectus, ſicut & cujuſlibet alterius formæ: quorum primus eſt eſſe, ſecundus eſt operatio: ſicut caloris operatio eſt facere calidum, & exterior calefactio. Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam ſanat, vel juſtificat, ſive gratiam Deo facit, dicitur gratia operans: in quantum vero eſt principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.

Ad primum ergo dicendum, quod ſecundum quod gratia eſt quædam qualitas accidentalis, non agit in animam effective, ſed formaliter: ſicut albedo dicitur facere albam ſuperficiem.

Ad ſecundum dicendum, quod Deus non ſine nobis nos juſtificat: quia per motum liberi arbitrij dum juſtificamur, Dei juſtitiæ conſentimus. Ille tamen motus non eſt cauſa gratiæ, ſed effectus: unde tota operatio pertinet ad gratiam.

Ad tertium dicendum, quod cooperari dicitur aliquis alicui non ſolum ſicut ſecundarium agens principali agenti, ſed ſicut adjuvans ad præſuppoſitum finem: homo autem per gratiam operantem adjuvatur à Deo, ut bonum velit. Et ideo præſuppoſito jam fine, conſequens eſt, ut gratia nobis cooperetur.

Ad quartum dicendum, quod gratia operans, & cooperans eſt eadem gratia, ſed diſtinguitur ſecundum diverſos effectus, ut ex ſupra dictis patet.

Conclusio est affirmativa.

Doctrinam D.Thomæ in hoc articulo quantum attinet ad diviſionem gratiæ auxiliantis exponemus *diſputatione ſequenti, dub.7.§.1.& 2.* quantum vero pertinet ad diviſionem gratiæ habitualis, ſecundum quod juſtificat hominem, & dicitur *operans*, fuſe explicabimus *toto Tractat. de juſtificat.* & ſecundum quod eſt principium operis meritorij, & *cooperans* vocatur, elucidabimus *in Tractatu de Merito*, & præcipuè *diſp.3.* per totam. Reſponſio ad 4. refertur ad gratiam habitualem, ut ſatis conſtat ex corpore articuli, & ex iis, quæ docet Divus Thom. *art. ſeq. & præſertim in reſp. ad 2.*

ARTICULUS III.

Utrum gratia convenienter dividatur in prævenientem, & ſubſequentem.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur, quod gratia inconvenienter dividatur in prævenientem, & ſubſequentem. Gratia enim eſt divinæ dilectionis effectus: ſed Dei dilectio nunquam eſt ſubſequens, ſed ſemper præveniens, ſecundum illud 1. *Ioan.* 4. Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos: ergo gratia non debet poni præveniens, & ſubſequens.

Præterea, Gratia gratum faciens eſt una tantum in homine, cum ſit ſufficiens, ſecundum illud 2. *ad Corinthios* 12. Sufficit tibi gratia mea: ſed idem non poteſt eſſe prius, & poſterius: ergo gratia inconvenienter dividitur in prævenientem, & ſubſequentem.

Præterea, Gratia cognoſcitur per effectus: ſed infiniti ſunt effectus gratiæ, quorum unus præcedit alium: ergo ſi penes hos gratia deberet dividi in prævenientem, & ſubſequentem, videtur, quod infinitæ eſſent ſpecies gratiæ: infinita autem relinquuntur à qualibet arte: non ergo gratia convenienter dividitur in prævenientem, & ſubſequentem.

Sed contra eſt, quod gratia Dei ex ejus miſericordia prævenit: ſed utrumque *in Pſal.* 58. legitur, Miſericordia ejus præveniet me, & iterum Miſericordia ejus ſubſequetur me: ergo gratia convenienter dividitur in prævenientem, & ſubſequentem.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut gratia dividitur in operantem, & cooperantem ſecundum diverſos effectus, ita etiam in prævenientem, & ſubſequentem, qualitercumque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus eſt, ut anima ſanetur: ſecundus, ut bonum velit: tertius eſt, ut bonum, quod vult efficaciter cooperetur: quartus eſt, ut in bono perſeveret: quintus eſt, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia ſecundum quod cauſat in nobis primum effectum, vocatur præveniens reſpectu ſecundi effectus: & prout cauſat in nobis ſecundum, vocatur ſubſequens reſpectu primi effectus. Et ſicut unus effectus eſt poſterior uno effectu, & prior alio, ita gratia poteſt dici præveniens, & ſubſequens ſecundum eundem effectum reſpectu diverſorum: & hoc eſt, quod Auguſt. dicit in libro de natura & gratia. Prævenit, ut ſanemur, ſubſequitur, ut ſanati vegetemur: prævenit, ut vocemur, ſubſequitur, ut glorificemur.

Ad primum ergo dicendum, quod dilectio Dei nominat aliquid æternum, & ideo nunquam poteſt dici niſi præveniens: ſed gratia ſignificat effectum temporalem, qui poteſt præcedere aliquid, & ad aliquid ſubſequi: & ideo gratia poteſt dici præveniens, & ſubſequens.

Ad ſecundum dicendum, quod gratia non diverſificatur per hoc, quod eſt præveniens, & ſubſequens ſecundum eſſentiam, ſed ſolum ſecundum effectum, ſicut & de operante, & cooperante dictum eſt. Quia etiam ſecundum quod gratia ſubſequens ad gloriam pertinet, non eſt alia numero à gratia præveniente, per quam nunc juſtificamur. Sicut enim charitas viæ non evacuatur, ſed perficitur in patria: ita etiam & de lumine gratiæ eſt dicendum, quia neutrum in ſui ratione imperfectionem importat.

Ad tertium dicendum, quod quamvis effectus gratiæ poſſint eſſe infiniti numero, ſicut ſunt infiniti actus humani, tamen omnes reducuntur ad aliqua determinata in ſpecie: & præterea omnes conveniunt in hoc, quod unus alium præcedit.

Conclusio est affirmativa.

Quæ hic tradit D.Thom. licet ſatis perſpicua ſint, magis explicabimus *diſp.ſeq.dub.7.§.4.* ubi etiam exponemus, an hæc diviſio coincidat cum præcedenti.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Utrum gratia gratis data convenienter ab Apoſtolo dividatur.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod gratia gratis data inconvenienter ab Apoſtolo diſtinguatur. Omne enim donum, quod nobis à Deo gratis datur, poteſt dici gratia gratis data: ſed infinita ſunt dona, quæ nobis gratis à Deo conceduntur tam in bonis animæ, quam in bonis corporis, quæ tamen nos Deo gratos non faciunt: ergo gratiæ gratis datæ non poſſunt comprehendi ſub aliqua certa diviſione.

Præterea, Gratia gratis data diſtinguitur contra gratiam gratum facientem, ſed fides pertinet ad gratiam gratum facientem, quia per ipſam juſtificamur, ſecundum illud *Rom.* 5. Juſtificati igitur ex fide, &c. ergo inconvenienter ponitur fides inter gratias gratis datas, præſertim cum aliæ virtutes ibi non ponantur, ut ſpes, & charitas.

Præterea, operatio ſanitatum, & loqui diverſa genera linguarum, miracula quædam ſunt. Interpretatio etiam ſermonum ad ſapientiam, vel ſcientiam pertinet, ſecundum illud *Dan.* 1. Pueris dedit Deus ſcientiam, & diſciplinam in omni libro, & ſapientia: ergo inconvenienter dividitur gratia ſanitatum, & genera linguarum contra operationem virtutum, & interpretatio ſermonum contra ſermonem ſapientiæ, & ſcientiæ.

Præterea, ſicut ſapientia, & ſcientia ſunt quædam dona Spiritus ſancti, ita etiam intellectus, conſilium, pietas, & fortitudo, & timor, ut ſupra dictum eſt: ergo hæc etiam debent poni inter gratias gratis datas.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit 1. *ad Corinth.* 12. *Alij per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio Spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.*

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, Gratia gratis data ordinatur ad hoc, quod homo alteri cooperetur, ut reducatur ad Deum: homo autem ad hoc operari non poteſt interius movendo, hoc enim ſolius Dei eſt, ſed ſolum exterius docendo vel perſuadendo. Et ideo gratia gratis data illa ſub ſe continet, quibus homo indiget ad hoc, quod alterum inſtruat in rebus divinis, quæ ſunt ſupra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur. Primo quidem, quod homo ſit ſortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc inſtruere alios poſſit. Secundo, ut poſſit confirmare, vel probare ea, quæ dicit, alias non eſſet efficax ejus doctrina. Tertio, ut ea, quæ concipit, poſſit convenienter auditoribus proferre. Quantum igitur ad primum, tria ſunt neceſſaria, ſicut etiam apparet in magiſterio humano. Oportet enim, quod ille, qui debet alium inſtruere in aliqua ſcientia, primo quidem ut principia illius ſcientiæ ſint ei certiſſima: & quantum ad hoc ponitur fides, quæ eſt certitudo de rebus inviſibilibus, quæ ſupponuntur ut principia in catholica doctrina. Secundo oportet, quod doctor recte ſe habeat circa principales concluſiones ſcientiæ, & ſic ponitur ſermo ſapientiæ, quæ eſt cognitio divinorum. Tertio oportet, ut etiam abundet exemplis, & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifeſtare cauſas: & quantum ad hoc ponitur ſermo ſcientiæ, quæ eſt cognitio rerum humanarum: quia inviſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur. Confirmatio autem in his, quæ ſubduntur rationi, eſt per argumenta. In his autem, quæ ſunt ſupra rationem divinitus revelata, confirmatio eſt per ea, quę ſunt divinæ virtuti propria: & hoc dupliciter. Uno quidem modo, ut doctor ſacræ doctrinæ faciat, quæ ſolus Deus facere poteſt in operibus miraculoſis, ſive ſint ad ſalutem corporum, & quantum ad hoc ponitur gratia ſanitatum: ſive ordinentur ad ſolam divinæ poteſtatis manifeſtationem, ſicut quod ſol ſtet, aut tenebreſcat, quod mare dividatur: & quantum ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundo, ut poſſit manifeſtare ea, quæ ſolius Dei eſt ſcire, & hæc ſunt contingentia futura: & quantum ad hoc ponitur prophetia: & etiam occulta cordium: & quantum ad hoc ponitur diſcretio ſpirituum. Facultas autem pronuntiandi poteſt attendi vel quantum ad idioma, in quo aliquis poſſit intelligi, & ſecundum hoc ponuntur genera linguarum: vel quantum ad ſenſum eorum, quæ ſunt proferenda: & quantum ad hoc ponitur interpretatio ſermonum.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, non omnia beneficia, quæ nobis divinitus conceduntur, gratiæ gratis datæ dicuntur, ſed ſolum illa, quæ excedunt facultatem naturæ: ſicut quod prædicator abundet ſermone ſapientiæ, & ſcientiæ, & aliis hujuſmodi: & talia ponuntur ſub gratia gratis data.

Ad ſecundum dicendum, quod fides non numeratur hic inter gratias gratis datas, ſecundum quod eſt quædam virtus juſtificans hominem in ſe ipſo, ſed ſecundum hoc, quod importat quandam ſupereminentem certitudinem fidei, ex qua homo ſit idoneus ad inſtruendum alios de his, quæ ad fidem pertinent. Spes autem, & charitas pertinent ad vim appetitivam, ſecundum quod per eam homo in Deum ordinatur.

Ad tertium dicendum, quod gratia ſanitatum diſtinguitur à generali operatione virtutum, quia habet ſpecialem rationem inducendi ad fidem, ad quam aliquis magis promptus redditur per beneficium corporalis ſanitatis, quam per fidei virtutem aſſequitur. Similiter etiam loqui variis linguis, & interpretari ſermones, habent ſpeciales quaſdam rationes movendi ad fidem: & ideo ponuntur ſpeciales gratiæ gratis datæ.

Ad quartum dicendum, quod ſapientia, & ſcientia non computantur inter gratias gratis datas, ſecundum quod enumerantur inter dona Spiritus ſancti, prout ſcilicet mens hominis eſt bene mobilis per Spiritum ſanctum ad ea, quæ ſunt ſapientiæ, & ſcientiæ: ſic enim ſunt dona Spiritus ſancti, ut ſupra dictum eſt. Sed computantur inter gratias gratis datas, ſecundum quod importanc quandam abundantiam ſcientiæ, & ſapientiæ, ut homo poſſit non ſolum in ſe ipſo recte ſapere de divinis, ſed etiam alios inſtruere, & contradicentes revincere. Et ideo inter gratias gratis datas ſignificantur primo ſermo ſapientiæ, & ſermo ſcientiæ, quia ut Auguſt. dicit 14. *de Trinitate*, aliud eſt ſcire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, aliud eſt ſcire quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur.

Concluſio eſt affirmativa.

PRo majori notitia hujus diviſionis videantur, quæ diximus *in Tract. de virtutibus, in arbore prædicam.* §. 7. ubi uniuſcujuſque gratiæ gratis datæ propria munera explicuimus. Hic verò ſo-
Bellarminus. lum oportet adnotare Bellarminum *lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap.* 10. exiſtimaſſe dari alias gratias gratis datas præter iſtas, quas ex Apoſtolo recenſet D. Thom. Quod etiam affirmat
Suarez. Suarius, Vaſquez, Lorca, & alij: moventurque
Vaſquez. ex eo, quod Apoſtolatus, character ſacerdotalis,
Lorca. juriſdictio in foro interno, aſſiſtentia Dei ſpecialis promiſſa Pontifici, & ſimilia habent quidquid requiritur ad rationem gratiæ gratis datæ: & tamen non continentur in earum numero, quas Apoſtolus, & D. Thom. expendunt. Sed horum Auctorum opinio, & fundamentum ex ſola æquivocatione proceſſit, dum non advertit diſtinctionem inter gratias gratis datas, & miniſtrationes, & operationes, quas tamen diſtinxit Apoſt. 1. ad
1. ad Cor. 12. Corinth. 12. *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus.* Differunt autem miniſtratio, ſeu miniſterium à gratia gratis data in eo, quod iſta ſolum importat vim ad inſtruendum alios in fide, non quidem interius movendo, ſed ſolum exterius dicendo: & ad hoc ſufficiunt novem illæ ſpecies, quas ex Paulo refert D. Thom. in præſenti, ut ejus diſcurſus efficaciter convincit. Miniſtratio vero importat auctoritatem exercendi aliquos actus in alios: & ad hoc munus, non autem ad conceptum gratiæ gratis datæ pertinent Apoſtolatus, character, & ſimilia. Unde non ſequitur, quod diviſio gratiæ gratis datæ ſit diminuta. Quod adhuc magis illuſtrat idem Angelicus Doctor ſuper locum cit. Pauli *lect. 1. & 2.*

ARTICULUS V.

Utrum gratia gratis data ſit dignior, quam gratia gratum faciens.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod gratia gratis data ſit dignior, quam gratia gratum faciens. Bonum enim gentis eſt melius, quam bonum unius, ut Philoſophus dicit *in 1. Ethic.* ſed gratia gratum faciens ordinatur ſolum ad bonum hujus hominis, gratia autem gratis data ordinatur ad bonum commune totius Eccleſiæ, ut ſupra dictum eſt: ergo gratia gratis data eſt dignior, quam gratia gratum faciens.

Præterea, majoris virtutis eſt, quod aliquid poſſit agere in aliud, quam quod ſolum in ſe ipſo perficiatur: ſicut major eſt claritas corporis, quod poteſt etiam alia corpora illuminare, quam ejus quod ita in ſe lucet, quod alia illuminare non poteſt. Propter quod etiam Philoſoph. dicit *in 5. Ethic.* quod juſtitia eſt præclariſſima virtutum, per quam homo recte ſe habet etiam ad alios: ſed per gratiam gratum facientem homo perficitur in ſe ipſo, per gratiam autem gratis datam homo operatur ad perfectionem aliorum: ergo gratia gratis data eſt dignior, quam gratia gratum faciens.

Præterea, id, quod eſt proprium meliorum, dignius eſt, quam id, quod eſt commune omnium, ſicut ratiocinare, quod eſt proprium hominis, dignius eſt, quam ſentire, quod eſt commune omnibus animalibus: ſed gratia gratum faciens eſt communis omnibus membris Eccleſiæ. Ergo gratia gratis data eſt dignior, quam gratia gratum faciens.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus 1. *ad Cor.* 12. enumeratis gratiis gratis datis, ſubdit, Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Et ſicut per ſubſequentia patet, loquitur de charitate, quæ pertinet ad gratiam gratum facientem: ergo gratia gratum faciens excellentior eſt, quam gratia gratis data.

Reſpondeo dicendum, quod unaquæque virtus tanto excellentior eſt, quanto ad altius bonum ordinatur. Semper autem finis potior eſt his, quæ ſunt ad finem: gratia enim gratum faciens ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis: gratiæ autem gratis datæ ordinant hominem ad quædam præparatoria finis ultimi: ſicut per prophetiam, & miracula, & alia hujuſmodi, homines inducuntur ad hoc, quod ultimo fini conjungantur. Et ideo gratia gratum faciens eſt multo excellentior, quam gratia gratis data.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Philoſ. *in 12. Met.* Bonum multitudinis, ſicut exercitus eſt duplex. Unum quidem, quod eſt in ipſa multitudine, puta, ordo exercitus: aliud autem eſt, quod eſt ſeparatum à multitudine, ſicut bonum ducis. Et hoc melius eſt: quia ad hoc etiam illud aliud ordinatur. Gratia autem gratis data ordinatur ad bonum commune Eccleſiæ, quod eſt ordo Eccleſiaſticus: ſed gratia gratum faciens ordinatur ad bonum commune ſeparatum, quod eſt ipſe Deus. Et ideo gratia gratum faciens eſt nobilior.

Ad ſecundum, quod ſi gratia gratis data poſſet hoc agere in altero, quod homo per gratiam gratum facientem conſequitur; ſequeretur, quod gratia gratis data eſſet nobilior: ſicut excellentior eſt claritas ſolis illuminantis, quam corporis illuminati. Sed per gratiam gratis datam homo non poteſt cauſare in alium conjunctionem ad Deum, quam ipſe habet per gratiam gratum facientem, ſed cauſat quaſdam diſpoſitiones ad hoc. Et ideo non oportet, quod gratia gratis data ſit excellentior: ſicut nec in igne calor manifeſtativus ſpeciei ejus, per quam agit ad inducendum calorem in alia eſt nobilior, quam forma ſubſtantialis ipſius.

Ad tertium dicendum, quod ſentire ordinatur ad ratiocinari ſicut ad finem, & ideo ratiocinari eſt nobilius. Hic autem è converſo: quia id, quod eſt proprium, ordinatur ad id, quod eſt commune, ſicut ad finem: unde non eſt ſimile.

Concluſio eſt negativa.

QUam vera ſit reſolutio D. Thom. fuſius oſtendi poteſt ex dictis *diſp.* 4. fere per totam, & præcipue *dub.* ... ubi oſtendimus, quanta ſit perfectio gratiæ ſanctificantis, & quomodo excedat non ſolum gratias gratis datas, quæ non multum eminent comparative ad alia dona, verum etiam cuncta alia chariſmata ſupernaturalia, & omne creatum, quod ab ipſa gratia ſanctificante diſtinguitur, excepto modo unionis hypoſtaticæ.

DISPU

DISPUTATIO QUINTA.
DE GRATIA ACTUALI, SIVE AUXILIANTE.

POSTQUAM oſtendimus, quantum indigeat homo gratia ſpeciali Dei ad actus tam naturales, quam ſupernaturales, & explicuimus naturam, & perfectionem gratiæ habitualis: ſuccedit jam, ut de gratia actuali, quæ incomplexa voce *auxilium* dicitur, diſſeramus. Cujus conſideratio principem in hac materia vendicat locum: eo quòd celebrior inter Auguſtinum, & Pelagianos diſceptatio gratiam actualem reſpexit, quæ eſt totius ſalutis initium. Accedit etiam hujus materiæ maxima difficultas: nam dum gratiam extollimus, videmur hominis libertatem deprimere; & cum arbitrio favemus, gratiæ neceſſitas, atque efficacia non ita palam elucet, ut *diſp.* 1. *cap.* 3. *num.* 61. expendimus, & exaggerat D. Auguſt. *epiſt.* 46. *&* 47. *ad Valentinum*, & *lib.* 4. *contra Iulianum Pelagianum*, *cap.* 8. Quamobrem eiſdem locis monet orare, ut ſapienter intelligamus, quæ piè credimus, nempe neceſſitatem, & efficaciam divinæ gratiæ cum libertate arbitrij cohærere. Quod ut præſtemus, (poſt ejuſdem gratiæ adjutorium,) ipſe Auguſtinus nobis ſincerè conſulendus eſt, qui in hac cauſa feliciter laboravit. Unde cuncta, quæ in hac diſputatione ſtatuemus, ejus firmabimus teſtimoniis: tuncque veritatis bravium gloriabimur comprehendiſſe, cum ipſius mentem fideliter tenuerimus. In quam profectò recto tramite deducemur, præunte Angelici Doctoris face, quo nemo melius Auguſt. ſententias imbibit, ut conſtat ex dictis *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 1. *&* 2. Sed ut expeditior methodus lucem materiæ conciliet, prius univerſaliora, & faciliora in præſenti diſp. ſubjiciemus, & exinceps in ſequentibus de ſpecialioribus, atque obſcurioribus diſputabimus. Et ideo ſit. *Difficultas huius materiæ.* *D. Auguſt.*

DUBIUM PRIMUM.

Utrùm detur Gratia ſupernaturalis actualis externa, & interna.

1. QUia quæſtio, *an ſit* objectum, præcedit quæſtionem *quid ſit*; propterea oportet ante alia firmare exiſtentiam gratiæ auxiliantis, & deinde ad ejus quidditatem elucidandam procedere. Pro terminorum autem intelligentia, quos præſefert titulus dubij, animadvertendum eſt ex dictis *diſp.* 1. *c.* 1. §. 1. gratiam dici quodlibet beneficium naturæ collatum ſuprà ejus facultatem, & exigentiam. Quod ſi conferatur in ordine ad finem, & actus naturales, dicitur gratia naturalis: ſi autem communicetur in ordine ad ea, quæ ſunt ordinis divini, gratia ſupernaturalis vocatur. Et quia præcipua diſceptatio tam vetus inter Auguſtinum, & Pelagianos, quam recens inter Thomiſtas, & alios Theologos modernos, verſatur circa ea, quæ ad ſupernaturalem ordinem pertinent: idcirco gratiam naturalem à præſenti diſputatione amandamus, & de ſupernaturali ſpecialiter agemus. Plura tamen ſpectantia ad gratiam naturalem obiter explicabimus: quia multa ſunt utrique gratiæ communia. Porro gratia ſupernaturalis dividitur in habitualem, & actualem: illa eſt, quæ permanenter communicatur homini in ordine ad plures operationes; hæc vero confertur tranſeunter, & quaſi vialiter in ordine videlicet ad unum, aut alterum actum. Quam diviſionem frequenter tradit D. Thom. ut *quæſt.* 109. *art.* 9. *&* 10. & *quæſt.* 110. *art.* 2. Sed quia de gratia habituali egimus *diſput. præced.* ſola gratia actualis ſpectat jam ad præſentem diſputationem. Ruſus gratia ſupernaturalis actualis alia eſt interna, & alia externa: interna dicitur, quæ intrinſecè adjuvat potentiam: extrinſeca vocatur, quæ ab extrinſeco conducit, ut potentia eliciat propriam operationem: quia nimirum vel proponit objectum, vel amovet impedimenta, vel aliqua ſuaſione ad exercitium ſollicitat. Prima ſolet gratia phyſica appellari, quia phyſicè influit: poſterior vero vocatur moralis, quia moraliter concurrit: quamvis aliqua etiam gratia extrinſeca influat etiam phyſicè in effectum, ut ex dicendis conſtabit. Titulus ergo dubij, (ſecluſis aliis gratiæ acceptionibus,) omnem & ſolam gratiam ſupernaturalem actualem tam internam, quam externam complectitur. Sed claritatis gratia illud per partes determinabimus.

Gratia ad præſentem conſiderationem ſpectans. *Multiplex gratiæ ſupernaturalis acceptio.*

§. UNICUS.

Tribus concluſionibus ſtatuitur ſententia Catholica.

1. DIcendum eſt primo dari gratiam ſupernaturalem actualem. Hanc aſſertionem docent

cent unanimiter omnes catholici adverſus Pelagium, qui in primo ſui erroris ſtatu omnem prorſus gratiam negavit ſolas naturæ vires admittens, ut vidimus *diſp.* 1. *cap.* 4 §.2. *&* 4. & refert D. Auguſt. *lib. de hæreſibus* ad quod vult Deum *hæreſi* 88. iis verbis : *Illam vero gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſimus facere, non eſſe dicunt (Pelagiani) niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura.* Eſt tamen hic error Sacræ Scripturæ, & rationi adeo manifeſtè contrarius, ut vel Pelagius ipſe poſt longas cum D Auguſtino diſputationes, neceſſitatem & exiſtentiam alicujus gratiæ ſupernaturalis actualis tandem admiſerit, ut infra videbimus, & conſtat ex dictis *loco proximè citato.*

D.Auguſt.

Ratio fundamentalis.

Probatur unico fundamento ex omnibus his, quæ *diſp.* 3. ſtatuimus : quoniam plures dantur operationes, quas homo elicere nequit per ſolas vires naturales, cuiuſmodi ſunt actus fidei, ſpei, charitatis, alij, qui attingunt objectum ſub motivo ſupernaturali, & qui diſponunt ad gratiam: ergo pro huiuſmodi operibus requiritur, & confertur à Deo aliquod gratiæ adjutorium : aliter enim ſemper homo maneret ſub eadem impotentia & nunquam ſe ad gratiam diſponeret, nec Dei præcepta de illis actibus adimpleret : atqui gratia pro prædictis operibus requiſita, & communicata non ſemper eſt gratia ſupernaturalis habitualis: ergo eſt gratia ſupernaturalis actualis: hæc igitur neceſſario admittenda eſt. Cætera conſtant, & minor ſubſumpta probatur: tum quia multoties homo eliciens operationes ſupernaturales caret gratia habituali, ut patet in peccatore. Tum etiam quia licet ad operandum ſupernaturaliter permanenter, prompte, & delectabiliter requiratur aliqua forma habitualis, cui operationes divinæ fiant connaturales: tamen ad eliciendam unam, aut alteram ſupernaturalem operationem non apparet neceſſitas formæ permanentis. Sicut licet actus ſcientifici nequeant fieri prompte & delectabiliter abſque habitu ſcientiæ; nihilominus poſſunt abſolute utcumque, & cum difficultate exerceri abſque prædicto habitu, ex vi alicujus motionis fluidæ de linea ſcientiæ & ab intellectu agente ad poſſibilem determinatè, ut explicuimus *Tract. de virtutibus, diſp.* 1. *dub.* 3.

Effugium.

3. Nec refert, ſi dicas hoc diſcurſu ſolum evinci neceſſitatem gratiæ actualis pro illis hominibus, qui gratia, & habitibus ſupernaturalibus deſtituuntur; minimè vero pro eis, qui prædictis qualitatibus exornantur: ij enim ſufficienter poſſunt opera ſupernaturalia exercere abſque indigentia ulterioris auxilij. Auguſtinus autem, & alij Patres adſtruunt abſolutè neceſſitatem, & exiſtentiam gratiæ actualis pro omnibus hominibus, ſive careant gratia, & virtutibus, ſive illas habeant.

Auguſtin.

Confutatur.

Hoc, inquam, parum refert. *Primo*, quia nos in præſenti non intendimus determinare in communi neceſſitatem gratiæ actualis, ſed tantum ſtatuere indefinite exiſtentiam ipſius, ſive requiratur pro omnibus ſubjectis, ſive non: hoc autem ſufficienter probatur ratione proxime facta. *Secundo*, quia concluſio à nobis ſtabilita admittitur, prout jacet, ab omnibus catholicis, immo ab hæreticis (expedit quippe in hac materia ab univerſalioribus, & omnino certis ad ſpecialia, & diſputationi obnoxia deſcendere) gratiam vero auxiliantem ſuperadditam virtutibus habitualibus permanentibus non omnes etiam ex catholicis concedunt, ſed aliqui eam negant, inter quos videtur eſſe Gregorius de Valentia *in hac* 1. 2, *diſp.* 8. *quæſt.* 3. *puncto* 3. *propoſit.* 3. Unde licèt cum D. Auguſtino ſentiamus requiri prædictam gratiam ad opera ſupernaturalia in his etiam hominibus, qui ſupernaturalibus habitibus exornantur, nihilominus non oportuit id noſtra aſſertione, & ejus fundamento comprehendere : ne à minus certis, & communibus rem hanc ordiremur. *Tertio*, quia licèt prædicta ratio ſolam neceſſitatem gratiæ actualis pro iis, qui habitibus ſupernaturalibus deſtituuntur, videatur ſpecie tenus evincere; nihilominus altius penetrata probat neceſſitatem gratiæ actualis univerſaliter, & pro illis etiam ſubjectis, quæ habitibus ſupernaturalibus exornantur. Nam ſicut exceſſus ſpecificus operationis ſupernaturalis ſupra potentiam naturalem exigit aliquod adjutorium gratiæ, ſive actuale, ſive habituale, quod prædictum exceſſum ſpecificum contineat, & coëfficiat: ita exceſſus actualis operationis ſupernaturalis tam in intenſione, quam in exiſtentia poſtulat aliquod auxilium, quod concurrat ad efficiendum prædictam actualitatem : huiuſmodi vero auxilium non conſiſtit in ſolis habitibus ſupernaturalibus, quippe qui actualitatem operationis non adæquant: ergo quantumvis homo habeat habitus ſupernaturales, adhuc tamen indiget ulteriori auxilio, ſeu gratia actuali, ut actualitatem operationis attingat. Sed hoc diſcurſu, quamvis nobis efficaciſſimo, conſulto in præſenti non utimur: quia pendet ex aliquibus Philoſophiæ principiis, quæ non omnes concedunt: eſtque proinde minus aptus ad firmandam aſſertionem communem, & quam nemo non admittit. Illum tamen operoſius expendemus *infra dub.* 5.

Valentia.

Secunda concluſio.

4. Dicendum eſt ſecundo dari gratiam ſupernaturalem actualem extrinſecam. Hæc concluſio eſt communis inter catholicos, eamque admiſit ipſius gratiæ inimicus Pelagius in ſecundo ſui dogmatis ſtatu. Nam cum auctoritatibus, & rationibus urgeretur ad deſignandum aliquam gratiam, aſſeruit gratiam Dei, qua adiuvatur liberum arbitrium, conſiſtere in lege, & doctrina, quæ quid extrinſecum ſunt, & plerumque proponuntur ſolum actualiter, & per modum tranſeuntis. Unde D. Auguſt. *lib. de gratia Chriſti contra Pelagium, c.* 7. eum introducit dicentem: *Adiuvat enim nos Deus per doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit: dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat; dum Diaboli pandit inſidias : dum multiformi, & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Cumque omnia hæc frequenter fiant media concionatorum prædicatione, mediis miraculis, & Sanctorum exemplis, atque impiorum punitione, quæ non importans quid permanens, ſed contingunt per modum tranſeuntis : plane evincitur Pelagium conſenſiſſe catholicis in aſſerendo neceſſitatem, & exiſtentiam gratiæ actualis extrinſecæ. Videantur, quæ diximus *diſp.* 1. *c.* 4. §.4.

D.Auguſt.

Probatio ab auctoritate.

Et quamvis poſſet hæc aſſertio probari pluribus teſtimoniis, quia tamen eam communiter admittunt tam catholici, quam hæretici, breviter probatur auctoritate Concilij Milevitani *cap.* 4. ubi decernit : *Qui dixerit gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adjuvare, quia per ipſam nobis revelatur, quid agere debeamus, & aperitur intelligentia mandatorum Dei; & non etiam, quia nos adiuvat, &c. anathema ſit. Utrumque enim donum Dei eſt, & ſcire quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Ubi aperte ſupponit revelationem mandatorum Dei, & myſteriorum fidei noſtræ eſſe ſpeciale Dei do-

Conc. Mil.

num:

num: prædicta autem revelatio fit communiter media prædicatione externa, & miraculorum manifeſtatione: & hæc non important aliquod donum ſtabile, ſed beneficium extrinſecum actuale, & per modum tranſeuntis: ergo neceſſario admittenda eſt gratia actualis externa.

D.Gr.Magn.

Quod apertè ſignificavit D.Greg.Magn. *hom.* 12. *in Ezechiel.* his verbis: *Magna Omnipotentis Dei eſt gratia, cum inique agentibus durus increpationis ſermo profertur.* Id etiam tradit D.Proſper *in duobus libris de vocatione gentium*, & præcipuè *lib.* 2. *cap.* 4. ubi loquendo de gentilibus inquit: *Qui quidem comparatione electorum abiecti, ſed nunquam ſunt manifeſtis, occultiſque beneficiis abdicati*, hoc eſt, externa, atque interna gratia pœnitus deſtituti. Et *lib.* 1. *cap.* 19. ſatis appoſitè introduxit verba Zachariæ Luc. 1. *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam populo eius*, (ita legit,) *in remiſſionem peccatorum ipſorum, lucere his, qui in tenebris ſedent, &c.* Quæ prædicatio, & lucis manifeſtatio fuit profectò inſignis gratia actualis externa. Idem repetit D.Auguſt. innumeris in locis, quæ congerit Ripalda *tom.* 2. *diſp.* 101. *ſect.* 3. *num.* 13. Unde inconſequenter, & ſui oblitus prædictus Auctor aſſerit *in eodem tomo*, *diſp.* 110. *ſect.* 2. *num.* 7. nullibi de auxilio extrinſeco fieri mentionem.

D.Proſp. Luc. 1. D.Auguſt.

Alia ex ratione.

5. Ex quibus auctoritatibus deſumitur præcipuum fundamentum noſtræ aſſertionis: quoniam certum eſt ad ſalutem deſiderari fidem: hæc autem, communiter loquendo non habetur abſque externa propoſitione, & revelatione myſteriorum credendorum: quæ revelatio habet rationem gratiæ; cum ſit indebitæ naturæ ſecundum ſe: & aliunde non importat beneficium permanens, & ſtabile, ſed aliquod donum actuale, ſicut ipſa operatio, & prædicatio, media, qua fit: ergo requiritur, & exiſtit gratia actualis, ſaltem externæ prædicationis. Sed quia hoc fundamentum expendimus ex profeſſo *diſp.* 2. *dub.* 1. probatur iterum noſtra concluſio alio univerſaliori motivo: quoniam ut homo eliciat opera ſupernaturalia indiget concurſu Dei, ſaltem ſimultaneo: hunc enim ad minus expoſcit Scriptura in illis locis, in quibus aſſerit Deum nos adiuvare, ut 2. Paralip. 26. *Adiuvit eum Dominus.* Et Pſal. 45. *Adiuvabit eam Deus.* Et Pſal. 120. *Auxilium meum à Domino.* Et ad Rom. 8. *Spiritus adiuvat infirmitatem noſtram, & alibi ſæpe.* Atqui concurſus ſimultaneus Dei ad opera ſupernaturalia eſt gratia ſupernaturalis actualis extrinſeca. Ergo huiuſmodi gratia requiritur, & exiſtit. Suadetur minor: nam qua parte ille concurſus eſt homini indebitus, habet rationem gratiæ: & qua parte adiuvat ad opera ſupernaturalia, eſt ſupernaturalis: & quia exhibetur in ordine ad unicam operationem eſt actualis: & denique cum non ſit formaliter in homine, ſed in Deo, eſt quid extrinſecum: ergo prædictus concurſus eſt gratia ſupernaturalis actualis extrinſeca. Quam gratiam concurſus ſimultanei admiſit Pelagius, ut conſtat ex dictis *diſp.* 1. *cap.* 4. § 4.

2. Paral. 26. Pſalm. 45. Pſalm. 120. Ad Rom. 8.

Obiectio.

6. Dices: concurſus ſimultaneus Dei cum creatura nihil aliud eſt, quam ipſa actio creaturæ ut dependens à Deo, & præcedens aliqualiter ſeipſam, ut dependet à creatura: ſed prædicta actio ut dependens à Deo, eſt formaliter, & intrinſece in creatura; cum ipſi inhæreat, & ex eius potentia educatur: ergo concurſus Dei ſimultaneus ad opera ſupernaturalia, eſto ſit gratia actualis, non eſt gratia extrinſeca, ſed intrinſeca.

Reſponſio.

Reſpondetur negando maiorē: nam cum Deus non agat ad extra per actionem formaliter tranſeuntem, ſed per actus intellectus, & voluntatis in ipſo formaliter immanentes, & virtualiter tantū, ſive cauſaliter tranſeuntes, fieri nequit, quod concurſus ſimultaneus Dei cum creatura conſideratus activè, & in recto recipiatur formaliter in creatura, vel ſit actio creata ut dependens à Deo; ſed conſiſtit formaliter in actu aliquo increato, atque in Deo manente, quo ſimul cum creatura coëfficit actionem creatam. Hæc vero ſolum queit appellari concurſus Dei paſſivus, ſeu terminus actionis divinæ. Unde ſequitur, quod licèt eadem actio creata, v.g. intellectio dependeat à Deo, & ab homine; nihilominus diverſo modo comparatur ad utrumque principium: nam reſpectu hominis habet rationē cauſalitatis, & ſimul effectus: eſt enim fieri, & factū eſſe, ut explicant N. Complut. *in lib. de Anima, diſp.* 21. *q.* 1. Sed reſpectu Dei non habet rationem cauſalitatis, & exercitij: quaſi Deus ſuam potentiam ad actum ſecundum per actionem creatam reducat: ſed eſt merus effectus, & terminus actionis divinæ. Unde gratis admiſſo, quod actio creata ut dependens à Deo præcedat ſeipſam, ut procedit à creatura, & quod priori modo conſiderata habeat utcumque modum auxilij ad ſeipſam poſteriori modo acceptam, quod infra ex profeſſo examinabimus: nihilominus primaria ratio auxilij reperta in concurſu ſimultaneo Dei cum creatura non conſiſtit formaliter in ipſa actione creata, ad quam eliciendam Deus adiuvat, ſed in actione increata, qua adiuvat, & per quam creaturæ operationem producit. Cumque prædicta actio increata non ſit formaliter in creatura, ſed in Deo: liquidò habetur dari aliquam gratiam ſupernaturalem actualem extrinſecam, ut in concluſione ſtatuimus. Quæ amplius confirmari poteſt ex dictis *diſp.* 1. *cap.* 1. §. 3. ubi explicuimus diviſionem gratiæ in creatam, & increatam.

Complut.

Tertia concluſio.

7. Dicendum eſt tertio dari gratiam ſupernaturalem actualem intrinſecam, ſeu internam. Hæc concluſio non eſt minus vera, & communis inter Catholicos, quam præcedentes. Sed ut eam ratione, & auctoritate firmemus, animadvertendum eſt nos ſolum aſſerere in præſenti, quod datur gratia interna abſolute abſtrahendo à modo intraneitatis, an ſcilicet ſit per inhærentiam, vel informationem, aut alio genere unionis: nam circa hoc ſpecialia dubia infra ex profeſſo excitabimus. Concluſio ergo ſic intellecta probatur breviter ab auctoritate: nam Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. inquit: *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Ubi præter gratiam externæ prædicationis, & doctrinæ, quam Deus per Paulum, & alios Evangelij miniſtros obtulerat, aſſignatur alia ulterior gratia, utique actualis, & ſpiritum ſubminiſtrans. Unde Auguſt. *lib. de gratia Chriſti, cap.* 19. *Hæc gratia*, inquit, *ſi doctrina dicenda eſt; certe ſic dicatur, ut altius, & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolum per eos, qui plantant, & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultius.* Et eodem modo interpretatur illud teſtimonium D. Fulgentius Auguſtini diſcipulus *in lib. de Fide ad Petrum, cap.* 32. his verbis: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites poſſe quidem hominem (quem ne-*

Nota. 1. ad Cor. 3. D.Auguſt. D.Fulgent.

que ignorantia litterarum, neque aliqua prohibet imbecillitas, vel adverſitas,) verba ſancta legis, ſive Evangelij, ſive legere, ſive ex ore alicujus prædicatoris audire: ſed divinis mandatis obedire neminem poſſe, niſi quem divina gratia prævenerit; ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta divinitus voluntate, atque virtute mandata Dei facere & velit, & poſſit. Neque enim qui plantat, eſt aliquid, &c. Similia proferunt D. Proſper *epiſt. ad Demetriadem Virginem.* Divus Greg. Magnus *hom. 8. in Ezech.* D. Anſelmus *lib. de concordia prædeſtin. & gratia cum libero arbitrio, cap. 3.* & paſſim alij Doctores. Quos, & alia Scripturæ teſtimonia conſulto in præſenti omittimus, quia eis frequenter per totam diſputationem utemur.

D. Proſper. D. G. Magn. D. Anſelm.

Fundamentũ aſſertionis.

8. Probatur ratione deſumpta ex relatis auctoritatibus: quia ſuppoſita revelatione credibilium, nequit homo eis aſſentire ex motivo proprio fidei Theologicæ, niſi eliciendo actum ſupernaturalem, ut latè probavimus *diſp. 3. dub. 3.* ſed ut homo prædictum actum eliciat, indiget ſaltem de lege ordinaria aliqua virtute interna ſupernaturali, qua ejus intellectus proportionetur ad talem actum: potentia enim naturalis, qualis eſt intellectus creatus, non habet omnimodam proportionem, & efficacitatem proximam ad actum ſupernaturalem, ut ex ipſis terminis liquet, & loco citato latius oſtendimus: ergo præter gratiam actualem externam, admittenda eſt aliqua interior gratia: quæ cum non ſemper communicetur permanenter, ſed plerumque conferatur actualiter, & per modum tranſeuntis ſequitur dari gratiam ſupernaturalem actualem internam. Et hanc rationem inſinuat Concilium Arauſicanum, *can. 7.* noſtram aſſertionem determinans his verbis. *Hæretico fallitur ſpiritu, qui confirmat nos Evangelizanti prædicationi conſentire poſſe abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati.* Et ſimilia tradit Concilium Trident. *ſeſſ. 6. can. 1. & 3.* Idem etiam de aliis actibus virtutum ex motivo ſupernaturali factis & conducentibus ad ſalutem dicendum eſt, ut oſtendimus diſp. citata per totam.

Conc. Arauſ.

Conc. Trid.

Argumenta ...

9. Argumenta, quæ adverſus hanc, & præcedentes concluſiones formari poterant, diluimus loco proximo citato, & amplius, ſi quid roboris habent, ea enodabimus in præſenti diſp. Nam quæ in hoc dubio ſtatuimus, ſunt ſatis pervia: ſolum enim affirmamus admittendam eſſe gratiam ſupernaturalem actualem extrinſecam, & intrinſecam, abſtrahendo ab aliis gravioribus difficultatibus: an nimirum prædicta gratia ſit ubique, & pro omnibus hominibus, atque ad ſingulos actus neceſſaria; an conſiſtat formaliter in actibus vitalibus, vel in Deo intimè potentiis unito, vel in aliqua qualitate fluida, & denique an gratia ſit ex ſe efficax, & in quo conſiſtat ejus efficacia. Iis enim decidendis, quæ profecto ſunt difficillima, ſequentia dubia, & diſputationes dicamus. Hic vero ſolum dubitari poteſt, utrum Pelagius admiſerit gratiam internam? Quod enim aliquam gratiam confeſſus fuerit ſaltem extrinſecam ſatis liquet ex dictis in ſecunda concluſione. In qua re Suarez *prologom. 5. c. 3.* autumat Pelagium nullam gratiam internam adjuvantem, vel dantem poſſe admiſiſſe, ſed ſolam gratiam externam, quæ conſiſtit in lege, & doctrina. Verum oppoſita reſolutio certiſſima eſt, ut oſtendimus *diſp. 1. cap. 4. §. 4. à num....* Unde non oportet circa hoc immorari.

Suarez.

DUBIUM II.

Utrùm primum auxilium gratiæ ſupernaturalis actualis intrinſecæ conſiſtat formaliter in aliqua operatione ſupernaturali.

10. MOvemus ſpecialiter dubium circa primum auxilium: tum quia de illo fuit præcipua controverſia inter Auguſtinum, & hæreticos, eſtque adhuc major diſceptatio inter Theologos modernos. Tum quia licet conſideratio noſtra ad omnia auxilia interna ſe extendat; multitudo tamen rerum confuſionem non levem gignit: quam, ut vitemus, expedit, ut de peculiari auxilio diſſeramus: primum autem auxilium non parum eminet inter alia; cum præſtet initium ſalutis. Quidquid autem de illo dictum fuerit, poterit aliis auxiliis proportionaliter applicari. Conſulto autem inquirimus, an prædictum auxilium conſiſtat formaliter non in quacumque operatione, ſed determinatè in actione ſupernaturali: quia licet prolixam controverſiam poſſemus hic texere contra Vazquium aſſerentem primum auxilium internum eſſe cogitationem ſanctam entitativè naturalem datam per Chriſtum; eam tamen in præſenti non verſamus: quia ejus difficultas devicta ut credimus, manet *diſp. 1. dub. 2.* ubi oſtendimus prædictam cogitationem non eſſe ſpecialem gratiam; quam *diſp. 3. dub. 9.* ubi declaravimus hujuſmodi cogitationem, eſto gratia ſit, ineptam tamen eſſe, ut initium præſtet ſaluti, & toti ſupernaturali ædificio. Quod cum aliis Doctoribus docent etiam communiter ſuæ Societatis Theologi, ut videri poteſt apud Ripald. *tom. 2. diſp. 10.* per totam. Unde ſolum reſtat difficultas circa ſupernaturales operationes, cujuſmodi ſunt illuſtrationes intellectus atque affectus voluntatis: in quibus plures autumant conſiſtere omnem gratiam auxiliantem internam.

Status controverſiæ. *Vaſquez.* *Ripalda.*

§. I.

Eligitur pars negativa.

11. DIcendum eſt primum auxilium intrinſecum gratiæ actualis non conſiſtere formaliter in aliqua operatione ſupernaturali. Hanc concluſionem docet D. Thom. ſupra *q. 109. art. 9.* ubi hæc habet. *Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam ſcilicet ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia cognoſcenda, ad ea ſcilicet, in quorum notitiam per ſenſibilia poſſumus devenire. Altiora vero intelligibilia intellectus humanus cognoſcere non poteſt, niſi fortiori lumine perficiatur, ſicut lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, in quantum eſt naturæ ſuperadditum. Sic igitur dicendum eſt, quod ad cognitionem cujuſcumque veri homo indiget auxilio divino, ut intellectus à Deo moveatur ad ſuum actum. Non autem indiget ad cognoſcendam veritatem in omnibus nova illuſtratione ſuperaddita naturali illuſtrationi: ſed in quibuſdam, quæ excedunt naturalem cognitionem.* Et eadem tradit in reſponſione ad ſecundum. Quibus verbis apertè ſtatuit Doctor ſanctus hominem indigere duplici auxilio ad eliciendum cognitionem ſupernaturalem, nempe præmotione divina, qua generaliter creatura applicatur ad propriam operationem, & lumine ſupernaturali fidei, vel prophetiæ, quod ſit principium cognitionis ſupernaturalis. Conſtat autem primam operationem ſupernaturalem eſſe aliquam cognitionem, ſive intellectus illuſtrationem.

Concluſio. Probatur ex D. Thom.

Digitized by Google

nem. Hæc igitur juxta mentem D.Thomæ non eſt prima gratia intrinſeca actualis, ſed neceſſario ſupponit aliquod lumen ſupernaturale intrinſecum influens in prædictam operationem.

Ex D. Auguſtino. Idem colligitur ex D.Auguſt. *lib de gratia, & libero arbitrio, c.17.* ex quo loco deſumunt communiter Theologi diviſionem gratiæ actualis in operantem, & cooperantem, ſive in eam, quæ deſideratur ad actus indeliberatos, ad quos homo non ſe movet, & propterea dicitur gratia *operans*; & in illam, quæ concurrit ad actus deliberatos, ad quos homo ſe in proprio ordine applicat, & ideo vocatur gratia *cooperans*: de quibus infra dicemus *dub.7.* Igitur Auguſtinus loquens de gratia operante, ſeu concurrente ad primas operationes ſupernaturales, apertè diſtinguit prædictam gratiam ab hujuſmodi operationibus, & aſſerit eſſe principium earum. Cum quo minime cohæret, quod prima gratia actualis conſiſtat formaliter in aliqua operatione ſupernaturali, quantumvis prima, & indeliberata ſit. *Auguſtin.* Verba Sancti Doctoris ſunt: *Ipſe Deus, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apoſtolus, certus ſum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſi volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Quo teſtimonio utitur D. Thom. *in hac q.111. art.2* in argumẽto: *Sed contra*, & ex eo colligit in corpore art. gratiam actualem eſſe auxilium, quo Deus nos movet ad bene volendum, & agendum. Et deinde ſubdit: *Eſt autem in nobis duplex actus, primus quidem interior voluntatis. Et quantum ad iſtum actum voluntas ſe habet ut mota, Deus autem ut movens: & præſertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Et ideo ſecundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans.* Vbi manifeſtè diſtinguit S. Doctor primum actum voluntatis ab auxilio, quo Deus movet ipſam voluntatem, & dicitur gratia actualis operans, ſive efficiens voluntatis actum: ergo prima gratia actualis pertinens ad voluntatem non conſiſtit formaliter in operatione ipſius voluntatis; ſed in aliquo prævio: eadem autem eſt ratio de gratia operante, & movente ad primum actum intellectus, & cujuſcumque alterius potentiæ: in nullo igitur actu ſupernaturali conſiſtit formaliter prima gratia auxilians actualis.

Occurritur cuidam objectioni ex D.Thom. 11. Nec ſibi, & traditæ doctrinæ contrarius eſt D.Thom. *in eodem art. in reſp. ad* 1. ubi ait: *Dicendum, quod ſecundum quod gratia eſt quædam qualitas accidentalis, non agit in animam effectivè, ſed formaliter: ſicut albedo dicitur facere album ſuperficiem.* Si autem prima gratia actualis non eſſet formaliter operatio ſupernaturalis, ſed aliquid prævium influens in prædictam operationem; jam ageret in animam non ſolùm formaliter, ſed etiam effectivè; ſi quidem efficeret actus animæ. In iis, inquam, non ſibi, aut nobis contradicit S. Doctor: nam licèt gratia actualis comparata ad ſubjectum non agat in ipſum effectivè, ſed formaliter: nihilominus habet rationem principij reſpectu actus eliciendi: nam informando ſubjectum conſtituit illud proximè potens ad agendum. Sicut etiam habitus comparatur ad ſubjectum per modum formæ: & tamen occurrit ad actus in genere cauſæ efficientis: idemque de albedine, (cujus exemplo utitur S. Doctor,) ſi foret forma activa, dicendum eſſet. Et plane ipſi Adverſarij, qui conſtituunt gratiam auxiliantem in operationibus ſupernaturalibus indeliberatis, adſtruunt prædictas operationes ſortiri rationem auxilij, quatenus concurrunt activè ad actus deliberatos ſublevando, & determinando potentias: atque ideo concedunt actus indeliberatos comparari ad animam formaliter, & efficienter vero ad ſubſequentes actus deliberatos. Maneat igitur primam gratiam actualem intrinſecam juxta mentem D.Auguſt. & D.Thom. non conſiſtere formaliter in aliqua operatione, ſed in aliquo prævio quodcumque illud ſit. Vnde ſic docent communiter utriuſque Doctoris diſcipuli. *Ledeſma.* Ledeſma *de auxilijs, art.5. concl.*1. *Joann. Gonz.* Joann. Gonzalez 1.p *diſp.*53. *ſect.*3. *concl.*3. *Zumel.* Zumel *de auxilijs, diſp.*1. *concluſ.*4. corrigens alibi ſcripta, *Arauxo.* Arauxo 1.2. *quæſt.*111. *dub.*2. *Jo. à S.Th.* Joann. à S.Thom. *diſp.*23. *art.*2. §. *Nihilominus.* *Labath.* Labath. *tom.*4. *tract.*2. *diſput.*2. §.2. & *diſp.*3. §.5. *Navarr.* Navarret. *tom.*2. *controverſia* 3. *Cabrera.* Cabrer. 3. *part. quæſt.*62. *art.*1. *diſp.*9. & *diſp.*16. & alij plures. Quibus ex extraneis conſentiunt *Pennotus.* Pennotus *lib.*9. *de auxilijs, c.*3. *Valentia.* Valentia 1. 2. *diſp.*8. *q.*3. *puncto* 3. §.2. *Salas.* Salas *ibidem, q.*3. *tract.*2. *diſp.*5. *n.*70. & alij.

Ratio aſſertionis ex D.Th. 13. Probatur concluſio ratione D.Thom. locis proxime relatis, quæ poteſt ſic formari: nam omnis operatio ſupernaturalis ſupponit realiter aliquid auxilium intrinſecum gratiæ actualis: ergo primum auxilium gratiæ actualis non conſiſtit formaliter in aliqua operatione ſupernaturali. Conſequentia eſt evidens: quia ſi prædicta operatio præſupponit realiter auxilium actuale; ipſum auxilium præſuppoſitum erit prima gratia actualis: & cum illud auxilium differat realiter ab operatione, ut exigit realis ordo, & præſuppoſitio; liquido infertur primum auxilium gratiæ actualis non conſiſtere formaliter in aliqua operatione, ſed diſtingui formaliter ab ea. Antecedens autem probatur: quoniam operatio ſupernaturalis, quatenus vitalis eſt, petit fieri à potentia vitali, in qua recipitur; & quatenus eſt ſupernaturalis, nequit fieri à potentia naturali, niſi prius elevetur per aliquid ſupernaturale intrinſecum, quod præcontineat ſupernaturalitatem operationis: hoc autem intrinſecum eſt auxilium gratiæ actualis, ſaltem cum abſunt virtutes, & aliæ qualitates: ergo omnis operatio ſupernaturalis ſupponit realiter aliquod auxilium intrinſecum gratiæ actualis. Declaratur magis hæc ratio: etenim actus ſecundus ſupponit actum primum ejuſdem ordinis: ergo actus ſecundus ſupernaturalis ſupponit actum primum ſupernaturalem: ſed operatio eſt actus ſecundus: ergo operatio ſupernaturalis ſupponit aliquod principium ſupernaturale, cui correſpondeat tanquam actui primo: hoc autem principium ſupernaturale non eſt ſolus, v.g. intellectus, ut ex ſe liquet: ergo eſt aliquod auxilium elevans intellectum: & conſequenter antecedenter ad omnem operationem ſupernaturalem admittendum eſt aliquod auxilium intrinſecum gratiæ actualis. Quæ ratio poteſt latius expendi ex dictis *Tract.* 2. *diſp.*4. *dub.*4. §.3.

§. II.

Duo Adverſariorum effugia præcluduntur.

14. RObur præcedentis rationis amplius confirmabitur confutando ſolutiones, quibus oppoſitæ opinionis Auctores illi occurrunt. Qui communiter diſtinguunt actus ſupernaturales in deliberatos, & indeliberatos, aſſeruntque actus deliberatos indigere auxilio intrinſeco, neque actibus indeliberatis, per quos potentiæ determinantur

Digitized by Google

minantur ad operandum ex propria electione: actus autem indeliberatos dicunt nullo indigere auxilio intrinſeco à ſe diſtincto; cum potius ipſi habeant rationem primi auxilij. Quo ſuppoſito ad rationem ſuperius factã reſpõdet primo Vega negando antecedens: exiſtimat enim actus ſupernaturales indeliberatos, cujuſmodi ſunt ſubita illuſtratio intellectus, & affectus primus volũtatis, non fieri ab iis potentiis, ſed unice à Deo produci, intellectu, & voluntate pure paſſivè ſe habentibus. Unde nullũ requiritur auxilium intrinſecum elevãs, & proportionans prædictas potentias: ſed ſufficit ipſe Deus immediatè ex ſe ipſo hujuſmodi actus producens. Quod ſibi perſuadet duplici motivo. *Primo*: quia in Conc. Arauſic. 2. *can.* 20. dicitur: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit; nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo.* Ergo ſicut in ſecunda hujus canonis parte nomine bonorum, quæ facit homo, intelligũtur operationes: ita in prima parte nomine bonorum, quæ Deus ſine homine facit, intelligendæ ſunt aliquæ operationes: hujuſmodi operationes nequeũt eſſe alij actus, niſi indeliberati, qui inchoãt negotium ſalutis: ergo prædicti actus fiunt à ſolo Deo, potentiis purè paſſivè ſe habentibus. *Secundo*, quia Deus per hos actus indeliberatos dicitur pulſare oſtium animæ, juxta illud Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtiũ & pulſo*: ſed pulſatio ſolũ habet eſſe effectivè à pulſante, non autem ab eo, qui pulſatur; alias hic vocaret ſeipſum, quod eſt abſurdũ. Ergo actus ſubiti, & indeliberati à ſolo Deo producuntur.

Prima Adverſariorum reſponſio. Vega.

Conc. Arauſ.

Impugnatur.

Sed hæc reſponſio diſplicet communiter aliis Theologis, poteſtque efficaciter refelli. Tum quia de ratione actus vitalis eſt procedere effectivè ab aliquo principio intrinſeco, cui inſit: conſiſtit enim vitalitas in reſpectu tranſcendentali ad hujuſmodi principium: ſed omnis intellectio, & volitio, quantumvis ſubito, & indeliberate habeantur, ſunt actus vitales: ergo procedunt effectivè ab intellectu, & voluntate. Tum etiã quia eſto actus poſſet de potentia abſoluta, & ſecundũ providentiam extraordinariam fieri unice à ſolo Deo, independenter à potentiis vitalibus creatis; id tamẽ fieri nequit ſecundum providentiam ordinariam, quæ ad exigentias rerũ attendit: eſt quippe connaturale actui vitali creato procedere activè, & immediatè à potentia vitali creata: atqui Deus in cõmuni hominum juſtificatione operatur ſecundum providentiam communem ordinis gratiæ: neque adeſt aliquod fundamentum, vel neceſſitas ad aſſerendum oppoſitum: ergo prædicti actus indeliberati producuntur de facto à potentiis animæ. Tum denique, quia gratis admiſſo, quod intellectus, v.g. poſſit recipere intellectionẽ à ſe non productã; fieri tamen nequit, ut intelligat per intellectionem à ſe non elicitam: eo quod intelligere eſt vivere in actu ſecũdo, & vivere eſt ſe movere, atq; ideo aliquo modo agere: ſed intellectus habẽs actus indeliberatos intelligit objecta eiſdẽ actibus correſpondẽtia: alias fruſtra haberet prædictos actus, neq; magis ipſi deſervirent, quam ſi conſtituerẽtur in lapide, ergo intellectus nõ ſe habet pure paſſivè ad prædictos, actus, ſed eos efficit.

Motiva contraria eluduntur.

Curiel.

15. Nec motiva in contrarium urgent. Ad quorum primum reſpondent *primo* Curiel, & alij verba Concilij intelligẽda eſſe de virtutibus infuſis, quas Deus in nobis ſine nobis agentibus operatur. Sed hæc reſponſio eſt inſufficiens: quia illa determinatio, ſicut & totius Concilij proceſſus, præcipuè intelligenda eſt de bonis actualibus, quæ inchoant, & diſponunt ad juſtificationẽ, & de quibus erat præcipua controverſia cum hæreticis: ij enim non negarunt gratiam habitualem (quam Pelagium admiſiſſe oſtẽdimus *diſp.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 145.) à ſolo Deo produci; ſed negabãt neceſſitatem gratiæ prævenientis quã Deus ſine nobis efficeret, & qua hominẽ præmoveret. *Secundo* reſpondent Suarius, & alij canonem illum intelligendum quidem eſſe de actibus indeliberatis, quos Deus ſine nobis libere operantibus efficit, non tamen abſque nobis phyſicè, & neceſſario agentibus: quod ſatis eſt, ut dicatur Deus agere ſine nobis: quia actus neceſſarij non ſunt humani, nec ſolent homini attribui. Sed hæc etiam interpretatio, quãvis doctrinam aliunde veram contineat non ſatisfacit: nam mens Concilij eo tendebat, ut decerneret procedendum eſſe in negotio ſalutis uſque ad vires, & principia omnino ſupernaturalia, quæ ſunt bona à ſolo Deo producta: ut ſic demeteret errorem hæreticorum aſſerentium initium ſalutis eſſe in nobis, & ex nobis, hoc eſt, ex viribus propriis naturæ, ſuppoſito dono creationis: id vero minime evacuatur aſſerendo primos actus ſupernaturales non eſſe ex nobis libere agentibus, ſi ſemel admittitur eſſe effectivè ex nobis nullo auxilio intrinſeco adjutis, licèt neceſſario operantibus: tunc quippe neceſſario concedendum eſt naturam ſuæ nuditati relictam eſſe primum principium intrinſecum phyſicum iuſtificationis. Quod eſt omnino falſum, & adverſatur menti Concilij, ut infra latius conſtabit.

Suarez.

Legitima intelligentia canonis Arauſic.

Unde his, & aliis ſolutionibus relictis, reſpondemus Concilium non loqui de primis operationibus ſupernaturalibus, ſed de auxiliis actualibus, quæ ſunt principiũ dictarum operationũ, & quæ Deus ſe ſolo efficit abſque nobis phyſicè, aut libere agentibus. In quo autem huiuſmodi auxilia formaliter conſiſtant, infra explicabimus *dub. ſequenti*. Nec oportet, quod quemadmodũ poſterior canonis pars, ita & prima de operationibus procedat, ſed potius requiritur oppoſitum: nam ſicut non poſſumus deliberate operari, niſi Deus ad eãdem operationem concurrat: ita nec Deus poteſt efficere operationes noſtras indeliberatas, niſi & nos eaſdẽ producamus. Unde bona, quæ Concilium determinat Deum agere ſine nobis, non ſunt actus vitales ſupernaturales; ſed auxilia actualia elevantia hominem, ut prædictos actus efficiat.

16. Aliud etiã motivum non urget: quia licèt pulſatio non vitalis ſeu quam pulſatum non percipit, debeat fieri unice à pulſante, & pure ab extrinſeco, ut contingit in oſtio materiali: nihilominus pulſatio vitalis, & quæ à pulſato ſentitur, debet eſſe actio ab eodem pulſato procedens: & ita accidit in ſubitis illuſtrationibus intellectus, quibus homo excitatur, & vocatur ad iuſtitiam. Nec hinc ſequitur, quod homo vocet, & pulſet ſeipſum: quia quãvis actio, quæ dicitur pulſatio, procedat ab homine; nihilominus denominationẽ pulſantis non tribuit ſubiecto, ſed Deo agenti extrinſeco, qui hominem per illam actionem excitat: ſubiecto autem confert denominationem pulſati, aut cognoſcentis divinum impulſum. In quo ſervatur analogia ad pulſationem oſtij materialis. Sicut etiam revelatio, qua Deus illuſtrat mentem Prophetæ, eſt activè, & vitaliter à Propheta: & tamen hic non dicitur revelare ſibi, ſed illuſtrari, & percipere revelationem.

Addi etiam poteſt pulſationem activè ſumptã conſiſtere formaliter, & in recto in actione increata Dei, qua in homine tam auxilium, quam operationem producit: hæc vero ſolum ſunt terminus actionis pulſantis, ſive pulſatio paſſiva. Et propterea ſolus Deus dicitur pulſans, quippe cui ſoli

Digitized by Google

ſoli ineſt pulſandi, & vocandi actio: homo autem dicitur pulſari, & vocari.

Aliud Adverſariorum effugium. Zumel. 17. Secundo occurrit rationi noſtræ Zumel *in præſenti q.*111. *art.*2.*diſp.*1. cum aliis concedendo neceſſitatem auxilij ſupernaturalis, ut intellectus eliciat primum actum ſupernaturalem, negant tamen, quod hoc auxilium differat realiter formaliter ab ipſa operatione. Autumat enim eundem actum, qui fit à Deo, & ab intellectu creato, prius terminare influxum Dei, quam influxum intellectus: & quod priori modo conſideratus præcedit ſe ipſum poſteriori modo acceptum. Pro illo igitur ſigno, inquiunt, in quo procedit à Deo, habet rationem auxilij elevantis, & ſupernaturalizantis potentiam, ut ſe moveat, & eumdem, ut à ſe dependentem eliciat. Quam doctrinam poſſumus exemplo declarare: etenim idem actus amoris eſt & à fine, & à voluntate: & quatenus eſt cauſalitas finis, præcedit ſeipſum, ut eſt cauſalitas voluntatis: unde priori modo conſideratus excitat, & applicat voluntatem, ut ſemetipſum poſteriori modo ſumptum efficiat; quin his muniis adeo diverſis obſit indiſtinctio realis, ut tradunt N. Complut. *in Phyſic. diſp.*14. *quæſt.*5. Idem ergo proportionabiliter in noſtro caſu dicendum erit: & conſequenter non oportebit recurrere ad auxilium actuale, quod ab ipſis motibus ſupernaturalibus diſtinguatur. Præſertim cum vitare debeamus ſuperflua.

Præcluditur. 18. Hæc tamen reſponſio ſuſtineri nequit. Tum quia auxilium, ut ſumitur ex Auguſt. *lib. de correct. & gratia cap.*12. eſt *id, quo fit, propter quod datur*; atque ideo comparatur per modum principij, & cauſæ ad actum, cui deſervit: ſed intellectio ut dependens à Deo non habet rationem principij, & cauſæ reſpectu ſui ipſius ut procedentis ab intellectu creato: ſiquidem hi duo conceptus non diſtinguntur realiter inter ſe, & hujuſmodi diſtinctio intervenit inter principium, & principiatum, & multo magis inter cauſam, & effectum: ergo operatio ſupernaturalis nullo modo habet rationem auxilij ad ſui productionem deſiderati. Tum etiam quia intellectus creatus eget aliquo auxilio intrinſeco ad eliciendum operationem ſupernaturalem: ergo antequam illam eliciat, & ſupernaturaliter vivat, debet conſtitui in actu primo ſupernaturali, & dictæ operationi correſpondenti, ut hæc reſponſio videtur admittere: atqui operatio ſupernaturalis nullo modo eſt, antequam eliciatur ab intellectu creato, à quo accipit ſuam vitalitatem: ergo prædicta operatio non valet exercere munus auxilij requiſiti, ut ab intellectu eliciatur. Tum præterea, quia intellectio nequit habere rationem auxilij elevantis intellectum antequam ipſa exiſtat: ſed non valet exiſtere, niſi ab intellectu dependeat, & fluat, cum ſit actio vitalis: ergo ſi haberet rationem auxilij ad ſeipſam, eſſet poſtquam intellectus in eam influxit: quod eſt implicatorium, & abſurdum; ſiquidem ad hoc requiritur auxilium elevans intellectum, ut hic conſtituatur in actu primo proximo ad eliciendum ſupernaturalem operationem.

Refellitur amplius. Confirmatur primo: quia ex oppoſito fieret, quod cum Concilia diffiniunt neceſſarium eſſe auxilium divinum ad operandum ſupernaturaliter, nihil aliud decernerent, quam neceſſariam eſſe operationem ad operandum: conſequens eſt abſurdum, & indignum Conciliorum gravitate; ſiquidem ex ipſis terminis liquet non poſſe hominem ſine operatione operari. Immo oppoſitum non aſſeruerunt hæretici, ſed liquido concedebant hominem non operari abſque operatione, admittebantque omnes operationes noſtras eſſe à Deo tàm à primo principio extrinſeco, & univerſali. Ergo Concilia ſtatuentia neceſſitatē auxilij intrinſeci ad opera ſupernaturalia loquūtur de aliquo vere prævio ad ipſas operationes, & ab eis realiter diſtincto. Alias eorum in hac parte decreta ſuperflua eſſent, nec ullum damnarent hæreticorum errorem.

Confirmatur ſecundo: quia auxilium intrinſecum communicans intellectui vires, & poſſe proximum ad operationes ſupernaturales vere conſtituit intellectum in actu primo ſupernaturali ſeparabili ab actu ſecundo, ſaltem per divinam potentiam: omne quippè auxilium ſufficiens, cujuſmodi eſt illud, quod communicat poſſe, eſt ſeparabile ſaltem divinitus, ab auxilio efficaci, quod præſtat agere: ſed intellectio creata ut dependens à Deo eſt omnino inſeparabilis à ſeipſa ut dependet à creatura: implicat enim, quod intellectio fluens ab intellectu creato dependeat à Deo, & quod reipſa non dependeat ab ipſo intellectu, ut ex ipſis terminis liquet: ergo auxilium intrinſecum, quo intellectus fit proximè potens ad primam operationem ſupernaturalem, nullo modo valet formaliter in eadem operatione conſiſtere.

19. Ea vero, quibus reſponſio hactenus impugnata nitebatur; nihil probant: quia licet eadem indiviſibilis actio creata prius, hoc eſt magis, intimius, & immediatius dependeat à Deo, quam à creatura: nihilominus in nullo ſigno *à quo*, vel *in quo* reali, vel rationis procedit à Deo, in quo ſimul non procedit à creatura: & conſequenter ut procedens à Deo non habet ſufficientem prioritatem, ut comparetur per modum principij ad ſeipſam, quatenus à creatura procedit. Nam ad illud prius ſufficit, quod terminet influxum Dei ſub ratione communi entis, quæ eſt realiter, ac rebus intimior, quam ratio entis particularis, ſub qua attingitur à creatura. Sed ad hoc poſterius requiritur diſtinctio realis inter id, quod habet rationem auxilij, & illud pro quo auxilium deſideratur, & quod unum præcedat realiter aliud, & queat ab eo ſeparari: quorum neutrum ſalvatur in eadem indiviſibili operatione, ut conſtat ex nuper dictis. *Motivum præcedentis reſponſionis enervatur.*

Per quod etiam liquet ad exemplum cauſalitatis finis: nam amor non dicitur movere voluntatem per modum elevantis, & trahentis ad bonum. Et quia hæc tractio eſt vitalis; exerceri neceſſario debet per actum ipſius voluntatis. Unde per eundem intranſitivè actum, quo voluntas elicitur à fine, movet ſeipſam in eundem finem: & per conſequens coincidunt in eadem indiviſibili entitate motio finis, & voluntatis cauſalitas, nec una valet ab altera ſeparari. Comparatur enim non per modum cauſæ, & effectus, ſed ut duo reſpectus ad diſtincta principia: quæ optimè poſſunt in eadem entitate adunari. Sicut eadem actio reſpicit cauſam efficientem, & objectum, & eadem unio materiam, & formam, & eadem relatio duo extrema. Nec eſt inconveniens, quod intimius reſpiciat unū terminum, quam alium, ac proinde quod prius, hoc eſt magis, & intimius dependeat ab uno illorum. Operatio autem, & auxilium non ſic comparantur; ſed ut cauſa, & effectus realiter ſeparabilis: ac proinde opus eſt, quod realiter diſtinguantur.

§. III.

Aliorum reſponſio confutatur.

20. Tertio occurrunt noſtræ rationi alij Auctores opinionis adverſæ concedendo actus ſupernaturales indeliberatos eſſe activè à potentiis noſtris, & non habere rationem auxilij ad ſemetipſos, ſed deſiderari aliud auxilium ab eis diſtinctum, *Tertia Adverſariorum reſponſio.*

diſtinctum; aſſerunt tamen hoc auxilium eſſe ipſum Deum, qui ſimul cum potentiis creatis ad actus ſupernaturales concurrit, & ſupplet influxum auxilij inhærentis. Unde conſequenter aſſerunt primum auxilium intrinſecum actuale conſiſtere formaliter in operationibus ſupernaturalibus indeliberatis, quatenus influunt in actus liberos ſubſequentes. Quidquid enim per modum auxilij actualis ad actus indeliberatos præſupponitur, vel non eſt aliquid intrinſecum, vel ſaltem non inhæret.

Refellitur. 21. Sed contra hanc reſponſionem perſtat in ſuo robore argumentum ſuperius factum: quia cum dicitur intellectum, v.g. adjuvari per concurſum Dei ſupplentis vires auxilij creati; vel ſignificatur Deum peculiari modo uniri intellectui per modum principij dantis illud poſſe, & illam efficacitatem proximam, quæ poſſet aliunde ab auxilio creato mutuari? Vel ſolum denotatur Deum concurrere purè ſimultaneè per modum agentis ſupernaturalis attingentis immediatè ſupernaturalitatem intellectionis; & relinquendo intellectui creato, ut attingat ejuſdem operationis vitalitatem, & alia prædicata, quæ ſupernaturalitatem non explicant? Si eligatur primum cum Suario infra referendo; adhuc ſalvatur veritas noſtræ aſſertionis: nam gratis admiſſo, & non conceſſo, quod Deus queat uniri intellectui noſtro per modum principij, & auxilij in ordine ad efficiendum ſupernaturales operationes; tunc ipſe Deus ſe habebit per modum auxilij intrinſeci: ad rationem quippè gratiæ intrinſecæ non eſt neceſſarium, quod donum gratuitum inhæreat, aut informet; ſed ſufficit intime uniri alia unione, quæcumque illa ſit. Et propterea perſonalitas divina unita humanitati, & ſpecies increata unita intellectui, & Spiritus ſanctus unitus voluntati per modum ponderis, habent veram rationem gratiæ intrinſecæ, quamvis non uniantur per informationem, vel inhærentiam, ut ſatis conſtat ex dictis *diſp.* 1. *cap.* 1. §. 3. Si ergo Deus ſeipſo unitur intellectui creato in ratione principij elevantis ipſum ad operationes ſupernaturales, præſtatque, ſecluſis imperfectionibus, quidquid auxilium inhærens communicare poſſet: plane infertur primum auxilium actuale gratiæ intrinſecæ non conſiſtere formaliter in aliqua operatione creata, nec ab illa proceſſum intrinſecum totius ſalutis primitus inchoari, ſed ab alio auxilio intrinſeco, quodcumque illud ſit. Diximus *gratis admiſſis, & non conceſſo*, &c. quia dubio ſequenti oſtendemus ex profeſſo Deum non uniri per modum auxilij intrinſeci dantis intellectui poſſe, & efficacitatem proximam ad actus ſupernaturales: per quod falſitas reſponſionis nuper datæ amplius apparebit.

Continuatur impugnatio. Ripalda. 22. Si autem cum Ripalda, & aliis eligatur ſecunda dilemmatis pars, eam poſſumus efficaciter confutare tam ex Theologiæ, quam ex Philoſophiæ principiis. *Primo*: quia, eſto, actus ſupernaturales fieri poſſent abſolutè per illud auxilium extrinſecum, & purè concomitans, quale iſte Auctor deſcribit: nihilominus ſervata communi, & ſuavi providentia ordinis gratiæ, petunt aliquod principium intrinſecum creatum ejuſdem ordinis, ut ſic obſervetur debita proportio inter actum primum, & ſecundum: qua ratione probant communiter Theologi exiſtere de facto in potentiis animæ habitus operativos ſupernaturales, qui ſunt principia ſupernaturalium operationum: ſed Deus in communi adultorum juſtificatione procedit ſecundum communem, & ſuavem providentiam ordinis gratiæ; nec adeſt urgens, vel apparens ratio ad oppoſitum aſſerendum: ergo de facto actus ſupernaturales indeliberati fiunt ab intellectu creato adjuto aliquo auxilio intrinſeco, & non per puram ſubordinationem ad auxilium extrinſecum concurſus ſimultanei. Præſertim quia nullatenus repugnat dari auxilium actuale intrinſecum, quod ſuapte natura ſit qualitas fluida, & facile tranſiens ut *dub.* 3. oſtendemus.

Secundo: quia ſicut intellectus nequit vivere per actum, niſi influat in actum, ut *num.* 14. diximus; ita nequit vivere ſupernaturaliter per actum ſupernaturalē, niſi influat in ipſam actus ſupernaturalitatem: ſed intellectus creatus ſibi relictus nequit in ſupernaturalitatem influere: ergo intellectus creatus ſibi relictus nequit ſupernaturaliter vivere: atqui intellectus eliciens actus ſupernaturales indeliberatos vivit ſupernaturaliter, ſicut eliciens actus naturales indeliberatos, naturaliter vivit: ergo intellectus prædictos actus ſupernaturales eliciens non relinquitur ſibi ipſi; ſed elevatur intrinſecè per aliquod ſupernaturale auxilium. Nec ſatis eſt dicere, quod intellectus non relinquitur ſibi ipſi, ſed adjuvatur auxilio extrinſeco concurſus ſimultanei ſupernaturalis, ſive attingentis ſupernaturalitatem actus. Hoc enim nihil eſt: quia connotatio illius extrinſeci concurſus non immutat intellectum, ſed ipſum in ſua nuditate relinquit; atque ideo non præſtat illi, ut præcontineat in ſe actum ſupernaturalem, quem antea non continebat: ergo illa ſupernaturalitas actus eſt purè ab extrinſeco, atque ideo erit ſupernaturalitas mortua: ſicut communiter Adverſarij aſſerunt ſpecies intelligibilis, & habitus infuſos eſſe qualitates non vitales, quia non fluunt à natura viventi, ſed proveniunt ab agente extrinſeco: & conſequenter intellectus non vivet ſupernaturaliter per actus ſupernaturales indeliberatos à ſe elicitos. Quod quam abſurdum ſit, liquet ex ipſis terminis: nam intellectio, v.g. indeliberata ſupernaturalis unit vitaliter, & ſupernaturaliter intellectum cum objecto ſupernaturali: quemadmodum univerſaliter loquendo, intellectio unit vitaliter intellectum cum objecto cognito. Unde intellectus vivit ſupernaturaliter per cognitionem ſupernaturalem, ſicut naturaliter per naturalem.

Tertio refellitur prædicta reſponſio: quia ſi intellectus propriæ nuditati relictus poſſet influere in actus ſupernaturales indeliberatos, ſequeretur intellectum poſſe propriis viribus efficere actus ſupernaturales: conſequens eſt omnino abſurdum, utpote deſtruens ſupernaturalitatē ipſorum actuū; quæ conſiſtit in exceſſu ſupra omnes vires naturæ: ergo antecedens eſt falſum. Sequela oſtenditur: quia id poteſt intellectus per proprias vires, quod poteſt per ſemetipſum propriæ nuditati relictum.

23. Nec refert, ſi reſpondeas intellectum non relinqui propriæ nuditati, ſed adjuvari gratia extrinſeca concurſus ſimultanei ſupernaturalis, qu[i] eſt ſupra omnem exigentiam naturæ.

Hoc, inquam, non refert: quia reſponſio hæc pe[ti]tit principium: hoc enim eſt inconveniens, & ab[ſ]ſurdum, quod deducitur ex oppoſita ſententia, n[i]mirum concurſum ſimultaneum Dei cum intell[e]ctu ad actus ſupernaturales non eſſe ſpecialem gr[a]tiam; ſed concedendum eſſe abſolutè, quod intell[e]ctus queat propriis viribus, quas ex vi creatio[nis] accepit prædictos actus elicere. Id autem oſten[di]tur: quia concurſus ſimultaneus Dei cum creat[ura] ad actus, ad quos illa habeat potentiam, & effi[ca]citatem proximam in ſuo ordine, non eſt ſpeci[alis] gratia, ſed ſpectat ad providentiam commune[m]: atqui intellectus juxta dicendi modum, quem ...

pugnan

pugnamus, habet potentiam, & efficacitatem proximam in ſuo ordine ad ſupernaturales operationes: ergo concurſus ſimultaneus Dei cum intellectu ad hujuſmodi opera non habet rationem gratiæ ſpecialis. Major conſtat ex dictis *diſp.* 2. fere per totam, & inſuper probatur: nam ideo concurſus ſimultaneus Dei cum homine ad actus naturales nõ habet rationem gratiæ ſpecialis, quia homo habet in ſuo ordine poſſe, & efficacitatem proximam ad dictos actus, hoc eſt, habet vires ſufficientes ad attingendum actum ſecundum eas rationes, quæ cauſæ particulari proximæ correſpondent: quamvis nequeat attingere illum ſecundum alios conceptus, qui ſunt proprij effectus Dei, utpute ſecundum univerſalem rationem entis, vel quoad ultimam exiſtentiæ actualitatem. Minor etiam liquet ad hominem: quia ſi intellectui creato deficeret in ſuo ordine potentia, & efficacitas proxima ad actus ſupernaturales, non poſſet eos elicere, niſi prius in ordine compleretur, & elevaretur: quod tamen renuit Adverſarius admittere. Inde enim videtur ſibi ſalvare intellectum poſſe fieri potẽtem ad actus ſupernaturales ſine mutatione intrinſeca: quia exiſtimat intellectũ non dici impotentẽ defectu alicujus intrinſeci, ſed quia non connotat extrinſecum Dei concurſum: eo vero connotato, potens abſolutè appellatur, & tranſit de impotente ad potentẽ abſque intrinſeca mutatione, ut ipſe diſcurrit *t.* 1. *diſp.* 34.

Confirmat. 1. Confirmatur primo: quia concurſus Dei, qui eſt juxta exigentiam naturæ, nequit eſſe gratia ſpecialis: ſed ſi intellectus creatus haberet efficacitatem proximam ad actus ſupernaturales, exigeret concurſum Dei ſimultaneum ad prædictos actus: ergo prædictus concurſus non haberet rationem gratiæ ſpecialis: ac per conſequens poſſet natura abſque ſpeciali gratia concurrere ad actus ſupernaturales: quod eſt hæreſis damnata in Conc. Arauſic. 2. *can.* 5. & 6. & in Tridẽt. *ſeſſ.* 6. *can.* 3. ubi diffinitur hominem indigere gratia Dei ad actus conducentes ad ſalutem, quales ſunt omnes ſupernaturales operationes, ut fuſius diximus *diſp.* 3. *à num.* 83. Cætera conſtant, & minor oſtenditur: quia naturam exigere concurſum Dei ad aliquam operationem nihil aliud eſt, quam naturam ſeipſa appetitu innato propendere in prædictam operationem: nam hujuſmodi appetitus ſecum affert exigentiam aliorum comprincipiorũ, ſive intrinſeca ſint, ſive extrinſeca, & nihil aliud eſt illa exigere, quam operationẽ appetere: atqui intellectus habens in ſuo ordine poſſe, & efficacitatem proximam ad aliquem actũ, eo ipſo propendit in ipſum appetitu innato; cum quælibet virtus proxima naturaliter appetat ſuum exercitium: ergo ſi intellectus creatus haberet poſſe, & efficacitatem proximam in ſuo ordine ad actus ſupernaturales, eo ipſo exigeret concurſum ſimultaneum Dei ad prædictos actus.

Secundo. Confirmatur ſecundo: quia ſi natura nullo dono ſupernaturali affecta, connotando extrinſecum Dei concurſum efficeret actus indeliberatos ſupernaturales, qui poſtea, ut Adverſarij admittunt, influerẽt in actus ſupernaturales liberos, quibus homo diſponitur ad ſalutẽ; ſequeretur naturam nullo ſupernaturali dono affectam eſſe primum principium intrinſecum ſalutis, ac proinde ſalutem eſſe in nobis, & ex nobis, ſicut ſi à natura nullo dono ſupernaturali affecta, ſed connotante concurſum Dei ſimultaneum, fluerent potentiæ, aut habitus ſupernaturales, qui in ſubſequentes actus ſupernaturales influerent, non poſſet non dici naturam eſſe primam ſalutis radicem. Nec enim minus ſubordinantur naturæ actus vitales ab ea eliciti, quam potentiæ ab ea dimanantes: nec magis confert naturæ concurſus Dei ſimultaneus in actus, ac concurſus ſimultaneus in potentias: nam utrobique relinquit naturæ, ut influat ſecundum ſibi propria, & intrinſeca.

24. Confirmatur tertio: quia Pelagius cum ſuis aſſeclis non negavit concurſum Dei ſimultaneum ad actiones creatas, ſed illum tandem aſſeruit concedens attemperandum eſſe ipſorum operum qualitati, ut oſtendimus *diſput.* 1. *cap.* 4. §. 4. & ſatis conſtat ex Juliano Pelagij diſcipulo, quem Auguſtin. introducit ita loquentem: *Ut igitur prima fidei noſtræ fundamenta cognoſcas, noſter Deus factor eſt omnium, quæ non erant, & diſpenſator omnium, quæ ſunt.* Unde minimè differentur admittere neceſſitatem concurſus divini ad primos actus indeliberatos conducentes ad ſalutem; quos Adverſarij appellant prima auxilia: hunc quippe concurſum non ſolum Fides ſancit, ſed ratio etiam naturalis evincit. Et tamen Concilia, & Patres damnant Pelagianos tanquam gratiæ actualis (de hac quippè erant præcipuæ controverſiæ) deſertores, & inimicos. Ergo ſignum manifeſtum eſt Concilia, & Patres præter concurſum Dei ſimultaneum deſiderare aliam gratiam actualem ad omnes actus ſalutares, ſive indeliberati, ſive liberi exiſtant. Præſertim quia actus liberi ſupernaturales non ideo indigent gratia intrinſeca, quia liberi ſunt, ſed quia ſunt ſupernaturales, & conducunt ad ſalutem: quæ ratio urgentius militat in primis actibus indeliberatis, ſiquidem ſupernaturales ſunt, ut ſupponitur, & inſuper determinant ad actus ſupernaturales ſubſequentes, comparantur que ad eos per modum principij. Prima igitur gratia intrinſeca, quam Concilia ſtatuunt, non conſiſtit in actibus vitalibus à natura immediatè procedentibus, ſed in aliquo alio prævio, quod Deus antecedenter ad omnem naturæ influxum producit. Et hoc eſt, quod decernit Arauſicanum 2. *can.* 20. his verbis: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ Deus non præſtet, ut faciat homo.* Quo etiam ſenſu accipiendum eſt illud Pſalm. 120. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram.* Non enim dixit Propheta, Auxilium meum à Domino, & à me, ſed *à Domino, qui fecit cœlum, & terram*; ut indicaret non minus auxilium Dei eſſe tunc effectivè à ſolo Deo, ac effectus illi, qui per creationem fuere producti. Quod diſertis verbis tradit D. Bernardus *lib. de gratia, & libero arbitrio,* aſſerens Deum ſolum operari in nobis exordium ſalutis, non per nos, neque nobiſcum.

Tertio, & urgentius. *Pelagius non ſemper negavit concurſum Dei ſimultaneum.* Conc. Arauſ. D. Bernard.

25. Denique poſſet rationi noſtræ tandem occurri dicendo hominem ſolum concurrere inſtrumentaliter ad illos primos motus ſupernaturales. Sed hæc ſolutio facile refellitur tum ex his, quæ adverſus Vegam *num.* 14. ſtatuimus: tum ex doctrina tradita *Tract.* 2. *diſp.* 4. *dub.* 4. §. 6. ubi eandem evaſionem impugnavimus; ad quem locum remittimus Lectorem, ne actum agere videamur. Præſertim, quod licet gratis concederemus hominem concurrere inſtrumentaliter ad primas operationes ſupernaturales indeliberatas; adhuc fundamentum noſtræ aſſertionis in ſuo robore perſiſtit: quia inſtrumentum phyſicum debet elevari per aliquid intrinſecum, & ejuſdem ordinis cum effectu, ut modo ſupponimus ex vera Philoſophia, quam docent N. Complut. *in lib. Phyſic. diſp.* 12. *quæſt.* 1. Quocirca potius in eo intrinſeco hominem elevante, quam in prima operatione indeliberata, quæ illud intrinſecum ſupponit, ratio primi auxilij intrinſeci conſtituenda eſt.

Ultima reſponſio, & eius impugnatio.

§. IV.

§. IV.

Refertur contraria ſententia & præcipuum illius fundamentum diruitur.

Opinio contraria. Curiel. Monteſin. Maſcarehas. Vazquez. Suarez. Arrub. Tanner. Ripalda. Primum argumentum.

26. OPpoſitam nihilominus opinionem tuentur Curiel in præſenti *dub.*1. §.6. Monteſinos *diſp.*31. §. 1. Maſcareñas *diſp.*1. *de auxiliis part.*4. Vazquez *diſput.*185. *cap.*2. Suarez *lib.*3. *de auxiliis cap.*3. Arrubal. 1.*part. diſp.*70. *cap.*3. Tannerus *tom.*2. *diſp.*6. *quæſt.*3. Ripalda *tom* 1. *diſp.*34. & *tom.*2. *diſp.*104. ubi alios recentiores adducit. Et probatur primo: quia primum auxilium intrinſecum gratiæ actualis formaliter ſumptum conſiſtit in vocatione, ſive illuminatione, qua homo excitatur ad ſuam converſionem: ſed vocatio, & illuminatio formaliter ſumptæ conſiſtunt formaliter in aliqua operatione vitali: ergo primum auxilium intrinſecum gratiæ actualis conſiſtit formaliter in prædicta operatione. Conſequentia eſt legitima. Minor etiam conſtat: quia vocatio, & illuminatio ſunt actus, quibus homo quaſi ſomno prius deditus incipit attendere ad divina juxta illud Apoſtoli *ad Epheſ.*5. *Exurge, qui dormis*: atqui actus, quo homo attendit, & advertit ad aliquod objectum, eſt operatio vitalis ab ipſo homine elicita, ut eſt per ſe notum, & ſatis liquet ex iis, quæ *num.*14. contra Vegam ſtatuimus: ergo vocatio, & illuminatio formaliter ſumptæ conſiſtunt formaliter in aliqua operatione vitali. Præſertim quia ſi vocatio non conſiſteret in prædicta operatione, homo à Deo vocatus ad divina non magis ea adverteret, quam ſi non vocaretur; & conſequenter deobligaretur ipſi obedire, & minimè peccaret non conſentiendo, quod eſt abſurdum. Major autem videtur expreſſa determinatio Concilij Tridentini *ſeſſ.*6. *cap.*5. ubi hæc habentur:

Conc. Trid.

Declarat preterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum praeveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis exiſtentibus eorum meritis, vocantur; ut qui per peccata à Deo averſi erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratia liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur, &c.

Confirm. 1.

Confirmatur primo: quia illa eſt prima gratia auxilians intrinſeca ad quam Concilia, ut devitent gratiam dari ex meritis, reducunt totam ſeriem auxiliorum internorum: ſed in hac reductione ſiſtunt ultimo, nempè in divina excitatione facta per illuminationem Spiritus ſancti: hæc igitur illuminatio eſt primum auxilium internum gratiæ actualis: & conſequenter cum illuminatio ſit formaliter actio vitalis; ſequitur prædictum auxilium in hujuſmodi operatione conſiſtere. Cætera conſtant, & minor ſuadetur tum ex Concilio Tridentino tam loco nuper citato, quàm *can.*3. & 4. ejuſdem ſeſſionis, quibus primum gratiæ auxilium vocat *inſpirationem*, & *excitationem*. Tum etiam ex Concilio Arauſicano 2. *can.* 6. ubi diffinit dari nobis auxilium ad credendum, & ut velimus credere *per inſpirationem Spiritus ſancti*, & *can.*7. declarat *auxilium gratia eſſe illuminationem Spiritus ſancti*. Tum denique ex Conciliis Milevitano *can.*4. Moguntino *in decretis fidei*, & Colonienſi *de Sacramento Pœnitentia pag.* 289. quæ eodem modo naturam primi auxilij exponunt, ſiſtuntque ſemper in aliqua illuſtratione intellectus.

Secundo.

Confirmatur ſecundo: nam SS. Patres, qui adverſus Pelagium, & ejus ſequaces diſputarunt, totum negotium, & ſeriem auxiliorum internorum reduxerunt, tanquam ad primum auxilium ſupra omnem exigentiam naturæ, vel meriti collatum, ad vocationem, & illuſtrationem intellectus: ergo in hac conſiſtit formaliter primum auxilium: alias Patres, & Concilia diminute in hoc negotio procederent. Antecedens, relictis aliis pluribus teſtimoniis, probatur tum ex D. Auguſt. *lib. de Spiritu & litera cap.*34. ubi inquit: *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & credamus: viſorum autem ſuaſio quedam illuminatio eſt*. Et *de verbis Apoſtoli cap.*13. poſt medium ait: *Spiritu Dei aguntur Filij Dei, ſed Spiritu illuminante, exhortante*, &c. Tum ex D. Proſpero Auguſtini diſcipulo *in lib.* 2. *de vocat. gentium cap.* 9. ubi hæc habet: *Gratia principaliter praeminet ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando Concilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo*. Ubi ut vides, præcipuam eminentiam gratiæ (quæ in primo auxilio maximè lucet) collocavit in inſpirationibus, ſuaſionibus, aliiſque vitalibus operationibus.

Confirmatur tertio ex Ripalda: quia ſi Pelagius admiſiſſet neceſſitatem cogitationis ſupernaturalis à Deo productæ, & requiſitæ ad actus liberos conducentes ad ſalutem, neutiquam damnaretur à Conciliis, & Patribus tanquam gratiæ auxiliantis everſor: ergo ſatisfacit Conciliorum, & Patrum intentioni, ſalvatque eorum decreta, & illorum damnationem devitat, qui fatetur neceſſariam eſſe cogitationem aliquam ſupernaturalem à Deo immiſſam ad actus conducentes ad ſalutem, quamvis neget neceſſitatem alterius auxilij intrinſeci influentis in has operationes: ergo juxta Concilia, & Patres non oportet admittere aliud auxilium intrinſecum gratiæ actualis, præter actus ſupernaturales indeliberatos, quibus homo ad ſubſequentes actus liberos excitetur.

27. Huic argumento, & confirmationibus reſpondetur primo animadvertendo vocationem poſſe bifariam accipi, nempè formaliter, & cauſaliter. Et quidem priori modo accepta conſiſtit formaliter in aliquo actu intellectus, quo homo incipit ad divina attendere: poſteriori autem modo ſumpta conſiſtit formaliter in aliquo prævio, & intrinſeco, quod prædictam attentionem cauſat, & inducit. Cujus diſtinctionis ratio ſatis conſtat ex ſupra traditis: nam cum vocatio formaliter ſumpta ſit actus vitalis ſupernaturalis, nequit non ſupponere in intellectu aliquod principium ſupernaturale ipſam inferens: quod quia actuale eſt, & vocationem formalem cauſat, merito poteſt appellari vocatio, ſaltem cauſaliter. Frequenter enim nomen termini, vel actionis tribuitur principio, & è converſo: ſicut D.Thom. *quæſt.*4. *de Verit. art.* 1. *ad* 2. & *opuſc.*13. notitiam actualem, ſeu conſiderationem objecti appellat verbum, non quia verbum formaliter ſit, ſed quia illud cauſat, & ſibi annexam habet. Et eadem ratione dicitur Pſal. 2[illegible] *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea*: quia [illegible]cet Deus non ſit formaliter illuminatio, vel ſal[us] noſtra; nos tamen illuminat, & ſalvos facit. [illegible]mo ob eamdem cauſam Baptiſmus ſolet illumi[na]tio dici: quoniam primi luminis conſortium [illegible]dit, & divinarum illuſtrationum principium [illegible] ut dicit D.Dionyſ. *Eccleſ. Hierarch. c.*3. Sic [illegible] in uſu Conciliorum, & Patrum utraque voc[atio] confundi ſolet, & incomplexa voce plerum[que] exprimitur: tum quia ſe mutuo comitantur:

Digitized by Google

quia vocatio formalis, quæ notior eſt, neceſſario ſupponit vocationem cauſalem, à qua procedit. Qua etiam de cauſa vocationis nomen formali potius, quam cauſali frequentius attribuitur.

Occurritur argumento. Quo ſuppoſito ad argumentum reſpondetur diſtinguendo majorem: *Primum auxilium gratiæ actualis formaliter ſumptum conſiſtit in vocatione formali*, nego majorem; *in vocatione cauſali*, concedimus:& conceſſa minori, negamus conſequentiam:quæ ut legitime inferretur ex præmiſſis, deberet major verificari de vocatione formali. Ad probationem autem in contrarium deſumptam ex Concilio Tridentino dicendum eſt Concilium nomine vocationis comprehendere tam vocationem cauſalem,quæ conſiſtit formaliter in auxilio intellectui ante omnem operationem ſupernaturalem impreſſo, quam vocationem formalem, quæ eſt formaliter intellectus operatio. Utraque enim pro eodem auxilio moraliter reputatur:tum quia ſe mutuo comitantur: tum quia utraque requiritur ad actus liberos ſubſequentes, quibus homo ſe diſponit ad ſalutem. Quod ſi inter utramque vocationem fiat metaphyſica comparatio;exordium ſalutis à vocatione cauſali (qua homines, nullis eorum meritis exiſtentibus, à Deo vocantur) deſumendum eſt,ut conſtat ex iis,quæ ſupra tradidimus: & oppoſitum nullo modo colligitur ex Concilio.

Diluitur prima confirm. 28. Ex quibus liquet ad primam confirmationem:nam gratia auxilians,ad quam reducunt Concilia ſeriem omnium auxiliorum internorum,& in qua ultimo ſiſtunt, eſt quidem divina excitatio,ſeu illuminatio. Sed hæc moraliter accepta complectitur tam primam intellectionem ſupernaturalem, quam auxilium ei prævium,à quo intellectio procedit: metaphyſice autem, & primitus conſiderata non conſiſtit formaliter in operatione, ſed in auxilio antecedenti, quo intellectus elevatur ad operandum. Et de excitatione, ſive illuminatione hoc poſteriori modo ſumpta loquuntur communiter Concilia agentia contra Pelagianos:nam licet illuminatio ex vi vocabuli frequentius uſurpetur pro operatione; ad intentionem tamen Conciliorum magis referebat cōtraria uſurpatio. Conceſſo enim dari aliquod auxilium unice à Deo productum, & prævium ad omnem operationem; liquido ſtatuitur neceſſitas divinæ gratiæ, quam Concilia contra Pelagianos firmant. Quod non ita ſalvant,qui admittunt primas operationes conducentes ad ſalutem procedere immediate à natura nullo auxilio intrinſeco adjuta.

Solvitur ſecundo. Et eodem modo reſpondendum eſt ſecundæ confirmationi:quamvis enim Patres aſſerant negotium ſalutis inchoari à ſancta illuminatione, aut cogitatione, nihilominus non excludunt principium intrinſecum ejuſdem cogitationis: ſciebant enim,quod ſufficientes non ſumus aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: quod præſertim intelligendum eſt in iis,*quæ ad Religionem, & pietatem ſpectant*, ut loquitur Auguſt. *lib. de Prædeſt. Sanct. cap.* 2. Unde pro hujuſmodi cogitationibus,ſive deliberatæ ſint, ſive indeliberatæ, neceſſario admittendum eſt aliquod principium intrinſecum dans ſufficientiam, & poſſe proximum. *Et hoc*,inquit D.Th. ad locum citatum Apoſtoli lect. 1. *eſt contra Pelagianos dicentes,quod inchoatio boni operis eſt ex nobis*. Quod ſi aliquādo Patres videantur primitatem in negotio ſalutis attribuere ſanctæ cogitationi, minime tamen excludunt ejus principium, nempe auxilium actuale, ſed loquuntur de primatu comparative ad alias operationes conducentes ad ſalutem: inter quas libenter cōcedimus primā eſſe ſanctā cogitationem.

Ultima ſatisfit. Ad ultimam confirmationem dicendum eſt, quod ſi Pelagius aſſeruiſſet neceſſariam eſſe aliquam illuminationem ſupernaturalem ad actus conducentes ad ſalutem,& voluiſſe conſequenter procedere; neceſſario debuiſſet admittere aliquod auxilium prævium, & intrinſecum ab eadem cogitatione diverſum:ſicut è converſo ex eo,quod negaverit neceſſitatem prædicti auxilij, convincitur negaſſe prædictam ſupernaturalem cogitationem. Non enim cohæret operationem vitalem eſſe ſupernaturalem, & quod à natura omni auxilio nuda immediate procedat; ſive,& in idem redit,quod non procedat à principio intrinſeco ſupernaturali. Si autem Pelagius, negato illo auxilio, cogitationem ſupernaturalem admitteret, minime ſatisfaceret Patribus,& Conciliis;ſed anſam novam præberet, ut de ejus ambigua,& lubrica mente ſuſpicarentur. Nam licet concedendo cogitationem eſſe ſupernaturalem,rectæ fidei connivere videretur,& verbis æquivocis, quod ſæpe fecit, frangeret invidiam: nihilominus negando neceſſitatem auxilij interni ad eandem cogitationem, larvam tandem deponeret,& verum ſe proderet auxiliantis gratiæ everſorem,negans factis, quod verbo conceſſerat. Quas inconſequentiæ notas ſæpe incurrunt Pelagius, & ejus diſcipuli,ut pluribus poſſemus oſtendere. Videatur D.Auguſt. *epiſt.* 143. *ad Anaſtaſium* contra quoſdam,qui nimium arrogant humanæ voluntati: ubi cum dixiſſet hujuſmodi homines excludere neceſſitatem orandi,ſtatim advertit, & ſubjunxit: *Non quia hoc audent aperte dicere, ſed eorum ſententiam,velint,nolint, hoc utique ſequitur.* Recolantur,quæ de vaferrima Pelagianorum, ne palam deprehenderentur, obſcuritate, obſervavimus *diſp.* 1. *cap.* 4. §. 3.

Proponitur alia argumenti reſponſio. 29. Secundo poſſemus eidem argumento cum ſuis confirmationibus aliter reſpondere, vel amplius explicare doctrinam hactenus traditam, obſervando vocationem, ſive illuminationem ſupernaturalem, qua Deus hominem ad ſuam converſionem excitat, poſſe dupliciter conſiderari,activè ſcilicet,& paſſive. Priori modo conſiderata eſt formaliter,& in recto actio increata Dei aliquod objectum nobis proponentis, nobiſque lumen communicantis, inſimulque vel novas ſpecies infundentis, vel antiquas diverſimode coordinantis. *Illuminatio dicitur activè & paſſivè.* Quamvis enim vocatio,ſicut & locutio ex generali ratione locutionis ſolum importet meram propoſitionem ſive manifeſtationem objecti, ut patet in Angelis,& hominibus, qui lumen intellectivum, aut ſpecies eis, quibus loquuntur, non communicant:locutio tamen,& vocatio Dei ſimul cum conceptu manifeſtationis habet conceptum infuſionis luminis, & ſpecierum, quibus indigemus ad eliciendum cogitationem ſupernaturalem. Poſteriori autem modo conſiderata conſiſtit formaliter in lumine, & ſpeciebus vel de novo productis, vel de novo coordinatis,quæ terminant immediate vocationem,& locutionem activam Dei. Nam generaliter loquendo,actio divina paſſive ſumpta ſupponit formaliter pro termino actionis Dei: lumen autem,& ſpecies ſupernaturales, aut ſupernaturaliter coordinatæ ſunt terminus vocationis, & locutionis divinæ: quocirca poſſunt vocatio, locutio,& illuminatio Dei paſſive ſumptæ denominari. Actus vero intellectus, quos homo prædicto lumine,& ſpeciebus adjutus elicit,& quibus incipit ad divina attendere, non habent proprie loquendo rationem vocationis activæ, vel paſſivæ: ſed magis important conceptum diſciplinæ,& eruditionis,atque auditionis Deo vocanti adhibitæ.

Illuſtrantur 30. Quæ omnia amplius explicari valent ex iis,

quæ contingunt in locutione Dei ad Prophetas. ...m ſicut Deus homines, in quibus nulli habi- ... ſupernaturales præexiſtunt, vocat communi- ...do ipſis aliquas ſubitaneas illuſtrationes ad ...ar coruſcationum: ita loquitur Prophetis, con- ...endo eiſdem repentinas quaſdam illuſtrationes, ... quidem permanenter, ſed ad modum tranſeun- ... ut expreſſe tradit D.Th. 2. 2. q. 171. ubi ait: ...*men dupliciter alicui ineſſe poteſt: uno modo ... modum formæ permanentis, ſicut lumen corpo- ...e eſt in ſole, & in igne: alio modo per modum ...uſdam paſſionis, ſive impreſſionis tranſeuntis, ...ut lumen eſt in aëre. Lumen autem propheticum ... ineſt menti prophetæ per modum formæ perma- ...tis: alias oporteret, quod ſemper Propheta ad- ...et facultas prophetandi, quod patet eſſe falſum.* ... poſt pauca concludit: *Relinquitur ergo, quod ...men propheticum inſit animæ Prophetæ per mo- ...m cujuſdam paſſionis, vel impreſſionis tranſeun-*... Et nihilominus non obſtante, quod cognitio ...phetica fiat ſubitanee, & ad inſtar primorum ...tuum ſupernaturalium indeliberatorum, quibus ...mines ad ſuam ſalutem vocantur: tamen præter ...tum increatum locutionis Dei ad Prophetam, & ...æter actum creatum, quo Propheta attingit obje- ...um revelatum, adeſt lumen aliquod creatum, & ... hærens, quod eſt terminus divinæ locutionis (& ...circo locutio paſſiva vocatur) & ſimul eſt princi- ...ium auditionis, ſive eruditionis, qua Propheta ...bjectum revelatum cognoſcit, ut tradit D. Th. ...m *loco nuper citato*, tum *qu. 173. ſequenti art. 2* ...d 3. ubi inquit, quod *homo naturali virtute ne- ...quit formare ſpecies, ut ſint ordinatæ ad repræſen- ...andas intelligibiles veritates, quæ hominis intelle- ...tum excedunt: ſed ad hoc neceſſarium eſt auxilium ſupernaturalis luminis*. Tum etiam *in quæſt. 12 de verit. art. 1. ad 4. ex argumentis ſed contra*, ubi ait. *Sic ergo locutio, qua Deus Prophetis locutus eſſe dicitur in Scripturis, non ſolum attenditur quantum ad ſpecies rerum impreſſas, ſed etiam quantum ad lumen inditum, quo mens Prophetæ de aliquo certificatur*. Pariter ergo in intellectionibus indeliberatis ſupernaturalibus, quibus homo incipit ad divina attendere, præter vocationem active ſumptam, quæ eſt actio Dei increata, & præter intellectionem creatam, quæ ſe habet, ut auditio, & attentio; neceſſario eſt conſtituendum aliquod lumen ſupernaturale homini impreſſum, quod ſimul ſit terminus vocationis divinæ, & principium auditionis creatæ: & hoc lumen appellamus vocationem Dei paſſive conſideratam. Et plane neceſſitatem ſpeciei ſupernaturalis ad ſupernaturalem cognitionem admittit, & docet Suarius *3.p. diſp. 19. ſect. 3.* qui loco ſupra citato tradit (neſcimus, an conſequenter) nullum auxilium intrinſecum, & inhærens requiri ad primos actus ſupernaturales indeliberatos. Videantur, quæ diximus *diſp. 3. dub. 3. num. 53.*

31. Ex his ergo ad argumentum ſuperius factum, & omnes confirmationes facile, & breviter reſpondetur: concedimus enim primum auxilium gratiæ actualis conſiſtere formaliter in vocatione, qua homines, ut loquitur Tridentinum, à Deo ad propriam ſalutem vocantur: concedimus etiam totum proceſſum auxiliorum internorum ad hanc Dei vocationem tanquam ad primum auxilium in hoc ordine revocandum eſſe, & in eo ultimo ſiſtendum fore. Negamus tamen, quod vocatio conſiſtat formaliter in aliqua operatione ab homine elicita: hæc quippe non vocatio, aut illuminatio eſt, ſed magis habet rationem auditionis, eruditionis, ac diſciplinæ. Vocatio ergo active ſumpta eſt actus increatus, & in Deo manens, paſſive autem accepta conſiſtit in lumine, & ſpeciebus vel denuo productis, vel denuo coordinatis, ut nuper explicuimus. Ex quibus prior vocatio habet rationem auxilij extrinſeci; poſterior vero eſt primum auxilium intrinſecum actuale. Nec adverſus hanc doctrinam urget aliqua ex auctoritatibus, quæ nobis objiciuntur; ſed potius ex omnibus illis colligitur argumentum contra nos factum in Adverſarios retorquendum eſſe. Quoniam primum auxilium gratiæ actualis intrinſece conſiſtit formaliter in vocatione ſupernaturali, ut Concilia, & Patres decernunt: atqui vocatio non conſiſtit formaliter in prima operatione ſupernaturali, ſed in aliquo talem operationem antecedenti, ut nuper declaravimus: ergo primum auxiliũ gratiæ actualis intrinſecæ non conſiſtit formaliter in aliqua operatione.

Replica.

32. Dices: ſi vocatio Dei ſaltem paſſive accepta non conſiſteret formaliter in aliqua operatione intellectus, fieri poſſet hominem actu à Deo vocari, & actu nil cognoſcere, vel advertere: quidquid enim diſtinguitur ab intellectione, eamque antecedit, eſt ab ea realiter ſeparabile: conſequens implicat contradictionem, & reddit prorſus inutilem prædictam vocationem; ſiquidem nullam hominis advertentiam importat; ſed eum relinquit in ſtatu, in quo præexiſtebat: ergo vocatio, ſaltem paſſive ſumpta, conſiſtit formaliter in aliqua operatione.

Solutio.

Reſpondetur negando ſequelam: nunquam enim homo à Deo vocatur in actu ſecundo, quin ſimul attendat, & aliquid de novo cognoſcat. Quod non accidit, quia vocatio etiam paſſive ſumpta ſit formaliter intellectio, vel advertentia; ſed quia Deus non dicitur vocare in actu ſecundo, niſi quatenus infert re ipſa actualem cognitionem, & facit hominem actu attendere: ob quam etiam rationem cauſa actu cauſans eſt inſeparabilis ab effectu, licet ab eo diſtinguatur, ipſumque realiter antecedat. Poteſt itaque illud intrinſecum, quod Deus communicat intellectui, & in quo aſſerimus conſiſtere primum auxilium intrinſecum, dupliciter conſiderari: uno modo quoad ſolam ſuam entitatem: & hac ratione non implicat, quod ſeparetur ab actu cognitionis creatæ: quia ſolum habet dare poſſe proximum ad prædictam cognitionem, diciturque vocatio in actu primo. Altero modo, ut habet ſibi annexum auxilium efficax, deſcenditque ex voluntate Dei intendentis efficaciter cognitionem creatam, ſeu primam attentionem: & hoc pacto connectitur infallibiliter cum illa, & dicitur vocatio actualis. Communiter vero, & per ſe loquendo, prædicta vocatio paſſive ſumpta petit auxilium efficax, & infert re ipſa attentionem, ſubindeque abſolute appellanda eſt vocatio actualis. Nam ex parte objecti importat ſpecies ſufficienter repræſentantes, & ex parte principij affert poſſe, & virtutem proximam, ut ſupra vidimus: cumque intellectus ſit potentia naturalis, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum neceſſario operatur, ſequitur prædictam vocationem inferre neceſſario, naturaliter, & per ſe loquendo attentionem actualem: quamvis metaphyſice non repugnet, quod ab ea realiter ſeparetur.

§. V.

Cæteræ ejuſdem opinionis argumenta diluuntur.

33. AB aliis hujus ſententiæ motivis facilius nos explicabimus, quia minoris momẽti ſunt, *Secundum argumentum.*

Digitized by Google

ſunt. Arguitur ergo ſecundo: nam hoc ipſo, quod Deus ut auctor ſupernaturalis concurrat ſimul cum homine ad aliquam operationem, nequit non prædicta operatio ſupernaturalis evadere: operatio quippe naturalis ſupernaturalem Dei concurſum minimè expoſcit: atqui concurſus Dei cum creatura ad operandum non eſt influxus in ipſam creaturam, ſed attingit immediate ejus operationem: ergo licet Deus non communicet creaturæ aliquid ſupernaturale prævium, & inhærens, poteſt operatio evadere ſupernaturalis: & conſequenter ad primos actus ſupernaturales indeliberatos non erit neceſſarium aliquod auxilium intrinſecum ab eiſdem actibus realiter diverſum.

Reſponſio.

Reſpondetur omiſſa majori, diſtinguendo minorem: & ſi intelligatur de concurſu Dei pure, & præciſe ſimultaneo, concedatur; ſi vero de cõcurſu Dei adæquato, negetur. Etenim ſicut in ordine naturali priuſquã Deus ſimultanee concurrat cum creaturis ad earum operationem, cõmunicat eis eſſe, & virtutes operativas, quibus cõſtituuntur in actu primo, & cõtinent ſuas operationes: ita in ordine ſupernaturali antequam Deus ſimul cum homine ad actus ſupernaturales concurrat, impertitur ei per alium concurſum, quem prævium appellamus, aliquam virtutem operativam vel ad modum habitus, vel ad modum diſpoſitionis ſe habentem, per quam conſtituitur in actu primo ad eliciendum ſupernaturales operationes. Unde licet verum ſit, quod hoc ipſo, quod Deus ut auctor ſupernaturalis ad aliquam operationem concurrat, prædicta operatio ſupernaturalis evadet: hoc tamen non contingit ex eo, quod Deus ſimultanee præciſe influat; ſed quia prius influxit præciſe communicando ſupernaturalem virtutem. Qua ſecluſa nequit Deus ſupernaturalem concurſum ſimultaneum exhibere: nam ſicut nequit influere ſimultanee in operationem vitalem abſque conſortio alicujus principij creati viventis: ita non poteſt concurrere ſimultanee ad operationem ſupernaturalem vitalem creatam, quin connotet aliquod principium creatum ſupernaturale vitale: quod in noſtro caſu eſt intellectus creatus aliquo ſupernaturali lumine adiutus.

Tertium argumentum.

34. Arguitur tertio: quia ſi primum auxilium actuale non eſſet realiter aliqua operatio; indigeret alio auxilio, per quod determinaretur, & applicaretur ad operandum: conſequens eſt falſum, tum quia inde foret illud auxilium non eſſe primum, ut ſupponitur: tum quia hoc induceret proceſſum in infinitum: ergo primum auxilium gratiæ actualis cõſiſtit formaliter in aliqua operatione: hæc quippe ſe ipſam determinat formaliter ad agendum.

Solvitur argumentum.

Confirmatur: nam quidquid diſtinguitur ab operatione, queit perſiſtere, quando homo non operatur: ſed primum auxilium gratiæ actualis tandiu durat, quandiu homo operatur, & non citius, neque amplius: alias non eſſet auxilium actuale, ſed virtus habitualis: ergo hujuſmodi auxilium non diſtinguitur realiter ab operatione.

Confirmatio.

Ad argumentum reſpondetur admittendo ſequelam, & negando minorem: nam cum primum auxilium actuale ſit quædam virtus dans poſſe, & actum primum ad operationem ſupernaturalem, non repugnat ipſi, quod ab operatione abſolute ſeparetur: & ideo, ut operationem actu cauſet, debet connotare aliud auxilium dans agere, ſeu reducens ejus virtutem activam ad actum agendi; quod auxilium vocant Thomiſtæ *phyſicam præmotionem*: de quo ex profeſſo dicemus *diſp.* 7. per totam, & præcipue *dub.* 5. Nec inde ſequitur aliquod ex inconvenientibus minori inſertis: non primum, quia præmotio phyſica ſupponit auxilium communicãs primum poſſe ad actus ſupernaturales; atque ideo in auxiliorum ſerie non tollit ejus primatum. Nec ſecundum: quia auxilium dans poſſe non eget alio auxilio dante virtutem; ſed in eo ultimo ſiſtitur. An autem fieri poſſit, quod ratio auxilij ſufficientis, ſeu dantis poſſe, & ratio auxilij efficacis, ſeu prædeterminantis coeant ſimul in eadẽ entitate; vel ſemper ſint entitates diverſæ, parũ noſtra refert ad deciſionem præſentis dubij. Sed hujus difficultatis deciſio ex dicendis per totam diſputationẽ magis cõſtabit.

Diluitur confirmatio.

Ad confirmationem reſpondemus majorem non eſſe univerſaliter veram: nam auxilium efficax, ſeu præmotio phyſica diſtinguitur realiter ab operatione, ſine qua tamen non valet conſiſtere, ut infra dicemus *dub.* 6. Auxilium autem dans poſſe ad actum queit ab ipſo ſeparari, & de facto aliquando ſeparatur, ut conſtat in pluribus auxiliis ſufficientibus ad actus ſupernaturales liberos, quibus multoties non utimur, ſed propria operatione fraudamus: ex quo potius convincitur eorum ab operatione diſtinctio. Sunt tamen hujuſmodi auxilia generaliter loquendo, brevis durationis, tandiuque conſiſtunt, quandiu durat, vel duraret operatio, ad quam eliciendam homini conferuntur, ut magis declarabimus *dub.* 4. Auxilia vero collata ad primos actus indeliberatos intellectus eos per ſe loquendo, & connaturaliter inferunt: quia homo eis adjutus ſe habet per modum agentis naturalis, & neceſſarij, exigitque determinate auxilium efficax ad actu operandum, ut ſupra diximus.

Quartum argumentum.

35 Arguitur quarto: quia cognitio ſupernaturalis indeliberata (pro qua adſtruimus neceſſitatem auxilij intrinſeci dantis poſſe proximum ad illam) procedit effective non à ſolo intellectu, ſed etiam ab objecto media ſpecie intelligibili, juxta commune illud proloquiũ. *Ab objecto, & potentia paritur notitia:* atqui ſpecies naturalis poteſt influere immediate in actum ſupernaturalem abſque aliquo intrinſeco ſibi ſuperaddito: ergo pariter intellectus poteſt immediate, & abſque aliquo ſupernaturali auxilio ſibi impreſſo influere in eundem actum: & conſequenter primum donum ſupernaturale gratiæ actualis conſiſtere formaliter in prædicta operatione. Cætera conſtant, & minorem late probat Ripalda *diſp.* 34. *de ente ſupernaturali ſect.* 16. Reduciturque probationum pondus ad hunc diſcurſum: nã in primis pro cognitione entitative ſupernaturali non requiritur indiſpenſabiliter ſupernaturalis ſpecies, ſed ſufficit ſpecies naturalis, ut nos ipſi docuimus in hoc. *Tr. diſp.* 3. *dub.* 3. *nu.* 53. deinde non apparet quid poſſit ſpeciei naturali ſuperaddi, quod ſit de linea ſpeciei, & pertineat ad genus repræſentativum: quidquid enim intellectui infunditur præter ſpecies, eſt lumen intellectivum, & ſe tenet ex parte ipſius intellectus, non autem ex parte objecti: ergo ſpecies naturalis poteſt immediate & abſque aliquo ſibi intrinſece ſuperaddito in ſupernaturalẽ cognitionẽ influere.

Ripalda.

Reſponſio.

Hoc argumentum poteſt in Adverſarios retorqueri, quorum plures negant poſſe dari ſupernaturalem cognitionem abſque ſpecie ſupernaturali, ut vidimus loco citato: pariter ergo non poterit dari abſque principio proximo ſupernaturali: atque ideo primum donum intrinſecum gratiæ actualis non conſiſtit formaliter in prædicta operatione. Reſpondetur tamen conceſſa majori, negando minorem. Ad cujus probationẽ dicendũ eſt objectum non influere in ſupernaturalem cognitionem per ſpecies naturales, ut naturales ſunt; ſed quatenus habent aliquid ſupernaturale de linea objecti. Hoc autem conſiſtit in peculiari quadam earum diſpoſitione, & coordinatione, ratione cujus habent ſuperna

pernaturale objectum repræſentare. Nā licet quælibet ſpecies naturalis repræſentet ſe ipſa aliquod objectum naturale ſimpliciter, & ad hoc non egeat aliquo ſibi ſuperaddito: nihilominus ut ſpecies repræſentent aliquod objectum complexum, ſive aliquam veritatem ſupernaturalem, debent peculiariter coordinari, & uniri: & hoc fit per aliquid ſibi ſuperadditum de linea objecti, de ordine ſupernaturali. Sicut licet mons repræſentetur ſufficienter per ſpeciē montis, & aurum per ſpeciem auri: mons tamen aureus non repræſentatur per illas ſpecies diviſive acceptas, ſed per eaſdem peculiari diſpoſitione coordinatas: quæ coordinatio non eſt lumen ſe tenens ex parte objecti in eſſe cognoſcibilis. Quam doctrinā tradit D.Th. 2.2.q.173.art.2.ad 3. ubi aſſerit hominē non poſſe virtute propria coordinare ſpecies intelligibiles, quatenus repræſentāt objectum ſupernaturale; ſed ad hoc egere auxilio ſupernaturalis luminis. Cum ergo ſpecies non deſerviant ſupernaturali cognitioni, niſi quatenus ſupernaturaliter coordinantur, ſequitur, quod non influant in ſupernaturalem cognitionem immediate per id, quod habent de linea naturali, ſed ut lumine ſuperiori perfuſæ. Idemque proinde de potentia intellectiva dicendum eſt.

D.Thom.

Alia reſponſio.

Adde poſſe ſatis probabiliter dici, quod lumen actuale ſupernaturale de novo intellectui infuſum, conferat tam intellectui, quā ſpeciei naturali vim proxime effectivam ſupernaturalis intellectionis, & ex parte utriuſque ſe teneat; quin intellectus, vel ſpecies habeant immediate in prædictam operationē influere. Pro cujus intelligentia recolenda ſunt, quæ tradunt N.Compl. *in lib. de Anima diſp.* 18.*q.*5.& expendimus *Tr.*2.*diſp.*2.*dub.*3. videlicet quod quamvis ſpecies intelligibilis, quæ eſt accidens influat immediate in cognitionem; tamen quando eſt ſubſtantia, non influit niſi medio intellectu; ut contingit in intellectione, qua Angelus ſe per propriam eſſentiam cognoſcit. Conſequitur enim intellectus Angeli ad ejus eſſentiam, ut eſt radicaliter activa tam per modum principij, quam per modum objecti: & ideo prædicta eſſentia ſub neutro munere influit immediate in intellectionem, ſed utrumque influxum præſtat medio intellectu tanquam virtute immediate activa tam in genere intellectivo, quam intelligibili. Sicut ergo eſſentia Angeli, quia eſt ſubſtantia, nullo modo effecit immediate intellectionem; ſed media aliqua virtute proxime activa: ita quia res naturalis nequit elicere immediate actum ſupernaturalē; propterea tam intellectus, quam ſpecies naturalis non influunt immediate in ſupernaturalem intellectionem; ſed egent alia virtute ſupernaturali ſibi impreſſa. Et quemadmodū intellectus unicus exiſtens tenet ſe tam ex parte principij intelligendi, quam ex parte objecti cogniti, & utrumque reddit proxime activum: ita auxilium ſupernaturale de novo intellectui communicatum tenet ſe non ſolum ex parte intellectus, ſed etiam ex parte ſpeciei naturalis, & cōmunicat utrique vim proxime effectivam ſupernaturalis intellectionis. Unde licet ſpecies naturales ſaltem ut ſupernaturaliter coordinatæ exerceant immediate per ſe ipſas munus repræſentandi intellectui objectum, munus tamen influendi effective in intellectionem ſupernaturalem non præſtat immediate per ſe ipſam, ſed medio auxilio actuali ſupernaturalis luminis. Nec difficultas alicujus momenti adverſus hanc doctrinam occurrit, cui non ſit facile reſpondere ex iis, quæ traduntur locis ſuperius citatis.

Complut.

Ultimum argumentum.

36. Ultimo arguitur; quia primum auxilium intrinſecum gratiæ actualis non eſt ipſe Deus, ut in-

...me aſſiſtens potentiis, eaſque per ſe
...juvans; nec conſiſtit formaliter in aliq
...e fluida, & tranſeunti: ergo ſolum reſt
formaliter aliqua operatio indeliberata
...alis: hæc quippe, qua parte influit in ſi
...actus deliberatos, habet rationem aux
parte non ſupponit aliam gratiam i
nequit non eſſe primum auxilium.
mento conſtabit ex iis, quæ dicemu
dubiis ſequentibus.

DUBIUM TERTI

Utrum primum auxilium intrinſec
actualis ſit formaliter ipſe Deu
aſſiſtens intellectui; an vir
qualitas fluida ipſi inhærens?

Ex dictis dubio præcedenti conſtat
noſtrum (& idem proportionabi
gendum eſt de volūtate) non poſſe eli
operationem ſupernaturalem abſque
cipio ſuperiori, per quod ſublevetur
raliter agendum: & quod vocamus
actualis auxiliū. Nunc videndum e
in quo prædicti auxilij ratio form

§. I.

Prior aſſertio primo funda

88. Dicendum eſt primo au
quo intellectus ſubleva
primam ſupernaturalem operati
maliter Deum, ut eidē intellect
tem, vel unitum. Hæc cōcluſio eſt
doctrinæ D.Th. *pluribus in locis*
*q.*12.*art.*5.& 2.2.*q.*175.*art.*2.
tatem luminis gloriæ creati, & i
ciendam viſionem beatificam; &
*art.*2. ubi docet actā charitatis no
mediate ab Spiritu ſancto nobis
defectum charitatis ſupplente; &
tradit Chriſtum Dominū nō potu
ſcientiæ ſupernaturalis per ſcienti
unitam; ac denique 2.*contra gētes*
dit animam non poſſe intelligere
ſeparatum intime ſibi aſſiſtentem.
quibus S.Doctor prædicta aſſerta c
liter evincunt noſtram concluſione:
de communiter tuentur omnes Th
dimus *dub.præc. n.*12. Fundament
noſtræ aſſertionis eſt Deum non po
tentiam, eique vires intrinſecas cōm
ipſi uniatur per modum virtutis, &
unio utpote ſubordinationem, & in
importans, ſummæ Dei perfectioni r
terum quia hoc motivum late exper
*diſp.*4.*dub.*5. eoque rurſus utemur
tate, ut oſtendamus Spiritum ſanctu
voluntati loco charitatis uniri; ideo

38. Probatur alio fundamento ma
quod poteſt ad ſequentem formam re
niam repugnat Deum uniri per modu
cum intellectu creato in ordine ad
eam intellectionem, ad quam ipſe Deu
curratetiam per modum ſpeciei intellig
reſpectu primæ intellectionis ſupernat
liberatæ, quam in negotio ſalutis elici
non habet rationem ſpeciei intelligibi
unitur in ratione luminis cum intellect
elevat per ſemetipſum in ordine ad

Digitized by Google

prædictam intellectionem. Conſequentia eſt legitima. Minor vero, præterquam quod admittitur ab Adverſariis, facile oſtenditur: quoniam nequit ſpecies intelligibilis uniri intellectui, quin eidem repræſentet objectum, quod in prædicta ſpecie immediate, directe, & primario relucet: ſed objectum quod primario, directe, & immediate relucet in Deo, ut habet rationem ſpeciei intelligibilis, eſt ipſe Deus, prout eſt in ſe, ut tradunt communiter Theologi *1. p. q. 12.* ergo non poteſt Deus uniri intellectui creato per modum ſpeciei intelligibilis, quin eidem repræſentet ſemetipſum, prout eſt in ſe: atqui intellectui noſtro in prima illa indeliberata, atque imperfecta intellectione, quæ inchoat ſalutis negotium, non repræſentatur Deus, prout eſt in ſe, ſed alio modo longe imperfectiori, ut ſatis ex ſe liquet: ergo Deus non habet rationem ſpeciei intelligibilis in ordine ad hujuſmodi intellectionem. Major autem probatur; quia lumen intellectivum diſtinctum realiter ab ſpecie intelligibili comparatur ad eam, & ad totum ordinem intelligibilem per modum puræ potentiæ; ſiquidem nullam formam prædicti ordinis actu includit, ſed eſt in potentia, ut per omnes determinetur: atqui Deus in nullo ordine poteſt comparari per modum puræ potentiæ; cum in omni ordine ſit actus purus: ergo Deus nequit habere rationem luminis intellectivi in ordine ad illam intellectionem, ad quam non concurrit per modum ſpeciei intelligibilis.

Confirmatur.

Confirmatur, & declaratur: quia lumen intellectivum, ſeu tenens ſe ex parte intellectus completur, & determinatur per ſpeciem intelligibilem ſe tenentem ex parte objecti, ut recte declarant. N. Complut. *in lib. de Anima diſp. 18. q. 5.* alias nulla eſſet ratio admittendi ſpecies intelligibiles: quod eſt contra communem Theologorum, & Philoſophorum ſententiam: atqui repugnat Deum in aliquo ordine compleri, & determinari per aliquid creatum; cum hujuſmodi denominationes eſſentialiter ſupponant imperfectionem in re, quæ co[m]pleri, & determinari dicitur: ergo repugnat Deum habere officium luminis intellectivi ad illam intellectionem, pro qua deſideratur ſpecies intelligibilis creata.

Complutenſ.

Primum effugium.

38. Nec refert, ſi reſpondeas primo nullam involvi imperfectionem in eo, quod Deus gerens vires luminis intellectivi dicatur determinari, & compleri per ſpeciem intelligibilem, aut etiam eſſe in potentia ad illam: quia per hujuſmodi locutiones (quæ metaphoricæ ſunt) non ſignificatur Deum in ſe ipſo compleri, determinari, aut ullum potentialitatis veſtigium habere, ſed tantum debere connotare concurſum alterius principij ad intellectionem deſiderati, nempe ſpeciei intelligibilis. Id autem non magis dedecet divinam perfectionem, quam connotare concurſum principij creati viventis, ut actionem vitalem valeat efficere: quod communiter Theologi admittunt. Præſertim quia cum ſpecies impreſſa non pertineat formaliter ad ordinem intellectivum, ſed ad intelligibilem; optime cohæret Deum per ſe ipſum ſupplere munus luminis intellectivi, & quod officium ſpeciei intelligibilis formæ creatæ demandet, quin ullam imperfectionem incurrat.

Præcluditur.

Hæc, inquam, reſponſio non ſatisfacit, ſed procedit ex non intelligentia noſtræ rationis: quoniam licet ordo intellectivus, & ordo intelligibilis diſtinguantur, & habeant munia ſatis diverſa: nihilominus ita inter ſe comparantur, ut ordo intellectivus diſtinctus ab ordine intelligibili neceſſario ſe habeat ad illum per modum potentiæ ulterius complebilis, & determinabilis: & conſequenter explicat imperfectionem Deo repugnantem. Sicut licet conceptus eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ ſint ſatis diverſi; tamen eſſentia realiter diſtincta à ſubſiſtentia neceſſario completur, & determinatur per illam: quia ſubſiſtentia ex genere ſuo neceſſario ſupponit eſſentiam, & eam ultimo complet, & determinat in linea ſubſtantiæ. Ergo quemadmodum non eſt intelligibile, quod Deus comparetur per modum eſſentiæ ad aliquam ſubſiſtentiam creatam, & quod per illam in aliquo vero ſenſu non determinetur: ita explicari nequit, quod Deus comparetur per modum luminis intellectivi in ordine ad aliquam ſpeciem intelligibilem creatam, & quod per illam aliquomodo non compleatur. Et ſicut illud prius ob imperfectionem ſibi indiſpenſabiliter annexam Deo repugnat; ita & hoc poſterius. Unde apparet manifeſta diſparitas inter caſum argumenti, & exemplum in ejus reſponſione allatum: nam quod Deus nequeat efficere actionem vitalem abſque connotatione alicujus principij creati ſimul influentis, non provenit ex eo, quod influxus, & concurſus Dei aliquomodo in ſuo genere compleatur per concurſum creaturæ: ſed quia actio vitalis eſſentialiter dependet à principio conjuncto, cui inhæret: eſt enim egreſſus non utcumque, ſed per modum dimanationis, & conjunctionis. Lumen autem intellectivum diſtinctum realiter ab ſpecie intelligibili manet in potentia, ut per ipſam ſpeciem intra proprium genus compleatur, & determinetur: nam prædicta ſpecies ſe habet ut ſemen objecti complens, & fœcundans fæminam intentionalem, nempe intellectum, & quæ ſe tenent ex parte ejus, cujuſmodi quodlibet lumen intellectivum.

Maior impugnatio.

Urgetur hoc amplius: etenim ex lumine intellectivo, & ſpecie intelligibili conſtituitur unieum principium adæquatum intellectionis, juxta illud commune proloquium, *Ab objecto, & potentia paritur notitia:* ergo neceſſarium eſt, quod lumen intellectivum, & ſpecies inter ſe uniantur, & quod comparentur ut extrema conſtituentia aliquod unum, nempe principium adæquatum intellectionis: ſed in hae comparatione ſpecies ſe habet ut forma ultimo complens, ut determinans alia principia, quæ ſupponit, nimirum intellectum, & lumen intellectivum: ergo hujuſmodi lumen comparatur ad ſpeciem intelligibilem ut quid potentiale, & ulterius complebile, & determinabile per ſpeciem. Et quidem non metaphoricè, ſed intra ordinem intentionalem: qui licet non ſit phyſicus, eſt tamen realis, & diſtinctus ab ente rationis. Deſumiturque hæc doctrina ex D. Th. *in 1. diſt. 35. q. art. 1. ad 3.* ubi inquit: *Oportet, quod hæc ſpecies, quæ eſt intellecta in actu, perficiat intellectum in potentia: ex quorum coniunctione efficitur unum perfectum, quod eſt intellectus in actu.* Cum ergo ſummæ Dei perfectioni repugnet comparari in aliquo ordine ut quid potentiale, & ulterius complebile, ac determinabile per aliud; ſequitur Deum non poſſe habere rationem luminis intellectivi in ordine ad illam intellectionem ad quam non concurrit per modum ſpeciei intelligibilis.

D. Thom.

Alia reſponſio.

40. Nec iterum refert, ſi ſecundo reſpondeas lumen intellectivum, & ſpeciem intelligibilem non comparari inter ſe per modum actus & potentiæ, ſed ut extrema pure identificabilia: non enim uniuntur intra proprium genus per inhærentiam, aut informationem; ſed per ſimplicem identitatem, ut diximus *Tract. 3. diſp. 1. dub. 1.* Unde ſicut ob hanc rationem non repugnat, quod Deus ut habet rationem ſpeciei intelligibilis, uniatur cum lumine intellectus creato, licet ipſum non

n actuet, vel informet, ut explicuimus *tract. 2.* *p. 2. dub. 2.* ſic etiam ut habens rationem lumi- s intellectivi poterit uniri cum ſpecie intelligi- li creata, quamvis per ipſam non actuetur, vel formetur. Utrumque enim Deo repugnat, & tuare, & actuari: & ſi poteſt uniri in ratione ciei, quin actuet; pariter poterit uniri i tione luminis, quin actuetur: id quippe parita s ratio convincit.

Hæc, inquam, evaſio facile præcluditur. *Primo* ia identitas, quam lumen intellectivum, & ſpe ies intelligibilis habent in eſſe repræſentativ on excludit quidem diſtinctionem virtualem mmo nec diſtinctionem realem potentialem, ſe m neceſſario permittit, & conſervet, ut diximu co citato ex *Tract. 3. num. 95.* Non enim i minntur, ut prædicata eſſentialia luminis fian rædicata quidditativa ſpeciei, aut è converſo: ſe tinent impermixtas, & inconfuſas ſuas ratione rmales. Et conſequenter ita uniuntur per identi tem, ut nihilominus lumen intellectivum ſit e quid potentiale, & determinabile per ſpeciem non pertingat ad ultimam actualitatem generi ntellectivi adæquate ſumpti, prout nimirum am it ea, quæ ſe tenent tam ex parte principij, quam x parte objecti: ſpecies autem intelligibilis è con erſo ſupponit lumen intellectivum, & ultim llud complet, ac determinat in ratione principi Quamobrem licet identitas inter lumen, & ſpeciei n eſſe repræſentativo excludat ab ſpecie, quod ntra hunc ordinem forma actu realiter informan (qua de cauſa per unionem ad lumen non limita tur) nihilominus eſt forma virtualiter informan quatenus per conjunctionem identicam cum lu mine ipſum complet, actuat, & determinat ta quam extremum ex ſe potentiale, & determinab le, & per ſpeciem actuatum, & determinatum. Deo autem non ſolum repugnat determinari, vel actua ri in ordine phyſico, & per actualem, ſeu forma lem informationem; ſed etiam in ordine repræ ſentativo, & per informationem æquivalentem, & virtualem: nam in utroque eſt actus purus per nihil à ſe diſtinctum complebilis, aut de terminabilis.

Secundò, & principaliter: quia quamvis ſpe- cies intelligibilis ex genere ſuo non petat uniri per inhærentiam, aut informationem, ſed poſſit, & debet intra ordinem repræſentativum cum præciſione acceptum uniri intellectui per identi- tatem: nihilominus ſpecies intelligibilis, quæ eſt accidens, antequam intelligatur uniri in eſſe re- præſentativo, & exercere munera propria ſpeciei, debet indiſpenſabiliter uniri lumini intellectivo in eſſe naturali, ipſumque aliquomodo efficere, ut explicuimus *loco citato num. 77.* ſpecies autem in- telligibilis primæ cognitioni ſupernaturali deſer- viens eſt vere accidens, ut ſatis ex ſe liquet, & Adverſarij admittunt. Unde non poteſt uniri lu- mini intellectivo, quin ipſum indiſpenſabiliter, quin de materiali, actuet, & afficiat in eſſe phy- ſico: & conſequenter, quin prædictum lumen comparetur ad eam tanquam quid potentiale, & ulterius determinabile. Ex quibus liquido conſtat ad exemplum contra hanc doctrinam adductum: nam cum ſpecies ex genere ſuo dicat perfectio- nem, & ſi fuerit actus purus per ſe ſubſiſtens, cu- juſmodi eſt eſſentia divina, queat intellectui per identitatem uniri abſque ulla phyſica informatio- ne, vel inhærentia: propterea poteſt Deus uniri lumini intellectivo creato per modum ſpeciei in- telligibilis, quin ullam imperfectionem incurrat: actuare enim, aut etiam informare pure in-

telligibiliter nulla imperfectio eſt; ſed potius arguit infinitam actualitatem. E converſo vero cum lumen intellectivum diſtinctum realiter ab ſpecie intelligibili debeat actuari, & compleri per illam, ut conſtat ex dictis: quæ indigentia (in quocumque ordine ſit) præſefert non levem imperfectionem: & rurſus cum ſpecies, quæ eſt accidens, debeat neceſſario lumen intellectivum phyſice afficere: idcirco repugnat Deum uniri cum ſpecie accidentali per modum luminis intellectivi, ſive, & in idem redit, implicat, quod Deus per modum luminis influat in illam ſaltem intellectionem ad quam concurrit ſpecies creata.

41. Nec tandem refert, ſi ultimo reſpondeas, quod licet ſpecies debeat complere lumen intellectivum, ipſumque determinare, aut aliquo modo etiam informare; nihilominus hujuſmodi imperfectiones non debent refundi in Deum unitum per modum luminis, ſed ſolum in intelligibilem creatum: ſufficit enim ſpeciem intelligibilem exercere ſuam cauſalitatem ſive inhærentiæ, ſive determinationis erga intellectum; nec opus eſt, quod illam explicet reſpectu cujuſcumque luminis, aut comprincipij. Sicut etiam intellectio eſt ultima actualitas tam in linea intellectiva, quam intelligibili: comparatur enim ad utramque per modum exiſtentiæ, ut diximus *Tract. 4. diſp. 1. dub. 2. num. 21.* & tamen quando ſpecies intelligibilis eſt ipſa eſſentia divina unita intellectui, ut contingit in viſione beatifica; tunc intellectio non exercet munus exiſtentiæ reſpectu ſpeciei, ſed tantum reſpectu intellectus creati, ut explicuimus *Tract. 3. diſp. 1. dub. 2. num. 105.* Pariter ergo fieri poteſt, quod licet ſpecies intelligibilis ex genere ſuo actuet lumen intellectivum: nihilominus quando pars luminis, ut ſic dicamus, eſt ipſe Deus, ſicut in caſu dubij contingeret, tunc ſpecies non actuat utrumque lumen, ſed dumtaxat lumen creatum, videlicet intellectum. Sic etiam, ut alio exemplo utamur, quamvis in probabili aliquorum opinione ſubſiſtentia creata non ſolum compleat naturam, ut ſit principium operandi, ſed etiam recipiat ipſas operationes: tamen cum ſubſiſtentia eſt divina, ut accidit in Christo Domino, tunc quidem complet naturam, munus tamen recipiendi non exercet; ſed operatio adæquate in natura recipitur, quin ulla imperfectio in ſubſiſtentiam refundatur.

Hæc, inquam, reſponſio non ſatisfacit; ſed refellitur ex dictis: tum quia totus ordo intellectivus adæquate ſumptus, cum diſtinguitur realiter ab ordine intelligibili, eſt impotentia ad hunc ordinem, debetque per ipſum ultimo compleri, & determinari: ergo ſpecies intelligibilis exercet munus actus, & formæ non ſolum reſpectu hujus, aut alterius luminis partialis; ſed etiam reſpectu luminis adæquate accepti: & conſequenter ſi Deus unitur intellectui noſtro in ordine ad intellectionem, ad quam concurrit ſpecies creata, nequit non actuationi, & informationi prædictæ ſpeciei, ſaltem in ordine intentionali ſubſterni. Tum etiam quia ſpecies intelligibilis illud præcipue lumen determinat, & complet, quod præſtat potentiam proximam ad attingendum objectum in prædicta ſpecie repræſentatum: in hoc quippe conſiſtit determinatio, & complementum ſpeciei, quod nimirum aliquod objectum lumini proxime intellectivo offerat, & præſentet: ſed ſi Deus uniretur per modum luminis, præſtaret potentiam proximam intellectui ad attingendum objectum ſupernaturale, quod in

Digitized by Google

in ſpeciebus relucet (ſuppleret enim munus hujus poteſtatis proximæ, qua caret intellectus) ergo ſpecies creata præcipuè compleret, & determinaret Deum unitum in ratione luminis. Tum etiam quia ſi ex lumine intellectivo, & ſpecie intelligibili deberet fieri unicum principium adæquatum intellectionis, ut ſupra vidimus; illud præcipuè lumen debet comparari per modum extremi in prædicta principij conſtitutione, quod habet principalius in intellectionem influere: ſed ſi Deus uniretur in ratione luminis intellectivi, haberet præcipuam luminis rationem: ergo Deus compararetur cum ſpecie per modum extremi ipſi unibilis. Conſtat autem in hac comparatione, & conſtitutione principij ſpeciem ſe habere per modum actus, & formæ, ut ſatis evincit communis modus concipiendi: ergo Deus non poſſet ſubterfugere rationem potentiæ complebilis, & determinabilis, ſaltem in ordine repræſentativo.

Exempla adducta non probant. 45. Exempla autem in contrarium adducta nihil probant. Non quidem *primum*: quia primarius effectus intellectionis creatæ non eſt exiſtere, ſed unire vitaliter actualiter intelligentem cum objecto: conſequenter autem tribuit exiſtentiam iis, quæ ſupponuntur non exiſtere in ordine repræſentativo, quatenus ea perducit ad ultimam hujus ordinis actualitatem: & hac ratione intellectio dicitur exiſtentia cùm intellectus, & luminis intellectivi, cùm etiam ſpeciei intelligibilis creatæ. Quando vero ſpecies intelligibilis eſt divina, ſupponitur exiſtens non ſolum in eſſe phyſico, ſed etiam in ordine intentionali (quia videlicet exiſtit formaliter in ordine divino, & continet eminenter quamcumque exiſtentiam creatam) tunc nullo modo habet ab intellectione creata exiſtere; ſed tantum comparatur ad eam per modum principij purè effectivi, aut etiam per modum cauſæ formalis ſpecificativæ extrinſecæ. Hæc quippè munia pertinent indiſpenſabiliter ad ſpeciem, non vero actuari, vel exiſtere per intellectionem alienam: præſertim cum exercet munus formaliſſimum ſpeciei, ſeclufis imperfectionibus, ut explicuimus *Tract. 2. diſp. 2. dub. 2. num. 59.* Cæterum effectus, aut quaſi effectus formalis primarius ſpeciei intelligibilis, à quo ſeparari non valet, eſt complere, actuare, & determinare lumen intellectivum proximum, & ſubinde habere rationem actus, & formæ reſpectu illius. Unde nequit Deus uniri per modum luminis cum ſpecie creata, quin per ipſam actuetur, & determinetur ſaltem in eſſe repræſentativo, ut conſtat ex dictis. Nec etiam *ſecundum exemplum* urget: tum quia multo probabilius eſt ſubſiſtentiam creatam non recipere immediatè operationem, ſed ſolum complere naturam, ut ſit ſubjectum, in quo adæquatè operatio recipiatur. Tum quia eſto ſubſiſtentia creata concurreret immediatè ad recipiendum; primarius tamen ejus effectus non eſt recipere, ſed complere, & ultimo terminare naturam intra genus ſubſtantiæ nominaliter ſumptæ. Unde ſubſiſtentia divina, ſi creatam ſuppleat, optimè valet præſtare hoc poſterius munus, quamvis illud prius non communicet ob annexam imperfectionem. Species autem creata nullo modo poteſt uniri lumini increato, niſi ipſum aliquomodo actuet, & determinet, ut hactenus oſtenſum eſt.

43. Objicies *primo*: nam ſpecies non cõplet, & determinat habitum; ſiquidem multoties habitus *Obiectiones.* acquiritur, vel infunditur poſt ſpecies, eaſque ſupponit: & tamen habitus habet rationem luminis intellectivi, & ſe tenet ex parte intellectus: ergo falſum eſt, quod ſpecies debeat complere, & actuare lumen intellectivum. *Secundo*: quando ſpecies intelligibilis eſt naturalis, & lumen intellectivum eſt ſupernaturale, lumen elevat ſpeciem, & influit immediatè in intellectionem, ut diximus *dub. præced. num. 35.* ſed id, quod aliud elevat per modum virtutis immediatè operativæ, ſe habet ut forma, complementum alterius, & non è contra, ut ſatis ex ſe liquet: ergo ſpecies naturalis non complet, actuat, vel determinat lumen ſupernaturale; cum ergo Deus uniatur intellectui loco ſupernaturalis luminis; ſequitur, quod nullo modo compleatur, & determinetur per ſpeciem naturalem: qualem eſſe ſpeciem, quæ primæ intellectioni ſupernaturali deſervit, admiſimus *loco citato*.

Reſpondetur primæ objectioni negando ma- *Occurritur primæ.* jorem. Ad cujus primam probationem dicendum eſt, nihil referre ad hoc, quod ſpecies compleat, & determinet habitum, quod ſupponatur ad ipſum, ſi ſemel ex genere ſuo ſe habet ut forma in ordine intentionali, ut hactenus diximus. Semper enim habitus, & quodlibet lumen intellectivum eſt extremum ulterius complebile, & determinabile per ſpeciem, & hoc pacto ingreditur conſtitutionem principij adæquati intelligendi. Unde ſicut materia prima acquiſita per nutritionem ſupponit formam ejus, qui nutritur: & nihilominus, quia ex genere ſuo eſt potentia actuabilis per formam, actuatur reipſa per formam, quam in executione ſupponit: ita proportionabiliter habitus intellectivus completur, & determinatur per ſpecies, licet ad eaſdem in exercitio conſequatur. Quod licet verificetur in omni habitu, multo magis cernitur in habitu ſupernaturali: hic enim habet indolem potentiæ, cum communicet intellectui poſſe proximum ad eliciendum ſupernaturalem intellectionem, & conſtituat ipſum in ratione proximè determinabilis vel per ſpecies ſupernaturales, vel per ſpecies naturales ut ſupernaturaliter coordinatas, ut in noſtro caſu contingit: quamobrem opus eſt, ut prædictus habitus per eaſdem ſpecies aliquomodo compleatur.

Ad ſecundam reſpondemus ex dictis *num. 35.* *Solvitur ſecunda.* ſpeciem intelligibilem duo munera exercere, alterum principij effectivi reſpectu intellectionis, alterum vero cauſæ formalis complentis, & determinantis lumen intellectivum. Ex quibus illud primum non exercet indiſpenſabiliter immediatè per ſeipſam, ſed poteſt illud præſtare media alia virtute ſibi ſuperaddita. Poſterius autem nequit non per ſemetipſam immediatè exercere; ſiquidem per ſemetipſam unit objectum cum intellectu, & lumine intellectivo: & hoc pacto prædictum lumen determinat, & intentionaliter actuat. Quamvis ergo ſpecies intelligibilis naturalis in ratione principij effectivi actuetur, & elevetur per lumen ſupernaturale: nihilominus in ratione formæ intelligibilis actuat, & determinat lumen intellectivum. Et conſequenter ſi Deus ſub munere luminis intellectivi uniretur cum ſpecie intelligibili creata, ità elevaret, & actuaret ipſam in ratione principij efficientis, quod ſimul compleretur, & actuaretur per eam, ut habet rationem formæ intelligibilis. Cumque hoc poſterius nequeat Deo convenire; ideo abſolutè repugnat Deum per modum luminis uniri cum aliqua ſpecie creata.

Digitized by Google

§. II.

Eadem concluſio alia ratione munitur.

Secundum motivum veræ ſententiæ.

44. Ut ſecundum veræ ſententiæ fundamentum proponamus, recolenda ſunt, quæ *dub. præced.* ſtatuimus, nempè auxilium, quo intellectus adjuvatur, & elevatur ad eliciendam primam ſupernaturalem operationem, non conſiſtere in ſolo concurſu Dei ſimultaneo; ſed importare aliquid prævium, & ſe tenens ex parte principij creati. Quibus ſuppoſitis, probatur concluſio: quoniam intellectus medio auxilio, quo adjuvatur, & elevatur ad ſupernaturaliter operandum, tranſit de non eſſe proximè potentem ad eſſe proximè potentem elicere operationem ſupernaturalem: ſed hic tranſitus nequit fieri per ſolam ſubordinationem ad Deum, ut intimè aſſiſtentem intellectui: ergo prædictum auxilium non conſiſtit formaliter in Deo ut aſſiſtente intellectui, eumque ſibi ſubordinate. Probatur minor: quia intellectus cum tranſit de non eſſe proximè potentem ad eſſe proximè potentem, intrinſecè mutatur; ſiquidem aliter ſe habet nunc, ac antea ſe habebat: ſed ſubordinatio ad Deum eſt quid extrinſecum, & nihil de novo ponit in intellectu: ergo hujuſmodi tranſitus fieri nequit per prædictam ſubordinationem.

Prima reſponſio.

45. Reſpondent primò Adverſarij negando minorem. Ad cujus probationem dicunt intellectum tranſire de non eſſe potentem proximè ad eſſe proximè potentem elicere intellectionem ſupernaturalem abſque intrinſeca mutatione, aut alicujus novæ realitatis receptione; ſed per ſolam connotationem Dei ſibi intrinſecè aſſiſtentis, & ſpecialiter uniti in ratione principij. Frequenter enim ad novam denominationem non requiritur nova forma denominans, ſed ſufficit forma antiqua connotando de novo aliquid extrinſecum. Sic enim in communi Thomiſtarum opinione pater tranſit de non eſſe relatum ad ſecundum filium ad eſſe relatum abſque intrinſeca mutatione, vel additione relationis novæ, ſed per ſolam connotationem novi termini, videlicet filij ſecundi. Et ſimiliter ſpecies Angelica, quæ ante non repræſentabat actu aliquod individuum, queit fieri actu repræſentans abſque additione, vel mutatione intrinſeca, ſed per ſolam connotationem prædicti individui ut actu exiſtentis in rerum natura. Idemque aliis pluribus exemplis explicari poſſet. Sic ergo intellectus prius impotens elicere operationem fit actu potens abſque mutatione intrinſeca, per hoc, quod connotat Deum ſibi de novo aſſiſtentem, & ſibi ſpecialiter unitum in ratione principij.

Impugnatur.

Sed contra arguitur explicando vim rationis ſuperius factæ: quoniam licet aliquod extremum valeat ſubire novam denominationem intrinſecam abſque intrinſeca ſui mutatione; implicat tamen, quod detur denominatio realis nova abſque mutatione alicujus extremi, vel connotati: rebus enim eodem prorſus modo ſe habentibus nunc, ac antea ſe habebant, non adeſt ullum fundamentum ad novam denominationem, ut conſideranti conſtabit, & ſatis liquet ex ipſis exemplis, quæ nobis objiciuntur: quamvis enim non detur mutatio intrinſeca ex parte patris, aut ſpeciei Angelicæ; adeſt tamen ex parte termini, vel objecti. At ſic eſt, quod in caſu noſtro nulla adeſt mutatio ex parte Dei, ut ex ſe liquet; nec ex parte intellectus, ut hæc ſolutio admittit. Ergo impoſſibile eſt, quod intellectus ex vi hujus extrinſecæ ſubordinationis tranſeat de non eſſe potens ad eſſe potentem elicere ſupernaturalem operationem. Deſumiturque hæc ratio ex D. Thom. in 2. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *art.* 1. ubi hæc habet. *Similiter ſi accipiatur gratia donum gratis datum, oportet, quod aliquid creatum intelligatur: eſt enim quoddam donum gratis datum, quod quidem increatum eſt, ſcilicet Spiritus ſanctus. Sed quod hoc donum nunc habeatur, cum prius non haberetur, hoc non ex ſui mutatione contingit, ſed ex mutatione eius, cui datur. Unde oportet, quod ex hoc ipſo, quod Spiritus ſanctus alicui datur, aliquid ipſi creaturæ accreſcat, quod prius non habebat, ſecundum cuius adeptionem Spiritum ſanctum habere dicitur. Unde gratia qualitercumque ſignificetur, oſtendit aliquid creatum in anima eſſe, quod gratis datur.*

D. Thom.

Urgetur impugnatio.

46. Confirmatur primo aperiendo diſcrimen inter exempla, quæ nobis opponuntur, & caſum noſtri argumenti: etenim licet forma antiqua queat, connotando aliquid extrinſecum, communicare novam intrinſecam denominationem; nihilominus prædicta denominatio debet eſſe juxta conditionem ipſius formæ, & ejus naturæ, ac virtuti ſeſe accommodare. Unde forma abſoluta nequit communicare denominationem formaliter relativam; nec relatio valet præſtare denominationem formaliter abſolutam; nec accidens poteſt conferre denominationem formaliter ſubſtantialem. Et ratio generalis eſt: quia denominatio intrinſeca ſe habet ut effectus formalis formæ: effectus autem formalis, ſi ſit primarius, eſt ipſa forma communicata ſubjecto; ſi vero fuerit ſecundarius, debet primario communicari: quamobrem opus eſt, quod denominatio intrinſeca ſit juxta conditionem formæ, à qua communicatur. Ex quibus fit, quod ad denominationem formaliter ſupernaturalem requiritur forma, quæ formaliter, & in recto ſit ſupernaturalis, & quod non ſufficiat forma naturalis ſupernaturalem terminum cõnotans. Atqui intellectus noſter, ſecluſa omni realitate intrinſeca informante, vel inhærente, non eſt forma formaliter ſupernaturalis. Ergo repugnat, quod intellectus conferat hujuſmodi denominationem; ſive, quod ita denominetur à ſemetipſo; quantumvis connotet Deum ſpecialiter ſibi aſſiſtentem in ratione principij.

Maior reſponſionis everſio.

Confirmatur ſecundo evertendo hujus reſponſionis motivum: nam, eſto poſſet intellectus elevari per ſubordinationem ad Deum ſibi unitum in ratione principij; repugnat tamen intellectum ſic ſubordinari abſque intrinſeca mutatione: ergo primum auxilium elevans intellectum ad ſupernaturaliter operandum importat aliquid intellectui intrinſecum per modum informantis, vel inhærentis. Conſequentia conſtat. Antecedens autem ſuadetur: quia intellectum ſpecialiter ſubordinari Deo importat ſpecialem relationem intellectus ad ipſum Deum, quæ non convenit generaliter omnibus rebus, in quibus exiſtit Deus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: ſed omnis relatio nova conſurgit ex mutatione fundamenti, vel termini; & in præſenti non adeſt ulla mutatio ex parte termini, qui eſt Deus, ut ſatis ex ſe liquet: ergo datur prædicta mutatio ex parte fundamenti, nempè ex parte intellectus. Quæ mutatio non conſiſtit formaliter in receptione ipſius relationis; ſed in receptione alicujus abſoluti, quod eſt ratio formalis fundandi proximè relationem & quod appellamus auxilium intrinſecum. Et conſequenter complicatoriè aſſeritur

intelle

intellectum ſine ulla intrinſeca mutatione, ſed per ſolum ſubordinationem ad Deum fieri potentem ad ſupernaturaliter operandum: nam ipſa ſpecialis ſubordinatio importat eſſentialiter mutationem.

Aliud effugium.

47. Secundo reſpondent alij concedendo neceſſariam eſſe mutationem alicujus extremi, ſeu poſitionem novi connotati, ut intellectus de novo dicatur potens ſupernaturaliter operari: hoc autem connotatum dicunt conſiſtere in ipſa operatione ſupernaturali, quæ ſubſequitur: nam per reſpectum ad ipſam poteſt dici, quod Deus ſpecialiter aſſiſtit intellectui, & quod hic ſpecialiter Deo ſubordinatur; quamvis neuter intrinſecè mutetur.

Præcluditur multipliciter.

Sed hoc facile refellitur: *Primo* quia intellectus antecedenter ad omnem operationem fit proximè potens in actu primo ad ſupernaturaliter operandum: ſed hæc denominatio nova ſupponit neceſſariò mutationem alicujus extremi, ut hactenus oſtenſum eſt: ergo prædicta denominatio petit mutationem diſtinctam ab operatione. *Secundo* quia antecedenter ad operationem dantur omnia requiſita, ut intellectus ſit potens in actu primo prædictam operationem elicere; ſiquidem actus primus adæquatè acceptus præſupponitur ad actum ſecundum: ergo connotatum vel mutatio requiſita ad prædictam denominationem nequit in ipſa operatione conſiſtere: alias operatio præcederet realiter ſeipſam, quod eſt impoſſibile. *Tertio*, & urgentius, quia fieri poteſt, ut intellectus ſit potens in actu primo elicere ſupernaturalem operationem, & quod nulla operatio ſequatur; ſiquidem omnis actus primus eſt ſeparabilis, ſaltem per divinam potentiam ab actu ſecundo: ergo connotatum, vel mutatio requiſita, ut intellectus dicatur de novo potens ad ſupernaturaliter operandum, non conſiſtit formaliter in prædicta operatione. *Quarto* quia id, quod vel in recto, vel in obliquo intrat conſtitutionem auxilij requiſiti ad aliquam operationem, nequit in ipſa operatione conſiſtere, ut ſatis liquet ex dictis *dub. præced.* ergo connotatum deſideratum, ut Deus dicatur unitus intellectui in ratione principij, & auxilij non poteſt eſſe operatio, pro qua eſt neceſſarium prædictum auxilium.

Ultima reſponſio.

48. Denique occurrunt alij rationi noſtræ dicendo mutationem deſideratam, ut intellectus ſubeat illam novam denominationem vel ſubordinati, vel adjuti, vel potentis in actu primo, eſſe mutationem temporis. Nam ſi Deus, inquiunt, ſtatuit ab æterno communicare ſe intellectui per modum principij, vel auxilij ad ſupernaturaliter operandum pro hac determinata duratione *A*, hoc ipſo, quod adveniat prædicta duratio *A*, adeſt ſufficiens mutatio, & connotatum extrinſecum, ut Deus denominetur unitus intellectui, & hic dicatur Deo ſpecialiter ſubordinatus, quamvis nullam patiantur intrinſecam mutationem.

Refellitur.

Sed nec hæc reſponſio ſatisfacit, ſed facile confutatur ex dictis. Tum quia fieri poteſt, ut intellectus adjuvetur, & elevetur ad ſupernaturalem operationem, & quod nulla adſit mutatio ex parte temporis: idque contingeret caſu, quo Deus nihil aliud produxiſſet niſi unicum Angelum, vel animam rationalem: ergo vane recurritur ad mutationem temporis, ut explicetur, qualiter intellectus fiat de novo potens ſupernaturaliter operari abſque intrinſeca ſui mutatione. Quod argumentum urgentius debet premere Adverſarios, qui communiter aſſerunt tempus non diſtingui realiter à rebus durantibus, ut videre eſt apud N. Complut. *in lib. Phyſic. diſput. 21. quæſt. 3.* atque ideo nequeunt aſſignare variationem realem ex parte temporis, niſi eam prius aſſignaverint ex parte rerum, quæ durant: ſupponimus autem hujuſmodi res eſſe ſolam animam rationalem cum ſuis potentiis, & elevari ad primum actum ſimpliciter. Tum etiam quia fieri poteſt, quod intra eamdem prorſus durationem intellectus unius hominis elevetur, & intellectus alterius non elevetur: ergo aſſignanda eſt aliqua ſpecialis mutatio, ratione cujus dicatur unus homo ſpecialiter elevari: ſed hæc non eſt mutatio temporis; ſiquidem tempus, ut ſupponimus, æqualiter ſe habet ad utrumque: ergo vane fit recurſus ad prædictam variationem. Nec ſatis eſt dicere, quod unus ex his hominibus connotat ſpeciale decretum Dei ſtatuentis ipſum pro tali duratione adjuvare: nam divinum decretum, ſeu actus liber Dei importat in obliquo aliquod connotatum ſe tenens ex parte creaturæ: atqui omnia, quæ ex parte illorum hominum concurrunt, tam intrinſeca, quam extrinſeca, ſupponuntur æqualia: ergo non adeſt fundamentum, ut dicamus Deum habere decretum circa unum hominem, & non circa alium, vel quod uni communicatur; in ratione principij, & non alteri; niſi dicamus, quod uni confert auxilium aliquod intrinſecum, ut inhærens quod alteri non communicat, ut §. *ſeq.* dicemus.

Complut.

Roboratur impugnatio.

Ad hæc: mutatio requiſita, ut intellectus de ſe impotens elicere operationem ſupernaturalem fiat actu potens, debet aliquid conferre ad prædictam denominationem, & effectum: alias perinde ſe haberet, ac ſi nullo modo eſſet, ut ſatis ex ſe conſtat: atqui mutatio temporis eſt prorſus impotens ad hujuſmodi denominationem: ergo mutatio requiſita, ut intellectus ſubeat prædictam denominationem, nequit conſiſtere in ſola temporis variatione. Probatur minor: quia per hoc, quod dicimus *intellectum fieri de novo potentem, &c.* ſignificamus, quod intellectus incipit continere phyſicè formaliter, virtualiter, aut eminenter operationem, quam antea actu proximè non continebat: ſed ad hujus phyſicam continentiam impertinens prorſus eſt, quod adſit hæc, vel illa duratio; cum continentia phyſica non fundetur in circumſtantiis extrinſecè occurrentibus; ſed in aliquo eſſe, & perfectione intrinſeca: nam quanto unumquodque nobilius eſſe habet, tanto plura, & perfectiora continet: ergo variatio temporis impertinenter prorſus ſe habet ad prædictas denominationes. Per quod obiter excluſa manent aliqua exempla, quæ nobis objici poſſent: procedunt enim in legum duratione, abrogatione, diſpenſatione, aut aliis prædicatis moralibus, quæ dependere valent ex circunſtantiis extrinſecis, inter quas tempus merito computatur. De quo latius dicemus *in Tractat. de Juſtificat. diſputatione 2. num. 157.*

Objectio.

49. Sed oppones: nam in opinione probabili, quæ pluribus Thomiſtis arridet, humanitas Chriſti Domini unitur Verbo divino abſque modo unionis, vel alia realitate intrinſeca ipſi humanitati intrinſecè ſuperaddita: & tamen humanitatem eſſe unitam Verbo eſt denominatio realis nova, & intrinſeca: ergo dicendum eſt vel non requiri aliquam mutationem realem, ut detur nova denominatio realis intrinſeca, vel ſufficere mutationem temporis.

Confirmatio.

Et confirmatur: nam intellectum lumine gloriæ perfuſum uniri eſſentiæ divinæ tanquam ſpeciei eſt nova denominatio realis intrinſeca: & nihil

Digitized by Google

nihilominus non expoſcit mutationem realem ex parte intellectus; ſiquidem abſque modo unionis ſibi ſuperaddito fit idem intelligibiliter cum ipſa ſpecie; nec ex parte prædictæ ſpeciei, ut ex ſe liquet: ergo idem, quod prius.

Objectioni ſatisfit. Ad objectionem reſpondemus multò probabilius eſſe, quod humanitas Chriſti unitur Verbo divino per modum quendam unionis ſubſtantialis ſibi intrinſecè ſuperadditum, ut inſinuant N. Complut. *in lib. Phyſic. diſp. 6. quæſt. 2. num. 33.* & ex profeſſo oſtendemus *in tract. de Incarnatione.* Videatur interim Godoy *tom. 1. in 3. part. tract. 2. diſp. 11.* ubi hanc partem egregiè propugnat. Et fundamentum ad ita aſſerendum eſt idemmet, quod in præſenti expendimus, nimirum non poſſe dari novam denominationem realem intrinſecam abſque mutatione reali, ſaltem alicujus extremi, vel connotati ſe habentis per ſe ad prædictam denominationem. Unde objectio facta in Adverſarios retorquenda eſt: confirmat enim doctrinam hactenus traditam. Thomiſtæ vero, quibus oppoſitus dicendi modus magis probatur, haud obſcuram tradunt rationem diſparitatis: nam licet humanitatem eſſe actu unitam ſit nova denominatio realis, & humanitas non immutetur per modum ſubſtantialem ſibi de novo ſuperadditum; immutatur tamen ſufficienter pro qualitate prædictæ denominationis. Etenim humanitatem eſſe verbo unitam non denotat, quod verbum uniatur humanitati per modum formæ, ſed ſolum per modum termini: ad immutandum autem prædicto modo humanitatem ſufficit ipſum verbum humanitatem per ſemetipſum intrinſecè, & ſubſtantialiter terminans: nam eo ipſo humanitas intrinſecam patitur alietatem, & tranſit de non eſſe actu unitam ad eſſe unitam in actu: non quidem mutatione rigoroſa, quæ eſt actus potentiæ receptivæ, ſed mutatione denominationi proportionata, ratione terminabilitatis paſſivæ. Id vero minimè contingit in noſtro caſu: nam ratio auxilij elevantis, & adjuvantis non ſe habet per modum termini ſubſtantialis; ſed magis ſignificat unionem per modum formæ in eſſe phyſico. Quare cum Deus non poſſit hoc poſteriori modo uniri intellectui, ut ipſi Adverſarij admittunt; immutatio illa realis, quæ ad novam denominationem deſideratur, nequit in communicatione divinæ eſſentiæ per modum formæ conſiſtere. Uniri autem Deo, vel potius ipſi ſubordinari tanquam agenti, non importat ullam intellectus mutationem, quæ ab ipſo Deo immediatè, & formaliter proveniat; ſiquidem Deus ſub munere principij efficientis ſe habet extrinſecè. Unde obligamur diſtinctam mutationem in intellectu admittere, illamque conſtituere in impreſſione alicujus formæ, vel realitatis creatæ, ut poſtea dicemus.

Diluitur confirmatio. Per quod poſſet confirmationi occurri: nam intellectum eſſe unitum actu divinæ eſſentiæ in ratione formæ intelligibilis eſt denominatio nova de ordine intelligibili, pro qua ſufficit immutatio intra prædictum ordinem: ad hanc autem immutationem ſufficit, quod ipſa eſſentia divina uniatur per modum formæ intelligibilis, non quidem inhærendo, vel informando, ſed transformando intellectum, in ſemetipſam per actualem identitatem, ut explicuimus *Tractat. 3. diſput. 2. dub. 2.*

Abſolutè tamen reſpondendum eſt intellectum denominari intrinſecè unitum divinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis, mediâ mutatione phyſica, & intrinſeca ejuſdem intellectus per receptionem luminis gloriæ: nam eadem actio, quæ communicat intellectui prædictum lumen, annectit ipſi abſque nova actione ſpeciem intelligibilem increatam, quin requiratur diſtincta actio, vel unio. Et ratio eſt: quoniam divina eſſentia ſemper, quantum eſt de ſe, communicatur intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis; ſiquidem repræſentat ſuum objectum per modum actus puriſſimi. Nequit autem actu communicari intellectui non elevato per lumen gloriæ ob ejus improportionem. Et ideo hoc ipſo, quod intellectus prædicto lumine elevetur, manet actu unitus divinæ eſſentiæ, ut in ratione ſpeciei intelligibilis: ita quidem, ut licet poſito hujuſmodi lumine, fieri poſſit divinitus, ut non ſubſequatur viſio; unio tamen ad ſpeciem in actu per nullam potentiam impediri queat. Videantur, quæ diximus *Tract. 2. diſp. 2. dub. num. 63.*

§. III.

Statuitur ſecunda concluſio, & auctoritate atque ratione probatur.

50. Dicendum eſt ſecundo primum auxilium intrinſecum gratiæ actualis elevantis intellectum ad eliciendum primam operationem ſupernaturalem conſiſtere formaliter in qualitate quadam ſupernaturali fluida, & communicata ad inſtar motus, & per modum tranſeuntis. *Secunda conclusio.* Hanc concluſionem docent communiter omnes Thomiſtæ: quamvis enim nonnullum reperiatur diſſidium inter illos in explicando, quid ſit illud intrinſecum accidentale, & inhærens, quod ſuperadditur intellectui, ut fiat proximè potens ad ſupernaturaliter operandum (quibuſdam aſſerentibus eſſe motum, quibuſdam vero eſſe qualitatem) differentia autem potius conſiſtit in vocibus, quam in re: & argumenta utriuſque partis, ſi rectè perpendantur, concludunt eſſe qualitatem ſe habentem per modum motus, & tranſeuntis. Id autem, quod præcipuè in aſſertione intendimus, nempè divinum auxilium eſſe formam accidentalem intellectui de novo impreſſam, & inhærentem, eſt adeo commune inter Thomiſtas, ut ſuperfluum ſit aliquem in particulari referre. Videantur tamen Joan. Gonzalez *1. part. diſp. 58. ſect. 3. §. Dico tertio,* Navarrete *1. part. quæſt. 19. controverſ. 13.* cum ſequentibus, Araux *ſupra quæſt. 110. art. 2. in comment. & in hac quæſt. 111. art. 5. dub. 2. num.* 25. ubi etiam refert Albertum, Bonaventuram, Antoninum, Durandum, & alios. *Ioan. Gonz. Navarret. Araux. Albertus. Bonavent. Antonin. Durandus.*

51. Et in hoc ſenſu probatur concluſio auctoritate D. Thomæ: nam S. Doctor frequenter tradit ad eliciendum actum ſupernaturalem neceſſarium eſſe aliquod lumen creatum elevans intellectum: ſed hoc lumen ſecundum eumdem Angelicum Præceptorem, cum abſunt habitus, communicatur per modum cujuſdam motus, vel paſſionis tranſeuntis: ergo cum in caſu præſentis dubij homo non ſupponatur præditus habitibus ſupernaturalibus, & debeat in prædictum actum ſupernaturalem prorumpere, ſequitur, quod juxta D. Thomæ doctrinam elevandus ſit aliquo lumine collato per modum tranſeuntis. Conſequentia eſt legitima, & utraque præmiſſa habetur expreſsè apud D. Thom. *pluribus in locis,* & præcipuè *2. 2. quæſt. 171. art. 2.* ubi hæc habet: *Dicendum, quod ſicut Apoſtolus dicit ad Epheſ. 5. Omne, quod manifeſtatur, lumen eſt: quia videlicet ſicut manifeſtatio* *Probatur ex D. Thom.*

corporalis

corporalis viſionis fit per lumen corporale; ita manifeſtatio viſionis intellectualis fit per lumen intellectuale. Oportet igitur, ut manifeſtatio proportionetur lumini, per quod fit, ſicut effectus proportionatur ſuæ cauſæ. Cum ergo Prophetia pertineat ad cognitionem, quæ ſupra rationem exiſtit; conſequens eſt, quod ad Prophetiam requiratur quoddam lumen intellectuale excedens lumen naturalis rationis. Lumen autem dupliciter alicui ineſſe poteſt: uno modo per modum formæ permanentis ſicut lumen corporale eſt in ſole, & in igne: alio modo per modum cujuſdam paſſionis, ſive impreſſionis tranſeuntis. Lumen autem propheticum non ineſt Prophetæ per modum formæ permanentis. Quod ibi probat, & poſt pauca concludit: *Relinquitur ergo, quod lumen propheticum inſit animæ Prophetæ per modum cujuſdam paſſionis, vel impreſſionis tranſeuntis.* Quod etiam ex profeſſo probat 3. *contra gentes cap.* 154. & *quæſt.* 12. *de veritate, art.* 1. Cum ergo intellectus ejus, qui caret habitibus ſupernaturalibus, illuſtratur ſubito, & indeliberatè in primis ſupernaturalibus operationibus ad eum modum, quo illuminantur Prophetæ; planè habetur, quod ex mente D. Thom. debeat elevari per aliquod lumen fluidum ad inſtar paſſionis tranſeuntis: eadem quippè ratio militat utrobique, ut conſideranti conſtabit.

Confirmatur.

Confirmatur ex eodem S. Doctore 2. 2. *quæſtione* 175. *artic.* 3. *ad* 2. ubi docet viſionem beatificam, cum non adeſt habitus luminis gloriæ, fieri per lumen fluidum ad inſtar cujuſdam paſſionis, ſic enim habet: *Divina eſſentia videri ab intellectu creato non poteſt, niſi per lumen gloriæ, de quo dicitur in Pſalmo: In lumine tuo videbimus lumen. Quod tamen dupliciter participari poteſt: uno modo per modum formæ immanentis; & ſic beatos facit ſanctos in patria. Alio modo per modum cujuſdam paſſionis tranſeuntis: & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit.* Eadem autem ratio militat in aliis intellectionibus ſupernaturalibus, & in virtute, ſive auxilio elevante intellectum, ut eas eliciat. Ergo virtus elevans intellectum ad primam intellectionem ſupernaturalem in abſentia habitus eſt quoddam lumen fluidum per modum paſſionis tranſeuntis. Quod amplius roborari poteſt ex eodem D. Thom. 3. *part. quæſt.* 62. ferè per totam, ubi docet Sacramenta novæ legis elevari ad cauſandum effectum ſupernaturalem per quandam virtutem, *quæ fluens* (inquit art. 3.) *& incompleta in eſſe naturæ:* & neceſſitatem hujus virtutis probat ex ſupernaturalitate, & exceſſu effectus producendi: quæ ratio militat etiam in noſtro caſu, ut ex ſe liquet.

Ratio fundamentalis.

52. Probatur deinde ratione deſumpta ex relatis teſtimoniis: quoniam auxilium requiſitum, ut intellectus poſſit elicere primas operationes ſupernaturales, non conſiſtit formaliter in ſolo Dei concurſu ſimultaneo, nec in eiſdem operationibus, quatenus à Deo procedunt; ſed in aliquo intrinſeco prævio, elevante intellectum, & ſe tenente ex parte illius, ut *dub. præced.* probavimus: atqui hoc prævium, & intrinſecum non eſt formaliter ipſe Deus unitus intellectui in ratione principij, ut in præſenti dubio oſtendimus: ergo conſiſtit formaliter in aliquo auxilio creato intellectui inhærente. Porro hoc intrinſecum non eſt quantitas, relatio, aut aliud prædicamentum præter qualitatem: eo quod alia genera vel ſunt corporea, proindeque inepta, ut inhæreant potentiæ ſpirituali; vel non ſunt activa, & conſequenter nequeunt vires ad agendum communicare: ergo relinquitur, quod illud auxilium intrinſecum, ſit quædam qualitas. Cumque non ſit qualitas permanens; ſiquidem ſupponimus, quod intellectus elicit illas operationes ſupernaturales, antequam aliquis habitus ipſi infundatur; ſequitur, quod ſit qualitas fluida habens eſſe per modum tranſeuntis, & quale in aſſertione deſcripſimus.

Confirmatur.

Confirmatur: quia connaturaliter, & per ſe loquendo actus ſecundus ſupponit actum primum ejuſdem ordinis, ut inductivè poteſt oſtendi: ergo actus ſecundus ſupernaturalis ſupponit actum primum, ſeu virtutem ſupernaturalem: ſed hujuſmodi virtus nequit eſſe qualitas, vel forma permanens in iis, qui ante infuſionem alicujus habitus incipiunt mediis actibus ſupernaturalibus indeliberatis ad juſtificationem diſponi: ergo eſt aliqua qualitas fluida, & per modum tranſeuntis.

Duplex Adverſariorum reſponſio. Suarez. Ripalda.

53. Huic argumento, & confirmationi dupliciter occurrunt Suarez, & Ripalda infrà referendi. *Primo* reſpondent hujuſmodi actus indeliberatos, qui ante infuſionem habituum ſupernaturalium eliciuntur, non fieri naturaliter, ſed præternaturaliter: eo quod omnis actus ſupernaturalis ſuæ naturæ relictus petit procedere à gratia ſanctificante, tanquam à natura, & ab aliis habitibus tanquam à virtutibus proximè operativis, ut explicuimus *diſput. præced. dub.* 3. & 6. Quamobrem prædicti actus non poſtulant fieri per illam qualitatem fluidam, & inhærentem à nobis explicatam; ſed fiunt unice ab intellectu connotante Deum ſibi unitum in ratione principij. Dicunt *ſecundo* prædictam qualitatem fluidam, ſeu quæ ab intrinſeco petat cito deficere, eſſe chimericam, & impoſſibilem: quamobrem vane recurreretur ad illam: ſed oportet dicere, quod in habituum ſupernaturalium abſentia ſolus Deus intimè aſſiſtens poteſt habere rationem auxilij elevantis, atque adjuvantis potentiam.

Primæ reſponſionis everſio.

Cæterum utraque ſolutio continet plura abſurda, & refellitur ex dictis. *Prima* quidem: nam licèt actus ſupernaturales connaturalius fiant mediis habitibus ſupernaturalibus, quam abſque illis: nihilominus etiam cum eliciuntur in abſentia habituum, debet aſſignari principium ipſis magis connaturale, & quod providentiam minus extraordinariam expoſcat: non enim oportet recurrere ad miracula, vel ad providentiam omnino præternaturalem, quando abſque illis poſſumus principium non adeo præternaturale aſſignare. Conſtat autem multo connaturalius elici actus ſupernaturales medio aliquo principio ſupernaturali intrinſeco, & inhærente, quod intellectui conferat vires proximas ad ſupernaturaliter operandum, quam ſi intellectus omni principio intrinſeco deſtituatur, & ſolum adjuvetur per concurſum Dei extrinſecum: immo hoc poſterius genus concurrendi omnino repugnat, ut conſtat ex dictis. Ergo quamvis actus ſupernaturales in habituum ſupernaturalium abſentia non eliciantur omni connaturalitate ſibi debita, petunt tamen in prædicta hypotheſi fieri media aliqua virtute intrinſeca tranſeunti: & hoc in tali hypotheſi eſt hujuſmodi actibus magis connaturale, quam concurſus Dei purè extrinſecus, quamvis iſte non repugnaret. Quod vel in naturalibus poteſt oſtendi: etenim actus ſcientifici, & actus virtutis moralis petunt naturaliter fieri ab intellectu perfecto per habitum ſcientiæ, & à voluntate perfecta per habitum virtutis: & nihilominus in abſentia prædictorum habituum, fiunt ab

intellectu

Digitized by Google

intellectu non nude ſumpto, ſed illuſtrato per aliquod lumen tranſiens de linea habitus ſcientifici, & derivatum ab intellectu agente; & à voluntate non ſibi relicta, ſed adjuta per aliquam diſpoſitionem effluxam ab intellectu, quæ ſit de linea virtutis, ut tradit D.Thom. *quæſt.1. de Virtutibus artic.9.* ubi poſtquam generaliter ſtatuit virtutes acquiſitas fieri per impreſſionem, & influxum potentiæ ſuperioris in inferiorem, adjecit: *Hoc autem contingit dupliciter: uno modo, ut recipiatur per modum paſſionis, ſicut in hoc ipſo, quod regulata potentia à regulante movetur. Sed quia in hoc, quod aliquid patiatur, & nihil ad actum conferat, violentiæ diffinitio conſiſtit: violentia autem & difficultatem, & triſtitiam habet, ut dicitur in 5. Metaphyſic. ideo prædicta receptio rectitudinis non ſufficit ad perfectam rectitudinem potentiæ regulatæ. Oportet ergo, quod alio modo recipiatur ſcilicet per modum qualitatis inhærentis (hoc eſt permanentis, & habitualis) ut rectitudo regulæ efficiatur forma potentiæ regulatæ: ſic enim faciliter, & delectabiliter, quod rectum eſt, operabitur, ſicut id, quod eſt conveniens ſuæ formæ. Et hæc quidem qualitas, ſive forma, dum adhuc eſt imperfecta, diſpoſitio dicitur: cum autem iam conſummata eſt, quaſi in naturam verſa, habitus nominatur.*

D.Thom.

Impugnatio ſecunda.

54. Cauſare autem (quod ſecundo loco reſpondent Adverſarij) hujus qualitatis fluidæ repugnantiam, ut negetur intellectum poſſe per eam elevari; abſurdum eſt, & prorſus voluntarium. Tum quia oppoſitum conſtat ex exemplis ſupra ex D.Thom. relatis luminis prophetici, luminis gloriæ collati Paulo in ſtatu viæ, virtutis inſtrumentariæ, & virtutis acquiſitæ, cum eſt in fieri, & ſtatu imperfecto. Tum etiam quia juxta communem Ariſtotelis, & Philoſophorum ſententiam prima ſpecies qualitatis dividitur in habitum, & diſpoſitionem; & diſpoſitio definitur eſſe qualitas tranſiens, & facile mobilis à ſubjecto. Tum præterea quia nulla eſt ratio, ob quam nequeant perfectiones divinæ participari per formam fluidam, & habentem modum diſpoſitionis, ſi ſemel participari valent per formas permanentes, & habentes rationem habitus. Tum deinde quia non eſt denegandum divinæ omnipotentiæ poſſe producere prædictam qualitatem, dum non adducitur urgens, & manifeſta ratio ad id aſſerendum: rationes autem, quibus Adverſarij utuntur, ſunt ſatis infirmæ, ut cum eas §. *ſequenti* diluerimus, ſatis conſtabit.

Tum denique quia eodem proportionali modo diſcurrendum eſt de auxiliis ordinis ſupernaturalis conferentibus poſſe vel ad ſubſtantiam, vel ad modum actus, ac de auxiliis naturalibus communicantibus ſimilem virtutem: atqui hujuſmodi auxilia conſiſtunt in aliqua forma fluida per modum impreſſionis tranſeuntis: ergo idem de illis dicendum eſt. Minor probatur ex D. Thom. *quæſt. 3. de potentia art.7.* ubi poſtquam docuit neceſſarium eſſe aliquod auxilium Dei, ut cauſæ naturales attingant ultimam actualitatem operationis, & producant exiſtentiam effectus, ſtatim in reſponſione ad ſecundum explicat, in quo conſiſtat prædictum auxilium, & tacitè refellit Adverſariorum doctrinam his verbis: *Dicendum, quod virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt ei ut quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura. Sed id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis. Sicut ergo ſecuri per artem dari potuit acumen, ut eſſet forma in ea permanens, non autem ei dari potuit, quod vis artis eſſet in ea quaſi quædam forma permanens; niſi haberet intellectum: ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipſa permanens: non autem vis, qua agit ad eſſe ut inſtrumentum primæ cauſæ; niſi daretur ei, quod eſſet univerſale eſſendi principium: nec iterum virtuti naturali conferri potuit, ut moveret ſeipſam, nec ut conſervaret ſe in eſſe.* Videatur ubi Ferrara 3. *contra gentes cap.70.* in principio, & ex eo directè expendit prædictam auctoritatem, & concludit *rebus creatis, dum agunt, communicari quamdam vim, quæ eſt intentio ſola virtutis divinæ habens eſſe incompletum per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento, quæ vis non convenit rebus, niſi quando actualiter operantur.*

§. IV.

Proponitur opinio contraria, & aliqua ejus motiva diluuntur.

Sententia contraria.

55. Oppoſitam nihilominus opinionem tuentur omnes ferè Auctores *num.26.* relati, qui nullum aliud auxilium intrinſecum pro prima cogitatione ſupernaturali recognoſcunt, niſi ad ſummum ipſam increatam Dei virtutem unitam ſpecialiter intellectui in ratione principij activi. Quod inter alios latius proſequuntur Suarez *lib. 3. de auxiliis c.4.* & Ripalda *diſp. 104. de ente ſupernaturali.* Probatur primo ex D. Thom. *in præſenti, quæſt.110. art. 2.* ubi inquit: *Dicendum, quod, ſicut iam dictum eſt in eo, qui dicitur gratiam Dei habere, ſignificatur eſſe quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis. Dictum eſt autem ſupra, quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adiuvatur. Uno modo in quantum anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ: actus enim moventis in moto eſt motus, ut dicitur in tertio Phyſicorum. Alio modo adiuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundum quod aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur. Et ſic donum gratiæ* (inquit in fine corporis) *qualitas quædam eſt.* Ergo ex mente Sancti Doctoris gratia actualis, ſecundum quam movetur homo ad agendum, non eſt qualitas: alias differentia inter illam, & gratiam habitualem adducta nulla foret. Et conſequenter dicendum eſt vel gratiam actualem conſiſtere formaliter in motibus indeliberatis, quod *dubio præcedenti*, excluſimus; vel conſiſtere formaliter in ipſo Deo intime unito potentiis per modum auxilij.

Suarez. Ripalda. A quibus et D.Thom.

Reſpondetur Sanct. Doctorem eam rationem qualitatis denegare gratiæ actuali, quam in habituali concedit, ut ſic ſalvetur diverſitas, quam intendit conſtituere inter utramque. Gratia autem habitualis eſt qualitas, non utcumque, ſed fixa, parmanens, & ſtabilis. Unde cum denegat gratiæ actuali rationem qualitatis, ſolum intendit, quod non ſit qualitas permanens ſicut habitus. Qualitates enim fluidæ non ſolent abſolutè appellari qualitates, ſed magis paſſiones, & mobiles impreſſiones. Et hac ratione Ariſtotel. 1. *Ethicor. cap. 3.* dixit: *Non enim virtutis operationes qualitates ſunt, neque facilitas: non quia veræ qualitates non ſint, ſed quia habent* eſſe

Senſus D.Th. aperitur.

Ariſtoteles.

Digitized by Google

eſſe fluidum, & tranſiens. Et ſimiliter in prædicamentis cap. *de qualitate* dicitur, quod eſſe pallidum ex timore, vel rubicundum ex verecundia, non ſunt qualitates: quia videlicet quamvis pallor, & rubor, ſicut & alij colores, veræ qualitates ſint; tamen cum oriuntur ex prædictis paſſionibus, non habent eſſe permanens, ſed fluidum ad inſtar ipſarum paſſionum. In hoc ergo ſenſu negat Div. Thom. quod gratia actualis ſit qualitas.

Replica. 56. Nec refert, quod Sanct. Doctor non ſolum neget gratiam actualem eſſe qualitatem, ſed etiam aſſerat eſſe *motum animæ*: motus autem animæ nihil aliud eſt, quam operatio ab anima elicita, ut patet ex communi modo concipiendi. Præſertim quia D. Thom. probat prædictam gratiam eſſe motum animæ, quia actus moventis in moto eſt motus: ſed actus moventis in moto ita eſt motus, quod non eſt qualitas: ergo juxta D. Thom. gratia actualis non habet veram rationem alicujus qualitatis.

Diluitur. Hoc, inquam, non refert: quia Angelicus Præceptor non aſſerit gratiam actualem eſſe motum ab anima elicitum, ſed eſſe motum animæ, nempè in anima receptum: eſt enim id, quo anima movetur ad propriam operationem, ut conſtat evidenter ex ipſo textu: *Uno modo*, inquit, *in quantum anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoſcendum*: implicat autem, quod agens moveatur ad agendum per ipſam operationem, ad quam eliciendam movetur, & applicatur: & conſequenter Divus Thomas non appellavit gratiam actualem *motum animæ*, quia eſt animæ operatio, ſed quia animæ imprimitur per modum motus. Id autem, quod movens immediatè imprimit mobili (ut alteri parti objectionis occurramus) non eſt ſemper motus; ſed eſt etiam impulſus, ſeu qualitas fluida, ad quam conſequitur motus. Unde prorſus ex prædicto teſtimonio, & ex diſcurſu D. Thom. roboratur noſtra ſententia.

Secundum argumentum. 57. Arguitur ſecundo: nam quidquid Deus efficit per cauſam ſecundam efficientem, poteſt immediatè per ſe ſolum producere: eo quod Deus continet eminenter perfectionem, & activitatem cauſarum ſecundarum; & aliunde influxus in genere cauſæ efficientis nullam importat imperfectionem: ſed forma ſupernaturalis inhærens intellectui, ſive per modum habitus, ſive per modum auxilij, concurrit efficienter ad productionem ſupernaturalis operationis: ergo poteſt Deus independenter à tali forma prædictam operationem efficere: & conſequenter ad primam intellectionem ſupernaturalem non erit neceſſaria illa qualitas inhærens, ſed ſufficiet ipſe Deus unitus intellectui in ratione auxilij. Præſertim quia nulla apparet repugnantia, vel imperfectio, ob quam Deo denegetur talis influxus.

Confirmatur primo. Confirmatur primo: quia Deus non minus intime unitur intellectui, quam qualibet forma creata; cum per intimum illapſum pervadat, & tranſcendat entitatem omnis creaturæ; & aliunde non minus perfectè præcontinet perfectionem operationis producendæ, quam habitus, vel auxilium creatum intellectui ſuperadditum: ergo intellectus abſque omni forma inhærente, unitus tamen Deo ut gerenti vices auxilij, poteſt producere primam ſupernaturalem operationem.

Secundo. Confirmatur ſecundo: quia auxilium inhærens non eſt tota ratio agendi operationem ſupernaturalem, ſed etiam intellectus influit immediatè in ipſam: alioquin prædicta operatio non eſſet vitalis; ſiquidem à principio viventi immediatè non efflueret: ergo ſicut auxilium inhærens influit immediatè in actum ſupernaturalem tanquam cauſa partialis, ſic Deus intime aſſiſtens poterit eodem partiali influxu concurrere: atque ideo intellectus efficiat vitalitatem operationis, & Deus ejus ſupernaturalitatem producet, quin opus ſit ad aliud principium, vel formam intrinſecam recurrere.

Tertio. Confirmatur tertio excludendo reſponſionem, quæ poſſet huic argumento, & confirmationibus adhiberi: nam Deus poteſt ſupplere concurſum agentis creati, ſaltem quando non eſt vitalis, ut communiter docent Philoſophi: atqui influxus auxilij ſupernaturalis inhærentis in ſupernaturalem operationem non eſt concurſus vitalis; ſiquidem prædictum auxilium eſt quædam qualitas mortua, & ab extrinſeco purè proveniens: ergo Deus poteſt per ſeipſum ſupplere concurſum hujuſmodi auxilij inhærentis.

Oſtenditur infirmitas argumenti præced. 58. Antequam huic argumento, ejuſque confirmationibus ſingillatim occurramus, animadvertendum eſt duplici vitio laborare. *Primo*, quia ſi quid probant, excludunt non ſolum neceſſitatem auxilij ad eliciendum primam operationem ſupernaturalem, ſed etiam evertunt exiſtentiam omnium habituum, & auxiliorum ſupernaturalium inhærentium: poſſunt enim tam ratio, quam confirmationes ſub eadem forma cuicumque ſupernaturali operationi applicari: atque ideo vel perſuadent non eſſe admittendos habitus ſupernaturales, & auxilia inhærentia, quod eſt pluſquam erroneum, vel nihil adverſus noſtram aſſertionem evincunt. *Secundo*, quia procedunt per reſpectum ad potentiam Dei abſolutam, & ad providentiam extraordinariam: cum quo tamen ſtat, quod de facto intellectus elevetur ad primam operationem per aliquod auxilium inhærens. Unde ſicut in Adverſariorum ſententia, fieri poteſt, quod Deus ſuppleat omnem rationem habitus ſupernaturalis, & cujuſlibet inhærentis auxilij: & tamen de facto concedunt dari habitus, & auxilia inhærentia: quia hic poſterior elevationis modus eſt rebus magis connaturalis: ita & ob eandem rationem admittendum eſt auxilium inhærens ad eliciendum primam ſupernaturalem operationem; quidquid ſit, an oppoſitum fieri queat per potentiam Dei abſolutam.

Reſponſio ad argumentum. 59. Secundo reſpondetur abſolutè ad argumentum, quod licet Deus poſſit ſeipſo efficere, quidquid agit media cauſa efficiente, nequit tamen efficere, quod cauſa ſecunda influat in operationem, niſi habeat virtutem, per quam prædictam operationem in actu primo contineat. Intellectus autem ſibi relictus non habet virtutem continentem in actu primo operationem ſupernaturalem: & ideo quantumcumque connotet Deum ſibi aſſiſtentem, aut etiam unitum in ratione principij, nequit ſupernaturaliter operari, niſi per aliquod lumen intrinſecum, & informans elevetur, ut ſatis conſtat ex dictis. Adde dari aliquos ſpeciales modos concurrendi cauſæ ſecundæ, quos Deus ſupplere per ſeipſum nequit ob annexam eiſdem imperfectionem: hujuſmodi autem eſt modus influendi luminis intellectivi; petit enim actuari, compleri, & determinari per ſpeciem intelligibilem: quæ omnia repugnant Deo, ut §. 1. vidimus.

Ad primam confirm. Ad primam confirmationem reſpondemus Deũ eſſe intimiorem intellectui quacũque forma creata; ſecluſis tamen imperfectionibus tam informationis

Digitized by Google

tionis reſpectu intellectus, quam actualitatis per ſpecies intelligibiles. Unde cùm lumen elevans intellectum debeat eſſe talis conditionis, quod & informet intellectum, & determinetur per ſpecies; ſequitur, quod ipſa ſumma Dei perfectio expoſcat, ut non uniatur intellectui per modum auxilij. Præſertim quod illa intimitas per illapſum eſt quædam unio generalis, qua Deus fit præſens omnibus rebus: intimitas autem per modum auxilij poſtulat ſpecialiorem modum conjunctionis, qui explicari nequit abſque novo reſpectu inter intellectū, & Deum: cumque prædicta relatio non oriatur ex mutatione Dei neceſſario expoſcit aliquam mutationem ex parte intellectus, & conſequenter quod hic recipiat aliquid fundans novum reſpectum, ut magis expendimus. § 2.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando antecedens: quia intellectus nullam activitatem proximam habet ex ſe ad eliciendum actus ſupernaturales, ſed eam proximam activitatem adæquate mutuatur à lumine ſupernaturali ſibi ſuperaddito, ut latius oſtendimus *Tract. 2. diſput. 4. dub. 4. à n. 55.* Et ratio eſt: nam ex parte effectus nulla datur ratio, quæ ſit entitativè naturalis, & queat virtuti propriæ intellectus correſpondere; ſed omnia ejus prædicata ſunt reipſa ſupernaturalia, debentque proinde tam principium, quam objectum adæquatè ſupernaturale reſpicere. Ipſa quippè vitalitas, quam Adverſarij autumant poſſe immediatè à ſolo intellectu produci, non ſit per ſe, ſed eſt quidam reſpectus tranſcendentalis, quo actus per modum cujuſdam emanationis comparatur ad ſuum principium. Unde ſi actus eſt (ut ſupponimus) ſecundum ſpeciem ſupernaturalitatis, debet ad principium ſupernaturale, & habitudine ſupernaturali referri. Nec probatio in contrarium aliquid concludit, ut ex ſtatim dicendis conſtabit.

Ad tertiam.

Ad ultimam confirmationem omiſſa majori, negamus minorem: nam auxilium ſupernaturale intellectui impreſſum eſt principium vitale *quo* operationum vitalium ſupernaturalium. Ad quod non requiritur, ut effluat à principio conjuncto; ſed ſatis eſt, quod ab intrinſeco, & ex propriis prædicatis ſit determinatio, & complementum potentiæ vitalis, eamque actuet in ordine ad vitalem operationem, ſicut de ſpeciebus intelligibilibus, & de habitibus infuſis docent communiter Thomiſtæ. Nam licet de ratione operationis vitalis, quæ abſolutè ſolet appellari vita, ſit oriri à principio intrinſeco conjuncto; id tamen emanationis genus non expoſtulant quæcumque principia vitalia; ſed ſufficit, quod determinent agens, & concurrant ad operationem in eodem ſuppoſito, à quo elicitur, recipiendam. Videantur, quæ diximus *Tract. 2. diſp. 2. dub. 3. à num. 111. & diſp. 4. dub. 5. num. 6.*

Tertium argumentum.

60. Arguitur tertio: quia plures cauſæ inferiores ex ſola ſubordinatione extrinſeca ad cauſam ſuperiorem redduntur potentes ad eliciendum operationem, vel producendum effectum, quæ ex ſe non poterant: ergo pariter intellectus ex ſola ſubordinatione ad Deum ſibi ſpecialiter aſſiſtentem in ratione principij, fiet potens elicere intellectionem ſupernaturalem, quam ſe ſolo nequit elicere. Conſequentia videtur manifeſta, & antecedens probatur pluribus exemplis. *Primo:* nam calor animalis ex ſubordinatione ad animal valet producere carnem, quam ex ſe non poteſt: *Secundo:* quia phantaſmata ex ſola ſubordinatione ad intellectum agentem conſequuntur vim ad immutandum intellectum poſſibilem, & producendum ſpecies intelligibiles. *Tertio:* quoniam membra corporis per ſolam ſubordinationem ad potentiam cognoſcitivam, vel appetitum, & ſecluſa omni forma intrinſeca, fiunt potentia ad motum localem, & alias operationes. *Quarto:* nam color nequit abſque luce producere ſpecies viſibiles, quas tamen efficit ex hoc præciſè, quod luci extrinſecæ ſubordinetur. *Quinto:* quia humanitas Chriſti Domini ex ſola ſubordinatione ad Verbum divinum ſibi in ratione ſuppoſiti unitum fit potens ad patrandum miracula, ut inſinuat D. Thom. 3. *part. quæſt. 13. art. 1.* Idemque aliis exemplis, quæ conſulto omittimus, oſtendi poſſet.

Confirmatio.

Confirmatur, & declaratur vis hujus argumenti: quia non minus ſubordinatur intellectus Deo, quam calor ſubſtantiæ, vel ſemen generanti: ſed calor ita ſubordinatur ſubſtantiæ, ut per ſemetipſum, & abſque forma ſibi ſuperaddita, ſit virtus illius, valeatque efficere ſubſtantiam, quam ex propriis prædicatis ſpecificis producere non valet: idemque proportionabiliter in ſemine ſemel deciſo contingit: ergo intellectus ita per ſemetipſum ſubordinatur Deo, ut ſeipſo ſit virtus ejus, poſſitque attingere per hanc ſubordinationem effectus, quos ex ſe non poterat; quin opus ſit illi ſuperaddere novam virtutem intrinſecam. Per quod tacita reſponſio, qua argumento poſſet occurri, manet excluſa.

Obſervanda pro argumenti reſponſione.

61. Ut huic argumento reſpondeamus, prænotandum eſt primo, plures virtutes inferiores ſubordinari per ſe alicui principio in ordine ad operationes eidem naturaliter reſpondentes, & ſibi proportionatas; atque ideo comparari ad prædictum principium non tam per modum inſtrumenti elevabilis, quam per modum virtutis inſtrumentariæ. Id autem, quod eſt per ſeipſum formaliter tale, & ratio elevandi alia, non fit tale per aliquid ſibi ſuperadditum; ſed ad ſummum indiget aliqua modificatione, vel radicatione, qua trahatur ad ſuum principium: quam modificationem conſequitur in prima ſui productione ex hoc ipſo, quod à determinato principio emanat. Et hujuſmodi virtus dicitur vis inſtrumentaria *intranſitivè:* quia videlicet per ſemetipſam eſt virtus cauſæ, quin requiratur tranſitus, vel influxus ulterioris virtutis realiter à ſe diſtinctæ, ſed ad ſummum virtualiter; qualiter ſe habent reſpectu animalis potentia nutritiva, & generativa. Aliæ autem ſunt virtutes inferiores, quæ non ſubordinantur ex natura ſua ſuperiori agenti in ordine ad ſibi proportionatas operationes; ſed promoventur ad attingendum effectum, quem ex ſe nullo modo reſpiciunt: quia nimirum non ſunt productæ, vel inſtitutæ ad ipſum attingendum; ſed prorſus eis accidit ordinari ad illius productionem. Et hujuſmodi agentia inferiora non ſunt virtus alterius, ſed magis habent rationem inſtrumenti elevabilis per virtutem ſibi ab extrinſeco conferendam: quo pacto comparantur res naturales ad artificem, cum eam applicat ad effectum artis. Unde nequeunt attingere effectum principalis agentis, niſi eidem ſpecialiter ſubordinentur; nec ſubordinari valent, niſi in ipſa ſubordinatione aliquam virtutem novam, & intrinſecam conſequantur. Quam doctrinam, & virtutis inſtrumentariæ ab inſtrumentis differentiam tradunt N. Complut. *in Phyſic. diſp. 10. quæſt. 5. n. 43.*

Complut.

Secundo obſerva, quod licet in inſtrumentis, & virtutibus inſtrumentariis detur hæc varietas, tamen in cauſis principalibus generaliter requiritur virtus intrinſeca, qua effectum in actu primo formaliter, vel eminenter contineant: eo quod cauſa principalis communicat ex ſe entitatem effectui; & nemo producit ex ſe, quod in ſe

aliquo

Digitized by Google

aliquo modo non habet. Intellectus autem comparatur ad quamcumque intellectionem à ſe elicitam (ſaltem quantum ad ſubſtantiam, & ſpeciem, per modum cauſæ principalis: tendit enim per prædictam intellectionem in ſuum objectum ſpecificativum, in quod adæquatè acceptum collimat per modum cauſæ principalis ob commenſurationem eſſentialem cum ipſo. Unde opus eſt, quod intellectus habeat intrinſecam virtutem, per quam intellectionem à ſe eliciendam formaliter, vel eminenter contineat. Videatur Alvarez *diſput.*68. ubi oppoſitæ Suarij opinioni notam improbabilitatis impingit. His ſuppoſitis.

Alvarez.

Occurritur argumento, & plura exempla in contrarium adducta explicantur.

61. Reſpondetur ad argumentum negando antecedens, quod nullo ex adductis exemplis probatur. Ad primum enim dicendum eſt calorem non eſſe rigoroſum inſtrumentum animalis, vel alterius ſubſtantiæ; ſed eſſe virtutem inſtrumentariam generalem ſubſtantiæ, cui adjungitur. Unde non indiget alia virtute ſibi realiter ſuperaddita ad producendum carnem, vel alium effectum ſubſtantialem: ſed ad ſummum eſſet aliqua modificatione, per quam determinatur, & trahitur, ut ſit virtus peculiaris ſubſtantiæ, utputa animalis: quam modificationem conſequitur ex eo, quod à determinata radice emanaverit. Itaque licet calor ſecundum ſe nequeat producere carnem, calor tamen conſequens formam animalis poteſt eam producere. Quæ ſolutio ſumitur ex D. Thom *in quaſt. de ſpiritualibus creaturis art.* 11. *ad* 10. ubi ait: *Dicendum, quod forma accidentalis, quæ eſt principium actionis, ipſamet eſt potentia, vel virtus ſubſtantiæ agentis: non autem proceditur in infinitum, ut cuiuſlibet virtutis ſit alia virtus.*

D. Thom.

Ex quibus poſſet ad ſecundum exemplum reſponderi phantaſma ex hoc ipſo, quod oritur ab anima intellectiva, oriri cum ſufficienti efficacia ad immutandum intellectum, non quidem per puram ſubordinationem extrinſecam, ſed per intrinſecam virtutem, quam in ſui productione ſortitum eſt: ſicut diximus de calore, & accidit in cogitativa hominis, quæ quia radicatur in anima rationali conſequitur ſpecialem vim, ut queat circa ſingularia diſcurrere, quam virtutem non habet ex ſolis prædicatis ſpecificis. Quam doctrinam tradunt Capreolus *in* 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 1. Durandi poſt reſponſionem ſeptimi argumenti, & Ferrara 2. *contra gentes cap.*77.

Capreolus. Ferrara.

Sed melius reſpondetur phantaſma elevari de novo per virtutem ſpiritualem tranſeuntem ſibi impreſſam ex illuminatione intellectus agentis: nequit enim effectum ſpiritualem, cujuſmodi eſt ſpecies intelligibilis, producere, niſi per aliquod lumen ſpirituale in actu primo conſtituatur: quod lumen non potuit à propria radice, utpote corporea mutuari, ſed illud accipit ab intellectu agente, cui tanquam agenti principali ſubordinatur, ut tradit D. Thom. *quæſt.*10. *de verit. art.*6. *ad* 7. & aliis pluribus locis, quæ referunt N. Complut. *in lib. de anima diſp.*20. *quæſt.* 2. *num.*30. Videantur prædicti Patres *in lib. Phyſic. diſp.* 12. *quæſt.* 1. *num.*21. *& ſeq.* ubi objectionibus, quæ adverſus hanc doctrinam opponi poſſent, occurrunt. Quod ſi phantaſma non comparatur per modum principij activi ad ſpeciem intelligibilem, ſed purè miniſterialiter, & quaſi objectivè, ut tradit Caietanus 1. *part. quæſt.*84. *art.*6. *& quæſt.*85. *art.* 1. nihil poteſt ex prædicto exemplo adverſus doctrinam concludi ob evidentem rationem diſparitatis.

D. Thom. Complut.

Caietanus.

Ad tertium exemplum dicendum eſt membra externa non concurrere activè ad motus locales; ſed ſolum habere paſſivam habilitatem, ut moveantur à potentia loco motiva, quæ vel eſt ſenſus, aut intellectus, vel appetitus, ut apertè ſignificat D. Tho. 1. *part. quæſt.*75. *art. ad* 3. *& quæſt.*78. *art.* 1. *ad* 4. Unde mirum non eſt, quod membra externa moveantur abſque principio intrinſeco activo ſibi inhærente: hujuſmodi enim vis non debet exiſtere in mobili, ſed in movente. Intellectus autem concurrit activè ad eliciendam ſupernaturalem intellectionem: quamobrem petit actuari per aliquam virtutem intrinſecã ejuſdem ordinis.

D. Thom.

Ad quartum reſpondent N. Complut. *in lib. de anima diſp.* 10. *quæſt.* 5: colorem, cum ſit per ſe objectum viſibile, poſſe, quantum eſt ex ſe, producere ſpeciem viſibilem. *Omnis* quippè *forma*, inquit D. Thom. 3. *de anima lect.* 10. *in quantum huiuſmodi eſt principium agendi ſibi ſimile. Unde cum color ſit quædam forma* (videlicet objectum per ſe determinativum alicujus ſenſus) *ex ſe habet, quod habeat ſimilitudinem in medio.* Petit tamen color, ut actu videatur, quod medium, per quod diffuſurus eſt ſpecies, ſit diaphanum in actu, ac perinde perfuſum luce, ut tradit Ariſtot. *lib.* 2. *de anima textu* 67. Cum ergo color ad ſui actualem viſionem egeat lumine, non quidem ut forma intrinſeca, ſed ut extrinſeco complemento, vel connotatu; idcirco ex ſola extrinſeca ſubordinatione, vel potiùs conjunctione ad lucem immutat ſenſum in actu ſecundo, licet per lucem intrinſecè non mutetur. Intellectus autem eſt ab intrinſeco inſufficiens ad eliciendum ſupernaturalem intellectionem: quamobrem nequit prædictam impotentiam exuere, niſi per intrinſecam aliquam virtutem in ſe compleatur, ut conſtat ex dictis.

Complut.

Ad ultimum reſpondemus humanitatem Chriſti Domini ex hoc ipſo, quod eſt unita verbo divino, manere aptam, ut aſſumatur in inſtrumentum ad patrandum cuncta miracula, quæ Chriſtus voluerit. Nunquam tamen illa in actu ſecundo exequitur, niſi prius elevetur per aliquam motionem tranſeuntem intrinſecam proportionatam miraculo patrando: quia prædicta humanitas quanquam Verbo unita, caret potentia, efficacitate proxima ad opera miraculoſa, & ſupernaturalia. Nec D. Thom. qui nobis objicitur, inſinuat oppoſitum, ſed potius docet noſtram ſententiam: aſſerit enim, quod Chriſtus Dominus operabatur prædicta miracula ut *inſtrumentum Verbi Dei ſibi perſonaliter uniti*: inſtrumenta autem ex ſententia S. Doctoris elevantur per aliquid fluidum, & incompletum, ut attingant effectum principalis agentis, ut videre eſt *in eadem* 3. *part. quæſt.*62. ferè per totam, & apud N. Complutenſ. *in lib. Phyſic. diſput.* 12. *quæſt.* 1. Unde prædictum exemplum noſtram ſententiam confirmat, & in Adverſarios retorquendum eſt.

63. Ad confirmationem reſpondetur, quod licet intellectus, abſolutè loquendo, magis ſubordinetur Deo, quam calor ſubſtantiæ, & quam ſemen generanti; nihilominus non ſubordinatur eodem modo. Nam calor ſubordinatur ſubſtantiæ ut virtus ejuſdem ordinis, & reſpectivè ad effectus ſibi ut in tali ſubſtantia radicato proportionatos: unde mirum non eſt, quod poſſit abſque nova elevatione prædictos effectus attingere. Et ſimiliter ſemen eſt virtualis participatio generantis ad attingendum ſibi ſimile: quocirca ſemel deciſum manet cum ſufficienti proportione, & efficacitate ad producendum prædictum effectum. Intellectus autem nude ſumptus non eſt virtualis participatio Dei Auctoris ſupernaturalis; ſed tantũ ſortitur vires naturales proximas à Deo naturali Auctore, & in

Reſponſio ad confirmat.

Digitized by Google

in ordine ad effectus naturales: habetque proinde proximam impotentiam ad operandum in ordine altiori. Alias ſicut eſt connaturale calori producere ſubſtantiam, & ſemini attingere prolem: ita eſſet connaturale intellectui ſemel producto elicere ſupernaturales operationes. Et quemadmodum concurſus Dei cum calore, & ſemine ad attingendum prædictos effectus non eſt ſpecialis gratia, ſed generalis providentia: ita concurſus Dei cum intellectu creato ad operandum ſupernaturaliter non haberet rationem gratioſi, & ſupernaturalis beneficij, ſed ad providentiam rebus connaturalem reduceretur. Quæ concedere eſt incidere in hæreſim Pelagij. Unde confirmatio retorquenda eſt in Adverſarios: nam magis impotens eſt intellectus ad operandum ſupernaturaliter, quam calor ad producendum ſubſtantiam, & ſemen ad attingendum fœtum: ergo licet calor, & ſemen non indigeant nova virtute, ut prædictos effectus valeant producere; intellectus tamen eam expoſcit, ut queat ſupernaturaliter operari.

§. V.

Cætera ejuſdem opinionis fundamenta eliciuntur.

Quartum argumentum. 64. Quarto probatur hæc ſententia argumento, quo convincitur Ripalda ad aſſerendum qualitatem illam fluidam, in qua aſſeruimus conſiſtere primum auxilium intrinſecum, nec dari de facto, nec eſſe poſſibilem etiam per reſpectum ad divinam potentiam. Nam impugnandi doctrinam Thomiſticam ardor compulit illum Auctorem, ut in re ſatis pervia videret repugnantiam; cui aliàs plura impoſſibilia nullum afferunt ſcrupulum, aut apparentem difficultatem. Sed qui admittit poſſibilitatem unius ſimplicis qualitatis, quæ ſimul ſit fides, & lumen gloriæ, habitus intellectivus, & affectivus, tendens æqualiter in objectum naturale, & ſupernaturale; in re profecto leviſſima ceſpitavit. Adeat domeſticum Suarium *loco ſupra citato*, ubi poſſibilitatem qualitatis fluidæ non prorſus ejurat. Arguit ergo in hunc modum: quia non eſt poſſibilis qualitas, quæ ſuapte natura poſtulat cito deficere: ſed qualitas fluida, & collata per modum tranſeuntis ex ſuapte natura poſtulat cito deficere: ergo prædicta qualitas non eſt poſſibilis. Probatur major: quia quælibet res ſibi relicta appetit eſſe, & ut inquit Auguſt. *lib.* 11. *de civit. Dei, cap.* 27. *ſatis apparet, quantum refugit natura non eſſe*: ergo nulla qualitas ex ſuapte petit natura cito deficere. Minor etiam liquet: quia qualitas fluida, & collata per modum tranſeuntis ex ſua natura eſt parum ſtabilis: ergo petit cito deficere: alias non eſſet, cur fluida, & tranſiens appellaretur.

D. Auguſt.

Solvitur. Reſpondetur primo hoc argumentum procedere ex non intelligentia naturæ qualitatis fluidæ, & tranſeuntis: hæc enim non ita appellatur, quia petat, aut non petat brevi deficere; ſed quia habet eſſe viale, & quaſi intentionale, & promovens actualiter ſubjectum ad ulteriorem terminum. Unde poſſunt dari qualitates fluidæ, quæ ſimul ſint æternæ, ut patet cum in qualitate, qua ignis inferni elevatur ad torquendum in æternum damnatos, tum in auxilio actuali, quo intellectus, & voluntas beatorum ultimo determinatur ad eliciendum viſionem beatificam, & amorem illi correſpondentem: durant enim perpetuo, ſicut effectus, pro quibus communicantur.

Sed quidquid de hoc ſit, reſpondetur ſecundo majorem ſolum verificari in hoc ſenſu, quod videlicet nulla res, aut qualitas tendat directè, & per ſe primo in *non eſſe*: cum quo tamen rectè cohæret, ut illud *non eſſe* reſpiciat indirectè; vel ipſum, ut proprius loquamur, admittat: ita quidem, ut appetat *eſſe* pro duratione ſibi conveniente, & ea tranſacta admittat juxta propriam naturam *non eſſe*, quamvis ipſum poſitivè non appetat.

65. Pro cujus intelligentia obſervandum appetitum rerum ad *eſſe* partiri in elicitum, & natum. Appetitus elicitus eſt actus regulatus cogitatione proponente convenientiam eſſendi desiderans ipſum eſſe. Et quidem ſecundum h appetitum poſſent res, quantumlibet corrupti b appetere eſſe in perpetuum, ſaltem conditiona inefficaciter; refugiuntque quantum eſt de ſe *eſſe*: atque illis ſecundum hunc appetitum a canda præcipuè eſt ſententia Auguſtini, qua bis in argumento opponitur. Appetitus autem natus nihil aliud eſt, quam propenſio, proport coaptatio rei ad bonū ſibi correſpondens: quo non magis extenditur, quā ipſa proportio. Ut res non habet proportionē ad eſſendū, niſi pr terminata duratione, nō appetit eſſe sēper, ſed tali duratione. Nec tamen ſequitur, quod ap poſitivè *non eſſe*, ſaltē, ut habet rationē privati & mali, ſed ſolū infertur, quod nō appetat ult eſſe, ſive (& in idē redit) quod non habeat pr tionē ad ultra durandū. Longiſſimè enim diff hæc duo, *appetere non eſſe poſt talem duratio non appetere eſſe poſt illam*: primum enim ſig cat appetitum tendentem in *non eſſe*; ſecundum ro ſolum denotat carentiam appetitus ad eſſe per. Illud prius nulli rei convenit, cum non quatenus tale, non habeat rationem boni reſ naturæ particularis, ac proinde nequeat term appetitum: hoc vero poſterius pluribus rebus mune eſt; nulla quippè appetit innate bonum non conveniens, & perfectionem ſibi impr tionatam. Quæ quia non diſtinxit Adverſari carentia appetitus ad ſemper eſſendum poſit minus rectè intulit appetitum ad non eſſendu

Unde ad ejus argumentum reſpondetur da ſolum qualitatem fluidam, de qua in præſen etiam plura alia entia, quibus non debetur eſſ ſi pro determinata, & brevi duratione: qua tr cta, naturaliter deficiunt, non quia eorum n appetat non eſſe, ſed quia ſibi non vendicat ad ulterius eſſendum: & ideo eorum appetit tis occurritur per hoc, quod habeant eſſe pr ratione ſibi proportionata. Hujus autem ge ſunt plura, quæ ex D. Thom. §. 3. adduximus. bus addimus qualitatem illam, quæ generatu primum actum virtutis, eſſe fluidam, citoque cere, niſi per repetitionem actuum ultra conſ tur. Motus etiam, tempus, & alia entia ſucce ſunt ſatis fluida, continuoque ſecundum pa ſaltem dilabuntur; quin huic defectibilitat ponatur appetitus innatus, quem habent cu res ad eſſendum. Sicut Adverſarius nequit u verſaliter denegare poſſibilitatem aliquorum e tium tranſeuntium, & brevi deficientium: ita, n voluntariè, nequit aſſerere repugnantiam qua tatis fluidæ, in qua diximus primum auxilium actuale intrinſecum conſiſtere.

66. Sed replicabis: nam licet dentur plura entia parum durantia, & cito defectibilia; id tamen non provenit ex eo, quod ex natura ſua petant cito deficere: ſed quia vel recipiuntur in ſubjecto corruptibili, ad cujus deſtructionem deficiunt; qua ratione pereunt accidentia mixtorum: vel ſubjacent contrariis, qua de cauſa corrumpuntur ipſa mixta,

mixta, vel ob defectum cauſæ conſervantis; quo pacto deficit impulſus in abſentia impellentis. Atqui qualitas, de qua loquimur, nequit ob aliquod ex relatis capitibus deficere; ſiquidem recipitur in ſubjecto incorruptibili, nempe in intellectu; & caret omni contrario; & connotat cauſam præſentem, videlicet Deum agentem infinitæ virtutis. Nulla igitur eſt ratio, ob quam prædicta qualitas dicatur fluida, & cito deficiens.

Reſponſio. Reſpondetur, quod licet plura entia deficiant in actu ob defectum vel cauſæ conſervantis, vel ſubjecti recipientis, vel ob actionem contrarij, & ita eorum corruptio proximè oriatur ex aliquo illorum defectuum: nihilominus ipſa entia ex natura ſua habent defectibilitatem radicalem, quia nimirum poſtulant dependere à prædictis principiis, atque ideo non petunt, nec appetunt exiſtere, niſi pro determinata, & brevi duratione. Quod manifeſtè cernitur in impulſu eorum, quæ violenter projiciuntur: poſtulat enim prædictus impulſus procedere à cauſa extrinſeca, & non continuo influente. Et hoc pacto ſe habet qualitas, de qua loquimur: quamquam enim recipiatur in ſubjecto incorruptibili, & careat contrario, petit tamen, quod cauſa à qua producitur, nempè Deus O. M. non communicet ipſi perpetuam, aut longam durationem, ſed ſatis brevem: unde ſuſpenſio divini concurſus, per quem proxime corrumpitur, eſt juxta conditionem prædictæ qualitatis. Et ratio à priori hujus doctrinæ eſt: quoniam quælibet res poſtulat conſervari à Deo juxta conditionem finis, ad quem ex natura ſua ordinatur: finis autem prædictæ qualitatis non eſt, ut ſit, vel ut permanenter, & habitualiter plures operationes eliciat, ſed ſolum ut elevet intellectum ad determinatam operationem: unde hoc ipſo, quod prædictum finem aſſequatur, non poſtulat conſervari à Deo: & conſequenter juxta ejus naturam, & conditionem ceſſat divinus concurſus; eoque ſuſpenſo evaneſcit prædicta qualitas.

Alia replica. 67. Sed adhuc urgebis: quia vel prædicta qualitas connectitur neceſſario cum operatione, vel non? Primum dici non poteſt: alias prædicta qualitas deſtrueret libertatem. Sicut enim Thomiſtæ dicunt præmotionem phyſicam relinquere libertatem illæſam, quia licet neceſſario connectatur cum actu; tamen non connectitur per modum virtutis dantis poſſe, ſed ſolum per modum applicationis, vel reductionis ad exercitium: ita a contrario ſenſu, ſi hæc qualitas, quæ juxta noſtram ſententiam, dat poſſe proximum ad actum, neceſſario cum eo connectitur; ſequitur, quod deſtruat libertatem. Si autem dicatur ſecundum; nulla eſt ratio, quare ceſſante actu debeat evaneſcere dicta qualitas: nam pereunte uno aliquo extremo, non eſt neceſſarium perire aliud extremum, quod cum eo non connectitur neceſſario.

Confirmatur. Et confirmatur: nam etiam potentiæ, & habitus proximè operativi ordinantur ad operationem: & tamen ex eo, quod ceſſet operatio, vel repugnet ejus exercitium, non propterea ſtatim evaneſcunt potentiæ, & habitus: conſervantur quippè in beatis potentia generativa, & habitus, v.g. pœnitentiæ; quãvis exercitia hujuſmodi principiis correſpondentia perfectioni prædicti ſtatus repugnent; ergo ex eo, quod operatio, ad quam eliciendam qualitas illa ordinatur, ceſſet, vel deficiat, non ſequitur, quod prædicta qualitas evaneſcat: & conſequenter nequit hoc pacto ſalvari, quod ſit qualitas fluida, & per modum tranſeuntis.

Replica ſatisfit. Ad replicam reſpondetur prædictam qualitatem neceſſario connecti cum actu determinato, non quidem ad hunc ſenſum, quod ea poſita, neceſſario infallibiliter ſequatur actus, vel quod ea per ſe ſolam actum inferat. Fieri enim poteſt, & frequenter fit, quod ea poſita non ſubſequatur reipſa actus: idque ſæpè accidit, cum communicatur ad actus deliberatos, ſi ad ipſos ſimul non conferatur auxilium efficax. Unde ſatis liquet prædictam qualitatem nullo modo deſtruere libertatem. Sed dicitur cõnecti neceſſario cum actu determinato: quia nimirum non habet vires, niſi ad eliciendum prædictum actum, nec deſcendit a Deo, niſi ut intendente determinatè ejus exercitium; nec producitur ad eſſendum, ſed unice ad operandum. Unde hoc ipſo, quod vel conſequatur prædictum finem, vel ab eo fruſtretur, ſtatim perit: ceſſat enim ipſius finis proximus adæquatus.

Occurritur confirmationi. Ex quibus conſtat ad confirmationem: nam potentiæ naturales non producuntur, nec conſervantur per actionem propriam; ſed ad productionem, & conſervationem naturæ: quæ actio, & conſervatio non intendit per ſe primo operationem, ſed naturæ exiſtentiam, & perfectionem: unde hoc ipſo, quod conſervetur natura, debent ejus potentiæ ſimul conſervari: & ita accidit in beatis. Præſertim quia finis proximus potentiarum, nempè operari, nõ repugnat beatis abſolutè, licet aliquorum exercitium dedeceat eorum ſtatum, & ideo ceſſat ibidẽ. Qualitas autẽ fluida, de qua loquimur, deſcendit à Deo cũ tanta determinatione non ſolum ad operationem, ſed etiam ad ejus circumſtãtias intenſionis, extenſionis, & durationis, ut eis tranſactis non poſſit abſolutè prædictam operationẽ elicere: nõ enim producitur a Deo utcũque, ſed ut movente ad opus determinatum, & cum iis circumſtantiis determinatis. Et quod de potẽtiis naturalibus diximus, applicãdum etiam eſt habitibus infuſis: nullus enim eſt, qui per ſe loquendo non producatur ad productionem gratiæ: hæc quippè ſe habet per modum naturæ in ordine divino, ut explicuimus *diſp. præced. dub. 6*. Nullus etiam habitus manet in patria, cui repugnet attingentia ſui objecti primarij, quamvis ab exercitio hujus, vel alterius actus particularis deficiat, ut ſuis locis oſtendi ſolet.

Quintum argumentum. 68. Quinto arguit Suarez: quia hæc qualitas fluida, quam adſtruimus, vel eſt idem realiter cum præmotione phyſica, qua Thomiſtæ docẽt omnem cauſam ſecundam generaliter applicari ad operandum, vel diſtinguitur realiter ab ea: neutrum dici poteſt: ergo non datur hujuſmodi qualitas. Probatur minor: nam ſi prædicta qualitas eſt eadem realiter cum præmotione, deſtruet libertatem: nam qua parte eſt virtus, dat poſſe proximum ad operationem, & qua parte eſt præmotio, connectitur neceſſario cum illa: actus autẽ primus neceſſario connexus cum aliqua operatione, non relinquit libertatem ad illam, ut patet in lumine gloriæ. Si autem diſtinguatur realiter à præmotione; abſque fundamento in Patribus, & Conciliis adſtruimus tot auxilia actualia, & eadem facilitate, & voluntarietate poterimus inducere alia innumera.

Diluitur. Reſpondetur eligendo pro nunc ſecundam dilẽmatis partem, loquendo de auxilio dãte poſſe proximũ ad ſingulos actus. Id autẽ non aſſerimus abſque fundamẽto rationis, & auctoritatis: nam quod debeat poni aliquod auxiliũ dans poſſe, & ſufficiẽtiam ad actus ſupernaturales, ſatis cõſtat ex dictis: quod autẽ debeat cõcedi aliud auxiliũ præmovens dãs actũ, & efficaciã, conſtabit ex dicendis *dub. 5*. denique quod hæc duo auxilia realiter diſtinguãtur, eſt valde probabile; ſiquidẽ habẽt munera ſatis diverſa, & primũ eſt realiter ſeparabile, & frequẽter ſeparatum à ſecundo. Nec hinc ſequitur, quod

poſſimus, & multo minus, quod debeamus aliqua innumera auxilia multiplicare: quia ad unicam operationem ſufficit unum auxilium dãs poſſe, & aliud auxilium inferens agere. Diximus, *eligendo pro nunc ſecundam dilematis partem:* quia non paucis Thomiſtis arridet, quod quoties ſequitur operatio, toties auxilium ſufficiens, & efficax in eadem entitate qualitatis fluidæ coincidunt, quæ ſecundum unam rationem elevat potentiam, & ſecundum aliam eam præmovet ad agendum, ut inſinuavimus *Tract.* 13. *diſp.* 5. *dub.* 2. *a num.* 36. Sed modo non vacat id examinare, nec oportet, ut noſtram aſſertionem huic dicendi modo alligemus: & ideo pro nunc amplectimur partem dilematis faciliorem. Diximus etiam, *loquendo de auxilio dante poſſe* ad ſingulos actus: quia licet primus actus ſupernaturalis intellectus, de quo loquimur in hoc dubio ſit communiter ſaltem loquendo neceſſarius, cui proinde nihil obeſt, quod ejus principium neceſſario influat; & conſequenter non repugnet ex hac parte, ſed ſatis veroſimile, quod auxilium ſufficiens, & auxilium efficax pro eo requiſita in eadem entitate coincidant: nihilominus alij actus ſubſequentes liberè eliciuntur, & pro iis actibus facilius adſtruitur auxilium ſufficiens diſtinctum realiter ab efficaci, & ſeparabile quantum eſt de ſe, ab operatione. Quamobrem hanc partem modo amplectimur, ne aſſertioni veriſſimæ adjiciamus novam difficultatem non neceſſariam.

Ultimum argumentum. 69. Ultimo arguitur: quia donum perſeverantiæ eſt ſpecialiſſimum, & nobiliſſimum auxilium: & tamen donum perſeverantiæ non importat aliquam qualitatem fluidam animæ inhærentem; ſed ſolum Deum illi intime aſſiſtentem, & unitum: ergo idem de aliis auxiliis, & conſequenter de eo, quod ad primam operationem ſupernaturalem requiritur, dicendum eſt.

Solvitur primo. Reſpondetur *primo*, omittendo præmiſſas, & negando conſequentiam: quia nos non probamus neceſſitatem auxilij inhærentis ad primam ſupernaturalem operationem ex generali auxilij conditione, vel ex majori ejus nobilitate; ſed ex qualitate ſubjectæ materiæ: quia videlicet prædictum auxilium requiritur ad conſtituendum intellectum in actu primo proximo, ut ſupernaturaliter operetur: quod fieri non poteſt abſque aliqua forma inhærente, ut hactenus declaravimus. An autem dentur auxilia extrinſeca, & quod inter illa ipſe

Alia ſolutio. Deus computetur, noſtra non refert; ſed libenter id admittimus juxta ea, quæ *dub.* 1. ſtatuimus. *Secundo* reſpondetur ex dictis *diſp.* 3. *dub.* 11. donum perſeverantiæ neceſſario importare aliquam formam intrinſecam, videlicet gratiam ſanctificantem: eſt enim conjunctio ejuſdem gratiæ cum ultimo fine. Quandoque vero addit ſupra prædictam gratiam auxilium actuale intrinſecum, cum videlicet homo aſſequitur gloriam per proprios actus ſupernaturales: pro iis enim requiri aliquam gratiam actualem inhærentem ſatis conſtat ex hactenus dictis: nec ex dono perſeverantiæ ſic acceptæ argumentum in oppoſitum formari valet. Quandoque vero perſeverantia nullum auxilium actuale internum expoſcit: quia nimirum ſalvatur homo abſque propria operatione, ut accidit infantibus, & amentibus, juxta illud Sapient. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus:* & tunc ſolum importat auxilium ſpecialiſſimæ protectionis gratiam conjungentis cum morte. Ex quo tamen ad auxilium requiſitum pro operatione ſupernaturali nequit fieri argumentum ob evidentem rationem diſparitatis.

DUBIUM QUARTUM.

An ad actus ſupernaturales voluntatis requiratur auxilium actuale ipſi voluntati inhærens; vel ſufficiat auxilium impreſſum intellectui.

Deciſio hujus dubij haud obſcurè colligitur ex præcedentibus: quod proinde breviter abſolvemus. Pro cujus luce obſervandum eſt, quod impoſita illa ſupernaturali illuſtratione ex parte intellectus, quam dubiis præcedentibus explicuimus, & quam Concilia, & Patres *vocationem*, ſive *excitationem* appellant; ſtatim per ſe loquendo ſequitur in voluntate aliquis effectus, quo in bonum ſupernaturaliter cognitum inclinat: (hunc quippè ordinem poſtulat naturalis inter has potentias cõſenſus) & hic ſubitus affectus *inſpiratio*, ſeu *divinus impulſus* dici conſuevit. Prædictus autem affectus, cum primo excitatur, eſt motus indeliberatus: quia non fit ex præcedenti aliqua conſultatione: poteſt tamen eſſe liber, nimirum ſi per cognitionem indifferentem reguletur, ut in Angelis accidit: ut plurimum vero eſt actus neceſſarius, quia cognitionem omnino determinatam etiam in regulando conſequitur, ut in nobis frequenter experimur. Poſt hunc vero affectum ſolent ſequi alij actus ſimpliciter deliberati: ſupponunt enim hominem conſtitutum in actu primo ſufficienti, ut per proprium conſilium ad utramlibet partem ſe determinet. Dubium igitur procedit circa auxilium actuale ad omnes hos actus, cum ſupernaturales ſint, requiſitum. Sed claritatis gratia prius de actibus indeliberatis, poſtea vero de deliberatis agemus. Verſatur que difficultas circa hominem, qui non habet habitus ſupernaturales actibus eliciendis correſpondentes: quid enim in homine prædictis habitibus exornato dicendum ſit, dubio ſequenti conſtabit.

§. I.

Deciſio dubij quoad actus ſupernaturales voluntatis indeliberatos.

70. Dicendum eſt primo auxilium actuale requiſitum ad primum actum ſupernaturalem voluntatis indeliberatum non conſiſtere formaliter in gratia actuali intellectui inhærente; ſed importare novum gratiæ auxilium in volũtate intrinſecè receptum. Hæc concluſio eſt D. Aug. & D. Tho. locis ſtatim referendis, quos ſequuntur communiter Thomiſtæ. *Concluſio.* Fundamentum præcipuum eſt: quoniam Pelagius admiſit neceſſitatem gratiæ internæ illuminantis hominem circa ea, quæ facienda vel credẽda ſunt: & tamen quia negavit neceſſitatem ulterioris gratiæ receptæ in voluntate, eãque roborantis in ordine ad actus pertinentes ad ſalutem, impugnatur, & damnatur à Patribus tanquam ſiniſtrè, & diminutè de gratia ſentiens: ergo præter auxilia vocationis, & excitationis recepta in intellectu, neceſſario admittendum novum gratiæ auxilium receptũ in voluntate, eãmque elevans in ordine ad ſupernaturales operationes. *Principale fundamentum.* Conſequentia patet: & utraque præmiſſa probatur ex teſtimoniis D. Aug. in quibus expreſsè habetur. Major quidem in lib. de *gratia Chriſti, cap.* 10. ubi introducit Pelagium dicentem: *Operatur in nobis Deus velle, quod bonum eſt, velle, quod ſanctum eſt; dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magni*

magnitudine, & premiorum ſolicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientia in Dei deſiderium ſtupentem ſuſcitat voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non audes, ſuadet, quod bonum eſt. Quibus verbis ita gratiam, quæ intellectum tam practice, quàm ſpeculative illuminat, complexus eſt, ut nihil ulterius in hac parte deſideranti videatur. Minor etiam habetur in eodem loco: nam immediate ſubjungit Auguſtinus: *Quod manifeſtius nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus dicitur operari in nobis velle, quod bonum eſt, quam legem atque doctrinam?* Et poſt pauca: *Sed nos*, inquit, *eam gratiam nolumus.* Et cap. 12. in fine: *Hæc gratia, ſi doctrina dicenda eſt, certe ſic dicatur, ut altius, & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolum per eos, qui plantant, & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſe ipſum, qui incrementum miniſtrat occultus, ita ut non oſtendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* Ubi charitatis vocabulo non ſolum ſpecialem virtutem ſic dictam, ſed etiam quamlibet gratiam promoventem ad bonum affectum, juxta conſuetam S. Doctoris phraſim, complexus eſt. Recolantur, quæ diximus *diſp.* 1. *cap.* 4. §. 4.

Conc. Milev. Confirmatur ex Concilio Milevitano ſub Innocentio I. *can.* 4. ubi ex ſcriptis S. Auguſtini hoc decretum adverſus Pelagianos deceptum eſt. *Item quiſquis dixerit eandem gratiam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut per ipſam intelligamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit. Cum enim dicat Apoſtolus: Scientia inflat, charitas vero ædificat.* 1. ad Corinth. 8. *valde impium eſt, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Chriſti; ad eam, quæ ædificat, non habere: cum ſit utrumque donum Dei, & ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus, ut ædificante charitate, ſcientia non poſſit inflare.* In quibus verbis aperte ſupponitur Pelagium admiſiſſe gratiam illuſtrationis, vocationis, & excitationis pertinentem ad intellectum; & tamen anathematizatur ut impius; quia negavit ulteriorem gratiam pertinentem ad voluntatem: ergo præter illam primam, hæc poſterior gratia neceſſario admittenda eſt. Recolantur, quæ diximus *diſp.* 1. *cap.* 4. *à num.* 151. ex quibus hoc noſtrum fundamentum majus robur accipit.

Prima Adverſariorum reſponſio evertitur. 71. Nec refert, ſi cum Vaſquio infra inferendo, & ejus ſequacibus reſpondeas primo erraſſe Pelagium, quia non admiſit ullam veram gratiam internam; ſed ſolam externam manifeſtationem, ſive prædicationem myſteriorum fidei: & in hoc damnatur à Patribus, & Conciliis.

Hoc, inquam, non ſatisfacit, ſed facile refellitur. Tum quia licet Pelagius in primo, aut etiam ſecundo ſui dogmatis ſtatu omnem gratiam internam negaverit, eam tandem Catholicorum argumentis convictus admiſit, explicans conſiſtere in intellectus illuminationibus, ut oſtendimus *loco ſuprà citato.* Tum etiam quia id manifeſte conſtat ex verbis D. Auguſt. nuper relatis, in quibus S. Doctor ſupponit Pelagium admiſiſſe gratiam internam conſiſtentem in notitia legis, & doctrinæ, ſive in intellectus illuſtrationibus; & totam controverſiam revocat ad ulteriorem gratiam, quam pro voluntate deſiderat. Tum præterea quia ſi Pelagius in hoc poſteriori ſtatu perſiſteret in negando gratiam interiorem pertinentem ad intellectum; Auguſtinus ipſum etiam in hac parte impugnaret oſtendens prædictæ gratiæ neceſſitatem; quod tamen non facit, ſed ſuppoſita neceſſitate prædictæ gratiæ, & quod Pelagius eam concedebat, pergit ulterius, ut eum compellat admittere aliam gratiam pertinentem ad voluntatem. Tum denique quia eodem *lib. cap.* 11. confutat Pelagium ex eo, quod D. Paulus poſt inſignes revelationes indiguit ulteriori gratia ad ſuperandum carnis ſtimulum juxta illud 2. ad Corinth. 12. *Ne magnitudo revelationum extollat me, &c.* & tamen prædictæ revelationes non importabant extrinſecam præciſe prædicationem, ſed etiam internam illuſtrationem, ut ex ſe liquet: ergo nec receditur ab errore Pelagij, nec Auguſtini menti ſatisfit concedendo neceſſitatem interioris gratiæ conſiſtentis in ſanctis cogitationibus, niſi ulterius concedatur neceſſitas alterius auxilij pertinentis ad voluntatem.

Quod evidentius conſtat ex eodem S. Doctore *in eodem lib. cap.* 24. ubi adverſus Pelagianos concludit: *Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta, mirabili, ac infallibili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Ubi ſupponit exiſtentiam tum gratiæ extrinſecæ conſiſtentis in doctrina forinſecus inſonante, tum gratiæ intrinſecæ mirabili vi operantis veras revelationes, & nihilominus ulterius expoſcit gratiam, quæ operetur bonas voluntates. Ergo juxta Auguſtinum præter gratiam ſanctæ cogitationis intellectui inhærentem, admittenda eſt alia gratia, quæ voluntatem afficiat. *Iſtam ergo Dei gratiam* (proſequitur Auguſt. cap. 26.) *in divinis eloquiis manifeſtatam etiam Pelagius manifeſte fateatur, ſeque tandiu contra ſenſiſſe non operiat impudentiſſimo pudore, ſed dolore ſaluberrimo aperiat, ut ſancta Eccleſia non turbetur pertinaci eius obſtinatione, ſed veraci correctione lætetur. Cogitationem, & electionem* (perpendat prudens lector hæc verba) *ſicut ſunt diſcernenda, diſcernat: quia ſcientia inflat, charitas ædificat. Et tunc ſcientia non inflat, quando charitas ædificat. Et cum ſit utrumque donum Dei, ſed unum minus, alterum maius: non hic iuſtitiam noſtram ſuper laudem iuſtificatoris noſtri extollat, ut horum duorum, quod minus eſt, divino tribuat adiutorio, quod autem maius eſt, humano uſurpet arbitrio.* Ubi S. Doctor apertiſſime diſtinguit inter gratiam pertinentem ad cogitationem, ſive intellectum, & ſpectantem ad electionem, ſeu voluntatem: & ſupponit Pelagium conceſſiſſe primam, & negaſſe ſecundam, perperamque proinde de gratia ſenſiſſe: ergo qui omnem gratiam actualem internam revocant ad ſanctam cogitationem, & non concedunt ulteriorem gratiam pro voluntatis operibus, non videntur recedere à prædicto errore Pelagij.

Aliud effugium præcluditur. Vaſquez. 72. Nec deinde refert, ſi cum eodem Vaſquez reſpondeas ſecundo Pelagium aliquantulum à fratribus correctum admiſiſſe tandem gratiam internam conſiſtentem in intellectus illuſtratione, non quidem ut ſimpliciter neceſſariam, ſed tantum ut utilem ad opera conducentia ad ſalutem: in quo profecto erravit, & impugnatur à Patribus.

Hæc, inquam, evaſio nulla eſt, ſed evidenter confutatur ex teſtimoniis Auguſtini nuper relatis. Primo quia S. Doctor in relatis auctoritatibus non curat, utrum pia cogitatio, ſeu doctrina interior admittatur à Pelagio tanquam ſimpliciter

Digitized by Google

neceſſaria, vel tanquam præciſe utilis ad recte operandum: ſed abſolute ipſum impugnat in eo, quod ſuppoſita gratia internæ illuminationis pertinente ad intellectum, non admittat ulteriorem gratiam pertinentem ad voluntatem: quod vel ſola lectione prædictorum teſtimoniorum liquido conſtat: ergo ſive gratia recepta in intellectu aſſeratur ſimpliciter neceſſaria, ſive tantum utilis, quandiu ultra illam gratiam non admittitur alia gratia interior ad voluntatem ſpectans, non receditur ab errore Pelagij. *Secundo* nam hæc duo aſſerta valde diverſa ſunt: *Sancta cogitatio non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed tantum utilis ad ſalutem*: & *Gratia actualis interna conſiſtit unice & adæquate in ſancta cogitatione.* Ergo Auguſt. potuit (idque re ipſa locis citatis præſtitit) examinare veritatem ſecundæ propoſitionis, abſtrahendo ab examine prioris. Ergo ſive pia cogitatio dicatur eſſe ſimpliciter neceſſaria, ut inquit Vaſquez; ſive tantum utilis ad ſalutem, ut aiebat Pelagius; juxta Auguſtini ſententiam neceſſario concedenda eſt aliqua ulterior gratia pertinens ad voluntatem, & diſtincta à ſancta cogitatione. Et conſequenter vane recurrit Vaſquez ad priorem difficultatem, quando examinamus ſecundam: nam vel illud prius concedat, vel neget; hoc poſterius juxta Auguſtini ſententiam tenetur admittere, ne ſub eiſdem argumentis involvatur cum Pelagio.

Alia verſio confutatur. 73. Nec præterea refert, ſi cum eodem Vaſquio tertiò reſpondeas piam cogitationem à Pelagio admiſſam fuiſſe cognitionem ſpeculativam, quæ in mera objecti notitia ſiſtebat; non vero practicam, & quæ laudabilem voluntatis motum induceret, ſe vero adſtruere ſanctam cogitationem practicam, quæ det vires ſufficientes ad actus voluntatis. Cui reſponſioni addit Suarez *prolog. 5. cap. 3.* quod licet Pelagius admiſerit revelationes tam internas, quam externas, nihilominus nunquam cōfeſſus eſt, quod haberent rationem gratiæ adjuvantis: quia non juvabant intellectum, ut doctrinam revelatam convenienti modo voluntati proponeret. Cujus, inquit, ſignum eſt, quod Auguſtinus perpetuo Pelagio objicit eum non recedere à commendatione legis & doctrinæ.

Suarez.

Hæc, inquam, reſponſio ſatisfacit. Tum quia cognitio, quæ præmiorum ſolicitatione ſuccendit quæſtì pentem ſuſcitat voluntatem, & ſuadet, quod bonum eſt, nequit non eſſe vere notitia practica, cum plures eff[ec]tus habeat extra intellectum: atqui pia cogitatio, quam admiſit Pelagius erat hujuſmodi, ut evidenter conſtat ex ejus verbis *num. 70.* relatis: ergo Pelagius conceſſit piam cogitationem, nec dum ſpeculativam, ſed etiam practicam. Tum etiam quia eatenus Vaſquez ſalvat piam cogitationem, in quo conſtituit omnem gratiam actualem internam, eſſe notitiam practicam, quatenus aſſerit conducere ad affectum voluntatis: ſed eandem conducentiam admittebat Pelagius, ut ex ejus verbis ſatis liquet: ergo nullum adeſt fundamentum, ut piam cogitationem Pelagij dicamus fuiſſe notitiam pure ſpeculativam, & aſſeramus ſanctam cogitationem Vaſquez eſſe cogitationem practicam: ſed merito poſſumus (quantum eſt ex parte verborum) eundem utique ſenſum attribuere. Tum denique quia Pelagius loquebatur de cogitatione boni, ac loquuntur alii Philoſophi: ſed apud omnes Philoſophos, qui vel nullo fidei radio reſperguntur, bonum cognitum ſolicitat ad ſui amorem, & habet quandam efficaciam ſupra voluntatem: ergo non eſt credibile Pelagium denegaſſe hanc conditionem ſanctæ cogitationi, quam concedebat.

Per quod evaneſcit id, quod ex Suario adde batur: quoniam notitia boni eatenus adjuvat vo luntatem, quatenus prædictum bonum attingi & voluntati proponit: nec alium influxum attr buit Vaſquez ſ[anct]æ piæ cogitationi: ſed Pelagiu admiſit piam cogitationem, quæ bonum attinge ret, & ipſum voluntati proponeret, ut conſtat e ejus verbis ſupra relatis: ergo Pelagius conceſſi gratiam internam adjuvantem eo adjutorij gene re, quod & non majus agnoſcit Vaſquez: & conſequenter dicendum eſt vel Pelagium concer ſiſſe eam gratiam adjuvantem, quam tenemur ad mittere, eiſdemque ſubinde impugnationibus cu Pelagio ſubjacere. Præſertim quia Auguſt. eatenu infert Pelagium non receſſiſſe à commendation legis, & doctrinæ, & conſequenter non admitte re veram gratiam adjuvantem, quatenus omne gratiam actualem internam reducebat ad notitia intellectus, qua veritas credendorum, & agendo rum homini revelatur: ſed Vaſquez nulla actualem gratiam admittit præter eandem not tiam, ſaltem pro primis, & indeliberatis actib voluntatis: ergo non ſtatuit veram gratiam adj vantem diſtinctam à lege, & doctrina. Per quo illud motivum, quod Suarez inſinuat, refellitu Videantur dicta loco ſupra citato.

74. Tandem non refert, ſi ultimo pro Vaſqu reſpondeas errorem, quem Auguſtinus in Pelag reprehendit, conſiſtere in eo, quod ſolam ſancta cogitationem eſſe Dei donum concedebat; char tatem vero, hoc eſt, rectum voluntatis affectu eſſe Dei donum negabat exiſtimans ad eum ſuff cere naturales vires liberi arbitrij. A qua ſentent plurimum abeſt Vaſquez: aſſerit enim eſſe do num Dei ſpeciale non ſolùm piam cogitation ſed etiam ipſam piam affectionem, & Dei gratia actualem non ſiſtere in intellectu, ſed ſeſe exter dere ad voluntatem.

Hoc, inquam, nihil refert: quoniam Auguſt nus non ex alio principio convincit Pelagiu aſſeruiſſe rectam voluntatis affectionem eſſe naturalibus viribus voluntatis, niſi quia Pelagi aſſerebat auxilium gratiæ conſiſtere in ſancta c gitatione in intellectu recepta, & negabat nec ſitatem ulterioris auxilij roborantis, & elevan voluntatem ad proprios actus: ſed Vaſquez c cedit etiam illud primum, & negat hoc ſecund ſiquidem aſſerit, quod ut voluntas eliciat prim operationem ſupernaturalem, non indigere ali ſibi intrinſece ſuperaddito; ſed quod ſufficie determinatur per ſanctam cogitationem in in lectu receptam: ergo ex ejus ſententia collig quod voluntas per proprias vires eliciat p ctam operationem. Reſpondere quippe vol tem non elicere propriis viribus prædictam rationem, quia indiget ſancta cogitatione p quæ eſt donum Dei; minime ſatisfacit etiam Pelagius concedebat cum omnibus ſophis ad actum honeſtum voluntatis cognitionem, quæ objectum voluntati pro & prædictam cognitionem eſſe Dei donu batur, ut vidimus *num. 70.* & nihilomin nullas vires intrinſecas ſuperaddendas eſſe tati credebat; ideo aſſeruit, vel convinci ruiſſe voluntatem per proprias vires phy cere operationem conducentem ad ſalu quo (licet erraverit) majori tamen conſ proceſſit, quam Vaſquez: nam cognitio quantumcumque perfecta ſit, non præ phyſicas voluntati. Ut ergo errorem P clinemus, neceſſario debemus concede ſuppoſita ſancta cogitatione adhuc vol

ilio ſibi intrinſeco ſuperaddito, diget aliquo au am ſupernaturalem operationem ut queat in pri prorumpere.

Objectiuncula remiſſivè. 75. Dicas hinc fieri, quod opinio Vaſquij non diſtinguatur ab errore Pelagij: id autem incredibile eſt in Doctore catholico, & qui pro viribus ſtuduit gratiæ neceſſitatem oſtendere.

Reſpondetur noſtra non referre Vaſquium à Pelagii erroribus vindicare: nec tamen ipſum ulla cenſura ferimus: ſed ſolum intendimus ab inconvenientibus, quæ ex eius opinione colliguntur, falſitatem ſuæ opinionis oſtendere, ut conſequentis abſurditas ſit deſtructio antecedentis. Videant, quorum intereſt, diſcrimen, quo Vaſquez a Pelagio longe diſtare probetur. Poſſemus etiam poſitionem prædicti Auctoris aliis argumentis evertere: quia nimirum ipſe non adſtruit neceſſitatem ſanctæ cogitationis entitative ſupernaturalis, ſed ſufficere exiſtimat cogitationem entitative naturalem datam per Chriſtum. Conſulto tamen ea in præſenti ſubticemus. Tum quia eis uſi fuimus *diſputatione 2. dub. 2. & diſp. 3. dub. 9.* tum quia plures ex Auctoribus, contra quos agimus neceſſitatem ſanctæ cogitationis ſupernaturalis agnoſcunt.

Expenditur ratio pro concluſione. 76. Secundo probatur noſtra concluſio ratione deſumpta ex dictis in duobus dubiis præcedentibus: quoniam potentia naturalis nequit ſupernaturalem operationem elicere, niſi prius conſtituatur in actu primo per aliquid intrinſecum, quod eidem ſupernaturales vires communicet: ſed hoc intrinſecum nequit eſſe vel ſancta cogitatio, vel aliud auxilium in intellectu receptum; ſiquidem hæc omnia ſunt extrinſeca voluntati, utpote recepta in potentia realiter diſtincta: ergo præter ſanctam cogitationem, & auxilium ipſi reſpondens, debet ſuperaddi voluntati aliud novum, & diſtinctum adjutorium: hoc autem auxilium non conſiſtit in operationibus voluntatis, ut procedunt à Deo, vel in concurſu Dei ſimultaneo, ut *dub. 2.* probavimus, nec conſiſtit in ipſo Deo, ut unito voluntati in ratione principii, ut *dub. 3.* expoſuimus; nec tandem conſiſtit in aliqua forma permanenti; ſiquidem loquimur de operationibus, quæ ante infuſionem habituum infunduntur: reſtat ergo, quod conſiſtat formaliter in aliqua qualitate fluida per modum tranſeuntis. Evaſiones autem, quibus poſſet huic argumento occurri, præcluſimus ex profeſſo locis proxime citatis.

Confirmatur. Confirmatur: quia ubi eſt novus, & diſtinctus virtutis defectus, ibi nova, & diſtincta virtus conſtituenda eſt, quæ prædictum defectum ſuppleat: ſed præter defectum, ſeu vulnus ignorantiæ, qui in intellectu reperitur, reperitur in voluntate defectus, & vulnus infirmitatis, ut tradit D.Thom. 1. 2. *quæſt.85. art.3.* ergo præter gratiam intrinſecam receptam in intellectu, & reparantem ejus defectum per notitiam credendorum, & agendorum admittenda eſt nova, & diſtincta gratia in voluntate intrinſece recepta, quæ ejus vires fulciat, & corroboret, ipſiuſque infirmitati ſuccurrat. Quam rationem, & doctrinam *D.Thom.* tradit D.Thom. *ſupra quæſt.109. art.2.* ubi cum poſuiſſet hoc argumentum: *Intellectus poteſt cognoſcere verum per ſe ipſum, ſicut & quælibet alia res poteſt ſuam naturalem operationem per ſe facere: ergo multo magis poteſt homo per ſe ipſum facere, & velle bonum;* reſpondet S. Doctor: *Ad tertium dicendum, quod etiam verum non poteſt homo cognoſcere ſine auxilio divino, ſicut ſupra dictum eſt: & tamen magis eſt natura humana corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri.* Statuerat autem in corpore articuli, quod homo quantum ad cognitionem veri, & amorem boni, quando ſunt operationes ſupernaturales, indiget non ſolum auxilio Dei moventis, ſed etiam auxilio adjuvante, & conferente vires. *etiam pro naturalibus operibus eſt* (hoc quippe neceſſarium) Si ergo intellectus ob vulnus ignorantiæ indiget gratia intrinſeca ad attingendum verum ſupernaturale, ut Vaſquez admittit; multo magis voluntas, quæ majus infirmitatis vulnus perpeſſa eſt, indigebit gratia eam intrinſecè fulciente, & roborante, ut elicere queat ſupernaturalem operationem.

§. II.

Reſolvitur difficultas quantum ad actus voluntatis ſupernaturales deliberatos.

77. Dicendum eſt ſecundo voluntatem ad eliciendum operationes ſupernaturales deliberatas indigere auxilio intrinſeco diſtincto tam à ſancta cogitatione, quam ab actibus ſupernaturalibus indeliberatis; conſiſtereque prædictum auxilium in qualitate fluida per modum tranſeuntis. Hæc concluſio traditur communiter à Thomiſtis, inter quos videri poſſunt Alvarez *diſputatione 74.* Ledeſma *quæſt. unic. art. 16. folio 319.* Cabrera *3. parte quæſtione 62. articulo primo, diſputatione 9. §. 4.* Et ſecunda illius pars, nempe prædictum auxilium eſſe qualitatem fluidam, liquet tum ex prima ejuſdem aſſertionis parte, tum ex dictis *dub. præced. §. 3.* unde in ea probanda non immorabimur. Prior autem pars probatur primo ex Concilio Tridentino *ſeſſ.6. cap. 5.* ubi docet exordium juſtificationis noſtræ deſumi à vocatione, ut qui per peccatum averſi eramus à Deo per ejus *excitationem, & adjuvantem gratiam* diſponamur ad converſionem. Et can. 3. decernit: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque adjutorio hominem credere, ſperare, &c. poſſe, anathema ſit.* Quibus in locis præter gratiam excitantem, & vocantem, quæ pertinet ad piam cogitationem, ſive illuminationem intellectus, & præter gratiam inſpirationis, quæ ſpectat ad primos motus indeliberatos voluntatis ſtatuit dari gratiam adjuvantem utique ad actus deliberatos, quibus homo diſponitur ad ſalutem: ergo gratia actualis requiſita ad actus ſupernaturales deliberatos non conſiſtit unice in ſancta cogitatione, vel in motibus voluntatis indeliberatis, ſed ulterius importat novum, & diſtinctum auxilium.

Alia concluſio.

Alvarez. Ledeſma. Cabrera.

Probatur auctoritate.

Conc. Trid.

Confirmatur ex Divo Auguſtino qui eandem doctrinam tradit pluribus in locis, & præcipue lib. 1. ad Simplicianum, *quæſt. 2. & lib. de gratia Chriſti cap. 45.* ubi refert, & commendat ſequentem ſententiam Divi Ambroſij *lib. 6. in Lucam cap. 96. Et ideo quod ibi ſcriptum eſt, Reſpexit eum* (videlicet Petrum) *Dominus; intus actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt. Miſericordia Dei latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiora gratia ſua viſitavit Petrum, interioris luminis uſque ad exteriores lacbrymas movit, & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adeſt voluntatibus, & actionibus noſtris.* In quibus verbis præter motus indeliberatos revocandi memoriam,

Confirmatur. D. Auguſt.

D. Ambroſ.

&c

Digitized by Google

& tangendi cor, ponit S.Doctor interiorem gratiam moventem, & producentem alium affectum, utique deliberatum.

Ratio fundamentalis.

78. Secundo probatur ratione: quia auxilium ultimo complens voluntatem, ut eliciat actus ſupernaturales deliberatos, debet eam intrinſece conſtituere in actu primo ad producendum per modum cauſæ principalis prædictos actus: ſed actus indeliberati tam ſanctæ cogitationis, quam ſubiti affectus ad id non ſufficiunt: ergo ultra prædictos actus conſtituendum eſt novum, & diſtinctum auxilium, ut voluntas queat actus ſupernaturales deliberatos elicere. Conſequentia eſt legitima: nam eo uſque gratia eſt admittenda, quouſque defectus naturæ ſuppleatur. Major etiam eſt certa: quia voluntas concurrit per modum cauſæ principalis ad ſuas operationes, ſaltem quoad ſpecies conſideratas, ut *dub. præced.* explicuimus: ſed cauſa principalis conſtituitur in actu primo per aliquam virtutem intrinſecam: ergo auxilium ultimo complens voluntatem, ut actus ſupernaturales eliciat, debet eam intrinſece conſtituere in actu primo ad producendum per modum cauſæ principalis prædictos actus. Minor autem probatur: nam in primis ſancta cogitatio recipitur intrinſece in intellectu, & non afficit intrinſece voluntatem: ergo nequit eſſe virtus intrinſece conſtituens voluntatem in actu primo ad eliciendum actus deliberatos. Præſertim quod ſancta cogitatio non influit in actus deliberatos, niſi mediis actibus indeliberatis, ad quos excitat immediate: ſed ad actus indeliberatos requiritur auxilium diſtinctum à ſancta cogitatione, ut §. *præced.* vidimus: ergo multo minus prædicta cogitatio ſufficit ad actus deliberatos. Deinde virtus intrinſece conſtituens voluntatem in actu primo ad producendum per modum cauſæ principalis actus deliberatos, debet eſſe ejuſdem, vel majoris perfectionis, ac ipſe actus: cauſa quippe principalis continet formaliter, vel eminenter effectum producendum: atqui actus voluntatis indeliberatus multoties eſt minus perfectus, quam actus deliberatus, ut contingit, cum quis ex ſubita ſimplici erga Deum affectione tranſit ad amorem charitatis perfectum, & efficacem: ergo motus indeliberatus nequit eſſe virtus conſtituens voluntatem in actu primo ad eliciendum actus deliberatos.

Confirmatur.

Confirmatur: quoniam auxilium conſtituens voluntatem in actu primo ad eliciendum actus ſupernaturales indeliberatos, debet realiter diſtingui ab eiſdem actibus: auxilium quippe communicatum ad aliquam operationem influit realiter in illam, quod abſque reali diſtinctione fieri non poteſt: atqui actus indeliberatus multoties non diſtinguitur ab actu deliberato: ergo actus indeliberatus non habet rationem auxilij ad actum deliberatum. Minor liquet: nam ſæpe ſæpius actus, qui cum incepit, fit indeliberatus, cum continuatur deliberatus fit: eo quod in ſui primo egreſſu non connotavit propriam conſultationem, & conſilium ex parte intellectus, quæ poſtea cœpit in ſui conſervatione importare.

Multiplex objectio contra rationem proxime factam.

79. Sed adverſus hanc rationem, & confirmationem oppones *primo*: nam qualitas fluida, quam nos aſſerimus eſſe auxilium ad eliciendum actus deliberatos, eſt minus perfecta, quam ipſe actus; ſiquidem hic eſt qualitas completa, & directe collocabilis in prædicamento; qualitas autem illa fluida eſt quid incompletum, & per modum tranſeuntis: ergo vel voluntas non conſtituitur per prædictam qualitatem in actu primo ſuffi-cienti ad producendum per modum cauſæ prin[cipa]lis prædictam operationem; vel poteſt conſt[itui] per actus indeliberatos, licet ij ſint minus per[fe]cti, quam deliberati: & conſequenter corruit f[un]damentum, ut id negemus.

Secundo: quia falſum eſt, quod virtus ultim[o] & proxime complens aliquod principium ad age[n]dum per modum cauſæ principalis, debeat e[ſſe] æque perfecta, ac effectus producendus: pote[n]tia enim generativa hominis verbi gratia, ulti[mo] & proxime complet illum, ut alterum homine[m] per modum cauſæ principalis producat: & tam[en] prædicta virtus eſt minus perfecta, quam ho[mo] generandus: ergo ex eo, quod motus indelibe[ra]tus ſit minus perfectus, quam deliberatus, n[on] tollitur, quod ſit virtus ultimo, & proxime co[m]plens voluntatem, ut actum deliberatum per m[o]dum cauſæ principalis producat.

Tertio: quoniam motus indeliberatus conc[ur]rit in genere cauſæ efficientis ad actus delibe[ra]tos; ſicut aſſenſus præmiſſarum influit effect[ive] in aſſenſum concluſionis, juxta doctrin[am] N.Complutenſ. *in Logica diſp.* 17. *quæſt.* 3. at[qui] non concurrit per modum virtutis inſtrumen[tar]iæ; ſiquidem prædictus motus multoties [eſt] qualitas completa, & in ſuo genere perman[ens], quod eſt contra rationem inſtrumentariæ vir[tu]tis: ergo influit in actus deliberatos per mod[um] virtutis principalis.

Quarto: quia aliquando motus indelibera[tus] eſt ſimpliciter perfectior, quam actus deliberat[us], & ſimul diſtinguitur realiter ab eo, ut conting[it] cum homo ex ſubito affectu ſpei Theolog[icæ] movetur ab actus deliberatos miſericordiæ, [vel] alterius virtutis moralis: ergo in hoc caſu n[il] deficit actui indeliberato, ut queat eſſe au[xi]lium adæquatum, & ſufficiens ad actum deli[be]ratum.

80. Hæc conſulto rationi noſtræ oppoſuim[us], ut ex eorum enodatione illius robur magis [ap]pareat. Pro cujus luce animadvertendum eſt, q[uod] cum aſſerimus ad actus deliberatos requiri au[xi]lium à motibus indeliberatis diverſum, min[ime] intendimus excludere à prædictis actibus omn[ino] prorſus rationem auxilij. Libenter quippe co[nce]dimus hujuſmodi motus diſponere, & in ſuo [ge]nere determinare voluntatem, ut ſubſequente[r] deliberatos actus eliciat: quia prædicti [motus] habent ordinem cauſalitatis ad actus ſubſe[quen]tes, eaque intentione imprimuntur hom[ini à] Deo, ut ulterius procedat in ſuæ ſalutis ne[gotio]: neque homo intelligitur conſtitutus in act[u pri]mo, ſaltem morali ad ſe movendum, uſqu[e dum] habeat aliquam cogitationem ex parte intel[lectus], & aliquem affectum ex parte voluntatis: [...] que ad Deum ſupernaturalem Auctorem [...] dicto actu primo agentia libera conſtituer[e] aperte ſupponit Concilium Tridentinu[m] ſupra relatis, traduntque communiter SS. & præcipuè D.Thom. *ſupra, quæſt.* 109 *ad* 1. & ita docent inter alios Thomiſta[s] [...]rez *diſp. cit. concl.* 2. & Zumel *tom.* 1. [...] *diſp.* 1. *concluſ.* 5. Cum ergo aſſerimus novum, & diſtinctum auxilium, tantum [...]mus motus indeliberatos non habere [rationem] auxilij adæquati, & omnino ſufficientis, [...]tas actus deliberatos eliciat.

Deinde obſerva qualitatem fluidam, [quam aſſe]rimus eſſe auxilium ultimo complens, [...]tuens voluntatem in actu primo ad e[liciendas] prædictas operationes, poſſe bifariam [...]ri: uno modo quantum ad tendentiam [...]

Digitized by Google

in objectum; altero modo quantum ad conditionem eſſendi. Et quidem priori modo conſiderata eſt ejuſdem rationis inadæquatæ cum habitu, in cujus locum ſubrogatur; participat enim vim ad eliciendum actum aliquem ex iis, quæ correſpondent habitui, quamvis ſub ratione magis reſtricta: non enim continet omnes operationes ab habitu eliciendas, ſed unam tantum, aut aliam. Poſteriori autem modo accepta importat minorem permanentiam, non quia motus vere ſit, aut ens ſimpliciter incompletum, ſed quia determinatur ad unam operationem, qua ceſſante, vel non ſubſequuta, ceſſat finis prædictæ qualitatis, & conſequenter ipſa evaneſcit, ut *dub. præced.* §. 5. explicuimus.

Tandem nota operationem dupliciter etiam conſiderari poſſe primo quantum ad actualitatem, ſecundum quam excedit potentias, & habitus. Secundo quantum ad tendentiam ſpecificam in objectum, quantum ad hoc poteſt in potentia, vel habitu adæquate contineri. Quam diſtinctionem late explicuimus *Tract. 13. diſp. 3. dub. unico*, ad quem locum lectorem remittimus.

Occurritur primæ objectioni.

81. His ſuppoſitis, ad primam objectionem reſpondetur negando antecedens intellectum de qualitate fluida, & de operatione conſideratis ſecundum tendentiam ſpecificam in objectum. Nam ſicut habitus, & operatio ipſi adæquata (quæ re ipſa multiplex eſt) important tendentiam ad idem objectum, & ſub eadem ſpecifica ratione: ita qualitas fluida, quæ inadæquate participat rationem habitus, importat eandem ſpecificam rationem, quam dicit operatio prædictæ habitus rationi inadæquate reſpondens. Et ſicut major actualitas, in qua operatio habitum excedit, non tollit, quominus abſolute producatur ab eo, tanquam à virtute agendi principali (ad id quippe ſufficit, quod conſiderata ſecundum ſuam ſpeciem in eodem habitu contineatur) ita & ob eandem proportionabiliter rationem exceſſus aliquis operationis ſupra auxilium non impedit, quominus ab eo tanquam à virtute principali procedat. Diximus *exceſſus aliquis*: quia revera operatio non excedit auxilium in eo, quod objectio prætendit: non enim operatio eſt magis permanens, quam auxilium; ſed potius ab eodem in ſua duratione dependet. Et ſicut operatio conſtituitur directe, in genere qualitatis, & ſub ſpecie diſpoſitionis; ſic auxilium in eodem genere, atque ſpecie collocatur. Dicitur tamen qualitas fluida, & per modum tranſeuntis: quia operationi eliciendæ in ſua duratione commenſuratur: quocirca ſe habet ad inſtar motus. Unde exceſſus, ſi quis eſt, operationis ſupra auxilium non in ratione entis completi, vel incompleti, permanentis, aut tranſeuntis, ſed in alia perfectione conſtituendus eſt, ut *dub. ſequenti* magis declarabimus.

Secunda diluitur.

Ad ſecundam objectionem dicendum eſt, quod quando agens ſupponitur præcontinere perfectionem effectus producendi, optime poteſt agere principaliter per virtutem *ipſo* effectu imperfectiorem; quæ in eo eventu non ſe habet tanquam virtus elevans, aut *vires* conferens; ſed potius tanquam virtus agenti naturaliter ſubordinata; ab eoque *vires* recipiens. Et ita accidit in exemplo *hominis generantis*, & in omnibus agentibus naturalibus. Quando autem agens non præcontinet effectum, vel nullo modo agit per modum *cauſæ principalis*, vel ſi principaliter acturum eſt; debet prius elevari per virtutem, *quæ effectum* formaliter; aut eminenter *contineat*, *ipſumque* adæquet in perfectione: quia in eo eventu non ſolum ſe habet ut virtus agendi proxima, ſed ut ratio agendi totalis, & adæquata. Cum ergo voluntas ex ſe non præcontineat in actu perfectionem operationis deliberatæ ſupernaturalis; & aliunde ſupponimus, quod ad eam concurrat per modum cauſæ principalis: neceſſariò concedendum eſt, quod auxilium voluntatem elevans ſit æque perfectum ſaltem quoad ſpeciem, ac operatio elicienda. Et conſequenter ſi actus indeliberatus non adæquat perfectionem actus deliberati; merito excluditur à ratione auxilij omnino ſufficientis ad eum eliciendum.

Solvitur tertia. Granad.

82. Ad tertiam, relicto Granados *controverſia 8. de gratia tract. 8. diſp. 2. ſect. 6.* ubi cum aliis propugnat motus indeliberatos non influere effective phyſice in actus deliberatos, ſed tantum formaliter. Reſpondetur primo concedendo præmiſſas, & negando conſequentiam: quia licet cauſa efficiens rigoroſa dividatur in cauſam principalem, & inſtrumentalem; nihilominus id, quod concurrit effective per quandam reductionem, non oportet quod ſit determinate virtus principalis, vel inſtrumentalis, ſed ſatis eſt, quod virtutem agentis principalis compleat, & determinet. Sic enim ſpecies intelligibilis concurrit in genere cauſæ efficientis ad intellectionem, non quidem per modum virtutis principalis, vel inſtrumentalis, ſed ut complens cauſam effectivam intellectionis. Et hoc pacto dicuntur motus indeliberati concurrere active ad actus deliberatos: quia videlicet licet non habeant rationem virtutis rigoroſe activæ erga illos, complent tamen voluntatem, ut fiat proxime potens ad eos eliciendos. Et conſequenter ex eo, quod motus indeliberati non concurrant per modum cauſæ inſtrumentalis ad actus deliberatos, minime infertur, quod influant per modum cauſæ principalis: ita quippe influunt active, quod tamen nec principaliter, nec inſtrumentaliter agent, ſed tantum complendo, & determinando cauſam principalem. Et idem proportionabiliter accidit in aſſenſu præmiſſarum comparato ad aſſenſum concluſionis: nec amplius intendunt Complutenſes loco citato.

Reſpondetur ſecundo, omittendo præmiſſas, & diſtinguendo conſequens: & ſi intelligatur de cauſa principali in ſuo genere, admittatur; ſi autem intelligatur de cauſa principali abſolute, & omnino ſufficienti; negetur. Etenim ſicut cælum verbi gratia concurrit per modum cauſæ principalis ad generationem mixtorum: & tamen ultra cælum requiruntur aliæ cauſæ principales, particulares, & proximæ, quæ ſimul cum cælo ad prædictam generationem concurrant: ita licet motus indeliberatus concurrat per modum cauſæ principalis ad motum deliberatum, non excludit concurſum ulterioris virtutis proximæ, & particularis, per quam influxus motus indeliberati, qui frequenter indifferens eſt ad plures actus deliberatos, determinetur ad unum. Quod etiam cernitur in exemplo, quod nobis objicitur: nam licet aſſenſus præmiſſarum concurrat active principaliter ad aſſenſum concluſionis; nihilominus ultra illum aſſenſum ponitur alia virtus activa proxima, utputa habitus ſcientiæ, & ſpecies intelligibiles, quæ ad aſſenſum concluſionis immediate concurrat.

Ultima ſatisfit.

Ad ultimam reſpondemus motum indeliberatum, à quo inchoatur ſalutis negotium, eſſe communiter, & per ſe loquendo minus perfectum, quam motus deliberati; quibus homo proximius,

Digitized by Google

& immediatius ad ſuam juſtificationem diſponitur. Sicut enim natura procedit ab imperfectis ad perfectiora: ſic Deus ſecundum communem providentiam ordinis gratiæ incipit ab auxiliis, & motibus minus perfectis, & ſiſtit in perfectioribus: quamvis in caſu aliquo extraordinario id non obſervet, ſed ſubito pauperem ditet. Ad robur autem rationis noſtræ, & impugnationem opinionis adverſæ ſatis eſt, quod motus indeliberatus communiter loquendo, ſit minus perfectus, quam actus deliberatus: hinc enim legitime infertur voluntatem per motum indeliberatum non conſtitui in actu primo omnino ſufficienti ad actum deliberatum, ſed expoſcere ulterius auxilium. Sicut etiam ex eo, quod motus indeliberatus quandoque non diſtinguatur à deliberato, legitime colligitur admittendam eſſe qualitatem fluidam, quæ a motu tam indeliberato, quam deliberato differat, & conſtituat voluntatem in actu primo proxime ad utrumque: quod Adverſarij univerſaliter negant. Immo vero licet motus indeliberatus diſtinguatur realiter à deliberato, ipſumque ſimpliciter excedat in perfectione, adhuc ulterius auxilium admittendum eſt: quoniam prædictus motus indeliberatus ex una parte non continet formaliter, vel eminenter perfectionem ſpecificam actus deliberati; & ex alia parte ſolum ſe habet per modum principij, & complementi generalis, & indifferentis ad plures actus deliberatos, ut *numero præcedenti* explicuimus.

§. III.

Satisfit argumentis opinionis adverſæ.

83. CONtraria ſententia nullum auxilium intrinſecum actuale agnoſcit, niſi motus intellectus, & voluntatis: & conſequenter a[it] auxilium ad actus voluntatis indelibera[tos] conſiſtere in ſancta cogitatione; & ipſos mo[tus] indeliberatos, eſſe auxilium ad actus delibera[tos] [I]ta Vaſquez 1. *p. diſp.* 88. *a cap.* 6. *& in hac* 1[.2.] *diſp.* 185. per multa capita, Suarez *lib.* 3. *de* [au]*xilius cap.* 3. & alij plures Juniores, quos ref[ert] & ſequitur Ripalda *diſp.* 104. *de ente ſupernat[ur]ali ſect.* 1.

Probatur primo ab auctoritate: nam ſancti [Pa]tres communiter docent piam cogitationem [eſſe] auxilium ad actus voluntatis, & priores motus [vo]luntatis eſſe auxilium ad ſubſequentes, nec a[l]terius auxilij recordantur: ergo opus non eſt [ad]mittere aliud auxilium à ſancta cogitatione, [&] motibus indeliberatis diverſum. Antecedens p[ro]batur ex Auguſtino aliorum in hac parte an[te]ſignano: nam lib. de peccatorum meritis & [re]miſſione cap. 19. inquit: *Cum autem ab illo ill[ud] adjutorium deprecamur ad faciendam, perfici[en]damque juſtitiam, quid aliud deprecamur, qu[am] ut aperiat, quod latebat, &. ſuave faciat, qu[od] non delectabat?* Et lib. 2. de bono perſeverant[iæ] cap. 8. inquit: *Non itaque in hominum, ſed in [Dei] eſt poteſtate, ut habeant homines poteſtatem fil[ios] Dei fieri: ab ipſo quippe accipiunt eam, qui d[at] cordi humano cogitationes pias.* Et lib. de ſpirit[u] & littera cap. 34. ait: *Viſorum ſuaſionibus ag[it] Deus, ut velimus, & credamus; ſive extrinſec[us] per evangelicas exhortationes, ſive intrinſecus [u]bi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in men[t]em. Sed conſentire, vel diſſentire propria volu[n]tatis eſt.* Et in lib. ad Simplicianum quæſt. 2. aſſ[eri]t ſanctam cogitationem eſſe *affectricem bo[næ] voluntatis.* Et ſimilia repetit aliis pluribus in locis. Quem imitantur alij Patres Proſper *in duobus libris de vocat. gentium* per multa capita. Fulgentius *in lib. de Incarnat. & gratia à cap.* 18. *uſque ad* 31. N. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 7. Chryſoſt. *hom.* 45. *in Ioan. & ſerm.* 7. *in Pentecoſtem*, Bernardus *lib. de gratia, & libero arbitrio* non longe à fine, & alij communiter. D. Proſper. D. Fulgent. D. Cyrill. Alexandr. D. Chryſoſt. D. Bernard.

Confirmatur primo ex D. Thom. qui eandem ſententiam docet *in* 2. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 4. in corpore, ubi docet, quod gratia poteſt accipi pro quocumque excitativo voluntatis exhibito homini ab ipſa divina providentia, ſive ſit admonitio hominis, ſive ægritudo corporis, vel aliquid hujuſmodi, & hoc aſſerit eſſe auxilium ſufficiens, ut homo poſſit in Deum converti. *Unde quidquid illud fuerit* (inquit) *quod hominem excitaverit ad convertendum ſe, ut gratiam gratum facientem accipiat, gratia gratis data dici poteſt: & ſic ſine gratia gratis data homo ſe ad gratiam non præparat.* Quod magis declarat in reſponſione ad 2. ubi ait: *Dicendum, quod homo non poteſt ſe ad gratiam præparare, nec aliquod bonum facere ſine Dei auxilio: & ideo rogandus eſt, ut nos ad ſe convertat, & etiam alios. Nec tamen oportet, ut illud auxilium ſemper ſit per aliquem habitum infuſum: ſed poteſt eſſe per multa, quæ exterius ſunt ſalutis occaſio, & per ipſum actum interiorem, quem Deus in nobis cauſat.* Similia habet *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *& quæſtiunc.* 2. *ad* 2. in quibus locis nullum auxilium actuale conſtituit, niſi vel occaſiones, & admonitiones externas, vel aliquem motum interiorem. *Confirmatur ex D. Thom.* D. Thom.

Confirmatur ſecundo ex Concilio Colonienſi in Enchirid. tractatu de ſacramento Pœnitentiæ, ubi declarat gratiam prævenientem, quæ eſt auxilium ſufficiens, ut homo incipiat ſe ad juſtificationem diſponere, *eſſe cognitionem Dei, & noſtri peccati.* Et Epiſcopi Africæ apud Sardiniam exules in epiſtola Synodi, quæ eſt inter opera Fulgentij column. 2. inquiunt: *A Deo itaque eſt nobis omnis gratia boni ſermonis, & operis, à quo nobis etiam ipſius cogitationis bonæ manifeſtum eſt ſufficientiam tribui: divina quippe gratia bonam cogitationem Beatus aſſignavit Apoſtolus, quando dicebat: Non quod ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis.* Ubi nullius gratiæ actualis mentio habetur, quæ diſtinguatur à ſancta cogitatione, vel ab indeliberato voluntatis affectu. *Roboratur ex Concil. Col.* Conc. Col.

84. Ad argumentum reſpondetur gratiam actualem requiſitam ad actus ſupernaturales aliam eſſe moralem, & aliam phyſicam: moralis dicitur, quæ morali modo concurrit ad operationem, utputa ſuadendo, terrendo, & alliciendo ex parte objecti: phyſica autem vocatur, quæ phyſico modo influit, videlicet præbendo vires, & efficacitatem proximam ad agendum, & ſublevando potentiam. Prima ſolet dici gratia excitans, ſecunda adjuvans: & utriuſque concurſum deſiderant Concilium Trident. *locis n.* 26. *relatis*, & alia Concilia, & Patres, ut affectus ſupernaturalis conſequatur. Quando ergo aſſerunt Patres piam cogitationem eſſe auxilium Dei (quod tantum docent in locis, quæ nobis objiciuntur) minime intendunt prædictam cogitationem eſſe auxilium undequaque ſufficiens ad ſupernaturalem effectum; ſed tantum intendunt (quod non negamus) eſſe auxilium morale requiſitum ad prædictam operationem. Quod inter alios perſpicue docet Auguſt. locis ſupra relatis *numero* 71. ut *Teſtimonia Patrum explicantur.*

Pelagium

Digitized by Google

Pelagium compellat admittere ulteriorem gratiam, quæ voluntatis infirmitatem corroboret: unde non oportet, quod auctoritatibus, quæ modo objiciuntur, ſingillatim reſpondeamus: continent enim ſenſum nuper expoſitum. Et eodem modo interpretandi ſunt alii Patres, ut conſtat, aliis interim prætermiſſis ex S. P. N. Cyrillo Alexandrino, qui *in lib. 1. de adorat. & cultu*, noſtram, & Auguſtinianam ſententiam eleganter confirmat *ex cap. 19. Geneſ.* ubi refertur Angelos, cum vellent Loth, & ejus uxorem, ac filias à civitate, ne perirent, educere; apprehendiſſe eorum manus, & quaſi compuliſſe ad egreſſum. *Manifeſto argumento* (inquit S. Doctor) *tibi hoc eſſe poteſt nos non verbis ſolum incitari, & adhortationibus menti immiſſis, ut à peccato recedamus, ſed tanta benignitate erga nos uti ſervatorem totius mundi Deum, ut actu ipſo, efficaciterque nobis auxilia præſtet, ſecundum quod ſcriptum eſt, Apprehendiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me.* Cum enim humana natura non ſatis valida eſt, neque per ſe ſufficit, ut malum fugere queat, una nobiſcum quodammodo contendit Deus, duplicique beneficio afficere cognoſcitur, admonitionibus nimirum perſuadens, & ſubſidium præſtans fortius, quam ut ab impediente, aut imperante malo ſuperari poſſit. Nihil evidentius pro utriuſque auxilij phyſici videlicet, & moralis neceſſitate dici potuit.

Senſus D. Thom. aperitur.

Ad primum confirmationem reſponderi poſſet D.Th. eis locis docuiſſe opinionem, quam deinde in poſterioribus ſcriptis retractavit, ut docent plures Auctores, quos dedimus *diſp. 3. dub. 5. §. 5.* Sed quia oppoſitum eſt multo probabilius, ut ibidem oſtendimus, ideo reſpondetur ſecundo S. Doctorem in eis locis agere de auxilio morali, quod conſtituit tam in motibus internis, quàm in externis occaſionibus, prout à ſupernaturali providentia diſponuntur ad hominum ſalutem. Minime autem negat neceſſitatem auxilij actualis, quod communicet voluntati vires proximas ad ſupernaturaliter operandum. Præſertim quia mens S. Doctoris in his locis eo tendebat, ut neceſſitatem doni habitualis pro operibus, quibus homo ad juſtitiam diſponitur, removeret; ſicut manifeſte conſtat *loco cit.* ex ſecundo ſententiarum. Cum quo tamen cohæret neceſſitas auxilij phyſici actualis, quod præſtet vires phyſicas voluntati. Et ita ſignificat S. Doctor tum *in hac 1. 2. q. 109.* fere per totam, tum *in loco cit. ex 4. ſententiarum in reſponſione illa ad 2.* ubi ait: *Dicendum, quod voluntas noſtra eſt omnino pediſſequa reſpectu divinæ gratiæ, & nullo modo prævia: quia ipſa voluntas bona, quæ gratiam gratum facientem præcedit, ex Deo nobis provenit, qui gratuita ſua voluntate nos ad hoc provocat vel flagellis, vel aliquo auxilio interiori, aut exteriori.* Ubi ly *provocat* motionem moralem ſignificat: & illa verba, *aliquo auxilio interiori, aut exteriori* utrumque auxilium complectuntur, licet S. Doctor neutrum determinet, quia ad deciſionem illius difficultatis non referebat.

Auctoritas Concil. exponitur.

Ad ſecundam confirmationem dicendum eſt piam cognitionem eſſe utique gratiam prævenientem, non quidem undequaque ſufficientem, ſed tantum in ratione vocationis, & motionis moralis: ultra quam requiritur adjutorium phyſicum, ut voluntas eliciat quodlibet opus ſupernaturale, ut conſtat ex dictis. Et hoc tantum intendunt illa duo Concilia: nec ullum fundamentum præſtant, ut oppoſitum aſſeramus: loquuntur enim omnino conſonè ad Auguſtinum, & alios Patres, quos in hoc ſenſu interpretati ſumus.

Secundum argumentum.

85. Arguitur ſecundo: quia illud auxilium eſt abſolute, & omnibus modis ſufficiens ad motum indeliberatum ſupernaturalem, quo poſito, ſtatim neceſſario ſequitur talis motus: ſi enim prædictum auxilium non eſſet undequaque ſufficiens, adhuc eo poſito, motus indeliberatus poſſet ſuſpendi: ſed poſita ſancta cogitatione, ſtatim neceſſario ſequitur motus indeliberatus, quo voluntas fertur in bonum illa cogitatione propoſitum: voluntas quippe inclinat per modum naturæ in proprium objectum, quod eſt bonum ſibi ſufficienter propoſitum: ergo ſancta cogitatio eſt auxilium undequaque ſufficiens ad primum motum indeliberatum voluntatis.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo: quia non minus potens eſt bonum honeſtum ad excitandum appetitum rationalem, quam bonum ſenſibile ad excitandum appetitum ſenſitivum: ſed bonum ſenſibile ſubito cognitum excitat neceſſario ad ſui proſecutionem: & ideo tradunt communiter Theologi hominem non peccare in motibus primo primis, quibus in bona ſenſibilia, tametſi rationi contraria, inclinat, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 9. *Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum:* quod Tridentinum *ſeſſ. 5. can. 5.* exponit de primis affectionibus prorſus indeliberatis: ergo poſita ſubita cogitatione de aliquo bono ſupernaturali neceſſario voluntas fertur in illud ſaltem affectu ſimplicis complacentiæ.

Confirmatur ſecundo.

Confirmatur ſecundo excludendo tacitam reſponſionem: quia ſi ob aliquam rationem admittendum eſſet auxilium diſtinctum à ſancta cogitatione, per quod voluntas fieret proxime potens ad ſupernaturalem operationem; maxime quia cogitatio non influit effective in effectum voluntatis, ſed tantum formaliter & in genere objecti: at ſic eſt, quod cogitatio, ſeu bonum ut cognitum influit effective phyſice in actus voluntatis, ut cum Gregorio, Herbæo, & aliis docent Cajet. *1. p. q. 80. art. 2.* & eſt ſatis probabile in via D.Th. ut idem Cajetanus oſtendit: ergo ſuppoſita ſancta cogitatione non requiritur novum auxilium, ut voluntas feratur in bonum cognitum, ſaltem affectu indeliberato ſimplicis complacentiæ.

Cajetan. Herbæus.

Solvitur argumentum.

Huic argumento (omiſſa plurium Juniorum doctrina, qui vel univerſaliter affirmant, poſita cogitatione boni honeſti, neceſſario ſequi amorem illius, vel univerſaliter negant prædictam conſecutionem) reſpondetur, quod licet prima ſancta cogitatio ſit neceſſaria in eſſendo: non enim ſubjacet conſilio noſtro, ut talis, vel talis cogitatio nobis occurrat, ut optime docet ex Ariſt. D.Thom. *ſupra quæſt. 109. art. 2. ad 3.* nihilominus prædicta cogitatio aliquando ita eſt neceſſaria in eſſendo, quod ſimul ſit libera in agendo, quandoque vero habet utramque neceſſitatem. Si enim homo bonum ita apprehendat, ut nihil niſi ratio boni in objecto appareat; malum vero, vel bonitatis defectus non reluceat: tum cogitatio eſt prorſus neceſſaria tam in eſſendo, quam in regulando: non enim proponit objectum cum indifferentia, ſed cum determinatione ad unum. Et in eo eventu neceſſarium omnino eſt, quod præſuppoſita tali cogitatione, ſequatur affectus voluntatis in bonum cognitum: fertur enim per modum naturæ in proprium objectum vel adæquatum, vel quod ex modo proponendi, ut adæquatum objicitur. Quæ eſt doctrina Divi Thomæ *in hac 1. 2. quæſt. 9. artic. 4. & quæſt. 10. artic. 1. & quæſt. 111. artic. 2.* & alibi ſæpe. Si autem bonum ita neceſſario

eſſario apprehendatur, ut ejus inadæquatio,
defectus percipiatur; tunc cogitatio eſt neceſ-
a in eſſendo, & indifferens, ſeu libera in re-
ando: quoniam affert extrema oppoſita ſalter
tradictorie, quæ voluntas indifferenter poſſi
electi. Et in hoc caſu non eſt neceſſarium, quo
uatur affectus voluntatis ad bonum cognitum
abſolute fieri valet, ut voluntas ſe ſuſpendat
enſione ſaltem negativa.
6. Argumentum igitur, ut robur habeat, de-
in prima ſuppoſitione procedere. Qua liben
conceſſa, reſpondemus præſuppoſita prim
itatione boni honeſti, neceſſario ſequi affe
n voluntatis erga illum; pro qualitate tame
um ipſius voluntatis: ita ut ſi vires ſint natu
s, ſequatur affectus naturalis; ſi vero ſuper
urales fuerint, affectus ſupernaturalis ſequa
Fieri enim non poteſt, ut quantumcumque, &
eſſario bonum cognitum voluntatem ad ſu
orem ſolicitet; hæc potentia in ipſum ferat
ra ſuas vires; vel quod eliciat actum ſecundu
ernaturalem, niſi in actu primo ejuſdem ord
ſupponatur conſtituta. Et idcirco in hypotheſi
d intellectus cogitatione ſupernaturali attir
et bonum honeſtum, & voluntas nullo aux
ſupernaturali ſibi inhærente ad eliciendu
rem ſupernaturalem roboraretur; quamvis
um ut cognitum ſupernaturalem ſui amore
oſceret, & objective ad ipſum determinare
us tamen ſupernaturalis affectus ad prædicta
tationem conſequeretur, nimirum ob def
n principij effectivi proximi. Cognitio eni
i honeſti non neceſſario infert amorem, niſi
oſitis ſupponendis, nimirum omnibus prin
, quæ undequaque ad amorem deſiderant
od vel Adverſarij admittere tenentur: na
oſita prædicta cogitatione, adhuc ad amore
uiritur novus, & ſpecialis concurſus Dei
ſimultaneus.
Ex quibus liquido conſtat ad primam conf
tionem: concedimus enim bonum tam hon
m, quam ſenſibile ſubito cognitum neceſſita
ntum eſt de ſe, voluntatem ad ſui amore
trum tamen re ipſa prædictum affectum
t, niſi voluntas ſupponatur cum poteſtate p
na ad eliciendum hujuſmodi affectionem.
men diſcrimen in eo, quod poteſtas volunta
amplectendum bonum ſenſibile rationi di
m convenit illi ex ſe, ſive ex propria defe
litate: virtus autem ad proſequendum bon
pernaturale non convenit illi ex propriis pra
tis, ſed per auxilium Dei ſibi ab extrinſeco i
reſſum. Unde data hypotheſi, quod voluntas p
icto auxilio non elevetur, manet proxime im
ens ad eliciendum amorem, quantumcumque
tam, & ſupernaturalem cogitationem ſuppona
Ad ſecundam confirmationem reſponde
atis probabile etiam eſſe in via D. Thom. q
bonum ut cognitum non influit effective in
amorem, ſed tantum finaliter, vel formaliter
uentur Capreolus, & alij apud eundem Cajetan
loco citato. Gratis tamen admiſſo (ut à diſcuſſi
prædictæ difficultatis nunc abſtrahamus) quod
num ut cognitum habeat aliquam efficaciam ſu
ctus voluntatis; dicendum eſt prædictum o
tum non eſſe principium effectivum phyſice
rigoroſe, ſed magis moraliter, & quoad actus de
minationem. Ultra quod requiritur aliud pri
pium proximum elicitivum, & rigoroſe effici
pro qualitate operationis, vel effectus produce
nempe voluntas cum viribus naturalibus ad na
ales actus, & voluntas elevata ſupernaturali vir

te, vel auxilio ad ſupernaturales operationes. Quod recte vidit ipſe Cajetanus *loco cit. §. Quoad ſecundum*, ubi hæc habet: *Appetibile non concurrit cum appetitu ex æquo ad cauſandum actum: ſed appetitus eſt cauſa activa principalis, objectum vero ſecundaria. Immo ſi recte loquendum eſt, appetitus eſt vere cauſa activa; & objectum non eſt proprie alia cauſa activa, ſed ipſi appetitui ratio cauſandi effective ſpeciem ipſius actus.* Quod ibi latius declarat. Videantur, quæ diximus *tract. 6. diſp. 13. dub. 1. §. 2. & 3.*

DUBIUM QUINTUM.

Utrum in habentibus virtutes ſupernaturales requiratur aliud auxilium dans poſſe ad actus qui prædictis virtutibus correſpondent?

Difficultatem hanc ſolent alij aliter proponere, nempe: utrum præter habitus ſupernaturales requiratur auxilium gratiæ excitantis. Sed titulus à nobis præfixus univerſalior eſt, & amplius quid inveſtigat: inquirimus enim, utrum ad ſingulos actus ſupernaturales requiratur auxilium actuale gratiæ adjuvantis, & dantis poſſe proximum, diſtinctum ab omnibus habitibus ſupernaturalibus, tametſi eis homo præditus ſupponatur. Quæ difficultas univerſalius patet, & ad plura ſe extendit, eiuſque deciſio prioris reſolutionem à fortiori confirmat. Unde in præſenti ſupponimus, quod quamvis homo habeat habitus infuſos, adhuc indiget gratia excitante, ſive congrua cogitatione, qua ipſemet habitus ad proprias operationes applicetur, & velut evigilare cogatur. Quod præter unum Andream Vegam *lib. 6. in Trident. cap. 7.* docent communiter alii Theologi, ut videre eſt apud Suarium *lib. 3. de auxiliis cap. 7.* Alvarez *diſp. 88.* & Montеſinos *diſp. 31. q. 4.* Et merito quidem: tum quia id ad minus intendunt Concilium Arauſic. *can. 9. & 25.* & Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5.* Tum etiam quia habitus, cum non operatur, eſt quaſi conſopitus; unde indiget aliqua motione, ſive applicatione, qua incitetur ad operandum: & hæc dicitur gratia excitans. Quod expreſſit Auguſt. *in quæſt. 2. ad Simplicianum*, his verbis: *Quis poteſt credere, niſi aliqua vocatione, hoc eſt, aliqua rerum teſtificatione tangatur? Quis habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moveatur ad fidem?* Idemque de aliarum virtutum actibus, & de ſingulis negotiis intelligendum eſt. Suppoſita igitur hac gratia auxilii excitantis, & quod voluntas v. g. habeat habitum ſupernaturalem, utpute charitatem, inquirimus an requiratur ulterius auxilium phyſice adiuvans, ut actum habitui correſpondentem eliciat.

Supponendum in hoc dubio.

Vega. Suarez. Alvarez. Monteſinos. Conc. Arauſ. Conc. Trid.

D. Auguſt.

§. I.

Eligitur pars affirmativa, & auctoritate, atque ratione probatur.

87. Dicendum eſt, quod etiam ſi in homine ſupponantur habitus ſupernaturales, adhuc requiritur novum auxilium adjuvans, & dans poſſe omnino completum ad actus, qui prædictis virtutibus correſpondent. Hæc aſſertio habet non leve fundamentum in ſacra Scriptura: nam Eccleſiaſtes 9. dicitur: *Non eſt velocium curſus, nec fortium prælium.* Quibus verbis ſignificatur non

Concluſ.

non ſufficere velocitatem, & fortitudinem ad curſum, & victoriam, qui ſunt actus prædictis viribus habitualibus naturaliter reſpondentes; ſed deſiderari majus auxilium, ut exponit D. Hieron. ibidem, & ſuper Ezechiel. *cap.* 4. ad illa verba, *Et facta eſt*, ubi docet Prophetam indiguiſſe virtute Dei, ut progrederetur in campum; licet habuerit virtutem progreſſivam in ſuo genere ſufficientem. Quod amplius proſequitur Hieremiæ *cap.* 25. aſſerens nos ſemper indigere Dei auxilio, *nec poſſe ſufficere, quod ſemel collatum eſt.* Eandem aſſertionem docent Innocentius I. in reſcripto ad Conc. Carthag. ubi ait: *Omnes ſancti ſine adiutorio Dei nihil ſe agere poſſe teſtantur.* Et in reſcripto ad Concilium Milev. inquit: *Neceſſe eſt, ut reſtituta nobis priſtini ſtatus libertate per gratiam, eam gratiam quæramus: quippe qui neque alias diaboli tentationes, & machinas, niſi gratia adiuvante poſſumus evitare.* Ubi præter omnes habitus infuſos, qui ad juſtificationem, ſive reſtitutionem primi ſtatus concurrunt, expoſcit novum auxilium gratiæ, ne dum excitantis, aut concomitantis, ſed etiam adjuvantis, ut homo queat actus prædictis virtutibus reſpondentes elicere. Quod expreſſius adhuc tradit D. Auguſt. *pluribus in locis*, & præcipue *lib. de natura, & gratia cap.* 26. circa finem, ubi ait: *Sicut oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adiutus, non poteſt cernere, ſic homo etiam perfectiſſime iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ divinitus adiuvetur, recte non poteſt vivere.* Unde ſic docent D. Thom. locis infra referendis, & communiter S. Doctoris diſcipuli. Capreol. *in* 2. *diſt.* 1. *qu.* 2. *concl.* 3. Ferrara 3. *contra gentes cap.* 70. §. *Circa illam propoſitionem.* Navarrete, *tom.* 2. *contr.* 19. *concl.* 2. Alvarez *diſp.* 88. *num.* 12. Cabrera 3. *p. q.* 62. *art.* 1. *diſp.* 8. §. 5. Arauxo *in præſenti q.* 111. *art.* 5. *dub.* 3. *in fine, & lib.* 7. *Metaph. q.* 4. *art.* 4. *concl.* 1. *ratione* 3. *& lib.* 8. *q.* 9. *art.* 3. *in dubio appendice num.* 36. & denique M. Ioan. Vincentius, & alij graviſſimi Auctores, quos ſuppreſſo nomine refert Ledeſma infra laudandus. Et idem ſatis expreſſe ſtatuimus *tract.* 13. *diſp.* 3. *dub. unico num.* 8.

D. Hieron. Innocent. I. D. Auguſt. D. Thom. Capreolus. Ferrara. Navarrete. Alvarez. Cabrera. Arauxo. Vincentius. Ledeſma.

Ratio pro aſſertione.

88. Ratio fundamentalis eſt: quoniam licet voluntas verbi gratia elevetur, ac perficiatur per habitum charitatis (idem proportionabiliter intellige de aliis potentiis, & habitibus eis inhærentibus) adhuc tamen non habet vires ſufficientes ad producendum actum charitatis: ergo indiget novo auxilio actuali, quod ſibi prædictas vires communicet. Conſequentia liquet: nam ſi ſemel habitus, aut alia qualitas permanens non confert vires omnino ſufficientes ad eliciendũ actum; vel homo nullo modo prædictum actum producet, quod eſt abſurdum; vel elevandus, & adjuvandus eſt per novum auxilium actuale. Antecedens autem probatur: quia in actu charitatis tria inter alia conſiderari poſſunt, videlicet tendentia ſpecifica in objectum virtutis charitatis, & actualitas per modum exercitij, & denique exiſtentia: atqui licet habitus habeat vires ſufficientes ad producendum actum ſecundum tendentiam ſpecificam in objectum; eo quod actus ſic conſideratus eſt ejuſdem rationis cum habitu: caret tamen prædictis viribus in ordine ad attingendum actualitatem actus, ut oſtendimus *loco ſupra citato*, & in ordine ad producendum exiſtentiam, ut probant N. Compl. abbreviati *in lib. de generat. diſp. ultima q.* 2. §. 3. *&* *q.* 5. §. 2. ergo homo elevatus per virtutem charitatis non habet vires ſufficientes ad producendum actum hujuſmodi virtuti correſpondentem.

Confirmatur.

Confirmatur primo declarando amplius robur rationis factæ: nam cauſa habens vires omnino ſufficientes ad producendum aliquem effectum adæquat illius perfectionem: ubi enim inadæquatio, & exceſſus invenitur, nequit virtus, & proportio undequaque ſufficiens reperiri, ut ex terminis conſtare videtur: atqui habitus charitatis non adæquat perfectionem exiſtentiæ, & actualitatis, quæ in charitatis actu inveniuntur: ergo habitus charitatis non habet vires ſufficientes ad eliciendum charitatis actum: & conſequenter indiget novo auxilio actuali, ut prædictum effectum attingat. Probatur minor in primis quoad exiſtentiam: nam habitus ſecundum ſuam eſſentiam conſideratus non adæquat actualitatem, & perfectionem exiſtentiæ propriæ; ſiquidem comparatur ad eam per modum perfectibilis, & potentiæ ad ſuam perfectionem, & actum: ſic enim eſſentia, & exiſtentia cujuſlibet rei in quolibet ordine comparantur: atqui exiſtentia habitus non excedit actualitatem, & perfectionem exiſtentiæ actus, ut ex ſe liquet: ergo habitus ſecundum ſuam eſſentiam conſideratus non adæquat exiſtentiam actus eliciendi: aliunde autem exiſtentia habitus non eſt virtus operativa, ſed mera conditio ad agendum, ut probant N. Complut. *ubi ſupra q.* 6. §. 1. nihil ergo habet habitus per quod adæquet perfectionem exiſtentiæ actus producendi. Deinde probatur eadem minor quantum ad actualitatem effectus: quia licet eadem tendentia ſpecifica in objectum conveniat tam actui, quam habitui; nihilominus prædicta tendentia convenit actui per modum actualis exercitii, & unionis potentiæ cum objecto: atque ideo eſt multo magis actualior, quam prout in habitu reperitur: alias non magis conſtitueretur potentia in actu per operationem, quam per habitum, quod eſt abſurdum: habitus ergo non adæquat perfectionem actus ſecundum actualitatem conſiderati.

89. Quam doctrinam tradit D. Thom. 1. *p. q.* 8. *art.* 1. *& q.* 45. *art.* 5. *& lib.* 3. *contra gentes cap.* 66. ubi eam probat ſex acutiſſimis rationibus, quarum duas tantum referemus, quia multum explicant: & corroborant hactenus dicta. *In omnibus*, inquit, *cauſis agentibus ordinatis, quod eſt ultimum in generatione, & primum in intentione, eſt proprius effectus primi agentis: ſicut forma domus, quæ eſt proprius effectus ædificatoris, poſterius provenit, quam præparatio elementi, & lapidum, & lignorum, quæ fiunt per artifices inferiores, qui ſubſunt ædificatori: in omni autem actione eſſe in actu eſt principaliter intentum, & ultimum in generatione: nam eo habito quieſcit agentis actio, & motus: eſt igitur eſſe proprius effectus primi agentis: & omnia, quæ dant eſſe, hoc agunt, in quantum agunt in virtute Dei. Amplius* (ſubjicit aliam rationem) *ultimum in bonitate, & perfectione inter ea, in quæ poteſt agens ſecundum, eſt illud, in quod poteſt ex virtute agentis primi: nam complementum virtutis agentis ſecundi eſt ex virtute agentis primi: quod autem eſt in omnibus agentibus perfectiſſimum, eſt eſſe: qualibet enim natura, vel forma perficitur per hoc, quod eſt actu; & comparatur ad eſſe in actu, ſicut potentia ad actum ipſum: igitur eſſe eſt, quod agentia ſecunda agunt in virtute primi agentis.* Quod amplius declarat *in quæſt.* 3. *de potentia articulo* 7. *in corpore*, ubi poſtquam prænotavit agentia ſecunda dependere à Deo, quatenus acceperunt ab eo virtutem activam, & ab illo conſervantur, & applicantur ad agendum, adjicit quartum genus dependentiæ, nimirum quia nequeunt attingere effectus exiſten

Roboratur ex D. Thom.

exiſtentiam, niſi quatenus agunt in virtute Dei. Quod ſic oſtendit: *Quantum aliqua cauſa eſt altior, tanto eſt communior, & efficacior: & quanto eſt efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipſum reducit in actum. Ipſum autem eſſe eſt communiſſimus effectus, primus, & intimior omnibus aliis effectibus. Et ideo ſoli Deo competit ſecundum virtutem propriam talis effectus. Unde etiam, ut dicitur in lib. de cauſis, intelligentia non dat eſſe, niſi prout eſt in ea virtus divina. Sic ergo Deus eſt cauſa omnis actionis, prout quodlibet agens eſt inſtrumentum divinæ virtutis operantis.* Similiter idem S. Doctor tradit exceſſum perfectionis ſive actualitatis actus ſupra habitum, aut aliam quamlibet virtutem permanentem pluribus in locis, & præcipue 1. *p. qu.* 48. *art.* 6. in corpore, ubi ait: *Bonum ſimpliciter conſiſtit in actu, & non in potentia: ultimus autem actus eſt operatio, vel uſus, &c.* & 1.2.*q.*71.*art.*3.*in corpore*, ubi inquit: *Potior eſt actus in bonitate, vel malitia, quam habitus.* Et in reſponſ. ad 3. *In bonitate*, ait, *& malitia actus præeminet habitui.* Videantur, quæ diximus *loco citato*, ubi alias auctoritates expendimus.

Confirmatur [illegible]

90. Ex quibus confirmatur ſecundo ratio ſuperius facta: nam ideo potentia naturalis indiget virtute ſibi ſuperaddita ad eliciendum ſupernaturalem operationem; quia prædicta operatio ſecundum ſuam ſpeciem conſiderata excedit vires proprias potentiæ: atqui eadem operatio ſecundum ſuam exiſtentiam, & actualitatem acceptam excedit vires, & perfectionem cujuſcumque ſupernaturalis virtutis habitualis: ergo quamvis homo ſupponatur adjutus, & elevatus per virtutes ſupernaturales, adhuc indiget novo auxilio, ut queat proxime elicere operationes hujuſmodi virtutibus reſpondentes: id quippe evincit eadem proportionis, & paritatis ratio.

Confirmatur tertio: quia inſtrumenta divinæ virtutis, cum actu agunt, recipiunt aliquam virtutem fluidam, per quam elevantur, & proportionantur ad agendum: ſed homo in qualibet operatione ſe habet ut inſtrumentum divinæ virtutis: ergo quamvis homo ſupponatur elevatus per virtutes, & qualitates permanentes; adhuc indiget nova aliqua virtute fluida, quam vocamus actuale auxilium. Conſequentia conſtat. Major autem eſt communis doctrina Thomiſtarum deſumpta ex

D.Thom.

Divo Thoma 3. *p. q.* 62. *art.* 4. *in corp.* ubi ait: *Ponendo, quod ſacramentum eſt cauſa inſtrumentalis gratiæ, neceſſe eſt ſimul ponere, quod in ſacramento ſit quædam virtus inſtrumentalis ad producendum ſacramentalem effectum. Et hæc quidem virtus proportionatur inſtrumento. Unde comparatur ad virtutem abſolutam, & perfectam, ſicut comparatur inſtrumentum ad agens principale. Inſtrumentum enim non operatur, niſi in quantum eſt motum à principali agente, quod per ſe operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens, & completum eſſe in natura: virtus autem inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex uno in aliud, & incompletum: ſicut & motus eſt actus imperfectus ab agente in patiens.* Quod late declarant N. Complutenſ. *in lib. Phyſic. diſp.* [illegible] *quæſt.* 1. Majorem etiam tradit idem S. Doctor *loco citato ex quæſt.* 3. *de potentia*, illis verbis: *Sic ergo Deus eſt cauſa omnis actionis, prout quodlibet agens eſt inſtrumentum divinæ virtutis operativæ.* Et *in hac* 1.2. *quæſt.* 6. *art.* 1. *ad* 3. ait: *Deus movet hominem ad agendum non ſolum ſicut proponens ſenſui appetibile, vel ſicut immutans corpus; ſed etiam ſicut movens ipſam voluntatem: quia omnis motus tam voluntatis, quam naturæ ab eo procedit, ſicut à primo movente in quantum natura eſt quoddam inſtrumentum Dei moventis: ita non eſt contra rationem actus voluntarij, quod ſit à Deo, in quantum voluntas à Deo movetur, &c.*

91. Dices rationem, quam hactenus ponderavimus, non urgere ſpecialiter in actibus, & auxiliis ordinis ſupernaturalis, pro quibus ipſam conſtruximus, ſed generaliter procedere in omni ordine tam naturæ, quam gratiæ: atque ideo videri minus aptam ad probandam ſpecialem aſſertionem; cui congruentius foret ſpeciale fundamentum aptare. *Objectio diluitur.*

Reſpondetur prædictam rationem ideo potius aptiſſimam, & efficaciſſimam eſſe, quia procedit in principiis univerſalibus, & quæ ubique evincunt neceſſitatem novi auxilij ſufficientis ſupra habitus, & qualitates permanentes, juxta illud D. Hieronymi: *Non poteſt ſufficere, quod ſemel collatum eſt.* Et quamvis aſſertio noſtra ſit ſpecialis; fieri tamen potuit, & debuit, ut principiis generalibus, atque adeo certioribus, ejus veritatem oſtenderemus, imitati D. Th. *hac* 1.2.*qu.*109. *art.*1. ubi eodem modo ſe gerit, & alibi ſæpe.

§. II.

Objectio contra præcedens fundamentum, & illius enodatio.

92. SEd adverſus noſtram aſſertionem, & adverſus ejus fundamentum oppones primo: quoniam nulla virtus operativa, quantumvis actualis fingatur, adæquat actualitatem operationis, & perfectionem exiſtentiæ: ergo vel dicendum eſt, quod poſito quolibet auxilio, requiritur aliud, & ſic uſque in infinitum; vel dicendum eſt non requiri hujuſmodi adæquationem ut potentia, & habitus queant operationem elicere. Si enim potentia elevata per auxilium poteſt ſuum actum producere, quamvis ejus actualitatem, & exiſtentiam non adæquet; quare elevata per habitum non poterit eandem operationem efficere? præſertim cum habitus non minoris perfectionis ſit, ac auxilium. *Prima objectio contra præcedentem doctrinam.*

Huic objectioni occurrit perdoctus quidam Junior diſcipulus D. Thom. negando antecedens: exiſtimat enim auxilium Dei actuale continere eminenter perfectionem cujuſlibet operationis eliciendæ, atque ideo non indigere novo auxilio, ut eam eliciat. Pro quo obſervat omnipotentiam, quam habitus ſupernaturales, auxilia, & operationes diverſimode participant, dicere tres quaſi conceptus objectivos ratione noſtra diſtinctos, nimirum conceptum principij operativi, munus operationis, & rationem principij actualis, quod eſt ſua operatio. Ex quibus hic poſterior conceptus eſt aliis duobus præſtantior: neque enim principium potens operari; nec actualis operatio, ſi ſeorſim accipiantur, adæquant perfectionem principij actualis, ſive ejus, quod ita eſt potens operari, ut ſimul ſit ſua operatio: quippe quod unit eminenter alias duas illas rationes. Hoc autem, inquit, diſcrimen intereſt inter habitum infuſum, auxilium, & operationem, quod habitus ſolum imitatur divinam omnipotentiam quantum ad conceptum principij operativi; operatio autem quantum ad rationem exercitij; auxilium autem quantum ad efficaciam principij actualis, quod utrumque munus tam principij operativi, quam *Prima reſponſio.*

opera

Digitized by Google

operationis cum quadam eminentia complectitur. Taliter enim confert potentiæ vires ad operandum, quod ſimul eaſdem cum operatione re ipſa conjungit. Unde auxilium excedit perfectionem tam habitus, quam operationis. Et conſequenter non infertur, vel quod potentia actuata per hoc auxilium alio auxilio communicante vires indigeat, vel quod actuata per habitum poſſit abſque novo auxilio operationem elicere. Quam doctrinam tueri videntur plures Thomiſtæ, qui abſolute docent potentiam actuatam per auxilium eſſe cauſam principalem operationis: nam ad cauſam principalem ſpectat continere formaliter, vel eminenter perfectionem effectus. Videantur Ledeſma *quaſt. unic. de auxiliis art. 5.* ante quartam concluſionem, Cabrera *ubi ſupra num. 89.* Zumel *diſp. 5. de auxiliis fol. 145.* N. Philipp. *diſp. 3. dub. 7.* & alij.

Ledeſma. Cabrera. Zumel. Philipp. à Trinit. Diſplicet.

93. Hæc tamen reſponſio non ſatisfacit, ſed deficit in pluribus. Tum quia fundamentum, cui innititur, falſum eſt, nempe auxilium actuale, de quo loquimur, participare divinam omnipotentiam, nedum quoad conceptum principij operativi, ſed etiam quantum ad munus operationis. Hujuſmodi enim auxilium neque eſt formaliter operatio, nec eam infallibiliter infert, ſed eſt principium ab ea ſimpliciter ſeparabile, & quod multoties actu ſeparatur: unde nulla eſt ratio, cur dicatur participare divinam omnipotentiam in ratione principii, ſecundum quod eſt formaliter ſua operatio. Tum etiam quia ideo habitus non adæquat perfectionem operationis, quia hæc eſt actualior, quam ille, & importat exiſtentiam, quæ in nulla virtute activa creata principaliter continetur, ut ſupra vidimus ex D. Thoma; atqui hæc ratio etiam militat in auxilio, quod eſt minus actuale, quam operatio, ſiquidem ad eam ordinatur tanquam ad ultimam actualitatem potentiæ, ejuſque exiſtentiam non continet: ergo auxilium non adæquat perfectionem operationis. Tum præterea, quoniam ſi potentia elevata per auxilium contineret eminenter perfectionem operationis, non poſſet hanc formaliter recipere, vel ſaltem fruſtra actuaretur per illam; nam quod eſt eminenter tale, præſtat ſecluſis imperfectionibus, quod poſſet communicari ab eo, quod eſt formaliter tale: & ideo ſol nequit recipere calorem formalem, quia videlicet eſt calidus eminenter per lucem: conſequens eſt falſum; ſiquidem auxilium ordinatur ad operationem formalem: ergo non continet illam eminenter. Tum denique quia ſi auxilium ita adæquat perfectionem operationis, ut omnes ejus rationes formaliter, vel eminenter contineat, ſequitur quod per ſemetipſum, & antecedenter ad operationem conſtituet hominem in actu formaliter, vel eminenter operantem. Sicut quia Deus per ſuam virtutem operativam continet formaliter eminenter actum ſecundum, conſtituitur operans in actu ſecundo per eandem virtutem, quin opus ſit operationem realiter, vel formaliter, vel virtualiter diverſam elicere. Videantur N. Complut. *in lib. Phyſic. diſp. 18. q. 1.*

Notanda pro legitima objectionis ſolutione.

94. Aliter ergo objectioni occurrendum eſt, prænotando *primo* operationem poſſe bifariam conſiderari, nempe quoad ſpeciem, ſeu tendentiam ſpecificam in objectum, deinde quoad actualitatem, & exiſtentiam. Et quidem primo modo conſiderata non excedit perfectionem habitus, immo plerumque ipſi in hac parte cedit: nam tendentia ſpecifica habitus univerſalior eſt, & ad plura objecta ſe extendit: operatio autem participat illam tendentiam inadæquate, & cum majori reſtrictione. Poſteriori autem modo ſumpta nequit non excedere habitum, & quamlibet virtutem operativam, ut ſatis liquet ex dictis §. *præcedenti*. Unde cum de ratione cauſæ principalis ſit continere eminenter, vel formaliter effectum; ſequitur, quod habitus producat per modum cauſæ principalis operationem ſecundum ſuam ſpeciem conſideratam: quod præciſe intendunt Thomiſtæ citati, & nos ſtatuimus *dub. præcedenti §. 2. in reſponſione ad primam objectionem.* Alias autem rationes nequit niſi inſtrumentaliter producere, ut diximus *loco ſuperius citato.*

Secundo obſerva ex D. Thom. *q. 3. de potentia art. 8. ad 13. & 14.* quod licet de ratione cujuſcumque cauſæ efficientis ſit continere aliquomodo in actu ſuum effectum (implicat enim efficere in actu ſecundo, quod aliquomodo non contineatur in actu primo) aliter tamen & aliter convenit hæc continentia cauſæ principali, ac inſtrumentali. Principalis enim continet perfecte formaliter, quod eminenter rationem illam, quam per ſe reſpicit, & principaliter producit, ut poteſt inductive oſtendi, & docent communiter Philoſophi. Cauſa autem inſtrumentalis, quatenus talis, non continet perfecte, & adæquate rationem, quam attingit, ſed deficienter tantum, & imperfecte: aliter enim exueret rationem inſtrumenti, & eo ipſo cauſa principalis conſtitueretur. Quod ſatis liquet in omnibus inſtrumentis: potentia enim nutritiva non adæquat perfectionem ſubſtantiæ, nec virtus ſacramentalis perfectionem gratiæ ſanctificantis, quas inſtrumentaliter attingunt. Sublevanda tamen, & promovenda eſt cauſa inſtrumentalis per aliquid intrinſecum: nam hoc ſublato nec poterit agenti principali ſubordinari, nec effectum aliquomodo præcontinere, ut latius explicant N. Complutenſes *in libro Phyſicorum diſputatione 12. quæſtione prima.* D.Thom.

Ex quo fit, & nota *tertio*, quod licet repugnet cauſam recipere in ſe illum effectum, quem ſub omni ratione principaliter producit, *ut ſupra numero præcedenti* diximus: fieri tamen poteſt, ut in ſe recipiat effectum, quem ſecundum aliquam, aut aliquas rationes, & præcipue ſecundum ultimam actualitatem, inſtrumentaliter tantum attingit. Et ratio differentiæ eſt: quoniam unumquodque recipit ſecundum quod eſt in potentia paſſiva: cauſa autem, quæ ſecundum omnem rationem producit principaliter aliquem effectum, non eſt in potentia paſſiva ad illum; ſed eum continet in actu formali, vel eminenti unde impoſſibile eſt, quod eum in ſe recipiat. E converſo autem cauſa inſtrumentalis non continet formaliter, vel eminenter effectum, ſed tantum ſecundum quid, & valde deficienter; atque ideo optime cohæret, quod maneat ſimpliciter in potentia paſſiva ad illum: unde fieri poteſt, quod recipiat in ſe effectum, quem inſtrumentaliter attingit. Et quamvis in prædicto effectu, utpote in operatione vitali, attingat principaliter aliquam rationem, verbi gratia tendentiam ſpecificam in objectum: quam proinde ſeorſum, & ſecundum ſe conſideratam non poſſet in ſe recipere: nihilominus ſi eodem effectu producat inſtrumentaliter alias rationes, verbi gratia actualitatem, & exiſtentiam; optime valet actuari per prædictum effectum ut hujuſmodi rationibus veſtitum: has quippe, & effectum ut eis circundatum, non continet in actu perfecto. Neque natura intendit producere, vel recipere operationem ſumptam præciſe quoad tendentiam ſpecificam: hac quippe

quippe ſufficienter præhabetur in potentia, vel virtute operativa: ſed intendit efficere, & recipere eundem reſpectum ut actuatum per exiſtentiam, & ultimum ſui exercitium; quæ prout ſic non continetur actu perfecte in potentia, vel virtute, ut conſtat ex dictis.

Applicatio præcedentis doctrinæ, & objectionis ſolutio.

95. Ex his ad objectionem reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam quoad utramque partem. Nam licet auxilium non contineat perfecte actualitatem, & exiſtentiam operationis, eam tamen continet per modum virtutis, aut elevationis inſtrumentariæ. Unde non ſequitur, quod indigeat ulteriori auxilio dante majorem virtutem elevantem: nam licet inſtrumentum egeat virtute ſibi ſuperaddita; ipſa tamen elevatio illam non expoſcit, ſed potius per ſemetipſam elevat, & proportionat cauſam inferiorem, & de ſe impotentem ad operandum, ut inductive poteſt oſtendi. Nec ſequitur, quod potentia, vel habitus, aut alia qualitas permanens queant ſine nova elevatione, aut virtute ſuperaddita attingere exiſtentiam, & actualitatem operationis: quia hujuſmodi virtutes permanentes non ſunt ipſa elevatio ad attingendum tales rationes; ſed tantum ſunt inſtrumenta elevabilia. Quamobrem indigent actualiori virtute collata per modum auxilij tranſeuntis, ut ad productionem perfectiſſimæ actualitatis, quæ in operatione reperitur, proportionetur. Nec tandem ſequitur, quod potentia nequeat in ſe recipere operationem, quam elicit, ut contra Juniorem ſupra citatum inferebamus: nam licet cauſa principalis contineat perfecte ſuum effectum, quem proinde recipere in ſe non valet: cauſa tamen inſtrumentalis, cujuſmodi eſt potentia elevata per auxilium reſpectu exiſtentiæ, & actualitatis operationis, eum non continet perfecte: atque ideo ipſum recipere poteſt. Unde magis liquet, quam merito aſſeruerit D. Thomas omnem cauſam creatam elicere inſtrumentaliter ſuam operationem, ſaltem ſecundum aliquem conceptum acceptam. Si enim ad ipſam adæquate ſumptam concurreret præciſe per modum cauſæ principalis, eo ipſo contineret adæquate in actu ejus perfectionem, proindeque non eſſet in potentia paſſiva ad eam recipiendam: ergo à contrario ſenſu ſi omnis cauſa creata vitalis recipit ſuam operationem; ſignum eſt, quod eam perfecte non continet, & quod non attingit per modum cauſæ principalis omnes conceptus in ea repertos, ſed tamen inſtrumentaliter.

Ad id quod ultimo in hac objectione dicebatur, nempe habitum eſſe præſtantiorem auxilio, reſpondetur admittendo, quod auxilium ſit minus perfectum, quam habitus, ſi comparentur quantum ad univerſalitatem tendentiæ ſpecificæ in objectum, ut ſupra inſinuavimus *num.* 88. vel quantum ad modum eſſendi, vel denique in eſſe entis. Nihilominus ſi quantum ad actualitatem conferantur, auxilium præeminet habitui: nam auxilium eſt magis actuale, deſcenditque à Deo, quatenus ſpecialiter præcontinet exiſtentiam & ultimam actualitatem cujuſvis actionis creatæ. Unde aptius eſt ad producendum inſtrumentaliter hujuſmodi formalitates. Idque frequenter accidit in aliis inſtrumentis, & virtutibus inſtrumentariis: nam virtus elevans multoties habet minorem perfectionem in eſſe entis, ac inſtrumentum, quod elevatur: ut accideret, ſi Deus uteretur Angelo tanquam inſtrumento ad producendam formicam.

Replica.

96. Nec refert, ſi opponas, quod gratis conceſſo cauſam ſecundam attingere inſtrumentaliter ſuam operationem quantum ad actualitatem, & exiſtentiam; minime infertur, quod habitus infuſus debeat denuo elevari per aliquod auxilium actuale ipſi ſuperadditum, & ab eo realiter diverſum: ſufficit enim ipſemet habitus, quatenus per ſe, & intranſitive habet rationem virtutis inſtrumentariæ in ordine ad aliquem conceptum operationis. Quod declarari poteſt exemplo caloris: hic enim elicit ſuam calefactionem & principaliter, & inſtrumentaliter: principaliter quidem, quatenus calefactio producit calorem ſecundum ſe, ſiſtendo ibi: inſtrumentaliter vero, quatenus calefactio attingit eundem calorem, ut eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem: ſub hac quippe ratione calefactio excedit virtutem propriam caloris agentis, ſolumque procedit ab illo, quatenus agit inſtrumentaliter in virtute ſubſtantiæ. Et nihilominus calor præſtat hoc poſterius munus abſque nova elevatione ſibi realiter ſuperaddita, ut tradunt Complutenſ. *in libro Phyſic. diſput.* 10. *quæſt.* 5. Idem igitur in noſtro caſu dicendum erit, & conſequenter ſuperflue adjicimus novum auxilium. Præſertim cum ſuperfluum ſit fieri per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora.

Diluitur.

Hoc, inquam, non refert, ſed facile diluitur ex dictis. Nam licet virtus inſtrumentalis non debeat adæquare perfectionem effectus principalis agentis; ad eam tamen, quantum fieri poteſt, debet accedere, eidemque proportionari. Effectus autem, ad quam in noſtro caſu creatura concurrit inſtrumentaliter, excedit ejus virtutem ratione maximæ actualitatis, in qua creaturæ agenti præeminet. Unde virtus inſtrumentaria ad hanc actualitatem attingendam requiſita debet eſſe valde actualis, & maxime imitari actualitatem Dei principalis agentis. Hoc autem convenit auxilio actuali, non autem habitui, aut alteri qualitati permanenti: eo quod habitus commenſuratur per ſe cum actu conſiderato ſecundum ſpeciem, & tendentiam in objectum; non vero cum ejus exiſtentia, & actualitate, & ſub illa priori ratione participat increatam Dei virtutem. Auxilium vero, quod de novo adjicimus, ordinatur per ſe primo ad actualitatem, & exiſtentiam operationis, eaſque ſaltem imperfecte, & vialiter præcontinet: atque ideo non imitatur Dei virtutem præcipue quantum ad tendentiam ſpecificam in objectum, quæ ſufficienter præhabetur in habitu; ſed magis quantum ad continentiam exiſtentiæ, & ultimæ actualitatis, quæ in habitu non præcontinetur. Unde non fruſtra, ſed neceſſario ſuperadditur hujuſmodi auxilium.

Per quod ſatis liquet ad exemplum in contrarium adductum: nam etiam calor indiget novo auxilio actuali, ut queat elicere calefactionem ſecundum exiſtentiam, & actualitatem conſideratam: quod nunquam negarent N. Complutenſ. Ad eandem vero calefactionem, ut inſtrumentaliter eſt inductiva ſubſtantiæ, non expoſcit novam elevationem actualem: quia pro hujuſmodi effectu nihil intereſt, quod virtus elevans ſit, vel non ſit adeo actualis, ſed tantum deſideratur, quod calor influat per ſubordinationem ad ſubſtantiam principaliter agentem. Et quia calor habet prædictam ſubordinationem ex eo, quod dimanaverit à ſubſtantia, ipſique ex natura ſua adjunctus fuerit per modum virtutis proximæ illius: propterea hac dimanatione ſuppoſita, non indiget elevari per novam virtutem, aut motionem inſtrumentariam. Oppoſitum autem contingit in noſtro caſu, ut conſtat ex dictis.

Digitized by Google

Adde ſubſtantiam creatam non eſſe immediatè operativam per actionem, ſed tantum dimanationem. Unde pro illo inſtanti, in quo paſſiones ab ea dimanant, communicat ipſis omnem virtutem elevantem, quam communicare valet: poſtea vero nullam immediatè exerit actionem elevativam, vel confortantem. Quamobrem obligamur dicere, quod calor accepit in ſua dimanatione virtutem inſtrumentariam ad producendum ſubſtantiam: nec poſſumus admittere, quod denuo elevetur per novum ſubſtantiæ influxum, & per novam receptionem virtutis, ut optimè declarant N.Complut. *in lib. Phyſic. diſp.*10. *quæſt.*6. Deus autem, poſtquam produxit habitus infuſos, queit ipſis novam virtutem adjicere: idque reipſa præſtat communicando novum auxilium actuale, ut in aſſertione ſtatuimus. Addi etiam valet non potuiſſe communicari creaturæ virtutem permanentem ad producendum *eſſe*, niſi conſtitueretur in ratione principij univerſalis eſſendi: quod repugnat. Videatur Alvarez diſp.19. de auxilis num.5.

Alvarez.

§. III.

Alteri objectioni emergenti ex dictis occurritur.

Secunda objectio principalis.

97. DEinde noſtræ aſſertioni, & illius fundamento oppones *ſecundo*, quod licet admittatur habitus infuſos, & generaliter omnem virtutem creatam non producere principaliter exiſtentiam, & actualitatem ſuarum operationum; perperam tamen ex hoc infertur, quod debeant concurrere inſtrumentaliter, atque ideo quod petant elevari per aliquam motionem, vel auxilium. Fieri enim poteſt, quod nullo modo activè, vel principaliter, vel inſtrumentaliter ad hujuſmodi rationes concurrant; ſed tantum materialiter, & quaſi diſpoſitivè, efficiendo videlicet ſubjectum receptivum, & determinativum talium formalitatum. Quod quantum ad exiſtentiam docet Bañez 1. *part. quæſt.*3. *art.*4. *dub.*4. ubi modicus defendit, quod juxta ſententiam D Thom. *eſſe* nullo modo producitur ab agente creato; reprehenditque S. Doctoris diſcipulos, qui oppoſitum opinantur. Idque ſibi perſuadet: tum quia S. Doctor ubique aſſerit exiſtentiam eſſe effectum ſolius Dei, ut 1. *part. quæſt.*5. *artic.*1. in corpore, & *lib.*2. *contra gentes, cap.*11. & *lib.*3. *cap.*66. & *quæſt.*7. *de potentia art.*2. & alibi ſæpè: quod verificari non valet, ſi admittamus creaturas eſſe cauſam effectivam, ſaltem inſtrumentalem exiſtentiæ. Tum etiam quia idem S. Doctor 1. *part. quæſt.*45. *art.*5. probat, quod creare eſt ſolius Dei, quia *eſſe*, quod eſt terminus proprius creationis, producitur à ſolo Deo: ergo à contrario ſenſu, ſi creatura poteſt eſſe inſtrumentum ad producendum *eſſe*, pariter poterit eſſe inſtrumentum ad creandum, quod reprobat Divus Thomas ibidem. Tum denique quia abſurdum eſt, quod eadem cauſa comparetur ad eumdem effectum totalem per modum cauſæ principalis, & inſtrumentalis, cum hujuſmodi cauſæ habeant rationes ſatis oppoſitas: ergo cum creaturæ concurrant principaliter ad ſuas operationes, negandum eſt, quod in eaſdem influant inſtrumentaliter, quatenus important exiſtentiam: ſed hujuſmodi effectus ratio ſoli Deo, unico agenti attribuenda eſt.

Bañez.

D.Thom.

Nota pro objectionis enodatione.

98. Ut huic objectioni occurramus, & magis demonſtremus robur rationis ſuperius factæ, obſerva *primo*, quod licet Deus poſſit non uti creaturis vel tanquam cauſis principalibus, vel tanquam inſtrumentis in ordine ad productionem plurium effectuum: nihilominus eis de facto utitur, quoties vel ex parte effectus, vel ex parte modi eum attingendi non adeſt repugnantia in eo, quod mediis creaturis fiat, ut contingit, quando effectus per ſolam creationem producitur. Et hac ratione, quamvis poſſet Deus hæc inferiora per ſe ſolum efficere, admittit tamen ad eorum productionem influxum cœlorum, ut oſtendunt N. Complut. abbreviati *tractat. de Cœlo, diſput.*4. *quæſt.*1. & 4. & licet poſſet per ſemetipſum movere immediatè cœlum, illud tamen de facto movet mediante Angelo, ut declarant prædicti Auctores *in eodem tract. diſp.* 5. *quæſt.*3. cujus ratio traditur à D.Thom. 1. *part. quæſt.*103. *art.*6. his verbis: *Cum per gubernationem res, quæ gubernantur, ſint ad perfectionem perducendæ; tanto erit melior gubernatio, quanto maior perfectio à gubernante rebus gubernatis communicatur. Maior autem perfectio eſt, quod aliquid in ſe ſit bonum, & etiam ſit aliis cauſa bonitatis, quam ſi eſſet ſolummodo in ſe bonum. Et ideo ſic Deus gubernat res, ut quaſdam aliarum in gubernando cauſas conſtituat. Sicut ſi aliquis Magiſter diſcipulos ſuos non ſolum ſcientes faceret, ſed etiam aliorum Doctores.*

D.Thom.

Deinde obſerva nullam inveniri repugnantiam in eo, quod *eſſe*, & actualitas operationis producatur inſtrumentaliter ab eadem cauſa creata, quæ hujuſmodi operationem ſecundum ſpeciem acceptam principaliter producit. Quoniam id, quod fit per eductionem, eſt attingibile per actionem creaturæ, ſaltem inſtrumentaliter, & cum ſubordinatione ad Deum principaliter agentem, ut inductivè poteſt oſtendi: ſed exiſtentia cujuſlibet operationis fit per eductionem, non minus ac ipſa operatio; ſiquidem exiſtentia non fit per ſe, ſed ad productionem ejus, quod exiſtit: nulla eſt ergo repugnantia in eo, quod exiſtentia operationis producatur inſtrumentaliter ab eadem creatura, quæ eandem operationem principaliter producit. Videatur Caietanus 1. *part. quæſt.*8. *art.*1.

Caietanus.

99. Ex iis reſpondetur ad objectionem retorquendo illam in ejus Auctorem: nam creatura concurrit de facto, ſaltem inſtrumentaliter, ad illas rationes, quibus non repugnat, quod attingantur inſtrumentaliter à creatura: ſed nulla eſt repugnantia in eo, quod creatura producat inſtrumentaliter exiſtentiam ſuæ operationis: ergo creatura illam inſtrumentaliter producit. Major conſtat ex primo notabili, & minor ex ſecundo: conſequentia autem eſt legitima. Unde liquet, quod ſuppoſita prædicta non repugnantia, & quod habitus infuſus non producat principaliter exiſtentiam ſuæ operationis; merito intulimus, quod eam attingat inſtrumentaliter. Cumque de ratione inſtrumenti ſit actuari, & elevari per aliquam motionem derivatam ab agente principali; neceſſario ſequitur præter habitus infuſos requiri hujuſmodi motionem ad eliciendum actus, qui prædictis habitibus correſpondent. Et hanc motionem merito vocamus novum, & diſtinctum auxilium.

Solvitur objectio.

100. Nec refert; ſi cum quodam Thomiſta Juniore, cui Bañez ſententia arridet, dicas exiſtentiam nec de facto, nec de poſſibili poſſe produci per actionem creatam: exiſtimat enim produci per actionem creativam, quam nulla creatura adhuc inſtrumentaliter elicere valet, ut docent communiter Thomiſtæ ex Div. Thom. 1. *part. quæſt.*45.

Replica.

quæſt.45. art.5. Movetur que ad ita ſentiendum ex eo, quod ultimus, & univerſaliſſimus actus, cujuſmodi eſt exiſtentia, debet ita proportionabiliter à Deo dependere, ac dependet prima, & univerſaliſſima potentia, videlicet materia prima: ſed hæc ita dependet à Deo, ut petat ab ipſo creari, & per nullam actionem creatam valeat principaliter, aut inſtrumentaliter attingi: idem ergo de exiſtentia dicendum eſt.

Reſponſio. Hoc, inquam, non refert, ſed falſitatis convincitur. Tum quia exiſtentia non fit per ſe, ad productionem ejus, quod fit, & ſubſiſtit ut *quod*, ut docet D. Thom. *3.quæſt.17. art.2.* & alibi ſæpè: at equus, verbi gratia, non producitur de facto per creationem, ſed per generationem, ut docent communiter Philoſophi, & quaſi ad ſenſum experimur: ergo exiſtentia equi non fit per creationem. Idemque proportionabiliter de exiſtentia operationis creatæ dicendum eſt; operatio enim vere educitur ex ſubjecto. Tum præterea quia cum equus corrumpitur, ejus exiſtentia non annihilatur, ſed reſolvitur in materiam primam, quæ poſt corruptionem equi perſiſtit: ergo cum equus generatur, illius exiſtentia non creatur, ſed educitur ex materia, quæ ante generationem ſupponitur: id enim convincit paritatis ratio. Tum deinde quia ſi in omni generatione crearetur exiſtentia, jam creatio admiſceretur operibus creaturæ: quod tamen expreſsè negat Div. Thom. *quæſt.3. de potentia art.8. ad 1. & 1. part. quæſt.45. art.8.* ubi concludit: *In operibus naturæ non admiſcetur creatio, ſed præſupponitur aliquid ad operationem naturæ.* Tum denique, & præcipuè quia D. Thom. quem pro ſe extare exiſtimat Adverſarius expreſſe docet noſtram ſententiam *locis §.1. citatis,* & inſuper *1. part. quæſt.104. art. 2. ad 2.* & *loco proximè citato ex quæſt.3. de potentia,* ubi ad argumentum 19. quod erat hujuſmodi: *In lib. de cauſis dicitur, quod eſſe eſt per creationem: hoc autem non eſſet, niſi formæ crearentur: nam forma eſt eſſendi principium: ergo formæ ſunt per creationem, &c.* reſpondet in hunc modum: *Dicendum, quod eſſe per creationem dicitur in quantum omnis cauſa ſecunda dans eſſe hoc habet, in quantum agit in virtute primæ cauſæ creantis; cum eſſe ſit primus effectus nihil aliud præſupponens.* Videatur Caietanus *1. part. quæſt.45. art.5. Ad Durandum,* ubi explicans illam S. Doctoris propoſitionem. Omnis cauſa ſecunda eſt inſtrumentum Dei, inquit: Dicitur ſecundo, quod etiam illa propoſitio eſt vera, ut patet *de potentia, quæſt.3. art.7.* ubi Angelus, & omnis cauſa ſecunda non agit, niſi agatur à Deo multipliciter. Nec inconvenit, immo oportet omnem actionem creaturæ attingere ad effectum Dei: quia ſemper attingit ad eſſe, quod nulla cauſa dat, niſi in virtute primæ cauſæ, ut hic, & *in 3. contra gentes, cap.64.65.* oſtenditur.

Caietanus.

Motiva contraria diluuntur.

101. Per quod ſatis liquet ad motiva contraria *num.97.* relata. Ad primum enim dicendum eſt merito D. Thom. aſſerere, quod exiſtentia [illegible] effectus ſolius Dei: non quia ſolus Deus eam [illegible] ciat; ſed quia ſolus Deus ipſam perfectè præ[illegible] tinet, & per modum cauſæ principalis producit: creatura verò tantum illam efficit, quatenus inſtrumentum divinæ virtutis tradit S. Doctor *loco proximè relato.*

Ad ſecundum reſpondetur D. Thom. eo [illegible] minimè probare, quod creatura nequeat cre[illegible] quia non poſſit utcumque attingere *eſſe*; ſed quia non poteſt attingere *eſſe* abſolutè, quod eſt [illegible] minus formalis creationis. Cum hoc tamen [illegible] cohæret, quod poſſit efficere inſtrumentaliter *eſſe* ut determinatum, & educibile ex determinata potentia: quin hinc inferatur, quod eodem modo creare valeat. Nam ad creationem requiritur, quod actio reſpiciat *eſſe* abſolutè, & abſtrahens à ſubjecto præſuppoſito: id autem repugnat actioni creatæ, cui eſſentiale eſt aliquod paſſum, ſive ſubjectum præſuppoſitum attingere, ut ibidem tradit S. Doctor.

Ad tertium negatur antecedens: nam oppoſitum liquido conſtat in calore, qui elicit principaliter calefactionem, quatenus hæc terminatur præciſè ad alium calorem ſecundum ſe conſideratum, & eamdem actionem inſtrumentaliter elicit, quatenus terminatur ad calorem, ut hic eſt diſpoſitio ad ſubſtantiam.

Ad quartum, (quod eſt fundamentum Junioris *num. præced.* relatum) conceſſis præmiſſis, neganda eſt conſequentia: nam licet tam materia, quam exiſtentia à ſolo Deo principaliter producantur; nihilominus exiſtentia poteſt attingi inſtrumentaliter à creatura per veram eductionem, ſecus autem materia. Et ratio differentiæ eſt ſatis manifeſta: quoniam materia eſt primum ſubjectum, cui repugnat ex alio educi; atque ideo neceſſario fit per creationem, ad quam creatura nequit vel inſtrumentaliter concurrere. Exiſtentia autem ſupponit ordine executionis materiam primam, vel aliud ſubjectum; ex quibus proinde educi valet. Et de facto ita producitur, quoties eſſentia, aut ſuppoſitum, cui per ſe primo immediatè convenit, per generationem fit: atque ideo non repugnat ipſi, quod per actionem creatam inſtrumentaliter attingatur. Videantur N. Complutenſes abbreviati *in lib. de generatione, diſput. ultima quæſt. 5. §. 3.* ubi aliis objectionibus occurrunt.

Complutenſes abbreviati.

§. IV.

Argumenta opinionis adverſæ convelluntur.

Opinio contraria. Vega. Valentia. Suarez. Ledeſma. Probatur ex D. Thom.

102. CONtrariam ſententiam præter Vegam num... relatum tuentur Valentia 1. 2. *diſp.8. quæſt.3. puncto 3. propoſitione 3.* Suarez *lib.1. opuſcul. cap.6. à num.13. & lib.3. cap.12. num.4.* & alij plures Juniores: quibus ex Thomiſtis adhæret Ledeſma *diſput. de auxiliis art.3. concl.5. & artic.6. concl. 2.* Quæ poteſt probari primo ex D. Thom. *ſupra quæſt.109. artic.1. in corpore,* ubi ad actiones creatas nihil aliud præter virtutes permanentes expoſcit, niſi motionem Dei, ſive applicationem ad actu agendum. *Sic igitur,* inquit, *actio intellectus, & cujuſcumque entis creati dependet à Deo quantum ad duo. Uno modo, in quantum ab ipſo habet perfectionem, ſive formam, per quam agit: alio modo in quantum ab ipſo movetur ad agendum.*

Confirmatur.

Confirmatur ex eodem D. Thom. *infra quæſt. 113. art.6.* ubi ait: *Quatuor enumerantur, quæ requiruntur ad juſtificationem impij, ſcilicet gratiæ infuſio, motus liberi arbitrij in Deum per fidem, & motus liberi arbitrij in peccatum, & remiſſio culpæ.* Et ſtatim ſubjungit: *Ex parte igitur motionis divinæ accipitur gratiæ infuſio.* Et artic. ſequenti, inquit: *Tota juſtificatio impij originaliter conſiſtit in gratiæ infuſione: per eam enim & liberum arbitrium movetur, & culpa remittitur.* Eademque repetit *artic.8. ſequenti.* Quibus verbis complectitur D. Thom. cuncta principia, quæ ad juſtificationem impij extra Sacramentum factam concurrunt: nullumque aliud immediatum auxilium

Digitized by Google

auxilium intrinſecum expoſcit, niſi gratiam habitualem, & virtutes ipſi annexas: ergo ex ejus ſententia non requiritur auxilium actuale diſtinctum à virtutibus infuſis, quoties eæ inſunt ſubjecto.

Explicantur teſtimonia ex D.Thom.

Ad primam auctoritatem reſpondemus, quod licet D.Thom. ibi non explicet adeo expreſſe neceſſitatem hujus auxilij ſuperadditi virtutibus permanentibus, illud tamen ſtatuit ſatis aperte in locis pro noſtra concluſione relatis. In prædicto autem loco illud comprehendit vel ſub nomine perfectionis, vel ſub nomine motionis: nam hujuſmodi auxilium ex una parte complet perfectionem formarum permanentium, ad eaſque reducitur, & ex alia parte ſe habet per modum motionis, cum ſit quædam virtus inſtrumentaria. Nec oportuit, ut D.Thom. in illo articulo, qui eſt primus, & quaſi limen tractatus de gratia, omnia auxilia ſingillatim recenſeret; ſed ſatis fuit cuncta ſub nomine formæ, vel motionis comprehendere. Poſtea vero *in eadem quæſt. art. 9.* ſatis expreſſit neceſſitatem hujus motionis, & quod de illa in primo articulo locutus fuerit; ſic enim habet: *Homo in gratia exiſtens non indiget alio auxilio gratiæ, quaſi aliquo alio habitu infuſo: indiget tamen auxilio gratiæ ſecundum alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum: & hoc propter duo. Primo quidem ratione generali propter hoc, quod ſicut ſupra dictum eſt* art. 1. *nulla res creata poteſt in quamcumque actionem prodire, niſi virtute motionis divinæ.* Ubi non dicit S. Doctor hominem indigere præcisè motione purè applicante, ſeu movente, & nullam conferente virtutem (quamvis hanc etiam ſtatuat, ut dubio ſequenti videbimus), ſed quod homo nequit agere niſi virtute divinæ motionis, quam ab omni habitu infuſo diſtinguit. Non poſſet autem homo agere virtute divinæ motionis, niſi hæc conferret ipſi aliquam virtutem, & activitatem, & poſſe omnino completum: unde præter habitus infuſos præſuppoſitos admittendum eſt auxilium actuale conferens hujuſmodi virtutem. Quod D.Thom. ſicut in artic. 9. ita & in primo articulo, nomine motionis comprehendit.

Unde etiam conſtat ad teſtimonia in confirmatione relata: quia D. Thom. nomine *infuſionis gratiæ* complectitur tum gratiam habitualem, & virtutes infuſas, tum etiam auxilium præmovens, quod prædictam gratiam in adulti juſtificatione indivulsè comitatur, tum denique auxilium actuale complens gratiam, & virtutes habituales. Nam licet gratia ſanctificans contineat radicaliter actus charitatis, vel contritionis, quibus adultus ad ſuam juſtificationem diſponitur, ſi prædicti actus ſecundum ſpeciem conſiderentur: eos tamen non continet quoad actualitatem, & exiſtentiam ob ea, quæ ſuperius diximus. Unde indiget novo auxilio dante virtutem ad eliciendum prædictos actus. Et ſicut D. Thom. cum aſſerit hujuſmodi actus provenire à gratia ſanctificante, non excludit auxilium gratiam præmovens, & operationi conjungens: ita neque excludit auxilium eamdem gratiam complens, & adjuvans.

Secundum argumentum.

103. Arguitur ſecundo: quia cauſa ſecunda conſtituta in actu primo proximo, & omnino completo non indiget nova virtute, ſed ad ſummum motione Dei eam ad agendum applicante: ſed plures ſunt cauſæ ſecundæ permanentes conſtitutæ in actu primo proximo, & omnino completo ad operandum: ergo hujuſmodi cauſæ non indigent nova virtute actuali ſibi ſuperaddita: ſed hoc pacto ſe habet voluntas, verbi gratia, elevata per habitum charitatis in ordine ad eliciendum charitatis actus: ergo voluntas ſic elevata non indiget novo auxilio conferente vires, & poſſe proximum. Cætera conſtant. Et minor primi ſyllogiſmi videtur manifeſta tum in Sole, qui ſufficientiſſime eſt conſtitutus in actu primo proximo ad illuminandum: tum in beatis, qui ſuppoſito lumine gloriæ, & eſſentia divina ſibi unita per modum ſpeciei intelligibilis, habent quidquid requiritur ad videndum Deum: tum denique in omnibus cauſis principalibus, quæ hoc ipſo, quod tales ſint, habent ſufficientes vires ad producendum effectum.

Confirmatur.

Confirmatur: quia ſi voluntas elevata per habitum charitatis non eſt omnino ſufficiens ad eliciendum actum amoris Dei, ſed indiget motione, & virtute inſtrumentaria, ut producat prædictum actum; ſequitur, quod ipſum eliciat non per modum cauſæ principalis, ſed inſtrumentalis: conſequens eſt abſurdum: ergo, &c. Sequela conſtat: nam motio, & virtus inſtrumentaria non conſtituit cauſam principalem, ſed inſtrumentum. Falſitas autem conſequentis oſtenditur: quia actio inſtrumentaliter producta nequit eſſe libera, & meritoria: eo quod ad libertatem, & meritum requiritur dominium ſupra operationem: quod cum ratione inſtrumenti non cohæret; ſiquidem inſtrumentum non movet ſe, ſed agit motum ab alio: atqui actus charitatis elicitus ab homine viatore, eſt liber, & meritorius, ut docent omnes Catholici: ergo homo non producit actum charitatis inſtrumentaliter.

Occurritur argumento.

Ad argumentum reſpondetur, quod licet plures cauſæ ſecundæ ſint conſtitutæ permanenter in actu primo completo ad producendum ſuam actionem, & effectum, ſi præcisè conſiderentur quantum ad ſpeciem: nulla tamen eſt cauſa ſecunda, quæ per ſolam virtutem permanentem conſtituatur in actu primo proximo, & omnino completo ad attingendum actionem, & effectum, ſi ſumantur adæquatè, tam quoad ſpeciem, quam quoad actualitatem, & exiſtentiam, ut conſtat ex ſupra dictis, & tradit D. Thom. *quæſt. 3. de potentia, art. 7. ad* 1. ubi idem ferè argumentum diſſolvit. Et in hoc ſenſu conceſſa majori, negamus minorem: quam nulla ex inductis probationibus evincit. Non *prima*, quia licet Sol per ſuam virtutem permanentem contineat perfectè illuminationem, & lucem ſecundum ſpeciem conſideratas; non tamen ſumptas ſecundum actualitatem, & exiſtentiam: nulla quippè virtus permanens reſidet in Sole, quæ adæquet perfectionem, & actualitatem exiſtentiæ, quam producit: & ideo indiget nova virtute. Videatur D. Hieronym. *in lib. 1. contra Pelagianos*, ubi refert, quod eorum Dux irridebat Catholicos aſſerentes hominem habentem ſuas potentias operativas indigere adhuc novo adjutorio Dei ad ambulandum, curvandum digitum, diſcurrendum, &c. Quod S. Doctor non diffitetur admittere; ſed potius Pelagium, quod id detrectaret, vocat ſacrilegum. Nec etiam *ſecunda* probatio urget: nam beati, quantumvis ſupponantur conſtituti in actu primo per lumen gloriæ, & habeant eſſentiam divinam ſibi unitam in ratione ſpeciei intelligibilis, adhuc indigent nova motione elevante ad eliciendum viſionem beatificam. Quod tradit Div. Thom. *ſupra quæſt. 109. artic. 9. in reſponſ. ad* 2. ubi ait: *Et ideo ſi poſt acceptam gratiam homo adhuc indiget divino auxilio, non poteſt concludi, quod gratia ſit in vanum data, vel quod ſit imperfecta. Quia etiam in ſtatu gloriæ, quando gratia erit omnino*

D.Hieron.

perfecta

perfecta, homo divino auxilio indigebit. Loquitur autem de illo auxilio, de quo in corpore articuli dixerat: *Nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ.* Denique nec *tertia* probatio ſuadet intentum: nam ad rationem cauſæ principalis creatæ ſolum deſideratur, quod contineat perfectè ſuum actum, & effectum ſecundum ſpeciem conſideratos: in hoc quippe ſatis diſcernitur ab inſtrumento: cum quo tamen rectè cohæret, quod eundem actum, & effectum producat inſtrumentaliter, quatenus important actualitatem, & exiſtentiam, ut ſupra vidimus.

Reſpondetur confirmationi.

Per quod patet ad confirmationem: nam ut voluntas elevata per habitum charitatis liberè, & meritoriè eliciat amorem Dei, ſatis eſt, quod principaliter, atque ideo meritoriè, & liberè influat in prædictum actum ſecundum ſpeciem acceptum; licet inſtrumentaliter, vel cum quadam neceſſitate (orta videlicet ex ſuppoſitione influendi liberè, & principaliter in ſubſtantiam actus) concurrat ad exiſtentiam, & actualitatem illius. Minimè quippe obſtat merito operationis id, quod eſt de ratione cujuſvis actionis creatæ, nimirum prodire à creatura inſtrumentaliter quantum ad actualitatem, & exiſtentiam, & dependenter à motione Dei elevante, ut ſignificavit D.Thomas in 2. ad Annibal. diſt. 28. quæſt. unic. art. 4. ad 3. illis verbis: *Dicendum, quod poteſtas noſtra nihil operari poteſt ſine Deo, qui operatur in omni natura, & voluntate. Unde cum dicimus aliquid eſſe in nobis, non excludimus Dei auxilium.* Et 1. part. quæſt. 105. art. 4. ad 3. inquit: *Dicendum, quod ſi voluntas ita moveretur ab alio, quod ex ſe nullatenus moveretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum. Sed quia per hoc, quod movetur ab alio* (nempè Deo, de quo procedebat difficultas) *non excluditur, quin moveatur a ſe, ut dictum eſt: ideo per conſequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti:* & ſimilia tradit eadem 1. part. quæſt. 83. art. 1. ad 2. & lib. 3. contra gentes, c. 149. Poteſtque hæc reſponſio confirmari exemplis, tum Sacerdotis abſolventis, vel conſecrantis, qui illam actionem ſecundum ſubſtantiam elicit principaliter, & eandem quatenus eſt Sacramentalis, inſtrumentaliter producit, & tamen ipſam elicit cum merito, & libertate. Tum etiam Chriſti Domini, cujus charitatis a[illegible]or, quatenus terminabatur ad Deum ut bonum ſecundum ſe, fuit neceſſarius, & non meritorius, & quatenus terminabatur ad Deum, ſecundum quod in actu exercito eſt ratio diligendi creaturas, fuit liber, & meritorius: meruitque ſimpliciter per ipſum ſibi gloriam corporis, & nobis gloriam animæ, & alia præmia, ut tradit D.Thom. in 3. diſt. 18. quæſt. 1. art. 2. in reſponſ. ad 4. & ad 5. & latius explicant Alvarez 3. part. diſp. 45. & Bañez 2.2. quæſt. 24. artic. 3. De quo [illegible] diximus diſp. 7. num. 303.

D.Thom.

Alvarez. Bañez.

Tertium argumentum.

104. Arguitur tertio: quia charitas nobis infuſa eſt participatio formalis voluntatis Dei: ſed voluntas Dei, ut vivat in actu ſecundo, & quaſi eliciat ſuam operationem, non indiget auxilio, vel virtute à ſe diſtincta, ſiquidem Deus nullum habet adjutorem, ut dicitur Iob. 26. & Iſai. 40. ergo charitas nobis infuſa poteſt per ſemetipſam, & abſque novo auxilio operationem ſibi correſpondentem elicere: idemque de aliis virtutibus, & earum actibus dicendum eſt. Et explicatur vis hujus argumenti: nam voluntas divina, quatenus diſtinguitur virtualiter, vel eminenter à ſua operatione, non explicat tantam actualitatem, ac ipſa operatio: & nihilominus non indiget auxilio, ut prædictam operationem quaſi eliciat: neque enim tale auxilium deſignari poteſt: ergo ex eo, quod virtus operativa creata ſit minus actualis, ac ejus operatio, minimè infertur, quod indigeat novo auxilio ad eam eliciendam.

Reſponſio.

Reſpondetur huic argumento, conceſſis præmiſſis, negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis conſtat ex dictis: nam voluntas Dei non eſt in potentia paſſiva ad ſuam operationem; ſed abſque omni diſtinctione formali, vel virtuali eſt ipſamet operatio: omnis quippè linea divina pertingit à prima quaſi potentialitate uſque ad ultimum actum, ut diximus *Tract. 3. diſp. 4. dub. 2. §. 1.* Unde virtus increata nullum expoſcit auxilium, quod ſibi conferat majorem actualitatem; ſed eſt ipſa puriſſima actualitas in abſtracto. Charitas autem creata participat inadæquatè voluntatem Dei, videlicet quantum ad conceptum principij, non verò quoad munus operationis, & ultimæ actualitatis: unde eſt minus actualis, quam operatio, & ejus exiſtentia, relinquitque voluntatem in potentia paſſiva ad earum receptionem. Quamobrem indiget novo auxilio actuali conferente vires ad producendum exiſtentiam, & actualitatem operationis. Unde argumentum in Adverſarios retorquendum eſt: nam ideo voluntas divina non indiget auxilio ad operandum, quia eſt ita actualis, ac ipſa operatio, vel, ut proprius loquamur, quia eſt ipſa operatio in actu ſecundo: ſi enim ab ea formaliter, vel virtualiter differret; eo ipſo maneret in potentia ſaltem virtuali ad illam, nec poſſet ſe per ſemetipſam ad exercitium reducere: atqui nulla virtus creata eſt operatio, vel ita actualis, ac actus ſecundus: ergo nulla virtus creata habet actualitatem ſufficientem ad operandum, ſed indiget novo auxilio.

Per quod patet ad illam argumenti explicationem: negandum enim eſt ſuppoſitum majoris: non enim voluntas divina, & ejus operatio differunt virtualiter: nec etiam differunt eminenter in hoc, quod habeant majorem, vel minorem actualitatem. Sed diſtinctio eminentialis ibidem reperta conſiſtit in eo, quod ſalvetur in Deo proprij, & veri conceptus principij operativi, & operationis, ſeclulis tamen imperfectionibus, cujuſmodi eſt major, vel minor actualitas.

Quartum argumentum.

105. Arguitur quarto: nam cauſa materialis, formalis, & finalis, ut cauſent in actu ſecundo, non indigent novo auxilio, aut quaſi auxilio ſibi ſuperaddito, ſed ſufficienter cauſant per id, quod habent in actu primo: ergo idem dicendum eſt de cauſa efficienti, ut paritatis ratio convincit.

Confirmatur primò.

Confirmatur primo: nam multoties finis eſt minus perfectus, quam actus voluntatis, in quem influit, ut contingit, cum voluntas appetit, verbi gratia, divitias: & tamen ut prædictus finis influat in proprio genere non indiget novo auxilio: ergo licet virtus permanens ſit minus actualis, quam operatio, poteſt in eam abſque novo auxilio influere.

Secundò.

Confirmatur ſecundo: quia cum paſſiones dimanant ab eſſentia, explicatur aliquomodo major actualitas, quam illa, quæ præexiſtebat in actu primo: & nihilominus non requiritur novum auxilium, ut paſſiones effluant ab eſſentia, ſed ſufficit illud, quod ad productionem eſſentiæ concurrit: ergo quamvis operatio ſit actualior, quam virtus activa ſibi correſpondens, nullum tamen expoſcit auxilium elevans ab ea virtute diſtinctum.

Solutio argumenti.

Ad argumentum reſpondet quidam perdoctus Iunior

Digitized by Google

Iunior diſcipulus D. Thom. negando majorem: exiſtimat enim quamcumque cauſam creatam, ut actu cauſet in proprio genere, indigere novo, & ſpeciali ejuſdem generis auxilio, & conſequenter docet materiæ addendum eſſe aliquid de linea materiæ, & formæ aliquid de linea formæ, & fini aliquid de linea finis. Quod præcipuè ſibi perſuadet ex eo, quod aliter ſalvari non poteſt actualis ſubordinatio, & dependentia, quam omnis cauſa creata debet habere à Deo, cum actu, & prout actu in proprio genere cauſat. Quod ut defendat, & qualitatem prædictorum auxiliorum, plura comminiſcitur ſatis difficilia, & incerta. Quamobrem ejus opinio ſic univerſaliter accepta nobis non arridet, nec illius fundamentum probatur. Nam ſicut ad hoc, ut materia, verbi gratia, cauſet in proprio genere, non requiritur, quod Deus influat in genere cauſæ materialis: ita nec oportet, quod materia recipiat auxilium aliquod hujus ordinis: ſed ſatis eſt, quod nequeat cauſare, niſi connotando actionem Dei productivam totius compoſiti, & concurſum, quo adjuvat cauſas ſecundas. Idemque de cauſa formali dicendum eſt. Unde concedimus materiam, & formam cauſare in actu ſecundo abſque novo auxilio in proprio ordine, & negamus conſequentiam. Ratio autem diſparitatis fundatur in earumdem cauſarum natura: nam materia, & forma cauſant compoſitum communicando ipſi proprias entitates: ad quod eædem entitates ſufficiunt connotando actionem agentis, ut ex ſe liquet. Cauſa vero efficiens impertitur eidem compoſito, & actioni, qua agit, actualitatem, & exiſtentiam, quas proinde debet in actu primo præcontinere: cumque ad hoc non ſufficiant virtutes operativæ permanentes, ut ſupra oſtendimus; ſequitur, quod præter hujuſmodi virtutes debeat recipere aliquod aliud actuale auxilium.

Dubium incidens reſolvitur.

106. Si autem loquamur de cauſa finali ſecunda, ſive intermedia (quæ ſe habet in ordine ad finem ultimum, ſicut agens ſecundum in ordine ad primum) ſatis veroſimile eſt, quod debeat in ſuo genere compleri, & quaſi adjuvari per aliquod velut auxilium, ut in actu ſecundo voluntatem alliciat, ut colligitur ex D. Thom. *in hac 1. 2. quæſt. 1. art. 6.* in corpore, ubi inquit: *Ultimus finis hoc modo ſe habet in movendo appetitum, ſicut ſe habet in aliis motionibus primum movens. Manifeſtum eſt autem, quod cauſæ ſecundæ moventes non movent, niſi ſecundum, quod moventur à primo movente. Unde ſecunda appetibilia non movent appetitum, niſi in ordine ad primum appetibile, quod eſt ultimus finis.* Quibus verbis ſatis etiam expreſſit naturam, & conditionem auxilij, vel quaſi auxilij, quo elevantur fines intermedij. Nam ſicut auxilium de genere cauſæ efficientis eſt aliqua virtus effectiva, ita auxilium de genere cauſæ finalis debet eſſe aliqua bonitas allectiva: ſicut enim agens movet efficiendo per virtutem; ita finis movet alliciendo per bonitatem. Porro bonitas finis intermedij conſiſtit non ſolum in ea perfectione, quæ ipſi ſecundum ſe ineſt; ſed etiam in ordine, & conducentia ad conſequendum ultimum finem, nempè bonum ut ſit ſatiativum appetitus; ut ſignificavit D. Thom. loco citato his verbis: *Quod non appetitur ut bonum perfectum; quod eſt ultimus finis, neceſſe eſt, ut appetatur ut tendens in bonum perfectum: quia ſemper inchoatio alicuius ordinatur ad conſummationem ipſius.* Quamvis autem quodlibet bonum particulare queat quaſi in actu primo movere voluntatem, eam tamen in actu ſecundo non alliciet, niſi prius compleatur per relationem in finem ultimum, quæ proinde ſe habet in hoc genere per modum auxilij. Nec oportet hanc relationem ſuperaddi à parte rei prædicto fini particulari, ſed ſufficit ſuperaddi in apprehenſione; ſive, & idem reddit, quod bonum particulare apprehendatur cum tali ordine ad finem ultimum. Nam ſicut finis, ut moveat, non expoſcit actu in re exiſtere: ita nec auxilium, ſive complementum finis petit actualem exiſtentiam, niſi in apprehenſione. In hoc ergo ſenſu admittimus cauſam finalem ſecundam, ut actu cauſet indigere auxilio, ſicut eo proportionabiliter indiget cauſa efficiens.

D. Thom.

107. Ex his etiam conſtat ad primam confirmationem, quibus addimus, quod quoties voluntas rectè appetit finem intermedium, toties prædictus finis eſt perfectior volitione, quam finalitat. Nam voluntas rectè appetens non appetit illud bonum ſecundum ſe; ſed appetit medium per prudentiam præſtitum; ut habens bonitatem moralem objectivam: non enim voluntas rectè appetens cupit divitias ſecundum ſe; ſed quod divitiæ amentur conſone, & conformiter ad rationem. Quamvis autem bonum appetitum ſecundum ſe conſideratum ſit minus perfectum, quam volitio: illam tamen excedit, quatenus eſt quoddam bonum morale: nam prout ſic tranſcendit ordinem phyſicum, & ſpectat ad ordinem ſuperiorem, ut declaravimus *Tract. 5. diſp. 1. dub. 2. num. 32.* Præſertim cum in actibus voluntatis rectè ordinatis non fiat proceſſus, & ordo ab extremo in extremum, hoc eſt à voluntate in objectum, ſed ab extremis in medium, nempè à voluntate, & objecto in operationem: quia rectè appetens non intendit, quod objectum ſit, ſed quod ſit volitum juxta regulas rationis: atque ideo ipſemet effectus includitur in fine proximo, quem volens amat. Unde finis rectè appetentis non eſt bonum particulare ſecundum ſe: ſed potius ipſa volitio, ut moraliter bona, eſt finis tum voluntatis, tum objecti amati; tum ipſius volitionis phyſicè ſumptæ, ut fuſius expoſuimus *Tract. 13. diſp. 13. dub. unico §. 11.* Quod ſi voluntas ſitera appetat, non eſt inconveniens admittere, quod finis intermedius ſit minus perfectus, quam volitio: ſed in hoc pervertitur ordo rerum, & committitur peccatum.

Reſpondetur primæ confirmat.

Ad ſecundam confirmationem dicendum eſt, quod ſi dimanatio paſſionum eſſet actio diſtincta ab actione productiva eſſentiæ; ut plures autumant; neceſſario deberet admitti novum, atque diſtinctum auxilium, ut ratio à nobis facta ſatis evincit. Sed quia oppoſitum eſt verum, & traditur frequenter à D. Thom. ut probant N. Complut. *in lib. Phyſic. diſp. 10. quæſt. 7.* ideo conceſſis præmiſſis, neganda eſt conſequentia ob manifeſtam diſparitatem. Nam eſſentia in dimanatione paſſionum non agit per actionem; atque ideo ſupervacanee expoſcere novum auxilium ad agendum: ſed tantum dicitur agere, quatenus poſtulat paſſiones, & eſt terminus interjacens, per quem cauſalitas agentis uſque ad paſſiones producitur: unde ſatis eſt, quod connotet auxilium pro prædicta cauſalitate communicatum. Cujus oppoſitum accidit: cum agens incipit agere per novam, & rigoroſam actionem, ut ſupra oſtendimus. Nec probatio in majori inſerta contrarium probat: nam major illa actualitas, quæ in dimanatione paſſionum explicari videtur, non eſt explicatio novæ actionis, vel termini primarij; ſed explicatio termini ſecundarij, & producti

Diluitur ſecunda.

Complut.

ex

Digitized by Google

ex vi actionis præcedentis pro qua ſupponit auxilium jam fuiſſe communicatum. Sicut autem unica actio utrumque terminum attingit primarium videlicet, & ſecundarium: ita unicum auxilium ſufficit ad utrumque producendum: nam auxilium influit per actionem.

Ultimum argumentum.

108. Quinto, & ultimo arguitur: quia ſi præter omnem habitualium principiorum virtutem, requireretur novum auxilium actuale communicans poſſe completum; ſequeretur tolli de medio libertatem: conſequens eſt contra fidem: ergo tale auxilium non eſt neceſſarium. Probatur ſequela: tum quia ſi hujuſmodi auxilium dans poſſe requiritur, plane infertur, quod qui illo carent, non poſſint operari; & conſequenter non omittunt operationem liberè, ſed neceſſario. Tum etiam quia virtus operativa neceſſario connexa cum operatione, nequit liberè eam elicere, ut ex terminis conſtare videtur: atque ideo hujuſmodi auxilium, quod aſſerimus, ex una parte eſt virtus operativa, cum det poſſe proximum; & ex alia neceſſario connectitur cum operatione, ſiquidem communicatur per modum motionis ad unicam tantum operationem determinatæ: ergo hujuſmodi auxilium non influit liberè in operationem, nec relinquit locum, ut iſta libera evadat. Per quod præcluſæ manent omnes reſponſiones, quibus Thomiſtæ explicant, qualiter præmotio phyſica non officiat libertati: nam præmotio non dat poſſe, ſed tantum applicat ad agendum: unde nec illius carentia infert impotentiam ad actum, nec illius præſentia deſtruit potentiam ad actum oppoſitum; ſed ſive adſit, ſive negetur, relinquitur poteſtas indifferens & indemnis. Cujus oppoſitum accidit in hoc auxilio; nam dat poſſe, & poſſe ad unum determinatum.

Confirmatio

Confirmatur: quia vel hoc auxilium differt à præmotione phyſica, vel non? Primum dici non poteſt: quoniam multiplicarentur auxilia actualia abſque neceſſitate. Secundum autem deſtruit libertatem: nam ponit poſſe omnino determinatum ad unum, ſicut præmotio determinatur. [illegible] Prædictum ergo auxilium admittendum non eſt.

Occurritur argumento.

Reſpondetur argumento negando ſeque[illegible] lam. Ad cujus primam probationem dicendum eſt [illegible] hujuſmodi auxilium completivum præexiſtenti[illegible] virtutis habitualis communicari à Deo toties, [illegible] quoties initat obligatio, aut neceſſitas operandi [illegible] unde ex ejus negatione nequit homo illam ſib[illegible] excuſationem prætendere. Qualiter autem ho[illegible] auxilium omnibus adſit, haud arduum eſt intell[illegible] ectu, ſi loquamur de auxiliis, & operationibus or[illegible] dinis naturalis: pro iis autem, quæ ad ſupernatu[illegible] alem ordinem ſpectant, conſulantur, quæ diximu[illegible] diſ- put. 3. dub. 8. & quæ latius dicemus diſp. ſeq. [illegible] b. 3. Quod ſi Deus, ut abſolutè poteſt, denegare[illegible] hujuſmodi auxilia, eo ipſo deobligaretur hom[illegible] eli- cere operationem ſibi præceptam: quippe [illegible] cum careret virtute ſufficienti ad operandum. Ne[illegible] hoc majorem difficultatem habet in homine pr[illegible] dito habitibus infuſis, ac in illo, qui hujuſmodi [illegible] habi- tibus deſtituitur; quem tamen certum eſt no[illegible] eli- citurum operationem ſupernaturalem niſi ad[illegible] ve- tur aliquo auxilio actuali, & dante virtutem [illegible] ut diximus dub. 3. Unde quod nobis hic obj[illegible] icitur ab omnibus diſſolvendum eſt, & urget in [illegible] omni ſententia. Ad ſecundam probationem neg[illegible] amus minorem, quia auxilium, de quo in præ[illegible] ſenti, non eſt ex ſe efficax, ſed tantum ſufficien[illegible] & quod multoties operationem, pro qua datur [illegible] non conſequitur: unde dat poſſe proximum omni[illegible] ſe- parabile ab operatione; atque ideo ex null[illegible] ca-

pite libertatem lædit. Dicitur eſſe motio determinata ad unam operationem, non quia cum illa neceſſario, aut infallibiliter connectatur, ſed quia communicatur per modum tranſeuntis, & non habet vim niſi ad eliciendum unicum actum. Cæterum ex una parte eſt ſeparabilis ab operatione ſibi correſpondenti, & ex alia relinquit in voluntate poteſtatem ipſi innatam ad eliciendum actum oppoſitum: quo & nihil amplius deſiderari poteſt, ut voluntas tali auxilio adjuta liberè agat. Unde in præſenti non indigemus doctrina illa alias veriſſima Thomiſtarum.

Diluitur confirmatio.

Ad confirmationem reſpondemus hoc auxilium multoties ſeparari à præmotione phyſica, ſive auxilio efficaci, ut nuper diximus: in quo caſu evidens eſt prædicta auxilia realiter diſtingui. An autem fieri poſſit, quod eadem qualitas fluida ſit ſimul virtus ſufficiens, & auxilium efficax, & hoc aliquando contingat, conſtabit ex dicendis dubio ſequenti.

DUBIUM SEXTUM.

Utrum præter omnia auxilia dantia virtutem, requiratur aliud auxilium prævium applicans ad agendum.

POſtquam explicuimus neceſſitatem, & conditionem auxilii conſtituentis potentias in actu primo proximo ad ſupernaturaliter operandum, ſuccedit, ut inveſtigemus, an præter hujuſmodi auxilium requiratur aliud, quo potentia ad agendum applicetur. Sed pro majori difficultatis luce.

§. I.

Aperitur ſtatus quæſtionis.

Supponitur neceſſitas concurſus ſimultanei.

109. COnveniunt communiter Theologi contra Durandum, & Dolam, quod licet homo habeat virtutem operativam ſupernaturalem omnino proximam & ſufficientem ad eliciendum ſupernaturales operationes; adhuc tamen eget concurſu Dei ſimultanee, & immediatè eaſdem operationes attingente: atque ideo non totum negotium in eo peragi, quod Deus creaturas, earumque virtutes operativas produxerit; ſed inſuper exigi, quod ad opera ipſis correſpondentia actu, & immediatè concurrat. Quod efficaciter perſuadetur tum ex ſacris litteris, quæ hanc veritatem ſæpiſſimè inculcant, ut Joan. 5. *Pater meus uſque modo operatur*, quaſi diceretur: Pater non tantum operatus eſt in mundi exordio, quando creavit rerum principia, ſed modo etiam agit, & operari deſtitit, juxta illud Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*. Tum etiam quia non minus ſe extendit influxus Dei in genere cauſæ efficientis, ac in genere cauſæ exemplaris; ſiquidem agens, & idea debent mutuo proportionari: ſed omnis actio, & effectus creatus dependet immediatè à Deo in genere cauſæ exemplaris tanquam ens per participationem ab ente per eſſentiam: ergo pariter dependet immediatè à Deo in genere cauſæ efficientis: ergo Deus influit immediatè, ſaltem ſimultanee, in omnem actionem, & effectum creaturæ. Tum præterea quia licet Deus produxerit, & conſervet virtutes operativas cauſarum ſecundarum; poteſt adhuc earum actiones impedire, ut patet in igne

Joan. 5.

Iſaiæ 26.

Digitized by Google

igne fornacis Babylonicæ, qui pueros ſibi applicatos non combuſſit: hoc autem non contingeret, ſi Deus non aliter influeret, quam communicando virtutem operativam; contingit vero ex eo, quod ſuppoſita prædicta virtute, ulteriorem influxum in operationem ſuſpendit: ergo creaturæ, ut actu operentur, indigent concurſu ſimultaneo, & actuali Dei immediatè attingentis earum operationes. Tum deinde nam ex oppoſito fieret creaturam eſſe primum agens: ſi enim Sol ſemel productus nullo indiget concurſu Dei ad illuminandum: ergo Sol eſt primum illuminans: primitas quippe in quocumque genere conſiſtit in influxu excludente dependentiam, & ſubordinationem ad aliud actu concurrens. Tum denique quia ſi Deus poſtquam virtutes operativas produxit, non præſtat novum influxum in earum operationes; fruſtra juſti, qui habitibus ſupernaturalibus exornantur, poſtulant Dei adjutorium, juxta illud Pſalm. 69. *Deus in adjutorium meum intende.* & Pſalm. 34. *exurge in adjutorium mihi*, & alibi ſæpè: conſequens eſt impium: ergo præter omnes virtutes, & auxilia pertinentia ad actum primum, requiritur concurſus Dei ſimultaneus attingens immediatè operationes creaturæ.

Difficultas circa auxilium prævium.

110. Quamvis autem Theologi in hac ſuppoſitione facile conveniant, haud leve tamen diſſidium habent in ſtatuendo neceſſitatem ulterioris concurſus divini, quem *prævium* appellant: præſertim pro actionibus liberis, & ſupernaturalibus, de quibus agimus in præſenti. Pro quo, ut rectè obſervat Suar. *lib. 3. de auxiliis c. 51. n. 5* animadvertendum eſt longè differre hæc duo, nimirum *auxilium præveniens*, & *concurſum prævium*; licet voce tenus videantur coincidere. Quia nomine auxilij prævenientis juxta communem Theologorum acceptionem intelliguntur principia, quæ ſupernaturalem operationem præcedunt: inter quæ præcipuè computatur aliqua interior illuminatio, quæ *gratia excitans* dici ſolet. Et quia hujuſmodi auxilium præveniens ſpectat ad actum primum adæquatum, abſque quo non intelligitur homo proximè potens ad operationes liberas ſupernaturales: propterea omnes Catholici admittunt neceſſitatem prævenientis auxilij, quod poſtulat Eccleſia in oratione, *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni*: & in alia oratione, *Vota noſtra, quæ præveniendo aſpiras*, &c. Sed dubium præſens de hoc auxilio non agit: ſupponit quippè omnia auxilia pertinentia ad actum primum, ſive phyſicè, ſive moraliter tantum concurrant: inter quæ auxilium præveniens, ut vidimus, recenſetur. Nomine igitur concurſus *prævij* intelligitur novum auxilium diverſum tam ab habitibus, & auxiliis conſtituentibus hominem in actu primo, quam à concurſu Dei ſimultaneo, mediumque quodammodo inter illa. Quod ſatis ab effectu, pro quo inducitur, ſuadetur: nec enim eſt vis operativa, nec actualis operatio, ſed eſt motio vim operativam operationi conjungens: applicat quippe vires activas ad exercitium. Neceſſitatem autem hujuſmodi auxilij non omnes agnoſcunt; unde plurimi illud excludunt, ſola virtute operativa, & concurſu ſimultaneo contenti. Noſtri autem erit in præſenti illius neceſſitatem examinare.

Suarez.

Nota.

Determinatur punctum ſpecialis hujus dubij.

111. Pro quo tamen, & ne alibi diſcutienda hic præveniamus, obſerva longè diverſum eſſe ſtatuere neceſſitatem auxilij prævij applicantis virtutem operativam ad operationem; ac decernere, quod prædictum auxilium phyſicè, & non morali modo concurrat; & quod ab intrinſeco, & innato pondere, & non ſolum ex aliqua accidentali ſuppoſitione pariat effectum. Neque enim, qui prædiffiniriones æternas, & omnino abſolutas admittunt, & ſcientiam mediam, ejuſque uſum in negotio prædeſtinationis procul avertantur, ac proinde concedunt neceſſarium eſſe auxilium prævium, quo liberum arbitrium ad operandum moveatur, compelluntur ſtatim admittere prædictum auxilium phyſicè, & efficaciter ex ſe concurrere: locus quippè adhuc reſtat diſcutiendi, an hujuſmodi auxilium moveat liberum arbitrium ſolum moraliter, alliciendo videlicet cum quadam latenti energia, quæ aſſenſum infallibiliter conſequatur; an vero determinet etiam voluntatem phyſice per modum ponderis, & inclinationis ad unum, relinquendo tamen potentiam ad oppoſitum in ſenſu diviſo. Nam certius eſt, quod Deus ante omnem uſum ſcientiæ mediæ habeat decreta abſoluta de actibus humanis, illaque in tempore per auxilia prævia exequatur; quam quod hujuſmodi auxilia dicenda ſint præmotiones phyſicæ, vel morales: nam illud primum ſanctum eſt apud omnes Thomiſtas, at circa poſterius verſatur inter eos aliquod tametſi leve diſſidium, ut infra *diſp. 7.* per totam, & præcipuè *dub. 5.* videbimus. Quod notatum volumus: primo ut obiter anſam cuidam glorioſæ recentioribus illis præſcinderemus, qui cum videant unum, aut alterum Thomiſtam non admittere præmotiones phyſicas, ſed ſolum morales, ſibi de triumpho applaudunt: quaſi qui præmotiones phyſicas non admittat, eo ipſo ſcientiæ mediæ, ejuſque uſui conniveat, & manus porrigat Adverſariis. In quo tamen vehementer decipiuntur: nam ſive præmotio prævia ſit phyſica, ſive moralis; aſſeritur tamen omnino independens à directione ſcientiæ mediæ, infertque infallibiliter operationem, pro qua datur, anteceditque prioritate cauſalitatis determinationem creaturæ: quo nihil amplius videtur deſiderari ad evertendum Molinæ aſſerta. Secundo id adnotavimus, ut majori perſpicuitate, & faciliori methodo procedamus, deſcendendo videlicet ab univerſalibus ad magis ſpecialia. Unde in præſenti ſolum inveſtigamus, utrum requiratur prædictum auxilium applicans ad agendum; quidquid ſit de modo, quo applicat: hunc enim infra loco citato operoſius declarabimus.

§. II.

Vera & communior ſententia eligitur & probatur.

112. Dicendum eſt præter omnia auxilia tam habitualia, quam actualia communicantia virtutem, & conſtituentia potentias in actu primo proximo, ut poſſint elicere operationes ſupernaturales, requiri aliud auxilium actuale prævium applicans potentias, ut actu agant. Hæc concluſio colligitur ex ſacris litteris, & traditur ſatis apertè à D. Auguſtino, & D. Thoma; quorum ſicut & Scripturæ plura teſtimonia poſſemus ſtatim proferre: ea tamen congruentius argumentis infra faciendis inſeremus, ut urgentius opprimant Adverſarios. Modo vero ſufficiat auctoritas Catechiſmi Romani *prima parte Symboli de primo Fidei articulo numero 20.* ubi hæc habentur: *Non ſolum autem Deus univerſa, quæ ſunt, providentia ſua tuetur, atque adminiſtrat, verum etiam quæ moventur, & agunt aliquid,*

Concluſio.

Probatur ex Catechiſmo Romano.

aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut quamvis cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen: cum enim occultiſſima vi ad ſingula pertineat, & quemadmodum Sapiens teſtatur, attingat à fine uſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuaviter. Quibus verbis præter productionem, & conſervationem rerum, quæ collationem virtutum, & auxiliorum ſpectantium ad actum primum complectitur, attribuitur Deo, quod omnia, quæ agunt, ad agendum impellat: qui impulſus conſiſtere nequit in concurſu ſimultaneo; cum hic non præcedat actum agendi: atque ideo prædictus impulſus importat concurſum diverſum tam ab auxiliis operativis, quam à ſimultaneo concurſu, eritque proinde concurſus prævius applicans ad agendum. Porro hujus Catechiſmi auctoritas, licet canonica non ſit, eſt valde magna apud omnes Catholicos: editus enim fuit juſſu Concilij Tridentini; compoſitus à viris doctiſſimis, antequam diſſidium in hac cauſa eſſet inter D. Thomæ, & Molinæ diſcipulos; approbatur poſt examen à Pio V. & Gregorio XIII. ac denique receptus in omnibus ferè Conciliis Provincialibus, quæ poſt Tridentinum congregata ſunt: ut merito aſſeruerit Poſſevinus lib. 7. Biblioth. cap. 12. omnia, quæ in prædicto Catechiſmo continentur, auctore Spiritu ſancto dicta fuiſſe.

Unde noſtram aſſertionem docent unanimiter omnes Thomiſtæ, Capreolus in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. Caietan. 1. part. quæſt. 45. art. 5. & quæſt. 106. art. 6. Ferrara lib. 3. contra gentes cap. 70. Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 16. Franciſcus Davila in toto fere opere, & præcipuè cap. 13. & 21. & 27. Conradus 1. 2. quæſt. 8. art. 1. & quæſt. 9. art. 6. Medina ibidem quæſt. 109. art. 2. Bañez 1. part. quæſt. 14. art. 13. dub. 2. cum ſequent. & quæſt. 19. art. 3. & 4. & quæſt. 22. art. 2. & 5. & in 2. 2. quæſt. 10. art. 1. Nuño Cabezudo 3. part. quæſt. 62. art. 5. quæſt. 2. Cabrera ibidem quæſt. 8. art. 4. per plures diſput. & quæſt. 62. art. 1. diſp. 8. cum ſequentibus. Zumel 1. part. quæſt. 14. art. 13. & quæſt. 19. art. 8. & quæſt. 23. art. 5. & 1. 2. quæſt. 111. art. 3. diſp. 5. & lib. 1. opuſc. diſp. 5. Nazarius 1. part. quæſt. 25. art. 3. controverſia 2. Gonzalez ibidem diſp. 58. Araujo 1. 2. quæſt. 111. art. 5. dub. 6. num. 35. & in Metaph. tom. 2. quæſt. 9. art. 4. Ledeſma de auxiliis in principio unica quæſt. art. 17 & 5. Alvarez de auxiliis diſput. 83. cum ſequent. & ſuper Iſaiam cap. 10. Navarrete tom. 2. controverſ. 21. Joann. à S. Thoma 1. 2. diſp. 24. art. 2. & 3. Labat tom. 4. diſp. 2. dub. 3. Gonet in tract. de actibus humanis diſp. 6. art. 2. & alij plurimi. Quibus etiam conſentiunt ex extraneis D. Bonavent. in 2. diſt. 26. quæſt. 9. verſic. Reſpondeo. Trigoſus in commentar. ad Bonavent. 1. part. quæſt. 14. art. 5. & 6. dub. 1. quæſt. 15. art. 2. Adrianus in 4. tract. de Sacramento Pœnitentiæ, quæſt. 3. Eſtius in 2. diſtinct. 26. §. 22. Cardinalis Sfortia Pallavicinus 1. 2. diſp. 6. de actibus humanis, quæſtione 1. artic. 12. Ex his reſponſione... ubi aperte recedit à ſententia recentiorum ſuæ Societatis: inquirit enim an voluntas præmoveatur per aliquam motionem intrinſecam, & quibuſdam prænotatis reſpondet: Major difficultas eſt, an iſta motio Dei fieri poſſit per ſolum decretum merè extrinſecum; an neceſſario fiat per aliquid intrinſecum receptum in ipſa cauſa creata. Hoc ſecundum affirmant omnes ferè Thomiſtæ: primum vero aſſerunt communiter alij recentiores. Sed ego ſententiam Thomiſtarum puto veram, cui Sanctus Thomas, & Ari-

Capreolus. Caietanus. Ferrara. Soto. Fr. Davila. Conradus. Medina. Bañez. Nuño. Cabrera. Zumel. Nazarius. Gonzalez. Araujo. Ledeſma. Alvarez. Navarrete. Joan à S. Th. Labat. Gonet. D. Bonavent. Adrianus. Trigoſus. Eſtius. Card. Sfortia

ſtoteles manifeſtè adhæreant. Idemque reipſa tuebantur antiquiores Jeſuitæ, Bellarminus, Salmeron, Henricus, Henriquez, Michael Marcus, & alij, qui ſcientiam mediam in ſui exortu ejurarunt. Et quod pluris eſt, illi Theologi, qui coram Clemente VIII. pro doctrina Molinæ, & Societatis rationem reddere coacti ſunt, eamque aliquibus aſſertionibus expreſſerunt, noſtram concluſionem convincuntur tunc admiſiſſe: nam prima eorum propoſitio erat hujuſmodi: *Fatemur, quod ad pietatis opera, quibus homo ad juſtificationem diſponitur, neceſſarium eſt auxilium præveniens gratiæ efficacis, per quod Deus facit, ut homo piè operetur. Quod quidem auxilium eſt internum, ſupernaturale, intellectui, & voluntati intrinſecum, & donum peculiare diſtinctum ab auxilio ſufficienti: nec ſe tenet ſolum ex parte objecti, ſed etiam ex parte potentiæ.* Sic refert Ripalda *diſp. 113. de ente ſupernat. ſect. 11. num. 83.* Sed quidquid ſit de hoc, quod parum noſtra refert.

Bellar. Salme. Henr. Mich. — Ripalda.

113. Probatur concluſio ratione: quoniam hoc ipſo, quod Deus faciat voluntatem facere actus ſupernaturales, applicat voluntatem ad ſupernaturaliter operandum: ſed Deus facit voluntatem facere actus ſupernaturales: ergo Deus applicat voluntatem ad ſupernaturaliter operandum: ergo præter omnia auxilia communicantia virtutem, admittendum eſt aliud auxilium applicans ad agendum. Hæc ſecunda conſequentia rectè infertur ex prima: nam auxilia communicantia virtutem non faciunt, quod voluntas faciat, ſed tantum quod ſit factiva, ſive operativa. Prima vero manifeſtè, & legitimè deducitur ex præmiſſis. Major autem videtur per ſe nota ex ipſis terminis, quia inintelligibile eſt, quod Deus faciat, ut faciamus, & quod nos non applicet ad agendum: ſicut impoſſibile eſt, quod ego faciam cultellum, verbi gratia, ſcindere, & quod cultellum non applicem ad ſciſſionem. Minor denique expreſsè habetur in ſacra Scriptura, nam Ezechiel. 36. dicitur: *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Quo teſtimonio ſæpiſſimè utitur Auguſtinus adverſus Pelagianos, & eorum reliquias, & præſertim in libro de gratia, & libero arbitrio cap. 16. ubi inquit: *Certum eſt nos velle, cum volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulo ante poſui, quod præparatur voluntas à Domino. Certum eſt nos facere, cum facimus: ſed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, Faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis.* Et poſt pauca: *Ille facit, ut faciamus, cui dicit homo, Pone Domine cuſtodiam ori meo: hoc eſt enim dicere, Fac, ut ponam cuſtodiam ori meo.* Quam doctrinam diffinit Concilium Arauſicanum can. 9. his verbis: *Quoties bonum agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur, operatur.*

114. Reſpondent primo Adverſarij ſatis eſſe, ut verificentur hujuſmodi locutiones, quod Deus nobis præſtiterit omnia principia requiſita ad operandum, eaque in illa occaſione excitet, in qua per ſcientiam mediam præſcit effectum conſecutura: nam eo ipſo facit moraliter, quod faciamus.

Sed contra eſt: tum quod hanc doctrinam refellit D. Thom. lib. 3. contra gentes, cap. 89. ubi ait: *Quidam vero non intelligentes, qualiter motum libertatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque præjudicio*

Digitized by Google

præjudicio libertatis voluntatis, conati ſunt has auctoritates (quas Sanctus Doctor ibi expendit, & idem, ac teſtimonium Ezechielis docent) *male exponere: ut ſcilicet dicerent, quod Deus cauſat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi; non autem ſic, quod faciat nos velle hoc, vel illud, ſicut Origenes exponit in libro Periarchon liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas.* Tum etiam quia id, quo Deus facit nos facere, determinat voluntatem noſtram ad faciendum, ſalva tamen ejus libertate: atqui omnia principia dantia virtutem, & pertinentia ad actum primum (ſive per ſcientiam mediam regulentur, ſive non) nullo modo determinant voluntatem ad agendum; ſed potius ſunt determinabilia per voluntatis conſenſum: ergo auxilium, quo Deus facit, ut faciamus, diſtinguitur ab omnibus auxiliis ſufficientibus. Tum præterea, nam quod Deus præviderit auxilia ſufficientia, ſi in hac, vel illa occaſione conferantur, ſortitura fore effectum; ſolum evincit, quod Deus prævideritt hujuſmodi auxilia determinanda eſſe per voluntatem creatam ad exercitium: ſiquidem certitudo illius præſcientiæ non fundatur in natura ipſorum auxiliorum, quippè qui in pluribus aliis occaſionibus, & ſubjectis non ſortiuntur effectum; ſed fundatur in determinatione voluntatis creatæ, quæ ſuo arbitrio prædictis auxiliis utetur: ergo non ſalvatur, quod Deus per illa auxilia faciat voluntatem facere; ſed magis infertur, quod voluntas creata faciat prædicta auxilia ad exercitium reduci. Tum denique quia cum Deus ab æterno prævidit per ſcientiam mediam, quod voluntas poſita in tali occaſione, & adjuta tali auxilio ſufficienti conſentiet; vel prævidit tale auxilium facere, quod voluntas conſentiat, vel non prævidit? Hoc ultimum dici non poteſt: alias voluntas prævideretur conſenſura abſque auxilio, quo Deus illam faceret conſentire: quod adverſatur auctoritatibus Scripturæ, & Sanctorum modo relatis. Si autem prævidetur: ergo tale auxilium facit voluntatem conſentire independenter à directione per ſcientiam mediam, ſiquidem eam non ſupponit; ſed potius ſupponitur ad ipſam tanquam partem hypotheſis, cui certitudo illa conditionalis innititur. Itaque vel prævidetur voluntas conditionatè conſentiens dependenter ab auxilio faciente ipſam conſentire? Et ſic habemus intentum: nam tale auxilium ex una parte non regulatur per ſcientiam mediam, & ex alia diſtinguitur ab auxilio ſufficienti, quod non facit voluntatem facere, ſed tantum, quod ſit factiva. Vel prævidetur voluntas conditionatè conſentiens independenter ab auxilio faciente illam conſentire? Et ſi hoc dicatur, ſequitur, quod in executione conſentit independenter à tali auxilio: ſiquidem cum illis, vel ſine illis auxiliis in executione conſentit, cum vel ſine quibus Deus eam prævidit conſenſuram. Hoc autem eſt omnino falſum, & adverſum Scripturæ: ergo dicendum eſt illud prius. Quæ impugnationes procedunt gratis admittendo illam mediam, quam aliunde impoſſibilem eſſe, & inutilem ex dictis *tractatu* 3. ſupponimus. Sed hoc motivum latius expendemus *diſp.* 7. *à num.* 58.

Urgetur reſponſionis confutatio.

115. Confirmatur primo ad hominem ex principiis apud Adverſarios in hac materia communibus: nam auxilium, quo Deus facit, ut faciamus juxta reſponſionem proximè datam non diſtinguitur ab auxilio ſufficienti, quo potentia fit proximè potens ad agendum: atqui ſecundum eoſdem *Auctores hujuſmodi auxilium ſufficiens in potentiis, quæ habitibus non exornantur, nihil intrinſecum, & inhærens importat, ſed ſolum Deum ipſis potentiis intime aſſiſtentem,* ut vidimus *dub.* 3. ergo in illorum opinione nequit verificari, quod Deus faciat nos facere ex eo, quod tribuat nobis vires ad agendum. Patet conſequentia: quia ut verificetur, quod Deus nos facit facere; opus eſt, quod Deus faciat, antequam nos faciamus; atque ideo quod operatio divina præcedat operationem noſtram, illamque inferat: ſed Deus in hypotheſi facta nihil facit, antequam nos operemur; ſiquidem nihil intrinſecum, & inhærens imprimit potentiis, ſed tantum eis aſſiſtit: quod habet independenter ab omni operatione: ergo in ſententia Adverſariorum ſalvari non poteſt, quod Deus faciat, ut faciamus. Quod tamen apertè docent Scriptura, & Auguſtinus locis citatis. Admittendum igitur eſt auxilium applicans nos ad agendum, diverſum ab auxiliis, quæ vim agendi communicant.

Confirmatio amplius.

Confirmatur ſecundo præcludendo tacitam reſponſionem: quoniam licet ad actus ſupernaturales liberos (de quibus præcipuè loqui videntur auctoritates ſupra relatæ) præſupponantur aliqua auxilia intrinſeca, & inhærentia; nihilominus hæc, prout ab Adverſariis explicantur, inepta ſunt, ut per illa dicatur Deus facere, quod voluntas faciat: ergo ultra prædicta auxilia requiritur aliud auxilium applicans voluntatem ad agendum. Conſequentia patet. Et antecedens probatur: quia auxilium, quo Deus facit, ut homo faciat, conjungitur infallibiliter cum hominis operatione, ſicut enim implicat me facere, quod cultellus ſcindat, & cultellum non ſcindere: ſic repugnat Deum facere, quod homo operetur, & hominem non operari: atqui illa auxilia, quæ Adverſarij dicunt ad actus liberos præſupponi, non connectuntur infallibiliter cum illis, ſed queunt etiam in ſenſu compoſito ab eis ſeparari; conſiſtunt enim prædicta auxilia in intellectionibus, aut bonis affectionibus, quæ ſolum inclinant in actu primo ad rectè operandum, & ſunt ulterius determinabilia per aſſenſum, & diſſenſum voluntatis: ergo auxilia ſufficientia, quæ Adverſarij admittunt, inepta ſunt, ut per ea dicatur Deus facere, quod voluntas faciat.

Objectio.

116. Dices, in præſenti non determinamus, quod auxilium applicans ad agendum applicet phyſicè voluntatem; ſed permittimus, quod applicet tantum moraliter, vel ſaltem ab utroque applicandi modo præſcindimus, *ut ſupra numero* 111. obſervavimus: ſed hoc ipſo, quod auxilium moraliter applicet, conſiſtit in illuſtrationibus, & affectionibus internis; quæ non omnino determinant voluntatem, ſed eam præcisè in actu primo conſtituunt: ergo non majus, aut diverſum auxilium applicativum voluntatis adſtruimus, quam Adverſarij.

Diſſolvitur.

Reſpondetur negando minorem: quoniam Thomiſtæ illi, qui docent Deum non applicare phyſicè voluntatem ad agendum, ſed tantum moraliter conſtituunt (niſi inconſequenter procedant) rationem prædicti auxilij applicativi in intellectionibus, aut affectionibus, non quidem ut important ſimplicem, & ſpecificam tendentiam in objectum, vel quatenus habent præcisè illud voluntati proponere: hoc enim pacto pertinent ad actum primum, nec rationem auxilij ſufficientis excedunt, cum quo conjungi valet actus oppoſitus. Sed dicunt prædictos actus

internos habere rationem auxilij applicantis determinatè ad ulteriorem actum liberum, quatenus important latentem quemdam modum energiæ, & efficacitatis, quam ab efficaci Dei decreto participant; ita quod hujuſmodi vis antevertat conſenſum creaturæ, & per ſcientiam mediam non reguletur, ut infra videbimus diſp. 7. dub. 5. §. 5. Unde licet voluntas prædeterminetur, & applicetur cognitione, & amore: hi tamen actus habent, prout deſcendunt à Deo, modum quemdam intrinſecum, ratione cujus inferunt determinatè conſenſum. Et quamvis, ut meram rationem cognitionis, & amoris ſortiuntur, ſpectent ad actum primum: nihilominus, quatenus illum latentem efficaciæ modum important, pertinent ad actum ſecundum, non quidem formaliter, ſed cauſaliter, id inſtar videlicet applicationis, & reductionis. Unde hic diſcurrendi modus ſalvat (ſaltem majori ex parte) omnia Thomiſtarum aſſerta circa divinam præſcientiam, certitudinem prædeſtinationis, & gratiæ efficaciam. An autem ſit undequaque verus, debeatque oppoſito dicendi modo præferri, non poſſumus hic convenienter determinare, ſed loco citato, ex profeſſo declarabimus.

Aliud Adverſariorum effugium.

117. Reſpondent ſecundo Adverſarij admittendum quidem eſſe auxilium, quo Deus faciat voluntatem facere, & hoc auxilium diſtingui ab omnibus auxiliis, quæ vim agendi communicant. Hujuſmodi tamen adjutorium dicunt conſiſtere in concurſu Dei ſimultaneo, quo Deus influit in voluntatis operationem. Nam cum dicitur Deum facere, quod voluntas faciat, non eſt, inquiunt, ſenſus tranſitivus, quaſi aliud ſit facere Dei, & facere voluntatis: ſed eſt conſtructio intranſitiva: dicitur quippe Deum facere, ut faciamus, quia in omne noſtrum facere influit.

Præcluditur.

Hæc tamen reſponſio vim argumenti facti non evacuat, ſed verbis tantum conſiſtit. Pro quo obſerva, quod ut ſupra dub. ... explicuimus, concurſus Dei ſimultaneus bifariam conſiderari poteſt: uno modo activè, & formaliter; quo pacto eſt actus increatus Dei attingens immediatè actionem creaturæ: altero modo terminativè & paſſivè, qua ratione eſt actio creaturæ ut à Deo dependens tanquam effectus. Et quidem ſi priori modo accipiatur, non videtur repugnare, quod per eandem increatam Dei actionem & applicetur voluntas ad agendum, & quod volitio creata immediatè producatur. Nam cum ex una parte actio Dei ſit adeo eminens; & ex alia parte applicatio paſſiva voluntatis, & voluntatis operatio ſint termini inter ſe ſubordinati; una & eadem actio Dei valeat utrumque munus applicandi, & concurrendi ſimul præſtare: quæ proinde, quatenus voluntatem applicat, dicetur concurſus activus prævius; & quatenus ſimul cum voluntate influit, vocabitur concurſus activus ſimultaneus. Sed in hoc ſenſu nec procedit argumentum à nobis factum, nec illi accommodari poteſt Adverſariorum ſolutio. Procedit igitur ratio noſtra de auxilio creato, & intrinſecè inhærente voluntati, ad agendum applicata, per quod ipſa dicatur facere, & per quod Deus faciat ipſam facere: & hujuſmodi auxilium conſiſtere nequit in concurſu Dei ſimultaneo, paſſivè in ipſo voluntatis facere, prout à Deo dependet: atque ideo corruit Adverſariorum reſponſio.

Voluntas creata nequit applicari ad agendum per concurſum ſimultaneum.

118. Quod ſic oſtendemus. Primo, quia auxilium, quo Deus facit, ut voluntas faciat, importat cauſalitatem ſupra voluntatis actum: ſicut impulſus, quo ego facio, ut cultellus ſcindat, importat cauſalitatem ſupra cultelli actum, nempè ſciſſionem: atqui concurſus Dei ſimultaneus paſſivè ſumptus nullam importat cauſalitatem ſupra actum voluntatis: ergo concurſus Dei ſimultaneus nequit eſſe auxilium, per quod Deus dicatur facere, ut voluntas faciat. Probatur minor: quia ad veram cauſalitatem requiritur realis diſtinctio, eo quod vera cauſalitas importat realem dependentiam unius ab alio, quæ abſque reali diſtinctione non ſubſiſtit: atqui concurſus Dei ſimultaneus paſſivè ſumptus non diſtinguitur realiter ab operatione voluntatis; ſed eſt ipſa volitio ut à Deo dependens: ergo prædictus concurſus nullam importat veram cauſalitatem ſupra actus voluntatis: *Secundo:* nam id, quo Deus realiter facit, ut faciamus, præcedit realiter voluntatis operationem: hunc quippè ordinem importat ly *facere, quod faciamus*, ut ex ipſis terminis liquet: ſed concurſus Dei ſimultaneus paſſivè ſumptus non præcedit realiter voluntatis operationem; ſiquidem identificatur cum illa: ergo hujuſmodi concurſus ineptus eſt, ut Deus per illum dicatur facere, ut faciamus.

[illegible]

Confirmatur evertendo fundamentum Adverſariorum in hac reſponſione inſinuatum: nam ſi Deus ideo dicitur facere, quod voluntas faciat, quia facit ipſum facere voluntatis, ſive quia influit ſimultaneè in concurſum illius: ergo pariter dicetur voluntas creata facere, quod Deus faciat; ſiquidem etiam facit ipſum facere Dei (quod in Adverſariorum opinione eſt actio creata tranſiens) & influit ſimultaneè in ejus concurſum: id quippè convincit eadem paritatis ratio: conſequens eſt abſurdum: ergo Deus facit, quod voluntas faciat, non quia præciſè ſimul cum illa ad idem *facere* concurrat, ſed quia ipſi, ut faciat imprimit auxilium prævium, & applicans. Minor, immo & totus diſcurſus eſt Divi Auguſtini *in lib. Enchyrid. ad Laurent. capite 32.* ubi ait: *Quomodo ergo non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, niſi quia & ipſa voluntas, ſicut ſcriptum eſt à Deo præparatur? Alioquin ſi propterea dictum eſt, Non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia ex utroque fit* (pende verba) *id eſt ex voluntate hominis, & miſericordia Dei, ut ſic dictum accipiamus: Non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei; tanquam diceretur, non ſufficit voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei. Non ergo ſufficit miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis. Ac per hoc, ſi rectè dictum eſt. Non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei: quia id voluntas hominis ſola non implet: cur non è contrario rectè dicitur, Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis hominis: quia id miſericordia Dei ſola non implet? Porro ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat: reſtat, ut propterea rectè dictum intelligatur, Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Eadem ferè repetit S. Doct. *in quæſt. 2. ad Simplicianum* dicens: *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate.* Ubi ſatis oſtendit ipſam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam ſi propterea ſolum dictum eſt, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quia voluntas hominis ſola non ſufficit, ut juſte, recteque vivamus, niſi adjuvetur miſericordia Dei.*

D. Auguſt.

Poteſt

Poteſt & hoc modo dici. Igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis: quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. Quod tamen S. Doctor refugit admittere, & ubique cenſet impium eſſe concedere. Sicut igitur propoſitio Apoſtoli, *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, nequit in eo tantum ſenſu verificari, quod ſola voluntas hominis non ſufficiat, ſed requiratur etiam Dei miſericordia: alias etiam poſſet dici, *Non eſt Dei miſerentis, ſed hominis volentis*; ſiquidem non ſufficit ſola miſericordia Dei, ſed etiam requiritur voluntas hominis: & ideo concedendum eſt, quod miſericordia Dei non concurrit præcisè ſimultaneè, ſed etiam prævié, præparando hominis voluntatem. Ita propoſitio illa apud Ezechielem, *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis*, nequit eo tantum ſenſu verificari, quod voluntas hominis non ſufficiat ad faciendum, ſed requiratur concurſus Dei: alias etiam poſſet dicere voluntas creata, *Faciam, ut Deus faciat*; ſiquidem non ſufficit concurſus ſimultaneus Dei, ut ſequatur actio vitalis; ſed etiam requiritur concurſus voluntatis creatæ. Quod inconveniens vitari non poteſt, niſi præter concurſum Dei ſimultaneum admittamus alium concurſum prævium, quo Deus voluntatem creatam applicet ad agendum.

Reſp. 119. Reſpondebis non poſſe dici, quod voluntas hominis faciat Deum facere, quia licet influat in concurſum Dei ſimultaneum; nihilominus prædicta locutio denotat aliquam ſuperioritatem creaturæ ſupra Deum: quod ſummæ illius perfectioni atque dominio repugnat.

Præcluditur. Sed hoc nihil eſt, & firmat argumentum hactenus factum: nam ideo nequit dici, quod voluntas creata faciat Deum facere, quia licet influat active in concurſum Dei; nihilominus non movet, nec applicat Deum ad agendum, nec ipſi impertitur auxilium prædeterminans: atqui licet Deus influat immediate ſimultaneè in operationem voluntatis creatæ, nihilominus in Adverſariorum opinione non applicat, movet, aut prævié determinat voluntatem ad agendum: ergo prædicta cooperatio Dei non ſufficit, ut Deus dicatur facere, quod voluntas faciat. Et conſequenter ſicut in prædicto modo concurrendi non adeſt aliqua inferioritas, vel ſubordinatio Dei ad voluntatem creatam; ſed tantum ſimultas influxus; ita nec explicatur ulla inferioritas, vel ſubordinatio voluntatis creatæ ad Deum, ſed ſolum coefficiendi ſimultas. Unde non majori rigore verificabitur, quod Deus facit hominem facere, quam quod homo facit Deum operari. Quod eſt omnino abſurdum: nam voluntas creata debet explicare inferioritatem ad Deum non ſolum in actu primo, & quantum ad vires acceptas; verumetiam in actu ſecundo, & quantum ad modum actualiter operandi, ut ex Div. Auguſtin. proxime vidimus, & amplius conſtabit ex immediatè dicendis.

§. III.

Eadem veritas iterum communitur.

Aliud pro aſſertione majorem. 120. SEcundo probatur noſtra concluſio: quoniam omne, quod movetur, ab alio movetur, ut docet Ariſtot. *lib.7. Phyſic. cap.1. & lib.8. cap.5.* ſed voluntas adjuta, & elevata omnibus auxiliis ſufficientibus movetur per volitionem, quam in ſe recipit: ergo voluntas adjuta prædictis auxiliis debet ab alio, nempè Deo moveri: ergo præter omnia auxilia ſufficientia pertinentia ad actum primum, neceſſarium eſt aliud auxilium movens, & applicans voluntatem ad agendum.

Confirmatur: quia ab eo, quod eſt indifferens ad utrumlibet, nequit actio determinata procedere, niſi moveatur, & applicetur ab alio movente, quod ejus indifferentiam, & ſuſpenſionem veluti exſuſcitet, & ſubmoveat, ut tradit D. Thom. 1. *part. quæſtione 19. articulo 13. ad 5. & 1.2. quæſtione 9. articulo 4.* Sed voluntas creata adjuta omnibus auxiliis pertinentibus ad actum primum adhuc eſt indifferens ad utrumlibet, & poteſt cum quolibet indifferentiæ extremo conjungi: ergo voluntas prædictis auxiliis adjuta nequit determinatam actionem elicere, niſi prius ab alio, nempè à Deo, applicetur, & moveatur ad determinatam operationem: & conſequenter ultra omnia auxilia dantia virtutem requiritur aliud auxilium applicans, & præmovens ad agendum. *Confirmatur.* *D.Thom.*

121. Huic argumento reſpondent communiter Adverſarii ſufficienter ſalvari, ac verificari, quod voluntas creata moveatur à Deo ex eo, quod ab illo acceperit virtutem, & actum primum ad ſe movendum: neque aliud intendiſſe Philoſophum, cum aſſeruit omne, quod movetur, ab alio moveri, quam quod omnia agentia mota habent ab alio virtutem movendi: in quo ſatis differunt à primo movente, quod à nemine movendi virtutem accepit. Et ſimiliter confirmationi reſpondent voluntatem creatam ſufficienter excitari, & velut determinari per auxilium gratiæ prævenientis, ſive per internam illuminationem, & affectum, quæ ipſam incitant ad bene operandum. Nec oportet pro iſto effectu novum auxilium applicans comminiſci; ſed ſufficit ipſius voluntatis ſupra proprios actus dominium. *Communis reſponſio.*

122. Cæterum hæc reſponſio procedit ex non recta intelligentia propoſitionis Philoſophi, & rationis à nobis factæ. Pro quo nota primo, quod ut dubio præcedenti vidimus, nullum agens recipiens in ſe operationem à ſe diſtinctam continet perfectè prædictam operationem; ſed debet actu adjuvari ab exteriori principio, quod nullo modo ſit in potentia ad recipiendum. Et rationem tradit D. Thom. *lib.1. contra gentes, cap.13.* his verbis: *Nihil eſt idem ſimul in actu, & in potentia reſpectu ejuſdem: ſed omne, quod movetur, in quantum hujuſmodi, eſt in potentia: quia motus eſt actus exiſtentis in potentia, ſecundum quod hujuſmodi: omne autem, quod movet, eſt in actu, in quantum hujuſmodi: quia nihil agit, niſi in quantum eſt in actu: ergo nihil eſt reſpectu ejuſdem actu movens, & motum: & ſic nihil movet ſeipſum:* hoc eſt per ſe primo, & independenter ab alio priori movente. *Ruenda pro reſponſionis everſione.* *D.Thom.*

Secundo obſerva voluntatem adjutam omnibus auxiliis pertinentibus, ad actum primum adhuc eſſe in potentia, ut in ſe recipiat operationem realiter à ſe, & ab aliis auxiliis diſtinctam. Et ratio eſt: quia nullum agens creatum, quantumcumque perfectum ſit, identificat ſibi propriam operationem, ut docent communiter Philoſophi. Nec vim facimus in eo, quod auxilia elevantia voluntatem debeant recipere vel non operationem, ad quam concurrunt: hoc enim impertinens eſt ad noſtrum intentum. Sed ſolum intendimus prædicta auxilia non eſſe ita perfecta, & actualia, ut per ſemetipſa conſtituant voluntatem in actu ſecundo, ſed quod eam relinquunt in potentia formali

ad recipiendum, propriam operationem. Quod eſt ſatis evidens, & apertè conſtat ex dictis *dubio præcedenti*.

Confutatur reſponſio [illegible] adhibita.

123. Ex his ergo principiis refellitur reſponſio argumento data, inſtaurando robur illius ſub hac forma: quoniam agens recipiens in ſe operationem realiter à ſe diſtinctam debet ab alio actualiter moveri; ſiquidem ex ſuis principiis habitualibus non continet actu perfectè prædictam operationem, ut conſtat ex primo notabili: atqui voluntas elevata omnibus auxiliis pertinentibus ad actum primum adhuc eſt in potentia ad recipiendum operationem realiter à ſe diſtinctam, ut ex ſecundo notabili patet: ergo voluntas prædictis auxiliis adjuta debet adhuc ulterius moveri ab alio, nempè à Deo, ad eliciendam operationem: & conſequenter debet moveri à Deo non ex eo tantum, quod ab eo acceperit vim motivam, ſed ex eo etiam, quod ab illo rurſus applicetur ad motum. Quam rationem, æquè in voluntate, ac in aliis cauſis ſecundis urgentem, proponit eleganter D. Thom. 1. *part. quæſt.* 2. *art.* 3. his verbis: *Nihil movetur, niſi ſecundum quod eſt in potentia ad illud, ad quod movetur: movet autem aliquid, ſecundum quod eſt in actu. Movere enim nihil aliud eſt, quam educere aliquid de potentia in actum. De potentia autem non poteſt aliquid reduci in actum, niſi per aliquod ens in actu: ſicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod eſt calidum in potentia, eſſe actu calidum: & per hoc movet, & alterat ipſum. Non autem eſt poſſibile, ut idem ſit ſimul in actu, & potentia ſecundum idem, ſed ſecundum diverſa: quod enim eſt calidum in actu non poteſt eſſe ſimul calidum in potentia, ſed eſt ſimul frigidum in potentia. Impoſſibile eſt ergo, quod ſecundum idem, & eodem modo aliquid ſit movens, & motum, vel quod moveat ſeipſum. Omne ergo, quod movetur, oportet ab alio moveri. Si ergo id, à quo movetur, moveatur; oportet & ipſum ab alio moveri; & illud ab alio. Hoc autem non eſt procedere in infinitum: quia ſic non eſſet aliquod primum movens; & per conſequens nec aliud movens: quia moventia ſecunda non movent, niſi per hoc, quod ſunt mota à primo movente: ſicut baculus non movet, niſi per hoc, quod eſt motus à manu. Ergo neceſſe eſt devenire ad aliquod primum movens, quod à nullo moveatur: & hoc omnes intelligunt Deum.* Qui diſcurſus deſumptus eſt ex Ariſtotele loco citato in 8. *Phyſic.* & concludit ſatis manifeſtè non ſolum omnem virtutem motivam derivari à Deo; ſed etiam omnem vim agendi creatam deberi ulterius actu moveri, & applicari à Deo, ut ipſa actu moveat: in quo conſiſtit robur argumenti ſuperius facti, & recta intelligentia propoſitionis Philoſophi.

Reſponſio confirmationi data refellitur.

Per quod etiam confutatur reſponſio adhibita confirmationi: nam propoſitio illa D. Thomæ: omne, quod eſt indifferens ad utrumlibet, debet determinari ab aliquo extrinſeco, innititur alteri propoſitioni Philoſophi hactenus explicatæ, & ex ea per evidentem conſequentiam infertur ſub hac forma: *Omne, quod movetur, ab alio movetur: ſed omne, quod eſt indifferens ad utrumlibet, movetur, quando actu operatur, ſiquidem recipit operationem realiter à ſe diſtinctam: ergo omne, quod eſt indifferens ad utrumlibet, debet ab alio moveri, ſeu prædeterminari,* ut actu operetur. Ad hujuſmodi vero motionem, & determinationem non ſufficit auxilium gratiæ prævenientis in illuſtratione, vel aliquo affectu conſiſtens: nam hoc auxilium ſpectat præciſè ad actum primum, & relinquit voluntatem prorſus indifferentem ad utrumlibet. Unde videmus voluntatem ſtante prædicto auxilio elicere aliquando actum oppoſitum: quod non contingeret ſi tale auxilium ſufficienter determinaret ad unam partem. Ergo præter hujuſmodi auxilium, & omnia alia, quæ ad actum primum ſpectant, requiritur aliud auxilium applicans exercitè, & determinatè voluntatem ad operandum.

Ulterius [illegible]

124. Quæ doctrina poteſt amplius roborari: quoniam de ratione inſtrumenti eſt applicari, & moveri ab agente principali ad operandum: ſed voluntas quantumcumque adjuvetur auxiliis, concurrit inſtrumentaliter ad ſuam volitionem conſideratam quantum ad actualitatem, & exiſtentiam, ut conſtat ex dictis *dubio præcedenti*, quod præter Divum Thomam & Auctores ibi citatos docuerunt communiter Platonici, quorum ſententiam refert, & ſequitur Divus Damaſcenus in ſua *Phyſica capite* 9. & Simplicius 2. *Phyſic. capite* 3. ergo licet voluntas ſupponatur adjuta, & elevata per auxilia, adhuc tamen debet à Deo agente principali applicari, & moveri ad operandum. Major, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, ſatis liquet: tum inductione, non calamus enim, quantumvis aptè diſpoſitus, ſcribit, niſi moveatur ab alio ad ſcriptionem: & ſimiliter ſerra, licet ſupponatur convenienter artefacta, non ſcindit artificioſè, niſi applicetur ab artifice. Tum etiam ratione: agens inferius non tendit in finem agentis ſuperioris, niſi ab illo applicetur, & promoveatur ad talem finem, ut tradit Divus Thomas *quæſtione* 24. *de Veritate, articulo* 14. *in corpore*: probatur vero quod agens, & finis mutuo ſibi correſpondent: ſed finis attactus per actionem inſtrumentariam eſt altior ipſo inſtrumento: hoc igitur non tendit in prædictum finem, niſi applicetur, & promoveatur ab agente principali. Et hoc diſcurſu utitur ad intentum D. Thom. *quæſtione* 3. *de potentia, articulo* 7. in corpore, ubi ait: *Hoc ergo individuum* (utputa Petrus) *agendo non poteſt conſtituere aliud in ſimili ſpecie, niſi prout eſt inſtrumentum illius cauſæ, quæ reſpicit totam ſpeciem, & ulterius totum eſſe naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit ad ſpeciem in his inferioribus, niſi per virtutem corporis cœleſtis: neque aliquid ad eſſe, niſi per virtutem Dei. Ipſum enim eſſe eſt communiſſimus effectus, primus, & intimior omnibus aliis effectibus. Et ideo ſoli Deo convenit ſecundum virtutem propriam talis effectus. Unde etiam, ut dicitur in libro de cauſis, intelligentia non dat eſſe, niſi prout eſt in ea virtus divina. Sic ergo Deus eſt cauſa omnis actionis, prout quodlibet agens eſt inſtrumentum divinæ virtutis operantis.* Idem docet 3. *contra gentes, cap.* 94.

Objectio.

125. Sed objicies: nam in præſenti dubio intendimus oſtendere neceſſitatem auxilii actualis diſtincti ab eo, quod dubio præcedenti ſtatuimus: illud enim requiritur ad conſtituendum virtutem creatam in actu primo proximo ad attingendum actualitatem, & exiſtentiam operationis, hoc autem deſideratur, ut virtus, quæ pertinet ad actum primum, reducatur ad exercitium: & ita illud vel eſt virtus, vel complet virtutem, hoc vero nullo modo eſt virtus, ſed mera reductio, ſeu applicatio virtutis. Atqui inſtrumenta non indigent duplici motione actuali: incredibile eſt enim, quod ſerra, verbi gratia, duplici entitate fluida ab agente principali

Digitized by Google

principali moveatur. Ergo ex ratione inſtrumenti minus recte concludimus, quod virtus creata indigeat motione, de qua egimus dubio præcedenti, & inſuper alio auxilio, de quo in præſenti tractamus.

Reſponſio. Reſpondetur primo negando minorem: nam ſatis veroſimile eſt quodlibet inſtrumentum rigoroſum indigere duplici motione realiter diſtincta ad agendum: una quidem, ut conſtituatur in actu primo, quæ proinde habet rationem virtutis operativæ; alia vero, ut applicetur ad actum ſecundum, quæ ſubinde non habet rationem virtutis, ſed motus: qui conceptus ſatis inter ſe diſtinguuntur. Unde ex vi hujus potius concluditur voluntatem indigere duplici motione realiter diverſa ad actualiter agendum. Nam ex una parte debet conſtitui in actu primo ad attingendum inſtrumentaliter actualitatem, & exiſtentiam propriæ operationis; & ſic indiget auxilio ad inſtar qualitatis fluidæ virtuoſæ, & operativæ, ut *dub. præcedenti* declaravimus: & ex alia parte debet applicari per modum inſtrumenti à Deo principali agente ad actualiter operandum; & ita poſtulat moveri per aliquod auxilium pure applicans, & non communicans virtutem, ut nuper explicuimus. Cumque hujuſmodi auxilia habeant rationes ſatis differentes, valde veroſimile eſt, quod realiter diſtinguantur. Nec hoc eſt inconveniens; ſiquidem ex entitates non multiplicantur abſque neceſſitate, & aliunde earum aſſertio manifeſtat maximam voluntatis creatæ debilitatem, & ſummam dependentiam à Deo, ut nullus in ſe, ſed in Domino glorietur.

Alia ſolutio. Reſpondetur ſecundo eidem objectioni, omittendo præmiſſas, & negando conſequentiam: nam in præſenti dubio ſolum oſtendere intendimus, quod præter auxilia pertinentia ad actum primum, ſive permanentia ſint, ſive fluida, requiritur auxilium applicans ad actum ſecundum: quod ſatis aperte ex propria inſtrumenti ratione concluditur. An autem hoc poſterius auxilium diſtinguatur realiter ab illo auxilio fluido, quo voluntas ſit potens ad producendum actualitatem, & exiſtentiam operationis, nec ne, minime determinavimus, nec ad veritatem noſtræ aſſertionis intereſt reſolvere. Pro cujus tamen luce obſerva Deum ab æterno, & independenter a præviſione conſenſus conditionate futuri habità per ſcientiam mediam, decreviſſe efficaciter communicare quibuſdam hominibus verbi gratiâ Divo Petro auxilium, quo poſſit converti, & actu convertatur; aliis autem hominibus, utpote Judæ, auxilium, quo poſſet converti, non tamen auxilium, quo converteretur: atque ideo determinavit communicare Petro auxilium ſufficiens, & efficax; Judæ vero auxilium tantum ſufficiens: quorum auxiliorum rationes latius infra declarabimus. Si ergo loquamur de auxilio communicato Judæ, evidens eſt, quod auxilio movente, & applicante realiter diſtinguatur: ſiquidem Judas non habuit auxilium, quo ad converſionem fuerit actu applicatus, ſed auxilium tantum, quo potuit converti: realis autem ſeparatio eſt ſignum evidens realis diſtinctionis. Cæterum loquendo de auxilio, quod Deus decrevit Divo Petro conferre, quo ſcilicet poſſet proxime converti, & actu ad converſionem applicaretur; ſatis credibile eſt, quod unum, & idem realiter ſit, cum ſola diſtinctione eminentiali, & quoad munera. Nam licet rationes virtutis elevativæ, & applicationis actualis ſint haud parum differentes, & forte nequeant in entitate inferioris rationis

An idem auxilium queat eſſe ſimul ſufficiens, & efficax.

uniri; queunt tamen conjungi in qualitate eminenti, & ſuperioris ordinis, cujuſmodi eſt auxilium actuale. Hujuſmodi quippe qualitas eſt participatio voluntatis divinæ actu efficaciter intendentis converſionem: unde qua parte derivatur à voluntate potente; dat virtutem, & complet actum primum: & qua parte deſcendit à voluntate actu efficaciter intendente; movet, & efficaciter applicat ad converſionem intentam. Quamobrem licet ad actualem converſionem requiratur & auxilium complens virtutem activam, ac ſe tenens ex parte actus primi, ut *dubio præcedenti* oſtendimus, & ſimul auxilium applicans ad agendum, quod prout ſic ad actum primum non pertinet, ut in præſenti ſtatuimus: nihilominus hæc auxilia poſſunt, & ſolent eſſe realiter eadem entitas; quæ proinde à Thomiſtis quandoque appellatur *qualitas fluida*, quandoque vero *motio virtuoſa*: utriuſque enim & qualitatis, & motionis rationes implicat eminenter. Quam reſponſionem amplectitur Alvarez *de auxiliis diſp. 73. num. 4.* & alii plures Thomiſtæ, ut diximus *tract. 13. diſp. 5. n. 37.* ubi eius probabilitatem defendimus.

Alvarez.

Replica. 126. Replicabis: quoniam de ratione potentiæ liberæ eſt, quod virtus, qua conſtituitur in actu primo, ſit indifferens ad utrumque libertatis extremum, & ab utroque diviſim ſeparabilis: ſed ſi auxilium, quo voluntas conſtituitur in actu primo ad converſionem, eſſet idem realiter cum auxilio præmovente; iam virtus voluntatis non maneret indifferens ad utrumque libertatis extremum, nec eſſet ab actu converſionis ſeparabilis: ergo vel voluntas illo auxilio affecta non eſt potentia libera, quod eſt abſurdum; vel illud auxilium non eſt realiter unum, ſed multiplex. Minor eſt certa: nam auxilium præmovens non eſt indifferens ad utrumlibet, ſed prorſus determinatur ad unum actum, a quo nequit realiter ſeparari.

Diſſolutio. Reſpondetur auxilium dans virtutem identificatum cum auxilio applicante ad actum determinatum non magis præjudicare libertati, quam ipſum auxilium præmovens; ſiquidem ab hoc provenit ultimata determinatio. Unde ſicut in communi ſententia Thomiſtarum recte cohæret, quod voluntas præmota cum auxilio applicante, & infallibiliter conferente actum determinatum, & quod nihilominus valeat elicere actum oppoſitum in ſenſu diviſo, ut *infra diſp. 7. dub. 4.* ex profeſſo declarabimus: ita cohæret, quod auxilium dans poſſe ad unum actum identificetur cum auxilio ad prædictum actum applicante; & quod nihilominus relinquat poteſtatem, ac proinde libertatem ad oppoſitum. Nec contraria probatio urget, ſed laborat in æquivoco: quia licet potentia libera debeat eſſe indifferens ad utrumlibet, & coniungibilis cum quolibet exercitio: virtus tamen elevans potentiam ad unum actum verbi gratia contritionis, non præſtat ex ſe indifferentiam poſitivam ad actum, aut extremum oppoſitum, nec opus eſt, ut cum illo valeat coniungi. Sed ſufficit ad libertatem, quid quod prædicta virtus ita elevet, & præſtet vim ad unum actum, ut ſimul relinquat, & permittat ſecum in voluntate potentiam proximam, & expeditam ad actum oppoſitum: quam poteſtatem voluntas habet non quidem ab auxilio, ſed ex ſe, prout facta eſt ex nihilo. Nam hoc ipſo voluntas taliter elicit actum correſpondentem virtuti per auxilium communicatæ, ut nihilominus habeat ex ſe potentiam ad oppoſitum: quo nihil amplius deſiderari po-

teſt, ut ſimul libere, & infallibiliter convertatur. Nec circa hoc maior difficultas militat in auxilio dante virtutem identificato cum auxilio præmovente, ac in ipſa præmotione, ut nuper dicebamus.

§. IV.

Expenditur aliud fundamentum pro vera ſententia.

Tertia per aſſertione ratio.

127. Tertio probatur noſtra concluſio alia ratione: quoniam ſi ſuppoſitis auxiliis pertinentibus ad actum primum, voluntas abſque novo auxilio applicante ſe determinaret in actu ſecundo; voluntas eſſet primum principium ſuæ determinationis: conſequens eſt abſurdum, & ſapit hæreſim Manichæorum aſſerentium dari plura prima principia: ergo præter auxilia requiſita ad actum primum requiritur aliud auxilium applicans voluntatem ad agendum. Sequela oſtenditur: nam ſicut primum principium abſolute, & in omni genere eſt illud, quod ab alio in nullo genere dependet; ita primum principium alicujus determinationis eſt illud, quod ab alio non determinatur: ſed ſi ſuppoſitis auxiliis pertinentibus ad actum primum, voluntas abſque alio auxilio applicante ſe determinaret; voluntas non determinaretur ab alio, ut liquet ex ipſis terminis: ergo voluntas eſſet primum principium ſuæ determinationis.

Adverſariorum effugium.

128. Reſpondent Adverſarij negando ſequelam; quia de ratione primi principij eſt, quod ab alio non habeat eſſe, & virtutem operativam, & quod ab alio in ſua operatione non dependeat: voluntas autem, etiam ſecluſo auxilio prædeterminante, & habet virtutem operativam a Deo, & dependet in ſua operatione ab illo; ſiquidem nullam operationem elicere poteſt, ad quam non ſit neceſſarius concurſus Dei: unde etiam ſecluſo prædicto auxilio applicante, ſalvatur inferioritas voluntatis, & quod ſe habeat per modum ſecundi principij. Addunt etiam, quod ſi loquamur de primo principio cum addito, & in determinato genere, non eſt inconveniens, quod voluntas ſit primum principium ſuæ determinationis liberæ: hanc enim naturam à Deo accepit, ut poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi ad operandum, ipſa ſemetipſam determinet: atque ideo habet quodammodo rationem primi principij reſpectu talis determinationis. Unde Suarez lib. 3. *de auxiliis cap. 10. num. 4.* non dubitat uti hac comparatione: *Sicut divina voluntas elegit hunc hominem ad gloriam, potius quam illum, vel creationem huius mundi, potius quam alterius, non ex prædeterminatione aliqua phyſica, vel morali, ſed ex ſua libertate: ſic etiam poteſt voluntas noſtra operari per participatam libertatem ſuam, quantum eſt de ſe.*

Suarez.

Confutatur.

Hæc tamen reſponſio non ſatisfacit argumento, ſed implicat in terminis: quoniam id, quod non eſt primum principium abſolute, nequit eſſe primum principium ſuæ determinationis, ſive, quod in idem redit, nequit ita ſe determinare, quin prius ab alio primo principio non determinetur: ſed voluntas creata non eſt primum principium abſolute, ut hæc ſolutio admittit: ergo non eſt primum principium ſuæ determinationis, ſed debet ab alio principio determinari. Probatur major tum ex Divo Thoma *in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2.* ubi quorundam opinionem refellit his verbis: *Primo quia ex ea videtur ſequi, quod ſint plura prima principia: hoc enim eſt de ratione primi principij, ut agere poſſit ſine auxilio prioris agentis, & influentia eius. Unde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cuius autor Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principij haberet. Quamvis hoc nitantur ſolvere dicentes, quod voluntas etſi per ſe poſſit actionem producere ſine influentia prioris agentis, non tamen habet eſſe à ſe, ſed ab alio: quod etiam exigeretur ad rationem primi principij. Sed hoc videtur inconveniens, ut quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit: cum etiam per ſe durare non poſſit, quod à ſe non eſt.* Tum etiam motivo, quod tangit D.Thom. *in verbis proxime relatis*: quia rationes moventis, & determinantis in quocunque genere imbibunt rationem entis, & cum illo convertuntur: ergo implicat, quod ſit primum movens, & determinans, niſi quod fuerit primum ens; ſive, & idem recidit, implicat, quod habeat determinari primo à ſe, quod non habet eſſe à ſe, ſed ab alio: atqui voluntas creata, quantumvis auxiliis adjuta nec eſt primum ens, nec habet eſſe à ſe: ergo nequit eſſe primum principium ſuæ determinationis; ſed ab alio debet prædeterminari. Unde nec in proprio genere dicenda eſt primum principium ſuæ determinationis, niſi impropriiſſime, quatenus videlicet non prædeterminatur ab alio agente creato. Per quod evaneſcit illud, quod addunt Adverſarij: voluntas enim non accipit à Deo talem naturam, ut poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi, ipſa per ſe, & abſque anteriori determinante, ſemetipſam determinaret: hujuſmodi quippe facultas repugnat & inferioritati agentis creati, & ſupremo Dei dominio. Sed tantum accepit vires ad ſe determinandum ſub determinatione primæ cauſæ, & ſuppoſita ejus applicatione ad agendum.

Ad hæc: quodlibet ens per participationem reducendum eſt tanquam in primum principium in ens per eſſentiam, non vero in aliud ens per participationem: ſed determinatio actualis voluntatis eſt ens per participationem: ergo reducenda eſt tanquam in primum principium non in voluntatem, quæ etiam eſt ens per participationem, ſed in Deum, qui eſt ens per eſſentiam: ergo ut voluntas ſe determinet, indiget auxilio Dei prædeterminantis, & applicantis ad agendum.

Evaſio Suarii.

119. Nec refert, ſi cum Suario dicas independenter ab auxilio prædeterminante revocari omnem determinationem in Deum tanquam in primum principium. Nam vel ſermo, inquit ille, eſt de determinatione in actu primo, quæ non diſtinguitur à voluntate, & auxiliis adjuvantibus; vel de determinatione in actu ſecundo, quæ nihil aliud eſt quam volitio: Prima determinatio manifeſte revocatur in Deum tanquam in primum principium, ſiquidem & voluntas, & omnia auxilia eam adjuvantia producuntur à ſolo Deo. Secunda etiam in Deum reducitur; quandoquidem volitio dependet à concurſu Dei ſimultaneo. Et quamvis dependeat etiam à voluntate, hanc tamen non reſpicit niſi ut adjutam auxiliis; atque ideo in Deum tandem etiam ex hac parte reducitur. Ad quid ergo majorem, aut novam determinationem diſtinctam tam à virtute, quam ab operatione confingimus?

Obſervanda ... ſum.

130. Hoc, inquam, non refert, ſed facile impugnatur ex dictis. Pro quo breviter obſerva volitionem ſupernaturalem bifariam conſiderari poſſe: uno modo quantum ad ſupernaturalitatem, alio modo quantum ad libertatem. Et quidem priori modo accepta juxta communem Catholicorum

ſen

Digitized by Google

ſententiam revocanda eſt in voluntatem ut adjutam auxilio. Poſteriori autem modo conſiderata reducitur, juxta Adverſariorum opinionem immediate in proprias vires voluntatis: autumant enim auxilium non eſſe rationem totalem agendi; ſed voluntatem partialiter, & immediate propriis viribus influere in omnes volitionis conceptus, qui ſupernaturalitatem non explicant: cujuſmodi eſt libertas, ſeu libera determinatio. Quam doctrinam frequentiſſime inculcant, ut libertatem tueantur, quam aliter tueri non credunt.

Secundo animadverte eandem volitionem eſſe & concurſum ſimultaneum Dei, & concurſum ſimultaneum voluntatis. Et quidem volitionem, prout eſt concurſus Dei, in ipſum tanquam in principium primum reduci, nemo eſt, qui ambigat. Quod autem, prout eſt concurſus voluntatis, debeat revocari etiam in Deum tanquam in primum principium, probat argumentum ſuperius factum: nam ſecundum hanc poſteriorem rationem eſt etiam ens per participationem, quod proinde in ens per eſſentiam oportet reduci.

Confutatur effugium. Hinc ergo refellitur illa Suarij evaſio: quoniam volitio, ſive determinatio actualis voluntatis debet reduci in Deum tanquam in primum principium, non ſolum ſecundum quod eſt concurſus ſimultaneus Dei; ſed etiam ſecundum quod eſt concurſus ſimultaneus voluntatis; atqui ſecundum hanc poſteriorem rationem nequit in Deum tanquam in primum principium revocari, niſi Deus applicet, & prædeterminet voluntatem ad talem concurſum: ergo vel dicendum eſt Deum non eſſe primum principium determinationis creatæ, quod Suarez refugit admittere; vel præter omnia auxilia pertinentia ad actum primum, admittendum eſt aliud auxilium applicans ad actum ſecundum. Major conſtat ex ſecundo notabili. Minor autem liquet ex primo: tum quia volitio, ut eſt libera determinatio, reducitur in ſententia Adverſariorum ad vires voluntatis, non vero ad auxilia dantia poſſe, & virtutem: ergo niſi voluntas præmoveatur, & applicetur ulteriori auxilio, non poteſt volitio, ut eſt concurſus voluntatis revocari in Deum tanquam in primum principium. Tum etiam quia auxilia, quibus Deus conſtituit voluntatem in actu primo, præbent quidem vires ad ſpeciem volitionis; non tamen determinant voluntatem ad ejus elicientiam: ergo inſufficientia ſunt, ut Deus ratione illorum denominetur primum principium liberæ determinationis: ergo vel Deus non eſt primum principium liberæ volitionis, in quantum eſt concurſus ſimultaneus voluntatis, vel aliud auxilium prædeterminans admittendum eſt.

Urgentius impugnatur. 131. Quod argumentum evidentius urgebit Adverſarios in ſequenti conſideratione. Demus, quod Petro, & Paulo ejuſdem indolis hominibus, eodem tempore, & ſub eiſdem circumſtantiis Deus conferat eadem auxilia tam in ſpecie, quam in intentione, per quæ conſtituantur in actu primo ad eliciendum verbi gratia actum attritionis. Tunc fieri poteſt, quod Petrus actu conſentiat, Paulo diſſentiente: nam concurſus ille circumſtantiarum, & auxiliorum non neceſſitat eos vel ad ſimul conſentiendum, vel ad ſimul diſſentiendum, ſed relinquit in eis poteſtatem ad utrumlibet. In hac ergo hypotheſi invenitur ex parte Petri determinatio actualis conducens ad juſtificationem, & diſcernens ipſum à Paulo in negotio ſalutis. Ergo vel dicendum eſt, quod ex parte Petri adfuit ſpeciale auxilium applicans, & præmovens ejus voluntatem ad attritionem, quo auxilio caruit Paulus, & ſic habemus intentum: vel admittendum eſt, quod voluntas Petri, & non gratia fuerit primum principium prædictæ determinationis; quod non poteſt admitti. Patet conſequentia: quia ex parte auxiliorum gratiæ conſtituentis illos homines in actu primo nulla erat diverſitas, nulla determinatio pro uno potius, quam pro alio, ut caſus ſupponit: ergo niſi admittatur ulterior gratia applicans unum, & non alium, nequit diverſitas, & determinatio actualis ad gratiam tanquam ad primum principium reduci, ſed in voluntatem creatam revocanda erit: atque ideo hæc habebit rationem primi principij in agendo ſuam determinationem.

132. Dices falſo ſupponi in prædicta hypotheſi, quod gratia Petro, & Paulo collata fuerit æqualis: nam licet eadem gratia quoad ſpeciem, & intenſionem illis communicata ſit; fuit tamen inæqualis in ratione gratiæ, & beneficij. Deus enim prævidit ab æterno per ſcientiam mediam Petrum cum tali gratia, & in tali occaſione conſenſurum; Paulum vero cum eadem gratia, & in eadem occaſione diſſenſurum eſſe. Unde hoc ipſo, quod voluit ipſos in tali occaſione conſtituere, eiſque talem gratiam communicare; majus beneficium Petro contulit, quam Paulo: ſicut qui vas aquæ ſitienti propinat, majus beneficium ei confert, quam ſi ipſi non ſitienti eandem aquam offerret. Determinatio ergo Petri ad actum attritionis revocanda eſt in gratiam inæqualem, in illam videlicet, quæ per ſcientiam mediam prævia eſt ſortitura effectum, nam prout ſic, differt à gratia communicata Paulo, licet alias in ſpecie, atque intentione conveniant. *Reſponſio Adverſariorum.*

Sed hoc Adverſariorum effugium, ut velut unicum aſylum multipliciter præcluditur. Tum quia innititur falſæ ſuppoſitioni exiſtentiæ ſcientiæ mediæ: quam impoſſibilem, & inutilem ſatis ſuperque conſtat ex dictis *Tract.* 5. *diſp.* 10. cum ſequenti, & magis conſtabit ex dicendis *diſp.* 7. fere per totam, & præcipue *dub.* 3. Tum etiam quia ea gratis admiſſa, nequivit Deus prævidere, quod in hypotheſi data Petrus ex vi gratiæ ipſi communicatæ conſentiet, & Paulus diſſentiet: nullum quippe intellectui divino offerebatur ex parte gratiæ principium determinans ad cognoſcendum conſenſum Petri, potius quam Pauli: eo quod in hypotheſi data omnia principia, quæ actum ſcientiæ mediæ antecedunt, præſupponuntur æqualia. Tum præterea quia licet collatio gratiæ in actu exercito ſupponat ſcientiam mediam; nihilominus gratia illa, quæ ante determinatum actum ſcientiæ mediæ offerebatur intellectui divino, & ſub qua Deus prævidebat futurum eſſe conſenſum, non ſupponebat ſcientiam mediam, ut ex ſe liquet: alias procederemus in infinitum: & tamen ſub eadem gratia videbatur Petrus conſenſurus, & Paulus diſſenſurus: ergo diverſitas illa actualis determinationis conditionatæ futuræ, quam Deus per ſcientiam mediam præſcivit, non prævidebatur ut dependens à gratia ſicut à primo principio: & conſequenter in ſolam innatam voluntatis libertatem revocanda erit. Tum deinde, quia quod Deus per ſcientiam mediam præviderit gratiam communicandam Petro in tali occaſione habituram eſſe effectum, & eandem gratiam, & in eadem occaſione Paulo conferendam illum non fore ſortituram; minime variat gratiam in ſe ipſa, nec ullam ei majorem energiam intrinſecam, vel efficacitatem confert; ſed ad ſummum eſt aliqua determinatio extrinſeca. Sicut quod Deus præviderit, *Ejus everſio.*

detit, quod Paulus, ſi ei præſentetur tale objectum, peccabit, nullas vires, aut efficacitatem communicat objecto ad incitandum ad peccatum [illegible] alias Deus tali ſcientia utens, ſi objectum Paulo offerret, ad peccandum incitaret, quod eſt abſurdum. Id autem, quo gratia conſtituitur in ratione principij liberæ determinationis, debet eſſe aliqua perfectio intrinſeca: ergo præſcientia media nihil confert, ut Deus conferens præciſe æqualem gratiam dicatur primum principium liberæ determinationis. Tum denique, & præcipue, quia determinatio illa actualis, quæ in volitione Petri reperitur, eſt aliquod prædicatum phyſicum, per quod Petrus phyſice differt à Paulo: ſed gratia Petri in prædicta hypotheſi (eſto ſit major, & diverſa moraliter in ratione beneficij) eſt tamen prorſus æqualis in perfectione phyſica, ut ſupponitur: ergo ex vi hujus non evitatur, quod determinatio actualis reducatur ad voluntatem Petri tanquam ad primum principium phyſicum: quod eſt omnino falſum; cum ſolus Deus ſit primum principium phyſicum cujuſcumque perfectionis. Sed hoc infra diſp. [illegible] dub. 3. & 5. latius conſtabit, ubi ex profeſſo oſtendemus hanc voluntatis applicationem, ſive præmotionem eſſe determinate phyſicam: quod in præſenti principaliter non intendimus, ſed ſolum, quod detur vera applicatio, ſive phyſica ſit, ſive moralis.

§. V.

Ultimum argumentum pro ſententiæ Divi Thomæ.

Ultima pro aſſertione ratio.

133. Ultimum fundamentum noſtræ aſſertionis, aliis pluribus omiſſis, poteſt ſub hac forma proponi: quoniam Deus concurrit ad operationem voluntatis creatæ omni illo influendi modo, qui poſſibilis eſt, & divinam non dedecet perfectionem: ſed concurrere applicando voluntatem creatam ad ſuum exercitium, medio auxilio præmovente, eſt modus influendi poſſibilis, & divinæ perfectioni non repugnans: ergo Deus concurrit applicando voluntatem ad exercitium, medio auxilio præmovente: ergo datur hujuſmodi auxilium præter omnia alia, quæ ad actum primum ſpectant. Utraque conſequentia liquet. Major autem eſt certa: quia tam infinita actualitas, & univerſalitas influxus Dei, quam ſumma voluntatis creatæ à Deo dependentia poſtulant, quod Deus concurrat ad operationem voluntatis omni eo influendi modo, qui poſſibilis eſt, & Dei perfectioni non opponitur. Minor autem eſt expreſſa doctrina D. Th. q. 3. de potentia art. 7. in corpore, ubi hæc habet: *Sciendum namque eſt, quod actionis alicuius res* [illegible] *poteſt dici cauſa multipliciter. Uno modo* [illegible] *tribuit ei virtutem operandi: ſicut dicitur in* [illegible] *Phyſic. quod generans movet grave, & leve,* [illegible] *quantum dat virtutem, per quam conſequitur* [illegible] *ſalis motus. Et hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ: quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere poſſent: non ſolum ſicut generans* [illegible] *virtutem tribuit gravi, & levi, & eam ulterius non conſervat, ſed ſicut continue tenens virtutem in eſſe: quia eſt cauſa virtutis collatæ, non ſolum quantum ad fieri, ſicut generans, ſed etiam quantum ad eſſe: ut ſic Deus poſſit dici cauſa actionis in quantum cauſat, & conſervat virtutem naturalem in eſſe. Nam etiam alio modo conſervans virtutem dicitur facere actionem: ſicut dicitur* [illegible] *quod medicinæ conſervantes viſum faciunt videre. Sed quia nulla res poteſt ſeipſam movere, vel agi, niſi ſit movens non motum; tertio modo dicitur una res eſſe cauſa actionis alterius, in quantum movet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio, aut conſervatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad actionem: ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli ex hoc ipſo, quod applicat acumen cultelli ad inciſionem movendo ipſum. Et quia natura inferior non agit niſi mota, eo quod huiuſmodi corpora inferiora ſunt alterantia alterata, cœlum autem eſt alterans non alteratum, & tamen non eſt movens, niſi motum, & hoc non ceſſat, uſque dum perveniatur ad Deum: ſequitur de neceſſitate, quod Deus ſit cauſa actionis cuiuſlibet rei naturalis, ut movens, & applicans virtutem ad agendum.* Et in fine concludit: *Sic ergo Deus eſt cauſa actionis cuiuſlibet, in quantum dat virtutem agendi* (ſub hac continentur auxilia pertinentia ad actum primum) *& in quantum conſervat eam, & in quantum applicat actioni.* Et ne putaremus ipſum tantum loqui de actionibus agentis naturalis, & neceſſarij, tandem adjecit: *Sequitur, quod ipſe Deus in quolibet operante immediate operetur, non excluſa operatione voluntatis, & naturæ.*

134. Hoc teſtimonium eſt adeo manifeſtum, ut eo convictus Suarez aſſeruerit D. Thomam in prioribus ſcriptis docuiſſe noſtram aſſertionem, illam tamen retractaſſe in ſcriptis poſterioribus, quibus præcipue ſtandum eſt: nam 1. p. q. 105. recenſet cunctos modos dependentiæ cauſæ ſecundæ à prima; & tamen non meminit hujus applicationis, ſeu præmotionis: quod eſt ſignum, ait Suarez, virtualis, & latentis retractationis.

Eius falſitas & inſufficientia.

Cæterum hæc reſponſio eſt prorſus voluntaria, & videtur procedere ex minus attenta lectione. Nam in primis non ideo dicendus eſt Divus Thomas revocare aliquam ſententiam in aliis ſcriptis expreſſam, quia ejus explicite non meminerit in Summa Theologiæ: ſumma quippe, quæ brevis eſſe debet, non ſemper explicat particulares veritates, ſed ſolum ſtatuit generales radices: unde ex eo, quod Divus Thom. in ſumma expreſſe non egerit de auxilio applicante voluntatem, quod in quæſtionibus diſputatis aperte ſtatuerat, minime infertur, quod illud in ſumma negaverit. Secundo, & præcipue, quia tantum abeſt, ut ſanctus Doctor in ſumma retractaverit hanc ſententiam, quod potius illam apertis verbis explicuit, ut cuilibet ipſum non oſcitanter legenti conſtabit. Nam in eodem loco, quem nobis opponit Suarez, inquit articulo 5. *Deus movet non ſolum res ad operandum, quaſi applicando formas, & virtutes, verum ad operationem: ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum, qui tamen interdum formam ſecuri non tribuit, ſed etiam dat formam creaturis agentibus.* Ubi aperte ſupponit Deum influere in actiones creatæ, non ſolum producendo formas operativas, verum etiam quaſi *applicando*: & illa dictio *quaſi* non diminuit, ſed explicat modum agendi; ſicut cum in ſcriptura dicitur, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à patre.* Deinde in *eodem articulo in reſponſione ad* 3. inquit: *Dicendum, quod Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam conſervat eas in eſſe, & applicat ad agendum.* Et in *quæſt.* 83. *art.* 1. *ad* 3. dixerat: *Liberum arbitrium non eſt ſufficiens ad aliquid volendum, niſi moveatur, & juvetur à Deo: quia*

D.Thom.

eſt

Digitized by Google

eſt prima cauſa movens naturales cauſas, & voluntarias. Et in hac 1. 2. q. 109. art. 1. inquit: *Sic igitur actio intellectus, & cujuſcumque entis creati dependet a Deo in quantum ad duo. Uno modo, in quantum ab ipſo habet perfectionem, ſive formam, per quam agit: alio modo, in quantum ab ipſo movetur ad agendum.* Et in eadem q. art. 9. addit: *Homo in gratia exiſtens non indiget alio auxilio gratiæ, quaſi alio habitu infuſo. Indiget tamen auxilio gratiæ ſecundum alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad recte agendum: & hoc propter duo. Primo quidem ratione generali propter hoc, quod ſicut ſupra dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire niſi virtute motionis divinæ.* Et ſuper 1. ad Corinth. cap. 15. lect. 1. in fine inquit: *Deus non ſolum infundit gratiam, qua noſtra opera grata ſiunt, & meritoria, ſed etiam movet ad bene utendum gratia infuſa.* Quæ teſtimonia ſunt adeo manifeſta, ut evidenter evincant D. Thom. nec in ſumma, nec in poſterioribus ſcriptis retractaſſe aſſertionem noſtram, quam in quæſtionibus diſputatis docuerat; ſed eam ubique ſumma conſequentia tenuiſſe. Evincunt etiam injuſte Suarium finxiſſe hanc in Sancto Doctore palinodiam.

Ingeſtio impugnatio. 135. Sed demus huic Auctori, quod Angelicus Doctor non perſtiterit in ea ſententia; perſiſtamus tamen nos in ratione, qua utitur, & ſatis urgenti. Quoniam in modo, quo Deus concurrit ad operationes cauſarum ſecundarum, debent reperiri, ſecluſis imperfectionibus, omnes illi influendi modi, qui in cauſis ſecundis reperiuntur: id quippe expoſcit ſumma Dei perfectio in agendo: atqui inter modos, quibus agentia creata concurrunt, invenitur modus agendi per motum, & applicationem, ut patet in eo, qui ſcindit, applicando cultellum ad ſciſſionem, & in omnibus artificibus, qui agunt movendo, & applicando inſtrumenta artis ad effectum intentum: ergo Deus agit actiones creaturarum applicando, & præmovendo creaturas ad agendum.

Alia ejuſdem Auctoris reſponſio. 136. Occurrit prædictus Auctor admittendo, quod poſſit Deus ſic influere in actiones cauſarum naturalium (quamvis nec id judicat neceſſarium) & quod valeat eodem modo influere in actiones hominis non liberas: negat tamen, quod poſſit hoc pacto ad volitionem liberam concurrere: nam prædicta motio determinaret hominem ad unam partem, & ſic non maneret cum ſufficienti indifferentia, & poteſtate ad oppoſitum.

Evertitur. *D. Auguſt.* Hoc inconveniens (cujus meminimus *diſp.* 1. *cap.* 4. *§.* 5. *& cap.* 5. *§.* 1.) ſæpe ſæpius diluit Auguſtinus oſtendens optime cohærere, quod homo à Deo moveatur, & tamen ipſe ſtans ſub illa applicatione ſe libere moveat. Unde *in libro de correptione, cap.* 2. verſans illud Apoſtoli ad Romanos 8. *Spiritu Dei aguntur*, inquit: *Intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant.* Et ſerm. 13. de verbis Apoſtoli poſt medium: ait: *Tu te vis agere? A te ipſo vis agi? Non qui ſpiritu ſuo aguntur, ſed quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei. Dicet mihi aliquis: ergo agimur, non agimus. Reſpondeo, imo & agis, & ageris, & tunc bene agis, ſi ab eo agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor eſt. Ipſum nomen adjutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis.*

D. Thom. Quam doctrinam edoctus Angelicus Præceptor eam frequenter inculcat diluens unicum hoc motivum Adverſariorum: nam *loco citato ex q.* 3. *de potentia in reſponſione ad decimum tertium*, inquit: *Dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ: ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntatem, ut eam de neceſſitate ad unum determinet.* Et *loco citato ex* 1. *p. art.* 4. *in reſp. ad* 3. *Dicendum*, inquit, *quod ſi voluntas ita moveretur ab alio, quod ex ſe nullatenus moveatur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum. Sed quia per hoc, quod movetur ab alio non excluditur, quin moveatur ex ſe: ideo per conſequens non excluditur ratio meriti, vel demeriti.* Et 1. 2. *quæſt.* 9. *art.* 4. *in reſponſione ad* 1. inquit: *Dicendum, quod de ratione voluntarii eſt, quod principium ejus ſit intra: ſed non oportet, quod hoc principium intrinſecum ſit primum principium non motum ab alio. Unde motus voluntatis etſi habeat principium proximum intrinſecum, tamen principium primum eſt ab extra: ſicut & primum principium motus naturalis eſt ab extra, quod ſcilicet movet naturam.* Et idem tradit in reſponſ. ad 2.

137. Ex iis refellitur illa Suarij reſponſio: quoniam Deo concurrenti ad actum voluntatis creatæ attribuendus omnis modus influendi poſſibilis, qui voluntatis libertati non repugnat: ſed modus influendi per auxilium præmovens, & applicans voluntatem ad agendum eſt poſſibilis, ut liquet in agentibus creatis, quæ influunt applicando inſtrumenta; & inſuper prædictus modus non repugnat libertati voluntatis: ergo Deus hanc applicat ad agendum. Cætera conſtant ex dictis. *Impugnatur amplius.* Et minor quoad ſecundam partem, in qua ſola eſt difficultas, aſſeritur à D. Auguſtino, & Divo Thoma *locis nuper relatis*: nam ideo repugnaret voluntati libere agenti applicari, & præmoveri à Deo ad agendum, quia voluntas libere agens ſe ipſam movet, & ad agendum applicat: ſed optime cohæret, quod voluntas agatur a Deo, & quod ipſa agat; quod promoveatur, & quod ipſa moveat, ut loquuntur S. Doctores: ergo applicari, & promoveri voluntatem ad agendum non repugnat libertati.

Roboratur impugnatio. 137. Confirmatur, & declaratur: quia actus verbi gratia amoris elicitus à voluntate potente elicere actum odij, & comitante judicium indifferens ad utrumlibet, nequit non eſſe actus liber; tametſi nequeat conjungi ſimul cum actu odij: libertas quippe actus non conſiſtit in prædicta conjunctione, quæ prorſus impoſſibilis eſt, & chimerica; ſed conſiſtit in reſpectu tranſcendentali ad principium potens formare contrarium dictamen, & elicere actum oppoſitum. At ſic eſt, quod auxilium Dei præmovens, & applicans voluntatem ad actum amoris, licet excludat actum odij, minime tamen excludit judicium indifferens, vel poteſtatem voluntatis ad eliciendum odium: ergo amor elicitus à voluntate ſic præmota, & applicata eſt actus liber: & conſequenter non eſt contra rationem voluntatis libere agentis, quod a Deo applicetur ad agendum. Probatur minor: tum quia illa applicatio, & præmotio Dei ad amorem non magis determinat, & coarctat indifferentiam judicij, & voluntatis poteſtatem, quam ipſe amor actu elicitus; ſiquidem hic eſt ultimata, & actualiſſima voluntatis determinatio: ſed amor à voluntate elicitus, licet cum odio nequeat conjungi; reliquit nihilominus judicium indifferens, & poteſtatem voluntatis ſufficientem ad eliciendum odium; alias exercitium libertatis libertatem deſtrueret, quod eſt abſurdum: ergo ſimiliter applicatio, & præ-

motio,

Digitized by Google

motio, qua Deus voluntatem cum amore conjungit, relinquit indifferentiam rationis, & poteſtatem voluntatis ad eliciendum actum oppoſitum; licet præmotio nequeat cum actu contrario conjungi. Tum etiam quia illa præmotio ad amorem nullum prædicatum importat contrarie, aut contradictorie oppoſitum vel potentiæ voluntatis ad eliciendum odium, vel indifferentiæ judicij; ſiquidem nec dat, nec aufert ullam potentiam; ſed tantum reducit potentiam (quam præſupponit, & non deſtruit) ad exercitium compoſſibile cum poteſtate ad oppoſitum: ergo prædicta applicatio ita infert amorem, & excludit odium, quod nihilominus non deſtruit indifferentiam rationis & poteſtatem arbitrij. Recolantur, quæ diximus *Tract. 4. diſp. 10. dubio 5. & tract. 10. diſp. 2. dub. 1.* ubi hanc doctrinam fuſe expoſuimus, quam latius proſequemur *infra diſp. 7.* per totam oſtendentes, in quo conſiſtat efficacia gratiæ actualis, & qualiter cum libertate conciliandа ſit.

§. VI.

Refertur opinio contraria & aliquibus ejus argumentis occurritur.

Opinio contraria. Molina. Suarez. Leſſius.

138. Molina *1. p. quæſt. 14. art. 13. diſp. 7. &* Suarez *in opuſcul. lib. 3. cap. 13. & tom. 2. de gratia lib. 5.* fere per totum. Leſſius *in diſp. apologetica de gratia efficaci*, & communiter omnes Juniores Molinæ diſcipuli tuentur voluntatem ſuppoſitis auxiliis eam conſtituentibus in actu primo, non indigere ulteriori auxilio, quo ad agendum præmoveatur; ſed ipſa poſſe tam ſe, quam auxilia ſufficienter determinare: unde nullum admittunt concurſum Dei prævium, ſed tantum ſimultaneum. Quod probant primo: quia Concilia, & Patres, cum diligentiſſime adverſus Pelagianos gratiæ impugnatores egerint, nunquam hujus auxilij applicantis, & præmoventis meminerunt: ergo non requiritur tale auxilium: incredibile enim eſt Concilia, & Patres illud omiſiſſe, ſi foret ad actus ſupernaturales neceſſarium.

Fundamentum ab auctoritate negativa.

Confirmatur ex D. Thom.

Confirmatur ex Divo Thoma 1. 2. q. 9. fere per totam, ubi cum proprius locus eſſet explicandi, qualiter voluntas à Deo moveatur, minime docuit hanc applicationem, ſeu præmotionem; ſed tantum docuit voluntatem moveri à Deo quantum ad primum actum, quo in finem convertitur: & hoc ſuppoſito aſſerit voluntatem ſe ad cæteros actus determinare. Sic enim habet artic. 4. *Manifeſtum eſt autem, quod voluntas* [illegible] *cipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet.* [illegible] *ceſſe eſt ergo, quod ab aliquo moveatur ad vo*[illegible]*dum. Et quidem ſicut dictum eſt, ipſa movet* [illegible] *ipſam, in quantum per hoc, quod vult finem,* [illegible] *ducit ſe ipſam ad volendum ea, quæ ſunt ad fi*[illegible]*nem.* Et in fine corporis articuli concludit: [illegible] *ceſſe eſt ponere, quod in primum motum vo*[illegible]*tatis voluntas prodeat ex inſtinctu alicuius* [illegible] *terioris moventis, hoc eſt ex eius applicat*[illegible] *atque motione.* Ubi aperte indicat in cæteris actibus liberis, qui intentionem finis ſuppo[illegible] non eſſe neceſſarium talem inſtinctum, ſive [illegible]tionem. Quod adhuc magis aperte ſignificat art. [illegible] *in reſponſ. ad 3.* ubi ait: *Dicendum, quod D*[illegible] *movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis* [illegible] *tor ad univerſale objectum voluntatis, quod* [illegible] *bonum: & ſine hac univerſali motione homo* [illegible] *poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem de*[illegible]

terminat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt vere bonum, vel apparens bonum. Ergo ſuppoſita generali inclinatione ad bonum ut ſic, quod eſt objectum adæquatum voluntatis, & à Deo præfigitur, ipſa voluntas, abſque nova agentis extrinſeci applicatione, ſe determinat ad ſpeciales actus.

Fundamentum [illegible]

139. Ad argumentum negatur antecedens: nam oppoſitum liquido conſtat ex dictis in hoc dubio, ubi auctoritates Catechiſmi Romani, D. Auguſtini, cæterorum Doctorum in hac cauſa principis, & D. Thomæ ſæpe ſæpius expendimus. Quibus adde *primo* Concilium Milevitanum (Quod Auguſtinus ſua præſentia ornavit, & Innocentius Primus ſua approbatione munivit) cæteraque Concilia Carthaginenſia adverſus Pelagium, & ejus reliquias congregatos, dum diffiniunt neceſſitatem divinæ gratiæ actualis, ut voluntas recte ſe gerat in negotio ſalutis; loqui de gratia præmovente, & applicante, atque efficaci. Illam enim gratiam ſuis decretis ſtatuerunt, quam Pelagius negabat; alias ejus intentioni, & menti obviam non irent. Pelagius autem, ſaltem in ultimo ſui dogmatis ſtatu, non negavit gratiam adjuvantem, nec concurſum Dei ſimultaneum, ſed ſolam gratiam efficacem, ſive efficaciter voluntatem præmoventem; hanc quippe conciliare cum libertate vel neſcivit, vel noluit, ut oſtendimus *diſputatione 1. cap. 4. §. 5. & cap.* [illegible] & infra latius oſtendemus agentes de [illegible] efficaci. Adde *ſecundo* Concilium Tridentinum, quod omnia præcedentia Concilia circa articulos gratiæ exactiſſime explicuit, ſatis aperte ſtatuere gratiam efficaciter applicantem, & moventem: nam *ſeſſ. 6. can. 4.* diffinit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, neque poſſe diſſentire, ſi velit, Anathema ſit.* Ubi ex una parte ſupponit hominis voluntatem moveri a Deo ad aſſenſum; & ex alia parte decernit prædictam motionem cum libertate cohærere. Porro motio de qua loquitur Concilium, non conſiſtit in auxiliis dantibus præciſe *poſſe*, neque in concurſu Dei ſimultaneo, ſed in motione Dei efficaciter præmovente voluntatem ad agendum. Alias nullatenus profligaret errorem Calvini, quem ibi evertere ſatagebat. Nam hæreticus ille minime aſſerebat libertatem deſtrui per auxilia adjuvantia, vel per auxilium mere operans, quæ ſuaviter, & facile valent cum libertate componi, ſed affirmabat deſtrui per auxilium efficaciter applicans, quod in Conciliis antiquis, in Auguſtino, & aliis Patribus neceſſarium eſſe legebat. Ut ergo Tridentinum Calvini errorem damnaret, convenit cum ipſo in admittendo neceſſitatem auxilij voluntatem ad agendum præmoventis, & aliunde deffinivit prædictum auxilium nullum voluntati præjudicium inferre. Si enim Concilium auxilium applicans, & præmovens neceſſarium eſſe non judicaret, magis directè, & immediate damnaret Calvinum declarando auxilium præmovens, & applicans neceſſarium non eſſe ad agendum: ſicut Molinæ diſcipuli in hac difficultate diſcurrunt. Quod tamen non fecit: ſed aſſeruit auxilium movens cum libertate cohærere. Maneat igitur Concilia, & Patres mentionem auxilij præmoventis, & applicantis ſæpenumero feciſſe, eiuſque neceſſitatem ſatis liquido declaraſſe. Quod magis declarabimus *loco citato*, & præcipue à *num.* 208.

Conc. Mi[illegible]

Ad confirmationem reſpondetur D. Thomam [illegible] adeo aperte docere noſtram aſſertionem in locis [illegible]

pro

Digitized by Google

pro illa citatis, ut infructuoſum ſit de ejus mente dubitare, aut ipſum nobis objicere. Teſtimonia autem ab Adverſariis nihil habent noſtræ doctrinæ contrarium: in eis quippe non intendit Sanctus Doctor, quod aliquis actus voluntatis fiat independenter à motione applicante: ſed ſolum ſtatuit differentiam inter primum voluntatis actum, & alios actus ſupernaturales. Conſtituitque diſcrimen in hoc, quod licet uterque actus dependeat à Deo præmovente; & uterque valeat eſſe liber: nihilominus primus actus eſt liber, & non deliberatus, ſecundus vero ſimul eſt deliberatus, & liber. Ut enim actus liber ſit, ſufficit, quod connotet indifferentiam judicij, quod utrique actui convenire poteſt. Cæterum ut actus ſit deliberatus, requiritur, quod fiat ex præcedenti conſilio, & deliberatione: quæ quia primus voluntatis actus non ſupponit, idcircò non eſt deliberatus, quamvis ſit liber. Supplet tamen Deus in illo primo actu deliberationem proprij conſilij, imprimendo dictamen practicum, per quem ſubſequens voluntatis actus dirigatur, & reguletur. Et hac ratione prædictus actus, quamvis ſit à voluntate libere, phyſice, & vitaliter; non elicitus ab illa ut moraliter ſe movente; ſed in Deum phyſice, & moraliter præmoventem ſpecialiter revocatur. Qua ratione repugnat Angelum in primo inſtanti, ſeu in primo voluntatis actu peccare, ut tradit ipſe D. Th. *1. p. q. 63. art. 5.* Quia ergo ſubſequentes voluntatis actus ſunt à voluntate ut operante ex præſuppoſito conſilio, & deliberatione; idcirco dicitur, quod voluntas ad hos actus ſe determinat. Sed per hoc minime excluditur, quod à Deo ad eundem actum præapplicetur, & præmoveatur, ut §. *præcedenti* explicuimus. Et quod D. Thom. hoc tantum in prædictis locis intendat, ex ſola eorum lectione conſtabit.

Secundum argumentum. 140. Arguitur ſecundo: quia ſi præter auxilia conſtituentia voluntatem in actu primo, requireretur aliud auxilium applicans voluntatem ad agendum; deſtrueretur voluntatis libertas: conſequens eſt contra fidem: ergo non requiritur hujuſmodi auxilium. Probatur ſequela: tum quia potentia libera habet dominium ſui actus, atque ideo ſuppoſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi, poteſt ſe determinare ad ſecundum: ſed ſi requireretur auxilium applicans, voluntas conſtituta in actu primo, non poſſet abſque tali auxilio ſe determinare ad actum ſecundum: ergo deſtruitur libertas, ſi hujuſmodi auxilium requiritur. Tum etiam quia libertas conſiſtit in indifferentia vel contrarietatis, vel contradictionis, hoc eſt, in eo, quod voluntas maneat indifferens vel ad duos actus contrarios, vel ad unum actum, & omiſſionem illius: ſed auxilium præmovens voluntatem deſtruit utramque indifferentiam: nam præmotio ad amorem eſt inconjungibilis cum odio, & cum carentia amoris; ſiquidem amorem infallibiliter, atque efficaciter infert: ergo hujuſmodi auxilium deſtruit libertatem. Tum prætterea quia ſuppoſitio omnino antecedens deſtruit libertatem: ſed auxilium applicans eſt ſuppoſitio omnino antecedens; ſiquidem antecedit actum voluntatis, & cauſatur à ſolo Deo, voluntate paſſive ſe habente, & non potente illud à ſe abjicere: ergo hujuſmodi auxilium nequit cum libertate componi. Tum denique quia cum duo aliqua extrema ſunt neceſſario inter ſe connexa, voluntas, quæ neceſſario habet unum extremum, neceſſario etiam habet aliud: ſed præmotio ad amorem, & ipſe amor neceſſario connectuntur; & voluntas nequit non habere præmotionem ſibi à Deo [illegible]: ergo neceſſario habet amorem & conſequenter tali auxilio affecta non manet cum libertate.

Confirmatur Primo. Confirmatur primo: quia omnis determinatio voluntatis libere agentis debet eſſe libera, & oppoſitum implicat in terminis: ſed ſi voluntas indigeret auxilio determinante; determinatio illa applicans non eſſet libera, ſiquidem antecederet actum voluntatis: ergo neceſſitas auxilij prædeterminantis non cohæret cum libertate.

Secundo. Confirmatur ſecundo: quia omne auxilium requiſitum ad actum liberum debet ſubordinari voluntati quoad uſum: alias voluntas non poſſet libere uti tali auxilio, ſed ageret neceſſario: atqui auxilium applicans non ſubordinatur voluntati quoad uſum, ſiquidem voluntas nequit illud à ſe expellere, vel eo ſemel poſito non uti: ergo tale auxilium nequit pro actu libero deſiderari.

Tertio. Confirmatur tertio: nam poſito tali auxilio, voluntas vel poteſt ei diſſentire, vel non: ſi primum; ergo tale auxilium non applicat voluntatem ad unam partem, ſed erit neceſſarium ulterius auxilium de novo applicans, & ſic uſque in infinitum. Si ſecundum: ergo tale auxilium deſtruit libertatem. Nullum igitur novum auxilium requiritur diſtinctum ab iis, per quæ voluntas conſtituitur in actu primo.

Diluitur argumentum. 141. Reſpondetur argumento negando ſequelam, nam ut voluntas libere agat, non requiritur, quod poſſit conjungere auxilium verbi gratia ad amorem cum actu odij, vel cum amoris omiſſione, ſed ſufficit, quod valeat elicere odium, vel habere omiſſionem amoris diviſim, & ſecundum ſe: auxilium autem applicans non deſtruit hujuſmodi poteſtatem, ut §. *præcedenti* explicuimus; atque ideo neque libertatem deſtruit. Pro quo recolenda ſunt, quæ de ſenſu compoſito, & diviſo diximus *Tract. 4. diſp.* 10. agentes de præmotione extrinſeca, ſeu decreto Dei efficaci, ubi eædem difficultates militant ac in auxilio. Nam quia de hac re ſatis copioſe diſputavimus, deobligamur in præſenti aliquid adjicere, ne actum agere videamur: quamvis infra non poterimus non illam doctrinam ad incudem iterum revocare, ut ex profeſſo explicemus, in quo conſiſtat efficacia divini auxilii, quam hic obiter, & extremis, ut aiunt, digitis attingimus. Recolantur etiam, quæ de ſenſu diviſo, & compoſito Calviniſtico obſervavimus *diſp. 1. cap. 5. §. 3.* Ad primam igitur ſequelæ probationem dicendum eſt voluntatem habere dominium proprii actus, & ſe ad illum determinare, ſuppoſita tamen priori determinatione primæ cauſæ applicantis, ut tradit D. Thom. *1. p. q. 83. art. 1. ad 3.* his verbis: *Dicendum, quod liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus: quia homo per liberum arbitrium ſe ipſum movet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate, quod ſit prima cauſa ſui id, quod liberum eſt: ſicut neque ad hoc, quod aliquid ſit cauſa alterius, requiritur, quod ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas, & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis movendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales: ita movendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem.*

Quoliter voluntas habeat proprij actus dominium.

D. Thom.

Duplex indifferentia. Ad ſecundam probationem reſpondemus in voluntate creata eſſe duplicem indifferentiam, ſuſpenſionis ſcilicet, & dominii. Prima conſiſtit in eo, quod voluntas maneat abſque omni ſuæ liber-

tatis exercitio: & hoc nequit eſſe de ratione libertatis; cum libertas nullam oppoſitionē habeat cum exercitio ſibi correſpondente. Secunda vero ſita eſt in eo, quod voluntas ita ſe exerceat per aliquod ſuæ libertatis extremum, ut nihilominus habeat poteſtatem ad oppoſitum: & hæc eſt de ratione libertatis. Auxilium igitur præmovens excludit priorem indifferentiam: quia voluntatem quaſi dormientem excitat, & ad exercitium applicat. Secundam vero indifferentiam non excludit: nam ita præmovet voluntatem ad eliciendum actum determinatum, quod nihilominus ſecum permittit indifferentiam judicij, & voluntatis poteſtatem ad eliciendum actum oppoſitum in ſenſu diviſo, vel ad omittendum actum, quem elicit: atque ideo relinquit indemnem indifferentiam tam contrarietatis, quam contradictionis, ut §. *præcedenti* ex D. Auguſt. & D. Thom. explicuimus.

Non omnis ſuppoſitio antecedens aufert libertatem.

Ad tertiam reſpondetur ex dictis ſuppoſitionem antecedentem eſſe duplicem, aliam neceſſitantem, aliam pure determinantem. Prima excludit poteſtatem ad oppoſitum; atque ideo infert actum neceſſario, neceſſitate tam conſequentis, quam conſequentiæ, & tam phyſice, quam logice: atque ideo deſtruit libertatem. Secunda vero ita applicat ad unum actum, quod nihilominus relinquat poteſtatem ad oppoſitum in ſenſu diviſo: & ſubinde infert actum neceſſario, neceſſitate præciſe conſequentiæ logicæ: quia videlicet actus infallibiliter erit. Minime vero connectitur neceſſario cum actu neceſſario conſequentis, & influxus phyſici, ſive per modum principij excludentis indifferentiam, & potentiam ad oppoſitum. Suppoſitio ergo antecedens, quam importat auxilium applicans, non eſt neceſſitans; ſed pure determinans: quia ita applicat ad unum actum, ut ſimul cohæreat cum poteſtate ad oppoſitum. Et ratio eſt, quam D. Thom. tradit *loco proxime allegato*: quia videlicet auxilium à Deo deſcendens habet efficaciam non ſolum ad ſubſtantiam, ſed etiam ad omnes ejus modos, ac perinde reſpectum ad principium libere, & indifferenter agens. Quamobrem hujus auxilij ſuppoſitio non deſtruit, ſed ædificat libertatem creatam.

Neceſſitas conſequentiæ non tollit libertatem.

Ad quartam probationem reſpondetur majorem ſolum verificari, quando extrema connectuntur neceſſitate abſoluta, & tam phyſice, quam logice; ſecus vero quando ſolum connectuntur neceſſitate conſequentiæ logice, & infallibiliter: nam hoc ipſo, quod neceſſitas ſit hujus præciſe conditionis, permittit poteſtatem ad oppoſitum in ſenſu diviſo. Præmotio autem ad amorem verbi gratia & ipſe amor hoc poſteriori tantum modo connectuntur: quia licet infallibile ſit, quod ſtante tali præmotione, non erit odium, vel carentia amoris; nihilominus infallibile etiam eſt, quod cum hac determinatione actuali coexiſtit ſimul potentia ad oppoſitum. Unde licet voluntas auxilio præmovente affecta nequeat ipſum auxilium abjicere, ſaltem immediate, & directe: poteſt nihilominus amorem, ad quem præmovetur, non elicere, vel exercere actum oppoſitum. Atque ideo majori neceſſitate conjungitur cum præmotione ad amorem, quam cum ipſo amore: ad illam enim pure paſſive ſe habet, nullumque dominium habet ſupra ipſam: ad hanc vero comparatur per modum potentiæ activæ, & cum vero dominio. Quamobrem licet ſemel præmota ad amorem neceſſario neceſſitate conſequentiæ, & infallibilitatis prædictum actum eliciat; libere tamen abſolute illum elicit: quia retinet potentiam ad oppoſitum, in ſenſu diviſo.

142. Ad primam confirmationem dicendum eſt duplicem eſſe determinationem voluntatis; aliam cauſalem, & inchoatam, quæ conſiſtit in principiis moventibus voluntatem ad determinationem formalem, ſive ad hoc, ut ſe per proprium exercitium determinet: aliam formalem, & ultimatam, quæ conſiſtit in ipſa libera volitione, aut voluntatis exercitio. Porro pro modo determinationis eſt etiam qualitas libertatis: nam determinatio formalis potentiæ liberæ eſt formaliter libera, utpote quæ à libera potentia procedit: ſed determinatio cauſalis ſolum poteſt eſſe libera cauſaliter, quia videlicet influit in actum liberum. Fatemur ergo auxilium præmovens non eſſe determinationem voluntatis formaliter liberam; ſed tantum cauſaliter: quia videlicet parit determinationem formalem, & formaliter liberam: ita enim determinat ad unum actum, quod relinquit indemnem poteſtatem ad oppoſitum. Hinc vero nullum præjudicium libertati infertur, ut ex ſe liquet. *Reſponſio ad 1. confirm.*

Ad ſecundam confirmationem reſpondemus non omnia auxilia ſubjici immediate, & in ſe ipſis voluntati; cum potius ad hoc conferantur, ut voluntatem Deo, & gratiæ ſubjiciant. Subduntur inquam tamen voluntati in ſuo effectu: quia nimirum actus ad quos auxilia concurrunt, cadunt ſub libertate, & dominio voluntatis, poſſuntque ab ea adjuta, præmota exerceri, vel impediri. Unde licet voluntas non ſibi ſubjiciat auxilia, nec valeat propriis viribus conſequi, vel ſibi miſericorditer impreſſa poſſit immediate, ac directe rejicere: gaudet tamen libero illorum uſu: quia operationes prædictis auxiliis correſpondentes elicit cum indifferentia judicii: valetque in ſenſu diviſo, atque ideo abſolute exercere actum oppoſitum. Quod ſi faceret, auxilium præmovens indirecte excluderet, vel ut verius loquamur, ſupponeret datum non fuiſſe. *Ad ſecundam.*

Ad ultimam confirmationem conſtat ex dictis voluntatem auxilio præmovente affectam poſſe in uno ſenſu diſſentire, & in alio ſenſu non poſſe. Nequit enim diſſentire in ſenſu compoſito, conjungendo odium verbi gratia cum auxilio præmovente ad amorem: neceſſarium enim eſt neceſſitate infallibilitatis, & conſequentiæ, quod ſtante auxilio præmovente ad amorem, ſtet etiam amor, & non ſtet odium. Et hoc pacto ſalvatur certitudo ſcientiæ divinæ, infallibilis ordo prædeſtinationis, & dignitas, atque efficacia gratiæ, quæ aliter congruenter explicari non poſſunt. Poteſt tamen voluntas diſſentire in ſenſu diviſo: quia etiam ſi adſit auxilium præmovens ad amorem, adhuc perſiſtit indifferentia judicii repræſentantis viam ad utrumlibet, & permanet illæſa potentia voluntatis ad eliciendum actum oppoſitum ſecundum ſe. Et hac ratione ſalvatur libertas voluntatis requiſita ad meritum, & demeritum, quæ aliter cum certitudine ſcientiæ Dei, & cum gratiæ efficacia conciliari nequit. *Ad ultimam confirm.*

§. VII.

Aliud pro eadem opinione argumentum proponitur & diſſolvitur.

143. Arguitur tertio: quia ſi ad hoc, quod voluntas eliciat operationem ſupernaturalem, præter omnia auxilia ſufficientia, & conſtituentia voluntatem in actu primo, requiritur aliud auxilium applicans, & præmovens voluntatem ad agendum, ſequitur, quod voluntas, dum non præmovetur, non poſſit ſimpliciter *Tertium argumentum.*

Digitized by Google

pliciter agere: conſequens eſt falſum, & implicatorium: ergo non requiritur auxilium applicans ad agendum. Minor eſt certa: tum quia voluntas conſtituta in actu primo undequaque ſufficienti ad agendum eſt ſimpliciter potens agere, ut ex ipſis terminis liquet: ſed auxilia ſufficientia, & pertinentia ad actum primum habent pro effectu conſtituere voluntatem in actu primo undequaque ſufficienti ad agendum: ergo abſurdum eſt dicere, quod voluntas habens omnia auxilia ſufficientia ad agendum ſi careat auxilio præmovente non poſſit ſimpliciter agere. Tum etiam quia ex ſuppoſito fieret, quod cum voluntas caret auxilio præmovente ad actum cadentem ſub præcepto, non peccaret in ejus omiſſione; ſiquidem nullus peccat omittendo actum, quem ſimpliciter elicere nequit: hoc autem nemo Catholicorum concedet: ergo, &c. Sequela vero videtur nota: quoniam voluntas nequit ſimpliciter agere abſque eo, quod eſt indiſpenſabiliter neceſſarium ad agendum: ſed auxilium applicans, & præmovens eſt indiſpenſabiliter requiſitum ad agendum: ergo voluntas tali auxilio carens nequit ſimpliciter agere; tametſi habeat cuncta auxilia ſufficientia pertinentia ad actum primum.

Communis Thomiſtarum reſponſio. 144. Huic argumento reſpondent communiter Thomiſtæ auxilium applicans, & præmovens non requiri ad poſſe, ſed ad agere; ſiquidem ſupponit poſſe proximum, & illud reducit ad exercitium. Unde ex ejus carentia ſolum infertur, quod voluntas non aget; minime vero, quod non ſit potens ad agendum.

Replica. Sed contra hanc reſponſionem eſt, quod petit principium, & relinquit inſolutum argumentum. Nam implicatio in eo intenta conſiſtit in hoc, quod ex una parte voluntas adjuta omnibus auxiliis ſufficientibus poſſit ſimpliciter elicere actum; & quod ex alia parte ſimpliciter non poſſit, quando caret auxilio eam applicante, & præmovente, ſi ſemel ad actionem requiritur hujuſmodi auxilium. Unde reſpondere, quod prædictum auxilium applicans non requiritur ad *poſſe*, eſt manifeſta petitio principij. Quod ſic oſtenditur: nam quod pertinet ad ordinem operativum, & non ſe habet, ut actio, neque ut mera conditio, debet eſſe virtus operativa, & communicare aliquod *poſſe*: ſed auxilium præmovens pertinet ad ordinem operativum, ut ex ſe liquet, & aliunde non eſt actio, neque pura conditio: ergo eſt virtus communicans aliquod *poſſe*: ergo voluntas carens prædicto auxilio non poteſt ſimpliciter agere.

Confirmatur primo. Confirmatur, & declaratur primo: quia id, ſine quo voluntas non eſt ſimpliciter ſufficiens ad agendum, requiritur ad *poſſe* voluntatis; ſiquidem *poſſe* ſimpliciter complectitur omnia ſufficientia ad agendum: ſed voluntas carens auxilio præmovente non eſt ſimpliciter ſufficiens ad agendum: ergo ſine tali auxilio non poteſt ſimpliciter agere. Probatur minor: quia illud eſt ſimpliciter ſufficiens, ultra quod non requiritur ſimpliciter aliud: ſed ultra voluntatem, & omnia auxilia pertinentia ad actum primum, requiritur ſimpliciter auxilium præmovens; ergo ſine hoc auxilio voluntas, quamquam aliis auxiliis adjuta, non eſt ſimpliciter ſufficiens.

Secundo. Confirmatur ſecundo: nam ex ſuppoſitione, quod voluntas careat auxilio præmovente ad amorem, amor non eſt ſimpliciter poſſibilis voluntati: ergo data tali ſuppoſitione, voluntas non poteſt elicere ſimpliciter amorem. Conſequentia eſt evidens: nam eodem ſenſu, quo potentia poteſt aliquem actum elicere, ipſe actus eſt poſſibilis: ergo ſi actus non eſt ſimpliciter poſſibilis, potentia non poteſt elicere actum. Antecedens autem probatur: quoniam ex poſitione ejus, quod eſt ſimpliciter poſſibile, nullum ſequitur impoſſibile: ſed facta ſuppoſitione, quod voluntas careat auxilio præmovente ad amorem, ſi poneretur amor, ſequeretur aliquod impoſſibile: ergo facta tali ſuppoſitione, amor non eſt ſimpliciter poſſibilis. Probatur minor: quia ſequeretur voluntatem eſſe primum principium ſuæ determinationis, ſequerentur etiam alia inconvenientia, quæ ſupra adduximus, ut oſtenderemus neceſſitatem prædicti auxilij.

Confirmatur tertio: quia impoſſibile eſt voluntatem carentem auxilio præmovente ad amorem amare, ut communiter docent Thomiſtæ: ergo carentia prædicti auxilij aufert à voluntate *poſſe* ſimpliciter amare: ergo voluntas carens prædicto auxilio non poteſt ſimpliciter amorem elicere. Secunda conſequentia manifeſte infertur ex prima. Hæc autem legitime ex antecedenti colligitur: nam ſi carentia auxilij præmoventis ad amorem non aufert *poſſe* ſimpliciter amare, non eſſet ratio aſſerendi impoſſibile eſſe, quod voluntas carens auxilio præmovente ad amorem amet. *Tertio.*

Obſervanda pro defenſione reſponſionis primo datæ. 145. Reſpondetur nihilominus ſuſtinendo reſponſionem inter arguendum datam, quæ optima eſt. Pro cujus intelligentia obſerva *primo* principium operationis eſſe duplex, ſive, & in idem redit, dupliciter conſiderari. Aliud enim eſt principium habituale, ſeu potentiale, quod videlicet manet in potentia ad operandum: & hujuſmodi principium eſt ſeparabile ab operatione: uti ſe habet voluntas potens amare, & non amans. Aliud eſt principium actuale, nempe quod actu influit: & tale principium, in quantum tale, nequit ſeparari ab actione: implicat enim cauſam actu agentem non agere: & hoc pacto ſe habet voluntas, cum actu amat. Inter hujuſmodi vero principia, ſive inter principium ita diverſimode conſideratum hoc intereſt diſcrimen, quod principium habituale reſpicit ſuum exercitium ſecundum ſe, & præciſum à circumſtantiis ei accidentalibus: eo quod principium habituale ſolum importat tendentiam ſpecificam in ſuum terminum, cum ea tantum expeditione, quam actus ſecundum ſe (prout ly *ſecundum ſe* complectitur intrinſeca tam ſpeciei, quam individuationis) requirit. Vnde quia carentia, vel præſentia præmotionis pro tali actu non pertinet ad ejus prædicata intrinſeca ſpecifica, vel numerica, ſed ſolum reducit hujuſmodi prædicata ad exercitium eſſendi propterea principium habituale reſpicit ſuum actum præſcindendo tam à carentia præmotionis ad ipſum, quam à præſentia præmotionis ad actum oppoſitum, ut ſubjective, & exercite habitis. Principium autem actuale non reſpicit exercitium ita præciſive, & ſecundum ſe conſideratum, ſed magis ut concernit circumſtantias hic, & nunc occurrentes: eo quod reſpicit tale exercitium non præciſe ſecundum ſe, ſed etiam prout actu occurrit: & actu ſemper occurrit cum pluribus circumſtantiis ſibi accidentalibus. Vnde cum carentia præmotionis ad actum verbi gratia amoris ſit incompoſſibilis cum amore: propterea voluntas ut ſtans ſub illa carentia nequit eſſe principium actuale amoris. Ex iis autem principiis *habituale* ſolet appellari à Theologis potentia *antecedens*; *actuale* vero potentia conſequens. *Differentia inter principium habituale, & actuale.*

Nota. 146. Obſerva *ſecundò*, quod cum carentia auxilij præmoventis ad amorem inferat infallibiliter

biliter carentiam ipſius amoris; eodem proportionali modo philoſophandum eſt de prædicati auxilij carentia, ac de carentia amoris. Eædem quippe difficultates militant in eo, quod ſuppoſita, & exercita carentia amoris pro inſtanti A, dicatur amor in eodem inſtanti poſſibilis; ac in eo, quod ſuppoſita carentia auxilij applicantis ad amorem, amor poſſibilis perſeveret: nam multo magis immediate, & directe opponuntur amor, & carentia amoris, ac amor, & carentia auxilij applicantis ad amorem, ut ex ipſis terminis ſatis liquet. Porro voluntas, quæ in inſtanti A caret amore, poteſt in eodem inſtanti elicere amorem, non quidem in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diviſo. Cujus diſtinctionis ratio non conſiſtit in eo, quod voluntas ſtante carentia amoris nequeat amorem elicere; & quod ea carentia ſublata poſſit: hic enim ſenſus, ſi veritatem contineret, inferret diſtinctionem libertatis pro illo inſtanti; ſuaderetque voluntatem non libere ſe gerere, quando omittit amorem; ſiquidem juxta hunc ſenſum nequit tunc oppoſitum extremum attingere: & ſic diſcurrebat, alioſque accipiebat Calvinus, ut vidimus *diſput. 1. cap. 3. §. 3.* Sed ſenſus eſt voluntatem non poſſe conjungere amorem cum amoris carentia, quam eo inſtanti habet: poſſe tamen elicere amorem ſecundum ſe, hoc eſt non conjunctum cum carentia: qui amor ſi eſſet, vel carentiam deſtrueret, vel non præſtitiſſe ſupponeret: Nam carentia amoris nullam habet oppoſitionem cum potentia ad amorem, ſed cum amore: illam quippe ſupponit, tanquam proprium ſui ſuſceptivum, hunc vero excludit, velut extremum ſibi oppoſitum. Unde voluntas amore carens nequit amorem elicere in ſenſu compoſito, videlicet conjungendo amorem cum ejus carentia, valet tamen ipſum elicere in ſenſu diviſo, nempe conjungendo amorem, non cum amoris carentia, ſed cum potentia ejuſdemmet voluntatis, quæ tunc actu in præſentia ipſius carentiæ perſiſtit.

Legitima intelligentia ſenſus compoſiti, & diviſi.

Nota 3.

147. *Tertio* obſerva, quod ut voluntas dicatur abſolute, & ſimpliciter poſſe elicere amorem, ſufficit, quod illum valeat elicere in ſenſu diviſo, quamvis nequeat in ſenſu compoſito. Et ratio eſt ſatis manifeſta: quoniam ut voluntas dicatur abſolute, & ſimpliciter poſſe elicere aliquem actum, non expoſcit habere poteſtatem chimericam, & repugnantem, ſed ſolum facultatem veram, & quæ ſibi apta eſt ineſſe. Poteſtas autem ad eliciendum amorem in ſenſu compoſito carentiæ ejuſdem amoris eſt prorſus chimerica; ſiquidem amor, & carentia amoris ſunt extrema omnino inconiungibilia: facultas vero ad eliciendum amorem in ſenſu diviſo eſt vere, & apta ineſſe voluntati; cum carentia amoris relinquat in voluntate eandem potentiam habitualem ad amorem, quæ ante ipſam carentiam inerat voluntati. Alias carentia amoris non reciperetur in voluntate tanquam in ſubjecto apto ad amorem: ac ſubinde non eſſet privatio, ſed mera negatio, ſicut quæ lapidi ineſt: quod eſt adeo falſum, ut id nemo Philoſophorum admittat. Sufficit ergo, ut voluntas abſolute, & ſimpliciter dicatur poſſe elicere amorem, quod ipſum valeat elicere in ſenſu diviſo, quamvis nequeat in ſenſu compoſito. Quæ diſtinctio, & doctrina tenet non ſolum in potentiis liberis, ſed in virtutibus neceſſariis & naturalibus: nam viſus verbi gratia bruti habentis potentiam expeditam ad videndum, cum actu non videt, poteſt abſolute, etſi non libere videre: & equus, cum non comedit, poteſt abſolute etſi non libere comedere: illi enim actus tam viſionis, quam comeſtionis ſunt abſolute contingentes, & poſſibiles, etiam quando adſunt eorum carentiæ, cum quibus nequeunt ullo pacto conjungi.

Quid requiratur, & ſufficiat ad poſſe abſolute.

148. Ex iis facile conſtat ad argumentum *numero 143.* factum, reſpondetur enim negando ſequelam: nam carentia auxilij applicantis ad amorem non magis aufert à voluntate poteſtatem ad amorem, ac eiuſdem amoris carentia. Unde cum carentia amoris relinquat in voluntate poteſtatem ad amorem in ſenſu diviſo, atque ideo poteſtatem abſolute, & ſimpliciter talem, ut conſtat ex tertia obſervatione: ſequitur, quod voluntas carens auxilio applicante ad amorem, poſſit tunc abſolute prædictum amorem elicere. Præſertim quia poteſtas adæquate talis, eſt effectus formalis auxiliorum adæquate ſufficientium, & conſtituentium voluntatem in actu primo: unde huiuſmodi poteſtas non confertur per auxilium pure applicans, aut per eius carentiam aufertur. Neque oppoſitum evincit ſequelæ probatio: nam licet voluntas nequeat ſimpliciter agere abſque eo, quod eſt neceſſarium ſimpliciter ad agendum per modum virtutis; bene tamen poteſt ſimpliciter agere abſque eo, quod eſt neceſſarium per modum applicationis, ſeu reductionis ad exercitium, ut conſtat ex exemplis nuper adductis: viſus enim bruti nunquam videt, niſi ad videndum applicetur: & tamen cum non applicatur, & cum non videt, valet abſolute videre. Auxilium autem applicans à nobis intentum, nullam dat virtutem, ſed virtutem, quam adæquate præſupponit reducit ad exercitium. Unde ex carentia auxilii applicantis ad amorem minime infertur, quod voluntas non poſſit ſimpliciter amare; ſed ſolum, quod non amabit. Quamobrem legitima eſt reſponſio *numero 144.* data, quam tradunt communiter Thomiſtæ.

Solvitur argumentum.

Nec refert impugnatio contrariorum: quoniam cum auxilium applicans non deſerviat ad communicandum novam potentiam, ſed ad inferendum actionem, minime incurrimus petitionem principii, quo dicamus voluntatem carentem auxilio ad amorem non eſſe amaturam, eſſe tamen potentem amare: ſive, & in idem redit, quod voluntas prædicto auxilio carens manet potens in ſenſu diviſo, & per modum principii habitualis, non tamen in ſenſu compoſito, & per modum principii actualis. Sed hoc poſterius non requiritur, ut voluntas dicatur abſolute, & ſimpliciter potens, ut conſtat ex dictis. Et falſum eſt omne, quod ſpectat ad ordinem operativum, & non eſt actio, eſſe virtutem operativam: nam inter hæc datur medium, quod tam operationem, quam virtutem operativam ſuo modo attingit: auxilium quippe applicans connectit virtutem operativam operationi; quamvis formaliter nec virtus, nec operatio ſit, ut ſupra diximus. An autem mera conditio debeat appellari, nec ne? parum noſtra intereſt, dummodo aſſeratur conditio indiſpenſabiliter requiſita ob rationes ſuperius aſſignatas.

Replicatur.

149. Ad primam confirmationem reſpondetur negando minorem: quoniam voluntas conſtituta in actu primo per auxilia adæquate ſufficientia eſt ſimpliciter, & adæquate ſufficiens, ſive habeat auxilium applicans, ſive non. Ad probationem

Occurritur primæ confirmationi.

Digitized by Google

nem autem in contrarium diſtinguenda eſt maior: *Illud principium eſt ſimpliciter ſufficiens, ultra quod non requiritur aliud per modum principii, & virtutis*, concedimus maiorem: *Ultra quod non requiritur aliud per modum applicationis, vel reductionis ad exercitium*, negamus maiorem. Optime quippe cohæret, quod principium operativum ſit adæquate ſufficiens, & potens ad agendum; & quod nihilominus requiratur aliquid aliud, ut actus, vel terminus prædicto principio correſpondens ponatur in exercitio: nam hoc, quod ulterius deſideratur, non ſe tenet ex parte virtutis, & ſufficientiæ, ſed magis ex parte exercitii. Quod ſatis liquet in concurſu Dei ſimultaneo, ſine quo creatura nunquam operabitur, & quod eſt neceſſarium ſimpliciter, ut actio creaturæ in exercitio eliciatur: & nihilominus ſine prædicto concurſu ſtat principium operativum creatum adæquate ſufficiens ad agendum. Sicut ergo virtus creata, cum qua Deus actu ſimul non concurrit, poteſt eſſe ſimpliciter ſufficiens ad operandum; licet prædictus concurſus ſit indiſpenſabiliter requiſitus ad agendum: ita eadem virtus poteſt eſſe ſimpliciter ſufficiens, quamvis auxilium præmovens ſit neceſſarium ad agendum, & actu non conferatur. Et ratio eſt eadem utrobique: quia videlicet neuter concurſus deſideratur ad conſtituendum virtutem creatam in actu primo, ſed tantum ad reducendum prædictam virtutem ad exercitium.

Confirm. ſecunda. Adde hanc confirmationem ad ſummum evincere, quod voluntas carens auxilio præmovente ad amorem non ſit ſufficiens per modum principii actualis, & cum potentia conſequenti, atque in ſenſu compoſito: minime vero quod non ſit ſufficiens per modum principii habitualis, & cum potentia antecedenti, atque in ſenſu diviſo. Et hoc poſterius deſiderabatur, ut voluntas abſolute, & ſimpliciter non diceretur principium ſufficiens: illud autem primum non obeſt, ut conſtat ex ſupra dictis.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando maiorem: nam ſicut licet fiat ſuppoſitio, quod in inſtanti *A* detur carentia amoris, adhuc amor eſt ſimpliciter in eodem inſtanti poſſibilis: ita & à fortiori facta ſuppoſitione, quod in prædicto inſtanti detur carentia auxilii applicantis ad amorem, adhuc amor pro eodem inſtanti poſſibilis ſimpliciter perſeverat: majorem quippe oppoſitionem habet amor cum amoris carentia, quam cum carentia auxilii applicantis ad amorem. Et ratio eſt, quoniam poſſibilitas amoris ſumitur abſolute, & ſimpliciter per reſpectum ad principia, quæ per ſe reſpicit; non autem per connotationem circumſtantiarum accidentaliter occurrentium: cuncta autem principia per ſe inſpecta ab amore perſeverant in eodem inſtanti, in quo adeſt carentia auxilii applicantis ad amorem: quamobrem amor permanet ſimpliciter poſſibilis. Ad probationem autem in contrarium dicendum eſt, quod licet ex poſitione rei poſſibilis præciſive conſideratæ, & abſtrahendo a circumſtantiis accidentaliter occurrentibus, nullum per ſe ſequatur impoſſibile, vel inconveniens: plerumque tamen accidit, ut facta aliqua ſuppoſitione accidentali, plurima abſurda ſequantur ex poſitione ejus, quod eſt abſolute, & ſimpliciter poſſibile. Id, quod ſatis conſtat exemplis ſæpenumero in hoc dubio repetitis: nam in primis in eodem inſtanti *A*, in quo Petrus habet gratiam, poteſt committere peccatum mortale. & hoc eſt abſolute, & ſimpliciter poſſibile: & tamen data illa ſuppoſitione, ſi peccatum re ipſa poneretur, manifeſtum ſequeretur abſurdum, nimirum conjungi peccatum mortale cum gratia, quæ eſt prorſus impoſſibilis. Similiter in inſtanti, in quo Deus non concurrit ſimultanee cum creatura ad agendum, poteſt hæc ſimpliciter agere; alias creatura ſolum poſſet agere, quando actu agit, quod eſt ridiculum: & nihilominus ſi facta ſuppoſitione, quod Deus ſimultanee non concurrat, creatura actu ageret; manifeſtum ſequeretur inconveniens, videlicet creaturam habere à Deo nullam dependentiam in agendo. Tandem in inſtanti, in quo quis non comedit; poteſt abſolute comedere, & comeſtio eſt illi ſimpliciter poſſibilis: & tamen ſi facta ſuppoſitione, quod in illo inſtanti non comedit, in eodem inſtanti comederet; inferretur evidens implicatio contradictionis, ut ex ipſis terminis liquet. Quæ exempla ſatis aperte ſuadent poſſibilitatem actus deſumendam eſſe per habitudinem ad principia per ſe requiſita, & non per reſpectum ad circumſtantias accidentaliter occurrentes: atque ideo actum manere ſimpliciter poſſibilem, quoties perſiſtunt principia per ſe illius, quamvis accidentaliter occurrant aliæ circumſtantiæ, cum quibus, vel cum propriis principiis, ut ſubſunt hujuſmodi circumſtantiis, conjungi non valeat, ut in caſu confirmationis contingit.

150. Ad ultimam confirmationem, conceſſo antecedenti, negamus utramque conſequentiam: nam antecedens, nempe *Impoſſibile eſt voluntatem carentem auxilio applicante ad amorem amare*, ex vi ſuæ diſpoſitionis, & collationis terminorum facit ſenſum compoſitum; ſiquidem modus cadit ſuper extrema dicti ſimul ſumpta, & per modum unius: atque ideo ſignificat voluntatem non poſſe conjungere carentiam auxilii præmoventis ad amorem cum ipſo amore: quod quia veriſſimum eſt, ideo prædictam propoſitionem abſolute concedimus. Propoſitiones vero primæ, & ſecundæ conſequentiæ reddunt ex vi ſuæ diſpoſitionis ſenſum diviſum; cum diſtinguant extrema dicti, vel ſaltem compoſitionem non exprimant: & conſequenter ſignificant voluntatem carentem auxilio præmovente ad amorem carere potentia, & facultate ad ipſum amorem ſecundum ſe: quod quia falſum eſt, ut conſtat ex dictis, æquo jure utramque conſequentiam negamus. Unde prædictum enthymema eodem vitio laborat, ac illud: *Impoſſibile eſt voluntatem carentem amore amare: ergo voluntas carens amore non poteſt amare*: & illud: *Impoſſibile eſt hominem non deambulantem deambulare: ergo homo, qui non deambulat, non habet potentiam ad ambulandum*. Utriuſque autem defectus eſt ſatis evidens: nam in antecedenti faciunt ſenſum compoſitum; ſignificant enim fieri non poſſe, quod amor, & carentia amoris, deambulatio, & carentia deambulationis ſimul coëxiſtunt: quod eſt veriſſimum. At in conſequenti reddunt ſenſum diviſum; exprimunt enim, quod dum abeſt actus amandi, & deambulandi, non adſit potentia ad exercendum hujuſmodi operationes: quod eſt omnino falſum. Idem igitur ad enthymema, quod nobis objicitur, & ad alios paralogiſmos, quibus veluti technis, & cavillis frequenter nos irretire contendunt Adverſarii, dicendum eſt.

Tertia diluitur.

§. VIII.

Reliqua ejuſdem opinionis argumenta diluuntur.

Quartum argumentum. 151. Arguitur quarto: nam quodlibet auxilium voluntati impreſſum manet adhuc indifferens, ut inferat, vel non inferat operationem: ergo vel rationes à nobis factæ nihil evincunt; vel ſi quid ſuadent, probant, quod dato quolibet auxilio, requiritur aliud, & aliud præcedentia auxilia determinans, & ſic uſque in infinitum, quod eſt abſurdum: ergo ut hoc inconveniens vitetur, dicendum eſt, quod ſuppoſitis auxiliis conſtituentibus voluntatem in actu primo, ipſa voluntas ſine novo auxilio ſe determinet ad actum ſecundum. Utraque conſequentia conſtat. Et antecedens probatur: tum quia poſt quocumque auxilio, poteſt adhuc Deus impedire omnem operationem creaturæ; alias auxilium neceſſitaret Deum ad agendum: ergo quodlibet auxilium voluntatis impreſſum eſt adhuc indifferens, ut inferat, vel non inferat operationem. Tum etiam quia quodlibet auxilium voluntati impreſſum diſtinguitur realiter à concurſu ſimultaneo; cum hujuſmodi concurſus ſit formaliter vel actio Dei increata, vel actio elicita à creatura: ergo quodlibet auxilium ſeparari valet à concurſu Dei ſimultaneo; ſed nequit dari actio creata abſque ſimultaneo Dei concurſu: ergo auxilium voluntati impreſſum manet indifferens, ut inferat, vel non inferat operationem.

Confirmatio. Confirmatur: nam ſi ob aliquam rationem requireretur hujuſmodi auxilium applicans, maxime ad determinandum creaturam: atqui concurſus Dei non determinat creaturam, ſed potius offertur indifferens, ut ab ipſa determinetur: ergo non requiritur auxilium applicans. Probatur minor: qui concurſus Dei eſt concurſus cauſæ univerſalis: ſed concurſus cauſæ univerſalis progreditur ab ea indifferens, ut per cauſas particulares ad ſpeciales effectus determinetur: ergo concurſus Dei non determinat creaturam, ſed magis à creatura determinatur. Quod ſatis aperte ſignificat ſcriptura: nam Zachariæ 1. dicitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; quod fruſtra expoſceret Deus, ſi ipſius concurſus voluntatem creatam ad converſionem determinaret. *Zachar. 1.*

Reſpondetur argumento. Reſpondetur argumento negando antecedens: nam cum auxilium applicans voluntatem ad agendum ſit ratio formalis reducendi voluntatem ad exercitium, nequit indigere ulteriori auxilio, per quod ad agendum determinetur; atque ideo non eſt indifferens, ſed per ſemetipſum determinat voluntatem ad unam partem, relinquendo tamen in ea poteſtatem ad oppoſitum. Unde ſicut relatio non indiget alia relatione, ut referatur, nec exiſtentia poſtulat aliam exiſtentiam, ut exiſtat: quia ſunt rationes formales conferendi hujuſmodi effectus: ita & ob eandem rationem auxilium voluntatem applicans non eget alio auxilio prædeterminante, ut maneat in ſe determinatum, atque voluntatem determinet. Ad primam autem probationem in contrarium dicendum eſt, quod licet Deus poſſit impedire actionem cujuſcumque virtutis creatæ, conſtitutæ ſolum in actu primo; nequit tamen impedire actionem virtutis creatæ applicatæ, & redactæ ab ipſo Deo, ſaltem cauſaliter, & inchoate ad actum ſecundum. Unde cum auxilium applicans reducat, cauſaliter, & initiative, voluntatem ad exercitium; nequit Deus operationem voluntatis præmotæ ſuſpendere. Nec eſt inconveniens hanc neceſſitatem admittere: quia non provenit originaliter ab auxilio, ſed potius ab ipſo Deo, qui efficaciam propriæ voluntatis per hujuſmodi auxilium exequitur, ſibique neceſſitatem agendi imponit, quæ proinde non eſt neceſſitas abſoluta, ſed conſequens liberam Dei determinationem: atque ideo non præjudicat ſupremo ejus dominio, & libertati. Per quod liquet ad ſecundam probationem: nam licet concurſus prævius, & ſimultaneus paſſive ſumpti realiter diſtinguantur; cum prior conſiſtat formaliter in auxilio præmovente, poſterior vero in actione creata, prout à Deo dependet: nihilominus ob rationem nuper traditam nequeunt realiter ſeparari; eo quod proprius effectus auxilii præmoventis eſt reducere cauſaliter voluntatem ad actum ſecundum, in quo concurſus creaturæ, & concurſus Dei ſimultaneus paſſive acceptus identificantur: quamobrem implicat Deum præmovere efficaciter voluntatem ad agendum, & ſimul cum voluntate ad agendum non concurrere.

Ad confirmationem reſpondemus negando minorem: nam ſi omne auxilium Dei deſcenderet ab eo cum omnimoda indifferentia, ut per creatæ voluntatis arbitrium determinaretur, & [illegible]tetur ad unam partem; non poſſet non voluntas creata eſſe primum principium prædictæ determinationis; nec ſubderetur in tali determinatione, & ſupremo Dei dominio; nec Deus poſſet certo, & infallibiliter hujuſmodi determinationem ſcire; aliaque abſurda inferrentur, ut liquet partim ex hoc dubio, partim ex alibi dictis; quæ inconvenientia fuſius expendemus *diſp.* 7. quæ eſt de auxilio efficaci. Ad probationem autem in contrarium dicimus, quod licet influxus cauſarum univerſalium ſecundarum, quales ſunt cœli, ſit ex ſe indifferens, & determinetur per concurſum cauſarum particularium: & quamvis aliqua auxilia, nempe ſufficientia, quæ deſcendunt à prima cauſa, offerantur etiam cum indifferentia, ſintque ulterius determinabilia: nihilominus neceſſario admittendum eſt aliquod auxilium Dei determinans ultimate omnem virtutem operativam creatam, eamque exſuſcitans, atque ad exercitium reducens: quod proinde non eſt in ſe indifferens, ſed omnino determinatum, & ratio formalis determinandi cauſaliter, & inchoative voluntatem creatam. Nec oppoſitum probat teſtimonium Zachariæ, quo potiſſimum loco Pelagiani fundabant ſuam blaſphemiam, nempe quod a nobis ſit initium ſalutis noſtræ, ut loquitur Soto *lib. 1. de natura, & gratia cap. 16.* *Soto.* Nam prædicta verba tantum nos edocent, quod libere convertamur, ut exponit Concilium Trident. *ſeſſ. cap. 5.* *Concil.* minime tamen excludunt neceſſitatem auxilii prævenientis, & prædeterminantis motum converſionis, juxta illud Joan. 6. *Nemo poteſt ad me venire, niſi Pater meus traxerit eum.* *Joan. 6.* Sed quia hoc auxilium ita trahit, movet, applicat, & determinat ad converſionem, quod ſimul relinquit in voluntate facultatem ad diſſenſum; propterea nos monet Deus, quod convertamur ad ſe, ut ipſe tandem per infuſionem gratiæ ſanctificantis ſe convertat ad nos.

152. Arguitur quinto: nam ſi datur auxilium infallibiliter applicans voluntatem ad agendum, ſuperfluunt omnia auxilia moralia, cujuſmodi ſunt prædicatio, admonitio, correctio, & notitia divinæ juſtitiæ, aliaque ejuſmodi: conſequens eſt omnino abſurdum; ſiquidem juxta communem Dei providentiam prædicta auxilia actum conver- *Quintum argumentum.*

conver

Digitized by Google

converſionis præcurrunt: ergo non datur auxilium applicans diſtinctum ab aliis auxiliis ſufficientibus, & conſtituentibus voluntatem in actu primo. Sequela videtur manifeſta: quia auxilium infallibiliter applicans voluntatem ad agendum infert infallibiliter operationem: ergo etiam ſi nulla præceſſiſſent auxilia moralia, prædictam operationem inferret: ergo hujuſmodi auxilia ſuperfluunt: fruſtra quippè fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora.

Reſponſio. Reſpondetur negando ſequelam: quia licet Deus poſſet ſubito, & independenter ab auxiliis externæ prædicationis, vel correctionis hominem ad ſe convertere medio auxilio efficaciter applicante ad converſionem: idque non ſemel præſtiterit in extraordinariis quorundam converſionibus: nihilominus communiter loquendo expedit, ut præcedant auxilia moralia, & ita regulariter contingit. Nam hoc pacto & ſuavius emollitur cor, & libertas humana magis elucet, dum vel auxiliis moralibus reſiſtit, vel eiſdem auxilio applicante præmota, tandem aſſentitur: procedit quippe Deus ſicut in naturalibus ita in ſupernaturalibus à minus perfecto ad magis perfectum, & ab auxiliis minus efficacibus ad efficaciora. *Auxilium eſſe ex non excludit neceſſitatem aliorum auxiliorum.* Unde prior eſt motio moralis ex parte objecti, quam motio phyſica, & applicativa ex parte ſubjecti. Et illa debet communiter loquendo augeri, ut converſionem magnorum peccatorum inducat: nam requiruntur urgentiora motiva, ut reſipiſcant à malo. Poſita autem illa motione objectiva, ſuccedit motio applicativa ex parte ſubjecti, quando, & prout Deus decrevit. *D.Auguſt.* Videatur D. Auguſtin. *in lib. de correctione & gratia*, ubi toto fere libro hoc argumentum, ex profeſſo diluit, refellens eorum opinionem, qui correctionem non admittebant ex eo, quod Deus, etſi nulla præcat correctio, poſſit hominem ſua gratia convertere; & correctio, ſi Deus ſubtrahat ſuam gratiam, nihil proficiat. Unde cap 5. eorum ineptas querimonias ſic introducit: *Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur? accuſamur? Quid facimus, qui non accepimus? Qui hæc dicunt, extra culpam ſe videri volunt in hoc, quod non obediunt Deo: quia utique ipſa obedientia munus eius eſt, quod neceſſe eſt, ut inſit ei, cui charitas ineſt: quæ ſine dubio eſt, & dat eam pater filiis ſuis. Hanc, inquiunt, non accepimus, quid itaque corripimur, quaſi nos eam nobis dare poſſimus, & noſtro arbitrio dare nolimus?* Eorum autem errorem diſpellit S. Doctor his verbis: *Quod enim vult pro ſe fieri, qui corripi non vult, & dicit: Ora potius pro me; ideo corripiendus eſt, ut faciat etiam ipſe pro ſe. Dolor quippè ille, quo ſibi diſplicet, quando ſentit correctionis aculeum, excitat eum in maiorem orationis affectum, ut Deo miſerante, incremento charitatis adiutus deſinat agere pudenda, & dolenda, & agat laudanda, atque gratanda. Hæc eſt correctionis utilitas, quæ nunc maior, nunc minor pro peccatorum diverſitate ſalubriter adhibetur, & tunc eſt ſalubris, quando ſupernus medicus reſpicit. Non enim aliquid proficit, niſi cum facit, ut peccati ſui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, niſi qui reſpexit Apoſtolum Petrum negantem, & fecit flentem?* Idem ergo de prædicatione, & notitia divinæ juſtitiæ, aliiſque auxiliis externis, aut etiam internis moventibus ex parte objecti, dicendum eſt.

Ultimum argumentum. 153. Ultimo arguitur: quia plures rationes ex his, quas in hoc dubio conſtruximus, ut oſtenderemus neceſſitatem auxilij applicantis ad actus ſupernaturales, probant æqualiter neceſſitatem divini concurſus applicantis ad actus peccaminoſos ſaltem ſecundum eſſe materiale conſideratos, idque plures Thomiſtarum admittunt: conſequens eſt abſurdum: ergo prædictæ rationes nihil evincunt. Probatur minor: tum quia nequit Deus applicare voluntatem ad materiale peccati, quin applicet ad formale: eo quod concurſus efficax infert actum ſecundum omnes circumſtantias, quæ hic, & nunc occurrunt: & actus veſtitus cum omnibus circumſtantiis hic, & nunc occurrentibus eſt formaliter peccaminoſus: ſed Deus nequit cauſare formale peccati, ut omnes Catholici docent: ergo abſurdum eſt, quod applicet ad materiale illius. Tum etiam, quia in actu odij Dei nõ diſtinguitur materiale à formali; ſiquidem odium Dei ſecundum ſuam entitatem, & ſpecificam differentiam importat liberam averſionem a Deo: ergo Deus nequit ſuo concurſu applicare ad materiale odij Dei, quin applicet ad formale: hoc autem poſterius eſt omnino abſurdum: ergo & illud prius. Tum prætereà quia ſi Deus cauſaret materiale peccati influxu morali, videlicet ſuadendo, & alliciendo, non poſſet non cauſare formale illius: ergo ſi cauſat phyſice, & efficaciter materiale, nequit non eodem modo cauſare formale: efficacior quippè cauſa eſt, quæ movet phyſicè, quam quæ movet moraliter. Tum denique quia Calvinus, Zvinglius, Beza, & eorum ſequaces nunquam docuerunt Deum intendere, vel cauſare peccatum, quatenus peccatum eſt; ſiquidem peccatum, quatenus tale, eſt quoddam malum, & *nemo intendens ad malum operatur*, ut inquit D. Dionyſius cap. 4. de divinis nominibus: & tamen prædicti hæretici damnantur in Concilio Tridentin. *ſeſſ. 6. can. 10 & 17.* quaſi aſſeruerint Deum eſſe cauſam peccati: ergo ut Deus dicatur cauſa peccati (quod eſt prorſus falſum, & abſurdum,) ſufficit, quod cauſet peccatum ſecundum eſſe materiale. Patet conſequentia: quia ex oppoſito fieret vel Concilium injuſte damnaſſe illos homines, vel eorum aſſerta non calluiſſe, vel tandem nihil contra eorum mentem determinaſſe. *Calvinus. Zvinglius. Beza.*

Hoc argumentum tangit ſatis gravem & prolixam difficultatem: eam tamen nec libet, nec oportet in præſenti diſcutere: quia illi latiſſimam dedimus operam *Tract. 4. diſput. 10. dub. 7.* ubi oſtendimus Deum abſoluto, & poſitivo decreto prædefinire materiale peccati, & *Tract. 13. diſput. 6. dub. 4.* ubi ſtatuimus dari in peccatis commiſſionis aliquam malitiam poſitivam, & *eodem Tract. diſp. 12. dub. 2.* ubi declaravimus qualiter potentia peccandi, quatenus talis non producatur a Deo quamvis ſit aliquid poſitivum. Quibus locis ſatis perſpicuè occurrimus difficultatibus, quas argumentum proximè factum attingit, & aliis pluribus, quæ ex eodem principio ſcaturiunt. Si quid autem novum adhuc ſcrupulum injicit, & præcipue circa Calviniſmum, aut etiam Janſeniſmum, quæ frequenter æque, ac infructuosè Adverſarij nobis objiciunt, illud *diſp. 1. cap. 3. §. 3. & 4.* ſatis diſpunximus, & deinde *diſp. 7.* radicitus demetemus, oſtendentes concordiam, quam D. Auguſtinus, & D. Thomas componunt gratiæ efficacium cum libertate præferendam omnino eſſe concordiæ, quam Molinæ diſcipuli proſequuntur. Unde in præſenti ad argumentum propoſitum breviter reſpondemus concedendo majorem intellectam de eſſe materiali peccati purè materialiter: & ſpecificativè ſumpto; & negando minorem eodem ſenſu intellectam: cauſat quippè Deus ſuo auxilio prævio omnes rationes entis inhibitas in actu peccaminoſo, quatenus expli- *Reſponſio majori.*

 cant

cant rationem entis; non vero quatenus exprimunt malitiam peccati. Nam ſub priori ratione continetur ſub objectu adæquato divinæ omnipotentiæ; ſub poſteriori autem illam continentiam ſubterfugit, & duntaxat continetur intra objectum potentiæ defectivæ. Nec in hac parte aliqua difficultas urget in concurſu præmovente, quæ eodem fere modo non militet in concurſu ſimultaneo; quam tamen attingere materiale peccati materialiter acceptum omnes fere Adverſarij admittunt. Imo urgentius premunt (ſi verè pungerent,) in potentia ad peccandum, quæ quatenus talis, non eſt à Deo; & tamen ſecundum totam ſuam entitatem à Deo producitur: nullum quippe ens invenitur, quod ſub ratione entis à primo ente non fiat, ut argumentabamur loco ſupra citato.

Solvitur prima probatio in contrarium. 154. Ad primam autem probationem in contrarium dicendum eſt Deum ſuo auxilio applicante cauſare actum peccaminoſum ſecundum omnes circumſtantias hic & nunc occurrentes, quæ continentur intra latitudinem divinæ virtutis; ſecus vero ſi intra hanc latitudinem non comprehendantur. Unde quia ultima differentia moralis actus peccaminoſi, prout explicat malitiam, & fundamentum prædictæ differentiæ in eſſe fundamenti conſideratum non continetur intra latitudinem virtutis divinæ, ſed ſolum intra objectum potentiæ ad peccandum: propterea prædictæ rationes non revocantur in Deum præmoventem, ſed in potentiam creaturæ defectibiliter operantis: quamquam rationes entis, & malitiæ non diſtinguantur formaliter, vel virtualiter, ſed tantum quoad munera, & expreſſiones. Malitia enim, quatenus talis eſt ens non utcumque, ſed ens ſub expreſſione eſſendi a potentia defectiva: ſub qua ratione non procedit à Deo; ſiquidem ipſa potentia defectiva ſub hac expreſſione non fit a Deo; ſed convenit creaturæ rationali ex ſeipſa, ut declaravimus loco citato. Quod poteſt explicari tum exemplo concurſus ſimultanei producentis entitatem actus peccaminoſi ſecundum omnes circumſtantias, quæ hic, & nunc occurrunt; & tamen non producentis malitiam. Tum exemplo voluntatis, quæ non attingit verum ſub ratione veri, licet attingat bonum, cum quo verum abſque diſtinctione virtuali identificatur: quia verum, quatenus tale addit bono quandam expreſſionem, nempè cognoſcibilitatem, ſub qua à voluntate nequit attingi, cum cognoſcitiva non ſit. Idem ergo de entitate, & malitia identificatis in actu peccaminoſo dicendum eſt; illa enim nullam expreſſionem dicit, quæ Deo repugnet; hæc vero expreſſionem importat ſub qua ſolum dicit ordinem ad creaturam, & nullo modo reſpicit Deum. Quam doctrinam tradit Div. Thom. *hic* 1. 2. *quæſt.* 79. *artic.* 1. & *in* 1. *diſtinct.* 37. *quæſt.* 2. *artic.* 2. *ad* 5. & alibi ſæpè.

Secunda. Per quod etiam liquet ad *ſecundam* probationem: nam ultima differentia odij Dei, tametſi rationem entis importet, & ſic accepta ſit à Deo prævie, & ſimultaneè influente; tamen ſecundum conceptum malitiæ importat illam entitatem ſub expreſſo reſpectu ad potentiam defectivam: & hoc pacto eſt extra latitudinem divinæ virtutis, & reducitur unicè in creaturam tanquam in primum principium.

Tertia Ad tertiam probationem conceſſo antecedenti negamus conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt: quoniam applicatio phyſica eſt magis præciſiva, quam applicatio moralis, quæ per conſilium vel ſuaſionem fit: illa enim (præcipuè cum applicat ad eſſe materiale actus mali) ſolum reſpicit bonitatem, entitatem, vel actualitatem, aut etiam moralitatem genericam, quæ ſunt rationes univerſaliſſimo influxui primæ cauſæ reſpondentes: hæc autem complectitur omnes circumſtantias quoquomodo occurrentes; ſiquidem omnis prudenter conſilians; vel ſuadens cuncta proſpicere tenetur, ne peccatum ſuccedat. Deinde influxus phyſicus Dei circa materiale peccati convenit Deo ut cauſæ univerſali, ſecundum quam rationem ſolum tenetur conferre creaturæ media neceſſaria ad agendum, non obligatus ei ſpecialiter ſuccurrere, aut illius defectus vitare. At influxus moralis convenit Deo ut proviſori ſpeciali, qui eo ipſo debet creaturæ profectui conſulere; atque illius defectus vitare. Quod ſi de judicio practico, quo pravus effectus voluntatis dirigitur, & quod habet rationem dictaminis, & ſuaſionis fiat idem argumentum; eadem ſolutione diluendum erit: nam etiam Deus applicat phyſicè ad prædictum judicium ſecundum eſſe materiale conſideratum; & non ad eſſe formale, aut falſitatem pravi dictaminis; moraliter vero neutrum attingit. Ex quo fit, quod licet reſpectu actuum ſupernaturalium ſtatuerimus auxilium infallibiliter applicans, abſtrahendo ab hoc, quod prædictum auxilium applicet phyſicè, vel moraliter, ut *num.* 111. obſervavimus: nihilominus reſpectu entitatis actus peccaminoſi nequit admitti in concurſu præmovente talis præciſio; ſed hujuſmodi concurſus ad talem effectum applicat phyſicè determinatè, & nullo modo moraliter. *Ultima.*

Ad ultimam probationem reſpondetur Calvinum, & aſſeclas docuiſſe Deum eſſe Auctorem peccati non ſolum quantum ad eſſe materiale, ſed etiam quantum ad formaliſſimum malitiæ: quod abſque externis teſtibus, ſatis liquet ex *libro* 1. *ſuarum inſtitut. capite* 2. *numero* 2. & 3. & *libro* 3. *capite* 23. §. 8. & 9. ut oſtendimus *diſputatione* 3. *capite* 3. §. 3. Et quidem id conſequenter aſſeruit ad errorem alium, quem prædicabat, nempè homines non agere liberè, ſed ſolum ſpontaneè: quo ſuppoſito vel peccata non ſunt, vel fiunt à Deo. Et hæc falſa dogmata damnat Concilium Tridentinum locis citatis. Quod ſi incredibile alicui videatur homines illos exiſtimaſſe Deum intendere malum, ipſumque efficere, quatenus malum eſt, advertat non eſſe minus incredibile, quod homo ſine libertate agat, & nihilominus peccet: quod tamen dubio procul hæretici illi docuerunt. Præſertim cum ipſi dicerent Deum intendere, & producere malitiam, ut induit ſpeciem cujuſdam boni, nempè medij neceſſarij ad oſtenſionem ſuæ juſtitiæ: ſicut ille, qui eligit dicere mendacium ad conſequendum aliquod bonum temporale. In quo licet erraverint; ſalvarunt tamen ſpecie tenus, dictamen illud naturali lumine notum, *quod nemo reſpiciens ad malum operetur*. Sed hanc calumniam, quam Adverſariorum plures intentant, jam ſatis excuſſam iterum propulſabimus *infra diſputatione* 7. *dubio* 4. §. 11.

Digitized by Google

DUBIUM SEPTIMUM.

De variis diviſionibus gratiæ actualis.

Multiplex gratiæ actualis diviſio.

155. ACtualis gratia, cujus eſſentiam, & exiſtentiam hactenus explicuimus, multipliciter dividitur à Doctoribus: partiuntur quippè illam in operantem, & cooperantem, in excitantem, pulſantem, vocantem, & adjuvantem, in prævenientem, & comitantem, & ſubſequentem; & denique in ſufficientem, & efficacem. In quibus diviſionibus exponendis plurimum inſumunt laboris, & varios dicendi modos proſequuntur. Nos autem preſſius procedemus: tum quia difficultates hic occurrentes ut plurimum ex æquivocatione vocum procedunt: tum quia ſuppoſitis his, quæ hucuſque tradidimus, haud arduum eſt veritatem in præſenti paucioribus explicare. Sed ut major diſtinctio claritati deſerviat, ſingillatim de his gratiæ membris ſermonem inſtituemus.

§. I.

Exponitur, quid ſit gratia operans.

Gratia operans, & cooperans. *D.Auguſt.*

156. PRimus, qui invenitur gratiam actualem diviſiſſe in *operantem, & cooperantem*, fuit D.Auguſtin. *in libro de gratia, & libero arbitrio c.* 17. ubi hæc ſcripſit: *ipſe, nempè Deus, ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apoſtolus. Certus ſum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Christi Ieſu.* Ut *ergo velimus, ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Auguſtinum ſequuti poſtea ſunt Scholaſtici cum Magiſtro *in* 2. *diſt.* 26. & Theologi cum D.Thom. *in hac* 1.2. *quæſt.* 111. *art.* 2. Et quidem gratię operantis frequenter meminit Scriptura, ut Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis Dominus*, & ad Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere*, & alibi ſæpe. Unde Concilium Arauſic. *canon.* 2. diffinit, *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla vero bona facit homo, quæ non præſtet Deus, ut faciat homo.* Porro gratiæ *operantis* nomine non intelligitur gratia quoquomodo influens in operationes noſtras: nam in hac acceptione quælibet gratia actualis *operans* dicitur, cum aliquomodo influat: nec gratia operans ſpeciale membrum conſtituet. Gratia vero operans particulariter ſumpta pertinet ad aliquem motum, quem Deus in nobis ſine nobis operatur, juxta verba relata Auguſtini, *Ut velimus ſine nobis operatur.* Quem imitatur Div. Gregorius *lib.* 16. *Moral. cap.* 11. ubi inquit: *Superna pietas prius agit in nobis aliquid ſine nobis, ut ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio, bonum, quod jam appetimus, agat nobiſcum.* In his conveniunt Auctores; adeo tamen diſſident in explicando, quod ſit gratia *operans*, ut merito dixerit Alvarez *diſp.* 81. in principio tot eſſe in hac parte ſententias, quot capita.

Iſaiæ 26. *Ad Philip. 2.* *Conc. Arauſ.* *D.Gregor.* *Alvarez.*

Pro cujus reſolutione obſervandum eſt ex D. Thom. loco ſuperius citato duplicem actum diſtinguendum eſſe in voluntate (idemque proportionabiliter dicendum eſt de intellectu) quorum primus fertur in bonum non ex præcedenti conſilio, vel determinatione, ſed ſubito, & indeliberatè, ut cum primo incipimus velle bonum, qui prius malum amabamus. Secundus vero fertur in bonum ſuppoſita priori determinatione, & conſilio. Primus verſatur circa finem, vel bonum in communi; ſecundus circa media, vel bona particularia. Ille appellatur interior; hic autem dicitur exterior: non quia ille à voluntate, & hic à potentiis externis eliciatur: ſed quia ille intimius, prius, & immediatius à voluntate procedit; hic vero ſit à voluntate medio alio actu priori, & ſibi magis intimo. Hoc ſuppoſito.

Quid ſit gratia operans.

157. Dicendum eſt primo gratiam actualem operantem reſpectu voluntatis (& idem proportionabiliter intellige de gratia operante reſpectu intellectus) conſiſtere formaliter in qualitate fluida, qua Deus cauſat actum primum voluntatis, ſive actum indeliberatum, & interiorem. Hanc concluſionem docent inter alios Arauxo *in hac quæſt. art.* 5. *dub.* 7. *num.* 15. & Joan. à S. Thom. *ibidem art.* 1. §. *Nihilominus reſolutio.* Probatur auctoritate ſimul, & ratione D. Thom. *loco citato art.* 2. in corpore, ubi inquit: *Gratia dupliciter poteſt intelligi. Uno modo divinum auxilium, quo nos movet ad bene volendum, & agendum. Alio modo habituale donum nobis divinitus inditum. Utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem, & cooperantem. Operatio enim alicuius effectus non attribuitur mobili, ſed moventi, in illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non movens, ſolus autem Deus eſt movens; operatio Deo attribuitur: & ſecundum hoc dicitur gratia operans.* Et poſt pauca. *Eſt autem*, inquit, *in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis. Et quantum ad iſtum actum voluntas ſe habet ut mota, Deus autem ut movens: & præſertim cum voluntas incipit velle bonum, quæ prius malum volebat. Et ideo ſecundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc effectum, dicitur gratia operans.* Gratia autem actualis, qua Deus nos adjuvat, & facit facere, eſt quædam qualitas fluida potentiæ operativæ impreſſa, ut juxta doctrinam ejuſdem D.Thom. ſtatuimus *dub.* 3. *num.* 50. & *dub. præced. à num.* 120. ergo gratia operans reſpectu voluntatis eſt qualitas fluida ipſi impreſſa, & cauſans actum indeliberatum, quo primo allicitur ad bonum.

Arauxo. *Joan. à S.Th.*

Contrarii dicendi modi impugnantur.

158. Id, quod magis perſpicuum fiet referendo, & refellendo breviter præcipuos dicendi modos, quibus alii Auctores gratiam operantem declarant. Nam in primis gratia operans nequit formaliter conſiſtere in ipſo actu indeliberato, quatenus à Deo dependet, ut Monteſinos, & Ripalda exponunt: cum enim prædictus actus ſit vitalis, & ſupernaturalis; nequit non effluere à potentia conſtituta in actu primo ſupernaturali diſtincto ab ipſa operatione elicienda, ut latè oſtendimus *dub.* 2. Deinde nequit conſiſtere in ipſo Deo intime aſſiſtente, & unito potentiæ per modum auxilij, ut Suarez, Curiel, & alij affirmant: quia Deus nequit nobis uniri per modum virtutis operativæ, ut *dub.* 3. ſtatuimus. Præterea non valet conſiſtere in ſola ſancta cogitatione, ad quam ſequitur affectus indeliberatus, ut autumat Vazquez: tum quia illa cogitatio non præſtat vires phyſicas voluntati ad præcontinendum, & eliciendum ſupernaturalem effectum: tum quia eamdem, & non minorem gratiam admiſit Pelagius, ut ſatis liquet ex dictis *dub.* 4. Inſuper nequit conſiſtere in motione ad quemcumque actum interiorem, ut volunt Medina *art.* 2. & Ricardus Taper *art.* 7. contra Lutherum: quoniam plures ſunt actus interiores, in quibus voluntas

Monteſin. Ripalda. *Suarez. Curiel.* *Vazquez.* *Medina.* *Ricardus.*

Digitized by Google

voluntas ſe movet : gratia autem operans ſpecialites dicta pertinet ad actus, in quibus voluntas ſe habet non ut movens, ſed ut mota. Tandem conſiſtere non poteſt in qualitate fluida, quatenus præcisè confert effectum formalem applicandi, ut tradunt Gonet *diſp. 3. art. 3. concluſ. 3.* & Alvarez *loco ſuperius citato :* qui ſubinde inferunt prædictam qualitatem, quatenus infert operationem, & ſimul cum voluntate influit, eſſe gratiam cooperantem. Nam gratia operans ſic accepta pertinet ad omnes operationes voluntatis tam indeliberatas, quam deliberatas, ut prædicti Auctores admittunt : & tamen D. Thom. gratiam operantem ſpecialiter dictam aſſerit unicè pertinere ad primam, ac indeliberatam voluntatis operationem, quam actum interiorem appellat ob maximam ad potentiam intimitatem, & quia alium actum non præſupponit. Dicere autem cum Gonet, quod D. Thom. nomine actus interioris intelligat ſolam voluntatis applicationem abſurdum eſt, & contra mentem S. Doctoris : tum quia applicatio, ut præintelligitur ad actum, non eſt actus, ut ex ſe liquet : tum quia Div. Thom. per actum interiorem expreſsè ſignificavit operationem à voluntate elicitam : *Præſertim*, inquit, *cum voluntas incipit velle bonum, quæ prius malum volebat.* Maneat igitur gratiam actualem operantem ſpecialiter dictam conſiſtere formaliter in qualitate fluida inferente, & cauſante primam, & indeliberatam voluntatis operationem, per quam incipit ad bonum converti.

Gonet. Alvarez.

Prima objectio. 159. Sed objicies primo : quoniam gratia operans pertinet ad illum effectum, in quo voluntas ſe habet non ut movens, ſed ut mota, ut tradunt D. Auguſt. & D. Thom. atqui voluntas in primo actu ſe habet ut movens : cum enim prædictus actus ſit vitalis, & voluntatis nequit non à voluntate ut ſe movente procedere : ergo gratia operans non conſiſtit in qualitate fluida, ut infert prædictum actum ; ſed in eadem, quatenus in genere cauſæ formalis reddit potentiam applicatam : ad hunc quippè effectum voluntas pure paſſivè ſe habet.

Nec ſatisfacies reſpondendo, quod licet prima voluntatis operatio ſit ab eadem ſe movente phyſicè, & vitaliter ; non tamen ſe movente moraliter, & applicativè cum prædictus actus ſupponatur eſſe neceſſarius, & indeliberatus. Hoc, inquam, non ſatisfacit : quoniam omnis volitio libera debet procedere à voluntate ſe movente liberè, & applicativè ; ſiquidem de ratione agentis liberi eſt, quod ſuppoſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi ſe applicet ad agendum : atqui primus voluntatis actus poteſt eſſe liber, ut patet in Angelis, & Chriſto Domino : ergo primus voluntatis actus eſt à voluntate ſe movente non ſolum phyſicè, & vitaliter, ſed etiam moraliter, & applicativè.

Diluitur. Reſpondetur ſuſtinendo traditam reſponſionem, quæ optima eſt & ad mentem D. Thomæ. Nec evertitur inſerta impugnatione : nam longè diverſa ſunt actum eſſe liberum, & eſſe deliberatum ; procedere a voluntate agente cum indifferentia, & procedere ab eadem ſe moraliter applicante. Ut enim actus liber evadat, ſatis eſt, quod reguletur per cognitionem indifferentem, & quod eliciatur à principio potenti non operare ſaltem in ſenſu diviſo : ut autem ſit actus deliberatus, requiritur, quod ſit ex alio præſuppoſito, ex quo voluntas ſe moveat, quodque præſupponat propriam deliberationem, & conſilium. Primus ergo voluntatis actus poteſt eſſe liber, ſi cognitione indifferenti in proponendo reguletur, ut in Angelis, & Chriſto Domino contingit : nequit tamen eſſe deliberatus ; ſiquidem non præſupponit alium actum, nec regulatus per dictamen ortum ex proprio conſilio, ſed per cogitationem ſpecialiter à Deo impreſſam. Et ideo concedimus, quod primus actus ſit à voluntate ſe movente phyſicè, vitaliter, & liberè : negamus tamen, quod ſit à voluntate abſolutè ſe movente : nam hoc poſterius denotat deliberationem, & applicationem ortam moraliter à proprio ſuppoſito : quod nunquam in prima voluntatis operatione invenitur, ut latius expoſuimus *in Tract. de Angelis diſp. 11. dub. unico* ferè per totum, & præcipuè *à num. 23.* Ex quibus fit omnem primum voluntatis actum ſupernaturalem eſſe effectum proprium gratiæ operantis ; ſive talis actus ſit omnino neceſſarius, ſive liber. Fit etiam primam Angeli volitionem non potuiſſe eſſe peccaminoſam : quia fuit ſpecialiter à Deo determinante voluntatem per dictamen unice moraliter a Deo cauſatum. Attingit tamen Angelus per illam finem ſimul, & media ; id quippe expoſcit ejus natura ; ſicut & quod ſine diſcurſu cognoſcat principium, & concluſionem. Quod in nobis ob inferiorem modum operandi non accidit : ſed quemadmodum diſtinctis intellectionibus præmiſſas, & concluſiones cognoſcimus, ita diverſis volitionibus finem, & media appetimus. Quamobrem primus actus in nobis eſt effectus gratiæ operantis ; ſecundus vero gratiæ cooperantis, ut *§. ſequenti* dicemus.

160. Objicies ſecundo : nam voluntas naturaliter, & neceſſario movetur ad bonum ſibi propoſitum abſque indifferentia : ſed prima cogitatio nobis à Deo immiſſa proponit voluntati bonum abſque indifferentia, ſaltem contrarietatis, ut modò ſupponimus : ergo poſita tali cogitatione, voluntas neceſſario, & naturaliter fertur in prædictum bonum : ergo ſuperfluit qualitas fluida voluntati ſuperaddita : & conſequenter gratia operans, non in qualitate fluida, ſed in ſola cogitatione formaliter conſiſtit. *Secunda objectio.*

Reſpondetur majorem ad ſummum verificari ſuppoſitis omnibus requiſitis, quæ ex parte voluntatis ad eliciendum actum deſiderantur ; inter quæ (cum actus eliciendus eſt ſupernaturalis) præcipuè cenſenda eſt qualitas fluida ſupernaturalis voluntatem elevans, ut *dub. 2. & 4.* explicuimus, & ſimul qualitas fluida, vel alia modo voluntatem ad operandum inducens, ut *dub. 6.* declaravimus. Quapropter licet ſancta cogitatio ſolicitet ad amorem boni apprehenſi ; nunquam tamen voluntas illum eliciet, niſi prius hujuſmodi qualitatibus fluidis afficiatur. Sicut etiam viſio beatifica excitat ad amorem charitatis ; quem tamen voluntas abſque charitate non eliciet. Cumque prædictæ qualitates ultimo compleant, & determinent voluntatem, potius in eis, quam in ſancta cogitatione ratio gratiæ operantis conſtituenda eſt. Præſertim cum ipſa ſancta cogitatio nequeat eſſe primum auxilium intrinſecum ; ſed gratiam aliquam operantem pro ſui elicientia poſtulet, ut ex dictis *dub. 2.* liquet. *Solvitur.*

161. Ultimo poſſent nobis opponi aliqua teſtimonia D. Thom. in quibus videtur docere gratiam actualem non eſſe qualitatem, ſed animæ motum, ſive operationem, ut docet *1. 2. quæſt. 110. art. 2. & quæſt. 111. art. 2.* in corpore, *& in reſponſ. ad 1.* Sed hæc jam expoſuimus *dub. 3. §. 4.* ubi declaravimus legitimam Sancti Doctoris ſententiam. *Ultima objectio.*

§. III.

Digitized by Google

§. II.

Quid ſit gratia cooperans, declaratur.

Gratia cooperans.

162. QUæ §. præcedenti tradidimus, viam facilem aperuere ad exponendum gratiæ cooperantis naturam. Cujus haud obſcurè meminit Sacra Pagina *pluribus in locis*, & præcipuè Matei ultim. *Domino cooperante*, & 1. ad Corinth. 15. *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Ex quibus gratiæ cooperantis notionem deſumpſit D. Auguſt. *locis ſupra citatis*, ubi ait: *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incœpit: quia ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Dubium autem eſt, in quo gratia cooperans formaliter conſiſtat: Circa quod innumeræ ſunt Auctorum ſententiæ, quibus prætermiſſis.

Marc. ultim. 1. ad Cor. 15. D. Auguſt.

Quid ſit.

163. Dicendum eſt ſecundo gratiam actualem cooperantem reſpectu voluntatis (idem proportionabiliter intellige reſpectu intellectus) conſiſtere formaliter in qualitate fluida voluntati impreſſa, & cauſante actum, qui cum deliberatione fertur in bonum. Hanc aſſertionem docent Araujo *ubi ſupra*, & Joan. à S. Thoma *art. 2.* Probatur ratione: quia gratia actualis pertinens ad illum actum, in quo voluntas non ſe movet ex propria deliberatione, ſed ex inſtinctu Dei, dicitur operans: eo quod ſolus Deus cum deliberatione operatur: ergo gratia actualis ſpectans ad illam operationem, in qua voluntas cum proprij ſuppoſiti deliberatione ſe movet, dicitur gratia cooperans; ſiquidem in ea tam Deus, quam voluntas applicativè, & cum deliberatione operantur: ergo ſicut gratia operans conſiſtit formaliter in qualitate fluida inferente actum indeliberatum, ſive volitionem erga finem, aut bonum in communi: ita gratia cooperans conſiſtit formaliter in qualitate fluida inferente actum deliberatum, ſive electionem mediorum, & affectum erga bona particularia. Et hoc tradit D. Thom. *art. 2. citato*, ubi poſt verba ſuperius relata inquit: *Alius autem eſt actus exterior, qui cum a voluntate imperetur, conſequens eſt, quod ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat & interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exterius facultatem operandi præbendo, reſpectu hujuſmodi actus dicitur gratia cooperans.* Nomine enim actus imperati, & exterioris intelligit volitionem deliberatam, quæ *exterior* dicitur, quia ſupponit alium intimiorem actum, nempe amorem finis; & *imperata* vocatur, quia ex prædicto amore indeliberato ortum ducit. Ad eam autem eliciendam aſſerit Deum nos adjuvare & per ſubminiſtrationem gratiæ interioris, quam *cooperantem* abſolutè vocamus, & per externam protectionem, & remotionem impedimentorum, quam gratiam cooperantem cum addito dicimus, nempè cooperantem extrinſecè.

Araujo. Joan. à S. Th.

Diverſi modi explicandi gratiam cooperantem impugnantur.

164. Roboratur amplius noſtra concluſio impugnando breviter modos, quibus alij Auctores gratiam cooperantem exponunt. Quidam enim exiſtimant conſiſtere vel in ipſis actibus deliberatis, quatenus ſunt à Deo, vel in ipſo Deo intimè unito voluntati in ratione auxilij, vel denique in ſola ſancta cogitatione, quatenus motum indeliberatum inducit. Sed hos omnes dicendi modos late excluſimus locis §. præced. citatis. Et præſertim diſplicet poſterior, quem valde perſpicuè rejicere ſolet D. Auguſtin. nam *lib. de gratia Chriſti cap. 10.* Pelagium introducit ſic loquentem: *Operatur in nobis velle, quod bonum eſt, dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem.* Auguſt. autem è converſo *in lib. de Spiritu, & littera cap. 3.* inquit: *Ut bonum diligamus, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris*: perſpicuè docens ad bonum affectum aliud auxilium præter cogitationem, voluntati ſuperaddendum eſſe.

Vazquez. D. Auguſt.

Alij ſolius vocis ſono ducti putant gratiam cooperantem nihil aliud eſſe, quam concurſum Dei ſimultaneum. Sed falluntur; nam licet gratia cooperans concurſum Dei ſimultaneum vel complectatur, vel connotet; nihilominus præter hunc concurſum importat aliquid prævium voluntatem roborans, & uſque ad operationem deliberatam perducens: tum quia id ſatis expreſſit D. Thom. verbis ſupra citatis: *Deus, inquit, nos adjuvat & interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exterius facultatem operandi præbendo: & reſpectu hujuſmodi actus dicitur gratia cooperans.* Præſertim quia ut voluntas ſupernaturalem operationem deliberatam eliciat, non ſufficit, quod adjuvetur concurſu ſupernaturali Dei ſimultaneo, ſed debet prius elevari per aliquam ſupernaturalem virtutem, ratione cujus actum ſupernaturalem præcontineat, ut latius oſtendimus *dub. 2. §. 3.* D. Thom.

Alij deinde ut Curiel *in præſenti dub. 2. §. 6.* & Joannes Gonzalez *1. parte diſp. 58. ſect. 3.* aſſerunt gratiam cooperantem eſſe actum indeliberatum voluntatis, medio, quo trahitur ad conſenſum liberum. Sed nec hic dicendi modus poteſt ſuſtineri: tum quia gratia cooperans habet infallibilem connexionem cum operatione deliberata; ſiquidem Deus per talem gratiam cooperatur, & influit in prædicti actus elicientiam: affectus autem indeliberatus ſibi relictus non habet neceſſariam connexionem cum aſſenſu deliberato, ſiquidem multoties reſiſtimus ſubitæ inſpirationi, & affectui: ergo gratia cooperans nequit in affectu indeliberato conſiſtere; ſed neceſſario ſuperaddenda eſt motio, vel qualitas fluida, quæ motum indeliberatum cum deliberato conjungat. Tum etiam quia affectus indeliberatus nequit inferre aſſenſum deliberatum niſi media cognitione indifferenti; cum hæc ſit regula immediata liberæ volitionis: ſed cognitio indifferens non præſtat vires ſufficientes, & efficaces ad aſſenſum deliberatum ſupernaturalem, ut contra Vazquez ſtatuimus *dub. 4.* ergo gratia cooperans non conſiſtit in affectu indeliberato. Curiel. Gonzalez.

Tandem alij aſſerunt gratiam cooperantem conſiſtere in qualitate fluida, quatenus effectivè concurrit ad omnem noſtram operationem: quod tuentur Alvarez, Gonet *locis §. præced. citatis.* Cæterum hic dicendi modus eſt contra D. Thom. *art. ſæpe citato*: nam juxta hos Doctores gratia cooperans influit in omnem operationem tam deliberatam, quam indeliberatam, & tam interiorem, quam exteriorem: cum tamen D. Thom. doceat gratiam operantem habere pro ſpeciali effectu actum indeliberatum, & interiorem; gratiam vero cooperantem reſpicere actum deliberatum, & exteriorem, ut ſola articuli lectione conſtabit, & liquet ex dictis §. *præcedenti.* Relinquitur ergo gratiam cooperantem conſiſtere formaliter in qualitate fluida inferente non quamlibet voluntatis operationem, ſed determinante conſenſum deliberatum, quem D. Thom. ob rationem ſuperius aſſignatam actum exteriorem appellat. Alvarez. Gonet.

Digitized by Google

Conſectarium. 165. Ex quibus infertur contra plures ex Auctoribus nuper relatis gratiam actualem operantem, & cooperantem non eſſe eamdem realiter gratiam, vel qualitatem cum ſola diverſa connotatione, vel reſpectu; ſed eſſe duas qualitates fluidas realiter diſtinctas. Et ratio liquet ex dictis: nam pro qualibet operatione ſupernaturali datur qualitas fluida tum ad elevandum potentiam, ut oſtendimus *dub.*3. tum ad præcontinendum ultimam actualitatem operationis, ut diximus *dub.*5. tum ad tollendum ſuſpenſionem potentiæ creatæ, & ſubordinandum eam Deo, ut ſtatuimus *dub.*6. conſtat autem, quod motus indeliberatus, & deliberatus ſunt frequenter operationes realiter diſtinctæ: ergo gratia requiſita ad motum indeliberatum, quæ dicitur *operans*, diſtinguitur realiter à gratia requiſita pro motu deliberato, quæ *cooperans* appellatur. Præſertim cum D. Auguſt. & alij Patres communiter doceant contra Pelagium gratiam ad ſingulos actus dari, ut fuſius oſtendimus duobus *dubiis præced.*

Objectio ex D. Thom. diſpellitur. 166. Cui doctrinæ non opponitur D.Thom. in hoc art. in reſponſ. ad 4. ubi ait: *Dicendum, quod gratia operans, & cooperans eſt eadem gratia, ſed diſtinguitur ſecundùm diverſos effectus, ut ex ſupra dictis patet*, nempè ex corpore articuli. Nam hæc verba referenda ſunt ad gratiam habitualem, de qua dixerat S. Doctor: *Si vero accipiatur gratia pro habituali dono, ſic eſt duplex gratiæ effectus, ſicut & cujuſlibet alterius formæ: quorum primus eſt eſſe, ſecundus eſt operatio. Sicut caloris operatio eſt facere calidum, & exterior calefactio. Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam ſanat, vel juſtificat, ſive gratam Deo facit, dicitur gratia operans: in quantum vero eſt principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.* De hac ergo gratia habituali intelligendus eſt Div. Thom. cum aſſerit gratiam operantem, & cooperantem eſſe eandem gratiam cum diverſis effectibus; eadem quippè gratia habitualis præſtat effectum formalem, qui abuſivè dicitur operatio; & influit deinde in genere cauſæ efficientis cooperando libero arbitrio, ut in notis ad prædictum articulum obſervavimus. At effectus proprij gratiæ operantis, & cooperantis actualis ſunt diverſæ operationes, nempè volitio indeliberata, & deliberata, ut S. Doctor ante præmiſſa verba aſſeruerat. Ad quamlibet autem operationem requiritur gratia, vel motio actualis, ut tradit idem D. Thom. *quæſtione* 109. *artic.*1. in corpore, his verbis: *Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo.* Et infra: *Sic igitur actio intellectus, & cujuſcumque entis creati dependet à Deo quantum ad duo. Uno modo in quantum ab ipſo habet perfectionem, ſive formam, per quam agit: alio modo in quantum ab ipſo movetur ad agendum.* Unde ſicut volitio indeliberata, & deliberata diſtinguuntur realiter, ita gratia actualis operans, & cooperans, quæ ipſis deſerviunt, & cum eiſdem tranſeunt, debent realiter diſtingui.

Alia objectio. 167. Sed oppones: nam adjutorium pro actibus deliberatis, quod gratiam cooperantem appellamus, deſervit ad faciendam, perficiendamque juſtitiam, ut tradit D.Auguſt. *lib. de gratia, & libero arbitrio cap.*17. ſed adjutorium collatum ad faciendam, perficiendamque juſtitiam *D.Auguſt.* conſiſtit in notitia boni, & in victrice delectatione, ut docet idem S. Doctor *in lib. de peccator. meritis, & remiſſione cap.*19. his verbis: *Cum ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & ſuave faciat, quod non delectabat?* Et eodem loco aſſerit Deum permittere peccatum, quando non tribuit *vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem.* Cum ergo boni notitia, & victrix delectatio ſint actus hominis; ſequitur, quod juxta mentem D. Auguſtini gratia cooperans non conſiſtit formaliter in qualitate fluida operationes antecedente, ſed in prædictis operationibus.

Reſpondetur victricem delectationem eſſe quidem adjutorium ad perficiendam juſtitiam mediis actibus deliberatis. At victrix delectatio non importat præcisè ſimplicem, & indeliberatam delectationem in bono: hæc quippè non eſt infallibiliter victrix, cum ſolum moveat inadæquatè, & frequenter effectum deliberati conſenſus non aſſequatur, ut ſuprà vidimus. Ut ergo dicatur *victrix*, expoſcit ſibi adjungi novum adjutorium gratiæ actualis, & efficacis, quod D. Auguſt. *charitatem* appellat, & præter illam delectationem expoſcit *in lib. de Spiritu, & littera cap.* 4. his verbis: *Cum id, quod agendum, & quod nitendum eſt, cæperit non latere, niſi etiam delectet, & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, charitas diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Ubi charitatis nomine non ſignificari liberum, vel neceſſarium amorem; ſed auxilium actuale ab Spiritu ſancto diffuſum, quod Auguſtinus frequenter *charitatem* appellat, ſatis liquet cum ex ipſo contextu, cum ex aliis S. Doctoris teſtimoniis. Unde quando in loco, quod nobis objicitur, docet nihil aliud nos petere ad perficiendam juſtitiam, quam *victricem delectationem*, minimè excludit gratiam actualem ab omni operatione tam deliberata, quam indeliberata diſtinctam: ſed magis illam ſub illo complexo ſubintelligit. Ratio autem quare rationem gratiæ cooperantis potius conſtituamus in qualitate fluida, quam in delectatione, ſatis liquet ex dictis, nam illa qualitas habet ex ſe efficaciam ad inferendum infallibiliter affectum deliberatum; qua energia deſtituitur delectatio ſibi relicta; cum ſolum ſit *victrix*, quatenus ſubſtat prædictæ motioni. Et ideo licet victrix delectatio valeat dici gratia cooperans: nihilominus tribuendo ſingula ſingulis, præcipua ratio gratiæ cooperantis non in delectatione, ſed in auxilio, vel qualitate fluida formaliter, & in recto conſiſtit.

Diluitur.

Quid ſit apud D. Auguſt victrix delectatio.

§. III.

Explicatur diviſio gratiæ actualis in excitantem & adjuvantem.

Gratia excitans, & adjuvans. 168. SUccedit, ut declaremus diviſionem gratiæ actualis in *excitantem*, & *adjuvantem*, quam tradunt inter alios Div. Auguſt. lib. de peccator. meritis dicens: *Bonam, & piam voluntatem, niſi Deo excitante, & adjuvante habere non poſſumus.* Et D. Bernard. *lib. de gratia, & libero arbitrio* his verbis: *Conatus noſtri caſſi ſunt, ſi non adjuventur, & nulli, ſi non excitentur.* Eamque apertè ſupponit Concilium Trident. *ſeſſ.*6. *cap.*5. ubi ait: *Diſponuntur,* inquit, *ad juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum.* Habetque hujuſmodi diviſio fundamentum

D.Auguſt.

D.Bernard.

Conc.Trid.

Digitized by Google

mentum in ſacra Scriptura: nam in quibuſdam locis docet nos excitari, & vocari à Deo interius pulſante, ut Apocal. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Et ad Epheſ. 5. *Surge, qui dormis:* in aliis vero divinum adjutorium expoſcit, ut Pſal. 69. *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina,* & alibi ſæpe. Difficultas autem eſt circa legitimam hujus diviſionis intelligentiam.

Apocal. 3. Ad Epheſ. 5. Pſalm. 69.

Nota 1. Pro cujus luce obſerva primo gratiam *excitantem* poſſe uſurpari pro quocumque dono nos ſollicitante, & trahente ad perfectam converſionem: & hac ratione innumera beneficia tam interna, quam externa complectitur, quibus ad Deum afficimur, ut eleganter Div. Proſper *libro adverſus Collator. capite* 14. his verbis: *Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum, & omnium, quæ in eis ſunt, ornatiſſima pulchritudo. Inviſibilia enim eius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Trahit rerum geſtarum cognitio: & divinorum operum relatura animum audientis inflammant, narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ facit. Trahit timor: principium enim ſapientiæ timor Domini. Trahit lætitia: quoniam lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Trahit deſiderium: quoniam concupiſcit, & deficit anima in atria Domini. Trahit delectatio lectionis: Quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua ſuper mel, & favum ori meo. Quis perſpicere, aut enarrare poſſit, per quot affectus viſitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat, eſuriat: ac ſubito commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, ſint aperta; quæ oneroſa, ſint levia; quæ amara, ſint dulcia, quæ obſcura, ſint lucida?* Hoc autem modo ſi gratia excitans accipiatur, nequit ſpeciale membrum gratiæ actualis conſtituere, cum tot objecta, notitias, & affectus complectatur. Preſſius ergo conſideranda eſt, pro eo videlicet auxilio, quo Deus primo hominem interius pulſat, & vocat: hoc quippe inter cuncta alia nomen gratiæ *excitantis*, pulſantis, & vocantis (quæ idem reipſa ſunt) titulo peculiari meretur, ut ex ſe liquet, & admittunt communiter Doctores.

D. Proſper.

Nota 2. Secundo obſerva gratiam *adjuvantem* bifariam etiam uſurpari: uno modo generali, & lata acceptione, pro omni auxilio, quo Deus nos adjuvat in negotio ſalutis, ſive intrinſecè, ſive extrinſecè, ſive antecedenter, ſive conſequenter: qua ratione cuncta auxilia, & ipſam gratiam excitantem complectitur, nec peculiarem ſpeciem gratiæ actualis importat. Altero modo accipitur ſtrictè, & ſpecialiter pro eo auxilio, quo jam excitati & vocati adjuvamur, & promovemur ad perfectam concuſſionem: quo pacto gratiam excitantem ſupponit, & ab ea diſtinguitur, ut colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap.* 5. His ſuppoſitis.

Reſolutio difficultatis. 162. Dicendum eſt tertio gratiam *excitantem* eſſe idem realiter auxilium cum gratia operante; & gratiam *adjuvantem* eſſe idem realiter auxilium cum gratia cooperante: & conſequenter gratiam *excitantem* conſiſtere formaliter in qualitate fluida cauſante primum motum indeliberatum, & gratiam *adjuvantem* conſiſtere formaliter in qualitate fluida cauſante ſubſequentes motus deliberatos. Hæc ſecunda aſſertionis pars ſatis liquet ex dictis duplici §. *præcedenti*, ubi eam firmavimus. Prior autem colligitur manifeſtè ex Div. Thoma: nam cum Sanctus Doctor *in hac quæſtione* 111. varias diviſiones gratiæ actualis adduxerit, hujus diviſionis non meminit: quod minime facit, quia ipſam ſpreverit, quam ſciebat fuiſſe traditam ab Auguſtino; ſed quia nomine gratiæ operantis, & cooperantis *excitantem* etiam, & *adjuvantem* comprehendit: quam proinde non oportuit diverſo articulo declarare. Et hæc pars probatur facile ex dictis: quoniam gratia *excitans* ſpecialiter dicta eſt primum auxilium, quo Deus inchoat noſtram converſionem, & nos revocat à ſomno peccati, vel etiam inſenſibilitatis: atqui primum auxilium intrinſecum eſt reipſa gratia operans; ſiquidem habet pro effectu motus indeliberatos, quos prædicta gratia excitat: ergo gratia excitans peculiariter dicta eſt idem realiter cum gratia operante. Similiter gratia ſpecialiter *adjuvans* eſt illud auxilium, quo Deus hominem jam vocatum adjuvat, & promovet ad perfectum conſenſum, ſive ad conſummationem ſuæ converſionis: ſed hujuſmodi auxilium eſt reipſa gratia cooperans; ſiquidem reſpicit tanquam proprium effectum motum deliberatum, in quo perficitur, & conſummatur converſio, & cui gratia cooperans deſervit: ergo gratia adjuvans eſt idem realiter cum gratia cooperante.

Confirmatur, & declaratur amplius, tacite Confirmatur.
occurrendo aliquibus objectionibus: quoniam licet omnis intellectio ſupernaturalis ſit quædam vocatio paſſiva, & attentio ad Deum; nihilominus propriè loquendo ſola prima intellectio poteſt appellari *excitatio*: non enim excitari, atque evigilare dicitur homo jam expergefactus; ſed ille ſolum, qui prius dormiebat, juxta illud Apoſtoli, *Surge, qui dormis, & illuminabit te Chriſtus*: conſtat autem, quod primus actus intellectus eſt omnino indeliberatus; cum non proveniat ex applicatione voluntatis proprij ſuppoſiti, ſed ex motione Dei ſpeciali: ergo gratia ſpecialiter, & propriè excitans habet pro effectu primum, & indeliberatum actum intellectus: atqui gratia operans reſpicit per ſe eumdem effectum, ut §. 1. explicuimus: ergo gratia operans, & excitans ſunt idem realiter auxilium: quod dicitur *operans*, quia per illud ſolus Deus moraliter operatur; & *excitans* appellatur, quia per ipſum trahit hominem ad primam attentionem.

Similiter quamvis Deus adjuvet hominem in operatione conducente ad ſalutem ab ipſo quoquo modo elicienda; nihilominus tunc propriè eum adjuvare dicitur, quando homo agit ut homo, hoc eſt, cum propria deliberatione, & conſilio, atque ideo cum elicit actus deliberatos; nam adjutorium unius ſupponit, vel comitatur operationem alterius. Cum ergo homo in primo actu non agat deliberatè, ſed ſolus Deus dicatur tunc operari; ſequitur, quod gratia ſpecialiter adjuvans non reſpiciat per ſe actus indeliberatos, ſed ſolum deliberatos, in quibus homo moraliter operatur, & moraliter adjuvatur. Eumdem autem effectum habet gratia cooperans, ut §. 2. ſtatuimus. Ergo gratia adjuvans, & gratia cooperans ſpecialiter dictæ ſunt idem realiter auxilium. Quæ intelligenda ſunt tum de gratia operante & excitante, tum de gratia cooperante, & adjuvante reſpectu ejuſdem potentiæ: ſi enim ad diverſas ſpectent, realiter diſtinguntur, ſicut

Digitized by Google

ipſe operationes, quibus deſerviunt: atque ideo gratia operans, & excitans ad primum actum intellectus differt realiter à gratia operante, & excitante ad primum voluntatis affectum.

Diſpelluntur aliquæ objectiones. 163. Adverſus noſtram aſſertionem poſſet opponi gratiam excitantem, & vocantem eſſe formaliter excitationem, & vocationem, quæ non ſunt qualitates fluidæ, & emortuæ, ſed operationes vitales. Sed hoc argumentum diluimus *dub.* 2. §. 4. ubi de hac re egimus ex profeſſo. Poſſet etiam opponi gratiam adjuvantem non prævenire, ſed comitari affectum deliberatum, ut ipſum nomen adjutorij ſignificare videtur: atque ideo non conſiſtere in qualitate fluida prævia, ſed in concurſu Dei ſimultaneo. Cæterum hæc difficultas, ſi quæ eſt, militat etiam in gratia cooperante, de qua egimus §. *præcedenti*, & ex dictis in hac diſputatione fere per totam facile excluditur: nam cum infirmitas potentiæ naturalis ad eliciendum ſupernaturales operationes proveniat tam ex defectu virtutis præcontentivæ, quam ex indifferentia potentiali agentis creati: nequit gratia *adjuvans* adæquatè conſiſtere in ſolo concurſu Dei ſimultaneo, ſed etiam, ac principalius complectitur qualitatem fluidam elevantem potentiam, & reducentem potentiam ad actum.

§. IV.

Declaratur diviſio gratiæ actualis in prævenientem & ſubſequentem.

Gratia præveniens, & ſubſequens. 164. Tertio dividitur gratia actualis in prævenientem, & ſubſequentem. Quæ diviſio ſicut & præcedentes deſumitur ex ſacris literis: nam de *præveniente* dicitur Pſalm. 58. *Miſericordia ejus præveniet me*, & Pſalm. 20. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* De *ſubſequente* vero dicitur Pſalm. 22. *Et miſericordia tua ſubſequetur me.* Ex quibus locis deſumpſit hanc diviſionem Div. Auguſt. *in lib. de natura, & gratia cap.* 32. ubi ait: *Prævenit, ut ſanemur; ſubſequitur, ut ſanati vegetemur: prævenit, ut vocemur; ſubſequitur, ut glorificemur.* Unde illam communiter docent alij Patres, & Theologi cum Magiſtro *in* 2. *diſt.* 26. & D.Thom. *in præſenti artic.* 3. Et quod pluris eſt, eam firmat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. his verbis: *Ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit. Quæ virtus bona eorum opera antecedit ſemper, & comitatur, & ſubſequitur; & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt.* Quæ verba licet explicite procedant de gratia habituali, in actuali etiam ſuum locum habent, ut communiter obſervant interpretes D. Thom. ad locum ſupra citatum, ubi Sanctus Doctor de ſola gratia habituali videtur loqui, ſed reipſa actualem etiam comprehendit. His ſuppoſitis, quæ omnes admittunt, explicandum ſupereſt, in quo utraque gratia conſiſtat, & qualiter hæc partitio intelligenda ſit.

Pſalm. 58. Pſalm. 20. Pſalm. 22. D. Auguſt. Conc. Trid.

Ordo inter actus ad juſtificationem concurrentes. 165. Pro quo animadvertendum eſt plures actus in negotio ſalutis intervenire. Primo enim reperiuntur aliqui motus indeliberati, quibus incipimus attendere ad æterna, & afficimur ad ſalutem: deinde ſubſequuntur alij motus deliberati, imperfecti tamen, ut timor gehennæ: poſtea adſunt alij motus deliberati perfectiores, qui juſtificationem comitantur, ut contritio: tandem ſequuntur omnes actus, qui juſtitiæ ſtatum ſupponunt. Ex iis autem primus actus omnes præcedit, & ad nullum ſequitur; ſecundus vero ſequitur primum, & antecedit tertium; tertius autem ſequitur ad ſecundum, & præcedit quartum, & ſic de aliis. Cum ergo pro ſingulis actibus ſupernaturalibus requiratur aliquod auxilium gratiæ actualis intrinſecè, ut ſæpeſæpius in hac diſputat. explicuimus; ſequitur, quod eumdem ordinem, & denominationes obſervent gratiæ actuales prædictis actibus deſervientes. Et in hoc ſenſu facile intelligitur, quid ſit gratia *præveniens*, quid *ſubſequens*, & quomodo eadem gratia valeat præveniens, & ſubſequens per reſpectum ad diverſa connotata appellari. Gratia enim, quæ ſecundæ operationi deſervit, eſt ſubſequens reſpectu primæ gratiæ, & operationis & præveniens reſpectu ſecundæ operationis, & tertiæ, & ſic de aliis. Nam ſicut unus effectus, inquit D.Thom. *in hoc art.* eſt poſterior uno effectu, & prior alio; ita gratia poteſt dici præveniens, & ſubſequens ſecundum eumdem effectum reſpectu diverſorum. Et ſic accepta diviſio difficultate caret. Sed videndum ulterius eſt, quæ gratia dicatur ſpeciali titulo *præveniens*, & quæ *ſubſequens*.

Explicatur, quid ſit gratia præveniens, & ſubſequens. 166. Dicendum eſt quarto gratiam ſpecialiter prævenientem eſſe idem realiter cum gratia operante; omnem autem gratiam cooperantem eſſe realiter gratiam ſubſequentem. Hæc concluſio deſumitur ex Divo Thoma *in* 2. *diſtinctione* 2. *quæſtione* 5. *ad* 3. ubi inquit: *Quod quamvis quantum ad illum modum acceptionis gratiæ prævenientis, & ſubſequentis* (nempè pro gratia viæ & gratiæ patriæ) *operans & cooperans prævenienti, & ſubſequenti non reſpondeant: tamen ſecundum alias acceptiones penitus idem ſunt: & hoc modo magiſter in littera ſumit: & ad Annibal. diſtinct.* 26. *articulo* 4. *ad* 4. ubi ait: *Dicendum, quod diſtinctiones gratiæ operantis, & cooperantis omnes ſunt prævenientis, & ſubſequentis.* Quid autem ſit gratia operans, & cooperans jam explicuimus §. 1. & 2. Quo ſuppoſito probatur concluſio ratione: quoniam gratia ſimpliciter, & realiter *præveniens* eſt illa, quæ omnem operationem noſtram conducentem ad vitam æternam præcedit: ſicut è contra gratia *ſubſequens* eſt illa, quæ aliam gratiam anteriorem, vel operationem noſtram ſupponit: ſed operans præcedit omnem operationem conducentem ad vitam æternam; gratia vero cooperans ſupponit gratiam operantem, & motus indeliberatos, qui ad vitam æternam in ſuo genere conducunt: ergo gratia ſpecialiter præveniens eſt idem realiter cum gratia operante, & gratia ſubſequens cum cooperante. Major ex ipſis terminis, & notabili proximè facto ſatis conſtat. Minor etiam liquet: nam cum gratia operans ſit motio ad primum actum indeliberatum, præcedit omnem operationem conducentem ad vitam æternam: & cum gratia cooperans ſit motio ad actus deliberatos, ſupponit tam motum indeliberatum, quam gratiam pro ejus elicientia requiſitum.

D.Thom.

Refelluntur aliorum opiniones. 167. Ex dictis excluditur *primo* interpretatio Vazquez *diſputatione* 185. *capite* 6. & 10. ubi aſſerit diviſum hujus diviſionis eſſe ſanctam cogitationem, quæ ut prævenit liberum conſenſum, dicitur præveniens, & ut cooperatur libero arbitrio, appellatur ſubſequens.

Nam

Digitized by Google

Nam cum cogitatio dirigens prædictum affectum debeat eſſe ſupernaturalis, vel ſaltem modum aliquem ſupernaturalem habere; nequit elici, niſi à potentia elevata per aliquam motionem ſupernaturalem: in qua proinde potius, quam in ipſa cogitatione ratio gratiæ prævenientis conſtituenda eſt, ut ſatis conſtat ex dictis *dubio quarto*. Excluditur *ſecundo* opinio omnium conſtituentium gratiam prævenientem in aliquo actu vitali, vel in Deo intime unito potentiis: nam contra hos omnes urget argumentum adverſus Vazquez factum: videantur, quæ diximus *dubio ſecundo & tertio*. Excluditur *tertio* ſententia Molinæ aſſerentis in actibus bonis naturalibus reperiri aliquam rationem vel meriti, vel diſpoſitionis, vel conducentiæ ſaltem ex lege Dei in ordine ad primum effectum, aut actum ſupernaturalem. Nam contradicit Apoſtolo ad Roman. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et 1. ad Corinthios 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* Et Concilio Tridentino ſeſſione 6. capite 5. ubi ait: *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Ieſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe.* Unde vel conatus naturalis, quem adſtruit Molina, erit præveniens gratia, quod eſt prorſus abſurdum: vel aliquid præter prævenientem gratiam erit ſalutis exordium; ſiquidem ad ſalutem vel diſponit, vel conducit: quod eſt contra Apoſtolum, & Concilium, ut late oſtendimus *diſputatione tertia, dubio ſeptimo*. Excluditur *denique* error Caſſiani docentis non omnes, ſed quoſdam tantum Dei gratia præveniri; alios vero prævenire potius ipſam gratiam, aſſumens in ſui patrocinium illud Pſalm. 87. *Mane oratio mea præveniet te.* Sed Collatorem late impugnat Div. Proſper *in libro contra Collatorem cap. 38.* Ejus etiam aſſertionem damnat Cæleſtinus I. *in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ cap. 12.* his verbis: *Non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid* (utique quoquo modo conducens ad vitam æternam) *& velle incipiamus, & facere.* Illius denique motivo perbelle occurrit Divus Bernardus *in libro de diligendo Deum*, his verbis: *Poteſt quidem inveniri, non tamen præveniri: nam etſi dicimus, Mane oratio mea præveniet te; non dubium tamen, quod tepida ſit omnis oratio, quam non prævenerit inſpiratio, ſeu gratia actualis, quæ ſanctam cogitationem, & affectum inducit.* Videantur, quæ *diſputatione tertia, dubio quinto, ſexto & ſeptimo*, diximus contra Molinam, Caſſianum, & Semipelagianos: ubi etiam objectiones, quæ hic poſſent occurrere, præoccupavimus.

Ad Rom. 11.
1. ad Cor. 4.
Conc. Trid.
Cæleſtin. I.
D. Bernard.

§. V.

Exponitur, quid ſit gratia actualis generalis, & ſpecialis.

Diviſio gratiæ in generalem, & ſpecialem.

168. DEinde dividunt Theologi gratiam actualem in generalem, & ſpecialem. Cujus diviſionis ratio non in eo præciſè ſita eſt (ut quidam minus rectè exponunt) quod gratia generalis dicatur omne auxilium ad ordinem naturalem; gratia vero ſpecialis ſit omne auxilium ad ſupernaturalem ordinem pertinens. Nam in utroque ordine auxilia generalia, & ſpecialia inveniuntur, & neceſſario diſtinguenda ſunt: auxilium quippè collatum homini ad eliciendas operationes naturales ſibi debitas auxilium generale, & naturale eſt; auxilium autem eidem communicatum ad eliciendum operationes entitative naturales, poſitivè vero gratuitas (cujuſmodi ſunt omnes, quæ naturam puram excedunt, uti intelligere collectivè omnes veritates naturales abſque errore, & obſervare collectivè omnia naturalia præcepta) auxilium quidem naturale eſt; ſed profectò nequit non rationem auxilij ſpecialis intra ordinem naturalem habere. Idemque intra ordinem ſupernaturalem contingit, ut ex dicendis conſtabit. Aliunde ergo diſtinctio inter auxilium generale, & ſpeciale venanda eſt. Et relicto auxilio naturali:

169. Dicendum eſt quinto gratiam actualem, ſive auxiliantem ordinis ſupernaturalis dividi in generalem, & ſpecialem: gratiam autem generalem eſſe, quæ communicatur ad operandum ſecundum communem modum agendi prædicti ordinis; ſpecialem vero eſſe, quæ confertur ad operandum præter, vel ſupra prædictum modum. Sic docent communiter Thomiſtæ Caietanus *in præſenti articulo 9.* Medina *articulo 10.* Zumel *diſputatione 1. concluſione 1. & alij.* Prima aſſertionis pars, in qua poterat eſſe difficultas, probatur: quoniam auxilium collatum ad effectum miraculoſum nequit non eſſe ſpeciale: miraculum quippe non eſt, quod fit per auxilia generalia, & communia alicujus ordinis: atqui converſio Divi Pauli, verbi gratia, fuit miraculoſa, ut docet Divus Thomas infra *quæſtione 113. articulo 1.* ergo auxilium pro illa collatum fuit ſpeciale: auxilia autem communicata ad communes, & ordinarias converſiones ſunt ob oppoſitam rationem generalia: ergo in ordine ſupernaturali gratia actualis, ſive auxilians rectè dividitur in generalem, & ſpecialem.

Explicatur hæc diviſio.
Caietanus, Medina, Zumel.
Ratio pro priori parte.
D. Thom.

Confirmatur primo: quia auxilia communicata juſto ad vincendas communes tentationes, ſunt generalia in ordine ſupernaturali, ſicut ipſe effectus vincendi: ſed aliquando datur etiam auxilium ad ſuperandum extraordinariam, & graviſſimam tentationem, cui juſti ſolis communibus auxiliis præventi certo ſuccumberent: ergo auxilium ſupernaturale rectè dividitur in generale, & ſpeciale. Quæ confirmatio deſumitur ex illo Pſalm. 70. *Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adjutor fortis:* ſignificatur enim fortiſſimum, & ſpeciale auxilium collatum fuiſſe Davidi, ut à prodigioſis tentationibus eriperetur, quibus cum generali auxilio non reſiſteret, ut colligitur ex D. Ambroſio ad illud Pſalm. 45. Adjutor in tribulationibus.

Confirmat. 1.
Pſalm. 70.

Confirmatur ſecundo: nam auxilium ad ſemel, vel cum interruptione conſiderandum, & amandum eſt omnibus juſtis generale: ſed Beatæ Virgini collatum fuit auxilium, ut continuo eſſet in actuali contemplatione, & amore Dei, ut tradit Divus Albertus *in libro de Beata Virgine capite 176.* cum ſequentibus; quod auxilium excedit modum operandi ordinis gratiæ: ergo intra hunc ordinem admittenda ſunt auxilia generalia, & ſpecialia. Idemque de privilegio vitandi omnia peccata venialia collectivè per totam vitam dicendum eſt.

Secundo.
D. Albertus.

Ratio poſterioris partis.

170. Ex quibus probata etiam manet ſecunda pars aſſertionis: nam diſtinctio reperta inter auxilia communia omnibus juſtis, & inter auxilia ſpecialiter communicata Divo Paulo ad miraculoſam converſionem, Davidi ad prodigioſam tentationum victoriam, & B. Virgini ad continuum, & actualem amorem Dei, ſita eſt in eo, quod auxilia communia ſervant communem modum agendi ordinis gratiæ; alia vero auxilia prædictum ordinem prætergrediuntur, & ſuperant: in hoc igitur differentia inter auxilium generale ſupernaturalis ordinis conſtituenda eſt. Et declaratur exemplo: nam fluxus, & refluxus Oceani, licet ejus principia lateant, eſt providentia communis, quia obſervat communem, & naturalem modum cauſarum naturalium: motus vero maris rubri ad tranſitum filiorum Iſraël fuit providentia ſpecialis, quæ prædictum modum tranſgreſſus eſt: ergo pariter in ordine ſupernaturali concurſus Dei juxta communes leges prædicti ordinis eſt auxilium generale; concurſus vero præter, vel ſupra hujuſmodi leges eſt auxilium ſpeciale.

Nota pro ſequentibus ut diviſionem intelligamus.

171. Sed obſerva *primo*, quod licet abſolute hæc ita ſint, poteſt nihilominus quodlibet auxilium ſupernaturale, dici ſpeciale comparativè ad auxilia naturalia: non quia in utroque ordine prædicta auxilia non diſtinguantur: ſed quia auxilium ſupernaturale excedit cuncta auxilia ſive generalia, ſive ſpecialia, quæ intra naturalem ordinem continentur, & proveniunt ex altiori providentia. Obſerva *ſecundo*, quod quamvis omnia auxilia ſupernaturalia, quæ modum agendi prædicti ordinis non excedunt, ſint generalia; valent nihilominus aliqua ex his non incongrua ratione dici ſpecialia: quia videlicet non omnibus, ſed ſpecialibus ſubjectis conferuntur. Hujuſmodi eſt auxilium ad finaliter perſeverandum: quod non ex voluntate antecedenti reprobis, & electis communi derivatur, ſed ex voluntate conſequente circa ſolos prædeſtinatos procedit. Et hac ratione auxilium ad perſeverandum *ſpecialiter* communiter appellatur. Unde aliquæ objectiones quæ contra noſtram aſſertionem fieri poſſent manent excluſæ.

Incidentia quæſtio notabilis dirimitur.

172. Si autem inquiras, an auxilium ſpeciale ſit perfectius, quam commune? Affirmativè reſpondet perdoctus quidam diſcipulus Divi Thomæ. Cæterum ejus reſolutio nequit eſſe univerſaliter vera: nam auxilium generale datum ad eliciendum actum charitatis perfectius eſt auxilio ſpeciali collato ad eliciendum, verbi gratia, actum timoris, vel ad vincendum tentationem, eo proportionali modo, quo actus charitatis excedit actum timoris: cum enim auxilium ſit quædam vis operativa, ſpeciem, & perfectionem capit per habitudinem ad actum, & objectum: quocirca ſic proportionabiliter ſe excedunt, ac operationes ipſæ. Unde melius reſpondetur, quod ſi loquamur in communi de auxilio generali, & ſpeciali, determinari nequit, quodnam ex illis perfectius ſit ob ea, quæ nuper diximus. Si autem loquamur de auxilio generali, & ſpeciali per reſpectum ad eamdem operationem; tunc auxilium ſpeciale perfectius eſt, quam commune: nam ex una parte continet vim operativam illius, & aliunde importat vel majorem actualitatem, vel latentem energiam ad vincendum difficultates. Et inde provenit, quod multoties non ſufficiat auxilium generale, ſed ſpeciale deſideretur: ubi autem ſpeciale adeſt, ſuperfluit commune. Et in hoc ſenſu admittimus ſententiam dicti Junioris.

§. VI.

Proponitur diviſio gratiæ actualis in ſufficientem, & efficacem.

Diviſio auxilii in efficax, & ſufficiens ex D. Auguſt.

173. Ultima, & omnium celeberrima gratiæ actualis diviſio eſt in gratiam ſufficientem, & efficacem. Sufficiens eſt, quæ præſtat poſſe agere; efficax eſt, quæ affert infallibiliter ipſum agere. Illa eſt ſine qua non poſſumus agere, hæc eſt, cum qua infallibiliter agimus. Deſumpſerunt Theologi hanc diviſionem ex Magno Auguſtino *in libro de correptione & gratia, capite* 11. ubi docet Adamo in ſtatu innocentiæ collatum fuiſſe auxilium ſufficiens, quo poſſet perſeverare in bono, non vero auxilium efficax, quo infallibiliter perſeveraret: prædeſtinatis vero utrumque adjutorium conferri, quo videlicet poſſint perſeverare, & actu infallibiliter perſeverent. Verba Sancti Doctoris ſunt hæc: *Tale quippè erat adjutorium, quod deſereret, nempè Adamus, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet: non quo fieret, ut vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, quâ fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, quâ etiam fit, ut velit; & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, quâ demonſtrata eſt potentia liberi arbitrij: quoniam ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret; ſed hoc adjutorium, ſi vellet, deſereret. Hæc autem tanto major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem; parum ſit denique non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, ſi velit, niſi efficiatur, ut velit. Et poſt pauca: Si hoc adjutorium* (nempè ſufficiens, & ſine quo non) *vel Angelo, vel homini, quando primò facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta eſt, ut ſine divino adjutorio poſſet permanere, ſi vellet: non utique ſua culpa cecidiſſent. Adjutorium quippè defuiſſet, quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum: & tanto amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolum adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus; verum etiam tantum, ac tale ſit, ut velimus. Eſt quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe, quod volumus; verum etiam velle, quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.*

D. Auguſt.

Eandem diviſionem gratiæ actualis tradit idem S. Doctor *in alijs locis*: nam *lib.* 1. *ad Simplicianum quæſt.* 2. diſtinguit duplicem vocationem, aliam *congruam*, qua inquit, vocatus eſt Jacob, & hæc eſt efficax; alteram *non congruam*, qua vocatus eſt Eſau, & hæc præcisè *ſufficiens*. Et libro de prædeſtinatione Sanctorum, capite 16. dividit ſimiliter vocationem: nam alia, inquit, eſt *ſecundum propoſitum*, qua vocati venerunt

ad

Digitized by Google

ad nuptias; altera eſt *non ſecundum propoſitum*, qua vocati renuerunt venire. Primam vocat *altam*, & *ſecretam*, ſecundam non ita appellat. Et deinde in eodem libro capite 6. vocationem illam ſecundum propoſitum Dei, nempe *efficacem* dicit eſſe vocationem, *qua voluntas preparatur à Domino*: vocationem vero non ſecundum propoſitum, videlicet *ſufficientem*, dicit eſſe vocationem, *qua voluntas noſtra non preparatur*.

Quam ingrata Pelagianis.

174. Mirum eſt, quantum hæc Auguſtini diſtinctio, licet veriſſima, & Catholica ſit, quorumdam ſtomachum moverit; & quot, ac quam variis temporibus reclamaverint contra illam. Vix enim Pelagianorum reliquiæ, viri alias Catholici, eam audierunt, cum adverſus ipſam obmurmurarunt, ut ſcribit Hilarius in epiſtola ad Div. Auguſtinum his verbis: *Deinde moleſtè ferunt ita dividi gratiam, qua vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret, ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc vero ſanctis in regnum prædeſtinatis non tale adiutorium perſeverantia detur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. His verbis ſanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi.*

Hilarius.

Non abſimiles querimonias repræſentat Molina *in Concordia Vlyſſipone impreſſa anno* 1588. quæſt. 23. diſput. 1. membro ultimo fol. 487. ubi relata Auguſtini ſententia addit: *Qua doctrina plurimos ex fidelibus, præſertim ex iis, qui in Gallia morabantur, non ſolum indoctos, ſed etiam doctiſſimos viros, atque in Epiſcopali dignitate conſtitutos mirum in modum turbavit, ne dicam illius occaſione ſalutem eorum fuiſſe perditam.* Et fol. 489. cum ipſe contrariam Auguſtini ſententiæ viam (ſcientiæ nimirum mediæ principiis innitentem) ſternat, adjecit: *Nos pro noſtra tenuitate rationem totam rationem conciliandi libertatem arbitrij cum divina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione, quam toto articulo 23. quæſtione 14. & articulo 6. quæſtione 19. & quæſtione 22. & tota hac quæſtione tradidimus; ſequentibus principiis, ex quibus eam deduximus, quæque variis locis tradidimus, innuere indicamus. Quæ ſi data, explanataque ſemper fuiſſent, forte neque Pelagiana hereſis fuiſſet exorta.* (O virum eo tempore neceſſarium! *Neque Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, obtendentes cum divina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione coherere non poſſe* (O remedium validiſſimum, & tantæ cæcitati opportunum!) *Neque ex Auguſtini opinione concertationibuſque cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati* (O qualem hominem, & ſupra Auguſtinum doctum ſummæ turbationi fatum invidit!) *ad Pelagianoſque defeciſſent, faciléque reliquiæ illa Pelagianorum in Gallia, quarum in epiſtolis Proſperi, & Hilarij fit mentio, fuiſſent extincta.* Quaſi Deus uni Molinæ tandem revelaverit, quidquid Auguſtino, & ſanctis Patribus, ac ſapientiſſimis Theologis per innumera ſæcula ad illud uſque tempus minimè aperuit. Sed de hoc iterum infra *diſputatione* 7. per totam, & præcipuè *dubio* 1.

Molina.

175. Argumenta, quæ prædictam diviſionem gratiæ auxiliantis in ſufficientem, & efficacem, atque propriam Auguſtini ſententiam impugnant, innumera ſunt, & ſatis difficilia. Unde pro eorum enodatione, & pro dignitate materiæ duas diſputationes ſequentes inſtruemus, in quarum priori agemus de auxilio ſufficienti, & in poſteriori tractabimus de efficaci. Nunc autem ſolum oportet oſtendere Divum Auguſtinum non pro ſuo arbitrio diſtinctionem illam excogitaſſe; ſed illam ex evidentibus ſacræ paginæ auctoritatibus eruiſſe. Nam Apoſtol. 2. *ad Corinth.* 3. inquit: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*, & iterum, *Sufficientia noſtra ex Deo*, & cap. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Quæ teſtimonia evidentia ſunt pro gratia *ſufficienti*, ſeu dante poſſe, & virtutem. Et Iſaïæ 5. dicitur: *Habitatores Hieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam. Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* &c. Quæ reprehenſio juſta non foret, niſi Judæi habuiſſent gratiam ſufficientem ad converſionem. Gratiam etiam efficacem manifeſtè evincunt alia teſtimonia, ut Joan. 6. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et cap. 10. *Non rapiet quiſquam de manu mea, & non peribunt in æternum.* Et Ezechielis 36. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Quo teſtimonio frequentiſſime Auguſtinus urget Pelagianos, ut gratiam efficacem agnoſcant.

Prædicta diviſio fundatur in Scriptura.

2. ad Corinth. 3.

Iſaïæ 5.

Ioan. 6.

Ezechiel. 36.

Quod etiam ſuadetur breviter ratione latius expendenda in ſequentibus diſputationibus: quoniam multi ſunt, qui non habent gratiam efficacem ad converſionem; alias omnes converterentur: & tamen iidem habent gratiam ſufficientem, ut reſipiſcant; ſiquidem ſe non convertendo peccant, & nullus omittendo peccat, niſi habeat vires ſufficientes ad faciendum, quod omittit: ergo datur gratia ſufficiens. Deinde ſi non daretur auxilium efficax, tolleretur de medio certitudo divinæ prædeſtinationis: hæc quippe innititur efficaciæ divinæ voluntatis, & auxiliorum gratiæ: ergo datur gratia efficax. Gratia igitur actualis, ſive auxilians rectè dividitur in ſufficientem, & efficacem.

Ratio pro illa diviſione.

Confirmatur, & declaratur: nam eodem proportionali modo loquendum eſt de ſatisfactione paſſionis Chriſti Domini, ac de auxiliis gratiæ, ſiquidem hæc ſunt effectus illius: ſed paſſio Chriſti prodeſt omnibus hominibus quantum ad ſufficientiam; & aliquibus, nempe electis quoad efficaciam: ergo ſimiliter dantur auxilia ſufficientia, & efficacia, quæ prædictæ paſſioni, & modo, quo nobis prodeſt correſpondeant. Minor aſſeritur à Divo Thoma *pluribus in locis*, & præcipuè *in tertia diſtinctione* 13. *quæſtione* 2. *articulo* 2. *quæſtiuncula* 2. *ad* 5. ubi inquit, *Chriſtus ſatisfecit pro tota humana natura ſufficienter; non tamen efficienter: quia non omnes illius ſatisf[illegible] mis participes ſiunt: quod ex eorum impo[illegible]tate eſt, non ex inſufficientia ſatisfactionis.* Et *tertia parte, quæſtione* 75. *articulo* 7. *ad* 7. ait: *Paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus quantum ad ſufficientiam, & ad remiſſionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ: ſed effectum non habet, niſi*

D. Thomas

in iis, qui paſſioni Chriſti coniunguntur per fidem, & charitatem.

Quorundam ſcrupulus diſpellitur.

176. Scrupulus autem, qui Paulum Bennium, & Antonium Delphinum, alioſque movet, ne hanc diviſionem, ſaltem quoad voces, admittant; nempe nomina *gratiæ ſufficientis, & efficacis* non reperiri in veteribus Conciliis, immo nec in Tridentino, quod accuratius egit de gratia, & libero arbitrio, ut Lutheranorum errori occurreret.

Hic, inquam ſcrupulus facile diſpellitur. Nam licet in Conciliis non inveniantur illæ eædem voces, inveniuntur nihilominus prorſus æquivalentes, & eandem rem omnino ſignificantes.

Conc. Arauſ. In Concilio enim Arauſicano 2. *cap.* 19. dicitur: *Cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit homo cuſtodire, quam accepit; quando ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* Gratia autem, quæ dat poſſe cuſtodire, & poſſe perſeverare eſt ipſiſſima gratia ſufficiens. Et in eodem Concilio dicitur: *Divinum eſt muneris, cum rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia tenemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis, ut operemur, operatur.* Hæc vero gratia, qua Deus facit, ut operemur, eſt gratia efficax, ut ex ſe liquet. Et ſimiliter in Tridentino *ſeſſione* 6. *capite* 11. dicitur: *Deus impoſſibilia non præcipit, ſed præcipiendo monet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Ubi clarè conſtat ſermonem eſſe de gratia ſufficienti ad præceptorum adimpletionem. Efficacem autem gratiam ſatis apertè ſupponit idem Concilium *canone* 4. dum definit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum aliquid cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti. Motio enim, qua Deus cooperatur aſſenſum, efficax eſt, ſiquidem effectum ſortitur. Conveniens autem fuit, ut Theologi pro ſuis diſputationibus aſſignarent terminos non ita complexos *gratiæ ſufficientis, & gratiæ efficacis* ad explicandum id ipſum, quod Concilia pluribus vocibus ſignificant. Et hæc de gratia ſupernaturali actuali in communi, ejuſque diviſionibus dicta ſufficiant.

DISPU

Digitized by Google

DISPUTATIO SEXTA.
DE GRATIA ACTUALI SUFFICIENTI.

POST notitiam auxiliorum gratiæ in communi, rectus ordo poſtulat, ut de præcipuis ejus ſpeciebus, gratia videlicet ſufficienti, & efficaci ſermonem inſtruamus. Et quamvis poſſemus eas ſub eadem diſputatione comprehendere, illaſque adinvicem in ſingulis dubiis comparare, quo mutuo ſeſe exponerent: majorem tamen, ut credimus, charitatem conciliabimus, ſi ſeorſim unamquamque conſideremus. Et ideo in hac diſputatione agemus de gratia ſufficienti, & in ſequenti de efficaci. Omnia autem, quæ de quidditate gratiæ ſufficientis poterant in præſenti diſquiri, jam in præcedenti diſputatione diſcuſſa ſunt: nam in ea late oſtendimus gratiam actualem ad actus ſupernaturales deſideratam non conſiſtere in actibus indeliberatis, nec in Deo intime unito potentiis, nec in concurſu ſimultaneo, nec in ſolis habitibus, ſed in qualitate fluida elevante potentias, eaſque conſtituente in actu primo proximo ad producendum actus ſupernaturales tam ſecundum tendentiam ſpecificam in objectum, quam ſecundum ultimam actualitatem conſideratos. Unde quæ hic dicenda ſuperſunt, tantum reſpiciunt exiſtentiam prædictæ gratiæ, & modum quo præparatur, & diſtribuitur: quamvis ex his non parum ejus quidditas hactenus explicata innoteſcet.

DUBIUM PRIMUM.

An de facto detur gratia actualis, vere ſufficiens ſeparata ab efficaci.

UT omnes termini dubij rectè intelligantur, & aperiamus, in quo conſiſtat hujus difficultatis punctum, opus eſt nonnulla breviter prælibare.

§. I.

Præmittuntur aliquæ obſervationes.

Duplex effectus gratiæ ſufficientis.

1. AUxilium ſufficiens ſupernaturale, ut vidimus *diſp. præced. num.* 175. eſt, quod dat poſſe ad aliquem ſupernaturalem effectum, & ſine quo non poteſt prædictus effectus haberi. Hujuſmodi autem effectus vel poteſt eſſe tota ſalus hominis, ut complectitur juſtificationem, perſeverantiam, & gloriæ conſecutionem: vel poteſt eſſe aliquis peculiaris actus ſupernaturalis, ut puta aſſenſus fidei Theologicæ. Et quia effectus priori modo conſideratus quamplura auxilia complectitur, quæ non poſſent non hic aliquam confuſionem inducere; ideirco conſiderationem noſtram ad auxilium ſufficiens pro hoc, aut illo actu reſtringemus: quamvis dubij reſolutio omnibus auxiliis ſufficientibus proportionabiliter applicanda ſit. Porro gratia dupliciter poteſt dici vere ſufficiens ad aliquem actum: uno modo proxime, & immediate, quia videlicet præſtat vires adæquatas ad illum, & ipſi immediate commenſuratur: altero modo remote, & mediate, quia nimirum communicando vires adæquatas ad unum actum, habilitat, & diſponit ad alium, quamvis ex ſe non præſtet vires omnino ſufficientes ad illum. Et hoc pacto auxilium immediate ſufficiens ad actum inferiorem verbi gratia ad attritionem, eſt mediate, & remote ſufficiens ad actum inferiorem verbi gracia ad attritionem, eſt mediate, & remote ſufficiens ad actum perfectiorem, utpute ad contritionem: quia ſi quis prædicto auxilio utens actum attritionis eliciat, eo ipſo diſponitur ad conſequendum, ſaltem impetrative, auxilium proximè ſufficiens, quod pro contritione deſideratur. In quo ſenſu ſolent dicere Thomiſtæ, quod auxilium ſufficiens ad unum actum eſt efficax reſpectu alterius: quia videlicet auxilium efficax ad actum imperfectiorem præſtat ſufficientiam ſaltem mediatam ad perfectiorem. In præſenti ergo ſufficientiam veram, abſtrahendo tamen à modo, quo adeſt, conſideramus.

Gratia dupliciter poteſt dici ſufficiens.

Auxilium aliquod ſufficiens nunquam ſeparatur ab efficaci.

2. In quo ſupponimus dari aliquod auxilium ſufficiens, quod de facto nunquam ſeparetur ab efficaci. Hujuſmodi eſt auxilium ſufficiens ad primum actum ſupernaturale indeliberatum, quo Deus nos exſuſcitat, & evigilare facit: nam cum Deus per prædictum auxilium incipiat hominem movere ad actum deliberatum, opus eſt, quod ad tale auxilium aliqua attentio indeliberata ſuccedat: alias perinde ſe haberet, ac ſi homini impreſſum non fuiſſet: maneret quippe homo ita dormiens, & inattendens ſicut antea. Auxilium autem, ad quem ſequitur operatio, pro qua exhibetur, vel efficax eſt, vel adjunctum ſibi habet auxilium efficax. Quamobrem auxilium ſufficiens, ſive conſtituens potentiam in actu primo ad eliciendum actum indeliberatum nunquam de facto ſeparatur ab auxilio efficaci ad eundem actum: quanquam abſolute non repugnet, quod ſtante prædicta ſufficientia, Deus deneget ulteriorem

Digitized by Google

concurſum efficacem, & nulla ſequatur operatio. Similiter plures Thomiſtæ, quibus ſubſcribemur *in Tract. de Iuſtificat. diſp. 2. dub. 6. & tract. de Charitate*, non agnoſcunt aliud auxilium proxime ſufficiens ad eliciendum actum charitatis, vel contritionis, niſi gratiam ſanctificantem infuſam per modum auxilij: adultus vero, cui gratia ſanctificans infunditur, re ipſa convertitur: atque ideo in prædicto caſu, & reſpectu perfectæ converſionis gratia proxime ſufficiens ſemper coincidit cum efficaci. Dubium ergo eſt, an idem contingat in omni gratia ſufficienti.

Dubium præſens reſpicit communem providentiam.

3. Conſulto autem in dubij titulo inquirimus, *an de facto detur*, &c. quia præſens difficultas non reſpicit poſſibilitatem abſolutam, ſed ſolum præſentem providentiam. Tum quia illi, quos Adverſarios in ejus deciſione habebimus, admittunt poſſibilem eſſe gratiam internam pure ſufficientem: imo vero ſicut dicunt omnem gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe efficacem, & non pure ſufficientem; ita aſſerunt omnem gratiam in ſtatu naturæ integræ fuiſſe ſufficientem, & nullo modo efficacem. Tum etiam quia evidens eſt poſſe Deum conſtituere voluntatem in actu primo omnino ſufficienti ad eliciendum ſupernaturalem operationem, quo caſu voluntas haberet auxilium ſufficiens: & deinde poſſe Deum ſuſpendere ſuum concurſum, ne operatio ſequatur, quo caſu voluntas careret auxilio efficaci: ergo illud eſt ab hac abſolute ſeparabile. Et ſic proportionabiliter accidit in igne fornacis Babilonis: nam cum habuiſſet virtutem ſufficientem, & ſatis proximam ad comburendos pueros; eos tamen non combuſſit: quia Deus ſubſtraxit concurſum efficacem. Suppoſita igitur poſſibilitate auxilij ſufficientis diſtincti, & ſeparati ab efficaci; inveſtigamus, an de facto ſic quandoque confectatur.

Gratia habitualis vere ſufficiens in aliquando efficaci.

4. Conſulto etiam titulus dubij loquitur de *gratia actuali*: tum quia hanc per ſe reſpicit præſens diſputatio. Tum etiam quia gratiam habitualem, ſeu juſtificantem eſſe vere ſufficientem, licet aliquando ſeparetur ab efficaci, admittunt plures ex iis, cum quibus diſputamus, ut obſervat Gonet *diſp. 4. de voluntate Dei artic. 5. numero 153.* quamvis Ripalda oppoſitam aſſertionem Bajanis ut eis communem attribuat *tom. 3. diſp. 23. ſect. 1.* Tum denique quia gratiam ſanctificantem comitantur virtutes ſupernaturales: ſed quælibet virtus ſupernaturalis eſt in ſuo genere ſufficiens ad producendum actum ſibi correſpondentem, non minus quam habitus naturales ſunt virtutes proxime ſufficientes ad actus, qui ſibi correſpondent: ergo gratia ſanctificans præſtat veram ſufficientiam ad plures actus ſupernaturales; quamvis multoties non adſit auxilium efficax ad eoſdem eliciendos. Quod ut per ſe notum relinquimus, quamvis poſſet latiſſime confirmari teſtimoniis ſacræ Scripturæ, in qua nihil frequentius edocemur, quam Deum ut piiſſimum patrem providere omnibus juſtis auxilia, & vires, quæ ad conſequendam ſalutem deſiderantur. Cujuſmodi eſt illud Pſal. 33. *Timete Dominum omnes ſancti ejus: quoniam non eſt inopia, ſeu nihil deeſt timentibus eum*: quod ſaltem de auxiliis ſufficientibus neceſſario eſt intelligendum. Tota ergo difficultas reducitur ad gratiam actualem.

Gonet.

Pſalm 33.

Gratia efficax non ſeparatur à ſufficienti.

Denique meditato in titulo adjecimus, *ſeparata ab efficaci*: quia cum adeſt gratia efficax, adeſſe etiam ſufficientem omnes citra controverſiam admittunt. Sicut enim ex actu ad potentiam eſt legitima conſequentia: ita ex præſentia auxilij efficacis, quo agimus, recte evincitur præſentia auxilij ſufficientis, quo poſſumus agere. At oppoſitum non ita elucet: imo omnes fere Adverſarij ex ſeparatione, & negatione auxilij efficacis, contendunt probare, quod non detur de facto aliud auxilium vere ſufficiens. In quo (& eſt præſentis difficultatis punctum) an errent, videndum eſt. His ſuppoſitis.

§. II.

Concluſio affirmativa & catholica ſtatuitur.

5. Dicendum eſt dari de facto gratiam actualem interiorem vere ſufficientem ad actus ſupernaturales, quæ multoties ſeparatur ab efficaci. Hanc aſſertionem, ut omnino certam potius ſupponunt communiter Theologi, præſertim antiquiores, quam revocent ad examen. Ex modernis autem eam late propugnat Gonet, & Ripalda *locis ſupra citatis*, & Joannes Nicolai in ſpeciali de hac re controverſia, quam inſeruit Pantheologiæ Raynerij *tom. 2. verbo Gratia* fol. 288. Probant autem prædicti Auctores communem aſſertionem innumeris Scripturæ, Conciliorum, & Patrum auctoritatibus, & diverſis argumentis è ratione deſumptis. Nos autem in re Theologis communi pretius procedemus: unde unicam tantum rationem efformabimus, eamque variis, & ſelectioribus teſtimoniis, prout oportuerit muniemus: ſic enim ab eis ſigillatim expendendis deobligamur. Conſulat, qui plura deſiderat, Joannem Nicolai, & Ripaldam. Concluſio. Gonet. Ripalda. Joan. Nicolai.

Probatur unicò fundamento: quoniam gratia actualis ſupernaturalis vere ſufficiens eſt, qua homo poteſt ſupernaturaliter operari; gratia vero efficax eſt, qua actu, & infallibiliter operatur: atqui de facto multoties homo poteſt ſupernaturaliter operari, & actu non operatur: ergo de facto datur gratia actualis ſupernaturalis vere ſufficiens ſeparata ab efficaci. Conſequentia eſt legitima. Major liquet ex terminis. Minor autem, quam Adverſarij negant, oſtenditur: nam qui de facto peccat omittendo actum ſupernaturalem ſibi præceptum, poteſt ſupernaturalem operationem elicere: & tamen actu non elicit; ſiquidem omittendo peccat: ergo de facto multoties homo poteſt ſupernaturaliter operari, & actu non operatur. Minor, & conſequentia hujus ſecundi ſyllogiſmi conſtant. Major autem probatur: quoniam nemo peccat omittendo actum, quem elicere non poteſt: ubi enim ſtat impotentia ad actum, carentia actus non eſt libera; ſed omnino neceſſaria: & conſequenter nequit eſſe peccaminoſa: ergo à contrario ſenſu omnis, qui de facto peccat omittendo actum ſupernaturalem ſibi præceptum, poteſt abſolute eundem actum elicere. Quæ ratio deſumitur ex D. Auguſt. *ſerm. 191. de tempore*, ſive *ſerm. 3. in feſto Trinitatis*, ubi inquit: *Execramur eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.* Et ſimilem ſententiam repetit ex D. Hieronymo D. Thom. *in 2. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. & 1. 2. quæſt. 109. art. 4. ad 2. & quæſt. 24. de veritate articulo 14. ad 1. & quodlib. 7. artic. 17.* Ratio fundamentalis. D. Auguſt.

6. Confirmatur: quia gratia actualis interior, cui homo reſiſtit, non eſt efficax, ſed ſolum ſufficiens: atqui de facto in ſtatu naturæ lapſæ multoties homo reſiſtit gratiæ actuali interiori: Confirmatio.

ergo

Digitized by Google

Actor. 7. *D.Thom.*

ergo de facto datur gratia actualis interior ſeparata ab efficaci. Cætera conſtant, minor autem probatur: nam Actor. 7. dicitur *Vos*, nempe Judæi, *ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*: ubi ſermonem eſſe non ſolum de Spiritu ſancto exterius admonente per Prophetas, ſed etiam interius vocante per gratiam tradit D. Thom. quem ſummopere pro ſe ſtare contendunt Adverſarij: nam 1. *ad Theſſalonic. cap. 5. lect. 5.* inquit: *Aliquis dicitur extinguere ſpiritum in ſe, vel in alio, cum aliquis aliquid boni ex fervore Spiritus ſancti vult facere, vel etiam cum aliquis bonus motus in ipſo ſurgit, & ipſe impedit. Actor. 7. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, gratia autem, quæ exſuſcitat bonum motum, interior eſt.* Et quodlib. 2. art. 6. poſtquam prænotavit, quod tripliciter quis adjuvatur à Deo ad credendum, primo per interiorem vocationem, ſecundo per doctrinam, & prædicationem exteriorem, tertio per exteriora miracula, concludit: *Si Chriſtus viſibilia miracula non feciſſet, adhuc remanebant alij modi attrahendi ad finem, quibus homines acquieſcere tenentur. Tenebantur enim homines credere auctoritati legis, & prophetarum. Tenebantur etiam interiori vocationi non reſiſtere, ſicut Iſaias de ſe dicit cap. 50. Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorſum non abij. Sicut de quibuſdam dicitur Actorum 7. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Et profecto ſi Judæi caruiſſent omni adjutorio interiori, quamvis exterius admonerentur, carentia fidei in eis non appellaretur reſiſtentia, ſed mera negatio: quomodo enim de non credendo arguetur, qui credere abſolute non poteſt? Potentia autem ad credendum non eſt à natura, nec à ſola propoſitione externa credibilium; ſed à virtute interna per quam intellectus elevatur, & fulcitur, ut ſupponimus ex dictis *diſp. 3.*

Pſalm 94.

Similes increpationes reperiuntur paſſim in Scriptura, ut Proverb. 1. *Vocavi, & renuiſtis*, & Pſal. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis*, &c. Videatur D. Thomas *lect. 6. ſuper cap. 8. epiſtola ad Romanos*, ubi expreſſe aſſerit dari vocationem interiorem ex gratia ſupernaturali, cui homo aliquando reſiſtit.

Primo Adverſariorum reſponſio.

7. Hoc argumentum eſt adeo efficax, ut ſe ſolo proſternat plures ſolutiones, quibus illi occurrunt Adverſarij; ex quibus principaliores tantum referemus, & impugnabimus: ſi enim cunctas eorum evaſiones expenderemus, in immenſum, & in re non adeo neceſſaria eſſet protrahere opus. *Primo* ergo reſpondent ad argumentum negando minorem. Ad cujus probationem negant majorem: quia ut ſuum dogma defendant, non verentur concedere hominem peccare omittendo actum, quem elicere non poteſt. Ut enim omiſſio, inquiunt, ſit voluntaria, ac perinde peccaminoſa, ſufficit, quod à voluntate non coacta procedat, quamvis voluntas oppoſitum actum nequeat elicere. Nec aliud genus libertatis expoſcunt, niſi illam, quæ eximit voluntatem à coactione, & violentia; non vero quæ conferat poteſtatem ad oppoſita.

Rejicitur tanquam hæretica. *D. Thom.*

Sed hæc reſponſio, & doctrina eſt hæretica, ut tradit D. Thom. quæſt. 8. de malo art. unico his verbis: *Opinio, quæ quidam dicunt voluntatem hominis ex neceſſitate moveri ad eligendum, nec tamen cogi, eſt hæretica: tollit enim rationem meriti, ac demeriti, ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim ex neceſſitate movetur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, & præceptum, & laus, & vituperium.* Unde Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. & Innocentius X. damnant inter propoſitiones Michaelis Baij, propoſitionem 39. quæ erat hujuſmodi: *Quod voluntarie fit, etiam ſi neceſſario fiat, libere tamen fit.* Et 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.* Eandemque damnationem jam pridem incurrerant Vviclephus, Lutherus, & Calvinus in Conciliis Tridentino, & Conſtantienſi. Recolantur, quæ diximus *diſp. 1. cap. 3.* Innumera autem, eaque efficaciſſima ſuppetunt motiva Theologica ad refellendum hujuſmodi errorem, quæ D. Thom. in diverſis locis proponit: ex quibus unicum præciſe, quia verſamur in re notiſſima proponemus. Nam ut homini poſſit injungi aliquis actus ab eo exequendus; & ut talis actus præcepti omiſſio ſit peccaminoſa, neceſſarium eſt, quod actus cadat ſub hominis dominio; aliter irrationabiliter exigeretur actus ab homine: poſſet quippe juſtiſſime ſicut veriſſime reſpondere, quod nequit talem actum elicere. Atqui dominium actus non ſtat ſine vera libertate, ut tradit D. Thomas 3. *contra gentes cap. 112.* his verbis: *Quod dominium ſui actus habet, liber eſt in agendo: liber enim eſt, quod ſui cauſa eſt: quod autem quadam neceſſitate ab alio agitur ad operandum, ſervituti ſubiectum eſt.* Repugnat ergo, quod homini præcipiantur actus ſupernaturales, & quod eos omittendo peccet, niſi habeat poteſtatem ſufficientem ad eliciendum prædictos actus. Videantur, quæ infra dicemus *Tract. de Merito diſp. 1. dub. 1.* ubi ex profeſſo oſtendemus non conſiſtere meritum abſque libertate: eadem enim ratio militat in demerito, & peccato. Videantur etiam, quæ diximus *Tractat. 11. diſp. 1. dub. 1.* ubi ſtatuimus ad moralitatem actus neceſſariam eſſe libertatem, & poteſtatem ad utrumlibet, ibique occurrimus objectionibus, quibus poſſemus hic præpediri.

Pius V. Greg. XIII. Vrban. VIII. D. Thom.

Aliud effugium.

8. Reſpondent *ſecundo* non ſemper impotentiam excuſare à peccato, ſed ſolum quando eſt omnino antecedens, & cognoſcitur ab homine: ſi enim ignoretur, & pure concomitanter ſe habeat, minime excuſat: quia non influit in omiſſionem, neque eſt cauſa illius. Vnde qui deſtitutus omni auxilio ſufficienti omittit actum præceptum, peccat; & non excuſatur ex impotentia: quippe qui non omittit, quia non poſſit agere, ſed quia non vult agere. Cujus ſignum eſt, quod ipſe ignorat, utrum habeat, vel non habeat poteſtatem ad agendum; & tamen non vult agere: quod ſatis evincit illam impotentiam pure concomitanter ſe habere; & non influere in omiſſionem. Poteſtque id declarari exemplo: nam qui non habet breviarium, vere non poteſt recitare, & manet ſub impotentia ad actum ſibi præceptum: & nihilominus ſi dum ignorat ſe carere breviario, omittat officium divinum, peccat: quia illa impotentia pure concomitanter ſe habet, & non eſt cauſa omiſſionis; ſiquidem non ideo ille homo omittit recitare, quia non poteſt, ſed quia non vult: idem ergo dicendum eſt de impotentia, quam cauſat ſubſtractio auxiliorum ſufficientium ad actus ſupernaturales. Et conſequenter ex eo, quod homo peccet omittendo prædictos actus, minime infertur, quod habeat gratiam ſufficientem ad eos eliciendos.

Præcluditur.

9. Cæterum hæc reſponſio verbis tantum conſiſtit, poteſtque in ejus Auctores retorqueri:

quoniam

quoniam ipſi, ut inquiunt, non ſolum opinantur, ſed firmiſſime credunt omnem gratiam internam, quæ de facto datur, & ſine qua actus ſupernaturales fieri non valent, eſſe reipſa non ſolum ſufficientem, ſed etiam efficacem, inferreque infallibiliter ſuum effectum; ergo Adverſarij, quando non eliciunt actus ſibi injunctos, certo cognoſcunt ſe nullam habere gratiam internam, & eſſe ſimpliciter, & antecedenter impotentes ad adimplendum præcepta: ſed impotentia antecedens, & cognita excuſat à peccato: ergo non peccant omittendo actus, cum inſtat præceptum. Quo quid abſurdius? Deinde licet facile admittamus, quod per accidens poſſit homo peccare omittendo actum, quem defectu alicujus requiſiti, vel comprincipij elicere non poteſt; & quam impotentiam ſi cognoſceret, eo ipſo maneret pro tunc deobligatus ab adimpletione præcepti, ut accidit in caſu, qui nobis objicitur: nihilominus per ſe loquendo, & ſecluſa ignorantia non peccat homo omittendo actum, ſi actum abſolute elicere non poteſt. Et ratio à priori eſt: quoniam præceptum, & lex non reſpiciunt niſi actus, qui ſub hominis poteſtate, & dominio ſunt, atque adeo actus, pro quibus habet ſufficientes vires vel naturæ, vel gratiæ. Regula quippe applicari non poteſt, niſi materiæ regulationis capaci: homo autem, qui per nullas vires poteſt elicere actum, ſed manet omnino determinatus ad omittendum, incapax eſt regulationis per legem: ſive enim ab extrinſeco dirigatur, ſive non, uniformiter, & neceſſario ſe habebit in omittendo, eodèm fere modo ac lapis, vel equus, quibus Deus præciperet intelligere. Cum ergo peccata, quæ de facto committuntur per omiſſionem actuum ſupernaturalium, non fiant pure per accidens, & ſuppoſita ignorantia abſentiæ gratiæ ſufficientis; ſed etiam illa ignorantia ſecluſa, fiant quaſi per ſe in ordine morali: ſequitur, quod homo poſſit abſolute non omittere actus ſupernaturales; & conſequenter quod habeat vires ſufficientes ad eos eliciendos.

Impugnatur amplius. Confirmatur, & declaratur primo: nam qui ſubdito imperat aliquem, debet vel ſupponere in eo poteſtatem ad exequendum præceptum, vel eam ipſi communicare: alias injuſte præciperet, & ſubditus ab obediendo deobligaretur: ſed Deus de facto imperat homini actus ſupernaturales, quos elicere nequit per vires naturæ, nec per vires gratiæ extrinſecæ: ergo Deus ipſo præcepto neceſſitatem ſibi imponit communicandi homini vires intrinſecas gratiæ ſufficientis ad adimpletionem prædicti præcepti, & antecedenter ad illam: ergo ſive homo adimpleat præceptum de actibus ſupernaturalibus, ſive non, habet vires ſufficientes ad illud adimplendum. Et hoc per ſe loquendo contingit: quamvis per accidens, non ſtante gratia ſufficienti, peccet homo ob pravam voluntatem, qua ſuppoſita ignorantia abſentiæ prædictæ gratiæ, vult non adimplere præcepta. Hoc enim neutiquam noſtræ rationis robur diminuit, quæ non innititur ſuppoſitionibus accidentalibus; ſed naturali, & per ſe legum, & virium diſpoſitioni. Nam ubi lex adeſt, adſunt etiam per ſe vires ad eius adimpletionem: & ubi eæ deficiunt, non urget lex; neque contra illam peccatur, niſi ſuppoſita ignorantia. Imo ipſa ignorantia non accideret, niſi gratia intrinſeca communiter conferretur.

Motiv. effugii confutatio. Confirmatur ſecundo, & declaratur amplius, ſupponendo duo ſatis certa. Primum eſt legem divinam obligare non ſolum per accidens, & ſuppoſita ignorantia conſcientiæ erroneæ, ſed multo magis per ſe, & ſuppoſita vera notitia eorum, quæ ad adimpletionem eius concurrunt, & deſiderantur. Secundum eſt non ſemper requiri, quod pro tempore, quo inſtat præceptum, adſit potentia ad eius adimpletionem; ſed ſufficere, quod homo habuerit prædictam potentiam, & quod prævidens obligationem præcepti illam à ſe excluſerit, vel impedimentum ipſi oppoſuerit: tum enim omiſſio actus præcepti eſt voluntaria in cauſa: quod ſufficit, ut ſit peccaminoſa in ſe ipſa, ut diximus *Tract. 15. diſp. 5. dub. 6.* Si autem homo ſit ſimpliciter impotens tam antecedenter, quam conſequenter ad adimplendum præceptum, eo ipſo non tenetur ad adimpletionem, ut ſupra oſtendimus. Quibus ſuppoſitis roboratur ratio noſtra, & evertitur ſolutio ipſi adhibita: quoniam, multoties homo non ſolum ex ignorantia, ſed vera notitia ſuppoſita tenetur ex lege divina elicere actus ſupernaturales, quos tamen non elicit: atqui multoties non prius excluſit à ſe potentiam, ſeu vires ad eius adimpletionem deſideratas, neque illis impedimentum appoſuit: præſertim cum peccatum mortale, in quod forte prius incidit, non ſit impedimentum incompoſſibile cum viribus ſufficientibus ad unum, vel alterum actum ſupernaturalem, ut ex ſe liquet: ergo multoties homo habet actu vires, & gratiam ſufficientem ad actus ſupernaturales, quos tamen inſtante præcepto non elicit. Datur ergo de facto aliqua gratia interior ſufficiens ſeparata ab efficaci: quidquid ſit, an non ſemper urgente præcepto, & peccante homine per omiſſionem, tunc actu detur, ut Adverſarij in hac reſponſione prætendunt.

10. Reſpondent *tertio*, & quidem magis apparenter, & conſequenter ad ea, quæ proxime dicebamus, omnes homines habuiſſe in Adamo vires gratiæ ſufficientes ad præceptorum ſupernaturalium adimpletionem; quas tamen per peccatum Adami à ſe excluſerunt, incurrendo voluntariam impotentiam ad prædictam adimpletionem. Unde impotentia præſens non eſt ſimpliciter talis, ſive antecedens, ſed eſt ſimpliciter conſequens. Impotentia autem conſequens non excuſat ab impletione præcepti, nec reddit ejus omiſſionem involuntariam abſolute, ut patet in eo, qui cum haberet breviarium, illud projecit in mare: nam quamvis facta hac ſuppoſitione nequeat recitare, peccat tamen non recitando: quia illa impotentia eſt conſequens. Quamobrem ex ſe, quod homo de facto teneatur elicere actus ſupernaturales, & eos non eliciendo peccat; minime infertur, quod de facto habeat vires intrinſecas gratiæ ſufficientis; ſed ſolum, quod eas aliquando habuerit. Quam doctrinam tradit expreſſe D. Thom. 2.2. *quæſt.* 2. *art.* 5. *ad* 1. his verbis: *Auxilium quibuſcumque datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, & juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis, ut dicit Auguſt. in lib. de correct. & gratia.* Locus autem ille Auguſtini clariſſime etiam ſtat pro hac opinione, nam *cap.* 11. inquit: *Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, quando primum facti ſunt, defuiſſet: quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio manere poſſit, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent: Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt.* Ubi ſermonem eſſe de gratia ſufficienti liquido conſtat; quia loquitur Auguſtinus de adjutorio *ſine quo non*, quod juxta

Altera evaſio.

D. Thom.

Auguſtin.

ejus

Digitized by Google

ejus phraſim eſt auxilium ſufficiens, ut vidimus *diſp. praced. dub. ult. §. ult.* Idem adhuc expreſſius docet in *lib.* 1. operis imperfecti contra Julianum aſſerens peccandi neceſſitatem illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt.

Multiplex evaſionis impugnatio. 11. Sed neque iſta reſponſio ſatisfacit, & poteſt efficaciter refelli. Tum quia ad culpam perſonalem requiritur poteſtas, & libertas perſonalis: ſed quia de facto peccat omittendo actus ſupernaturales ſibi præceptos, incurrit culpam perſonalem, ut ex ſe liquet: ergo debet habere poteſtatem perſonalem ad non omittendum; & non ſufficit, quod habuerit potentiam in Adamo. *D. Thom.* Quod argumentum eleganter proponit D. Thom. *in* 2. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. *art.* 2. in corpore, his verbis: *Oportet, quod ſecundum hoc, quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundum hoc ratio voluntarij in ipſo reperiatur. Sicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam, quod reſpicit perſonam: ita etiam eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ. Unde ad culpam perſonalem requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali: ad culpam vero naturæ, nempe ad peccatum originale, non requiritur niſi voluntas in natura illa.* Tum etiam nam ex contraria ſententia ſequitur motus primo primos ſenſualitatis, infidelitatem negativam, & ignorantiam invincibilem eſſe peccata perſonalia; ſiquidem fuerunt voluntaria in capite; & impotentia ea vitandi provenit ex peccato originali: conſequens eſt omnino falſum, & erroneum: ergo ad rationem peccati actualis requiritur voluntas, & poteſtas perſonalis. Tum denique quia ut aliquis effectus ſit voluntarius in cauſa, non ſufficit, quod in illa præcontineatur; ſed requiritur, quod in ea prævideatur, vel prudenter provideri potuerit: ubi enim deeſt omnis cognitio, tollitur ratio voluntarij, de cujus eſſentia eſt eſſe ab intrinſeco cum cognitione, ut communiter definiunt omnes Theologi, & Philoſophi: atqui plura ſunt de facto præcepta ſupernaturalia, quæ Adamus non prævidit, nec ſecundum diſpoſitionem illius ſtatus prævidere potuit: ergo prædictorum præceptorum tranſgreſſio non fuit voluntaria Adamo, aut nobis, prout in illo moraliter peccavimus: & conſequenter præter poteſtatem, & voluntarietatem, quam in Adamo habuimus, requiritur alia voluntas, & poteſtas perſonalis. Minor conſtat: quia in lege nova dantur aliqua præcepta ſupernaturalia propria prædictæ legis, utpute de diſpoſitionibus requiſitis ad debitam ſacramentorum receptionem: hujuſmodi autem præcepta nec prævia fuere ab Adamo, nec ex vi diſpoſitionis, & auxiliorum illius ſtatus prævideri potuerunt.

Urgetur. Ad hæc: quamvis gratis concederemus, quod hac Adverſariorum reſponſione ſalvetur, ſaltem apparenter, inexcuſabilitas à peccato in abſentia gratiæ ſufficientis; minime tamen ſalvat hæc reſponſio, quod poſſit homo adimplere divina præcepta: atqui utrumque neceſſario ſalvandum eſt, videlicet inexcuſabilitas à peccato, & poſſibilitas adimpletionis præceptorum ſupernaturalium: ergo prædicta reſponſio nequit admitti. Minor eſt omnino certa: nam inter quinque propoſitiones Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis, quas Innocentius X. ſpeciali decreto damnavit; hæc erat prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia ſunt.* Et quamvis loquatur expreſſe de homine juſto; eadem nihilominus ratio militat in quocumque homine viatore: nam hoc ipſo, quod viator ſit, poteſt adimplere per vires gratiæ præcepta, quibus dirigitur, & per quorum adimpletionem in beatitudinem tendit: alias non eſſet viator, ſed ad inſtar damnatorum ſe haberet.

12. Nec Adverſariorum reſponſioni & doctrinæ favet D. Thom. nam eo loco ſolum docet negationem auxiliorum ad eliciendum actus ſupernaturales eſſe quandoque pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis: minime vero docet, quod homo omni auxilio deſtitutus peccet in non adimpletione præceptorum ſupernaturalium, præſertim quando nullam culpam commiſit, qua ſe reddiderit impotentem. Imo oppoſitum tradit tum *loco nuper citato ex* 2. *ſententiarum*, tum 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. ubi inquit: *Quod ſi infidelitas accipiatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt.* Et eadem tradit *in reſponſ. ad* 2. Itaque aliud eſt, quod ex peccato conſecuta fuerit carentia auxiliorum ſufficientium ad adimplendum præcepta ſupernaturalia, aliud vero, quod ſtante omnimoda carentia prædictorum auxiliorum, non adimpletio præceptorum ſupernaturalium ſit peccaminoſa. Primum quidem verum eſt, & aſſeritur à Divo Thoma quia peccatum originale, quantum eſt de ſe demeruit omnem gratiam in poſterum conferendam: & ideo quibuſcumque negatur omnis gratia, prædicta negatio habet rationem pœnæ. Quod forte non accidit niſi in pueris decedentibus ſine baptiſmo: nam quod Deus hanc pœnam in adultis non exequatur, ſed miſericorditer omnibus concedat aliquam gratiam ſufficientem internam, eſt ſatis pium, & veroſimile, ut *dub.* 3. videbimus. Secundum autem eſt falſum, & negatur à Divo Thoma *in locis à nobis citatis*: quoniam omne peccatum perſonale ſupponit poteſtatem perſonalem ad illud evitandum. Quæ poteſtas in ordine ad præcepta ſupernaturalia ſalvari non poteſt abſque gratia ſufficienti interna: non enim poſſumus elicere actus ſupernaturales per ſolas vires naturæ. Unde etiam conſtat ad primum teſtimonium Divi Auguſtini: nam ſanctus Doctor idem aſſerit, eodemque modo exponendus eſt, ac D. Thom. In ſecundo autem ſolum intendit, quod homo lapſus habet quamdam neceſſitatem peccandi: non quia ſingula præcepta diviſim ſumpta, & prout actu occurrunt, & obligant, obſervari non poſſint; ſed quia illa nequit obſervare collective ſumpta, & per longum tempus. Quæ impotentia optime cohæret cum libertate, & poteſtate ad ſingulos actus ſibi præceptos, ut late declaravimus *diſp.* 2. *dub.* 2. & 7. Et quod D. Auguſtinus amplius non intendat, conſtat ex eodem ſancto Doctore *Tract.* 19. *in Ioannem*, & *epiſt.* 105. ubi expreſsè docet, quod in illis, qui non audierunt, neque potuerunt pœna peccati (nempe originalis) eſt non credere, non autem peccatum. *Vindicatur D. Thom. vera ſententia.* *D. Thom.*

Ultima ſolutio. 13. Ultimo poſſet noſtræ rationi occurri dicendo, quod licet homo non poſſit adimplere præcepta ſupernaturalia per auxilia intrinſece recepta; poteſt tamen per auxilia ſibi ab extrinſeco oblata: quæ ſi peteret, ut oportet, reipſa conſequeretur. Unde ejus vitio vertendum eſt, quod præcepta ſupernaturalia non adimpleat. Deus enim paratus eſt prædicta auxilia petenti conferre.

Sed

Refellitur.

Sed hæc evaſio facillime præcluditur: quoniam ut homo petat auxilia ſibi à Deo præparata, eſt neceſſarium aliquod auxilium gratiæ ſufficientis: alias non petet; ſicut oportet ad ſalutem; ſiquidem vires naturales non ſufficiunt ad orandum, ſicut oportet, ut modo ſupponimus ex dictis *diſp. 3. dub. 2.* ergo verificari nequit, quod homo poſſit adimplere præcepta ſupernaturalia per auxilia oblata à Deo, quatenus valet illa petere; niſi habeat aliquam gratiam ſufficientem, qua petere poſſit. Admittenda igitur eſt aliqua gratia intrinſeca ſufficiens ſaltem ad petendum. Si enim hæc negetur, homo non habebit auxilia requiſita ad præceptorum obſervationem, nec gratiam ſufficientem ad ea conſequenda: atque ideo erit ſimpliciter impotens. Quid enim prodeſt offerre homini auxilia ſub conditione, quod ea poſtulet, ſi negetur illi gratia ſufficiens ad poſtulandum, & ita ſit ſimpliciter impotens ad ipſam conditionem.

§. III.

Difficilis objectio, & ejus enodatio.

Objectio.

14. SEd adverſus rationem, & doctrinam, quibus noſtram, & communem aſſertionem firmavimus objicies: quoniam homo lapſus tenetur aliquando elicere actum vel contritionis, vel amoris charitatis, quoad Deum ſupernaturalem finem convertatur, præſertim quando nequit ad ſacramentum pœnitentiæ accedere: ſed homo lapſus nunquam habet gratiam ſufficientem ad prædictum actum: ergo ex obligatione, qua homo lapſus tenetur obſervare præcepta ſupernaturalia; minime infertur, quod aliquando habeat gratiam ſufficientem. Probatur minor: quia juxta probabiliorem ſententiam, quam amplectemur *Tract. ſequenti diſp. 2. dub. 6.* actus perfectæ converſionis, quo homo ad gratiam ſanctificantem ultimo diſponitur, non oritur ab alio auxilio ſufficienti, quam ab ipſa gratia ſanctificante: hæc igitur, & non alia interior eſt auxilium ſufficiens ad eliciendum prædictum actum: ſed homo lapſus non habet gratiam ſanctificantem; alias lapſus non eſſet: ergo homo lapſus non habet auxilium ſufficiens ad actum perfectæ converſionis.

Quorundam reſponſio.

15. Ab iſta objectione facile explicantur, qui ſentiunt actus ultimo diſponentes ad gratiam habitualem non oriri ab ipſa gratia, ſed ab auxilio actuali: reſpondent enim negando minorem primi ſyllogiſmi, & majorem ſecundi. Pungit tamen haud parum hæc difficultas eos, qui oppoſitam opinionem amplectuntur. Et relictis aliis ſolutionibus, quidam Thomiſtæ reſpondent, quod licet de facto actus ultimo diſponentes ad gratiam ſanctificantem ab eadem oriantur, queunt tamen abſolute fieri medio auxilio tranſeunti. Nam quia gratia ſanctificans continet eminenter rationem auxilij dantis poſſe ad prædictos actus; ideoque in ejus præſentia ſuperfluit dictum auxilium, & gratia habitualis ſupplet vices illius. Cæterum cum abeſt gratia habitualis, & urget præceptum converſionis; adeſt auxilium tranſiens ad illam ſufficiens. Itaque vel Deus ab æterno decrevit converſionem verbi gratia Petri in inſtanti *A*; & tunc tribuit illi gratiam habitualem, quæ prout eſt in infundi, movet hominem, & gerit munus auxilij: vel id ab æterno non decrevit, ſed potius permiſſionem peccati; & tunc quidem non tribuit gratiam habitualem: confert tamen auxilium tranſiens, quo homo poſſet abſolute actum converſionis elicere. Quod etiam accidit in aliis actibus ſupernaturalibus, qui gratiam ſanctificantem in juſtificatione comitantur: omnes enim ab eadem gratia mediis habitibus ſupernaturalibus procedunt: & tamen certum eſt, quod prædicti actus fieri valent mediis auxiliis tranſeuntibus. Idem ergo de actu charitatis, vel contritionis dicendum eſt. Unde nunquam ſequitur, quod homo teneatur ad aliquem actum, eumque omittendo peccet, & quod non habeat vires ſufficientes ad illum.

Non arridet.

16. Reſponſio iſta eſt valde probabilis, & expedita: illam tamen non amplectimur, quia probabilius, & menti D.Thom. magis conſonum exiſtimamus, quod actus charitatis, & contritionis ſint adeo perfecti, ut nec de facto, nec de poſſibili valeat oriri à ſolo auxilio actuali, ſed gratiam habitualem neceſſario expoſcant tanquam principium. Quod obiter inſinuavimus *Tract. de ultimo fine diſp. 4. dub. 3. num. 5.* noſque ex profeſſo firmabimus infrà *in Tract. de Juſtificat. diſp. 2. dub. 6.*

Actus charitatis dependent eſſentialiter à gratia habituali.

Qua doctrina ſuppoſita, vires reaſſumit argumentum ſuperius factum: quoniam homo lapſus tenetur elicere aliquando actum contritionis, vel charitatis, quem elicere non poteſt, niſi elevetur, & adjuvetur per gratiam ſanctificantem: atqui homo lapſus nec habet, nec in ſenſu compoſito prædicti ſtatus habere poteſt gratiam ſanctificantem: ergo ut homo teneatur ad aliquem actum, eumque non eliciendo peccet, opus non eſt, quod habeat vires ſufficientes ad illum: & conſequenter ex eo, quod homo de facto peccet contra præcepta ſupernaturalia, perperam colligimus, quod habeat gratiam ſufficientem ſeparatam ab efficaci.

Inſtauratur objectio.

Enervantur ejus vires.

17. Hujus objectionis, quæ ſic in communi propoſita eſt ſatis difficilis, non parum dehiſcunt vires, ſi ad ſingulos homines lapſos, & eorum ſtatum applicetur. Nam vel ſermo eſt de homine lapſo, cui nunquam eſt remiſſum peccatum originale; vel de eo, qui poſtquam exuit peccatum originale, & habuit gratiam ſanctificantem, incidit in peccatum perſonale? Si de hoc poſteriori loquimur, certum eſt eum aliquando habuiſſe principium intrinſecum ſufficiens ad actum contritionis, & charitatis: ipſe vero per propriam culpam deſtruxit, & à ſe allegavit prædictum principium, & ſe fecit impotentem ad eliciendum prædictos actus. Quare illa impotentia eſt conſequens, & volita in cauſa, nempe in peccato actuali. Unde mirum non eſt, ſi omiſſio adimpletionis ipſi imputetur, quamvis actu ſecundum ſtatum, in quo jacet, non habeat vires ſufficientes ad illam. Si autem ſermo fiat de homine adhuc exiſtenti in peccato originali; vel prædictus homo habet notitiam Dei Auctoris ſupernaturalis, vel caret prædicta notitia? Si dicatur hoc ultimum; eo ipſo non tenetur homo ille elicere actus ſupernaturales contritionis, vel charitatis: ij enim neceſſario præſupponunt ſupernaturalem Dei notitiam: & ideo negatur ſuppoſitum objectionis. Si vero dicatur primum, verum quidem eſt teneri illum hominem ad converſionem ſupernaturalem: ſed tamen per prius tenetur ad converſionem naturalem, ſive in Deum naturalem finem, quam converſionem poteſt abſolute viribus naturalibus exequi. Cum autem omittit converſionem naturalem, impedit communicationem gratiæ habitualis, & ſe voluntarie facit impotentem ad ſupernaturalem converſionem: quapropter non excuſatur à culpa; licet non habuerit principium proxime ſufficiens ad eam evitandam.

18. Pro

Alia objectio-nis ſolutio.

18. Pro quo nota ex dictis *Tr*[illegible] *de peccat.* *diſp.* 20. *dub.* 1. hominem [illegible] lege naturali teneri ad converſionem in Deum Auctorem, & finem naturalem: quæ obligatio præcipue urget in primo inſtanti uſus rationis, ſive cum primum homo cognoſcit ſuum ultimum finem [illegible] in communi. Similiter homo elevatus ad ordinem ſupernaturalem teneatur in eodem inſtanti ſe convertere in Deum ſupernaturalem finem, ſi ipſum tunc cognoſcat: qui enim nulla ſupernaturali cognitione perfunditur, deobligatur ab adimpletione propter ignorantiam. Ille autem, qui elicit converſionem ſupernaturalem, utramque obligationem adimplet; quamvis converſionem naturalem non eliciat: nam converſio ſupernaturalis naturalem converſionem eminenter continet, & utrique legi, & obligationi ſufficienter occurrit. Qui vero nullo modo convertitur, duplicem legem lædere intelligitur, videlicet naturalem, quæ dictat converſionem naturalem, & ſupernaturalem, quæ ſupernaturalem converſionem imperat. Unde vel ibi dantur duæ omiſſiones, & peccata [illegible]; vel ſaltem in eodem peccato datur [illegible] violatio utriuſque legis. Et quia lex naturalis intimius, & [illegible] urget, quam ſupernaturalis (illa enim neceſſario comitatur creaturam rationalem, hæc vero fundatur in elevatione accidentali ad ſuperiorem ordinem) ideirco homo ſe non convertens in primo inſtanti uſus rationis perpetius offendit Deum ſub ratione finis naturalis, quam ſub ratione ſupernaturalis finis. Quodlibet autem peccatum mortale contra legem naturalem eſt impedimentum incompoſſibile cum gratia ſanctificante, ut dicemus *tractatu ſequenti diſp.* 2. *dub.* 4. Unde qui cognoſcens ſe teneri ad converſionem ſupernaturalem, cujus principium eſt gratia ſanctificans, peccat contra legem naturalem, omittendo converſionem ab hac lege præſcriptam, & pro qua ipſe habet ſufficientes vires, ut modo ſupponimus ex ſupra dictis *diſp.* 2. *dub.* 4. eo ipſo convincitur excludere, quantum eſt de [illegible], principium ſufficiens ad adimplendum [illegible] converſionis ſupernaturalis: atque [illegible] non excuſatur à culpa. Non enim minus facit [illegible] legem dictantem converſionem ſupernaturalem, qui voluntarie impedit, & excludit principia ſufficientia ad prædictam converſionem, quam qui habens naturalia principia non convertitur. Ad objectionem ergo dicendum eſt [illegible] non lapſum peccare omittendo converſionem ſupernaturalem, qui [illegible] non habeat actu gratiam ſanctificantem, quam à ſe voluntarie [illegible], vel ſaltem voluntarie non appoſuerit impedimentum inconjungibile cum prædicta gratia. Unde [illegible] non eſt, ut ob impotentiam non excuſetur: quia eſt impotentia conſequens voluntaria perſonam.

Urget adhuc objectio.

19. Cæterum quamvis hæc reſponſio ſufficienter objectioni occurrat, & ſatis perſpicue explicet, [illegible] hominem lapſum non excuſetur à culpa, dum omittat converſionem ſibi præceptam, licet actu non habeat principium ad illam ſufficiens: adhuc tamen animum non quietat, ſed relinquit duos ſcrupulos [illegible]. Nam in primis [illegible] omiſſio [illegible] ad [illegible] tionem peccati mortalis, ut voluntaria, [illegible] ſufficit, quod [illegible] per [illegible] operationem exſeſerit principium ſufficiens ad poſtea non [illegible] tendum, vel appoſuerit, quantum eſt de [illegible] dimentum inconjungibile cum dicto principio: ſed requiritur quod prævideri, & certo ſtatuere abſtinendi [illegible] tempore obligationis [illegible] principium. Si [illegible] habitumrum eſſe, non [illegible] omiſſion in actus præcepti, [illegible] quuntur. Unde ſi quis [illegible] in [illegible] breviarium, ſperans tamen, quod [illegible] aliud breviarium ſibi [illegible], [illegible] ſe omiſſionem recitationis [illegible] ſequeretur; atque etiam ſi poſtea ob defectum breviarii non recitet, omiſſio erit voluntaria, & culpabilis, ſed potius [illegible] negatio non volita: quia nec de facto habet poteſtatem, nec antea impotentiam voluit. Conſtat autem, quod non omnis, qui peccat mortaliter, judicat ſibi in poſterum, & [illegible] perpetuum abſuturum eſſe auxilium ſupernaturale ad converſionem: ſed [illegible] ſperat oppoſitum, non quidem habendum ex propriis viribus, ſed ex miſericordia divina. Quæ ſpes non eſt [illegible] vana, & incerta; tum quia fundatur [illegible] experientia eorum, quæ communiter contingunt: [illegible] licet homo peccaverit, ſolet tamen Deus ei conferre gratiam neceſſariam, & ſufficientem ad converſionem [illegible] videmus [illegible] peccatores converti. Tum quia [illegible] miſericordiæ Dei, & auxilia ab eo præparata, & [illegible] Spei Theologicæ, quæ non [illegible] per quodlibet peccatum [illegible] homo eliciat actum diſperationis ipſi directe oppoſitum. Non adeſt ergo ſufficiens fundamentum, ut dicamus impotentiam proximam, quam homo lapſus habet ad ſuam converſionem ob defectum gratiæ ſanctificantis, eſſe volitam in actu præcedentis peccati; atque ideo non excuſare à culpa ſequentem omiſſionem. Alia igitur firmior, & certior via ſternenda eſt, ut objectioni occurramus.

Roboratur reſponſionis impugnatio.

Deinde quamvis hac reſponſione ſalvetur inexcuſabilitas à peccato in omiſſione converſionis, & explicetur, qualiter illa omiſſio ſit voluntaria; minime tamen ſalvatur, aut explicatur poſſibilitas adimpletionis prædicti præcepti in homine lapſo: cum tamen utrumque ſalvandum ſit, ut contra Adverſarios *num.* [illegible] dicebamus. Conſideremus enim puerum non baptizatum, educatum inter fideles, omittentem actum converſionis ſupernaturalis in primo inſtanti uſus rationis. Hic profecto tenetur ad converſionem in Deum ſupernaturalem, quem, ut ſupponimus, cognoſcit. Deinde non habet principium ſufficiens ad prædictam converſionem: ſiquidem tunc non habet gratiam ſanctificantem: [illegible] tunc non peccavit. Deſtituitur ergo principio ſufficienti ad converſionem, ad quam tunc [illegible] tenetur: atque ideo eſt abſoluta impotens [illegible] omiſſionem, & tranſgreſſionem præcepti. Dicere autem, quod poteſt elicere actum converſionis naturalis, quem ſi eliceret, conſequeretur gratiam ſanctificantem, nihil eſt: quia converſio naturalis ſecundum ſe ſumpta nequit promereri, vel [illegible] conducere ad conſecutionem gratiæ ſanctificantis, ut conſtat ex dictis *diſp.* 2. *dub.* 4. atque [illegible] ex eo, quod puer poſſit in Deum finem naturalem converti, minime ſequitur, quod habeat aliquod principium [illegible] ſufficiens ad converſionem in Deum ſupernaturalem finem. Stante itaque [illegible] poteſtate [illegible] ex [illegible] doctrina [illegible] *præd.* [illegible]

Præmittenda pro legitima actione [illegible]

[illegible] olijc. [illegible] alii [illegible] fit; quod [illegible] homo adultus ad ſuam converſionem

teneatur, eamque exequi abſolute poſſit; nihilominus ad eam communiter non accedit, niſi per alios actus inferiores, cujuſmodi ſunt actus fidei, ſpei, timoris, & attritionis: gratia enim, ſicut & natura, procedit ab imperfectis ad perfectiora.

Nota 1. Conc. Trid. Quam ſuppoſitionem clariſſime docet Concilium Trident. *ſeſſ. 6. de juſtificat. cap. 6.* cujus titulus eſt, *Modus præparationis*: ubi inquit: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud in primis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu: & dum peccatores ſe eſſe intelligentes à divina juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet, &c.* Et deinde cap. ſequenti concludit: *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur.* Ubi, ut vides, plures actus ſupernaturales minus perfecti præcedunt communiter juſtificationem, atque ideo actum perfectæ converſionis, quæ in noſtra ſententia ab eadem gratia juſtificante procedit. Idem autem ordo, qui reperitur inter actus, conſiderandus etiam eſt inter auxilia, à quibus actus oriuntur, ut ex ſe conſtat. Unde antequam Deus impertiatur auxilium proxime ſufficiens ad perfectam converſionem, communicat plura auxilia inferiora deſervientia actibus, quibus homo ad eam converſionem diſponitur.

Nota 2. Deinde nota Deum, juxta commune Theologorum axioma, non denegare gratiam facienti; quod eſt in ſe ex viribus gratiæ. Unde homini utenti priori auxilio imperfectiori confert ſecundũ auxilium perfectius: & ei, qui utitur ſecundo, communicat tertium, & ſic de aliis uſque ad ultimum, quo poteſt perfecte converti, quodcumque illud ſit. Quapropter homo, qui elicit operationem correſpondentem primo auxilio, fit potens ſaltem mediate ad aliam operationem perfectiorem: nam infallibiliter conſequetur auxilium ſufficiens eidem perfectiori operationi proxime correſpondentem: idemque contingit in aliis operationibus ſubſequẽtib... homo per auxiliorũ abuſum, ſed non uſum, proceſſum juſtificationis, ad quã tendit, interrumpat. Sicut embrio eſt diſpoſitio ſufficiens ad hominẽ formãdum, mediate tamen, & remote: quia indiget ulterioribus, & perfectioribus diſpoſitionibus: quæ ſi ſuccedant; hominis perfecta formatio ſubſequetur: ſi autem interrumpantur, abortivum loco veræ formationis eveniet. Ita per primum auxilium internum incipit ſufficientia ad ſalutem: & ſi tam hujus, quam ſequentium auxiliorum rectus ordo continuetur, ipſa perfecta ſalus ſuccedet. Non quod hæc connexio phyſica ſit, & ex natura rei neceſſaria: ſed quia eſt moraliter infallibilis: nam Deus ita decreſcit, & hoc pacto conſtituit in manu hominis ſalutem mediante gratia. Ad quod non oportet, quod Deus ſingulis momentis tribuat gratiam actualem: ſufficit enim, quod illam tribuat in aliquibus, & præſertim, quando præcepta ſupernaturalia obſervanda occurrunt, ut *dub. 3.* magis declarabimus. Nullus autem eſt adultus, cui Deus aliqua prima auxilia ſufficientia ſupernaturalia non tribuat, maxime vero in primo inſtanti uſus rationis, ut *eodem loco* dicemus. In hac quippe communicatione explicatur voluntas illa generalis, qua vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.

21. Ex quibus duo neceſſario conſequuntur: Conſectaria præcedentis doctrinæ. primum eſt nullum hominem obligari elicere in aliquo inſtanti actum ſupernaturalem, qui non habeat auxilium ſufficiens ad ejus adimpletionem, vel immediate in ſe ipſo; vel mediate in alio auxilio, quo poſſit perfectius auxilium conſequi. Secundum eſt omnem hominem adultum habere auxilium ſufficiens ad ſuam converſionem, vel immediate in ſe ipſo, vel mediate in alio auxilio, quo ſi uteretur, aliud perfectius, & proxime ſufficiens conſequeretur. Auxilia enim inferiora diſponunt, & habilitant homines ad conſequendum, ſaltem impetrative, & media oratione, auxilia magis perfecta, ut ſignificat Auguſt. *lib. 4. contra Iulianum cap. 8.* Auguſtin. ubi ait: *Vt videlicet intelligamus, docentibus vobis, ideo non omnes ſalvos fieri, quia ipſi nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere, cum Deus velit oſtendere: nolunt pulſare, cum Deus velit aperire.* Quam doctrinam ut veram ſuppoſuimus *in Tract. 13. diſput. 20. dub. 1. num. 27.* eamque ex profeſſo firmabimus *infra dubio 3.*

Hinc ad objectionem facile conſtat: concedimus enim hominem lapſum in ſenſu compoſito Explicatur ſolutio præc. prædicti ſtatus non habere auxilium proxime ſufficiens ad ſuam converſionem, nempe gratiam habitualem: negamus tamen, quod non poſſit abſolute elicere actus, quibus convertatur. Quoniam habet plurima auxilia actualia cum prædicto ſtatu compoſſibilia, quibus ſi recte utatur, credendo, ſperando, petendo, pulſando, ac denique faciendo totum, quod eſt in ſe ex viribus prædictorum auxiliorum; certo, & infallibiliter conſequetur à Deo gratiam habitualem, per quam & ſtatum lapſus deſtruet, & actum converſionis ſibi præceptum eliciet. Quod ſi Deus hanc gratiam, urgente prædicto præcepto, negat; ideo eſt: quia homo prius defecit in uſu præcedentium auxiliorum. (Quamvis etiam multoties, licet homo abuſus fuerit prædictis auxiliis, & per repetita peccata indignum gratia ſanctificante ſe fecerit; Deus omnino miſericorditer hujuſmodi gratiam ipſi communicet) Conſtat etiam hominem lapſum non ſolum eſſe inexcuſabilem ab omiſſione converſionis, quando urget præceptum; ſed etiam poſſe per aliquid intrinſecum ad Deum converti, & dictum præceptum adimplere: quod reſponſio ſupra tradita minime componebat, ut ſupra *num. 9.* vidimus. Nam licet homo lapſus non habeat auxilium proxime ſufficiens ad ſuam converſionem; habet nihilominus plura auxilia remota, quibus ſi recte utatur gratiam habitualem infallibiliter impetrabit. Quomodo autem cum hac doctrina cohæreat dari plures homines, imo populos integros, qui ſint infideles negative, *dub. 3.* conſtabit.

22. Dices: ſi homo, qui facit totum, quod eſt Replica. in ſe ex vi præcedentium auxiliorum, conſequitur ulterius auxilium; ſequitur, quod omnis, qui elicit actum attritionis ſupernaturalis, infallibiliter conſequatur gratiam ſanctificantem: conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens. Sequela oſtenditur: nam inter actus præcedentes gratiam habitualem attritio eſt, quæ magis, ſeu proximius ad juſtificationem diſponit: ergo qui elicit attritionem, facit totum, quod eſt in ſe ex vi auxiliorum præcedentium gratiam ſanctificantem: ergo ſi facienti totum, quod eſt in ſe ex vi auxiliorum præcedentium, Deus infallibiliter confert

ulterius

ulterius auxilium; ſequitur, quod omnis, qui elicit attritionem, gratiam ſanctificantem infallibiliter conſequatur. Falſitas autem conſequentis etiam liquet: nam plures habent veram, & ſupernaturalem attritionem: & tamen adhuc non conſequentur gratiam ſanctificantem; alias qui cum attritione accedit ad ſacramentum pœnitentiæ, antequam abſolveretur, haberet gratiam ſanctificantem; quod eſt omnino falſum.

Reſponſio. Reſpondetur negando ſequelam. Quoniam dupliciter poſſumus intelligere, quod peccator eliciat attritionem. *Primo* in eo ſtatu, in quo poſſit eam conjungere cum ſacramento, quod attritis conferat gratiam, ut ſecundum præſentem providentiam, & inſtitutionem Chriſti Domini contingit. Et in hoc ſenſu non dicitur homo facere, quod eſt in ſe ex vi auxiliorum præcedentium juſtificationem, niſi re ipſa, ſaltem cum poteſt, recipiat ſacramentum. Vnde non ſequitur inconveniens, quod ſequelæ improbatio evincere intendit. Vbi autem quis cum attritione ſacramentum recipit, infallibiliter conſequitur juſtificationis gratiam: non quia attritio ſecundum ſe ſive ex propriis illam neceſſario phyſice, aut moraliter inferat; vel quia homo eliciens attritionem faciat omne, quod ex vi auxiliorum juſtificationem antecedentium abſolute poteſt: ſed quia Deus ob merita Chriſti Domini ſic miſericorditer in lege gratiæ diſpoſuit. Per quod obiter diluitur ſequelæ probatio. *Secundo* poteſt conſiderari in ſtatu, in quo vel attritioni cum ſacramento non ſit promiſſa gratia, ut in lege veteri contingebat, vel homo non poſſit attritionem cum ſacramento conjungere, ut ſecundum præſentem providentiam per accidens aliquando contingit. Et in hoc ſenſu negamus, quod homo faciat omne, quod ex vi auxiliorum juſtificationem præcedentium valet, eliciendo præciſe attritionem: unde non ſequitur, quod infallibiliter, & immediate juſtitiam conſequatur. Poteſt enim plures alios actus elicere, in eorumque elicientia, aut repetitione perſeverare, ut credere, ſperare, orare, & pulſare ad oſtia divinæ miſericordiæ. Quod ſi, ut debet, faciat; dubitandum non eſt, quod conſequetur gratiam juſtificantem, quæ eſt principium perfectæ converſionis. Non quia prædicti actus illam gratiam phyſice inferant, vel quia eam mereantur, ſed quia ex Dei miſericordia, ex cujus auxiliis procedunt, habent vim impetrandi. Quam doctrinam haud obſcure tradit Divus Thomas 2. 2. *quæſtione* 83. *articulo* 16. ubi inquirit: *Vtrum peccatores orando impetrent aliquid à Deo?* Et reſpondet affirmative: *non quaſi ex juſtitia*, inquit, *quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia: obſervatis tamen quatuor præmiſſis conditionibus, ut ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem piè, & perſeveranter.* De oratione autem habente hujuſmodi conditiones dixerat articulo præcedenti. *Et ideo ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus ſemper aliquis impetrat, quod petit, ut ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeveranter.* Vnde attritionem huic orationi, aliiſque pietatis operibus conjunctam non dubitamus conſequi impetrative Dei gratiam vel dandam in ſacramento, ut in præſenti ſtatu per ſe loquendo contingit; vel extra ſacramentum, ut olim contingebat, & nunc etiam per accidens, ubi quis nequit ad ſacramentum accedere. De qua attritione, ut à contritione diſtinguitur, inquit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *Hac enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Ionæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt.* Videantur, quæ infra dicemus *Tract.* 16. *diſp.* 6. *num.* 70. Quanta vero debeat eſſe horum actuum continuatio, aut perſeverantia, aut multiplicatio, ut gratiam juſtificationis intra, vel extra ſacramenta infallibiliter impetrent, nequit à nobis metaphyſice determinari: ſed ad Dei diſpoſitionem ſpectat. *Quædam enim*, inquit Divus Thomas *quæſtione citata articulo* 15. *non negantur, ſed ut congruo dentur tempore, differuntur, ut Auguſtinus dicit ſuper Ioannem. Quod tamen poteſt impediri, ſi in petendo non perſeveret.* Videantur, quæ diximus *loco ſupra citato ex Tractatu* 13. *à numero* 28. quibus major lux accedet ex infra dicendis *dubio* 3. per totum.

§. IV.

Adverſariorum motivis occurritur.

23. Oppoſitam ſententiam aſſerentem nullam de facto dari gratiam interiorem pure ſufficientem; ſed omnem veram gratiam interiorem eſſe efficacem videtur tenuiſſe Michael Baius, ut evincit Ripalda *loco citato.* Illam etiam docuit Cornelius Janſenius *lib.* 3. *de gratia Salvatoris cap.* 13. & Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus in libro, quem *Conſtitutionis Innocentii X. defenſionem* appellat. Sed præcipui hujus aſſertionis fautores ſunt hæretici noſtri temporis: quorum dicta citatus Ripalda late exſcripſit *ſect.* 2. ſufficiat audire Calvinum in antidoto ad Tridentinum *ſeſſ.* 6. §. *Porro*, ubi ait: *Motus Spiritus ſancti ſic eſt efficax, ut fidem ſemper gignat, quæ ſola antumat hominem juſtificat.* Et Petrus Molineus ejuſdem furfuris homo ſcripſit: *Peſſimum, quod in opinionibus iſtis nuper reperio, eſt gratia iſta ſufficiens, quam dicitur Deus dare omnibus hominibus*, ut refert Malderus Epiſcopus Antuerpienſis 12. *fol.* 485.

Error contrarius. Michael Baius. Cornel Janſenius. Anton. Arnaldus. Calvinus. Petr Molin. Malderus.

24. Probant hanc ſententiam citati Auctores innumeris teſtimoniis Scripturæ, & SS. Patrum, & præcipue D. Auguſtini, & D. Thomæ: ex quibus tamen, ut prolixitatem vitemus, ſelectiora tantum, & urgentiora ponderabimus; eaque ut magis premant, ſi premunt, ſub forma argumenti proponemus. Arguitur ergo primo: nam auxilium ſufficiens eſt, quod præſtat poteſtatem ad agendum: ſed de facto poteſtas ad agendum provenit ab auxilio efficaci: ergo de facto nullum datur auxilium ſufficiens, quod efficax ſimul non ſit. Minor, in qua ſola eſt difficultas, probatur primo ex Scriptura Joan. 22. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum:* auxilium autem, quo homo trahitur ad Chriſtum eſt efficax: ergo nemo habet potentiam, ut ad Chriſtum veniat, niſi ab auxilio efficaci. *Secundo* ex Divo Auguſtino *in libro de geſtis Pelagii*, ubi inquit: *Sine gratia Dei nemo recte vivit, ſine gratia Dei id, ad quod adjuvat, fieri non poteſt.* gratia autem, qua recte vivimus, eſt efficax; ſine qua tamen aſſerit Auguſt. fieri non poſſe id, ad quod adjuvat poteſtas: ergo ad agendum provenit à gratia efficaci. *Tertio* nam D. Thom. *in præſenti qu.* 109. fere per totum nihil frequentius inculcat, quam hominem non poſſe ad Deum converti, niſi à Deo convertente: ſed convertit hominem ad ſe

Primum fundamentum ab authoritate. Joan. 22. D. Auguſt.

per auxilium efficax: ergo potentia hominis, ut in Deum convertatur, eſt ab auxilio efficaci.

Proſternitur. Reſpondetur negando minorem: quoniam auxilium efficax eſt pura reductio virtutis operativæ præexiſtentis ad actum agendi: unde non præſtat potentiam, ſed aliunde, & per alia auxilia conſtitutam ſupponit, ut *diſp. præced. dub.* 6. inſinuavimus, & magis conſtabit ex infra dicendis *diſp. ſeq.* per totam. Nunquam tamen reducetur potentia, vel virtus operativa ad actum agendi, niſi applicetur per auxilium efficax. Et ideo auxilium ſufficiens ſe ſolo præſtat poteſtatem antecedentem, & in ſenſu diviſo, quæ eſt potentia ſimpliciter: auxilium autem efficax dat poteſtatem conſequentem, ſive actui infallibiliter conjunctam. Unde ex denegatione auxilij efficacis ſolum ſequitur impotentia conſequens, & in ſenſu compoſito, quæ eſt potentia ſecundum quid. Et in hoc ſenſu procedunt teſtimonia, quæ ad probationem minoris adducuntur: cum enim aſſerunt neminem poſſe venire niſi à Patre trahente, neminem poſſe converti niſi à Deo convertente &c. loquuntur de poteſtate conſequenti, & cum effectu infallibiliter conjuncta: hæc enim prout talis, eſt effectus gratiæ efficacis. Cum hoc autem recte cohæret, quod homo auxilio efficaci carens habeat poteſtatem antecedentem, & in ſenſu diviſo, quæ eſt effectus gratiæ ſufficientis. Quæ interpretatio ſatis aperte colligitur ex D. Thom. nam ſicut aſſerit non poſſe hominem converti, niſi Deo convertente: ita frequenter tota illa quæſtio & præcipue *art.* 1. docet nullam creaturam poſſe operari, niſi à Deo moveatur: & tamen certum eſt plures cauſas ſecundas naturales, priuſquam moveantur à Deo habere potentiam ſufficientem ad operationes ſibi correſpondentes. Loquitur ergo S. Doctor de impotentia conſequenti, in ſenſu compoſito, & ſecundum quid: cum qua recte cohæret antecedens, in ſenſu diviſo, & ſimpliciter.

Secundum argumentum. 25. Arguitur ſecundo: quia illa gratia, ad quam infallibiliter ſequitur operatio, eſt efficax: ſed nulla eſt gratia interior, ad quam de facto non ſequatur infallibiliter effectus: ergo nulla eſt gratia interior, quæ non ſit efficax: ergo nulla eſt pure ſufficiens. Probatur minor: tum quia Auguſtinus ex præſentia gratiæ interioris colligit effectum operis infallibiliter ſecuturum: ſic enim ait ſerm. 43. *Agis, ſi ageris, & bene agis, ſi à bono agaris*, & epiſt. 107. ad Vitalem, *Gratia dat merita ipſa, cum datur*, & lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Illud autem neſcio, quomodo dicatur, fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, jam volumus. Ad eandem quippe miſericordiam pertinet, ut velimus.* Ubi ut vides, connexionem, ſeu conſecutionem infallibilem adſtruit inter gratiam interiorem, & ejus effectum. Tum etiam quia idem S. Doctor ex negatione effectus colligit gratiam interiorem non fuiſſe communicatam: ita enim habet in lib. de prædeſtinatione Sanct. cap. 8. *Qui credunt prædicatore forinſecus inſonante, intus à Patre audiunt, atque diſcunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt.* Et lib. de gratia Chriſti cap. 13. inquit: *Qui novit, quid ſit, quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem.* Hæc autem Auguſtini conſecutio nulla foret, ſi omnis gratia interior infallibiliter ſuum effectum, pro quo datur, non conſequeretur.

Aliquorum reſponſio. Reſpondetur negando minorem: quia plurima ſunt auxilia, quibus homo reſiſtit, & quæ propria operatione defraudat, ut ſupra vidimus *num.* 6. Ad probationes autem in contrarium reſpondent Ripalda *loco citato ſect.* 26. & alij Molinæ diſcipuli illam conſecutionem inter gratiam, & cooperationem noſtram, quam tanta energia ponderat Auguſtinus, non fundari in entitate ipſorum auxiliorum, ſed in ipſa cooperatione arbitrij vel exercita, vel per ſcientiam mediam præviſa: unde cum nos poſſimus cuilibet auxilio diſſentire, illudque inefficax reddere, ſalvare ſibi videntur omnia auxilia ex ſe tantum eſſe ſufficientia.

26. Sed hæc reſponſio petit principium, & non ſatisfacit Adverſariorum argumento, nec conſonat menti D. Auguſtini. *Eſt inſufficiens.* Si enim illa conſecutio toties ab Auguſtino intenta, & inculcata fundatur in gratia; & libero arbitrio jam ſimul cooperantibus; nihil aliud dicet Auguſtinus, quam gratiam operari, ſi operetur, & liberum arbitrium operari, ſi operetur: & ita ex operatione eandem operationem colliget. Quo quid abſurdius, & magis puerile? Id vero non intendit Auguſtinus, ſed modo longe diverſo procedit, ut ipſa ejus teſtimonia clamant: nam comparando gratiam Dei, & operationem arbitrij, ex gratia infert arbitrij operationem. Non quia ſola gratia operationem cauſat, ſed quia gratia facit, ut arbitrium infallibiliter operetur. Quæ motio apud Auguſt. eſt adeo efficax, & infallibilis, ut dicat *in lib. de geſtis Pelagij c.* 3. *Proculdubio plus eſt agi, quam regi. Qui enim regitur, aliquid agit: qui vero agitur, agere aliquid in ſe vix intelligitur. Tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere: Quotquot Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.*

Legitima ſolutio. Aliter ergo, & ſatis perſpicue ad prædicta teſtimonia reſpondetur duplicem ſecundum Auguſtinum eſſe gratiam interiorem, ut vidimus *diſp. præced. dub. ult. § ult.* nempe efficacem, quam vocat *congruam*, & *ſecundum propoſitum*, & pure ſufficientem, quam appellat *non congruam*, & *non ſecundum propoſitum.* Quando ergo S. Doctor ex præſentia gratiæ colligit effectum infallibiliter mox futurum, & quando ex hujus negatione infert abſentiam illius; loquitur de gratia efficaci. Hæc quippe habet prædictam connexionem; non vero gratia pure ſufficiens, ut ipſimet Adverſarij admittunt in gratia Adamo collata, quæ perſeverare potuit, & tamen non perſeveravit. Et quod hæc ſit legitima D. Auguſtini ſententia conſtat *ex lib. de gratia Chriſti cap.* 13. *D. Auguſt.* ubi vim, & fundamentum illationum, quas locis citatis proponit, explicat his verbis: *Sic enim docet Deus eos, qui ſecundum propoſitum* (pende verba) *vocati ſunt, ſimul donans & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. Unde ad Theſſalonicenſes ſic Apoſtolus loquitur: De charitate autem fraternitatis non opus habetis vobis ſcribi: nam ipſi vos à Deo didiciſtis, ut diligatis invicem. Atque ut probaret eos à Deo didiciſſe, ſubjunxit: Etenim facitis illud in omnes fratres in univerſa Macedonia. Tanquam hoc ſit certiſſimum indicium, quod à Deo didiceritis, ſi id, quod didiceritis, feceritis. Iſto modo ſunt omnes ſecundum propoſitum vocati.*

Tertium argumentum. 27. Arguitur tertio: quia nemo petit id, quod jam habet: ſed homo petit à Deo auxilia, quibus poſſit adimplere divina præcepta: ergo homo non habet auxilia, quibus poſſit prædicta præcepta obſervare: atqui gratia ſufficiens præſtat poteſtatem ad obſervandum divina præcepta: ergo homo non habet gratiam ſufficientem. Minor primi ſyllogiſmi, in qua ſola eſt difficultas, probatur ex D. Auguſtino *in lib. de gratia, & libero arbitrio* *D. Auguſt.*

Digitized by Google

arbitrio cap. 16. ubi inquit: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri.* Quibus ipſe reſpondet: *Quis hoc neſciat? ſed jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Sentit ergo S. Doctor hominem non habere auxilia ſufficientia ad plura præcepta, ad quæ tenetur.

Confirmatio. Confirmatur urgenter deſtruendo fundamentum noſtræ aſſertionis: nam ſi daretur gratia ſufficiens ſeparata ab efficaci, maxime ut per eam poſſit homo adimplere præcepta ſupernaturalia, ad quæ tenetur: ſed multoties homo non poteſt adimplere divina præcepta, ad quæ tenetur: ergo nullum eſt fundamentum ad aſſerendum dari gratiam ſufficientem ſeparatam, vel diſtinctam ab efficaci. Probatur minor ex D. Auguſtino, qui pluribus in locis ſignificat homines cognoſcentes, volentes, & conantes adimplere divina præcepta, non poſſe ea obſervare, & tamen illa non obſervando peccare. Nam *in libro de perfectione juſtitiæ cap.* 3. reſpondens ad 9. objectionem Cæleſtij inquit: *Per arbitrij libertatem factum eſt, ut eſſet homo cum peccato. Sed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſſitatem. Unde ad Deum fides clamat: De neceſſitatibus meis educ me. Sub quibus vel non poſſumus intelligere, vel cum quod intellexerimus, volumus, non valemus adimplere.* Et *ſerm.* 4. *de verbis Apoſtoli* docet, quod cum Chriſtus dixit Paulo, *ſufficit tibi gratia mea*, ſignificavit, *Volo, ut velis: ſed non ſufficit, ut velis*: quaſi indicans hominem etiam volentem, & deſiderantem non poſſe adimplere legem Dei. Quod etiam ſentit *tractatu* 34. *in Joannem* aſſerit: *Forte conaris, & non potes.* Et *Pſalm.* 106. loquens de peccatore volente vincere vitia inquit: *Conatur, & non poteſt.* Et *Pſalm.* 51. ait: *Homo plerumque ſibi ignotus eſt: quid ferat, & quid non ferat, ignorat: & aliquando præſumit ſe ferre, quod non poteſt, &c. Proinde Petrus præſumpſit, neſcio quid, quod in illo nondum erat, uſque ad mortem ſe cum Jeſu Chriſto perſeveraturum. Vires ſuas ignorabat.* Ubi apertiſſime ſignificat D. Petrum non habuiſſe vires ſufficientes ad perſeverandum, & non potuiſſe vitare peccatum negationis.

Confirmatio ſecunda. Confirmatur ſecundo: quoniam Judæi tenebantur legem obſervare, eamque non obſervando peccabant: & tamen Judæi non habebant auxilia ſufficientia ad ſuæ legis obſervationem: ergo ex obligatione obſervandi præcepta ſupernaturalia minime infertur, quod habeamus auxilia ſufficientia diſtincta ab efficacibus. Probatur minor ex D. Auguſt. *lib. de Spiritu & littera cap.* 19. ubi ait: *Lex data eſt, ut gratia quæreretur: gratia data eſt, ut lex impleretur.* Ubi contraponit beneficium collatum Judæis, quod eſt lex, beneficio communicato Chriſtianis, quod eſt gratia: Judæi ergo habuerunt legem, qua quærerent, non gratiam, qua legem obſervarent. Unde *ſerm.* 6. *de verbis Apoſtoli cap.* 7. inquit: *Lex jubebat, & non implebat: quia caro, ubi non erat gratia, acerrime reſiſtebat.* Quod expreſſius adhuc tradit D. Thom. 1.2 *q.* 98. *art.* 6. ubi diſtinguit bonos, & malos Judæos veteres: aſſeritque prioribus collatam fuiſſe legem in auxilium, poſterioribus vero ad ſuperbiam convincendam: ergo quibuſdam ſaltem Judæis nulla gratia intrinſeca ſufficiens communicata fuit; ſed ſola lex extrinſeca. Et *eadem* 1. 2. *quæſt.* 106. *artic.* 1. *ad* 1. docet legem novam ſeu veterem non operari, quia quantum eſt de ſe, dat auxilium ſufficiens ad non peccandum: atqui lex vetus tam Dei operabatur, ut expreſſe tradit Apoſtol. *ad Rom.* 4. ſentit ergo D. Thom. quod in veteri lege non dabantur auxilia intrinſeca ſufficientia ad non peccandum. Et *in reſponſ. ad* 3. addit ex Auguſt. veterem legem in tabulis lapideis ſcriptam dici ab Apoſtolo *miniſtrationem mortis*, legem vero novam ſcriptam in tabulis cordis carnalibus appellari *miniſtrationem Spiritus*, quia per donum Spiritus operamur recte, & à mortis damnatione liberamur. Quæ differentia non ſubſiſteret, ſi in lege veteri collata fuiſſent auxilia ſufficientia ad legis obſervationem.

D. Thom.

Confirmatur tertio: quia ſunt quidem homines adeo mali, ut eos vocet Scriptura *obduratos*, & *excæcatos*, quos tamen obligari divinis præceptis, certum eſt, ut dubitari nequeat: ſed obdurati, & excæcati nullam gratiam interiorem recipiunt: hæc ergo inefficacitet colligitur ex obligatione ſervandi divina mandata. Probatur minor ex Auguſtino pluribus in locis: nam aſſerit in lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Deum nolle illorum miſereri*. & tract. 53. in Joan. *eos deſerere non adjuvando*, & Pſal. 147. *eos non vocare, nec eis aperire ſenſum, nec infundere gratiam*, & *lib. de perfect. juſtitiæ cap.* 19. *eos deſtituere omni lumine veritatis, & divino adjutorio.* Quæ falſa eſſent, ſi Deus induratis, & excæcatis gratiam ſufficientem interiorem impertiretur.

Tertio. Auguſtin.

18. Hoc argumentum, & ejus confirmationes tangunt difficultatem infra *dub.* 3. ex profeſſo examinandam, an videlicet Deus omnibus, & ſingulis hominibus conferat reipſa auxilia ſufficientia ad ſalutem: & profecto non impugnant noſtram concluſionem, quæ ſolum indefinite aſſerit dari de facto aliquam gratiam ſufficientem ſeparatam ab efficaci, quidquid ſit, an omnes homines, & in omni ſtatu, & in omni diſpoſitione prædictam gratiam recipiant. Sed nihilominus oportet illis breviter occurrere: quia impugnant, ſaltem ex parte, fundamentum noſtræ aſſertionis. Ad argumentum igitur dicendum eſt potius ex ipſa oratione convinci dari aliquam gratiam ſufficientem diſtinctam ab efficaci. Nam ſi Auguſtinus aſſerit poſſe homines ſervare divina præcepta, quia poſſunt orare, & orando conſequi auxilia, quæ ad prædictam obſervationem requiruntur; profecto ſupponit dari de facto auxilium ad orandum neceſſarium: alias eodem modo, & æque immediate, eſſemus impotentes ad orandum, ac ad obſervandum præcepta: & conſequenter oratio non eſſet medium ad prædictam obſervationem. Fatemur ergo hominem non petere id, quod evidenter cognoſcit ſe habere: ſed nihilominus ad petendum, ſicut oportet, debet aliquam gratiam habere. Et quia frequenter hac gratia non utitur, ſed multoties ab orando deſiſtit, cum orare poſſit; ſequitur habere aliquam gratiam ſufficientem diſtinctam, & ſeparatam ab efficaci. Quam doctrinam aperte tradit D. Auguſt. in teſtimonio, quod nobis objicitur, ait enim: *Ipſa fides orando impetrat, quod lex imperat.* Cum autem aſſerit, quod non poſſumus ſervare aliqua præcepta, vel loquitur de poteſtate per vires naturæ, quæ inſufficientes ſunt ad præcepta ſupernaturalia, vel de poteſtate ſupernaturali omnino proxima, quæ non ſemper eſt, ut ſemper non adeſt, ut ſupra expoſuimus a *num.* 18.

Reſponſio ad argumentum. D. Auguſt.

Ad primam confirmationem reſpondetur negando minorem, quam minime docet D. Auguſt. in teſtimoniis, quibus eam ſuadere contendunt Adverſarij. Nam cum in primo teſtimonio aſſe-

Ad 1. Confirmationem.

rit hominem non poſſe implere præceptum, cum vult, & quod illa neceſſitas provenit ex peccato præcedenti, loquitur ad mentem Cœleſtij, cujus objectioni occurrit. Porro Pelagianus ille aſſerebat hominem poſſe per vires naturæ omnia Dei præcepta adimplere; ſiquidem ea obſervare tenetur: cui reſpondet Auguſtinus negando, quod poſſit, *etiam ſi vellet*, voluntate utique, & volitione pure naturalibus, de quibus loquebatur hæreticus: & ſimul docet, quod ad hanc impotentiam ſe reduxit natura humana excludendo per Adami peccatum juſtitiam originalem, qua poterat. Minime tamen aſſerit Auguſtinus, quod ſimus prorſus impotentes ad præceptorum obſervationem: ſed potius deſignat gratiam ſufficientem orationis, qua ſaltem mediate poſſimus: quia videlicet orando conſequimur auxilia immediate concurrentia ad hujuſmodi orationem: Unde, inquit, *ad Deum fides clamat, de neceſſitatibus meis educ me.* Fides autem, & plurima, quæ illam comitantur, gratiam ſupernaturalem, & ſufficientem important.

Testimonia D. Auguſt. explicantur.

Eundem ſenſum continet ſecundum teſtimonium: nam ſolum intendit non ſufficere velle naturale, imo nec velle ſupernaturale imperfectum ad obſervantiam divinæ legis. Et ideo poſtquam dixit: *Non ſufficit, ut velis*, ſubjunxit: *Adjuvandus es, ut plenè velis, & impleas, quod velis*: & poſtea: *ſi vis evadere legem minantem, fuge ad Spiritum adjuvantem. Clama ad Deum tuum, ut adjuvet te.* Ubi aperte ſupponit auxilium ſufficiens immediate ad orandum, quod eſt ſufficiens mediate ad obſervandum præcepta.

In aliis duobus teſtimoniis, in quibus aſſerit *Conaris, & non potes, Conatur, & non poteſt*, loquitur etiam vel de conatu naturali, qui inſufficiens eſt ad ſervandum ſupernaturalia præcepta, vel de conatu ſupernaturali imperfecto, cui opus eſt adjicere novas, & majores vires ad vincenda vitia, & ad perfectam legis obſervationem. Et ideo *in libro de natura, & gratia cap. 16. monet hominem orare ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat, quod jubetur*, & cap. 17. inquit: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam* (ecce aliquod auxilium gratiæ faciens voluntatem bonam) *ſed adhuc parvam, & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit & robuſtam.*

Ultimum teſtimonium eodem modo interpretandum eſt: nam licet D. Petrus, & alij putaverint habere gratiam omnino adæquatam ad actus excellentes, cujuſmodi eſſet victoria illius graviſſimæ tentationis circa negationem Chriſti: illam tamen aliquando non habuerunt. Sed nihilominus ex vi gratiæ, quam habebant, potuerunt orare; & orando conſequi prædictam gratiam. Quod aperte ſignificat Auguſt. *loco proxime citato cap. 17.* dicens: *Ipſam charitatem* (nempe robuſtam) *Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Et tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat, Animam meam pro te ponam.* Qua gratia ſi Petrus uteretur orando, auxilium omnino, & immediate conſequeretur pro tentationis victoria. Ad quod remedium illum exhortans Chriſtus in horto, cum jam tentatio eſſet in proximo, dixit: *Simon dormis?* adjiciens *vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Quæ verba etſi ad filios Zebedæi ſimul dormientes etiam dixerit; ſpecialiter tamen Petro dicta obſervat Evangelium; nempe ut peculiari ratione præmoneretur de periculo, ac remedio.

19. Adde primo, quod cum D. Auguſtinus toties repetit homines non poſſe ſervare legem divinam, vel vincere tentationes, non loquitur de potentia abſoluta; ſed ſolum de quadam impotentia morali, quæ conſiſtit in magna difficultate: cum qua optime cohæret dari gratiam ſufficientem ad eam abſolute ſuperandam. Quam reſponſionem tradit D. Anſelmus *in lib. de concordia gratiæ, & liberi arbitrij cap. 3.* his verbis: *Quod autem quidam experimento exiſtimant probare, nihil valere liberum arbitrium: quia multi immenſo conatu nituntur, ut bene vivant: & quadam (ut aiunt) impoſſibilitate obſtante, nihil proficiunt; aut poſt profectum irrecuperabiliter deficiunt: non deſtruunt, quod rationabiliter monſtratum eſt, liberum ſcilicet arbitrium cum gratia valere. Ut autem nitentes non proficiant, aut poſt profectum deficiant, non impoſſibilitate, ſed aliquando gravi, aliquando facile ſuperabili difficultate fieri exiſtimo. Sæpiſſime namque aſſerere ſolemus impoſſibile nobis eſſe, quod ſine difficultate perficere non valemus.* Eandemque doctrinam prius tradiderat D. Gregor. Nazianzenus *orat. 36.* quæ eſt de Theologia.

Major explicatio ... D. Auguſtini.

D. Anſelm.

D. Gregor. Nazianzen.

Adde ſecundo impotentiam illam toties aſſertam ab Auguſtino ſolum importare carentiam potentiæ conſequentis, ſive effectui indiſſolubiliter conjunctæ: & hæc potentia in quantum talis non provenit à ſolo auxilio ſufficienti, ſed importat auxilium efficax: quod licet non ſemper adſit, poteſt tamen media oratione impertiri. Quam interpretationem colligimus ex eodem S. Doctore *in lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 16.* ubi inquit: *Certum eſt enim nos mandata ſervare ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle, cum volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulo ante poſui, quod præparatur voluntas à Domino. De quo dictum eſt, à Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. De quo dictum eſt, Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & operari. Certum eſt nos facere, cum facimus: ſed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis. Et paulo poſt. Cui dicit homo, Pone Domine cuſtodiam ori meo: hoc eſt enim dicere, Fac, ut ponam cuſtodiam ori meo.*

Auguſtin.

30. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando minorem: quam tot teſtimonia D. Auguſtini, & D. Thomæ minime evincunt. Nam imperfectiones illæ, & ut ſic dicamus, inſufficientiæ, quibus ſancti Doctores legem antiquam deprimere videntur, non eo tendunt, ut negent auxilia ſufficientia intrinſeca collata tempore legis; ſed tantum ut aſſerant prædicta auxilia non dari per legem, aut ex vi legis. Cum quo tamen recte cohæret, ut Patres antiqui habuerint prædicta auxilia ex meritis Chriſti, & per fidem in Meſſiam. In quo plurimum excedit lex Evangelica, quæ ipſum Chriſtum præſentem habet, & affert ex ſe gratiam, eaque mediante ſcribitur in tabulis cordis, non in tabulis lapideis, ut lex Moſaica. Deſumiturque hæc reſponſio ex Divo Thoma ſupra *quæſt. 98. art. 1. ad 4.* ubi ait: *Dicendum, quod quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum hominem: tamen aderat aliud* [illegible] *auxilium*

D. Thom.

Digitized by Google

auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege: per quod ſalvari poterant, ſcilicet fide Mediatoris, per quam ſalvati ſunt antiqui patres: ſicut etiam nos juſtificamur. Et ſic Deus non deficiebat hominibus, qui daret eis ſalutis auxilia. Quibus verbis adeo elucet, quæ ſit mens D. Auguſtini, & Divi Thomæ in teſtimoniis, quæ nobis objiciuntur, ut ſupervacaneum ſit ea ſingillatim interpretari.

Occurritur tertiæ.

Ad ultimam confirmationem negamus minorem: nam potius oppoſitum indicat ſacra Scriptura pluribus in locis, & præcipue *cap. 12.* Sapientiæ, ubi ſumme exaggerat obdurationem, & cæcitatem Palæſtinorum his verbis: *Non ignorans, quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutare cogitatio illorum in perpetuum: ſemen enim erat maledictum ab initio.* Et nihilominus aſſerit Deum prædictis hominibus adfuiſſe, ut ad ipſum, utique per gratiam, converterentur; nam ſubdit: *Dabat locum pœnitentiæ.* Et rurſus *Veniam dabas peccatis illorum.* Et tandem: *Si enim inimicos ſervorum tuorum cum tanta cruciaſti attentione, dans tempus, & locum, per quæ poſſent mutari à malitia,* &c. Quæ nequeunt intelligi de gratia pure exteriore, ſive de admonitionibus, flagellationibus, & miraculis: nam cuncta hæc nequeunt hominem emollire, niſi Deus ejus cor aliqua interiori gratia reſpergat: qua prorſus negata, non eſſent omnino inexcuſabiles Palæſtini: reſponderent quippe ſe non potuiſſe convertere. Unde prædictum teſtimonium nos edocet modum expendendi auctoritates Divi Auguſtini, quæ in contrarium adducuntur. Nam ex una parte aſſerit Scriptura, *quod non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Et ex alia parte ait: *Deum eis communicaſſe ſubſidia, per quæ poſſent mutari à malitia.* Quæ videntur inter ſe contraria, re tamen non ſunt: quoniam poſteriora verba intelliguntur de poteſtate antecedenti, in ſenſu diviſo, & quoad ſufficientiam. Licet enim Deus dederit Palæſtinis auxilia ſufficientia, quibus ſaltem mediate poſſent converti; ſubſtraxit tamen auxilium efficax, quo re ipſa converterentur: atque ideo habuerunt impotentiam conſequentem. non enim conjungi valet actualis converſio cum carentia auxilii efficacis. Ipſi vero per innumera, & repetita peccata, quibus reſiſtebant, rebelles ſe exhibuerunt lumini, obfirmando voluntatem in malo, & demerendo, atque ſpernendo auxilia, per quæ converterentur. Quæ peſſima diſpoſitio conſtituit ſtatum obdurationis, & excæcationis.

[illegible]

Cum ergo Auguſtinus aſſerit *Deum deſerere obduratos, nolle eorum miſereri, non eos vocare, deſtituere illos omni adjutorio,* &c. Intelligendus eſt de voluntate conſequente, & de gratia efficaci; non autem de voluntate antecedenti, & de gratia ſufficiente. Et ſenſus eſt Deum ita velle voluntate antecedenti ſalvare obduratos; & eis auxilia diſtribuere, quod nihilominus voluntate conſequenti nolit eos ad regnum admittere, ſubtrahatque auxilium efficax, quo converterentur. Hoc autem licet generale videatur in omnibus reprobis; ſpecialiter tamen procedit in obduratis: tum quia ob majora peccata ſeſe magis indignos auxilio efficaci faciunt: tum quia propter reſiſtentiam actualem ſunt incapaces plurium auxiliorum ſufficientium moralium, ut puta prædicationis, inſpirationis, &c. Quod autem D. Auguſt. non neget obduratis omnem prorſus gratiam, ſatis liquet ex *libro 83. quæſtionum quæſtione 68.* ubi loquens de Pharaone, quem Scriptura ſignificat fuiſſe valde obduratum, inquit: *Nunquid ergo latebat Pharaonem, quantum boni conſecuta fuerant terra illa per adventum Joſeph? Illius ergo rei geſtæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Iſrael miſericorditer tractans, non eſſet ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, ſed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas, & miſericordia debebatur, meruit pœnam.* Ubi, ut vides, concedit S. Doctor fuiſſe in Pharaone gratiam interiorem vocationis, nempe cognitionem, quæ potuit ipſum trahere ad pœnitentiam.

August.

31. Arguitur quarto: quia gratia vere ſufficiens includit efficaciam: ergo nulla datur gratia interior vere ſufficiens, quæ non ſit efficax. Probatur antecedens: nam ſufficiens eſt, quod habet omnia requiſita ad agendum: ſed ad agendum requiritur auxilium efficax: ergo gratia vere ſufficiens includit efficaciam.

Quartum argumentum.

Confirmatur: quia neceſſarium eſt, ſine quo finis haberi non poteſt: ſed auxilium efficax eſt neceſſarium ad ſalutem: ergo ſalus non poteſt conſequi abſque auxilio efficaci: ergo ſola illa gratia præſtat verum poſſe, & ſufficientiam ad ſalutem, quæ includit auxilium efficax.

Hoc argumentum, & confirmationem jam diluimus *diſp. præced. dub. 6. §. 7.* ubi declaravimus, qualiter ex eo, quod requiratur auxilium efficaciter applicans, minime colligatur, quod alia auxilia dantia virtutem non ſint vere ſufficientia. Unde in eo nunc diſſolvendo parum immorabimur. In primis ergo in Adverſarios retorquendum eſt: ipſi enim docent Adamum habuiſſe gratiam ſufficientem ad perſeverandum, & tamen certum eſt caruiſſe auxilio efficaci; alias non defeciſſet. Similiter quilibet juſtus poteſt ſalvari per veram gratiam habitualem interiorem ſufficientem, quam actu habent: & nihilominus plures juſti, nempe omnes reprobi, non habent auxilium efficax, quo ſalventur. Quæ evidenter ſuadent gratiam ſufficientem non includere omnia quoquo modo ad agendum neceſſaria. Per quod obiter rejicitur Molinistarum reſponſio, qui ceterum argumentum aperte diſſolvere ſibi videntur, quatenus aſſerunt, quod poſita ſemel gratia ſufficienti, ipſum liberum arbitrium eam facit efficacem, ipſi videlicet cooperando, quin aliud auxilium deſideretur, ut docet Leſſius in opuſculo de gratia efficaci *cap. 10.* aſſerens abſurdum non eſſe concedere, quod liberum arbitrium reddat gratiam Dei efficacem. Hoc, inquam, omnino explodendum eſt: quoniam vere non ſatisfacit Adverſariis, qui in ſcriptis Auguſtini haud parum verſati ſciunt abſurdiſſimum eſſe apud Auguſtinum, quod Deus conferat donum quaſi imperfectum, & indifferens; & quod creatura faciat, quod dona Dei ſint perfecta, & determinata: ſimiliter, quod gratia non faciat arbitrium operari; ſed potius arbitrium faciat gratiam influere. *Subventum eſt* (inquit S. Doctor *in lib. de correct. & gratia cap. 12.* in fine) *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* Et poſt pauca: *Fortiſſimo, nempe Adamo, dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſime, quod bonum eſt vellent, nec hoc deſerere invictiſſime nollent.* Sed hæc operoſius *diſp. ſequenti* tractabimus.

Solvitur.

Retorquetur.

[illegible]

Auguſt.

Ad argumentum ergo breviter reſpondemus

Digitized by Google

negando antecedens. Ad cujus probationem dicendum eſt principium ſufficiens includere omnia requiſita ex parte actus primi, non vero quæ ſpectant ad ſecundum. Unde cum auxilium efficax pertineat ad actum ſecundum per modum reductionis, vel applicationis; minimè ex eo, quod non detur auxilium efficax, ſequitur carentia auxilij vere ſufficientis, ſeu dantis poſſe.

Ad confirmationem dicendum auxilium efficax requiri ad ſalutem non per modum principij dantis poſſe, ſed per modum applicationis: & ideo quamvis negetur auxilium efficax, adhuc poteſt perſiſtere vera ſufficientia ex parte principij. In quo caſu dabitur impotentia conſequens, ſimul cum poteſtate antecedenti, & ſufficienti abſolutè. Recolantur, quæ diximus *loco citato*. Videatur etiam Ledeſma de auxiliis *quæſt. unica, art. 16.* Ledeſma.

§. V.

Conſectarium præcedentis doctrinæ.

Diſcrimen à Janſenio aſſertum inter gratiam naturæ integræ, & lapſæ rejicitur.

32. EX dictis infertur falſum eſſe diſcrimen, quod Cornelius Janſenius, & ejus diſcipuli ſtatuunt inter gratiam auxiliantem in ſtatu naturæ integræ, & in ſtatu naturæ lapſæ: nempè omnem gratiam auxiliantem in ſtatu naturæ integræ fuiſſe ſufficientem, & nullam efficacem; omnem vero gratiam auxiliantem in ſtatu naturæ lapſæ eſſe efficacem, & nullam eſſe purè ſufficientem. In deſcribendo autem conditionem gratię efficacis hujus ſtatus convenit Janſenius in pluribus cum Thomiſtis: aſſerit enim gratiam ex ſe habere efficaciam, ſubjicere ſibi voluntatem, inferre ex ſe infallibiliter conſenſum, & eſſe inconjungibilem cum diſſenſu. At in explicando conditionem auxiliorum, quæ Deus communicavit in ſtatu innocentiæ, omnino fere convenit cum Molinæ diſcipulis: autumat enim prædicta auxilia eſſe ex ſe indifferentia, ſubjici uſui voluntatis, non denominari efficacia niſi ab effectu, ſcilicet à conſenſu ad nutum arbitrij ſubſecuto. Ex quo principio plures Janſeniſtæ conſequenter inferunt, & docent diſcretionem unius ab alio in ſtatu innocentiæ revocandam non eſſe in gratiam, ſed in arbitrium; potuiſſe tunc unum hominem gloriari adverſus alium; potuiſſe etiam hominem in eo ſtatu reddere gratiam pro beneficiis acceptis, ſed non indiguiſſe oratione ad perſeverandum: hominem in eo ſtatu, ſi perſeveraret, non accepturum majus donum, quam non perſeverantem; & denique omnia abſurda, quæ adverſus Molinam opponi ſolent, oppreſſi neceſſitate conſequentiæ (quam vel nequeunt, vel neſciunt declinare) non renuunt pro ſtatu innocentiæ admittere. Hanc differentiam inter auxilia pro ſtatu innocentiæ, quæ Janſenius vocat *gratiam ſanitatis* & auxilia pro præſenti ſtatu, quæ appellat *gratiam medicinalem*, propoſuit in *lib. 8. de gratia Salvatoris cap. 2.* aſſerens eſſe baſim doctrinæ à D. Auguſt. traditæ, & veram clavim, quæ aditum ad ejus ſcripta reſerat: nec dubitat Thomiſtas, qui gratiam per ſe efficacem ad utrumque ſtatum extendunt, magis Ariſtotelicos, quam Auguſtinianos dicere. Janſenius quandoque molinizat.

Quam abſurda ſit diſſerentia à Janſenio aſſerta.

Cæterum prædicta differentia non ſolum Divi Thomæ, ſed etiam Molinæ diſcipulis ingrata eſt; meruitque omnium impugnationes. Inter aſſertores autem gratiæ per ſe in omni ſtatu efficacis, qui ante, & poſt Janſenium doctrinam ejus proximè relatam impugnarunt, præcipui ſunt Eſtius *in 2. diſt. 41. §. 14.* ubi præclara D. Thomæ teſtimonia refert, Thomas Angelus in opuſculo, cui titulus eſt, *Mens Auguſtini de gratia Adami.* Thomas Bravardinus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Leonardus Coquæus, Ylambertus Doctor Pariſinus, Labat *1. parte tract. 2. diſput. 3. dub. 4. §. 5.* Noſter Philippus *diſp. de gratia dub. 8.* & Gonet *diſput. 5. de voluntate Dei, art. 7. & diſp. 5. de ſtatu naturæ lapſæ art. 3.* Ex Moliniſtis vero late agit contra Janſenium Ripalda *lib. 1. de ſtatu naturæ lapſæ diſp. 24.* At hic Auctor poſt prolixum laborem nihil contra Janſenium in hac parte concludit: non enim impugnat differentiam ab illo aſſertam, nempè gratiam ſtatus innocentiæ eſſe ex ſe indifferentem, gratiam vero hujus ſtatus eſſe ex ſe efficacem: ſed alio prorſus divertit, totos nervos intendens, ut gratiam per ſe efficacem demetat. In quo quamvis ſatis callide ſe gerit impugnans ſub Baianorum larua Thomiſtas; egit tamen inutiliter, ne dicamus infeliciter: nam Janſenius non erravit admittendo gratiam per ſe efficacem in hoc ſtatu; ſed erravit negando in aliquo ſtatu gratiam efficacem, & pro hoc ſtatu gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam: ſententia quippè, quæ auxilia per ſe, & ex ſe efficacia deprædicat, certiſſima eſt, & communis inter Div. Auguſtin. & Div. Thom. diſcipulos utpote quæ Auguſtinum habet patronum; & Pelagianos, & Semipelagianos, & eorum reliquias proſternit, ut liquet ex dictis *diſp. 1. cap. 4. §. 5. & cap. 5. §. 1.* magiſque conſtabit ex dicendis tota diſp... Unde Innocentius X. poſt editam adverſus quinque Janſenij propoſitiones conſtitutionem, ſemel, & iterum declaravit ſe minimè intendiſſe doctrinam de gratia per ſeipſam efficaci directè, vel indirectè attingere. Ediditque circa hoc ſpeciale decretum in Congregatione generali S. Inquiſitionis habita die 13. Aprilis anno 1654. Thom. Ang. Bradvardin. Coquæus. Ylambert. Labat. Noſter Philip. Gonet. Ripalda. Innoc. X.

Refellitur error.

33. Diſcrimen ergo utriuſque gratiæ à Janſenio aſſignatum (ſuppoſita notitia auxilij ſufficientis, & efficacis, quam hactenus expoſuimus, & amplius infra ſubjiciemus) facile ex dictis refellitur. Nam in primis, quod pro hoc ſtatu datur gratia ex ſe efficax, ipſe Janſenius admittit: quod autem etiam in hoc ſtatu adſit gratia ſufficiens, ſatis liquet ex dictis in hoc dubio: datur igitur in hoc ſtatu utraque gratia. Similiter quod in ſtatu innocentiæ fuerit auxilium ſufficiens, tradit ipſe Janſenius: quod vero etiam adfuerit aliqua gratia efficax, liquido convincitur. Nam gratia efficax eſt, quæ conjungitur cum effectu, abſtrahendo à modo connexionis: Adamus autem habuit auxilia cum operationibus ſupernaturalibus conjuncta: elicuit enim nonnullas operationes ſupernaturales, antequam ab innocentiæ ſtatu decidiſſet quæ operationes abſque auxilio applicante, ſive efficaci fieri non poſſunt, ut *diſp... præced. dub. 6.* declaravimus: ergo Adamus habuit utraque auxilia & ſufficientia, & efficacia ad ſupernaturaliter operandum. Unde conſtat diſcrimen à Janſenio aſſignatum, prout omnem gratiam ad ſingulos actus, & effectus requiſitam comprehendit verificari non poſſe; ſed ad ſummum reſpectivè ad perſeverantiam. Quamvis enim Adamus non habuerit auxilium efficax ad perſeverandum, ſed tantum ſufficiens è contra vero omnes prædeſtinati habeant auxilium efficax ad perſeverandum, & non præcisè ſufficiens: nihilominus Adamus habuit auxilium non ſolum ſufficiens, ſed etiam efficax ad aliquem actum, utpura ad amandum Deum ſupernaturalem auctorem, cum illum brevi ſaltem tempore dilexerit; & è converſo in hoc

ſtatu

ſtatu plures habent auxilium purè ſufficiens ad prædictum amorem, & deſtituuntur auxilio efficaci; ſiquidem nunquam diligunt.

Major illatio differentia confutatio

34. Quod amplius roborari, & declarari poteſt ſequenti diſcurſu: etenim homo in præſenti ſtatu naturæ lapſæ ex triplici capite indiget adjutorio divino tam ſufficienti, quam efficaci: primo ob generalem dependentiam, quam agens ſecundum habet à primo agente: ſecundo ob exceſſum operationum ſupernaturalium ſupra vires naturales: tertio ob infirmitatem, & debilitatem naturæ, quæ quamvis ſupponatur ſufficiens in actu primo, deficit tamen in actu ſecundo, niſi a Deo efficaciter, & indeclinabiliter ad bonum agatur. Conſtat autem, quod licet homo in ſtatu innocentiæ, non indiguiſſet auxilio gratiæ efficacis ob tertium titulum; erat enim integer, & ſanus: illo, tamen opus habebat ob duo priora capita; ſiquidem erat agens ſecundum, & eliciturus fuerat ſupernaturales operationes. Ergo ſicut homo in præſenti ſtatu indiget duplici auxilio Dei, nempè ſufficienti, quo fiat proximè potens, & proportionatus ad ſupernaturaliter operandum, & inſuper alio auxilio efficaci, quo applicatur ad agendum per modum agentis ſecundi: ita ob eaſdem rationes primus homo utroque auxilio indigebat; quamvis ei neceſſarium non eſſet auxilium ſanans naturam, & corroborans ipſam ſufficientiam ſupernaturalem, qua pollebat. Quemadmodum, verbi gratia, homo infirmus duo poſtulat ad pugnandum, nempè ſanitatem, & arma: robuſtus vero quamvis remediis ad ſanitatem non indigeat, eget tamen armis. Et ſi uterque clavum in alto fixurus eſſet, neceſſario adjuvan lus eſſet adjutorio, ſive adminiculo ſcalæ; infirmus autem ulterius exigeret ſanitatem. In utroque igitur ſtatu & integritatis, & naturæ lapſæ requiruntur auxilia tam ſufficientia, quam efficacia; ſed in hoc ſtatu ob plures titulos, quam in illo.

D. Thom. pro vera ſententia.

Quam doctrinam perſpicuè, & optimè tradit D. Thom. ſupra quæſt. 109. art. 2. in corp. ubi inquit: *Natura hominis poteſt dupliciter conſiderari: uno modo in ſui integritate, ſicut fuit in primo parente ante peccatum: alio modo ſecundum quod eſt corrupta in nobis poſt peccatum primi parentis. Secundum autem utrumque ſtatum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum, vel volendum quodcumque bonum, ſicut primo movente, ut dictum eſt* (nempè *art.* 1. ubi aſſeruit auxilium efficaciter applicans) *ſed in ſtatu naturæ integræ, quantum ad ſufficientiam operativa virtutis poterat homo per ſua naturalia velle, & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ: non autem bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ. Sed in ſtatu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc, quod ſecundum ſuam naturam poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonum implere per ſua naturalia. Quia tamen natura humana non eſt totaliter per peccatum corrupta, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur: poteſt quidem etiam in ſtatu naturæ corruptæ aliquod bonum particulare agere (ſicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujuſmodi) non tamen totum bonum ſibi connaturale, ita quod in nullo deficiat: ſicut homo infirmus poteſt per ſeipſum aliquem motum habere, non tamen poteſt perfectè moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ. Sic igitur virtute gratiæ ſuperadditæ virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum, ſcilicet ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale. Sed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ulterius ut bonum ſupernaturale virtutis operetur, quod eſt meritorium. Ulterius autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divino, ut ab ipſo moveatur ad bene agendum.* Ubi in ſumma tria docet D. Thom. *primo* in omni ſtatu tam integritatis, quam naturæ lapſæ neceſſariam eſſe virtutem ſupernaturalem, ut homo poſſit ſupernaturaliter operari: atque ideo adſtruit gratiam ſufficientem utrique ſtatui communem. *Secundo* in omni ſtatu neceſſarium eſſe auxilium divinum, quo homo moveatur ad agendum: & conſequenter docet auxilium efficax, ſive applicans ad agendum, in utroque ſtatu requiri. *Tertio* ponit differentiam inter unum, & alterum ſtatum, dicens hominem integrum poſſe præcepta ſupernaturalia ſervare abſque additione novæ virtutis; hominem vero lapſum indigere gratia ſanante, ut ipſa præcepta naturalia obſervet. Per quæ prorſus evertit opinionem Janſenij, & fundamentum illius. Quam doctrinam iterum tradit in eadem quæſt. art. 9. ubi docet hominem ſanum, & reparatum per gratiam ſanctificantem adhuc egere motione Dei efficaci propter duo: *primo quidem ratione generali propter hoc, quod ſicut ſupra dictum eſt, nempè art.* 1. *&* 2. *nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire niſi virtute motionis divinæ: ſecundo ratione ſpeciali propter conditionem humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem; remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati.* Cum ergo prima ratio militet etiam in ſtatu innocentiæ, ſequitur neceſſarium fuiſſe in eo auxilium efficax prædeterminativum liberi arbitrij.

Calumnia Janſenij retunditur.

35. Sed quia Janſenius exiſtimat hanc doctrinam non ex Auguſtino, ſed ex Ariſtotele hauriri (ſic enim habet loco ſuperius citato, *Qui medicinalem Chriſti gratiam ſic defendere conantur, ut eam in prædeterminationem phyſicam transforment, omni ſtatui hominum lapſorum, & innocentium, ex vi cauſæ primæ, & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profectò Ariſtotelici, quam Auguſtiniani ſunt*) audiamus non ſolum Thomam, ſed Auguſtinum. Ergo S. Doctor revocat pluribus neceſſitatem, & exiſtentiam auxilij efficacis ad omnipotentiam Dei, qui cum habeat ſupremum dominium ſupra voluntates noſtras, illas, prout vult, & quo vult, infallibiliter, & invictiſſimè inflectit: quæ ratio procedit independenter ab infirmitate per culpam, & quemcumque ſtatum comprehendit.

D. Auguſt. contrarium Janſenio.

Sic habet in Enchiridio cap. 96. *Deus non ob aliud veraciter vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et cap. 102. inquit: *Quantalibet ſint voluntates Angelorum, & hominum, vel bonorum, vel malorum: vel quod Deus, vel aliud volentes, quam Deus, omnipotentis voluntas ſemper invicta eſt.* Et lib. de correct. & gratia cap. ait; *Sine dubio habet humanorum cordium, quocumque voluerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Et cap. 20. docet *Deum dominari voluntatibus hominum.* Et denique in lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 21. inquit: *Agit omnipotens Deus in corde hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit.* Quæ verificanda ſunt in quocumque hominis ſtatu, cum ubique Deus ſit omnipotens, & habeat ſupremum dominium ſupra hominis voluntatem. Quamobrem ex hoc generali principio concludit in epiſt. 106. *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua*

condita

D. Auguſt.

Digitized by Google

§. I.

Præmittuntur aliqua notabilia.

Quibus modis auxilia dare dicatur.

40. PRimo obſerva, quod verbum *dare* dupliciter uſurpatur: uno modo prout idem valet, ac præparare, & offerre: altero modo prout idem importat, ac reipſa conferre, & eſt correlativum ad recipere. Sicut rex dicitur utroque modo *dare* præmia prælientibus: nam ante prælium *dat*, hoc eſt, offert, & præparat præmia, ad eaque invitat; poſt prælium vero dat, hoc eſt, reipſa præmia confert, illiſque milites honorat. Unde cum inquiritur, *an Deus omnibus hominibus det auxilia ſufficientia ad ſalutem*, bifariam poteſt dubium intelligi, & duas difficultates complectitur: primo enim inquiri poteſt, an Deus omnibus hominibus præparaverit auxilia ſufficientia ad ſalutem, illaque quantum eſt de ſe, offerat, quamvis non omnes homines illa recipiant: ſicut etiam Ioan. 3. *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*; cum tamen Ioan. 1. dicatur, *Et ſui eum non receperunt.* Secundo, an Deus reipſa, & de facto prædicta auxilia hominibus conferat, nulluſque proinde ſit homo, ſaltem adultus, qui aliquod auxilium non recipiat, quo poſſit ad juſtificationem diſponi. Et quia reſolutio prioris difficultatis facilior eſt, & præparare eſt prius, quam conferre; idcirco illam in hoc dubio tractabimus, & ſecundam verſabimus in ſequenti.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Multiplex in auxiliis ſufficientia.

41. Secundo nota auxilia ſufficientia ad ſalutem multifariam accipi poſſe. Nam ut dubio præcedenti vidimus, quædam dicuntur *ſufficientia proximè*, illa videlicet, quæ habent vim immediatam ad actus perfectiores, quibus homo ad juſtificationem diſponitur: alia vero vocantur *ſufficientia remote*, ea nimirum, quæ ſunt principium immediatum operum ſupernaturalium imperfectiorum; quas tamen ſi homo eliciat, Deus ulteriora, & perfectiora auxilia ſufficientia ſubminiſtrabit.

Ruſus auxilium poteſt dici dupliciter ſufficiens, nempe adæquatè, & inadæquatè: auxilium ſufficiens adæquatè complectitur omnia comprincipia deſiderata ad aliquam operationem: ſicut è converſo inadæquatè ſufficiens ſolum importat unum, aut alterum comprincipium. Unde cum operatio ſupernaturalis expoſcat duo comprincipia, nempè virtutem phyſicam elevativam potentiæ, & auxilium quaſi morale conſiſtens in objecti propoſitione; auxilium adæquatè ſufficiens erit, quod utrumque complectitur, & præſtat; inadæquatè vero ſufficiens erit, quod eorum alterum tantum importat.

Deinde auxilij ſufficientis oblatio dupliciter fieri valet: uno modo in communi, altero modo in particulari. Sicut ſi rex Academiam aperiret pro educatione omnium juvenum ſui regni, ex hoc ipſo diceretur offerre illis auxilium ſufficiens ad ſtudendum: ſi autem aliquibus offerret ſubſidia neceſſaria ad ſtudia, illis diceretur auxilia ad ſtudendum ſufficientia præparaſſe non ſolum in communi, ſed etiam in particulari.

Tandem prædicta auxilia ſufficientia poſſunt conſiderari vel ut proximè applicabilia, vel ut applicabilia remote. Quemadmodum medicina, quæ de ſe habet virtutem ſufficientem ad ſanitatem, nequit aliquando applicari ob aliqua obſtacula, aut impedimenta incidentia, quamvis Medicus eam diſpoſuerit, & vellet quantum eſt de ſe applicare. Dubium igitur præſens omnia auxilia ſufficientia complectitur tam proxima, quam remota, & tam inadæquata, quam adæquata, & tam in communi, quam in particulari: abſtrahit tamen ab eorum applicabilitate proxima, vel remota. Nam optime cohæret, quod Deus inſtituerit auxilia ſufficientia pro omnium hominum ſalute, eaque intentione ordinaverit, ut omnibus proficua forent: & quod nihilominus prædicta media, & auxilia non ſint proximè omnibus applicabilia.

Diverſa præparatio auxilii ſufficientis.

42. Pro quo ulterius obſerva, quod ſicut Deus voluit voluntate antecedenti omnes homines ſalvare: quia ſalus hominis ſecundum ſe, quæ eſt objectum prædictæ voluntatis, habet rationem boni, in quo, prout ſic præcisè conſiderato, non apparet ratio mali, vel impedimentum majoris boni: & nihilominus voluntate conſequenti, & efficaci non vult omnes homines ſalvare: quia prædicta voluntas reſpicit objectum cum omnibus circumſtantiis; quibus attentis ex ſalute omnium hominum ſequeretur excluſio majoris boni, quod reſplendet in manifeſtatione miſericordiæ circa electos, & juſtitiæ circa reprobos, ut ex D. Thom. vidimus *Tract. 4. diſp. 9. dub. 3.* & docent communiter alij Theologi. Ita rectè cohæret, quod Deus ductus illa voluntate antecedenti voluerit præparare auxilia ſufficientia pro omnium hominum ſalute, illaque ad hunc effectum ordinaverit: & quod nihilominus non diſpoſuerit cauſas, quibus ſemper fierent omnibus proximè applicabilia: eo quod proxima applicabilitas fieri non poteſt abſque confuſione, vel perturbatione cauſarum naturalium, quas Deus voluntate tam antecedenti, quam conſequenti invertere noluit. Sic inſtituit ſufficiens medium pro parvulo in ea ætate morienti, nempe Baptiſmum, qui tamen ipſi, ſi intra uterum matris moriatur, applicari proximè non poteſt, quin ibi vel miraculum, vel extraordinaria providentia interveniat, ut latius *num. 55.* declarabimus.

Communis auxiliorum præparatio.

43. Tandem in hoc dubio ſupponimus Deum omnibus hominibus, prout in Adamo exiſtentibus, præparaviſſe, & obtuliſſe auxilia ſufficientia ad ſalutem. Quod admittunt vel illi, contra quos diſputabimus, & probat recta fides: nam Adamus accepit juſtitiam originalem eo pacto, ut eam, ſi in ipſa perſeveraret, ad poſteros transfunderet: omnes ergo homines, prout in Adamo exiſtentes, habuerunt auxilia ſufficientia ad ſalutem, nedum oblata, verum etiam aliquomodo recepta. Unde dubium ad præſens ſtatum revocatur: & ita inquirimus, an adhuc ſuppoſito Adami peccato Deus de facto offerat, & præparet, quantum eſt de ſe, auxilia ſufficientia ad ſalutem. Porrò homines hujus ſtatus alij ſunt adulti, & rationis compotes; alij autem parvuli, vel perpetuo amentes: & omnes præſens difficultas complectitur.

Fundamentum difficultatis.

§. II.

Vera ſententia primo fundamento munitur.

Concluſio.

44. DIcendum eſt Deum ſecundum præſentem providentiam, & ſtatum præparare, & offerre omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem. Hæc concluſio eſt communis inter Theologos, quos proinde opus non eſt recenſere; poteſtque probari innumeris teſtimoniis Scripturæ, & SS. Patrum, & pluribus argumentis, quæ paſſim congerunt Auctores. Nos tamen brevitatis gratia duas tantum rationes formabimus, quibus ſelectiora

Fundamentum. ſelectiora teſtimonia inſeremus. Probatur ergo primo: quoniam mors Chriſti Domini eſt cauſa meritoria ſufficiens ad noſtram ſalutem, & ſe habet tanquam generalis quædam apotheca continens omnia auxilia, & remedia ad noſtram ſalutem neceſſaria, juxta illud Zachar. 13. *Zachar. 13.* *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris*, &c. Sed Chriſtus Dominus mortuus eſt pro omnibus hominibus: ergo Deus diſponens, & præcipiens mortem Chriſti præparavit, & obtulit omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem. Minor frequenter occurrit in ſacris litteris, ut ad Rom. 8. *Ad Rom. 8.* *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* 2. ad Corinth. 5. *2. ad Cor. 5.* *Unus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, & alibi ſæpè*, Et ſæpiſſimè inculcatur à Sanct. Patribus, Sanctus Leo Papa, *Leo Papa.* *Dominus noſter*; inquit, *peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit: ita liberandis omnibus venit.* D. Auguſtin. *D. Auguſt.* *lib. 4. contra Iulianum cap. 9. Apoſtolus unum dixit fuiſſe, in quo omnes peccaverunt: in illo uno mortui ſunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus.* Divus Hieronymus *D. Hieron.* in epiſtola ad Oecean de Bigamia, inquit: *Mentitur Ioannes Baptiſta, & digito Chriſtum, & voce demonſtrans: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit.* Et denique Angelicus Præceptor *D. Thom.* 1. *ad Timoth. 2. lect. 1. Chriſtus Ieſus eſt mediator Dei, & hominum, non quorumdam, ſed inter Deum, & omnes homines: & hoc non eſſet, niſi vellet omnes ſalvare.*

Primum effugium. 44 Reſpondent *primo* Adverſarij Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro omnibus, ly *omnibus* non ſumpto in diſtributione completa pro ſingulis generum; ſed pro generibus ſingulorum, ſicut dicitur, quod omne animal fuit in arca Noë, quia ex omnibus ſpeciebus fuerunt aliqua. Unde non ſequitur, quod Deus ſingulis hominibus offerat ex meritis Chriſti auxilia ſufficientia ad ſalutem; ſed præciſè; quod nullum ſit genus hominum, nullus ſexus, nullaque conditio, ex quibus Deus aliquos non elegerit, eiſque impertiatur auxilia ad ſalutem neceſſaria. *Alia evaſio.* *Secundo* reſpondent mortem Chriſti eſſe ex ſe ſufficiens ad remedium pro omnibus hominibus: nihilominus Chriſtum illam non ordinaſſe, nec Deum eam acceptaſſe pro omnium hominum ſalute, ſed ſolum pro electis. Quocirca ex ſummo valore mortis Chriſti non infertur, quod Deus omnibus hominibus præparaverit auxilia ſufficientia ad ſalutem: plus enim eſt præparare, vel offerre pretium ſufficiens ad aliquem effectum, quam præciſè habere pretium ex ſe ſufficiens.

Refelluntur. *D. Auguſt.* Sed utraque reſponſio facile confutatur. Prima quidem quia ut arguit Divus Auguſtinus lib. 6. contra Julianum cap. 4: *Unus*, inquit, *Apoſtolus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, oſtendens fieri non poſſe; ut moreretur niſi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Impingo, inculco, infarcio recuſanti. Unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt.* Ubi ut vides ex univerſali redemptione per mortem Chriſti probat univerſalem, & originalem maculam per Adæ peccatum: ſed peccatum Adæ omnes infecit, una Beata Virgine excepta, ly *omnes* ſumpto diſtributivè complete pro ſingulis generum, ut Adverſarij concedunt: ergo Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, ly *omnibus* ſumpto ſub eadem diſtributione: alias Auguſtinus, imo, quod plus eſt Apoſtolus, nihil concluderet.

Confirmatur primo: quoniam ſinguli homines in particulari tenemur credere fide divina Chriſtum Dominum eſſe noſtrum redemptorem, idque confitemur in ſymbolo dicentes: *Roboratur impugnatio.* *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*, &c. Sed fidei divinæ nequit ſubeſſe falſum: ergo Chriſtus redemit ſingulos in particulari, & meruit auxilia ad ſalutem neceſſaria non ſolum generibus ſingulorum, ſed etiam ſingulis generum. Et hinc refellitur alia evaſio Adverſariorum dicentium ea verba ſymboli applicanda eſſe prædeſtinatis: quoniam omnes in particulari tenemur illa verba dicere, & credere: & tamen nullus in particulari tenetur credere ſe eſſe prædeſtinatum: remedium ergo paſſionis Chriſti præſtat veram ſufficientiam ad ſalutem non ſolum electis, ſed etiam omnibus hominibus, ut confutando aliam reſponſionem magis explicabimus.

Confirmatur ſecundo deſtruendo motivum Adverſariorum: *Evertitur fundamentum contrarium* nam ideo diceretur Chriſtum Dominum non fuiſſe mortuum pro ſingulis hominibus in particulari, quia ſunt aliqui homines, quibus paſſio Chriſti non prodeſt cum effectu æternæ ſalutis, ut patet in innumeris reprobis: atqui certum eſt Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro aliquibus reprobis: ergo mortuus pro omnibus, & ſingulis hominibus in particulari. Minor præterquam quod ſatis liquet in pluribus reprobis, qui de facto habent ex morte Chriſti gratiam habitualem, & omnia alia media ſufficientia ad ſalutem, inſuper probatur: quia Chriſtus oravit, ac perinde obtulit paſſionem ſuam pro ſuis crucifixoribus, ut patet Luc. 23. *Pater dimitte* *Luc. 23.* *illis, quia neſciunt quid faciunt*: & tamen aliqui ex crucifixoribus erant reprobi: ergo Chriſtus pro aliquibus reprobis mortuus eſt. Unde eleganter Divus Cyprianus ſerm. de paſſione *D. Cyprian.* Domini poſt medium: *Mediator inter nos, & Patrem eras pro his, qui ad dolorem vulnerum tuorum opprobria addiderunt, & pro inimicis impetras veniam, ſupplicas, & obſecras, ut hac eis iniquitas dimittatur, & à morte tua habeantur innoxij ipſi, qui ſanguinem ſuper ſe, & ſuper filios ſuos manere precantur, uſque adeo excæcati, ut ſcelus ſuum non intelligant, nec odium Chriſti ipſa mors crucifixi extinguat.* Et Div. Auguſt. *D. Auguſt.* ſerm. 4. de Sanctis, inquit: *Quando Chriſtus in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos, ſed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant, & ille orabat: illi dicebant Pilato, crucifige; ille clamabat, Pater ignoſce.* Et Divus Thomas *Ioan. 19. lect. 5.* ait: *D. Thom.* *Per hoc, quod dicit, ſitio; oſtenditur eius ardens deſiderium de ſalute generis humani* 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines ſalvos fieri. Vehemens autem deſiderium conſuevimus exprimere per ſitim.*

45. Ex quibus etiam refellitur ſecunda reſponſio: tum quia ut nuper vidimus, Chriſtus Dominus oravit pro ſalute omnium hominum; *Diruitur ſecunda reſponſio.* ſed oratio ad aliquid impetrandum eſt quædam ordinatio ad illud conſequendum: ergo mors Chriſti Domini fuit non ſolum pretium

quoniam ipſi, ut inquiunt, non ſolum opinantur, ſed firmiſſime credunt omnem gratiam internam, quæ de facto datur, & ſine qua actus ſupernaturales fieri non valent, eſſe reipſa non ſolum ſufficientem, ſed etiam efficacem, inferreque infallibiliter ſuum effectum: ergo Adverſarij, quando non eliciunt actus ſibi injunctos, certo cognoſcunt ſe nullam habere gratiam internam, & eſſe ſimpliciter, & antecedenter impotentes ad adimplendum præcepta: ſed impotentia antecedens, & cognita excuſat à peccato: ergo non peccant omittendo actus, cum inſtat præceptum. Quo quid abſurdius? Deinde licet facile admittamus, quod per accidens poſſit homo peccare omittendo actum, quem defectu alicujus requiſiti, vel comprincipij elicere non poteſt, & quam impotentiam ſi cognoſceret, eo ipſo maneret pro tunc deobligatus ab adimpletione præcepti, ut accidit in caſu, qui nobis objicitur: nihilominus per ſe loquendo, & ſecluſa ignorantia non peccat homo omittendo actum, ſi actum abſolute elicere non poteſt. Et ratio à priori eſt: quoniam præceptum, & lex non reſpiciunt niſi actus, qui ſub hominis poteſtate, & dominio ſunt, atque adeo actus, pro quibus habet ſufficientes vires vel naturæ, vel gratiæ. Regula quippe applicari non poteſt, niſi materiæ regulationis capaci: homo autem, qui per nullas vires poteſt elicere actum, ſed manet omnino determinatus ad omittendum, incapax eſt regulationis per legem: ſive enim ab extrinſeco dirigatur, ſive non, uniformiter, & neceſſario ſe habebit in omittendo, eodem fere modo ac lapis, vel equus, quibus Deus præciperet intelligere. Cum ergo peccata, quæ de facto committuntur per omiſſionem actuum ſupernaturalium, non fiant pure per accidens, & ſuppoſita ignorantia abſentiæ gratiæ ſufficientis; ſed etiam illa ignorantia ſecluſa, fiant quaſi per ſe in ordine morali: ſequitur, quod homo poſſit abſolute non omittere actus ſupernaturales; & conſequenter quod habeat vires ſufficientes ad eos eliciendos.

Impugnatur amplius.

Confirmatur, & declaratur primo: nam qui ſubdito imperat aliquem, debet vel ſupponere in eo poteſtatem ad exequendum præceptum, vel eam ipſi communicare: alias injuſte præciperet, & ſubditus ab obediendo deobligaretur: ſed Deus de facto imperat homini actus ſupernaturales, quos elicere nequit per vires naturæ, nec per vires gratiæ extrinſecæ: ergo Deus ipſo præcepto neceſſitatem ſibi imponit communicandi homini vires intrinſecas gratiæ ſufficientis ad adimpletionem prædicti præcepti, & antecedenter ad illam: ergo ſive homo adimpleat præceptum de actibus ſupernaturalibus, ſive non, habet vires ſufficientes ad illud adimplendum. Et hoc per ſe loquendo contingit: quamvis per accidens, non ſtante gratia ſufficienti, peccet homo ob pravam voluntatem, qua ſuppoſita ignorantia abſentiæ prædictæ gratiæ, vult non adimplere præceptum. Hoc enim neutiquam noſtræ rationis robur diminuit, quæ non innititur ſuppoſitionibus accidentalibus; ſed naturali, & per ſe legum, & virium diſpoſitioni. Nam ubi lex adeſt, adſunt etiam per ſe vires ad eius adimpletionem: & ubi eæ deficiunt, non urget lex; neque contra illam peccatur, niſi ſuppoſita ignorantia. Imo ipſa ignorantia non accideret, niſi gratia intrinſeca communiter conferretur.

Maior effugii confutatio.

Confirmatur ſecundo, & declaratur amplius, ſupponendo duo ſatis certa. Primum eſt legem divinam obligare non ſolum per accidens, & ſuppoſita ignorantia conſcientiæ erroneæ, ſed multo magis per ſe, & ſuppoſita vera notitia eorum, quæ ad adimpletionem eius concurrunt, & deſiderantur. Secundum eſt non ſemper requiri, quod pro tempore, quo inſtat præceptum, adſit potentia ad eius adimpletionem; ſed ſufficere, quod homo habuerit prædictam potentiam, & quod prævidens obligationem præcepti illam à ſe excluſerit, vel impedimentum ipſi oppoſuerit: tum enim omiſſio actus præcepti eſt voluntaria in cauſa: quod ſufficit, ut ſit peccaminoſa in ſe ipſa, ut diximus *Tract. 13. diſp. 5. dub. 6.* Si autem homo ſit ſimpliciter impotens tam antecedenter, quam conſequenter ad adimplendum præceptum, eo ipſo non tenetur ad adimpletionem, ut ſupra oſtendimus. Quibus ſuppoſitis roboratur ratio noſtra, & evertitur ſolutio ipſi adhibita: quoniam multoties homo non ſolum ex ignorantia, ſed vera notitia ſuppoſita tenetur ex lege divina elicere actus ſupernaturales, quos tamen non elicit: atqui multoties non prius excluſit à ſe potentiam, ſeu vires ad eius adimpletionem deſideratas, neque illis impedimentum appoſuit: præſertim cum peccatum mortale, in quod forte prius incidit, non ſit impedimentum incompoſſibile cum viribus ſufficientibus ad unum, vel alterum actum ſupernaturalem, ut ex ſe liquet: ergo multoties homo habet actu vires, & gratiam ſufficientem ad actus ſupernaturales, quos tamen in inſtante præcepto non elicit. Datur ergo de facto aliqua gratia interior ſufficiens ſeparata ab efficaci: quidquid ſit, an non ſemper urgente præcepto, & peccante homine per omiſſionem, tunc actu detur, ut Adverſarij in hac reſponſione prætendunt.

10. Reſpondent *tertio*, & quidem magis apparenter, & conſequenter ad ea, quæ proxime dicebamus, omnes homines habuiſſe in Adamo vires gratiæ ſufficientes ad præceptorum ſupernaturalium adimpletionem; quas tamen per peccatum Adami à ſe excluſerunt, incurrendo voluntariam impotentiam ad prædictam adimpletionem. Unde impotentia præſens non eſt ſimpliciter talis, ſive antecedens, ſed eſt ſimpliciter conſequens. Impotentia autem conſequens non excuſat ab impletione præcepti, nec reddit ejus omiſſionem involuntariam abſolute, ut patet in eo, qui cum haberet breviarium, illud projecit in mare: nam quamvis facta hac ſuppoſitione nequeat recitare; peccat tamen non recitando: quia illa impotentia eſt conſequens. Quamobrem ex ſe, quod homo de facto teneatur elicere actus ſupernaturales, & eos non eliciendo peccat; minime infertur, quod de facto habeat vires intrinſecas gratiæ ſufficientis; ſed ſolum, quod eas aliquando habuerit. Quam doctrinam tradit expreſſe D. Thom. 2.2. *quæſt. 2. art. 5. ad 1.* his verbis: *Auxilium quibuſcumque datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, & juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis, ut dicit Auguſt. in lib. de correct. & gratia.* Locus autem ille Auguſtini clariſſime etiam ſtat pro hac opinione, nam *cap. 11.* inquit: *Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, quamprimum facti ſunt, defuiſſet: quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio manere poſſit, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent: Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt.* Ubi ſermonem eſſe de gratia ſufficienti liquido conſtat: quia loquitur Auguſtinus de adjutorio *ſine quo non*, quod juxta ejus

Altera verſio.

D. Thom.

Auguſtin.

Digitized by Google

ejus phraſim eſt auxilium ſufficiens, ut vidimus *diſp. praced. dub. ult. §. ult.* Idem adhuc expreſſius docet in *lib.* 1. operis imperfecti contra Julianum aſſerens peccandi neceſſitatem illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt.

Multiplex evaſionis impugnatio.

11. Sed neque iſta reſponſio ſatiſfacit, & poteſt efficaciter refelli. Tum quia ad culpam perſonalem requiritur poteſtas, & libertas perſonalis: ſed quia de facto peccat omittendo actus ſupernaturales ſibi præceptos, incurrit culpam perſonalem, ut ex ſe liquet: ergo debet habere poteſtatem perſonalem ad non omittendum; & non ſufficit, quod habuerit potentiam in Adamo.

D. Thom.

Quod argumentum eleganter proponit D.Thom. *in 2. diſt. 50. quæſt. 1. art. 2.* in corpore, his verbis: *Oportet, quod ſecundum hoc, quod aliquid rationem culpa habet, ſecundum hoc ratio voluntarij in ipſo reperiatur. Sicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam, quod reſpicit perſonam: ita etiam eſt quadam culpa natura, & quadam perſona. Unde ad culpam perſonalem requiritur voluntas perſona, ſicut patet in culpa actuali: ad culpam vero natura, nempe ad peccatum originale, non requiritur niſi voluntas in natura illa.* Tum etiam nam ex contraria ſententia ſequitur motus primo primos ſenſualitatis, infidelitatem negativam, & ignorantiam invincibilem eſſe peccata perſonalia; ſiquidem fuerunt voluntaria in capite; & impotentia ea vitandi provenit ex peccato originali: conſequens eſt omnino falſum, & erroneum: ergo ad rationem peccati actualis requiritur voluntas, & poteſtas perſonalis. Tum denique quia ut aliquis effectus ſit voluntarius in cauſa, non ſufficit, quod in illa præcontineatur; ſed requiritur, quod in ea prævideatur, vel prudenter provideri potuerit: ubi enim deeſt omnis cognitio, tollitur ratio voluntarij, de cujus eſſentia eſt eſſe ab intrinſeco cum cognitione, ut communiter definiunt omnes Theologi, & Philoſophi: atqui plura ſunt de facto præcepta ſupernaturalia, quæ Adamus non prævidit, nec ſecundum diſpoſitionem illius ſtatus prævidere potuit: ergo prædictorum præceptorum tranſgreſſio non fuit voluntaria Adamo, aut nobis, prout in illo moraliter peccavimus: & conſequenter præter poteſtatem, & voluntarietatem, quam in Adamo habuimus, requiritur alia voluntas, & poteſtas perſonalis. Minor conſtat: quia in lege nova dantur aliqua præcepta ſupernaturalia propria prædictæ legis, utputa de diſpoſitionibus requiſitis ad debitam ſacramentorum receptionem: hujuſmodi autem præcepta nec prævia fuere ab Adamo, nec ex vi diſpoſitionis, & auxiliorum illius ſtatus prævideri potuerunt.

Urgetur.

Ad hæc: quamvis gratis concederemus, quod hac Adverſariorum reſponſione ſalvetur, ſaltem apparenter, inexcuſabilitas à peccato in abſentia gratiæ ſufficientis; minime tamen ſalvat hæc reſponſio, quod poſſit homo adimplere divina præcepta: atqui utrumque neceſſario ſalvandum eſt, videlicet inexcuſabilitas à peccato, & poſſibilitas adimpletionis præceptorum ſupernaturalium: ergo prædicta reſponſio nequit admitti. Minor eſt omnino certa: nam inter quinque propoſitiones Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis, quas Innocentius X. ſpeciali decreto damnavit, hæc erat prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia ſunt.* Et quamvis loquatur expreſſe de homine juſto; eadem nihilominus ratio militat in quocumque homine viatore: nam hoc ipſo, quod viator ſit, poteſt adimplere per vires gratiæ præcepta, quibus dirigitur, & per quorum adimpletionem in beatitudinem tendit: alias non eſſet viator, ſed ad inſtar damnatorum ſe haberet.

Vindicatur D. Thom. vera ſententia.

12. Nec Adverſariorum reſponſioni & doctrinæ favet D. Thom. nam eo loco ſolum docet negationem auxiliorum ad eliciendum actus ſupernaturales eſſe quandoque pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis: minime vero docet, quod homo omni auxilio deſtitutus peccet in non adimpletione præceptorum ſupernaturalium, præſertim quando nullam culpam commiſit, qua ſe reddiderit impotentem. Imo oppoſitum tradit tum *loco nuper citato ex 2. ſententiarum*, tum

D.Thom.

2. 2. quæſt. 10. art. 1. ubi inquit: *Quod ſi infidelitas accipiatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœna, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt.* Et eidem tradit *in reſponſ. ad 2.* Itaque aliud eſt, quod ex peccato conſecuta fuerit carentia auxiliorum ſufficientium ad adimplendum præcepta ſupernaturalia, aliud vero, quod ſtante omnimoda carentia prædictorum auxiliorum, non adimpletio præceptorum ſupernaturalium ſit peccaminoſa. Primum quidem verum eſt, & aſſeritur à Divo Thoma quia peccatum originale, quantum eſt de ſe demeruit omnem gratiam in poſterum conferendam: & ideo quibuſcumque negatur omnis gratia, prædicta negatio habet rationem pœnæ. Quod forte non accidit niſi in pueris decedentibus ſine baptiſmo: nam quod Deus hanc pœnam in adultis non exequatur, ſed miſericorditer omnibus concedat aliquam gratiam ſufficientem internam, eſt ſatis pium, & veroſimile, ut *dub. 3.* videbimus. Secundum autem eſt falſum, & negatur à Divo Thoma *in locis à nobis citatis*: quoniam omne peccatum perſonale ſupponit poteſtatem perſonalem ad illud evitandum. Quæ poteſtas in ordine ad præcepta ſupernaturalia ſalvari non poteſt abſque gratia ſufficienti interna: non enim poſſumus elicere actus ſupernaturales per ſolas vires naturæ. Unde etiam conſtat ad primum teſtimonium Divi Auguſtini: nam ſanctus Doctor idem aſſerit, eodemque modo exponendus eſt, ac D.Thom. In ſecundo autem ſolum intendit, quod homo lapſus habet quamdam neceſſitatem peccandi: non quia ſingula præcepta diviſim ſumpta, & prout actu occurrunt, & obligant, obſervari non poſſint; ſed quia illa nequit obſervare collective ſumpta, & per longum tempus. Quæ impotentia optime cohæret cum libertate, & poteſtate ad ſingulos actus ſibi præceptos, ut late declaravimus *diſp. 1. dub. 2. & 7.* Et quod D. Auguſtinus amplius non intendat, conſtat ex eodem ſancto Doctore *Tract. 19. in Ioannem, & epiſt. 105.* ubi expreſsè docet, quod in illis, qui non audierunt, neque potuerunt pœna peccati (nempe originalis) eſt non credere, non autem peccatum.

Ultima ſolutio.

13. Ultimo poſſet noſtræ rationi occurri dicendo, quod licet homo non poſſit adimplere præcepta ſupernaturalia per auxilia intrinſece recepta, poteſt tamen per auxilia ſibi ab extrinſeco oblata: quæ ſi peteret, ut oportet, reipſa conſequeretur. Unde ejus vitio vertendum eſt, quod præcepta ſupernaturalia non adimpleat. Deus enim paratus eſt prædicta auxilia petenti conferre.

Sed

Refellitur. Sed hæc evaſio facillime præcluditur: quoniam ut homo petat auxilia ſibi à Deo præparata, eſt neceſſarium aliquod auxilium gratiæ ſufficientis: alias non petet; ſicut oportet ad ſalutem; ſiquidem vires naturales non ſufficiunt ad orandum, ſicut oportet, ut modo ſupponimus ex dicend. *diſp.* 3. *dub.* 2. ergo verificari nequit, quod homo poſſit adimplere præcepta ſupernaturalia per auxilia oblata à Deo, quatenus valet illa petere; niſi habeat aliquam gratiam ſufficientem, qua petere poſſit. Admittenda igitur eſt aliqua gratia intrinſeca ſufficiens ſaltem ad petendum. Si enim hæc negetur, homo non habebit auxilia requiſita ad præceptorum obſervationem, nec gratiam ſufficientem ad ea conſequenda: atque ideo erit ſimpliciter impotens. Quid enim prodeſt offerre homini auxilia ſub conditione, quod ea poſtulet, ſi negetur illi gratia ſufficiens ad poſtulandum, & ita ſit ſimpliciter impotens ad ipſam conditionem.

§. III.

Difficilis objectio, & ejus enodatio.

Objectio. 14. SEd adverſus rationem, & doctrinam, quibus noſtram, & communem aſſertionem firmavimus objicies: quoniam homo lapſus tenetur aliquando elicere actum vel contritionis, vel amoris charitatis, quoad Deum ſupernaturalem finem convertatur; præſertim quando nequit ad ſacramentum pœnitentiæ accedere: ſed homo lapſus nunquam habet gratiam ſufficientem ad prædictum actum: ergo ex obligatione, qua homo lapſus tenetur obſervare præcepta ſupernaturalia; minime infertur, quod aliquando habeat gratiam ſufficientem. Probatur minor: quia juxta probabiliorem ſententiam, quam amplectemur *Tract. ſequenti diſp.* 2. *dub.* 6. actus perfectæ converſionis, quo homo ad gratiam ſanctificantem ultimo diſponitur, non oritur ab alio auxilio ſufficienti, quam ab ipſa gratia ſanctificante: hæc igitur, & non alia inferior eſt auxilium ſufficiens ad eliciendum prædictum actum: ſed homo lapſus non habet gratiam ſanctificantem; alias lapſus non eſſet: ergo homo lapſus non habet auxilium ſufficiens ad actum perfectæ converſionis.

Quorundam reſponſio. 15. Ab iſta objectione facile explicantur, qui ſentiunt actus ultimo diſponentes ad gratiam habitualem non oriri ab ipſa gratia, ſed ab auxilio actuali: reſpondent enim negando minorem primi ſyllogiſmi, & majorem ſecundi. Pungit tamen haud parum hæc difficultas eos, qui oppoſitam opinionem amplectuntur. Et relictis aliis ſolutionibus, quidam Thomiſtæ reſpondent, quod licet de facto actus ultimo diſponentes ad gratiam ſanctificantem ab eadem oriantur, queunt tamen abſolute fieri medio auxilio tranſeunti. Nam quia gratia ſanctificans continet eminenter rationem auxilij dantis poſſe ad prædictos actus; ideirco in ejus præſentia ſuperfluum dictum auxilium, & gratia habitualis ſupplet vices illius. Cæterum cum abeſt gratia habitualis, & urget præceptum converſionis; adeſt auxilium tranſiens ad illam ſufficiens. Itaque vel Deus ab æterno decrevit converſionem verbi gratia Petri in inſtanti *A*; & tunc tribuit illi gratiam habitualem, quæ prout eſt in infundi, movet hominem, & gerit munus auxilij: vel id ab æterno non decrevit, ſed potius permiſſionem peccati, & tunc quidem non tribuit gratiam habitualem: confert tamen auxilium tranſiens, quo homo poſſet abſolute actum converſionis elicere. Quod etiam accidit in aliis actibus ſupernaturalibus, qui gratiam ſanctificantem in juſtificatione comitantur: omnes enim ab eadem gratia mediis habitibus ſupernaturalibus procedunt: & tamen certum eſt, quod prædicti actus fieri valent mediis auxiliis tranſeuntibus. Idem ergo de actu charitatis, vel contritionis dicendum eſt. Unde nunquam ſequitur, quod homo teneatur ad aliquem actum, cumque omittendo peccet, & quod non habeat vires ſufficientes ad illum.

Notandum. 16. Reſponſio iſta eſt valde probabilis, & expedita: illam tamen non amplectimur, quia probabilius, & menti D.Thom. magis conſonum exiſtimamus, quod actus charitatis, & contritionis ſunt adeo perfecti, ut nec de facto, nec de poſſibili valeat oriri à ſolo auxilio actuali, ſed gratiam habitualem neceſſario expoſcant tanquam principium. Quod obiter inſinuavimus *Tract. de ultimo fine diſp.*4. *dub.* 3. *num.* 5. noſque ex profeſſo firmabimus infrà *in Tract. de Juſtificat. diſp.*2. *dub.*6. *Actus charitatis et contritionis exigunt gratiam habitualem.* Qua doctrina ſuppoſita, vires reaſſumit argumentum ſuperius factum; quoniam homo lapſus tenetur elicere aliquando actum contritionis, vel charitatis; quem elicere non poteſt, niſi elevetur, & adjuvetur per gratiam ſanctificantem: atqui homo lapſus nec habet, nec in ſenſu compoſito prædicti ſtatus habere poteſt gratiam ſanctificantem: ergo ut homo teneatur ad aliquem actum, cumque non eliciendo peccet, opus non eſt, quod habeat vires ſufficientes ad illum: & conſequenter ex eo, quod homo de facto peccet contra præcepta ſupernaturalia, perperam colligimus, quod habeat gratiam ſufficientem ſeparatam ab efficaci. *Inſtatur objectio.*

Enervantur ejus vires. 17. Hujus objectionis, quæ ſic in communi propoſita eſt ſatis difficilis, non parum dehiſcunt vires, ſi ad ſingulos homines lapſos, & eorum ſtatum applicetur. Nam vel ſermo eſt de homine lapſo, cui nunquam eſt remiſſum peccatum originale; vel de eo, qui poſtquam exuit peccatum originale, & habuit gratiam ſanctificantem, incidit in peccatum perſonale? Si de hoc poſteriori loquimur, certum eſt eum aliquando habuiſſe principium intrinſecum ſufficiens ad actum contritionis, & charitatis: ipſe vero per propriam culpam deſtruxit, & à ſe allegavit prædictum principium, & ſe fecit impotentem ad eliciendum prædictos actus. Quare illa impotentia eſt conſequens, & volita in cauſa, nempe in peccato actuali. Vnde mirum non eſt, ſi omiſſio adimpletionis ipſi imputetur, quamvis actu ſecundum ſtatum, in quo jacet, non habeat vires ſufficientes ad illam. Si autem ſermo fiat de homine adhuc exiſtenti in peccato originali; vel prædictus homo habet notitiam Dei Auctoris ſupernaturalis, vel caret prædicta notitia? Si dicatur hoc ultimum: eo ipſo non tenetur homo ille elicere actus ſupernaturales contritionis, vel charitatis: ij enim neceſſario præſupponunt ſupernaturalem Dei notitiam: & ideo negatur ſuppoſitum objectionis. Si vero dicatur primum, verum quidem eſt teneri illum hominem ad converſionem ſupernaturalem: ſed tamen per prius tenetur ad converſionem naturalem, ſive in Deum naturalem finem, quam converſionem poteſt abſolute viribus naturalibus exequi. Cum autem omittit converſionem naturalem, impedit communicationem gratiæ habitualis, & ſe voluntarie facit impotentem ad ſupernaturalem converſionem: quapropter non excuſatur à culpa; licet non habuerit principium proxime ſufficiens ad eam evitandam.

18. Pro

Alia objectio-nis ſolutio.

28. Pro qu[illegible] notan[illegible] lib. Tr[illegible]. *de peccat. diſp.* 2[illegible]. *dub.* [illegible] hominem [illegible] lege natura[illegible] teneri ad converſionem in Deum Auctorem, & finem naturalem; quæ obligatio præcipue urget in primo inſtanti uſus rationis, ſive cum primum homo cognoſcit ſuum ultimum finem, ſaltem in communi. Similiter homo elevatus ad ordinem ſupernaturalem tenetur in eodem inſtanti ſe convertere in Deum ſupernaturalem finem, ſi ipſum tunc cognoſcat; qui enim illa ſupernaturali cognitione perfunditur, deobligatur ab adimpletione propter ignorantiam. Hic autem, qui elicit converſionem ſupernaturalem, utramque obligationem adimplet; quamvis converſionem naturalem non eliciat: nam converſio ſupernaturalis naturalem converſionem eminenter continet, & utrique legi, & obligationi ſufficienter occurrit. Qui vero nullo modo convertitur, duplicem legem lædere intelligitur, videlicet naturalem, quæ dictat converſionem naturalem, & ſupernaturalem, quæ ſupernaturalem converſionem imperat. Unde vel ibi dantur duæ omiſſiones, & peccata [illegible]; vel ſaltem in eodem peccato datur duplex violatio utriuſque legis. Et quia lex naturalis intimius, & [illegible] urget, quam ſupernaturalis (illa enim neceſſario comitatur creaturam rationalem, hæc vero fundatur in elevatione accidentali ad ſuperiorem ordinem) ideireo homo ſe non convertens in primo inſtanti uſus rationis [illegible] oſtendit Deum ſub ratione finis naturalis, quam ſub ratione ſupernaturalis finis. Quodlibet autem peccatum mortale contra legem naturalem eſt impedimentum incompoſſibile cum gratia ſanctificante, ut dicemus *tractatu ſequenti diſp.* 2. *dub.* 4. Unde qui cognoſcens ſe teneri ad converſionem ſupernaturalem, cujus principium eſt gratia ſanctificans, peccat contra legem naturalem, omittendo converſionem ab hac lege præſcriptam, & pro qua ipſe habet ſufficientes vires, ut modo ſupponimus ex ſupra dictis *diſp.* 2. *dub.* 4. eo ipſo convincitur excludere, quantum eſt de ſe, principium ſufficiens ad adimplendum [illegible] converſionis ſupernaturalis: atque [illegible] excuſatur à culpa. Non enim minus [illegible] dictantem converſionem ſupernatural[illegible] voluntarie impedit, & e[illegible] ſufficientia ad prædictam converſionem, [illegible] naturalia principia non [illegible]. Ad objectionem ergo dicendum [illegible] lapſum peccare omittendo converſionem ſupernaturalem, quia vel non habet [illegible] gratiam ſanctificantem, quam a ſe voluntarie exclusit, vel ſaltem voluntarie non appoſuit [illegible] tum inconjungibile cum prædicta [illegible]. Unde omiſſio non excuſatur [illegible] impotentia [illegible]: quia eſt impotentia conſequens voluntaria perſonaliter.

Urget adhuc objectio.

29. Cæterum quamvis hæc reſponſio ſufficienter objectioni occurrat, & ſatis perſpicue explicet, qualiter homo lapſus non excuſetur à culpa, dum omittit converſionem ſibi præceptam, licet actu non habeat principium ad illam ſufficiens: [illegible] tamen animum non quietat, ſed relinquit duos [illegible] ſatis urgentes. Nam [illegible] primus [illegible] omiſſio [illegible] quam [illegible] actionem peccaminoſam, [illegible] voluntaria [illegible] non ſufficit, quod qui per [illegible] operat omnia [illegible] ſerit principium ſufficiens ad poſtea [illegible] tendum, vel appoſuerit, quantum eſt [illegible] diſtantium inconjungibile cum dicto [illegible]

ſed requiritur quod prævideat, & certo ſtatuere abfuturum eſſe [illegible] hujuſmodi principium. Si [illegible] habitum eſſe, non [illegible] omiſſio in actus præcepti, [illegible] quam [illegible]. Unde ſi quis [illegible] proficeret in [illegible] breviarium, ſperans tamen, quod [illegible] breviarium ſibi [illegible] abit, [illegible] ſe omiſſionem [illegible] que etiam ſi poſtea ob defectum breviarii [illegible] tet, omiſſio eſt voluntaria, & culpabilis; ſed potius mera negatio non voluntaria: quia nec de facto habet potentiam, nec antea impotentiam voluit. Conſtat autem, quod non omnis, qui peccat mortaliter, judicat ſibi in poſterum, & in perpetuum abfuturum eſſe auxilium ſupernaturale ad converſionem: ſed multoties ſperat [illegible], non quidem habendum ex propriis viribus, [illegible] miſericordia divina. Quæ ſpes non eſt [illegible] vana, & incerta: tum quia fundatur in experientia eorum, quæ communiter contingunt; [illegible] licet homo peccaverit, ſolet tamen Deus ei conferre gratiam neceſſariam, & ſufficientem ad converſionem: unde videmus multos peccatores converti. Tum quia innititur [illegible] Dei, & auxiliis ab eo præparatis, & [illegible] Theologicæ, quæ non amittitur per quodlibet peccatum mortale, [illegible] ratione [illegible] poſitum. Non adeſt ergo ſufficiens fundamentum, ut dicamus impotentiam proximam, quam homo lapſus habet ad ſuam converſionem ob defectum gratiæ ſanctificantis, eſſe volitam in actu præcedentis peccati; atque ideo non excuſare a culpa ſequentem omiſſionem. Alia igitur firmior, & certior via ſternenda eſt, ut objectioni occurramus.

Roboratur reſponſionis impugnatio.

Deinde quamvis hac reſponſione ſalvetur inexcuſabilitas a peccato in omiſſione converſionis, & explicetur, qualiter illa omiſſio ſit voluntaria: minime tamen ſalvatur, aut explicatur poſſibilitas adimpletionis prædicti præcepti in homine lapſo; cum tamen utrumque ſalvandum ſit, ut contra Adverſarios *num.* 9. dicebamus. Conſideremus enim puerum non baptizatum, educatum inter fideles, omittentem actum converſionis ſupernaturalis in primo inſtanti uſus rationis. Hic profecto tenetur ad converſionem in Deum ſupernaturalem, quem, ut ſupponimus, cognoſcit. Deinde non habet principium ſufficiens ad prædictam converſionem, ſiquidem tunc non habet gratiam ſanctificantem: alias tunc non peccaret. Del[illegible] principio ſufficienti ad converſionem, ad quam tunc [illegible] tenetur: atque ideo [illegible] impotentia omiſſionem, & tranſgreſſionem præcepti. Dicere autem, quod poteſt elicere actum converſionis naturalis, quem ſi eliceret, conſequeretur gratiam ſanctificantem, nihil eſt: quia converſio naturalis ſecundum ſe ſumpta nequit proxime, vel remote conducere ad conſecutionem gratiæ ſanctificantis, ut conſtat ex dictis *diſp.* 2. [illegible] 4. [illegible] ex eo, quod poſſit in Deum finem naturalem converti, minime ſalvatur, quod habeat aliquod principium [illegible] ad converſionem in Deum ſupernaturalem finem. Sic itaque ob [illegible] poteſtate [illegible] ad [illegible] ex [illegible] deſtituit [illegible] 3. [illegible]

Præmittenda pro legitima [illegible] ſolutione [illegible]

3[illegible]. R[illegible] objectionem [illegible] per [illegible], [illegible] ſit, quod licet homo adultus ad ſuam converſionem [illegible] teneatur

teneatur, eamque exequi abſolute poſſit; nihilominus ad eam communiter non accedit, niſi per alios actus inferiores, cujuſmodi ſunt actus fidei, ſpei, timoris, & attritionis: gratia enim, ſicut & natura, procedit ab imperfectis ad perfectiora.

Nota 1. Conc. Trid. Quam ſuppoſitionem clariſſime docet Concilium Trident. *ſeſſ. 6. de juſtificat. cap. 6.* cujus titulus eſt, *Modus præparationis*: ubi inquit: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud in primis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu: & dum peccatores ſe eſſe intelligentes à divina juſtitia timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet, &c.* Et deinde cap. ſequenti concludit: *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur.* Ubi, ut vides, plures actus ſupernaturales minus perfecti præcedunt communiter juſtificationem, atque ideo actum perfectæ converſionis, quæ in noſtra ſententia ab eadem gratia juſtificante procedit. Idem autem ordo, qui reperitur inter actus, conſiderandus etiam eſt inter auxilia, à quibus actus oriuntur, ut ex ſe conſtat. Unde antequam Deus impertiatur auxilium proxime ſufficiens ad perfectam converſionem, communicat plura auxilia inferiora deſervientia actibus, quibus homo ad eam converſionem diſponitur.

Nota 2. Deinde nota Deum, juxta commune Theologorum axioma, non denegare gratiam facienti; quod eſt in ſe ex viribus gratiæ. Unde homini utenti priori auxilio imperfectiori confert ſecundũ auxilium perfectius: & ei, qui utitur ſecundo, communicat tertium, & ſic de aliis uſque ad ultimum, quo poteſt perfecte converti, quodcumque illud ſit. Quapropter homo, qui elicit operationem correſpondentem primo auxilio, fit potens ſaltem mediate ad aliam operationem perfectiorem: nam infallibiliter conſequetur auxilium ſufficiens eidem perfectiori operationi proxime correſpondentem: idemque contingit in aliis operationibus ſubſequẽtib[illegible] homo per auxiliorũ abuſum, ſed non uſum, proceſſum juſtificationis, ad quã tendit, interrumpat. Sicut embrio eſt diſpoſitio ſufficiens ad hominẽ formãdum, mediate tamen, & remote: quia indiget ulterioribus, & perfectioribus diſpoſitionibus: quæ ſi ſuccedant; hominis perfecta formatio ſubſequetur: ſi autem interrumpantur, abortivum loco veræ formationis eveniet. Ita per primum auxilium internum incipit ſufficientia ad ſalutem: & ſi tam hujus, quam ſequentium auxiliorum rectus ordo continuetur; ipſa perfecta ſalus ſuccedet. Non quod hæc connexio phyſica ſit, & ex natura rei neceſſaria: ſed quia eſt moraliter infallibilis: nam Deus ita decrevit, & hoc pacto conſtituit in manu hominis ſalutem mediante gratia. Ad quod non oportet, quod Deus ſingulis momentis tribuat gratiam actualem: ſufficit enim, quod illam tribuat in aliquibus, & præſertim, quando præcepta ſupernaturalia obſervanda occurrunt, ut *dub. 3.* magis declarabimus. Nullus autem eſt adultus, cui Deus aliqua prima auxilia ſufficientia ſupernaturalia non tribuat, maxime vero in primo inſtanti uſus rationis, ut *eodem loco* dicemus. In hac quippe communicatione explicatur voluntas illa generalis, qua vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.

21. Ex quibus duo neceſſario conſequuntur: primum eſt nullum hominem obligari elicere in aliquo inſtanti actum ſupernaturalem, qui non habeat auxilium ſufficiens ad ejus adimpletionem, vel immediate in ſe ipſo; vel mediate in alio auxilio, quo poſſit perfectius auxilium conſequi. Secundum eſt omnem hominem adultum habere auxilium ſufficiens ad ſuam converſionem, vel immediate in ſe ipſo, vel mediate in alio auxilio, quo ſi uteretur, aliud perfectius, & proxime ſufficiens conſequeretur. Auxilia enim inferiora diſponunt, & habilitant homines ad conſequendum, ſaltem impetrative, & media oratione, auxilia magis perfecta, ut ſignificat Auguſt. *lib. 4. contra Iulianum cap. 8.* ubi ait: *Ut videlicet intelligamus, docentibus vobis, ideo non omnes ſalvos fieri, quia ipſi nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere, cum Deus velit oſtendere: nolunt pulſare, cum Deus velit aperire.* Quam doctrinam ut veram ſuppoſuimus *in Tract. 13. diſput. 20. dub. 1. num. 27.* eamque ex profeſſo firmabimus *infra dubio 3.* Conſectaria præcedentis doctrinæ. Auguſtin.

Hinc ad objectionem facile conſtat: concedimus enim hominem lapſum in ſenſu compoſito prædicti ſtatus non habere auxilium proxime ſufficiens ad ſuam converſionem, nempe gratiam habitualem: negamus tamen, quod non poſſit abſolute elicere actus, quibus convertatur. Quoniam habet plurima auxilia actualia cum prædicto ſtatu compoſſibilia, quibus ſi recte utatur, credendo, ſperando, petendo, pulſando, ac denique faciendo totum, quod eſt in ſe ex viribus prædictorum auxiliorum; certo, & infallibiliter conſequetur à Deo gratiam habitualem, per quam & ſtatum lapſus deſtruet, & actum converſionis ſibi præceptum eliciet. Quod ſi Deus hanc gratiam, urgente prædicto præcepto, negat; ideo eſt: quia homo prius defecit in uſu præcedentium auxiliorum. (Quamvis etiam multoties, licet homo abuſus fuerit prædictis auxiliis, & per repetita peccata indignum gratia ſanctificante ſe fecerit; Deus omnino miſericorditer hujuſmodi gratiam ipſi communicet) Conſtat etiam hominem lapſum non ſolum eſſe inexcuſabilem ab omiſſione converſionis, quando urget præceptum; ſed etiam poſſe per aliquid intrinſecum ad Deum converti, & dictum præceptum adimplere: quod reſponſio ſupra tradita minime componebat, ut ſupra *num. 9.* vidimus. Nam licet homo lapſus non habeat auxilium proxime ſufficiens ad ſuam converſionem; habet nihilominus plura auxilia remota, quibus ſi recte utatur gratiam habitualem infallibiliter impetrabit. Quomodo autem cum hac doctrina cohæreat dari plures homines, imo populos integros, qui ſint infideles negative, *dub. 3.* conſtabit. [illegible]

22. Dices: ſi homo, qui facit totum, quod eſt in ſe ex vi præcedentium auxiliorum, conſequitur ulterius auxilium; ſequitur, quod omnis, qui elicit actum attritionis ſupernaturalis, infallibiliter conſequatur gratiam ſanctificantem: conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens. Sequela oſtenditur: nam inter actus præcedentes gratiam habitualem attritio eſt, quæ magis, ſeu proximius ad juſtificationem diſponit: ergo qui elicit attritionem, facit totum, quod eſt in ſe ex vi auxiliorum præcedentium gratiam ſanctificantem: ergo ſi facienti totum, quod eſt in ſe ex vi auxiliorum præcedentium, Deus infallibiliter confert ulterius Replica.

ulterius auxilium; ſequitur, quod omnis, qui elicit attritionem, gratiam ſanctificantem infallibiliter conſequatur. Falſitas autem conſequentis etiam liquet: nam plures habent veram & ſupernaturalem attritionem: & tamen adhuc non conſequuntur gratiam ſanctificantem: alias qui cum attritione accedit ad ſacramentum pœnitentiæ, antequam abſolveretur, haberet gratiam ſanctificantem; quod eſt omnino falſum.

Reſpondetur negando ſequelam. Quoniam dupliciter poſſumus intelligere, quod peccator eliciat attritionem. *Primo* in eo ſtatu, in quo poſſit eam conjungere cum ſacramento, quod attritis conferat gratiam, ut ſecundum præſentem providentiam, & inſtitutionem Chriſti Domini contingit. Et in hoc ſenſu non dicitur homo facere, quod eſt in ſe ex vi auxiliorum præcedentium juſtificationem, niſi re ipſa, ſaltem cum poteſt, recipiat ſacramentum. Unde non ſequitur inconveniens, quod ſequelæ improbatio evincere intendit. Ubi autem quis cum attritione ſacramentum recipit, infallibiliter conſequitur juſtificationis gratiam: non quia attritio ſecundum ſe ſive ex propriis illam neceſſitatio phyſice, aut moraliter inferat; vel quia homo eliciens attritionem faciat omne, quod ex vi auxiliorum juſtificationem antecedentium abſolute poteſt: ſed quia Deus ob merita Chriſti Domini ſic miſericorditer in lege gratiæ diſpoſuit. Per quod obiter diluitur ſequelæ probatio. *Secundo* poteſt conſiderari in ſtatu, in quo vel attritioni cum ſacramento non ſit promiſſa gratia, ut in lege veteri contingebat, vel homo non poſſit attritionem cum ſacramento conjungere, ut ſecundum præſentem providentiam per accidens aliquando contingit. Et in hoc ſenſu negamus, quod homo faciat omne, quod ex vi auxiliorum juſtificationem præcedentium valet, eliciendo præciſe attritionem: unde non ſequitur, quod infallibiliter, & immediate juſtitiam conſequatur. Poteſt enim plures alios actus elicere, in eorumque elicientia, aut repetitione perſeverare, ut credere, ſperare, orare, & pulſare ad oſtia divinæ miſericordiæ. Quod ſi, ut debet, faciat; dubitandum non eſt, quod conſequetur gratiam juſtificantem, quæ eſt principium perfectæ converſionis. Non quia prædicti actus illam gratiam phyſice inferant, vel quia eam mereantur, ſed quia ex Dei miſericordia, ex cujus auxiliis procedunt, habent vim impetrandi. Quam doctrinam haud obſcure tradit Divus Thomas 2. 2. *quæſtione* 83. *articulo* 16. ubi inquirit: *Verum peccatores orando impetrent aliquid a Deo?* Et reſpondet affirmative: *non quaſi ex juſtitia*, inquit, *quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia: obſervatis tamen quatuor præmiſſis conditionibus, ut ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem pie, & perſeveranter.* De oratione autem habente hujuſmodi conditiones dixerat articulo præcedenti. *Et ideo ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus ſemper aliquis impetrat, quod petit, ut ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, pie, & perſeveranter.* Unde attritionem hanc orationi, aliiſque pietatis operibus conjunctam non dubitamus conſequi impetrative Dei gratiam vel dandam in ſacramento, ut in præſenti ſtatu per ſe loquendo contingit, vel extra ſacramentum, ut olim contingebat, & nunc etiam per accidens, ubi quis nequit ad ſacramentum accedere. De qua attritione, ut à contritione diſtinguitur, inquit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt.* Videantur, quæ infra dicemus *Tract.* 16. *diſp.* 6. *num.* 76. Quanta vero debeat eſſe horum actuum continuatio, aut perſeverantia, aut multiplicatio, ut gratiam juſtificationis intra, vel extra ſacramentum infallibiliter impetrent, nequit à nobis metaphyſice determinari: ſed ad Dei diſpoſitionem ſpectat. *Quædam enim*, inquit Divus Thomas *quæſtione citata articulo* 15. *non negantur, ſed ut congruo dentur tempore, differuntur, ut Auguſtinus dicit ſuper Joannem. Quod tamen poteſt impediri, ſi in petendo non perſeveret.* Videantur, quæ diximus *loco ſupra citato ex Tractatu* 13. *a numero* 28. quibus major lux accedet ex infra dicendis *dubio* 3. per totum.

§ IV.

Adverſariorum motivis occurritur.

23. Oppoſitam ſententiam aſſerentem nullum de facto dari gratiam interiorem pure ſufficientem; ſed omnem veram gratiam interiorem eſſe efficacem videtur tenuiſſe Michael Baius, ut evincit Ripalda *loco citato*. Illam etiam docuit Cornelius Janſenius *lib.* 3. *de gratia Salvatoris cap.* 13. & Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus in libro, quem *Conſtitutionis Innocentii X. defenſionem* appellat. Sed præcipui hujus aſſertionis fautores ſunt hæretici noſtri temporis: quorum dicta citatus Ripalda lato calamo tranſcripſit *ſect.* 2. ſufficiat audire Calvinum in antidoto ad Tridentinum *ſeſſ.* 6. §. *Porro*, ubi ait: *Motus Spiritus ſancti ſic eſt efficax, ut fidem ſemper gignat, quæ ſola autumat hominem juſtificari.* Et Petrus Molineus ejuſdem furfuris homo ſcripſit: *Peſſimum, quod in opinionibus iſtis nuper reperio, eſt gratia iſta ſufficiens, quam dicitur Deus dare omnibus hominibus*, ut refert Malderus Epiſcopus Antuerpienſis 12. *fol.* 485.

Error contrarius.

Michael Baius.

Cornel Janſenius.

Anton Arnaldus.

Calvinus.

Petr Molin.

Malderus.

24. Probant hanc ſententiam citati Auctores innumeris teſtimoniis Scripturæ, & SS. Patrum, & præcipue D. Auguſtini, & D. Thomæ: ex quibus tamen, ut prolixitatem vitemus, ſelectiora tantum, & urgentiora ponderabimus; eaque ut magis premant, ſi premunt, ſub forma argumenti proponemus. Arguitur ergo primo: nam auxilium ſufficiens eſt, quod præſtat poteſtatem ad agendum: ſed de facto poteſtas ad agendum provenit ab auxilio efficaci: ergo de facto nullum datur auxilium ſufficiens, quod efficax ſimul non ſit. Minor, in qua ſola eſt difficultas, probatur *primo* ex Scriptura Joan. 22. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum:* auxilium autem, quo homo trahitur ad Chriſtum eſt efficax: ergo nemo habet potentiam, ut ad Chriſtum veniat, niſi ab auxilio efficaci. *Secundo* ex Divo Auguſtino *in libro de geſtis Pelagii*, ubi inquit: *Sine gratia Dei nemo recte vivit, ſine gratia Dei id, ad quod adjuvat, fieri non poteſt:* gratia autem, qua recte vivimus, eſt efficax; ſine qua tamen aſſerit Auguſt. fieri non poſſe id, ad quod adjuvat: poteſtas ergo ad agendum provenit à gratia efficaci. *Tertio* nam D. Thom. *in præſenti qu.* 109. fere per totam nihil frequentius inculcat, quam hominem non poſſe ad Deum converti, niſi à Deo convertente: ſed convertit hominem ad ſe per

Primum fundamentum ab auctoritate.

Joan. 22.

D. Auguſt.

per auxilium efficax: ergo potentia hominis, ut in Deum convertatur, eſt ab auxilio efficaci.

Proſternitur. Reſpondetur negando minorem; quoniam auxilium efficax eſt pura reductio virtutis operativæ præexiſtentis ad actum agendi; unde non præſtat potentiam, ſed aliunde, & per alia auxilia conſtitutam ſupponit, ut *diſp. præced. dub.* 6. inſinuavimus, & magis conſtabit ex infra dicendis *diſp. ſeq.* per totam. Nunquam tamen reducetur potentia, vel virtus operativa ad actum agendi, niſi applicetur per auxilium efficax. Et ideo auxilium ſufficiens ſe ſolo præſtat poteſtatem antecedentem, & in ſenſu diviſo, quæ eſt potentia ſimpliciter: auxilium autem efficax dat poteſtatem conſequentem, ſive actui infallibiliter conjunctam. Unde ex denegatione auxilij efficacis ſolum ſequitur impotentia conſequens, & in ſenſu compoſito, quæ eſt potentia ſecundum quid. Et in hoc ſenſu procedunt teſtimonia, quæ ad probationem minoris adducuntur: cum enim aſſerunt neminem poſſe venire niſi à Patre trahente, neminem poſſe converti niſi à Deo convertente &c. loquuntur de poteſtate conſequenti, & cum effectu infallibiliter conjuncta: hæc enim prout talis, eſt effectus gratiæ efficacis. Cum hoc autem recte cohæret, quod homo auxilio efficaci carens habeat poteſtatem antecedentem, & in ſenſu diviſo, quæ eſt effectus gratiæ ſufficientis. Quæ interpretatio ſatis aperte colligitur ex D. Thom. nam ſicut aſſerit non poſſe hominem converti, niſi Deo convertente: ita frequenter tota illa quæſtio & præcipue *art.* 1. docet nullam creaturam poſſe operari, niſi a Deo moveatur: & tamen certum eſt plures cauſas ſecundas naturales, priuſquam moveantur à Deo habere potentiam ſufficientem ad operationes ſibi correſpondentes. Loquitur ergo S. Doctor de impotentia conſequenti, in ſenſu compoſito, & ſecundum quid: cum qua recte cohæret antecedens, in ſenſu diviſo, & ſimpliciter.

Secundum argumentum. 25. Arguitur ſecundo: quia illa gratia, ad quam infallibiliter ſequitur operatio, eſt efficax; ſed nulla eſt gratia interior, ad quam de facto non ſequatur infallibiliter effectus: ergo nulla eſt gratia interior, quæ non ſit efficax: ergo nulla eſt pure ſufficiens. Probatur minor: tum quia *Auguſtin.* Auguſtinus ex præſentia gratiæ interioris colligit effectum operis infallibiliter ſecuturum: ſic enim ait ſerm. 43. *Agis, ſi ageris, & bene agis, ſi à bono ageris*, & epiſt. 107. ad Vitalem, *Gratia dat merita ipſa, cum datur*, & lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Illud autem neſcio, quomodo dicatur, fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, jam volumus. Ad eandem quippe miſericordiam pertinet, ut velimus.* Ubi ut vides, connexionem, ſeu conſecutionem infallibilem adſtruit inter gratiam interiorem, & ejus effectum. Tum etiam quia idem S. Doctor ex negatione effectus colligit gratiam interiorem non fuiſſe communicatam; ita enim habet in lib. de prædeſtinatione Sanct. cap. 8. *Qui credunt prædicatore forinſecus inſonante, intus a Patre audiunt, atque diſcunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt.* Et lib. de gratia Chriſti cap. 13. inquit: *Qui novit, quid ſit, quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem.* Hæc autem Auguſtini conſecutio nulla foret, ſi omnis gratia interior infallibiliter ſuum effectum, pro quo datur, non conſequeretur.

Aliquorum reſponſio. Reſpondetur negando minorem: quia plurima ſunt auxilia, quibus homo reſiſtit, & quæ propria operatione defraudat, ut ſupra vidimus *num.* 6. Ad probationes autem in contrarium reſpondent Ripalda *loco citato ſect.* 26. & alij Molinæ diſcipuli illam conſecutionem inter gratiam, & cooperationem noſtram, quam tanta energia ponderat Auguſtinus, non fundari in entitate ipſorum auxiliorum, ſed in ipſa cooperatione arbitrij vel exercita, vel per ſcientiam mediam præviſa: unde cum nos poſſimus cuilibet auxilio diſſentire, illudque inefficax reddere, ſalvare ſibi videntur omnia auxilia ex ſe tantum eſſe ſufficientia.

26. Sed hæc reſponſio petit principium, & non ſatisfacit Adverſariorum argumento, nec conſonat menti D. Auguſtini. Si enim illa conſecutio toties ab Auguſtino intenta, & inculcata fundatur in gratia; & libero arbitrio jam ſimul cooperantibus; nihil aliud dicet Auguſtinus, quam gratiam operari, ſi operetur, & liberum arbitrium operari, ſi operetur: & ita ex operatione eandem operationem colliget. Quo quid abſurdius, & magis puerile? Id vero non intendit Auguſtinus, ſed modo longe diverſo procedit, ut ipſa ejus teſtimonia clamant: nam comparando gratiam Dei, & operationem arbitrij, ex gratia infert arbitrij operationem. Non quia ſola gratia operationem cauſat, ſed quia gratia facit, ut arbitrium infallibiliter operetur. Quæ motio apud Auguſt. eſt adeo efficax, & infallibilis, ut dicat *in lib. de geſtis Pelagij c.* 3. *Proculdubio plus eſt agi, quam regi. Qui enim regitur, aliquid agit: qui vero agitur, agere aliquid in ſe vix intelligitur. Tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere: Quotquot Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* *Eſt inſufficiens.*

Legitima ſolutio. Aliter ergo, & ſatis perſpicue ad prædicta teſtimonia reſpondetur duplicem ſecundum Auguſtinum eſſe gratiam interiorem, ut vidimus *diſp. præced. dub. ult. §. ult.* nempe efficacem, quam vocat *congruam*, & *ſecundum propoſitum*, & pure ſufficientem, quam appellat *non congruam*, & *non ſecundum propoſitum.* Quando ergo S. Doctor ex præſentia gratiæ colligit effectum infallibiliter mox futurum, & quando ex hujus negatione infert abſentiam illius; loquitur de gratia efficaci. Hæc quippe habet prædictam connexionem; non vero gratia pure ſufficiens, ut ipſimet Adverſarij admittunt in gratia Adamo collata, quæ perſeverare potuit, & tamen non perſeveravit. Et quod hæc ſit legitima D. Auguſtini ſententia conſtat *ex lib. de gratia Chriſti cap.* 13. ubi vim, & fundamentum illationum, quas locis citatis proponit, explicat his verbis: *Sic enim docet Deus eos, qui ſecundum propoſitum* (pende verba) *vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. Unde ad Theſſalonicenſes ſic Apoſtolus loquitur: De charitate autem fraternitatis non opus habetis vobis ſcribi: nam ipſi vos à Deo didiciſtis, ut diligatis invicem. Atque ut probaret eos à Deo didiciſſe, ſubjunxit: Etenim facitis illud in omnes fratres in univerſa Macedonia. Tanquam hoc ſit certiſſimum indicium, quod à Deo didiceritis, ſi id, quod didiceritis, feceritis. Iſto modo ſunt omnes ſecundum propoſitum vocati.* *D. Auguſt.*

27. Arguitur tertio: quia nemo petit id, quod jam habet: ſed homo petit à Deo auxilia, quibus poſſit adimplere divina præcepta: ergo homo non habet auxilia, quibus poſſit prædicta præcepta obſervare: atqui gratia ſufficiens præſtat poteſtatem ad obſervandum divina præcepta: ergo homo non habet gratiam ſufficientem. Minor primi ſyllogiſmi, in qua ſola eſt difficultas, probatur ex D. Auguſtino *in lib. de gratia, & libero arbitrio* *Tertium argumentum.* *D. Auguſt.*

Digitized by Google

arbitrio cap. 16. ubi inquit: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri.* Quibus ipſe reſpondet: *Quis hoc neſciat? ſed jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Sentit ergo S. Doctor hominem non habere auxilia ſufficientia ad plura præcepta, ad quæ tenetur.

Confirmatio. Confirmatur ſecundo deſtruendo fundamentum noſtræ aſſertionis: nam ſi daretur gratia ſufficiens ſeparata ab efficaci, maxime ut per eam poſſit homo adimplere præcepta ſupernaturalia, ad quæ tenetur: ſed multoties homo non poteſt adimplere divina præcepta, ad quæ tenetur: ergo nullum eſt fundamentum ad aſſerendum dari gratiam ſufficientem ſeparatam, vel diſtinctam ab efficaci. Probatur minor ex D. Auguſtino, qui

Item August. pluribus in locis ſignificat homines cognoſcentes, volentes, & conantes adimplere divina præcepta, non poſſe ea obſervare, & tamen illa non obſervando peccare. Nam in *libro de perfectione juſtitiæ cap. 3.* reſpondens ad 9. objectionem Cæleſtii inquit: *Per arbitrii libertatem factum eſt, ut eſſet homo cum peccato. Sed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſſitatem. Unde ad Deum fides clamat: De neceſſitatibus meis educ me. Sub quibus vel non poſſumus intelligere, vel cum quod intellexerimus, volumus, non valemus adimplere.* Et *ſerm. 4. de verbis Apoſtoli* docet, quod cum Chriſtus dixit Paulo, *ſufficit tibi gratia mea*, ſignificavit, *Volo, ut velis: ſed non ſufficit, ut velis*: quaſi indicans hominem etiam volentem, & deſiderantem non poſſe adimplere legem Dei. Qui etiam ſerm. in *tractatu 34. in Joannem* aſſerit: *Forte conaris, & non potes.* Et *Pſalm. 106.* loquens de peccatore volente vincere vitia inquit: *Conatur, & non poteſt.* Et *Pſalm. 53.* ait: *Homo plerumque ſibi ignotus eſt: quid ferat, & quid non ferat, ignorat: & aliquando præſumit ſe ferre, quod non poteſt,* &c. *Proinde Petrus præſumpſit, neſcio quid, quod in illo nondum erat, uſque ad mortem ſe cum Jeſu Chriſto perſeveraturum. Vires ſuas ignorabat.* Ubi aperti[illegible] ſignificat D. Petrum non habuiſſe vires ſufficientes ad perſeverandum, & non potuiſſe vitare peccatum negationis.

Confirmatio ſecunda. Confirmatur ſecundo: quoniam Judæi tenebantur legem obſervare, eamque non obſervando peccabant: & tamen Judæi non habebant auxilia ſufficientia ad ipſius legis obſervationem: ergo ex obligatione obſervandi præcepta ſupernaturalia minime infertur, quod habeant is auxilia ſufficientia diſtincta ab efficacibus. Probatur mi-

D. August. nor ex D. Auguſt. *lib. de Spiritu & littera cap. 19.* ubi ait: *Lex data eſt, ut gratia quæreretur: gratia data eſt, ut lex impleretur.* Ubi contrapoſnit beneficium collatum Judæis, quod eſt lex, beneficio communicato Chriſtianis, quod eſt gratia: Judæi ergo habuerunt legem, qua quærerent, non gratiam, qua legem obſervarent. Unde *ſerm. 6. de verbis Apoſtoli cap. 7.* inquit: *Lex jubebat, & non implebat: quia caro, ubi non erat gratia, invictiſ-*

Idem. *ſime reſiſtebat.* Quod expreſſius adhuc tradit D. Thom. *1. 2. q. 98. art. 6.* ubi diſtinguit bonos, & malos Judæos veteres: aſſeritque prioribus collatam fuiſſe legem in auxilium, poſterioribus vero ad ſuperbiam convincendam: ergo quibuſdam ſaltem Judæis nulla gratia interior ſufficiens communicata fuit; ſed ſola lex extrinſeca. Et *eadem 1. 2. quæſt. 106. artic. 2. ad 2.* docet legem veterem ſuam Dei non operari, quia quantum eſt de ſe, dat

auxilium ſufficiens ad non peccandum: atqui lex vetus iram Dei operabatur, ut expreſſe tradit Apoſtol. *ad Rom. 4.* ſentit ergo D. Thom. quod **D. Thom.** in veteri lege non dabantur auxilia intrinſeca ſufficientia ad non peccandum. Et *in reſponſ. ad 3.* addit ex Auguſt. veterem legem in tabulis lapideis ſcriptam dici ab Apoſtolo *miniſtrationem mortis*, legem vero novam ſcriptam in tabulis cordis carnalibus appellari *miniſtrationem Spiritus*, quia per donum Spiritus operamur recte, & a mortis damnatione liberamur. Quæ differentia non ſubſiſteret, ſi in lege veteri collata fuiſſent auxilia ſufficientia ad legis obſervationem.

Confirmatur tertio: quia ſunt quidam homines adeo mali, ut eos vocet Scriptura *obduratos*, **Tertio.** & *excæcatos*, quos tamen obligari divinis præceptis, certius eſt, ut dubitari nequeat: ſed obdurati, & excæcati nullam gratiam interiorem recipiunt: hæc ergo inſufficientia colligitur ex obligatione ſervandi divina mandata. Probatur minor ex Auguſtino pluribus in locis, nam aſſerit in **Auguſtin.** *lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2.* *Deum nolle illorum miſereri*, & *tract. 53. in Joan. eos deſerere non adjuvando*, & *Pſal. 147. eos non vocare, nec eis aperire ſenſum, nec infundere gratiam*, & *lib. de perfect. juſtitiæ cap. 19. eos deſtituere omni lumine veritatis, & divino adjutorio.* Quæ falſa eſſent, ſi Deus induratis, & excæcatis gratiam ſufficientem interiorem impertiretur.

28. Hoc argumentum, & ejus confirmationes **Reſponſio ad argumentum.** tangunt difficultatem infra *dub. 3.* ex profeſſo examinandam, an videlicet Deus omnibus, & ſingulis hominibus conferat reipſa auxilia ſufficientia ad ſalutem. & profecto non impugnant noſtram concluſionem, quæ ſolum indefinite aſſerit dari de facto aliquam gratiam ſufficientem ſeparatam ab efficaci, quidquid ſit, an omnes homines, & in omni ſtatu, & ſub omni diſpoſitione prædictam gratiam recipiant. Sed nihilominus oportet illis breviter occurrere: quia impugnant, ſaltem ex parte, fundamentum noſtræ aſſertionis. Ad argumentum igitur dicendum eſt potius ex ipſa oratione convinci dari aliquam gratiam ſufficientem diſtinctam ab efficaci. Nam ſi Auguſtinus aſſerit poſſe homines ſervare divina præcepta, quia poſſunt orare, & orando conſequi auxilia, quæ ad prædictam obſervationem requiruntur; profecto ſupponit dari de facto auxilium ad orandum neceſſarium: alias eodem modo, & æque immediate, eſſemus impotentes ad orandum, ac ad obſervandum præcepta: & conſequenter oratio non eſſet medium ad prædictam obſervationem. Fatemur ergo hominem non petere id, quod evidenter cognoſcit ſe habere: ſed nihilominus ad petendum, ſicut oportet, debet aliquam gratiam habere. Et quia frequenter hac gratia non utitur, ſed multoties abnuendo deſiſtit, cum orare poſſit; ſequitur habere aliquam gratiam ſufficientem diſtinctam, & ſeparatam ab efficaci. Quam doctri- **D. Auguſt.** nam aperte tradit D. Auguſt. in teſtimonio, quod nobis objicitur, ait enim: *Ipſa fides orando impetrat, quod lex imperat.* Cum autem aſſerit, quod non poſſumus ſervare aliqua præcepta, vel loquitur de poteſtate per vires naturæ, quæ inſufficientes ſunt ad præcepta ſupernaturalia, vel de poteſtate ſupernaturali omnino proxima, quæ opus non eſt [illegible], ut ſupra expoſuimus [illegible] 8.

Ad 1. Confirmationem. Ad primam confirmationem reſpondetur negando minorem, quam minime docet D. Auguſt. in teſtimoniis, quibus eam ſuadere contendunt Adverſarii. Nam cum in primo teſtimonio aſſe-

rit hominem non poſſe implere præceptum, cum vult, & quod illa neceſſitas provenit ex peccato præcedenti, loquitur ad mentem Cœleſtij, cujus objectioni occurrit. Porro Pelagianus ille aſſerebat hominem poſſe per vires naturæ omnia Dei præcepta adimplere; ſiquidem ea obſervare tenetur: cui reſpondet Auguſtinus negando, quod poſſit, *etiam ſi vellet*, voluntate utique, & volitione pure naturalibus, de quibus loquebatur hæreticus: & ſimul docet, quod ad hanc impotentiam ſe reduxit natura humana excludendo per Adami peccatum juſtitiam originalem, qua poterat. Minime tamen aſſerit Auguſtinus, quod ſimus prorſus impotentes ad præceptorum obſervationem: ſed potius deſignat gratiam ſufficientem orationis, qua ſaltem mediate poſſimus: quia videlicet orando conſequimur auxilia immediate concurrentia ad hujuſmodi orationem: Unde, inquit, *ad Deum fides clamat, de neceſſitatibus meis educ me.* Fides autem, & plurima, quæ illam comitantur, gratiam ſupernaturalem, & ſufficientem important.

Teſtimonia D. Auguſt. explicantur.

Eundem ſenſum continet ſecundum teſtimonium: nam ſolum intendit non ſufficere velle naturale, imo nec velle ſupernaturale imperfectum ad obſervantiam divinæ legis. Et ideo poſtquam dixit: *Non ſufficit, ut velis*, ſubjunxit: *Adjuvandus es, ut plenè velis, & impleas, quod velis*: & poſtea: *ſi vis evadere legem minantem, fuge ad Spiritum adjuvantem. Clama ad Deum tuum, ut adjuvet te.* Ubi aperte ſupponit auxilium ſufficiens immediate ad orandum; quod eſt ſufficiens mediate ad obſervandum præcepta.

In aliis duobus teſtimoniis, in quibus aſſerit *Conaris, & non potes; Conatur, & non poteſt*, loquitur etiam vel de conatu naturali, qui inſufficiens eſt ad ſervandum ſupernaturalia præcepta, vel de conatu ſupernaturali imperfecto, cui opus eſt adjicere novas, & majores vires ad vincenda vitia, & ad perfectam legis obſervationem. Et ideo *in libro de natura, & gratia cap. 16. monet hominem orare ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat, quod jubetur.* & cap. 17. inquit: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam* (ecce aliquod auxilium gratiæ faciens voluntatem bonam) *ſed adhuc parvam, & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit & robuſtam.*

Ultimum teſtimonium eodem modo interpretandum eſt: nam licet D. Petrus, & alij putaverint habere gratiam omnino adæquatam ad actus excellentes, cujuſmodi eſſet victoria illius graviſſimæ tentationis circa negationem Chriſti: illam tamen aliquando non habuerunt. Sed nihilominus ex vi gratiæ, quam habebant, potuerunt orare, & orando conſequi prædictam gratiam. Quod aperte ſignificat Auguſt. *loco proxime citato cap. 17.* dicens: *Ipſam charitatem* (nempe robuſtam) *Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Et tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat: Animam meam pro te ponam.* Qua gratia ſi Petrus uteretur orando, auxilium omnino, & immediate conſequeretur pro tentationis victoria. Ad quod remedium illum exhortans Chriſtus in horto, cum jam tentatio eſſet in proximo, dixit: *Simon dormis?* adjiciens *vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Quæ verba etſi ad filios Zebedæi ſimul dormientes etiam dixerit; ſpecialiter tamen Petro dicta obſervat Evangelium; nempe ut peculiari ratione præmoneretur de periculo, ac remedio.

29. Adde primo, quod cum D. Auguſtinus toties repetit homines non poſſe ſervare legem divinam, vel vincere tentationes, non loquitur de potentia abſoluta; ſed ſolum de quadam impotentia morali, quæ conſiſtit in magna difficultate: cum qua optime cohæret dari gratiam ſufficientem ad eam abſolute ſuperandam. Quam reſponſionem tradit D. Anſelmus *in lib. de concordia gratiæ, & liberi arbitrij cap. 3.* his verbis: *Quod autem quidam experimento exiſtimant probare, nihil valere liberum arbitrium: quia multi immenſo conatu nituntur, ut bene vivant: & quadam (ut aiunt) impoſſibilitate obſtante, nihil proficiunt; aut poſt profectum irrecuperabiliter deficiunt: non deſtruunt, quod rationabiliter monſtratum eſt, liberum ſcilicet arbitrium cum gratia valere. Ut autem nitentes non proficiant, aut poſt profectum deficiant, non impoſſibilitate, ſed aliquando gravi, aliquando facile ſuperabili difficultate fieri exiſtimo. Sæpiſſime namque aſſerere ſolemus, impoſſibile nobis eſſe, quod ſine difficultate perficere non valemus.* Eandemque doctrinam prius tradiderat D. Gregor. Nazianzenus *orat. 36.* quæ eſt de Theologia.

Major explicatio cum teſtimonium D. Auguſtini.

D. Anſelm.

D Gregor. Nazianzen.

Adde ſecundo impotentiam illam toties aſſertam ab Auguſtino ſolum importare carentiam potentiæ conſequentis, ſive effectui indiſſolubiliter conjunctæ: & hæc potentia in quantum talis non provenit à ſolo auxilio ſufficienti, ſed importat auxilium efficax: quod licet non ſemper adſit, poteſt tamen media oratione impertiri. Quam interpretationem colligimus ex eodem S. Doctore *in lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 16.* ubi inquit: *Certum eſt enim nos mandata ſervare ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle, cum volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulo ante poſui, quod præparatur voluntas à Domino. De quo dictum eſt, à Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. De quo dictum eſt, Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & operari. Certum eſt nos facere, cum facimus: ſed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis. Et paulo poſt. Cui dicit homo. Pone Domine cuſtodiam ori meo: hoc eſt enim dicere, Fac, ut ponam cuſtodiam ori meo.*

Auguſtin.

30. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando minorem: quam tot teſtimonia D. Auguſtini, & D. Thomæ minime evincunt: Nam imperfectiones illæ, & ut ſic dicamus, inſufficientiæ, quibus ſancti Doctores legem antiquam deprimere videntur, non eo tendunt, ut negent auxilia ſufficientia intrinſeca collata tempore legis; ſed tantum ut aſſerant prædicta auxilia non dari per legem, aut ex vi legis. Cum quo tamen recte cohæret, ut Patres antiqui habuerint prædicta auxilia ex meritis Chriſti, & per fidem in Meſſiam. In quo plurimum excedit lex Evangelica, quæ ipſum Chriſtum præſentem habet, & affert ex ſe gratiam, eaque mediante ſcribitur in tabulis cordis, non in tabulis lapideis, ut lex Moſaica. Deſumiturque hæc reſponſio ex Divo Thoma ſupra *quæſt. 98. art. 1. ad 4.* ubi ait: *Dicendum, quod quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines: tamen aderat aliud* [illegible] *auxilium*

D.Thom.

Digitized by Google

auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege: per quod ſalvari poterant, ſcilicet fide Mediatoris, per quam ſalvati ſunt antiqui patres: ſicut etiam nos juſtificamur. Et ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia. Quibus verbis adeo elucet, quæ ſit mens D. Auguſtini, & Divi Thomæ in teſtimoniis, quæ nobis objiciuntur, ut ſupervacaneum ſit ea ſingillatim interpretari.

Occurritur objecta. Ad ultimam confirmationem negamus minorem: nam potius oppoſitum indicat ſacra Scriptura pluribus in locis, & præcipue *cap.* 12. Sapientiæ, ubi ſumme exaggerat obdurationem, & cæcitatem Palæſtinorum his verbis: *Non ignorans, quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutare cogitatio illorum in perpetuum: ſemen enim erat maledictum ab initio.* Et nihilominus aſſerit

Obduratis non eripi omnia auxilia ſufficientia. Deum prædictis hominibus adhibuiſſe, ut ad ipſum, utique per gratiam, converterentur; nam ſubdit: *Dabat locum pœnitentiæ.* Et rurſus *Veniam dabas peccatis illorum.* Et tandem: *Si enim inimicos ſervorum tuorum cum tanta cruciaſti attentione, dans tempus, & locum, per quæ poſſent mutari a malitia,* &c. Quæ nequeunt intelligi de gratia pure exteriore, ſive de admonitionibus, flagellationibus, & miraculis: nam cuncta hæc nequeunt hominem emollire, niſi Deus ejus cor aliqua interiori gratia reſpergat: qua prorſus negata, non eſſent omnino inexcuſabiles Palæſtini; reſpondent quippe ſe non potuiſſe convertere. Unde prædictum teſtimonium nos edocet modum expendendi auctoritates Divi Auguſtini, quæ in contrarium adducuntur. Nam ex una parte aſſerit Scriptura, *quod non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Et ex alia parte ait: *Deum eis communicaſſe ſubſidia, per quæ poſſent mutari à malitia.* Quæ videntur inter ſe contraria, re tamen non ſunt: quoniam poſteriora verba intelliguntur de poteſtate antecedenti, in ſenſu diviſo, & quoad ſufficientiam. Licet enim Deus dederit Palæſtinis auxilia ſufficientia, quibus ſaltem mediate poſſent converti; ſubſtraxit tamen auxilium efficax, quo re ipſa converterentur: atque ideo habuerunt impotentiam conſequentem: non enim conjungi valet actualis converſio cum carentia auxilij efficacis. Ipſi vero per innumera, & repetita peccata, quibus reſiſtebant, rebelles ſe exhibuerunt lumini, obfirmando voluntatem in malo, & demerendo, atque ſpernendo auxilia, per quæ converterentur. Quæ peſſima diſpoſitio conſtituit ſtatum obdurationis, & excæcationis.

Cum ergo Auguſtinus aſſerit *Deum deſerere obduratos, nolle eorum miſereri, non eos vocare, deſtituere illos omni adjutorio,* &c. Intelligendus eſt de voluntate conſequente, & de gratia efficaci; non autem de voluntate antecedenti, & de gratia ſufficiente. Et ſenſus eſt Deum ita velle voluntate antecedenti ſalvare obduratos; & eis auxilia diſtribuere, quod nihilominus voluntate conſequenti nolit eos ad regnum admittere, ſubtrahatque auxilium efficax, quo converterentur. Hoc autem licet generale videatur in omnibus reprobis; ſpecialiter tamen procedit in obduratis: tum quia ob majora peccata ſeſe magis indignos auxilio efficaci faciunt: tum quia propter reſiſtentiam actualem ſunt incapaces plurium auxiliorum ſufficientium moralium, ut puta prædicationis, inſpirationis, &c. Quod autem D. Auguſt. non ne-

Auguſt. get obduratis omnem prorſus gratiam, ſatis liquet ex libro 83. *quæſtionum quæſtione* 68. ubi loquens de Pharaone, quem Scriptura ſignificat fuiſſe valde obduratum, inquit: *Nunquid ergo latebat Pharaonem, quantum boni conſecuta fuerunt terra illa per adventum Joſeph? Illius ergo rei geſtæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Iſrael miſericorditer tractans, non eſſet ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, ſed exercuit crudelitatem in eos, quibus humanitas, & miſericordia debebatur, meruit pœnam.* Ubi, ut vides, concedit S. Doctor fuiſſe in Pharaone gratiam interiorem vocationis, nempe cognitionem, quæ potuit ipſum trahere ad pœnitentiam.

31. Arguitur quarto: quia gratia vere ſufficiens includit efficaciam: ergo nulla datur gratia interior vere ſufficiens, quæ non ſit efficax. Probatur antecedens: nam ſufficiens eſt, quod habet omnia requiſita ad agendum: ſed ad agendum requiritur auxilium efficax: ergo gratia vere ſufficiens includit efficaciam. *Quartum argumentum.*

Confirmatur: quia neceſſarium eſt, ſine quo finis haberi non poteſt: ſed auxilium efficax eſt neceſſarium ad ſalutem: ergo ſalus non poteſt conſequi abſque auxilio efficaci: ergo tota illa gratia præſtat verum poſſe, & ſufficientiam ad ſalutem, quæ includit auxilium efficax.

Hoc argumentum, & confirmationem jam diluimus *diſp. præced. dub.* 6. §. 7. ubi declaravimus, qualiter ex eo, quod requiratur auxilium efficaciter applicans, minime colligatur, quod alia auxilia dantia virtutem non ſint vere ſufficientia. Unde in eo nunc diſſolvendo parum immorabimur. In primis ergo in Adverſarios retorquendum eſt: ipſi enim docent Adamum habuiſſe gratiam ſufficientem ad perſeverandum, & tamen certum eſt caruiſſe auxilio efficaci; alias non defeciſſet. Similiter quilibet juſtus poteſt ſalvari per veram gratiam habitualem interiorem ſufficientem, quam actu habent: & nihilominus plures juſti, nempe omnes reprobi, non habent auxilium efficax, quo ſalventur. Quæ evidenter ſuadent gratiam ſufficientem non includere omnia quoquo modo ad agendum neceſſaria. Per quod obiter rejicitur Moliniſtarum reſponſio, qui eatenus argumentum aperte diſſolvere ſibi videntur, quatenus aſſerunt, quod poſita ſemel gratia ſufficienti, ipſum liberum arbitrium eam facit efficacem, ipſi videlicet cooperando, quin aliud auxilium deſideretur, ut docet Leſſius in opuſculo de gratia efficaci *cap.* 10. aſſerens abſurdum non eſſe concedere, quod liberum arbitrium reddat gratiam Dei efficacem. Hoc, inquam, omnino explodendum eſt: quoniam vere non ſatisfacit Adverſariis, qui in ſcriptis Auguſtini haud parum verſati ſciunt abſurdiſſimum eſſe apud Auguſtinum, quod Deus conferat donum quaſi imperfectum, & indifferens; & quod creatura faciat, quod dona Dei ſint perfecta, & determinata: ſimiliter, quod gratia non faciat arbitrium operari; ſed potius arbitrium faciat gratiam influere. *Subventum eſt* (inquit S. Doctor in *lib. de corrept. & gratia cap.* 12. in fine) *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* Et poſt pauca: *Fortiſſimo, nempe Adamo, dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſime, quod bonum eſt vellent, nec hoc deſerere invictiſſime nollent.* Sed hæc operoſius *diſp. ſequenti* tractabimus.

Reterquetur.

Abſurda quorundam cogitatio.

Auguſt.

Ad argumentum ergo breviter reſpondemus negando

negando antecedens. Ad cujus probationem dicendum eſt principium ſufficiens includere omnia requiſita ex parte actus primi, non vero quæ ſpectant ad ſecundum. Unde cum auxilium efficax pertineat ad actum ſecundum per modum reductionis, vel applicationis; minimè ex eo, quod non detur auxilium efficax, ſequitur carentia auxilij vere ſufficientis, ſeu dantis poſſe.

Ad confirmationem dicendum auxilium efficax requiri ad ſalutem non per modum principij dantis poſſe, ſed per modum applicationis: & ideo quamvis negetur auxilium efficax, adhuc poteſt perſiſtere vera ſufficientia ex parte principij. In quo caſu dabitur impotentia conſequens, ſimul cum poteſtate antecedenti, & ſufficienti abſolutè. Recolantur, quæ diximus *loco citato*. Videtur

Ledeſma. etiam Ledeſma de auxiliis *quæſt. unica, art. 16.*

§. V.

Conſectarium præcedentis doctrinæ.

Diſcrimen à Janſenio aſſertum inter gratiam naturæ integræ, & lapſæ rejicitur.

32. EX dictis infertur falſum eſſe diſcrimen, quod Cornelius Janſenius, & ejus diſcipuli ſtatuunt inter gratiam auxiliantem in ſtatu naturæ integræ, & in ſtatu naturæ lapſæ: nempè omnem gratiam auxiliantem in ſtatu naturæ integræ fuiſſe ſufficientem, & nullam efficacem; omnem vero gratiam auxiliantem in ſtatu naturæ lapſæ eſſe efficacem, & nullam eſſe purè ſufficientem. In deſcribendo autem conditionem gratiæ efficacis hujus ſtatus convenit Janſenius in pluribus cum Thomiſtis: aſſerit enim gratiam ex ſe habere efficaciam, ſubjicere ſibi voluntatem, inferre ex ſe infallibiliter conſenſum, & eſſe inconjungibilem cum diſſenſu. At in explicando conditionem auxiliorum, quæ Deus communicavit in ſtatu innocentiæ, omnino ferè convenit

Janſenius quandoque Molinizat.

cum Molinæ diſcipulis: autumat enim prædicta auxilia eſſe ex ſe indifferentia, ſubjici uſui voluntatis, non denominari efficacia niſi ab effectu, ſcilicet à conſenſu ad nutum arbitrij ſubſecuto. Ex quo principio plures Janſeniſtæ conſequenter inferunt, & docent diſcretionem unius ab alio in ſtatu innocentiæ, revocandam non eſſe in gratiam, ſed in arbitrium: potuiſſe tunc unum hominem gloriari adverſus alium: potuiſſe etiam hominem in eo ſtatu reddere gratiam pro beneficiis acceptis, ſed non indiguiſſe oratione ad perſeverandum: hominem in eo ſtatu, ſi perſeveraſſet, non accepturum majus donum, quam non perſeverantem: & denique omnia abſurda, quæ adverſus Molinam opponi ſolent, oppreſſi neceſſitate conſequentiæ (quam vel nequeunt, vel neſciunt declinare) non renuunt pro ſtatu innocentiæ admittere. Hanc differentiam inter auxilia pro ſtatu innocentiæ, quæ Janſenius vocat *gratiam ſanitatis* & auxilia præ præſenti ſtatu, quæ appellat *gratiam medicinalem*, propoſuit in *lib. 8. de gratia Salvatoris cap. 2.* aſſerens eſſe baſim doctrinæ à D. Auguſt. traditæ, & veram clavim, quæ aditum ad ejus ſcripta reſerat: nec dubitat Thomiſtas, qui gratiam per ſe efficacem ad utrumque ſtatum extendunt, magis Ariſtotelicos, quam Auguſtinianos dicere.

Quam abſurda ſit diſtinctio à Janſenio aſſerta.

Cæterum prædicta differentia non ſolum Divi Thomæ, ſed etiam Molinæ diſcipulis ingrata eſt; meruitque omnium impugnationes. Inter aſſertores autem gratiæ per ſe in omni ſtatu efficacis, qui ante, & poſt Janſenium doctrinam ejus

Aſtius. proximè relatam impugnarunt, præcipui ſunt Æſtius in 2. *diſt. 41. §. 14.* ubi præclara D. Thomæ teſtimonia refert, Thomas Angelus in opuſculo, cui titulus eſt. *Mens Auguſtini de gratia Adami.* Thomas Bravardinus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Leonardus Coquæus, Ylambertus Doctor Pariſinus, Labat 2. *parte tract. 2. diſput. 3. dub. 4. §. 5.* Noſter Philippus *diſp. de gratia dub. 8.* & Gonet *diſput. 5. de voluntate Dei, art. 7. & diſp. 5. de ſtatu naturæ lapſæ art. 3.* Ex

Thom. Ang. Bravardin. Coquæus. Ylambert. Labat. Noſter Phil. Gonet.

Ripalda. Moliniſtis vero late agit contra Janſenium Ripalda *lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ diſp. 24.* At hic Auctor poſt prolixum laborem nihil contra Janſenium in hac parte concludit: non enim impugnat differentiam ab illo aſſertam, nempè gratiam ſtatus innocentiæ eſſe ex ſe indifferentem, gratiam vero hujus ſtatus eſſe ex ſe efficacem: ſed alio prorſus divertit, totos nervos intendens, ut gratiam per ſe efficacem demetat. In quo quamvis ſatis callide ſe gerit impugnans ſub Batavorum latus Thomiſtas; egit tamen inutiliter, ne dicamus infeliciter: nam Janſenius non erravit admittendo gratiam per ſe efficacem in hoc ſtatu; ſed erravit negando in aliquo ſtatu gratiam efficacem, & pro hoc ſtatu gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam: ſententia quippè, quæ auxilia per ſe, & ex ſe efficacia deprædicat, certiſſima eſt, & communis inter Div. Auguſtin. & Div. Thom. diſcipulos utpote quæ Auguſtinum habet patronum; & Pelagianos, & Semipelagianos, & eorum reliquias proſternit, ut liquet ex dictis *diſp. 2. cap. 4. §. 5. & cap. 5. §. 2.* magiſque conſtabit ex dicendis tota diſp... Unde Innocentius X. poſt editam adverſus quinque Janſenij propoſitiones conſtitutionem, ſemel, & iterum declaravit ſe minimè intendiſſe doctrinam de gratia per ſeipſam efficaci directè, vel indirectè attingere. Editumque circa hoc ſpeciale decretum in Congregatione generali S. Inquiſitionis habita die 13. Aprilis anno 1654.

Innoc. X.

Refellitur Janſenius.

33. Diſcrimen ergo utriuſque gratiæ à Janſenio aſſignatum (ſuppoſita notitia auxilij ſufficientis, & efficacis, quam hactenus expoſuimus, & amplius infra ſubjiciemus) facilè ex dictis refellitur. Nam in primis, quod pro hoc ſtatu datur gratia ex ſe efficax, ipſe Janſenius admittit: quod autem etiam in hoc ſtatu adſit gratia ſufficiens, ſatis liquet ex dictis in hoc dubio: datur igitur in hoc ſtatu utraque gratia. Similiter quod in ſtatu innocentiæ fuerit auxilium ſufficiens, tradit ipſe Janſenius: quod vero etiam adfuerit aliqua gratia efficax, liquido convincitur. Nam gratia efficax eſt, quæ conjungitur cum effectu, abſtrahendo à modo connexionis: Adamus autem habuit auxilia cum operationibus ſupernaturalibus conjuncta: elicuit enim nonnullas operationes ſupernaturales, antequam ab innocentiæ ſtatu decidiſſet quæ operationes abſque auxilio applicante, ſive efficaci fieri non poſſunt, ut *diſp. .. præced. dub. 6.* declaravimus: ergo Adamus habuit utraque auxilia & ſufficientia, & efficacia ad ſupernaturaliter operandum. Unde conſtat diſcrimen à Janſenio aſſignatum, prout omnem gratiam ad ſingulos actus, & effectus requiſitam comprehendit verificari non poſſe; ſed ad ſummum reſpectivè ad perſeverantiam. Quamvis enim Adamus non habuerit auxilium efficax ad perſeverandum, ſed tantum ſufficiens è contra vero omnes prædeſtinati habeant auxilium efficax ad perſeverandum, & non præcisè ſufficiens: nihilominus Adamus habuit auxilium non ſolum ſufficiens, ſed etiam efficax ad aliquem actum, utpute ad amandum Deum ſupernaturalem auctorem, cum illum brevi ſaltem tempore dilexerit: & è converſo in hoc ſtatu

ſtatu plures habent auxilium purè ſufficiens ad prædictum amorem, & deſtituuntur auxilio efficaci; ſiquidem nunquam diligunt.

Maior illius ſententiæ confirmatio.

34. Quod amplius roboratur, & declarari poteſt ſequenti diſcurſu: etenim homo in præſenti ſtatu naturæ lapſæ ex triplici capite indiget adjutorio divino tam ſufficienti, quam efficaci: primo ob generalem dependentiam, quam agens ſecundum habet à primo agente; ſecundo ob exceſſum operationum ſupernaturalium ſupra vires naturales: tertio ob infirmitatem, & debilitatem naturæ, quæ quamvis ſupponatur ſufficiens in actu primo, deficit tamen in actu ſecundo, niſi à Deo efficaciter, & indeclinabiliter ad bonum agatur. Conſtat autem, quod licet homo in ſtatu innocentiæ, non indiguiſſet auxilio gratiæ efficacis ob tertium titulum, erat enim integer, & ſanus: illo, tamen opus habebat ob duo priora capita; ſiquidem erat agens ſecundum, & eliciturus fuerat ſupernaturales operationes. Ergo ſicut homo in præſenti ſtatu indiget duplici auxilio Dei, nempè ſufficienti, quo fiat proximè potens, & proportionatus ad ſupernaturaliter operandum, & inſuper alio auxilio efficaci, quo applicatur ad agendum per modum agentis ſecundi: ita ob eaſdem rationes primus homo utroque auxilio indigebat; quamvis ei neceſſarium non eſſet auxilium ſanans naturam, & corroborans ipſam ſufficientiam ſupernaturalem, qua pollebat. Quemadmodum, verbi gratia, homo infirmus duo poſtulat ad pugnandum, nempè ſanitatem, & arma; robuſtus vero quamvis remediis ad ſanitatem non indigeat, eget tamen armis. Et ſi uterque clavum in alto fixurus eſſet, neceſſario adjuvandus eſſet adjutorio, ſive adminiculo ſcalæ; infirmus autem ulterius exigeret ſanitatem. In utroque igitur ſtatu & integritatis, & naturæ lapſæ requiruntur auxilia tam ſufficientia, quam efficacia; ſed in hoc ſtatu ob plures titulos, quam in illo.

D. Thom. pro noſtra ſententia.

Quam doctrinam perſpicuè, & optime tradit D. Thom. ſupra quæſt. 109. art. 2. in corp. ubi inquit: *Natura hominis poteſt dupliciter conſiderari: uno modo in ſui integritate, ſicut fuit in primo parente ante peccatum: alio modo ſecundum quod eſt corrupta in nobis poſt peccatum primi parentis. Secundum autem utrumque ſtatum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum, vel volendum quodcumque bonum, ſicut primo movente, ut dictum eſt* (nempè *art.* 1. ubi aſſeruit auxilium efficaciter applicans) *ſed in ſtatu naturæ integræ, quantum ad ſufficientiam operativæ virtutis poterat homo per ſua naturalia velle, & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ: non autem bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ. Sed in ſtatu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc, quod ſecundum ſuam naturam poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonum implere per ſua naturalia. Quia tamen natura humana non eſt totaliter per peccatum corrupta, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur: poteſt quidem etiam in ſtatu naturæ corruptæ aliquod bonum particulare agere (ſicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujuſmodi) non tamen totum bonum ſibi connaturale, ita quod in nullo deficiat: ſicut homo infirmus poteſt per ſeipſum aliquem motum habere, non tamen poteſt perfectè moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ. Sic igitur virtute gratiæ ſuperadditæ virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum, ſcilicet ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale. Sed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ulterius ut bonum ſupernaturale virtutis operetur, quod eſt meritorium. Ulterius autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divino, ut ab ipſo moveatur ad bene agendum.* Ubi in ſumma tria docet D. Thom. *primo* in omni ſtatu tam integritatis, quam naturæ lapſæ neceſſariam eſſe virtutem ſupernaturalem, ut homo poſſit ſupernaturaliter operari: atque ideo adſtruit gratiam ſufficientem utrique ſtatui communem. *Secundo* in omni ſtatu neceſſarium eſſe auxilium divinum, quo homo moveatur ad agendum: & conſequenter docet auxilium efficax, ſive applicans ad agendum, in utroque ſtatu requiri. *Tertio* ponit differentiam inter unum, & alterum ſtatum, dicens hominem integrum poſſe præcepta ſupernaturalia ſervare abſque additione novæ virtutis; hominem vero lapſum indigere gratia ſanante, ut ipſa præcepta naturalia obſervet. Per quæ prorſus evertit opinionem Janſenij, & fundamentum illius. Quam doctrinam iterum tradit in eadem quæſt. art. 9. ubi docet hominem ſanum, & reparatum per gratiam ſanctificantem adhuc egere motione Dei efficaci propter duo; *primo quidem ratione generali propter hoc, quod ſicut ſupra dictum eſt*, nempè *art.* 1. *&* 2. *nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire niſi virtute motionis divinæ: ſecundo ratione ſpeciali propter conditionem humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem; remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati.* Cum ergo prima ratio militet etiam in ſtatu innocentiæ, ſequitur neceſſarium fuiſſe in eo auxilium efficax prædeterminativum liberi arbitrij.

Calumnia Janſenij retunditur.

35. Sed quia Janſenius exiſtimat hanc doctrinam non ex Auguſtino, ſed ex Ariſtotele hauriri (ſic enim habet loco ſuperius citato, *Qui medicinalem Chriſti gratiam ſic defendere conantur, ut eam in prædeterminationem phyſicam transforment, omni ſtatui hominum lapſorum, & innocentium, ex vi cauſæ primæ, & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profecto Ariſtotelici, quam Auguſtiniani ſunt*) audiamus non ſolum Thomam, ſed Auguſtinum. Ergo S. Doctor revocat pluribus neceſſitatem, & exiſtentiam auxilij efficacis ad omnipotentiam Dei, qui cum habeat ſupremum dominium ſupra voluntates noſtras, illas, prout vult, & quo vult, infallibiliter, & invictiſſimè inflectit: quæ ratio procedit independenter ab infirmitate per culpam, & quemcumque ſtatum comprehendit.

D. Auguſt. contrarius Janſenio.

D. Auguſt.

Sic habet in Enchiridio cap. 96. *Deus non ob aliud veraciter vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et cap. 102. inquit: *Quantalibet ſint voluntates Angelorum, & hominum, vel bonorum, vel malorum: vel quod Deus, vel aliud volentes, quam Deus, omnipotentis voluntas ſemper invicta eſt.* Et lib de correct. *& gratia cap.* ait; *Sine dubio habet humanorum cordium, quocumque voluerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Et *cap.* 20. docet *Deum dominari voluntatibus hominum.* Et denique *in lib. de gratia, & libero arbitrio cap.* 21. inquit: *Agit omnipotens Deus in corde hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit.* Quæ verificanda ſunt in quocumque hominis ſtatu, cum ubique Deus ſit omnipotens, & habeat ſupremum dominium ſupra hominis voluntatem. Quamobrem ex hoc generali principio concludit in epiſt. 106. *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua condita*

condita eſt permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Et tamen ſi omnis gratia in ſtatu integritatis eſſet purè ſufficiens, & indifferens, ac determinabilis per liberum arbitrium independenter ab ulteriori auxilio efficaci; jam homo ſeipſum poſſet ſervare, quamvis Deus illum denuo non adjuvaret per ulterioris auxilij ſubminiſtrationem. Sicut Moliniſtæ docent, quod in hoc ſtatu homo facit efficacem gratiam ex ſe indifferentem (quam tantum abſque diſtincto in re auxilio admittunt) atque ideo, quod ſine ulteriori adjutorio ſeipſum ſervet. Quod tamen Janſenius credit eſſe Div. Auguſtino prorſus contrarium, nec ſatis Semipelagianiſmum exuere.

Jnconſ. quen tia … 36. Ad hæc: cuncta abſurda, & inconvenientia, quæ inferuntur ex opinione negante gratiam ex ſe efficacem in ſtatu naturæ lapſæ, & quorum non pauca collegit ipſe Janſenius *in libro 3. de gratia Chriſti*, ut eam opinionem impugnaret, militant æqualiter, ſi negetur gratia ex ſe efficax in ſtatu integritatis: ergo prædicta gratia in utroque ſtatu admittenda eſt: & Janſenius inconſequenter proceſſit illam admittens pro hoc ſtatu contra Molinæ ſequaces, & negans pro illo contra D. Auguſtinum, & D. Thomam, & utriuſque Doctoris diſcipulos. Probatur antecedens: nam ex Molinæ opinione ſequitur in primis Deum non eſſe primam cauſam determinationis creaturæ, neque habere ſupremam, & omnipotentiſſimam poteſtatem ſupra voluntatem creatam: & idem inconveniens urget in integritatis ſtatu, ſi Molinæ doctrina ad illum transferatur. *Deinde* ex Molinæ opinione ſequitur diſcretionem unius ab alio non eſſe revocandam in gratiam, prout à Deo deſcendit; ſed in facultatem arbitrij determinantis gratiam ad unum & idem prorſus ſequitur, ſi gratia in ſtatu innocentiæ fuit prorſus indifferens, & ſubjecta libero arbitrio. *Præterea* ex opinione Molinæ ſequitur eum, qui conſentit vocationi, non magis obligari ad agendas gratias Deo, quam qui diſſentit, ſiquidem uterque idem, & non diverſum auxilium accepit: quod inconveniens etiam infertur ex gratia prorſus indifferenti in ſtatu integritatis. *Inſuper* ex Molinæ opinione ſequitur hominem ſolum accipere à Deo auxilium poſſibilitatis, ſive poteſtatem ad agendum, non vero auxilium operationis, ſive hoc, quod eſt actualiter agere, & determinari: ex quo ulterius fit, minus bonum attribui Deo, & majus bonum creaturæ, ut Janſenius ex Auguſtino nervosè arguit contra Molinam: hoc autem abſurdum etiam urget in ſtatu integritatis, ſi eadem, & non major gratia aſſeratur. *Deinde* ex Molinæ opinione ſequitur hominem habentem auxilium ſufficiens ſtultè recurrere ad Deum, ut tentationes vitet, & præcepta obſervet; ſiquidem habet jam auxilium ſufficiens, & non requiritur aliud auxilium efficax, & Auguſtino teſtante in lib. de natura, & gratia cap. 18. *Quid ſtultius, quam orare, ut facias, quod in poteſtate habeas?* Idem autem inconveniens militat in integritatis ſtatu, ſi non major, quam gratia ex ſe ſufficiens concedatur. *Denique*, ut innumera alia abſurda non inculcemus, nullum abſurdum, vel inconveniens eſt excogitabile, cui Molinæ opinio ſit expoſita, cui etiam non ſit obnoxia ſententia Janſenij: ſiquidem quæ Molina pro præſenti ſtatu naturæ corruptæ docet, Janſenius tranſcribit, & transfert ad ſtatum integritatis.

D. Auguſt.

Præcipuum 37. Supereſt, ut motiva Janſenij diluamus. Sed quia plura ex illis §. præcedenti convulſa ſunt, & alia faciliime explicantur; idcirco dumtaxat ſubjicimus præcipuum fundamentum, quod Janſenij ſententiam firmare, & è converſo doctrinam tam aſſertionis *num. 5.* propoſitæ, quam hujus corollarij impugnare videtur. Arguit ergo in hunc modum: quoniam juxta D. Auguſtinum auxilium *ſine quo non* eſt gratia purè ſufficiens, & auxilium *cum quo* eſt gratia ex ſe efficax, ut declaravimus *diſp. præced. dub. ultimo §. ultim.* ſed juxta eundem Auguſtinum Deus ſolum contulit Adamo auxilium *ſine quo non*; nunc autem confert hujuſmodi auxilium *cum quo*: ergo gratia in ſtatu integritatis fuit mere ſufficiens; gratia vero hujus ſtatus non eſt purè ſufficiens, ſed etiam efficax. Minor eſt expreſſa D. Auguſtini *in lib. de correct. & gratia cap. 11. & 12.* Unde concludit Janſenius hanc differentiam gratiæ pro utroque ſtatu eſſe baſim, & clavim totius Auguſtinianæ doctrinæ. Janſenij fundamentum.

Diluitur. Reſpondetur, quod quamvis prædictum teſtimonium, utpote D. Auguſtini, ſit maximæ auctoritatis, nequit tamen eſſe unicum fundamentum ad rectam hujus S. Doctoris intelligentiam. Nam prædictus liber ſcriptus eſt poſt viginti annorum certamina, in quibus Auguſtinus contra Pelagianos egit, & eorum hæreſim debellavit: neque directus fuit contra Pelagianos, ſed ut quaſdam eorum reliquias penitus demeteret, & radicitus extirparet, ut vidimus *diſput. 1. cap. 4. § 6. num. 171.* Unde alia fundamenta præmiſerat Auguſtinus; ne dicamus (quod abſit) ipſum abſque fundamento tot præclara contra Pelagianos opera exaraſſe. Quod obiter dicimus, non quia minoris hunc librum, quam alios Auguſtini æſtimemus: eſt enim, ut loco citato obſervavimus, maximæ auctoritatis: ſed ut falſam, Janſenij propulſemus exiſtimationem. Et hoc ſuppoſito ad argumentum dicendum eſt Auguſtinum eo loco determinatè loqui de auxilio requiſito ad perſeverandum: & quia Adamus potuit perſeverare, & actu non perſeveravit; electi vero hujus ſtatus non ſolum poſſunt perſeverare, ſed actu perſeverant: merito aſſerit Auguſtinus Adamum habuiſſe auxilium *ſine quo non*, ſecus vero auxilium *cum quo*, electos vero habere auxilium *cum quo*. Per hoc tamen minimè diffinit univerſaliter, quod omne auxilium hujus ſtatus ſit *cum quo*, ſive efficax, cum certum ſit plures homines hujus ſtatus, videlicet omnes juſtos reprobos, habere auxilium ſufficiens, ut poſſint perſeverare, non vero auxilium efficax, quo perſeverent. Nec determinat omnem gratiam Adamo collatam fuiſſe auxilium *ſine quo*, ſeu purè ſufficiens: licet enim non habuerit auxilium efficax ad perſeverandum; habuit tamen illud ad eliciendum aliqua opera ſupernaturalia, quæ in eo ſtatu elicuit; ſiquidem nunquam homo ſupernaturaliter operatur abſque prædicto auxilio, ut conſtat ex dictis. Quod autem Auguſtinus loquatur de gratia ad perſeverandum, liquet ex toto contextu, & præcipuè ex illis verbis: *Eſt quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe, quod volumus, verum etiam velle, quod poſſumus.* D. Aug.

38. Sed replicabis *primo*: nam D. Auguſtinus eo loco aſſerit Adamum potuiſſe perſeverare, *ſi vellet*: ergo denotat gratiam collatam Adamo, & propriam illius ſtatus eſſe ex ſe omnino indifferentem, & determinabilem per conſenſum arbitrij. *Secundo*, S. Doctor aſſerit, quod Adam opus non habebat adjutorij, quod implorant juſti, Replicæ

nempè

Digitized by Google

nempè prædeſtinati hujus ſtatus : ſed auxilium, quod juſti prædeſtinati implorant, eſt auxilium efficax : ergo hujuſmodi auxilium non erat neceſſarium in ſtatu integritatis. *Tertio* S. Auguſtinus revocat eo loco neceſſitatem auxilij efficacis ad infirmitatem naturæ, & rebellionem appetitus : ſed in ſtatu integritatis aberat hæc infirmitas, & rebellio, ut ex ſe liquet : ergo auxilium nunc requiſitum non erat tunc neceſſarium. Unde concludit Auguſtinus. *Fortiſſimo dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet : infirmis ſervavit, ut ipſo ſervante, invictiſſime, quod bonum eſt, vellent.* *Quarto* D. Auguſtinus ſæpiſſimè diſtinguit gratiam ſanitatis, & gratiam medicinalem, & quidem rectiſſimè : nam diverſis indigentiis, unius, & alterius ſtatus debent diverſæ gratiæ ſuccurrere : ſed nos has gratias confundimus; ſiquidem in utroque ſtatu adſtruimus gratiam tam ſufficientem, quam efficacem: ergo exorbitamus à propria Auguſtini ſententia.

Tertio. — Idem. — Quarto.

Hæc tamen parum premunt, & diluuntur ex eodem S. Doctore. Ad primam ergo replicam dicendum eſt, quod cum Auguſtinus dicit primum hominem potuiſſe perſeverare, *ſi vellet*, minimè excludit neceſſitatem auxilij efficacis ad volendum, & actu perſeverandum. Unde inquit in lib. retract. c. 10. *Quando dixi in libro de Geneſi divinum lumen paſcit pura corda eorum, qui ab amore viſibilium ſe ad ejus implenda præcepta converterunt, quod omnes poſſunt, ſi velint : non exiſtiment Pelagiani ſecundum eos eſſe dictum. Verum eſt enim hoc poſſe, ſi velint : ſed præparatur voluntas à Domino.* Et lib. 14. de Civitate Dei cap. 17. aſſerit, *quod Adamus meritum bonum habebat in adjuta divinitus voluntate recta, malum vero in deſerente Deum voluntate perverſa : quia & ipſum confidere de adjutorio Dei, non quidem poſſet ſine adjutorio Dei.* Cui conſonat D. Thom. *hac* 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 6. *ad* 1. Specialiter aſſeruit Auguſtinus Adamum potuiſſe perſeverare, *ſi vellet* : quia minoribus aut nullis difficultatibus premebatur, ac homines juſti in natura corrupta, quamvis omnes perſeverare poſſint, *ſi velint* cum divino auxilio, ut ſtatim declarabimus.

Reſponſio ad 1. replicam. — D. Auguſt.

Ad ſecundam reſpondetur, quod licet Adamo neceſſaria fuerit gratia tam ſufficiens, quam efficax ad perſeverandum ob rationes utrique ſtatui & integritatis & naturæ lapſæ communes ; neceſſaria tamen illi non erat ea ſpecialis gratia, qua ſancti hujus ſtatus tentationes vincunt, & rebellionem appetitus : & in hoc ſenſu Auguſt. aſſerit *Adamum non indiguiſſe adjutorio, quod implorant iſti*, ut conſtat ex ipſo textu. *Ille*, inquit, *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant ſancti, cum dicunt : Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, &c. & poſt pauca addit : *Ille, nulla tali rixa à ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur.* Unde Adamus ex vi gratiæ habitæ poſſet diutius in amore Dei perſeverare, quã juſti hujus ſtatus ex vi gratiæ ſufficientis communis: quia nullam in obſervanda Dei lege difficultatem, aut contradictionem internam experiebatur. Actu tamen non perſeveraret finaliter abſque ſpeciali, & efficaci Dei adjutorio. Et primum tantum fuiſſe ab Auguſtino intentum dicit Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 137. *art.* 4. *ad* 2. his verbis: *Dicit Auguſtinus in libro de correptione, & gratia, quod primo homini datum eſt, non ut perſeveraret, ſed ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium : quia nulla corruptio tunc erat, quæ perſeverandi difficultatem præberet.* Unde in *hac* 1. 2. *quæſt.* 109. *artic.* 9. docet hominem gratia ſanctificante præditum adhuc egere actuali Dei auxilio. *Primo ratione generali propter hoc, quod nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ. Secundo ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus naturæ humanæ, quæ quidem licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem, manet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7.* Hoc ergo poſteriori adjutorio, quod modo ſancti implorant, non indigebat Adamus : egebat tamen priori auxilio ob generalem conditionem creaturæ.

Ad ſecundam. — D. Auguſt. — D. Thom.

39. Ad tertiam conſtat ex dictis Auguſtinum eo loco non deſignare radicem adæquatam neceſſitatis auxilij efficacis ; ſed ſolum inadæquatam ortam ex infirmitate naturæ. Ratio generalis, & ubique probans eſt ſubordinatio, qua voluntas creata manet ſub voluntate Dei tanquam primæ cauſæ, potentiſſime moventis, & efficaciter operationes creaturæ prædeterminantis, ut ſupra *numero* 35. vidimus ex eodem S. Doctore. Congrue tamen in teſtimonio, quod nobis objicitur, aſſerit auxilium efficax fuiſſe infirmo conceſſum, & potentiſſimo ſubtractum : ſic enim oſtendit vires creaturæ, quantumvis validiſſimas, prædicto auxilio indigere ; & ipſum auxilium naturam noſtram, quamvis languidam, & debiliſſimam confirmare. Unde Deus negando auxilium efficax permiſit, ut Adam deficeret, & imbecillitatem arbitrij proderet: communicando autem illud electis facit, ut divinæ efficaciæ virtus oſtendatur, quæ vel infirmos ſtabilit : ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Et huc aciem intendebat Auguſtinus differentiam utriuſque ſtatus, & auxilij deſcribens, ut ipſum legenti conſtabit. Ad tertiam.

Ad ultimam negamus minorem : quia licet in utroque ſtatu gratiam ſufficientem, & efficacem admittamus, non ideo confundimus gratiam ſanitatis, & medicinalem: libenter quippe concedimus quaſdam differẽtias inter utramque inveniri. Nam ut alias notavimus : nunc datur gratia actualis ad pœnitendum, quæ in illo ſtatu, uti ſuperflua minime adeſſet. Similiter in hoc ſtatu datur gratia Sacramentalis, illa vero non conferretur in illo ſtatu, utpote cui non forent communia, aut neceſſaria noſtra Sacramenta. Hæ ſunt differentiæ nobis notiores : videantur alia diſcrimina accidentalia apud Gonet *loco citato ex* 1. *tomo n.* 201. Ad quartam.

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum Deus omnibus hominibus præparaverit, & offerat auxilia ſufficientia ad ſalutem.

EX dictis dubio præcedenti conſtat dari aliqua auxilia ſufficientia diſtincta ab efficacibus, eaque adeſſe hominibus, quoties inexcuſabiliter obligantur ad adimpletionem alicujus præcepti ſupernaturalis affirmativi. Nunc examinandum reſtat, an Deus det omnibus hominibus auxilia ſufficientia, non ſolum pro præceptorum adimpletione, à qua plures per ignorantiam excuſatos ſupponimus, verum etiam ut ſalutem æternam conſequi valeant. Sed pro intelligentia eorum, quæ tam in præſenti, quam in ſequenti dubio dicemus, aliqua breviter obſervabimus.

§. I.

§. I.

Præmittuntur aliqua notabilia.

Quibus modis auxilia dari dicantur.

40. PRimo obſerva, quod verbum *dare* dupliciter uſurpatur: uno modo prout idem valet, ac præparare, & offerre: altero modo prout idem importat, ac reipſa conferre, & eſt correlativum ad recipere. Sicut rex dicitur utroque modo *dare* præmia præliantibus: nam ante prælium *dat*, hoc eſt, offert, & præparat præmia, ad eaque invitat; poſt prælium vero dat, hoc eſt, reipſa præmia confert, illiſque milites honorat. Unde cum inquiritur, *an Deus omnibus hominibus det auxilia ſufficientia ad ſalutem*, bifariam poteſt dubium intelligi, & duas difficultates complectitur: primo enim inquiri poteſt, an Deus omnibus hominibus præparaverit auxilia ſufficientia ad ſalutem, illaque quantum eſt de ſe, offerat; quamvis non omnes homines illa recipiant: ſicut etiam Ioan. 3. *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*; cum tamen Ioan. 1. dicatur, *Et ſui eum non receperunt.* Secundo, an Deus reipſa, & de facto prædicta auxilia hominibus conferat, nulluſque proinde ſit homo, ſaltem adultus, qui aliquod auxilium non recipiat, quo poſſit ad juſtificationem diſponi. Et quia reſolutio prioris difficultatis facilior eſt, & præparare eſt prius, quam conferre; idcirco illam in hoc dubio tractabimus, & ſecundam verſabimus in ſequenti.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Multiplex in auxiliis ſufficientia.

41. Secundo nota auxilia ſufficientia ad ſalutem multifariam accipi poſſe. Nam ut dubio præcedenti vidimus, quædam dicuntur *ſufficientia proximè*, illa videlicet, quæ habent vim immediatam ad actus perfectiores, quibus homo ad juſtificationem diſponitur: alia vero vocantur *ſufficientia remote*, ea nimirum, quæ ſunt principium immediatum operum ſupernaturalium imperfectiorum; quas tamen ſi homo eliciat, Deus ulteriora, & perfectiora auxilia ſufficientia ſubminiſtrabit.

Ruſſus auxilium poteſt dici dupliciter ſufficiens, nempe adæquatè, & inadæquatè: auxilium ſufficiens adæquate complectitur omnia comprincipia deſiderata ad aliquam operationem: ſicut è converſo inadæquatè ſufficiens ſolum importat unum, aut alterum comprincipium. Unde cum operatio ſupernaturalis expoſcat duo comprincipia, nempe virtutem phyſicam elevativam potentiæ, & auxilium quaſi morale conſiſtens in objecti propoſitione; auxilium adæquatè ſufficiens erit, quod utrumque complectitur, & præſtat; inadæquatè vero ſufficiens erit, quod eorum alterum tantum importat.

Deinde auxilij ſufficientis oblatio dupliciter fieri valet: uno modo in communi, altero modo in particulari. Sicut ſi rex Academiam aperiret pro educatione omnium juvenum ſui regni, ex hoc ipſo diceretur offerre illis auxilium ſufficiens ad ſtudendum: ſi autem aliquibus offerret ſubſidia neceſſaria ad ſtudia, illis diceretur auxilia ad ſtudendum ſufficientia præparaſſe non ſolum in communi, ſed etiam in particulari.

Tandem prædicta auxilia ſufficientia poſſunt conſiderari vel ut proximè applicabilia, vel ut applicabilia remote. Quemadmodum medicina, quæ de ſe habet virtutem ſufficientem ad ſanitatem, nequit aliquando applicari ob aliqua obſtacula, aut impedimenta incidentia, quamvis Medicus eam diſpoſuerit, & vellet quantum eſt de ſe applicare. Dubium igitur præſens omnia auxilia ſufficientia complectitur tam proxima, quam remota, & tam inadæquata, quam adæquata, & tam in communi, quam in particulari: abſtrahit tamen ab eorum applicabilitate proxima; vel remota. Nam optime cohæret, quod Deus inſtituerit auxilia ſufficientia pro omnium hominum ſalute, eaque intentione ordinaverit, ut omnibus proficua forent: & quod nihilominus prædicta media, & auxilia non ſint proximè omnibus applicabilia.

Diverſitas in præparando auxilio [illegible] ſufficientiæ.

42. Pro quo ulterius obſerva, quod ſicut Deus voluit voluntate antecedenti omnes homines ſalvare; quia ſalus hominis ſecundum ſe, quæ eſt objectum prædictæ voluntatis, habet rationem boni, in quo, prout ſic præciſè conſiderato, non apparet ratio mali, vel impedimentum majoris boni: & nihilominus voluntate conſequenti, & efficaci non vult omnes homines ſalvare: quia prædicta voluntas reſpicit objectum cum omnibus circumſtantiis, quibus attentis ex ſalute omnium hominum ſequeretur excluſio majoris boni, quod reſplendet in manifeſtatione miſericordiæ circa electos, & juſtitiæ circa reprobos, ut ex D.Thom. vidimus *Tract.4. diſp.9. dub.3.* & docent communiter alij Theologi. Ita recte cohæret, quod Deus ductus illa voluntate antecedenti voluerit præparare auxilia ſufficientia pro omnium hominum ſalute, illaque ad hunc effectum ordinaverit: & quod nihilominus non diſpoſuerit cauſas, quibus ſemper fierent omnibus proximè applicabilia: eo quod proxima applicabilitas fieri non poteſt abſque confuſione, vel perturbatione cauſarum naturalium, quas Deus voluntate tam antecedenti, quam conſequenti invertere noluit. Sic inſtituit ſufficiens medium pro parvulo in ea ætate morienti, nempe Baptiſmum, qui tamen ipſi, ſi intra uterum matris moriatur, applicari proximè non poteſt, quin ibi vel miraculum, vel extraordinaria providentia interveniat, ut latius *num.55.* declarabimus.

42. Tandem in hoc dubio ſupponimus Deum omnibus hominibus, prout in Adamo exiſtentibus, præparaviſſe, & obtuliſſe auxilia ſufficientia ad ſalutem. Quod admittunt vel illi, contra quos diſputabimus, & probat recta fides: nam Adamus accepit juſtitiam originalem eo pacto, ut eam, ſi in ipſa perſeveraret, ad poſteros transfunderet: omnes ergo homines, prout in Adamo exiſtentes, habuerunt auxilia ſufficientia ad ſalutem, nedum oblata, verum etiam aliquomodo recepta. Unde dubium ad præſens ſtatum revocatur: & ita inquirimus, an adhuc ſuppoſito Adami peccato Deus de facto offerat, & præparet, quantum eſt de ſe, auxilia ſufficientia ad ſalutem. Porrò homines hujus ſtatus alij ſunt adulti, & rationis compotes; alij autem parvuli, vel perpetuo amētes: & omnes præſens difficultas complectitur.

§. II.

Vera ſententia primo fundamento munitur.

43. DIcendum eſt Deum ſecundum præſentem providentiam, & ſtatum præparare, & offerre omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem. Hæc concluſio eſt communis inter Theologos, quos proinde opus non eſt recenſere: poteſtque probari innumeris teſtimoniis Scripturæ, & SS. Patrum, & pluribus argumentis, quæ paſſim congerunt Auctores. Nos tamen brevitatis gratia duas tantum rationes formabimus, quibus ſelectiora

Digitized by Google

Fundamentum. ſelectiora teſtimonia inſeremus. Probatur ergo primo: quoniam mors Chriſti Domini eſt cauſa meritoria ſufficiens ad noſtram ſalutem, & ſe habet tanquam generalis quædam apotheca continens omnia auxilia, & remedia ad noſtram ſalutem neceſſaria, juxta illud Zachar. 13. (*Zach. c. 13.*) *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris*, &c. Sed Chriſtus Dominus mortuus eſt pro omnibus hominibus: ergo Deus diſponens, & præcipiens mortem Chriſti præparavit, & obtulit omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem. Minor frequenter occurrit in ſacris litteris, ut ad Rom. 8. (*Ad Rom. 8. 2. ad Cor. 5.*) *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* 2. ad Corinth. 5. *Unus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, & alibi ſæpè*, Et ſæpiſſimè inculcatur à Sanct. Patribus, Sanctus Leo Papa (*Leo Papa.*), *Dominus noſter*, inquit, *peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit: ita liberandis omnibus venit*. D. Auguſtin. (*D. Auguſt.*) *lib. 4. contra Julianum cap. 9. Apoſtolus unum dixit fuiſſe, in quo omnes peccaverunt: in illo uno mortui ſunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus.* Divus Hieronymus (*D. Hieron.*) in epiſtola ad Occean de Bigamia, inquit: *Mentitur Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum, & voce demonſtrans: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit.* Et denique Angelicus Præceptor (*D. Thom.*) 1. *ad Timoth. 2. lect. 1. Chriſtus Jeſus eſt mediator Dei, & hominum, non quorumdam, ſed inter Deum, & omnes homines: & hoc non eſſet, niſi vellet omnes ſalvare.*

Primum effugium. 44 Reſpondent *primo* Adverſarij Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro omnibus, ly *omnibus* non ſumpto in diſtributione completa pro ſingulis generum; ſed pro generibus ſingulorum, ſicut dicitur, quod omne animal fuit in arca Noë, quia ex omnibus ſpeciebus fuerunt aliqua. Unde non ſequitur, quod Deus ſingulis hominibus offerat ex meritis Chriſti auxilia ſufficientia ad ſalutem; ſed præcisè; quod nullum ſit genus hominum, nullus ſexus, nullaque conditio, ex quibus Deus aliquos non elegerit, eiſque impertiatur auxilia ad ſalutem neceſſaria. *Alia evaſio.* *Secundo* reſpondent mortem Chriſti eſſe ex ſe ſufficiens ad remedium pro omnibus hominibus: nihilominus Chriſtum illam non ordinaſſe, nec Deum eam acceptaſſe pro omnium hominum ſalute, ſed ſolum pro electis. Quocirca ex ſummo valore mortis Chriſti non infertur, quod Deus omnibus hominibus præparaverit auxilia ſufficientia ad ſalutem: plus enim eſt præparare, vel offerre pretium ſufficiens ad aliquem effectum, quam præcisè habere pretium ex ſe ſufficiens.

Refelluntur. D. Auguſt. Sed utraque reſponſio facile confutatur. Prima quidem quia ut arguit Divus Auguſtinus lib. 6. contra Julianum cap. 4. *Unus*, inquit, *Apoſtolus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, oſtendens fieri non poſſe, ut moreretur niſi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Impingo, inculco, infarcio recuſantes. Unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt.* Ubi ut vides ex univerſali redemptione per mortem Chriſti probat univerſalem, & originalem maculam per Adæ peccatum: ſed peccatum Adæ omnes infecit, una Beata Virgine excepta, ly *omnes* ſumpto diſtributivè complete pro ſingulis generum, ut Adverſarij concedunt: ergo Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, ly *omnibus* ſumpto ſub eadem diſtributione: alias Auguſtinus, imo, quod plus eſt Apoſtolus, nihil concluderet.

Confirmatur primo: quoniam ſinguli homines in particulari tenemur credere fide divina Chriſtum Dominum eſſe noſtrum redemptorem, idque confitemur in ſymbolo dicentes: *Roboratur impugnatio.* *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis*, &c. Sed fidei divinæ nequit ſubeſſe falſum: ergo Chriſtus redemit ſingulos in particulari, & meruit auxilia ad ſalutem neceſſaria non ſolum generibus ſingulorum, ſed etiam ſingulis generum. Et hinc refellitur alia evaſio Adverſariorum dicentium ea verba ſymboli applicanda eſſe prædeſtinatis: quoniam omnes in particulari tenemur illa verba dicere, & credere: & tamen nullus in particulari tenetur credere ſe eſſe prædeſtinatum: remedium ergo paſſionis Chriſti præſtat veram ſufficientiam ad ſalutem non ſolum electis, ſed etiam omnibus hominibus, ut confutando aliam reſponſionem magis explicabimus

Evertitur fundamentum contrarium. Confirmatur ſecundo deſtruendo motivum Adverſariorum: nam ideo diceretur Chriſtum Dominum non fuiſſe mortuum pro ſingulis hominibus in particulari, quia ſunt aliqui homines, quibus paſſio Chriſti non prodeſt cum effectu æternæ ſalutis, ut patet in innumeris reprobis: atqui certum eſt Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro aliquibus reprobis: ergo mortuus pro omnibus, & ſingulis hominibus in particulari. Minor præterquam quod ſatis liquet in pluribus reprobis, qui de facto habent ex morte Chriſti gratiam habitualem, & omnia alia media ſufficientia ad ſalutem, inſuper probatur: quia Chriſtus oravit, ac perinde obtulit paſſionem ſuam pro ſuis crucifixoribus, ut patet Luc. 23. *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt*: & tamen aliqui ex crucifixoribus erant reprobi: ergo Chriſtus pro aliquibus reprobis mortuus eſt. (*Luc. 23.*) Unde eleganter Divus Cyprianus ſerm. de paſſione Domini poſt medium (*D. Cyprian.*): *Mediator inter nos, & Patrem eras pro his, quia ad dolorem vulnerum tuorum opprobria addiderunt, & pro inimicis impetras veniam, ſupplicas, & obſecras, ut hoc eis iniquitas dimittatur, & à morte tua habeantur innoxij ipſi, qui ſanguinem ſuper ſe, & ſuper filios ſuos manere precantur, uſque adeo excæcati, ut ſcelus ſuum non intelligant, nec odium Chriſti ipſa mors crucifixi extinguat.* Et Div. Auguſt. (*D. August.*) ſerm. 4. de Sanctis, inquit: *Quando Chriſtus in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos, ſed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant, & ille orabat: illi dicebant Pilato, crucifige: ille clamabat, Pater ignoſce.* Et Divus Thomas (*D. Thom.*) *Joan. 19. lect. 5.* ait: *Per hoc, quod dicit, ſitio, oſtenditur ejus ardens deſiderium de ſalute generis humani* 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines ſalvos fieri. Vehemens autem deſiderium conſuevimus exprimere per ſitim.*

45. Ex quibus etiam refellitur ſecunda reſponſio: tum quia ut nuper vidimus, Chriſtus Dominus oravit pro ſalute omnium hominum; ſed oratio ad aliquid impertandum eſt quædam ordinatio ad illud conſequendum: ergo mors Chriſti Domini fuit non ſolum pretium ex-

ex ſe ſufficiens ad omnium hominum ſalutem, ſed etiam pretium ad hujuſmodi effectum directum, & pro eo conſequendo oblatum. Tum etiam quia dictiones *pro*, & *propter* denotant finem ſaltem materialem, & effectum, ad quem aliquid ordinatur, ut cum dicitur hominem ſumere pharmacum pro ſalute, vel propter ſalutem conſequendam: ſed in locis ſupra relatis dicitur, *quod Chriſtus mortuus eſt pro ſalute hominum*: quod vividius adhuc exprimit Auguſtin. *lib. 2. de ſymbolo ad Catechum. cap.* 8. his verbis: *Videtis vulnera, quæ infixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis: quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt; nec tamen intrare voluiſtis*: ergo mors Chriſti reſpicit tanquam finem effectum omnium hominum ſalutem: atque ideo eſt pretium non ſolum ad illam ſufficiens, ſed ad ipſam actu ordinatum. Tum denique quia Chriſtus Dominus frequenter expreſſit deſiderium ſalvandi homines, ut cum dicebat Matth. 23. *Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti*: ergo vel dicendum eſt expreſſionem prædicti deſiderij eſſe ſimulatam, & hypocriſi plenam, quod eſt horribilis blaſphemia; vel credere oportet Chriſtum Dominum vere deſideraſſe omnium hominum ſalutem: deſiderium autem eſt quædam ordinatio, & directio: ergo Chriſtus Dominus obtulit opera, paſſionem, & mortem pro omnium hominum ſalute.

D. Auguſt.

V. generim pugnatio.

Ad hæc: de ſumma Chriſti Domini charitate illud præſumendum eſt, quod eandem charitatem magis decet, ipſamque magis exaggerat: atqui magis decet, & exaggerat charitatem Chriſti Domini dicere, quod obtulit mortem ſuam tanquam pretium ſufficiens non ſolum pro ſalute prædeſtinatorum, ſed etiam omnium hominum, modo tamen diverſo infra dicendo: ergo ita aſſerendum. Quo diſcurſu utitur D. Auguſt. ad illud Pſalm. 108. Ego autem orabam, ubi inquit: *Non quidem dixit, quid orabat: ſed quid melius intelligere debemus, quam pro ipſis, nempè Iudæis crucifigentibus? Crucifixo enim maximè detrahebant, quem velut hominem, quem quaſi viceraut, illudebant. De qua cruce ille dixit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Et quoniam, in profundo malignitatis reddebant ipſi mala pro bonis, ille in ſummo benignitatis reddebat bona pro malis.* Quid magis pium? quid veroſimilius? quid dulcius? Quid ergo renuunt Adverſarij doctrinæ firmiſſimæ, & piiſſimæ colla cedere? Præſertim cum inter quinque propoſitiones Cornelij Janſenij, quas Innocentius damnavit, hæc fuit quinta: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

D. Auguſt.

§. III.

Objectiones contra præcedentem rationem, & earum enodatio.

Prima objectio.

46. SEd licet præcedens fundamentum ſit adeo forte, aliqua nihilominus poſſunt illi opponi. Primo objicitur: quoniam ſanguis Chriſti non eſt effuſus pro omnibus, ſed pro aliquibus tantum, ut conſtat ex verbis Chriſti Domini Matth. 26. *Hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*: ergo paſſio Chriſti quamvis ex ſe ſufficientiſſima ad omnium hominum remedium, non eſt oblata pro omnibus.

Matth. 26.

Confirmatur primo: quia paſſio Chriſti pro illis eſt oblata, pro quibus, vel propter quos Deus miſit Chriſtum in mundum: ſed Chriſtus ſolus eſt miſſus pro electis, ut tradit Div. Auguſt. ſerm. 6. de verbis Apoſtoli cap. 8. ubi inquit: *Ergo & miſit Deus filium ſuum propter Prædeſtinatos, vocandos, juſtificandos, glorificandos*: ergo paſſio Chriſti ſolum fuit oblata pro electis.

Confirmatur 1.

D. Auguſt.

Confirmatur ſecundo: quia non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, ut affirmat Divus Auguſtinus *epiſtola* 102. *ad Evodium*: ergo Chriſtus non eſt mortuus pro illis, qui pereunt: atque ideo per paſſionem ſuam non meruit reprobis auxilia ſufficientia ad ſalutem.

ſecundo.

Ad objectionem reſpondetur negando minorem. Ad cujus incertam probationem dicendum eſt primo ly *pro multis* idem valere, ac pro omnibus, ut conſtat ex uſu Scripturæ. Sic enim ad Rom. 5. dicitur, *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*, &c. quod tamen ipſi Adverſarij interpretantur de omnibus hominibus. Secundo dicendum eſt cum Divo Thoma ad locum Matthæi, *Sanguinem Chriſti effuſum fuiſſe & pro multis, & pro omnibus: quia ſi conſideretur ſufficientia, ipſe eſt ſufficientia pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantum, ſed totius mundi. Sed ſi conſideremus efficaciam, effectum non habet, niſi in his, qui ſalvantur: & hoc ex culpa hominum.* Itaque licet Chriſtus obtulerit voluntate antecedenti, & Deus etiam voluntate antecedente acceptaverit illam paſſionem pro omnibus hominibus, ex qua oblatione, & acceptatione proveniunt nobis omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem: noluerunt tamen voluntate conſequenti, quod omnibus cum effectu juſtificationis, vel perſeverantiæ proficeret. Unde fit, quod licet intuitu prædictæ paſſionis Deus præparaverit, & quantum eſt de ſe, offerat etiam auxilia ſufficientia ad ſalutem: nihilominus non omnibus conferantur auxilia efficacia, quibus actu ſalventur.

Reſponſio ad objectionem.

Ad Rom. 5.

Ex qua D. Thom. doctrina conſtat ad utramque confirmationem: nam cum Auguſtinus tam in illis locis, quam in aliis pluribus aſſerit Chriſtum ſolum pro prædeſtinatis veniſſe, & mortuum fuiſſe nullumque ex his, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, perire, loquitur de voluntate conſequenti, & de efficaci applicatione paſſionis Chriſti pro ſolis electis: minime vero excludit voluntatem antecedentem ſalvandi omnes, neque auxilia efficacia ex prædicto affectu, & paſſione omnibus hominibus præparata. Quæ diſtinctio, & interpretatio neceſſario admittenda eſt: tum quia ea non admiſſa, Auguſtinus ſibi apertè contradiceret, ſiquidem *in locis* §. *præcedenti allegatis* expreſsè docet Chriſtum pro ſalute omnium hominum oraſſe, & pro omnibus mortuum fuiſſe. Tum quia certum omnino eſt Chriſtum Dominum ordinaſſe Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ ad ſalutem omnium hominum, ut conſtat ex illis verbis: *Euntes in univerſum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, & cætera, & ex illis. Quarum

Occurritur utrique confirmationi.

Digitized by Google

non remiſeritis peccata, &c. valor autem omnium Sacramentorum, & gratia, quam cauſant, proveniunt ex meritis Chriſti Domini: quo ſenſu docent communiter omnes Patres Sacramenta fluxiſſe ex latere Chriſti pendentis in cruce: Chriſtus ergo mortuus, & oblatus eſt pro ſalute omnium hominum; ita quidem ut omnibus proficeret quoad ſufficientiam, aliquibus autem nempè electis quantum ad ſufficientiam, & efficaciam.

Secunda objectio. 47. Sed replicabis (& ſit ſecunda objectio) nam Chriſtus pro eis tantum ſe obtulit, pro quibus oravit Patrem: atqui non oravit pro omnibus hominibus, ſed ſolum pro electis: ergo non ſe obtulit pro omnium remedio, & ſalute. Joan. 17. Probatur minor verbis ipſius Chriſti Joan. 17. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*; adjuncta ex poſitione Auguſtini tractat. D. Auguſt. 107. in Joan. ubi ait: *Mundum vult modo intelligi, qui vivunt ſecundum concupiſcentiam mundi, & non ſunt in ea ſorte gratia, ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, ſed pro his, quos dedit ei Pater, rogare ſe dicit.*

Confirmatur; nam ſi Eccleſia ſciret, quinam eſſent reprobi, non oraret pro illis, ut expreſsè docet Auguſt. *lib. 21. de Civitate Dei cap. 24.* Idem. his verbis: *Si de aliquibus ita certa Eccleſia eſſet, ut qui ſunt illi, etiam noſſet, qui licet in hac vita ſunt conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam pro ipſo. Sed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus.* Chriſtus autem certò ſciebat, qui erant reprobi: ergo pro eis non oravit.

Solutio. Reſpondetur huic replicæ negando minorem. Ad cujus probationem dicendum eſt, quod licet Chriſtus Dominus oraverit aliquando pro omnibus hominibus, nihilominus ſpeciales quaſdam orationes fudit non pro omnibus, ſed pro electis. Et hujuſmodi fuit illa oratio, quam pro Apoſtolis fecit poſt cœnam: fundebat quippè illam ex affectu efficaci, & voluntate conſequenti, ut media efficacia pro ipſis à Patre obtineret. Quo orationis genere fatemur Chriſtum non oraſſe pro reprobis, ſeu mundi amatoribus: Oravit tamen ex affectu inefficaci, & deſiderio antecedenti; cui correſpondent auxilia ſufficientia, ipſaque pro illis conſecutus. Et eodem modo exponendus Divus Thomas *3. parte, quæſt. 21. art. 4. ad 3.* ubi docet Chriſtum non oraſſe pro omnibus crucifixoribus, nempè ex affectu abſoluto, & efficaci, quod Pater peccatum illis dimitteret.

Ad confirmationem reſpondetur ex dictis Eccleſiam non fore oraturam pro iis, quos certò ſciret damnandos infallibiliter eſſe, oratione, cui conſecutio auxiliorum efficacium reſponderet: & hoc tantum intendit Auguſtinus. Nihil tamen prohiberet, quod pro eiſdem oraret ex affectu charitatis, ut ſcilicet auxilia ſufficientia conſequerentur: hæc enim & cum futura damnatione compoſſibilia ſunt, & deſervirent, ut reprobi pauciora peccata committerent, & Deus minus offenderetur.

Tertia objectio. 48. Objicitur tertio: quoniam illis tantum Chriſtus meruit media, ſive auxilia ſufficientia ad ſalutem, qui per Chriſtum redempti ſunt: ſed plures homines non ſunt redempti per Chriſtum: ergo Chriſtus non meruit, vel non ordinavit merita ſua, ut Deus omnibus hominibus præpararet, & offerret auxilia ſufficientia ad ſalutem. Minor probatur ex D. Proſpero fideliſſimo D. Auguſtini diſcipulo, qui eam docet in reſponſione ad primam objectionem Vincentianam D. Proſper. his verbis: *quod ad magnitudinem, & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi. Sed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt.* Conſtat autem innumeros eſſe barbaros infideles, qui abſque fide, & baptiſmo pertranſeunt ſæculum iſtud: ergo omnes ij alieni ſunt à redemptione Chriſti.

Reſpondetur negando minorem abſolutè. Cujus probationi, ut occurramus, animadvertendum eſt, quod *redimere* bifariam accipi poteſt: uno modo prout idem valet, ac offerre pretium ſufficiens pro liberatione captivi: altero modo prout idem importat, ac captivum actu de ſervitute liberare. Si ergo in materia præſenti *redimere* dupliciter accipiatur: primo pro oblatione meritorum ſufficientium, ut Deus intuitu eorum præparet, & offerat hominibus auxilia ſufficientia, quibus à ſervitute peccati eruantur: ſecundo pro applicatione actuali, & efficaci meritorum ad effectum redemptionis. Nam omnes homines in Adamo peccantes duplicem ſervitutem, & miſeriam contraxerunt, nempè carentiam ſalutis, & impotentiam conſequendi illam. Unde dupliciter poſſunt redimi: uno modo accipiendo poteſtatem conſequendi ſalutem mediis auxiliis ſufficientibus: altero modo accipiendo actualiter ipſam ſalutem medio auxilio efficaci. Et quia Chriſtus Dominus meruit, quod Deus omnibus hominibus offerret auxilia ſufficientia ad ſalutem, obtulitque pro hoc effectu pretium condignum; propterea dicitur, & eſt univerſalis omnium hominum redemptor. Sed quia ſpecialiter ordinavit merita ſua, ut Deus prædeſtinatis conferret auxilia efficacia; idcirco dicitur peculiariter redemptor prædeſtinatorum, non autem omnium reproborum, & infidelium: hos enim redemit dando tantum potentiam conſequendi ſalutem; illos vero dando potentiam ſalutem conſequendi, & ipſam ſalutem actualem. Cum igitur Div. Proſper docet infideles alienos eſſe à redemptione Chriſti, loquitur de hac poſteriori redemptione; ſed priorem non denegat, neque excludit. Quod ſatis liquet ex verbis, quæ immediatè ſubjungit: *Cum itaque*, ait, *propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti; & tamen non omnes à captivitate ſunt eruti, redemptionis proprietas haud dubie penes illos eſt, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa diaboli, ſed Chriſti ſunt membra.* Ubi, ut vides, apertè fatetur rectè dici, quod homines ſunt redempti per Chriſtum propter ſufficientiam, & oblationem pretij: & ſolum intendit, quod electi majori proprietate dicantur redempti, eo quod ſunt actualiter eruti à Diaboli ſervitute.

§. IV.

Alind argumentum expenditur pro communi ſententia.

Alia ratio. 49. Secundo probatur noſtra concluſio alia ratione deſumpta ex verbis Apoſtoli 1. ad Timoth.

1. ad Tim. 2. Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri,* quæ poteſt ſic formari: nam qui vult alicui aliquem finem, vult etiam illi media neceſſaria, ut poſſit conſequi talem finem: eo quod finis non eſt conſequibilis niſi per media: ſed media neceſſaria, ut homo poſſit conſequi ſalutem, ſunt auxilia ſufficientia: ergo ſi Deus vult ſalutem omnibus hominibus, ut teſtatur Apoſtolus; ſequitur, quod etiam ipſis velit auxilia ſufficientia ad ſalutem. & conſequenter quod prædicta auxilia præparet, & offerat, quantum eſt ex ſe, omnibus hominibus. Deſumiturque hic diſcurſus ex D. Thom. 3. *contra gentes cap.* 159. ubi ait: *Deus, quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus dare gratiam: vult enim omnes homines ſalvos fieri.* Et ſuper epiſt. ad Hebræos cap. 11. lect. 3. inquit: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri: & ideo gratia nulli deeſt; ſed omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat.*

D.Thom.

Effugium. 50. Nec refert primo, ſi reſpondeas cum Adverſariis verba Apoſtoli referenda eſſe ad omnes homines in ſtatu naturæ integræ, non vero in ſtatu naturæ lapſæ: quia nunc privamur auxiliis ſufficientibus in pœnam præcedentis peccati originalis.

Præcluditur. Non, inquam, hoc refert, ſed facile confutatur tum ex ipſo contextu: nam poſtquam Apoſtolus dixit: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,* ſtatim adjecit rationem: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Quaſi diceret Deum velle omnes ſalvos fieri, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Conſtat autem Chriſtum Dominum veniſſe poſt lapſum Adami, ut homines à peccati ſervitute redimeret: ergo ſicut nullus eſt hominum pro quo, ſuppoſito Adami peccato Chriſtus mortuus non fuerit; ita nullus eſt, quem Deus non velit, adhuc ſuppoſito prædicto peccato, ſalvum facere. Tum etiam quia ſcopus Divi Pauli eo loco eſt movere, ut oremus pro omnibus hominibus, quia Deus vult omnes ſalvos fieri: ſed nos non oramus pro hominibus, quatenus pertinebant ad ſtatum innocentiæ, ſed quatenus ſpectant ad præſentem diſpoſitionem naturæ lapſæ: ergo adhuc ſuppoſito prædicto ſtatu Deus vult omnes homines ſalvos fieri: alias Apoſtolus nobis proponeret orationem impertinentem. Qua enim conſecutione inferretur orandum eſſe pro hominibus lapſis, quia Deus voluit ſalvos facere innocentes? Tum etiam quia Marc. ultimo Chriſtus Dominus præcepit diſcipulis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ,* hoc eſt, omnibus hominibus: ſed prædicatio Evangelij ordinatur ad ſalutem eorum, quibus prædicatur: ergo Deus vult omnes homines poſt Adami lapſum ſalvos fieri: iis enim, & non hominibus in ſtatu innocentiæ prædicandum eſt Evangelium, ut ex ſe liquet.

Marc. ultim.

Alia evaſio. 51. Nec refert ſecundo, ſi cum Adverſariis dicas verba Apoſtoli intelligenda eſſe ſecundum diſtributionem incompletam non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum, aut interpretanda in hoc ſenſu, quod Deus vult ſalvare omnes homines, qui ſalvantur: ſicut præceptor dicitur docere omnes pueros civitatis; non quia ſingulos doceat, ſed quia nullus edocetur, quem præceptor non doceat.

Confutatur. Non, inquam, hoc ſatisfacit, ſed refellitur ex dictis §. 2. quoniam Apoſtolus monet orandum eſſe pro omnibus, & quia Deus vult omnes ſalvos fieri, & quia Chriſtus dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus: ubi aperte ſignificat eoſdem prorſus Deum velle ſalvos fieri, quos Chriſtus redemit, & pro quibus Chriſtus mortuus eſt: ſed ut loco citato vidimus, Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, & ſingulis hominibus: ergo Deus vult omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri. Quod intelligendum eſt non de voluntate conſequenti, efficaci, & inferente infallibiliter ſalutem; ſed de voluntate antecedenti, inefficaci, & dante auxilia ſufficientia ad ſalutem. Hæc quippè omnes homines, nullo excepto complectitur, ut tradit Divus Proſper inſignis Divi Auguſtini diſcipulus, quem imitari deberent Adverſarij, cum adeo affectent ſequi Auguſtinum. Inquit ergo Proſper ad objectiones Vincentianas, object. 2. *Sinceriſſime credendum eſt* (cavillos, & ſophiſticas interpretationes expungit) *atque profitendum Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant; ſiquidem Apoſtolus, cujus iſta eſt ſententia, ſolicite præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſime cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* Et *ad caput tertium, Gallorum* addit: *Qui dicit, quod omnes homines vult Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur, quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* D. Proſper.

Confirmatur. Confirmatur: quia nemo poteſt ſalvari, niſi per auxilia ſibi collata, vel ſaltem oblata: poteſtas quippè conſequendi ſalutem non eſt à natura, ſed a gratia data, vel promiſſa: atqui omnes, & ſinguli homines poſſunt ſalvari: ergo omnibus conferuntur, vel offeruntur auxilia: atque ideo Deus vult ſalutem omnium non ſolum in communi, ſed etiam in particulari. Probatur minor ex cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, & fide Catholica, ubi ſic diffinitur; & ex D.Thom. 3. *part. quæſt.* 86. *artic.* 1. ubi reſolvit erroneum eſſe affirmare, quod aliquis non poſſit per pœnitentiam converti. Idemque communiter docent alij Sancti Patres, & ſpecialiter Auguſtinus *lib. retract. cap.* 19.

Objec. 52. Sed opponunt Adverſarij: quoniam cum Divus Auguſtinus prædictum teſtimonium Apoſtoli innumeris in locis interpretatus fuerit, nuſquam illud exponit in ſenſu à nobis intento, nempè pro ſingulis generum: ſed tribus tantum modis illud declarat: *primo* diſtributione accommoda, ut dicatur Deus velle ſalvare omnes, qui ſalvantur: qua interpretatione utitur *libro quarto contra Iulianum, capite octavo, & libro de Prædeſtinatione Sanctorum, capite octavo. Secundo* diſtributione incompleta pro generibus ſingulorum, ut dicatur Deus velle omnium ſalutem, quia ex omni hominum conditione aliquos ſalvat: ſic exponit *libro de correptione, & gratia cap.* 13. *& in Enchirid. cap.* 103. *Tertio* in ſenſu cauſali, ut dicatur Deus velle omnes ſalvos facere, quia facit nos velle ſalutem omnium: ſic explicat *lib. cit. de corrept. cap.* 15. *& lib.* 22. *de Civitate cap.* 2. In quibus locis, & aliis plurimis ſic interpretatur prædictum teſtimonium, ut ſemper illud reſtringat ad electos, vel ſaltem non extendat indiſcriminatim ad omnes. Ergo cum oppoſitam, & univerſaliorem interpretationem intendamus,

Digitized by Google

intendamus, procedamus contra mentem Sancti Doctoris.

Reſponſio.

Reſpondetur admittendo, quod prædicta expoſitio non inveniatur formaliter, & explicitè apud Auguſtinum (ut Baſilius Legionenſis in ejus ſcriptis haud parum verſatus tenet *parte 1. quæſt. 6. Scholaſtica.*) Quo ſuppoſito concedimus Auguſtinum communiter reſtringere verba Apoſtoli ad electos: negamus tamen, quod interpretatio ſit ipſi contraria. Quia Sanctus Doctor loquitur de voluntate conſequenti, qua Deus ſubminiſtrat auxilia efficacia; nos autem de voluntate antecedenti, qua præparat ſufficientia. Et quidem loquendo de voluntate conſequenti libenter concedimus Deum non velle ſalutem ſingulorum hominum, cum non omnes ſalventur: at loquendo de voluntate antecedenti, minime renueret Auguſtinus concedere, quod Deus vellet omnes ſalvare, ſiquidem expreſse docet Chriſtum mortuum fuiſſe pro omnibus hominibus, ut vidimus §. 1. & mors Chriſti Domini, quæ pro omnibus ſatisfecit quoad ſufficientiam, fuit etiam præordinata ex voluntate Dei antecedenti, qua vult omnes homines ſalvos facere. Quo

D.Thom.

pacto Angelicus Doctor *in 1. diſtinctione 46. quæſtione 1. articulo 1.* componit Damaſcenum, cujus eſt noſtra interpretatio, cum Auguſtino his verbis. *Secundum Damaſcenum verbum Apoſtoli intelligitur de voluntate antecedente, & non de conſequente: ſed ſecundum Auguſtinum intelligitur de conſequente.* Quibus verbis breviter, & faciliime oſtendit nullam eſſe in hac parte contrarietatem inter utrumque Doctorem: nam optime cohæret Deum velle voluntate antecedenti ſalutem ſingulorum hominum, præparando auxilia ſufficientia; & quod eam non velit voluntate conſequenti, communicando auxilia efficacia. Et plane, quod hæc interpretatio non ſit Auguſtini doctrinæ adverſa liquido ſuadet communis interpretatio diſcipulorum Sancti Doctoris, inter quos eminent Divus Thomas, Divus Anſelmus, & Divus Proſper, qui teſtimonium Apoſtoli in ſenſu à nobis intento declarant. Quibus etiam accedunt Athanaſius, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, Oecumenius, Theophilactus, Innocentius III. quos deduximus *Tract. 4. diſp. 9. dub. 5.*

Nota.

53. Merito autem Auguſtinus interpretationem iſtam, etſi non rejecerit, in ſcriptis ſuppreſſit, vel ſaltem non ita expreſſit, utpote tunc minus neceſſariam, & forte non adeo opportunam. Agebat enim contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui communiter abutebantur illo teſtimonio Apoſtoli ad perſuadendum, quod Deus communi præciſè, & indiſcreta providentia volebat omnes ſalvare, quin in ipſo alia ſpecialis, & efficax voluntas circa prædeſtinatos reperiretur. Ex quo ulterius inferebant auxilia gratiæ (quæ tandem admiſerunt) eſſe prorſus communia, & ſolum pertinere ad poſſibilitatem; nulla vero eſſe ſpecialia, efficacia, & inferentia ipſum agere. Unde tandem concludebant, quod ſuppoſita illa voluntate Dei omnibus communi, & auxiliis prorſus indifferentibus, & pertinentibus tantum ad poſſe, diſcretio unius hominis ab alio revocanda erat in uſu liberi arbitrij, qui pro ſuo nutu tantæ ſe, quam auxilia ſibi communicata ad exercitium perducebat. Quibus principiis ſpecialem prædeſtinationis providentiam, & beneficium impugnabant. His ergo erroribus ut obviaret Divus Auguſtinus, & ne populo videretur cum illorum actionibus communicare in exponendo Divi Pauli teſtimonium, interpretationem contraxit ad negotium prædeſtinationis, & gratiæ efficacis: quo ſuppoſito non poterat, nec debuit Apoſtolum communiter interpretari in univerſali face à nobis inventa, ſed cum limitationibus ſupra relatis. Unde elucet differentia cauſæ, in qua verſabatur Auguſtinus, & in qua verſamur. Ille enim agebat contra Pelagianos, qui providentiam Dei omnino communem, & ex ſe uniformem faciebant: nos autem agimus contra illos, qui à Pelagianiſmo deflectentes ad Manichæiſmum, aut Calviniſmum declinant, & providentiam, atque miſericordiam Dei ad ſolos prædeſtinatos anguſtant. Quamobrem Auguſtinus ſenſum Apoſtoli contraxit: nos extendimus, ſine ulla tamen contractione, vel falſitate.

§. V.

Convelluntur motiva contraria ſententiæ.

Sententia contraria.
Gondeſcalcus.
Janſenius.

54. Oppoſitam nobis ſententiam tenuerunt Gondeſcalcus damnatus in Concilio Moguntino II. & Janſenius *lib. 3. de gratia Chriſti cap. 21. & lib. 9. & 10.* quibus locis affirmat Chriſtum Dominum mortuum fuiſſe, & oraſſe pro ſolis electis, pro aliorum vero ſalute non magis deprecatum fuiſſe, quam pro diaboli liberatione, & conſequenter ſolos electos eſſe, quibus Deus velit ſalutem, & præparet auxilia ſufficientia ad ejus conſecutionem. Pro qua doctrina ſtant aliquomodo Gregorius de Arimino

Gregor. de Arimino.
Vazquez.
Alarcon.

in 1. diſt. 46. quæſt. 1. & Gabriel Vazquez *1. parte diſp. 96. & 97.* & Alarcon *tract. 4. diſp. 5. cap. 9.* quatenus ſub illa voluntate generali Dei erga omnium ſalutem non comprehendunt parvulos in utero materno morientes, pro quibus nullum agnoſcunt remedium, ut à peccato originali mundentur. Fundamenta præcipua hujus ſententiæ ſunt illa, quæ contra noſtras rationes objecimus, & diluimus: unde pauca ſuperſunt, quibus occurramus. Arguitur ergo primo: quo-

Primum argumentum.

niam Deus nullum præparavit remedium pro parvulis, qui in utero materno moriuntur: ergo Deus non offert omnibus, & ſingulis hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem. Conſequentia liquet. Et antecedens probatur: quia remedium neceſſarium, ut parvuli à peccato originali expientur, eſt baptiſmus: ſed parvuli, qui in utero materno moriuntur, non ſunt capaces baptiſmi: ergo Deus nullum inſtituit remedium pro parvulis in utero decedentibus.

Reſponſio Labat.

55. Reſpondet Labat *in præſenti diſput. 3. dubio 3.* negando antecedens: quia prædicti parvuli non omni remedio deſtituuntur: poſſunt enim ſalvari, ſi ſimul cum matre pro Chriſto interficiantur: poſſunt etiam diviſo matris utero baptizari.

Inſufficientia.

Sed hæc reſponſio difficultati non ſatis occurrit: tum quia ſæpius parvuli moriuntur matre ſuperſtite: ergo non poteſt remedio parvulorum occurri per matris mortem, aut per uteri materni abſciſſionem. Tum etiam quia ſæpius moriuntur parvuli, antequam poſſit eorum mors naturaliter prævideri, vel præveniri: nam paſſim poſt animationem ob aliquod ſeminis vitium, aut maximam debilitatem, mox etiam initia, deficiunt: ergo nequit eorum ſaluti conſuli abſcindendo uterum matris. Tum denique quia

quia prædictus caſus ſæpe contingit apud infideles negativè tales, qui nullam notitiam habent remedij baptiſmi à Deo proviſi; & conſequenter nihil minus cogitant, quam uterum matris abſcindere. Per quod etiam à fortiori refellitur id, quod dicitur de remedio parvulorum per mortem matris in odium Chriſti: quoniam frequenter matres ſunt in illis regionibus, ubi regnat ſumma ignorantia myſteriorum fidei, nulluſque adverſus illam deſævit; vel in illis provinciis, ubi omnino regnat prædicta fides, atque ideo nemo contra illam armatur, nulliuſque matribus imminet martyrium: ergo in his, & aliis pluribus caſibus, qui excogitari poſſunt, nullatenus parvulis ſubveniri poteſt per matrum martyrium. Unde Auguſtinus non ſemel aſſerit de his parvulis, quod non potuerint ſalvari, ut lib. de natura, & gratia cap. 8. ubi inquit: *Recte ergo ea damnatione, quæ per univerſam maſſam currit, non admittitur, nempe parvulus, in regno cælorum, quamvis Chriſtianus non ſolum non fuerit, ſed nec eſſe potuerit.* Et D. Thom. in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 1. abſolutè dicit parvulos in utero morientes eſſe incapaces remedij his verbis: *Dicendum, quod non eſt defectu divinæ miſericordiæ, quod in maternis uteris exiſtentibus non exhibeatur remedium; ſed quia non ſunt capaces remedij, per quod ſecundum legem communem participes paſſionis Chriſti efficiantur, à quo eſt remiſſio peccatorum: quia non poſſunt ſubjici operationi miniſtrorum Eccleſiæ, per quos talia remedia miniſtrantur.*

D. Auguſt.

D. Thom.

Melior reſponſio.

Reſpondetur ergo ad argumentum, quod licet Deus præviderit de ſalute omnium hominum, & ad remedium peccati originalis inſtituerit Sacramentum Baptiſmi, quod quantum eſt de ſe, poteſt omnibus parvulis applicari; nihilominus non voluit, quod hujuſmodi remedium exiſteret ſemper ſub proxima applicabilitate; nec id intendimus in concluſione ſupra poſita. Quoniam ſicut Deus voluit voluntate antecedenti ſalutem omnium adultorum: cujus voluntatis effectus ſunt auxilia ſufficientia omnibus oblata, ut ſalutem conſequi poſſint: & nihilominus voluntate conſequente non voluit ſalutem omnium adultorum, ſed ſolum prædeſtinatorum; cujus voluntatis effectus in reprobis eſt carentia auxilij efficacis, quo ſalutem reipſa conſequerentur. Ita etiam Deus voluit voluntate antecedenti ſalutem omnium parvulorum, & pro ea inſtituit generale remedium Baptiſmi, quod quantum eſt de ſe, poteſt omnibus applicari; & nihilominus voluntate conſequenti non voluit, quod omnibus parvulis applicaretur baptiſmus; imo nec quod eſſet omnibus proximè applicabilis.

Solvitur.

Et ratio eſt eadem utrobique: quia nimirum ſicut ſalus adultorum ſecundum ſe eſt quoddam bonum, ita etiam ſalus omnium parvulorum ſecundum ſe: unde utraque terminat voluntatem Dei antecedentem, & pro utroque ſunt inſtituta remedia, & auxilia de ſe ſufficientia. Et quemadmodum ſalus omnium adultorum, attentis omnibus circumſtantiis, eſt impeditiva majoris boni, quod ſplendet in effectibus juſtitiæ erga reprobos, & miſericordiæ erga prædeſtinatos, atque in varietate providentiæ divinæ intra ordinem gratiæ: quamobrem ſalus omnium adultorum non eſt volita voluntate conſequenti, nec per ea fuere inſtituta auxilia omnibus communia. Ita etiam ſalus omnium parvulorum, & applicatio actualis, ſive proxima applicabilitas baptiſmi reſpectu omnium eſſet, attentis omnibus circumſtantiis, impeditiva majoris boni: tum quia non daretur varietas in parvulis, ſicut in adultis: tum quia proxima applicabilitas baptiſmi ad parvulos morientes intra uterum maternum fieri non poteſt niſi perturbando ordinem naturæ, & introducendo miracula, vel providentiam extraordinariam. Qua de cauſa prædicta ſalus, vel proxima remedij applicabilitas non eſt volita voluntate conſequenti pro omnibus parvulis, ſed ſolum pro aliquibus. Cum tamen rectè cohæret, quod prædicti parvuli, antequam moriantur, poſſint abſolutè baptizari, & ſalvari, & quod non ſint in ſtatu damnationis, ſicut dæmones: quia ex una parte baptiſmus inſtitutus eſt pro omnibus viatoribus exiſtentibus in peccato originali, non pro damnatis; & ex alia parte parvuli, antequam moriantur, poſſunt abſolutè vivere, naſci, & lavacro baptiſmi regenerari: atque ideo offertur illis, ſaltem remote auxilium ad eorum remedium ſufficiens.

56. Arguitur ſecundo: quia operatio Dei ad extra non correſpondet voluntati antecedenti, ſed conſequenti, ut tradit Divus Thomas *in 1. diſtinctione 47. quæſtione 1. articulo 2.* ſed operatio præparans media, & auxilia ſufficientia eſt operatio Dei ad extra: ergo non correſpondet voluntati antecedenti, ſed conſequenti: atqui Deus non vult voluntate conſequenti ſalutem omnium hominum: ergo Deus non præparat, nec offert omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Secundum argumentum.

Confirmatur: quoniam ita ſe habet Deus volens voluntate antecedenti ſalutem hominis ſecundum ſe, ſicut judex volens vitam homicidæ ſecundum ſe: & ſic ſe habet Deus volens voluntate conſequenti damnationem reproborum, ſicut judex volens voluntate conſequenti ſuſpendium homicidæ: atqui judex habens prædictam voluntatem conſequentem non præparat, nec offert homicidæ media ſufficientia, quibus ille poſſit ſuſpendij pœnam evadere: ergo Deus volens voluntate conſequenti damnationem reproborum non offert, nec præparat reprobis auxilia ſufficientia, per quæ valeant damnationem vitare, & ſalutem conſequi.

Confirmatur.

Reſpondetur argumento, quod operatio Dei ad extra poteſt comparari ad principale volitum ad extra; & hoc pacto non correſpondet voluntati antecedenti, ſed conſequenti: vel poteſt comparari ad volitum minus principale; & hac ratione bene poteſt voluntati antecedenti correſpondere. Principale autem volitum ad extra in ordine auxiliorum eſt ipſa ſalus, & perſeverantia, aut auxilium efficax, quæ cum illa indiſpenſabiliter connectitur: volitum autem minus principale ſunt auxilia ſufficientia, quæ ſolum præſtant poſſe conſequi ſalutem. Unde licet ex voluntate antecedenti, qua Deus vult ſalutem omnium hominum, non ſequatur ſalutis conſequutio, vel auxilij efficacis collatio, quia hæc reſpondent voluntati conſequenti, quod præcisè docet Divus Thomas loco citato: nihilominus à voluntate illa antecedenti cauſantur auxilia ſufficientia tanquam effectus prædictæ voluntatis, ut expreſsè tradit Sanctus Doctor ibidem his verbis: *Hujus voluntatis, nempè antecedentis, effectus eſt ipſe ordo in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita tam naturalia, quam gratuita.*

Occurrit argumento.

D. Thom.

Ad

Diluitur Confirmatio. Ad confirmationem omiſſis præmiſſis, negamus conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt: quoniam judex non eſt proviſor generalis: ac proinde licet ſimplici voluntatis antecedentis affectu velit homicidam vivere, in quantum homo eſt, nihilominus obligatus eſt abſolute diſponere, & offerre media, quibus homicida poſſit pœnam evadere. Imo tenetur ad oppoſitum, ex eo quod ex officio ipſi tantum incumbit pœnas pro delictis infligere. Deus autem eſt proviſor generalis in ordine gratiæ: atque ideo taliter vult reprobis pœnam, quod nihilominus eadem voluntate antecedenti, qua vult omnibus hominibus ſalutem, velit etiam, præparet, & offerat auxilia ſufficientia, per quæ ſaltem conſequi valeant.

Ultimum argumentum. 57. Arguitur ultimo: quia ſi Deus omnibus hominibus offerret auxilia ſufficientia ad ſalutem, eadem auxilia omnibus hominibus re ipſa conferret; alias prædicta oblatio ſimulata eſſet, & ad nihilum deſerviret; cum homines abſque auxilio ſufficienti recepto nequeunt auxilia ſibi oblata impetrare, aut alio modo conſequi: atqui Deus non confert reipſa omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, ut patet in pluribus barbaris, & infidelibus negative, qui nullum auxilium ſupernaturale unquam receperunt: ergo Deus non offert omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Hoc argumentum tangit graviſſimam, & difficillimam quæſtionem, pro qua opus eſt ſequens dubium examinare.

DUBIUM TERTIUM.

Utrum Deus conferat reipſa omnibus, & ſingulis adultis auxilia gratiæ ſupernaturalis ſufficientia ad ſalutem.

Nota 1. 58. PRo hujus dubij deciſione recolenda ſunt, quæ in limine præcedentis obſervavimus circa differentiam inter *dare*, prout idem eſt ac offerre, & prout eſt correlativum ad recipere. Unde in præſenti ſupponimus Deum omnibus, & ſingulis hominibus dare auxilia ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem, prout *dare* ſignificat offerre. Inquirimus autem utrum ita *det* prædicta auxilia, ut in ſingulis hominibus aliqua recipiantur: quod ſignificamus per ly *conferat reipſa* &c. reſtringimusque in hoc ſenſu dubium ad ſolos adultos: nam quod in ſingulis prædicta auxilia non recipiantur, eſt adeo evidens, ut examine non indigeat, præſertim ſuppoſitis, quæ diximus à *num.* 42. Qua etiam ratione excludimus ab hoc dubio eos, qui perpetua amentia laborant: de quibus eadem ratio habenda eſt, ac de parvulis quantum ad auxilia intrinſece recepta, ut conſideranti conſtabit.

Nota 2. 59. Deinde recolenda ſunt, quæ *num.* 41. diximus de differentia inter auxilia proxime ſufficientia ad fidem, vel ſalutem, & auxilia remote ſufficientia. Qua diverſitate ſuppoſita, ſupponimus etiam, quod non omnes, & ſinguli homines recipiunt auxilia proxime ſufficientia ad fidem, vel juſtificationem. Cum enim nemo poſſit proxime credere abſque aliqua propoſitione explicita myſteriorum ſupernaturalium, & hæc non omnibus fiat; ſequitur non omnes homines habere auxilia proxime ſufficientia ad actum fidei, ac perinde neque ad converſionem ſupernaturalem, neque ad juſtificationem: hæc quippe fidem neceſſario præſupponunt. *Non omnes adulti recipiunt auxilia proxime ſufficientia ad ſalutem.* Quod aperte tradit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. docens plures homines laborare infidelitate pure negativa, ob defectum videlicet eorum, quæ ad credendum requiruntur. Quam doctrinam amplectuntur jam communiter Theologi apud Godoi *tomo* 1. *in* 1. *partem quæſt.* 23. *tract.* 8. *diſp. ultim.* *num.* 37. Unde merito titulus non inquirit, an omnes recipiant auxilia proxime ſufficientia ad ſalutem, ſed ſolum *auxilia ſufficientia*, abſtrahendo à modo, quo ſufficientia ſunt. Idque ſatis eſt ad reſolutionem præſentis difficultatis: nam qui in ea partem negativam amplectuntur, negant, quod generaliter in omnibus adultis aliquod auxilium ſupernaturale recipiatur, ſive remota ſint, ſive ſufficientia proxime; ſicut è converſo, qui affirmativam propugnant, ſatis eam evincere ſibi videntur oſtendendo ſingulos homines recipere aliquod auxilium ſupernaturale ſufficiens, quamvis non præſtet ſufficientiam proximam ad fidem, vel ſalutem. Et in hoc ſenſu præſens difficultas procedit.

60. Tandem præſupponendum eſt quemlibet hominem, qui inexcuſabiliter obligatur ad eliciendum aliquem actum ſupernaturalem, habere, vel habuiſſe in ſe auxilium ſupernaturale ſufficiens proxime, vel remote ad prædicti actus elicientiam. *Nota 3.* Quod ſatis liquet ex ſupra dictis *dubio* 1. & admittitur communiter à Theologis in præſenti. His ſuppoſitis circa præſentem difficultatem ſunt duæ opiniones contrariæ adeo probabiles non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam in Schola Divi Thomæ, & quæ muniuntur tanta rationum vi, & Doctorum auctoritate, ut facilius eſſet utramque problematice defendere, quam unam præ altera propugnare. Sed quia prior ille procedendi modus eſt parum utilis,

§. I.

Eligitur pars affirmativa, & SS. Patrum auctoritate fulcitur.

61. DIcendum eſt Deum omnibus, & ſingulis hominibus conferre auxilia ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem, atque ideo nullum eſſe hominem rationis compotem, in quo aliquod auxilium ſupernaturale non recipiatur. *Concluſio.* Hæc concluſio eſt magis conformis menti D. Auguſt. & D. Thom. & aliorum SS. Patrum, ut ſtatim videbimus. Illamque ex Thomiſtis tuentur Ferrara 3. *contra gentes cap.* 159. §. *Ad hujus evidentiam*. *Ferrara.* Medina 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 10. *in commentario*, & præcipue *in reſponſione ad* 4. & 6. *Medina.* Nazarius 1. *parte quæſt.* 23. *articulo* 3. *controverſ.* 3. *concluſ.* 2. & 4. *Nazarius.* Joannes Nicolai *in opuſcul. inſerto Pantheologiæ Raynerii, verbo, Gratia cap.* 7. fere per totam, & ſpecialiter §. 4. *Joannes Nicolai.* Arauxo 1. 2. *quæſt.* 89. *artic.* 6. *Arauxo.* & *quæſtione* 112. *artic.* 3. *dub.* 3. *in ſolutione argument.* quamvis *in aliis locis* lubrice, & non ita conſequenter loquatur. Idem Arauxo 2. 2. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *dubio* 2. *in* 1. & 2. *reſponſ. ad* 2. Alvarez *diſput.* 112. *concluſ.* 2. *Alvarez.* & *in explicatione* 3. *concluſionis* Joan. à S. Thoma 1. *parte quæſtione* 23. *diſputat.* 10. *artic.* 3. *Joannes à S. Thoma.* *numero* 40. & 41. Zumel 1. 2. *quæſtione* 112. *Zumel.* *artic.* 3. *diſput.* 5. *concluſione* 4. Cabrera 3. p. *Cabrera.* *quæſtione* 18. *artic.* 4. *diſput.* 6. *dub.* 5. ubi aliis

aſſerit oppoſitam ſententiam eſſe falſam, improbabilem, minus tutam, & à divina miſericordia alienam. In quo tamen ipſe graviter exceſſit: nam prædicta opinio probabiliſſima eſt, & ſatis communis inter graves Theologos, ut *num.* 90. videbimus, habetque pro ſe ſatis difficilia argumenta, ut ex dicendis conſtabit. Exceſſit etiam per oppoſitum, quamvis non adeo graviter, Gonet *diſp.* 5. *de reprobat. artic.* 6. *num.* 143. aſſerens paucos eſſe ex Schola D. Thomæ, qui noſtræ aſſertioni adhæreant: nam profecto non tot Thomiſtas refert, nec referre poteſt pro ſua opinione, quot pro noſtra adduximus. Et perperam pro ſe retulit Alvarez, & Ioannem à S. Thoma, atque Zumelum: nam priores illi duo expreſſe docent noſtram aſſertionem *locis ſuperius citatis.* Zumel autem licet oppoſitam docuerit 1. *parte quæſtione* 23. illam tamen aperte retractavit ubi ſupra, & ſpecialiter 5. *ſed profecto*, ubi ait: *Quamvis ea, quæ olim diximus, ſuam habeant probabilitatem, rè tamen melius inſpecta ſanciendum eſt juxta ea, quæ diximus concluſ.* 3. *&* 4. Quod potius confirmat noſtram ſententiam. Immo aliqui Thomiſtæ, qui pro contraria referuntur, ſolum negant receptionem auxilij proxime ſufficientis ad fidem; minime vero negant univerſaliter receptionem alicujus auxilij ſufficientis ſupernaturalis in ſingulis hominibus: atque ideo nobis non refragantur. Ex extraneis etiam conſentiunt D. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 28. *artic.* 2. *quæſtione* 1. Carthuſ. *ibi quæſt.* 2. Ægidius *quæſt.* 1. *art.* 3. Alexander 3. *parte quæſt.* 65. *memb.* 5. *articulo* 3. Bellarminus *de gratia, & libero arbitrio cap.* 7. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 8. *quæſtione* 3. *puncto* 3. *concluſ.* 2. Granados *controverſia* 8. *de gratia tract.* 6. *diſp.* 1. *ſect.* 5. Averſa 1. *parte qu.* 23. *ſect.* 5. *concl.* 3. Ripalda *tom.* 1. *de ente ſupernaturali diſput.* 20. *ſect.* 12. *cum ſequent.* & alij plures. Immo eandem aſſertionem docet Concilium Colonienſe *in Enchir. de ſacram. pœnitentia cap.* 16. quod licet adhuc ab Apoſtolica ſede approbatum non fuerit, habet tamen apud omnes non levem auctoritatem.

D. Bonavent.
Carthuſ.
Ægid.
Alexander.
Bellarmin.
Valentia.
Granados.
Averſa.
Ripalda.
Conc. Col.

Probatur ex D. Auguſt.

62. Probatur primo auctoritate Divi Auguſtini *in libro* 83. *quæſtionum quæſtione* 61. ubi ait: *Hæc vocatio, quæ ſive in ſingulis hominibus, ſive in populis, ſive in ipſo genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ, & profundæ ordinationis eſt.* Vocatio autem, quæ altæ, & profundæ ordinationis eſt, nequit non eſſe gratia ſupernaturalis: ergo cum D. Auguſtinus docet hanc recipi (operari enim non poteſt, niſi actu conferatur) in ſingulis populis, & hominibus; aperte ſequitur ex ſententia Auguſtini omnes, & ſingulos homines recipere aliquod auxilium gratiæ ſupernaturalis ſufficientis ſaltem remote ad ſalutem. Et *libro de Spiritu, & littera cap.* 27. loquens de gentilibus, quibus nullus adhuc fidei radius illuxerat, ait: *Sicut ipſa imago Dei renovatur in mente credentium per teſtamentum novum, quam non penitus impietas aboleverat* (*ita ibi* (nempe in mente infidelium) *lex Dei non ex omni parte deleta per injuſtitiam, profecto inſcribitur renovata per gratiam*, utique ſupernaturalem, licet imperfectam. Sentit ergo, quod infidelibus, atque ideo omnibus, & ſingulis hominibus ratione utentibus communicantur actu auxilia aliqua ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem. Quod etiam tradit pluribus aliis in locis, quæ toti dubio inferemus. Alia ejuſdem S. Doctoris teſtimonia inſra dabimus.

Confirmatur ex aliis Patribus.

D. Proſper.

Confirmatur teſtimoniis aliorum Sanctorum Patrum, & præſertim eorum, qui fuerunt Divi Auguſtini diſcipuli, & aſſertionem noſtram ſatis aperte docent Divus Proſper *libro* 2. *de vocatione gentium cap.* 4. inquit: *Sed nec præteritis quidem ſæculis hæc eadem gratia, quæ poſt Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem ubique diffuſa eſt, defuit mundo. Quamvis enim ſpeciali cura, atque indulgentia Dei populum Iſraeliticum conſtet electum, non ita ſe tamen æterna creatoris bonitas ab aliis hominibus avertit, ut ad cognoſcendum ſe, atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret.* Quod latiſſime eo libro confirmat, & tandem *cap.* 31. concludit: *Elaboratum eſt, quantum Dominus adjuvit, ut non ſolum in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, providentia quidem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere, diverſaque menſura: quoniam ſive occulte, ſive manifeſte ipſe eſt, ut Apoſtolus ait* 1. *ad Timoth.* 4. *Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Dona autem, in quorum collatione Deus oſtenditur ſalvator, nequeunt eſſe beneficia pure naturalia, ſed debet importare aliquam ſupernaturalem gratiam ſufficientem ſaltem remote ad ſalutem.* Unde ipſe Divus Proſper ponderans auctoritatem Apoſtoli dixit: *Dicendo enim, qui eſt Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem. Adjiciendo autem, maxime fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inſpiratæ ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur, nempe auxiliis proxime ſufficientibus ad eandem ſalutem, & auxiliis efficacibus.* Alia ergo auxilia inefficacia, & remote ſufficientia omnibus hominibus ſive fidelibus ſive infidelibus conferuntur.

Paul. Oroſ.

Clariſſime etiam noſtræ ſuffragantur ſententiæ Paulus Oroſius Divi Auguſtini propugnator ſtrenuus *in Apologia de libertate*, ubi inquit: *Mea ſemper hæc eſt fidelis, atque indubitata ſententia Deum adjutorium ſuum non ſolum in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob credentium fidem donatur; verum univerſis in modo gentibus propter longanimem ſui, æternamque clementiam ſubminiſtrare: non ut tu aſſeris cum diſcipulo tuo Celeſtio* (*cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contuſa eſt*) *in ſolo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter univerſis unam gratiam attributam; ſed ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos cunctis, & ſingulis miniſtrare.* Ubi perſpicue docet gratiam diſtinctam à Dono creationis, ac perinde ſupernaturalem (quam Cœleſtius in quodam ſui dogmatis ſtatu negabat) ſubminiſtrari omnibus gentibus, tametſi ob defectum fidei ſint extra Eccleſiam. Similia tradit Divus Gregorius Nyſſenus *in oratione Catech. capite* 30. ubi objectionem Gentilium proponit his verbis: *Si ergo aliquod bonum eſt fides, cur, inquiunt, non ad omnes venit gratia?* Et reſpondet: *Atque ſi hæc quidem in his, quæ dicimus, à nobis adſtrueretur, quod à divina voluntate hominibus abdicaretur fides, utpote ut alij quidem vocarentur; cæteri autem eſſent expertes vocationis: opportune hujuſmodi reprehenſio*

D. Gregor. Nyſſen.

Digitized by Google

benſio objiceretur myſterio. Si autem ad omnes pariter procedit vocatio, nec authoritatem, nec ætatem, nec gentium diſcernetis differentiam, &c. Vbi aperte concedit omnes homines vocari ad fidem: quod licet non intelligatur de vocatione ſupernaturali proxime ſufficienti ad credendum juxta dicta *num.* 59. intelligendum neceſſario eſt de vocatione ſupernaturali ſaltem remote ſufficienti: cuncta enim dona naturalia inſufficientia, & inepta ſunt, ut per ea dicamur vocari ad fidem: atque ideo relinqueret Nyſſenus inſolutam objectionem Gentilium, ſi ad ſola naturalia beneficia recurreret.

Prima Adverſariorum reſponſio.

63. Quæ teſtimonia ſunt adeo perſpicua, ut ſincere intellecta non admittant expoſitiones, quibus Adverſarij eorum robur conantur elidere. Reſpondent enim primo has & ſimiles auctoritates intelligendas eſſe de gratia ſupernaturali, non quidem in ſingulis hominibus recepta, ſed omnibus, & ſingulis oblata, & quæ reipſa conferretur, niſi homines ſe impedirent peccando contra legem naturalem. Secundo intelligenda eſſe de gratia entitative naturali, quam fatentur omnibus eſſe communem, atque in ſingulis recipi indifferenter. Ita Godoi *ubi ſupra num.* 67. *&* 68.

Alia reſponſio. Godoy.

Prima evaſio refellitur.

64. Sed neutra interpretatio ſatiſfacit. Non prima: quia Auguſtinus in priori teſtimonio loquitur de gratia, *quæ operatur*, & in poſteriori de gratia, per quam in corde hominum *legem ſcribit* Dei lex inſcribitur: gratia autem, quæ *operatur*, & qua lex Dei *inſcribitur* eſt gratia non ſolum oblata, ſed actu collata; ſiquidem habet aliquem affectum. Similiter Proſper loquitur de gratia, quæ *aliquibus ſignificationibus* nos admonet ad Deum agnoſcendum: hæc autem munia non exequitur gratia præciſe oblata, ſed actu oblata, ut ex ſe liquet. Præſertim quia gratia ſufficiens præciſe oblata æqualiter reſpicit omnes; cum Chriſtus pro omnibus mortuus fuerit quoad ſufficientiam: gratia autem à Proſpero aſſerta datur multimodo opere, diverſaque menſura, & *libro* 2. *cap.* 8. inquit: *Ad conſiderationem revertamur differentiarum, quibus divinæ gratiæ opera, ac dona varia ſunt. Cur ſecretiſſima voluerit in omnibus temporibus, ſuper omnes generationes, ac ſuper omnes homines inæquales donorum eſſe menſuras.* Ergo gratia à Proſpero aſſerta datur, non ſolum ut dare idem eſt, ac offerre, ſed prout eſt correlativum ad recipere. Pariter *ſubminiſtrare*, quo utitur Oroſius, non ſolum oblationem ſignificat, ſed actualem, & exercitam communicationem. Et tandem Divus Nyſſenus non aliter occurrit Gentilium querimoniæ de fide ſibi negata, niſi aſſerendo eos ad fidem vocatos fuiſſe, & prædictam vocationem ſingulis adfuiſſe. Quod de vocatione non tantum oblata, ſed actu facta neceſſario intelligendum eſt: alias Gentilium querimoniæ minime ſatisfaceret. Vnde concedit nullum hominem *vocationis ad finem*, utique mediate, & remote, *expertem eſſe*. Relata igitur Sanctorum Patrum teſtimonia de gratia non ſolum oblata, ſed actu recepta loquuntur: nec oppoſita interpretatio poteſt illis niſi violenter accommodari.

D. Proſper.

Secunda reſponſio confutatur.

65. Et eodem modo ſecunda expoſitio refellitur: nam in primis Divus Auguſtinus in priori teſtimonio loquitur de vocatione altæ, & profundæ ordinationis, quibus verbis expreſſiſſime ſignificavit gratiam ſupernaturalem, qua ordinamur in ſupernaturalem ſalutis finem. In poſteriori vero loquitur de gratia, qua lex Dei per culpam velut excuſſa in corde hominum perfecte, vel imperfecte iterum ſcribitur; hujuſmodi vero lex per peccatum obliterata ſupernaturalis erat: unde gratia illam reparans nequit non eſſe ſupernaturalis. Pariter intentio Proſperi toto illo opere eo collimat, ut oſtendat omnibus, & ſingulis hominibus adfuiſſe gratiam ſufficientem ad ſalutem: gratia autem mere naturalis tam proxime, quam remote eſt inepta ad prædictum finem, ut contra Vaſquez oſtendimus *diſp.* 3. *dubio* 9. Similiter Oroſius loquitur de gratia conducente, & neceſſaria ad ſalutem, quam Pelagiani negabant, atque ideo agit de gratia ſupernaturali. Tandem Divus Nyſſenus diſputat de vocatione ad fidem, ad quam profecto non naturali, ſed altiori vocatione excitamur. Ergo relata Patrum teſtimonia gratiam non mere naturalem, ſed ſupernaturalem omnibus, & ſingulis hominibus communicatam evincunt.

Adde pro legitima, & magis perſpicua intelligentia mentis Divi Auguſtini, Proſperi, & Oroſij in relatis teſtimoniis, quod quamvis beneficia naturalia queant gratia dici, nihilominus in uſu ſacræ Scripturæ prædicta voce, & titulo non inſigniuntur: unde raro, nunquam prædictum vocabulum illis accommodatur, ut obſervavit Divus Auguſtinus *epiſt.* 195. his verbis: *Illam vero gratiam, qua creati ſumus homines, etiam ſi ita appellandam non immerito intelligamus: mirum eſt tamen, ſi ita appellatam in ullis legitimis, propheticis, evangelicis, apoſtolicisque litteris legimus.* Immo vero cum Pelagiani teſtimoniis Scripturæ urgerentur, ut divinæ gratiæ neceſſitatem admitterent, & ad ſolum donum creationis, vel ad ſola beneficia entitative naturalia recurrerent; Auguſtinus aperte profeſſus eſt ſe nomine gratiæ ſolam illam intelligere, quæ ad ſalutem æternam conducit, ac perinde quæ ad ordinem ſupernaturalem ſpectat. Sic enim habet *libro* 4. *contra Iulianum cap.* 3. *Quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona, non tamen ad ſalutem æternam, regnumque perducere: ſcito nos illud bonum dicere illam voluntatem bonam, illud opus bonum ſine Dei gratia, quæ datur per unum mediatorem Dei, & hominum, nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum, regnumque perduci.* Cum ergo Auguſtinus, Proſper, & Oroſius ejus aſſeclæ fateantur in omnibus, & ſingulis hominibus aliquam Dei gratiam recipi, qua poſſint vel ad fidem, vel ad ſalutem perduci; aperte colligitur, quod non loquantur de dono creationis, aut de gratiis, & beneficiis mere naturalibus, ſed de gratia ſupernaturali, quæ ſola nomen gratiæ abſolute meretur.

Nota circa mentem Aug. & aliorum.

Auguſtin.

§. II.

Expenditur ſecundum argumentum ex ſacra Scriptura deſumptum.

66. Secundo probatur noſtra concluſio ratione deſumpta ex dictis *dubio* præced. §. 4. Quoniam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. *ad Timoth. cap.* 2. quæ voluntas reſpi-

[illegible]

Digitized by Google

cit omnes, & ſingulos homines, ut *loco citato* oſtendimus: ſed auxilia ſupernaturalia ſufficientia proxime, vel remote ad ſalutem ſunt effectus prædictæ voluntatis, ut ibidem declaravimus: ergo Deus ex vi prædictæ voluntatis confert omnibus, & ſingulis hominibus auxilia aliqua ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem, ita quod in ſingulis aliqua recipiantur. Probatur conſequentia: quoniam qui ſincere vult alicui aliquem finem, confert ipſi media neceſſaria, & ſufficientia ad ejus conſecutionem: ſed auxilia ſupernaturalia ſunt media ſufficientia, & neceſſaria ad ſalutem: ergo ſi Deus ſincere vult ſalutem omnibus hominibus, cunctis præſtat reipſa aliqua auxilia ſupernaturalia: alias non vere, & ſincere, ſed ſimulata quadam ratione diceretur velle omnes homines ſalvari: quod eſt abſurdum.

Effugium.

67. Reſpondet Godoi *numero* 31. voluntatem illam, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, eſſe ſolum antecedentem; cui non ſemper correſpondet aliquis effectus actu communicatus, ſed tantum oblatus, vel præparatus. Unde ex vi prædictæ voluntatis non infertur, quod auxilia ſupernaturalia in ſingulis hominibus recipiantur; ſed ſolum, quod ſingulis offerantur, & præparentur.

Præcluditur.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, & refellitur inſtaurando argumentum: quoniam non cohæret, quod Deus velit vere, & ſincere omnes homines ſalvos fieri, & eis conferre auxilia ad ſalutem; & quod prædicta auxilia ſolum offerat, negando tamen omnibus hominibus, vel eorum alicui auxilium actu receptum. Id autem ſic oſtenditur: nam vel Deus offert prædicta auxilia independenter ab omni diſpoſitione ſubjecti, in quo recipienda ſunt, vel dependenter ab illa? Si dicatur primum: ergo non cohæret, quod Deus vere, & ſincere offerat, & quod reipſa non conferat dicta auxilia; ſiquidem nihil deſideratur ex parte hominis, ut tem ſibi oblatam recipiat. Si autem eligatur ſecundum: ergo ſimulta, & irriſoria eſt illa auxiliorum oblatio, niſi aliquod intrinſece in homine recipiatur: homo enim ad conſequendum auxilia ſibi oblata non diſponitur per vires naturæ, vel per ſolam gratiam ſibi præparatam, quam penitus ignorat; ſed ſolum per gratiam actu receptam. Minime ergo cohæret, quod Deus ſingulis adultis offerat auxilia ſufficientia ad ſalutem, & quod ipſis non imprimat re ipſa aliquod auxilium intrinſecum. Sicut etiam inter homines, qui aliquid vere offert independenter à conditione; illud re ipſa confert. Si autem ſub conditione promittit, vel ſupponit poſſibilitatem conditionis; vel irriſorie promittit, præſertim quando conditio expoſcit, & implicat ipſam rem oblatam; ut ſi quis diceret cæco, dabo tibi oculos, ſi me videris. Unde ex vi auctoritatis Apoſtoli ſupra relatæ non ſolum evincitur præparatio auxiliorum ſufficientium pro ſingulis hominibus, ut dubio præcedenti aſſeruimus; ſed etiam concluditur actualis receptio illorum in ſingulis hominibus adultis, ut intendimus in præſenti.

Urgetur impugnatio.

Confirmatur primo: quia ex prædicto teſtimonio colligunt communiter SS. Patres non ſtare per Deum, quod omnes, & ſinguli homines ſalutem ſupernaturalem non conſequantur, ſed per ipſos homines, qui Deo prædictum finem intendenti non cooperantur: hoc autem falſum eſſet, ſi Deus ſingulis hominibus aliquod auxilium ſupernaturale intrinſecum non conferret: ergo illud re ipſa communicat ſingulis adultis. Minor conſtat: quia data hypotheſi, quod nullum auxilium recipiatur in homine, non ſtat in manu, aut voluntate hominis tendere ullo modo in beatitudinem ſupernaturalem: quamvis enim poſſit homo viribus propriis operando bene moraliter tendere in naturalem beatitudinem, & à ſupernaturali divertere peccando; nullatenus tamen valet propriis viribus non adjutis aliquo ſupernaturali auxilio intrinſece recepto ad finem ſupernaturalem proxime, vel remote converti: atque ideo in ordine ad prædictum finem non magis proſunt auxilia illi oblata, & non recepta, ac ſi nullatenus oblata, vel præparata fuiſſent: unde non in hominem; ſed in Deum carentia tendentiæ in prædictum finem reducenda foret. Major autem probatur ex Divo Auguſtino *libro* 4. *contra Julianum capite* 8. ubi ait: *Ut videlicet intelligamus, docentibus vobis, ideo non omnes ſalvos fieri, quia ipſi nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere, cum Deus velit oſtendere: nolunt pulſare, cum Deus velit aperire.* Ubi aperte docet, tum quod non ſtat per Deum, ſed per hominem, quod non ſalvetur: tum quod homines omnes poſſunt pulſare, quærere, & petere: quæ potentia non ineſt homini per naturam, ſed per gratiam actu receptam. Et Chriſoſtomus *hom.* 9. *de laudibus Pauli*, inquit: *Ipſe quidem vult omnes ſalvos fieri, atque non omnium voluntas voluntati ejus obſequitur, neque ab eo aliquis cogitur: Unde ad Hieruſalem dicit: Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti? Quid ergo? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Vides, quod Dominus ſalvare nos vult: nos autem quia nos non ei adjungimus, manemus in interitu. Deus enim paratus eſt ad ſalvandum hominem, non involuntarium, neque nolentem.* Ubi, ut vides, reducit Chryſoſtomus carentiam adimpletionis voluntatis Dei antecedentis ad hominem nolentem, & Deo non cooperantem: quod falſum eſſet, ſi omni auxilio intrinſeco deſtitueretur, quo Deo ſalutem volenti cooperari valeret, tametſi omnia auxilia ipſi offerrentur. Sicut falſo diceremus Deum negare cæco aliquod beneficium, quia non videt per potentiam viſivam ſibi præparatam, ſi cæcus neque habebat prædictam potentiam, ut ſupponitur, neque aliquod principium intrinſecum ſufficiens ad illam conſequendam.

D. Auguſt.

D. Chryſoſt.

68. Confirmatur ſecundo: nam ſuppoſito, quod Deus velit voluntate antecedenti conferre ſingulis hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem; nulla eſt ratio neque ex parte Dei, neque ex parte hominis, quare Deus non conferat re ipſa omnibus, & ſingulis hominibus aliqua auxilia ſufficientia ſaltem remote ad ſalutem; vel quare habeat voluntatem conſequentem negandi aliquibus adultis omne prorſus auxilium ſupernaturale: ergo qui admittit priorem illam voluntatem, abſque fundamento negat in omnibus, & ſingulis adultis recipi aliquod ſupernaturale auxilium ſufficiens ſaltem remote ad ſalutem. Probatur antecedens; nam in primis ex parte Dei non impeditur major manifeſtatio ſuorum attributorum per hoc, quod conferat prædicta auxilia; ſicut impeditur ſi omnibus, & ſingulis hominibus non ſolum offert,

Confirmatio ampliatur.

ſed

ſed etiam confert auxilia efficacia: qua ratione Theologi communiter docent, quod licet Deus voluntate antecedenti voluerit omnium hominum ſalutem, nihilominus voluntate conſequenti voluit eam aliquibus denegare, ſicut & auxilia efficacia ad eam conſequendam, ſcilicet ut ſplenderet attributum juſtitiæ in punitione peccatorum. Hæc, inquam, major divinæ perfectionis manifeſtatio non impeditur ex communi, & univerſali collatione auxiliorum ſupernaturalium ſufficientium remote ad ſalutem: quia cum ea optime cohæret negatio auxiliorum efficacium: qua ſuppoſita homines certiſſime peccabunt, apparebitque tam defectibilitas liberi arbitrij, quam excellentia divinæ juſtitiæ in peccatorum vindicatione. Aliunde autem hæc auxiliorum ſufficientium collatio maxime decet divinæ miſericordiæ viſcera, quæ adeo large ſe effundunt, ut neminem adultorum abſque ſupernaturali aliquo auxilio relinquant. Quod autem ex parte hominum non detur ratio, vel diſpoſitio obſtans prædictorum auxiliorum communicationi, etiam liquet: nam ſi quod obſtaculum eſſet, maxime peccatum, quod prædicta auxilia demeretur; atqui licet Deus poſſet juſte in peccati pœnam ſuam gratiam à peccatore ſubſtrahere, ſicut & ipſum annihilare; nihilominus de facto non ita ſe gerit: immo potius ſuppoſito originali peccato, & innumerabilibus, ac graviſſimis peccatis perſonalibus adhuc ſuam gratiam communicat peccatoribus: ergo ex parte hominum non datur ratio, vel diſpoſitio, quæ auxiliorum ſupernaturalium ſufficientium communicationem impediat.

Si autem dicatur impedimentum hoc conſiſtere in ignorantia invincibili myſteriorum noſtræ fidei, qua barbari plures laborant; nihil refert: quoniam licet prædicta ignorantia ſit inconjungibilis cum auxiliis, quæ proxime ad credendum ſufficiunt; conjungi tamen poteſt cum auxiliis remote ſufficientibus: hæc quippe prædictam ignorantiam minime excludunt, ut ex dicendis magis conſtabit.

Prima objectio. 69. Unde obiter manent excluſæ duæ objectiones, quibus Adverſarij argumentum ſuperius factum labefactare ſibi videntur. *Prima* eſt: quoniam Deus voluntate antecedenti vera, & ſincera voluit ſalutem omnium hominum non ſolum adultorum, ſed etiam parvulorum, ut conſtat ex dictis *dub. præced.* & nihilominus ex prædicta voluntate minime colligitur, quod prædicti parvuli recipiant aliquod auxilium ſupernaturale ſufficiens; ſiquidem innumeri abſque baptiſmo decedunt: ergo idem de adultis dicendum eſt. *Secunda.* *Secunda* ſic ſe habet: quia Deus voluntate antecedenti vera, & ſincera voluit omnibus, & ſingulis hominibus auxilia ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem non ſolum remote, ſed etiam proxime: inde vero non ſequitur, quod omnes, & ſinguli homines recipiant auxilia proxime ſufficientia ad ſalutem: ergo nec recte colligitur, quod recipiant auxilia ſufficientia remote.

Diluitur prima. Hæ, inquam, objectiones diluuntur ex dictis. Ad primam enim dicendum eſt, quod licet Deus voluerit voluntate antecedenti ſalutem omnium hominum, tamen nec antecedenter, nec conſequenter voluit invertere ordinem, & providentiam cauſarum naturalium; ſed potius tam antecedenter, quam conſequenter voluit, quod per ſe loquendo obſervaretur prædictus ordo. Porro hoc diſcrimen intercedi[...]ter parvulos, & adultos, quod illi nequeunt præparari proxime, vel remote ad ſalutem per operationem propriam, cum ſint illius pro tali ſtatu incapaces: ſed debent conſequi ſalutem dependenter ab operatione aliorum, qui ipſis applicent ſacramentum baptiſmi. Adulti autem poſſunt diſponi ad ſalutem media operatione propria elicita dependenter ab aliquo auxilio ſupernaturali ſibi impreſſo: quod auxilium poteſt Deus largiri, & connaturaliter ſæpe largitur independenter ab operatione extrinſeca aliorum hominum. Licet enim auxilia proxime ſufficientia ad fidem, communiter loquendo, non diſtribuantur, niſi ſuppoſita prædicatione externa myſteriorum fidei: nihilominus alia auxilia imperfectiora, & remotiora à prædicta prædicatione non dependent, ſed ſæpe referuntur à Deo independenter ab illa, ut dicendis conſtabit. Quia ergo applicatio auxilij ſufficientis pro parvulis, nempe baptiſmi mediis miniſtris conferendi, fieri non poterat, quin ordo naturalis providentiæ inverteretur, tam in eo, quod nemo parvulorum intra uterum maternum moreretur, quam in eo, quod ubique eſſent homines, qui formam baptiſmi ſcirent, & vellent parvulos baptizare: propterea licet Deus voluntate antecedenti vera, & ſincera voluerit ſalutem omnium parvulorum ſecundum ſe, & eis præparaverit remedium generale ad ſalutem; nihilominus attentis omnibus circumſtantiis, noluit voluntate conſequenti, quod omnibus parvulis applicaretur baptiſmus, vel eis fieret proxime applicabilis, ut *dubio præcedenti* explicuimus. E contra vero quia in eo, quod omnibus, & ſingulis adultis communicentur aliqua auxilia ſupernaturalia remote ſufficientia ad ſalutem nulla providentia invertitur; ſiquidem naturalis ſalvatur indemnis, & ſupernaturalis magis ſplendet: merito arguitur, quod ſi Deus voluntate antecedenti voluit prædicta auxilia conferre, ut Adverſarij admittunt; per nullam voluntatem conſequentem voluerit oppoſitum: & ſubinde, quod de facto prædicta auxilia communicet.

Solvitur ſecunda. Ex quibus liquet ad ſecundam objectionem: nam cum auxilia proxime ſufficientia ad ſalutem vel includant fidem, vel ſint ad eandem fidem proxime ſufficientia; & fides communiter loquendo non habeatur, niſi media prædicatione, & propoſitione externa credibilium, quam certum eſt, & experientia conſtat non adeſſe pluribus barbaris: merito aſſeritur, quod Deus ita voluntate antecedenti voluerit ſingulis hominibus auxilia proxime ſufficientia ad ſalutem, quod voluntate conſequenti, & attentis omnibus ea impertire noluerit. Auxilia autem remote ſufficientia ſolum important aliquas illuſtrationes, vel affectiones ſupernaturales valde imperfectas, quas Deus per ſe ipſum, & independenter à prædicatione externa poteſt homini communicare, & quarum communicationem nihil eſt ex parte hominis, quod impediat. Quamobrem, qui aſſerit Deum voluntate antecedenti voluiſſe prædicta auxilia remota ſingulis adultis conferre inconſequenter, & abſque urgenti fundamento negat ea de facto recipi in omnibus adultis.

§. III. Prop

§. III.

Proponitur alia ratio deſumpta ex doctrina Divi Thomæ.

Tertia ratio aſſertionis.

70. TErtio probatur noſtra concluſio ex doctrina, quam tradit D. Thom. ſupra *quæſt. 89. artic. 6. in corpore*, ubi probat non poſſe peccatum veniale cum ſolo originali conjungi: *quoniam homini pervenienti ad uſum rationis, primum, quod tunc cogitandum occurrit, eſt deliberare de ſe ipſo. Et ſi quidem ſe ipſum* [illegible] *ordinaverit ad debitum finem, per gratiam con*[illegible]*. Si vero* [illegible] *ſequitur remiſſionem originalis peccati* [illegible] *quod non ordinet ſe ad debitum finem, ſecundum* [illegible] *mor*[illegible] *in illa ætate eſt capax diſcretionis, pecc*[illegible]. Ubi [illegible] *taliter non faciens, quod in ſe eſt,* [illegible] pueris Sanctus Doctor loquitur non ſolum d[illegible] gene[illegible] baptizatis, vel inter fideles nutritis, [illegible] tam [illegible] conſenſu taliter de omnibus, & ſingulis homini[illegible] fidelibus, quam infidelibus: alias ſine [illegible] intentam à ſe aſſertionem minime [illegible], me[illegible] Hoc ſuppoſito ſic arguitur: omnis pe[illegible] conſe[illegible] ad uſum rationis ita ſe habet, quod po[illegible] per[illegible] dicta ordinatione ſui in debitum finem [illegible] ipit in qui gratiam ſanctificantem: ergo om[illegible] turalis veniens ad uſum rationis habet, vel [illegible] ſolum ſe ipſo aliquod auxilium gratiæ ſuper[illegible] omni[illegible] ſufficientis; ergo hujuſmodi gratia [illegible] primo offertur, ſed etiam re ipſa confertur [illegible] quen[illegible] bus, & ſingulis hominibus, ſaltem [illegible] ligi[illegible] inſtanti uſus rationis. Hæc ſecunda con[illegible] vires tia patet ex prima. Prima neceſſario [illegible] gra[illegible] tur ex antecedenti: quoniam homo per[illegible] oſtendi[illegible] naturæ nullum actum elicere poteſt, ut [illegible] ſunis tiam ſanctificantem conſequatur, [illegible] or[illegible] mus *diſputat. 3. dubio 6. & 9.* ergo media [illegible] conſe[illegible] homo perveniens ad uſum rationis poteſt [illegible] reci[illegible] dinatione ſui in debitum finem, [illegible] tura[illegible] qui gratiam habitualem, ſequitur, quod [illegible] eli[illegible] piat in ſe aliquod auxilium gratiæ ſupernaturalis lis ſufficientis, quo prædictam ordinationem [illegible] ciat. Antecedens autem eſt expreſſe D. Thom. ex[illegible] *loco citato*, & aliis pluribus, quæ ſtatim [illegible] pendemus.

Prima reſponſio.

71. Reſpondent primo Adverſarij pu[illegible]erum [illegible] idem perveniente[m] ad uſum rationis poſſe [illegible] non ſe in ſe debitum finem convertere [illegible] auxi[illegible] quidem per potentiam intrinſecam mediis [illegible] ſecam lis actu receptis, ſed per potentiam extrinſecam im[illegible] mediis auxiliis à Deo oblatis: quæ, ſi non [illegible] eſt: pediret peccando, actu conſequeretur.

Rejicitur.

Sed hæc reſponſio nullius momenti [illegible] uiam nam ut aliquis dicatur poſſe elicere al[illegible] ctum operationem, vel producere aliquem eff[illegible] quod mediis auxiliis ſibi oblatis, opus eſt, [illegible] præ[illegible] prædicta auxilia, & eorum oblationem, [illegible] ha[illegible] parationem cognoſcat, inſimul, & qu[illegible] con[illegible] beat aliquam facultatem, per quam valeat [illegible] auxilia, ſequi prædicta auxilia: ei quippe, cui a[illegible] non & eorum oblatio minime innoteſcunt [illegible] & magis proſunt prædicta auxilia præparata [illegible] fuiſ[illegible] oblata, ac ſi præparata, & oblata non [illegible] ſent: atqui in Adverſariorum opinione plures homines pervenientes ad uſum rationis [illegible] deſti[illegible] tuuntur omni auxilio intrinſeco ſupernaturali, ſine quo nequit homo auxilia ſibi præparata ullo modo cognoſcere, vel ad ea conſequenda ſe movere: ergo in prædicta opinione ſalvari nequit, quod omnis homo perveniens ad uſum rationis poſſit, media converſione ſui in debitum finem, conſequi gratiam ſanctificantem [illegible] quod tamen expreſſe docet D. Thom. *loco ci*[illegible] In qua evaſione amplius refutanda non imm[illegible] mur; quia eam ſatis præcluſimus *dub. 1.* [illegible] *diſputationis* cum adverſus Janſeniſtas illa ute[illegible] ageremus.

74. Reſpondent ſecundo intentionem [Di]vi Thomæ eo loco ſolum eſſe adſtruere conjungibilitatem peccati originalis cum veniali: hanc autem ſatis ſuperque ſalvari [in]dependenter à potentia intrinſeca ad con[ver]ſionem ſupernaturalem, cum ſola potentia [in]trinſeca ad naturalem converſionem. Cum certum ſit plurimos pueros ad uſum rationis pervenientes ignorare invincibiliter Deum finem, & auctorem ſupernaturalem; ſequitur, quod ad converſionem ſupernaturalem non obligentur inexcuſabiliter, ſed tantum ad naturalem. Porro omnes homines quantumvis lapſi, poſſunt potentia antecedenti ſe in Deum ut naturalem finem convertere, ut diximus *diſputatione 1. dubio 4. numero* 129. Unde urgente præcepto, ſicut urget in primo uſus rationis inſtanti, prædictam converſionem non elicientes, peccant. Aliunde autem peccatum originale, in quo homines ſupponuntur exiſtere, nequit vel cum converſione illa naturali conjungi, vel per eam ſolam expelli. Sed ad hunc expulſionis effectum neceſſaria eſt gratia ſanctificans, ut diximus *loco citato, numero* 145. Unde ſi ſit converſio, adeſt prædicta gratia: & ſi non ſit converſio; adjungitur peccato originali novum peccatum mortale perſonale: & ita fieri non valet, quod peccatum veniale conjungatur cum ſolo originali. Ut ergo ſalvetur prædicta inconjungibilitas peccati venialis cum ſolo originali, & inexcuſabilitas à converſione, ſive ordinatione in debitum finem, (quæ ſufficiunt ad intentionem Divi Thomæ) opus non eſt concedere aliquod auxilium ſupernaturale intrinſecum.

Præcluditur.

Hæc reſponſio plura continet vera, nempe inconjungibilitatem peccati venialis cum ſolo originali ſalvari independenter ab auxilio ſupernaturali ſaltem in illis, qui Deum ſupernaturalem invincibiliter ignorant: & ſimiliter homines ſola facultate voluntatis præd[illegible] eſſe inexcuſabiliter obligatos ad converſio[nem] in Deum ultimum finem naturalem, quam[vis ta]men nunquam elicient, niſi prius expel[la]tur peccatum originale per gratiam ſanctificantem. Unde fatemur pro prædicta conjungibilitate ſalvanda opus non eſſe ad auxilia ſupernaturalia recurrere; ut conſtat ex dictis *loco citato* [illegible] *& tractatu de peccatis diſputatione 20. dub.* [illegible] *§. 5.* Cæterum prædicta ſolutio argumentum ſupra factum non enervat, ſed in ſuo robore relinquit: quippe quod non innititur in eo, quod Divus Thomas tradit de incompoſſibilitate venialis cum ſolo originali; ſed in eo, quod docet de poteſtate, quam quilibet perveniens ad uſum rationis, ut ſe in Deum ordinet, & ut media tali ordinatione gratiam ſanctificantem conſequatur. Nam occaſione illius difficultatis duo ſtatuit Sanctus Doctor: primo hominem pervenientem ad uſum rationis inexcuſabiliter obligari ad converſionem in debitum finem; ſecundo poſſe hominem media tali converſione, conſequi gratiam ſanctificantem. Et hoc poſterius ſufficit ad robur rationis

à nobis

Digitized by Google

à nobis factæ, quæ perinde ſic inſtauratur: quoniam homo per vires naturales, & independenter ab omni auxilio intrinſece recepto nequit elicere actum, medio quo gratiam ſanctificantem conſequatur: ſed omnis homo perveniens ad uſum rationis poteſt elicere actum, medio quo aſſequatur gratiam ſanctificantem, ut tradit D. Thom. *loco citato*: ergo omnis homo perveniens ad uſum rationis habet aliquod auxilium ſupernaturale intrinſece receptum.

Objectio ex D. Thom.

73. Nec refert, ſi dicas D. Thomam non aſſerere, quod homo poſſit media converſione in debitum finem gratiam ſanctificantem conſequi; ſed ſolum, quod ſi ſe ita ordinaverit, prædictam gratiam conſequetur. Hoc autem ideo eſt: quia nunquam homo convertitur, quin prius ipſi gratia ſanctificans infundatur, per quam expellitur peccatum ipſi converſioni repugnans. Ex hoc vero minime ſequitur, quod omnis homo perveniens ad uſum rationis habeat aliquam gratiam ſupernaturalem; ſed tantum quod omnis, qui perveniens ad uſum rationis convertitur in Deum ultimum finem, habeat gratiam ſanctificantem.

Reſponſio aperiens legitimum D. Tho. ſenſum.

Hoc, inquam, non refert: quia D. Thom. aperte ſupponit prius eſſe ſimpliciter, quod homo aliqua converſione, ſaltem imperfecta, ſe convertat in debitum finem, quam quod gratiam ſanctificantem conſequatur: & aliunde docet ad prædictam converſionem infallibiliter ſubſequi gratiam ſanctificantem: ſed hæc nequeunt verificari nec de ſola converſione viribus naturæ facta; ſiquidem ad hanc non ſequitur gratia ſanctificans: nec de converſione, quæ ſupponat gratiam ſanctificantem infuſam, & peccatum expulſum; ſiquidem hæc eſt ſimpliciter poſterior infuſione gratiæ, & expulſione peccati: ergo loquitur de aliqua alia converſione facta, vel factibili per aliud auxilium à gratia ſanctificante diſtinctum, & omnibus pervenientibus ad uſum rationis communicato. Minor, & conſequentia liquent. Major autem

D. Thom.

conſtat tum ex relato D. Th. teſtimonio, tum ex aliis locis, ubi eandem materiam tractat: nam *quæſt. 5. de Malo articulo 2. ad 8.* inquit: *Poſtquam vero uſum rationis habent, tenentur ſalutis ſuæ curam agere. Quod ſi fecerint, jam abſque peccato originali erunt, gratia ſuperveniente.* En gratia ſupervenit ad converſionem, atque ideo illam abſolute ſupponit. Et *quæſt. 7. articulo 10. ad 8.* ait: *Poſtquam habet uſum rationis, peccat mortaliter, ſi non faciat, quod in ſe eſt ad quærendam ſuam ſalutem: ſi autem faciat, gratiam conſequetur; per quam immunis erit ab originali peccato.* Ly *conſequetur*, & ly *erit* effectum ſimpliciter poſteriorem ſignificant. Et *quæſtione 24. de Veritate articulo 12. ad 2.* inquit: *Statim cum uſum liberi arbitrij acceperit, ſi ſe ad gratiam præparaverit, gratiam habebit.* Prius eſt ergo ſimpliciter ad gratiam ſanctificantem in primo inſtanti uſus rationis ſe præparare, quam gratiam illam habere. Et *quæſtione 18. articulo 3. ad 4.* ait: *Cum enim adultus eſſe incipit, ſi quod in ſe eſt, faciat, gratia ei dabitur, per quam à peccato originali erit immunis.* Ergo prius eſt in illo inſtanti facere, & poſſe facere, quod in ſe eſt, quam gratiam ſanctificantem recipere. Et ſimilia docet univerſaliter Sanctus Doctor de illis, qui invincibili fidei ignorantia laborant: nam *ad Rom. 10.* inquit: *Si qui tamen eorum feciſſent, quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundum ſuam miſericordiam providiſſet.* Et *in 4. diſt. 20. qu. unic. art. 1.*

Idem.

Idem.

quæſtiunc. 1. in corpore ait: *Deus, qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat, qui quod in ſe eſt, facit, ut ſe ad gratiam præparet.*

Reſolutio noſtra roboratur ex D. Thom.

74. Ex quibus omnibus teſtimoniis evidens nobis apparet propter rationem ſæpius inculcatam, quod D. Thom. ſentiat in omnibus, & ſingulis hominibus ad uſum rationis pervenientibus recipi aliqua auxilia ſupernaturalia ſufficientia ſaltem remote ad ſalutem: quoniam nequit homo abſque aliquo auxilio intrinſece recepto elicere opus, ad quod infallibiliter ſequatur gratia ſanctificans, ut ex eodem D. Thom. oſtendimus *locis ſupra citatis*: ſed D. Thom. docet omnes, & ſingulos homines ad uſum rationis pervenientes poſſe aliquid facere, ad quod infallibiliter conſequatur gratia ſanctificans: hoc enim important illæ locutiones, *gratiam conſequetur, gratiam habebis, gratia ei dabitur*, &c. Ergo ſecundum D. Thom. omnis homo ad uſum rationis perveniens habet aliquod auxilium ſupernaturale inhærens, quo poſſit ſe ad gratiam diſponere *faciendo quod eſt in ſe, curam ſuæ ſalutis agendo, & præparando ſe ad gratiam*, ut loquitur Sanctus Doctor.

Explicatur hoc amplius: etenim ad nullam præparationem, vel diſpoſitionem poſitam ſolis naturæ viribus ſequitur infallibiliter gratia ſanctificans, nec ex natura rei, nec ex aliqua lege, vel promiſſione divina, ut fuſe oſtendimus diſputatione citata. Ergo illa conditio *ſi faciat, quod in ſe eſt*, implicat aliquam gratiam ſupernaturalem, non quidem habitualem, & ſanctificantem; cum hæc ſit ipſa res ſub conditione promiſſa; ſed actualem, & auxiliantem. Cum igitur D. Thom. aſſerat, quod omnes, & ſinguli homines pervenientes ad uſum rationis faciendo, quod eſt in ſe, conſequantur gratiam; plane infertur, quod juxta mentem D. Thomæ omnes, & ſinguli homines pervenientes ad prædictum inſtans recipiant aliquod auxilium ſupernaturale.

Fulcitur amplius ex Scriptura.

75. Quæ D. Thomæ doctrina confirmari poteſt ex illo Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, adjuncta aliorum SS. Patrum expoſitione. Nam mundi nomine, in quem dicitur homo venire, ſignificatur rationis uſus, ut interpretatur S. P. N. Cyrillus Alexandrinus: prius enim, quamvis homo ſit phyſice in mundo, non tamen moraliter; quia non eſt capax rationis, & meriti. Porro illuminationis voce ſignificari irradiationem aliquam ſupernaturalem docent communiter alij Patres Auguſtinus; Ambroſius ſtatim referendi; Cyprianus *hom. 4. de Paſcha*, Beda, Maximinus *lib. 1. contra Judæos*. Maximus *Paſcha*, Chryſoſt. Theopylact. Euthymius, D. Thom. & alij ad prædictum locum. Ergo omnes, qui ad uſum rationis perveniunt, aliquam illuminationem ſupernaturalem recipiunt. Unde Auguſtinus *lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 3.* inquit: *Intelligamus aliam lucem eſſe, de qua Deus habitat. Unde eſt illud lumen, quod dicitur in Evangelio: Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et poſt pauca: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit; ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt. Quod illud lumen omnes homines poſſunt, ſi velint: quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Vbi, ut vides, tradit S. Doctor, quod omnes homines poſſunt credere,

Joan. 1. *Cyrill. Alex.* *Auguſtin.* *Ambroſ.* *Cyprian.* *Maximus.* *Paſchal.* *Chryſoſtom.* *Theopylact.* *Euthymius.* *Beda.* *D. Thom.*

& ad Deum ſe convertere: quia Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipſa ergo illuminatio præſtat potentiam ſaltem mediatam omnibus hominibus, ut poſſint credere, & ad Deum converti. Quod intelligi non poteſt de illuminatione ut præciſe præparata, & oblata: nam prout ſic illuminati[illegible] non magis præſtat omnibus hominibus potentiam, quam ipſa fides, & charitas, quæ [illegible] omnibus etiam offeruntur, & præparantur. [illegible] inde dicendo: Quod omnes homines poſſi[illegible] ſi velint, & culpæ hominum attribuit, quod [illegible] non illuminentur à luce, quæ omnem hominem illuminat: ſi autem nullum prorſus auxil[illegible] [illu]minari, perent, per homines non ſtaret non il[illegible] inatio- liquidem non poſſint velle eam illu[illegible] auxilio. nem abſque omni prorſus ſupernaturali [illegible] hunc Supponit ergo Auguſtinus omnibus [illegible] xilium mundum venientibus conferri aliquod [illegible] mediate ſupernaturale, per quod poſſint ſaltem [illegible] Eodem credere; & ad Deum ſe convertere. [illegible] rm. 8. fere modo loquutur Divus Ambroſius [illegible] su Pſal. 118.

Obiectio. 76. Sed objicies: tum Divus Auguſt[illegible] tus ſo- lum aſſerit lucem illam ſupernaturalem [illegible] Illumi- nate puta cordis eorum, qui credunt [illegible] ut ad Deum convertuntur: ſed plures, qui [illegible] uſum rationis perveniunt, nec credunt, nec [illegible] uſum tuntur, ut ex ſe liquet: ergo plures, qui [illegible] ali- rationis perveniunt, non illuminantur l[illegible] imo- qua ſupernaturali: atque ideo ex relato [illegible] tus in- nio adjuncta interpretatione Auguſtini p[illegible] conſequen- fertur oppoſitum.

D. ſolutio. Reſpondetur negando utramque con[ſequen]tiam: quia licet ſoli illi, qui credunt, [illegible] nte; vertuntur, illuminentur perfecte, per [ſa]nctificante ſiunt, ad ipſam lucem mediante gratia [illegible] con- omnes tamen, qui ad uſum rationis per[illegible] num aliquomodo illuminantur, ſive ſubſequatur pri[illegible] quod verſio, ſive non. Pro quo obſerva, quod moraliter [illegible] ntia inſtans rationis ita eſt unum minus duo in[illegible] uſus nihilominus includit ad minus initiativum [illegible] prius phyſica: quorum primum eſt completivum. Nam primo om- rationis, aliud vero completivum in actu primo [illegible] & eſt, quod homo conſtituatur in actu deliberare, homo ſe nino proximo, ut poſſit de ſeipſo: deinde homo inſtans ſe ordinare in debitum finem: deliberationis in potentia ad ordinat, prout vult, ſic deliberationis non eſt in potentia etiam conſummat. Homo autem non eſt in potentia deliberatione [illegible] agendum moraliter, & ex propria deliberatione [illegible] inde- antequam fiat cognoſcens in actu per aliquam [illegible] intelle- cognitionem indeliberatam, quia Deus [illegible] pendenter à voluntate creata applicat in[illegible] q. 5. ctum, ut tradit D. Thom. in hac 1. 2. quæſt. [illegible] nem art. 4. Et hæc prima cognitio, cum ad ordinem [illegible]

D.Thom. ſupernaturalem ſpectat, ſolet vocari à Sanctis Pa- tribus gratia excitans, & divina vocatio, ut con- ſtat ex diſp. 4. dub. 1. & dub. 7. §. 3. Porro perfecta illuminatio, quæ in hac vita habetur per fidem actu & charitatem, nequit conſummari abſque [illegible] dependet à deliberato: eo quod fides neceſſario dependet à pia affectione, qua homo libere ſe applicat ad credendum. Mens ergo Auguſtini, & aliorum Patrum non eſt, quod omnes ad uſum rationis pervenientes illuminentur perfecte luce ſuper- naturali: hanc enim ſolis iis, qui credunt, & convertuntur, concedunt: ſed ſolum eo tendit, ut doceant omnes ad uſum rationis pervenien- tes illuminari in primo inſtanti phyſico, & inchoativo deliberationis, aliqua irradiatione indeliberata, & imperfecta ordinis ſupernatu- ralis, per quam fiant mediate, & remote [po]tentes ad illuminationem perfectam ejuſdem [or]dinis, in inſtanti completivo deliberationis ſu[ſcipi]endam. Nam qui illi priori illuminationi [illegible] ſubmittunt, & cooperantur, ulteriorem, & per[illegible] fectiorem gratiam conſequuntur, juxta illud [Sa]pientiæ 6. Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Et hic eſt legitimus [illegible] illius ſententiæ Auguſtini. Quod omnes homines poſſunt credere, & converti, ſi velint: qu[ia] [il]lud lumen omnem hominem illuminat ve[nien]tem in hunc mundum. Ubi aliud ſupponitur [illegible] pe omnem hominem illuminari; & aliud [illegible] tur, nempe fides, & charitas, ſi homo accepta recte operetur. Videantur, quæ dix[imus] [illegible] dub. 1. §. 3.

§. VI.

Aliud argumentum pro vera Sententia.

77. Quarto ſuadetur noſtra concluſio alia congruentiæ ratione: quoniam omnes, & ſinguli adulti tentantur à Diabolo: ergo omnes, & ſinguli homines recipiunt aliquod auxilium ſupernaturale. Antecedens eſt certum, & traditur à D.Thom. *1. p. quæſt. 114. art. 3. ad 3. & quæſt. 3. de Malo art. 4. & 5.* Conſequentia vero probatur: quia vires, & artes Diaboli ſuperant, ſaltem moraliter, vires, & reſiſtentiam hominis deſtituti omni auxilio gratiæ ſupernaturalis: ergo congruum eſt, quod ſi Deus permittit omnes, & ſingulos homines tentari à Diabolo; ſubminiſtret illis aliquod auxilium gratiæ ſupernaturalis, quo valeant tam phyſice, quam moraliter ipſi reſiſtere. Quæ ratio deſumitur tum ex Divo Auguſtino *Pſal. 61. circa finem*, ubi ait: *Deus, qui dat Diabolo licentiam tentandi, dat tentatis miſericordiam*, id eſt gratiam. Tum ex D.Thom. *loco citato ex 1. p. art. 1.* ubi proponit ſecundum argumentum ſub hac forma: *Non eſt æqua conditio pugnæ, ut infirmus contra fortem, ignarus contra aſtutum exponatur ad bellum: ſed homines ſunt infirmi, & ignari; dæmones autem potentes, & aſtuti: non eſt ergo permittendum à Deo, qui eſt omnis juſtitiæ auctor, ut homines à Dæmonibus impugnentur.* Cui reſpondet in hunc modum: *Ad ſecundum dicendum, quod ad hoc, quod non ſit inæqualis pugnæ conditio, ſit ex parte hominis recompenſatio principaliter quidem per auxilium divinæ gratiæ, ſecundario autem per cuſtodiam Angelorum.* [illegible] concedit utramque argumenti præmiſſam, & [illegible] ratione negat conſequentiam: quia ſupponit omnibus à Diabolo tentatis conferri aliquod gratiæ ſupernaturalis auxilium. Tum præterea ex Paulo Oroſio in Apologia de libertate, ubi ait: *Itaque cum videas hominibus ignaris tantam Diaboli incubuiſſe nequitiam in diſperdendum; nullum hinc credis Dei in cuſtodiendo gratiam præfuiſſe?* Tum denique ex Divo Cyrillo Hieroſolymitano *catecheſi 16.* ubi inquit: *Magnum igitur commilitonem, & auxiliatorem apud Deum habemus, magnum doctorem, magnum protectorem noſtrum. Non metuamus ergo dæmonem.*

78. Nec refert, ſi reſpondeas relatos Patres vel loqui de hominibus fidelibus, quibus ut à Diabolo reſiſtant, communicantur ſupernaturalia auxilia: vel ſermonem inſtituere de auxilio gratiæ mere naturalis, quod Deus omnibus,

Digitized by Google

nibus, & ſingulis hominibus tam fidelibus, quam infidelibus præſtat, ut reſiſtant Diabolo tentanti ad violationem legis naturalis. Et hæc poſterior interpretatio, vel ex eo univerſalis apparet: quoniam Diabolus non tentat barbaros, & infideles, ut agant contra præcepta ſupernaturalia, quæ invincibiliter ignorant, ac proinde violare nequeunt, ſed ſolum ut peccent contra legem naturalem: nam huic tentationi repellendæ ſufficiunt ordinis naturalis auxilia.

Præcluditur. Neutra, inquam, reſponſio, ſive expoſitio ſatisfacit. Non *prima*: quoniam Patres loquuntur abſolute de omnibus hominibus, immo Oroſius loquitur expreſſe de barbaris: deinde neceſſitatem, & præſentiam gratiæ fundant in imbecillitate naturæ gratiæ deſtitutæ, & in aſtutia, & ſuggeſtionibus diaboli: quæ rationes æqualiter, immo magis urgent in infidelibus, quam in fidelibus, ut ex ſe liquet: ergo gratia, quam ad reſiſtendum Diabolo dicunt neceſſariam, non limitatur ad ſolos fideles, ſed ad cunctos homines extenditur. Nec etiam *ſecunda*: quoniam gratiam illam, de qua loquuntur, appellant *auxilium divinæ gratiæ, & Dei miſericordiam*: quibus elogiis non concurſum, vel auxilium mere naturalem, ſed ſupernaturalem gratiam ſignificare ſolent. Maxime quia Deus prædictam gratiam impertitur, ut homines Diaboli intentionem retundant: Diabolus autem homines tentat ex invidia, ſciens homines ordinatos eſſe ad ſupernaturalem beatitudinem, quam ipſe amiſit, intendens eos à prædicto fine divertere; ergo Deus tribuit hominibus prædictam gratiam, ne Diaboli tentationibus ſuccumbendo ſe faciant magis, ac magis indignos prædicta beatitudine, moveturque illa intentione, qua vult omnes homines ſalvos fieri: atque ideo prædicta gratia eſt talis conditionis, ut homines ea utentes valeant ad eandem beatitudinem accedere, & ad illam ſaltem remote ſe diſponere: quod gratiæ naturali non convenit, ſed tantum ſupernaturali. Vnde ſicut intentio diaboli, dum barbaros contra legem naturalem tentat, & eos magis, ac magis avertere à ſupernaturali fine: ita intentio Dei, dum gratiam hominibus ad reſiſtendum Diabolo ſubminiſtrat, eſt homines ad prædictum finem trahere ſaltem remote, & quoad ſufficientiam mediatam, & imperfectam. Per quod manet exclusum id, quod addebatur in favorem dictæ evaſionis.

Fundamentum propoſitum roboratur. 79. Confirmatur: quia inter alia ſubſidia, quæ hominibus conferuntur, ut reſiſtant Dæmonum tentationibus, recenſetur Sanctorum Angelorum cuſtodia, ut tradit D. Thom. *loco ſupra citato*: quos ſingulis barbaris, & infidelibus deſtinatos eſſe eſt adeo certum, ut Bañez (*Bañez.*) *1. parte quæſt. 113. art. 2.* aſſerat vix poſſe à temeritate excuſari, qui oppoſitum aſſereret: ſic enim docent communiter Patres, & Theologi. *Dionyſius.* Unde Divus Dionyſius Areopagita *de cœleſti Hierarchia cap. 4.* inquit: *Theologia Hierarchiam noſtram* (id eſt hominum gubernationem) *Angelis attribuit; cum populi Iudæorum principem Michaëlem appellet, aliosque aliarum nationum. Statuit enim Altiſſimus terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei.* Atqui Angelorum protectio, & magiſterium præcipue conſiſtit in illuminationibus, quibus hominum ſibi commendatorum mentes illuſtrant, diſſipando ſuggeſtiones à Diabolo immiſſas, & ad veram Dei notitiam animos perducendo, ut tradit idem Dionyſius *loco citato* concludens, *omnes Angelos, qui ſingulis gentibus præſunt ad illud ipſum principium, nempe Deum eos qui ultro, ac ſponte ſequantur, deducere.* Ergo quemadmodum Diaboli intentio eo præcipue collimat, ut homines à ſupernaturali beatitudine avertat, & elonget: ita Angelorum cura id præſertim agitur, ut homines ad finem ſupernaturalem ſaltem mediate, & remote accedant: quod abſque auxiliis gratiæ ſupernaturalis fieri non poteſt, vel ſaltem non ita congrue fit. Quod ſignificare videtur Eccleſia in hymno SS. Angelorum.

Nam quod corruerit proditor Angelus,
Conceſſis merito pulſus honoribus,
Ardens invidia pellere nititur,
Quos cœlo Deus advocat.
Huc cuſtos igitur pervigil advola, &c.

Quibus verbis ſatis aperte ſignificatur Deum Angelos ſanctos mittentem, & Angelos ipſos ex una parte, Diabolum vero ex alia oppoſitis directe intentionibus agere: Diabolum, ut homines à ſupernaturali beatitudine arceat; Deum autem, & Angelos, ut homines ad illam perducant. Cumque ad hunc finem congruentiora ſint auxilia ſupernaturalia, utpote ejuſdem ordinis cum illo, ſatis veroſimiliter affirmatur nonnulla ſupernaturalia auxilia intervenire, atque immiſceri in cuſtodiæ, quam SS. Angeli circa ſingulos homines etiam infideles obeunt.

80. Confirmatur ſecundo præcludendo tacitam evaſionem: quoniam ſi videremus aliquem virum catholicum frequenter agere cum infideli de negotio ſalutis; prudenter judicaremus Deum mediante homine catholico communicare infideli illi aliquas inſpirationes, & illuſtrationes ſupernaturales, quibus poſſet, ſaltem mediate, & remote converti: ſed idem fundamentum præſtat nobis convictus Sanctorum Angelorum cum infidelibus ſibi commiſſis: ergo eidem prudenter poſſimus affirmare. Probatur minor ex Divo Auguſtino *lib. 1. de peccator. meritis, & remiſſione cap. 25.* ubi de Angelo, & homine hominem docentibus eodem modo diſcurrit his verbis: *Illud, quod in Evangelio poſitum eſt: Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ideo dictum eſt: quia nullus hominum illuminatur, niſi illo lumine, quod Deus eſt: ne quiſquam putaret ab eo ſe illuminari, à quo aliquid audit, ut dicat. Non dico, ſi quemquam magnum hominem, ſed neque ſi Angelum contingat habere doctorem. Adhibetur enim ſermo veritatis extrinſecus vocis miniſterio corporalis. Verumtamen neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Audit quippe homo dicentem, vel hominem, vel Angelum: ſed ut ſentiat, & cognoſcat verum eſſe, quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aſpergitur, quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.* Ex hac tamen hominum per Angelos inſtructione non infertur, quod ſinguli homines illuminentur immediate circa credenda: quia licet id fieri poſſet, & extraordinarie quandoque contingat: nihilominus communiter, & juxta ordinariam providentiam ordinis gratiæ à Deo de facto præſcriptam, homines non fiunt proxime potentes ad credendum, niſi media prædicatione externa miniſtrorum Evangelii, ut ipſa experientia liquet.

Confirmatur amplius. *D. Auguſt.*

Objectio. D.Thom.

81. Sed oppones cum Godoì adverſus hanc doctrinam teſtimonium Divi Thomæ 1. *parte, quæſtione* 113. *articulo* 4. *ad* 3. ubi ait: *Sicut præſciti, & infideles non privantur interiori auxilio naturalis rationis, ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitus conceſſo; ſcilicet cuſtodia Angelorum: per quam etſi non juventur quantum ad hoc, quod vitam æternam bonis operibus mereantur, juvantur tamen quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus & ſibi ipſis, & aliis nocere poſſunt: nam ipſi dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant, quantum volunt.* Ergo ex mente Divi Thomæ Angeli non juvant infideles in ordine ad ea, quibus homo diſponitur ad vitam æternam, quales ſunt omnes ſupernaturales illuminationes: ſed ſolum ut retrahantur à pluribus peccatis, quæ committerent contra legem naturalem.

Diluitur.

Reſpondetur negando conſequentiam: quoniam Divus Thomas non negat univerſaliter, quod infideles aliqua auxilia ſupernaturalia miniſterio Angelorum conſequantur, ſed potius inſinuat oppoſitum. Nam eodem modo loquitur de infidelibus, ac de fidelibus præſcitis, ut conſtat ex illis verbis, *Sicut præſciti, & infideles*, & ex argumento, cui occurrit, in quo hæc habentur: *Homines præſciti ad damnationem, nunquam perveniunt ad vitam æternam: infideles etiam, &c. Non ergo omnibus hominibus Angeli ad cuſtodiam deputantur.* Et tamen certum eſt, quod fideles præſciti aliquod auxilium ſupernaturale intrinſecum recipiunt; alias fideles non eſſent. Ad quod auxilium concurrunt Angeli cuſtodes, ut tradit

D. Thom.

Divus Thomas 1. *part. quæſtione* 111. *articulo* 1. *ad* 1. his verbis: *Secundo requiritur ad fidem, quod credibilia proponantur credenti: & hoc quidem fit per hominem, ſecundum quod fides eſt ex auditu, ut dicitur ad Romanos* 10. *ſed per Angelos principaliter, per quos hominibus revelantur divina: unde Angeli operantur aliquid ad illuminationem fidei.* Sicut ergo Divus Thomas verbis, quæ nobis objiciuntur, non excludit à fidelibus præſcitis omne prorſus auxilium ſupernaturale; ita nec à præſcitis infidelibus. Unde ſolum intendit docere, ut ipſa verba ſatis indicant, quod non juvantur in ordine ad meritum vitæ æternæ, ſive ad efficacem conſecutionem illius: efficaciam tamen explicant in ſubſtractione plurium impedimentorum, quæ prædictam conſecutionem poſſent difficiliorem efficere. Deſ[illegible]miturque hæc interpretatio ex eodem Sancto Doctore articulo *immediate ſequenti in reſponſione ad* 1. ubi ait: *Dicendum, quod Angeli mittu[illegible]ur in miniſterium, efficaciter propter eos ſol[illegible]s, qui hereditatem capiunt ſalutis, ſi conſide[illegible]tur ultimus effectus cuſtodiæ, qui eſt percept[illegible] hereditatis. Nihilominus tamen & aliis miniſt[illegible]ium Angelorum non ſubſtrahitur; quamvis [illegible] in eis hanc efficaciam non habeat, quod perduc[illegible]ur ad ſalutem: efficax tamen eſt circa eos [illegible] celorum miniſterium, in quantum à multis [illegible] aliis retrahuntur.*

§. V.

Roboratur ultimo noſtra Concluſio.

82. DEnique probatur aſſertio noſtra deſtruendo præcipua fundamenta opinionis adverſæ ſequenti diſcurſu: quoniam de diverſa miſericordia illud præſumendum eſt, quod magis decet, & manifeſtat eandem circa homines miſericordiam; niſi oppoſitum conſtet ex ſacra Scriptura, Conciliis, Patribus, & communibus Theologiæ principiis: atqui Deum conferre de facto omnibus, & ſingulis hominibus aliqua auxilia ſupernaturalia, quibus poſſint ad ſuam juſtificationem ſaltem remote moveri, magis decet, & manifeſtat divinam miſericordiam, quam eorum denegatio; & oppoſitum non conſtat ex Scriptura, aut Conciliis, aut Patribus, aut communibus Theologiæ principiis: ergo præſumendum eſt, quod Deus omnibus, & ſingulis adul[illegible] non ſolum offerat, ſed etiam de facto c[illegible] prædicta auxilia. Conſequentia eſt le[illegible] Major etiam videtur perſpicua, præci[illegible] controverſia morali, & de facto cuju[illegible] tas nequit nobis innoteſcere per princip[illegible] dentia metaphyſice. Minor autem pro[illegible] nam ſi obligaremur aſſerere nullum [illegible] gratiæ auxilium recipi in aliquibus adulti[illegible] eſſet, quia fides eſt initium, & radix [illegible] juſtificationis, ut Scriptura, Concilia, [illegible] tres determinant; & conſequenter nullu[illegible] xilium gratiæ antecedit fidem: quam [illegible] certum eſt in pluribus barbaris non ex[illegible] nec in ſe ipſa, nec in aliquo auxilio a[illegible] proxime ſufficienti: vel ideo eſſet, q[illegible] omnes homines haberent aliquod auxiliu[illegible] ficiens ſaltem remote ad credendum, null[illegible] cuſaretur ab infidelitatis peccato, atque omnes forent infideles contrarie: cujus o[illegible] tum docent jam communiter Theologi D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. & ponder[illegible] doi *ubi ſuprà num.* 37. atqui neutrum ex [illegible] motivis obligat, ut aſſeramus nullum pror[illegible] pernaturalis gratiæ auxilium recipi in alic[illegible] adultis, ergo, &c.

Godoi

Minor hujus ſecundi Syllogiſmi quoa[illegible] mam partem, in qua eſt præcipua diffi[illegible] ſuadetur: quoniam neceſſario admitten[illegible] aliqui actus ſupernaturales antecedentes [illegible] fidei ſtricte dictæ, qui eſt aſſenſus a[illegible] dibilia ex motivo divinæ revelationis: [illegible] quando Scriptura, Concilia, & Patres docent fidem eſſe initium, & radicem omnis juſtificationis; vel nomine fidei intelligunt fidem large dictam, nempe quamlibet illuminationem ſupernaturalem, diſponentem ſaltem remote ad fidem; vel ſi nomine fidei intelligunt fidem ſtricte dictam, ſolum eam appellant initium, & radicem juſtificationis ob excellentiam, qua ad illam diſponit, & concurrit: ergo minime excludunt, quod alia auxilia ſupernaturalia imperfectiora conferantur antecedenter ad fidem. Utraque conſequentia conſtat. Et antecedens oſtenditur: tum ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 6. *de juſtificat. cap.* 6. (quod teſtimonium urgente adverſus Adverſarij) ubi dicitur: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus*

Conc. Trid.

divinitus revelata, & promiſſa ſunt. Quibus verbis aperte ſignificatur, quod ad primum actum fidei præcedit gratia divina excitans: hæc enim conſiſtit in aliquo auxilio ad actum ſupernaturalem indeliberatum ab homine elicitum, ut conſtat ex dictis *diſp. præced. dub. 1. & dub. ultim. §. 3.* & rurſus prædictus actus ſupernaturalis eſt realiter ſeparabilis ab actu fidei; ſiquidem, ut inquit Concilium, *homines excitati divina gratia libere moventur in Deum credentes*, &c. atque ideo actum fidei ſuſpendere poſſunt: ergo antecedenter ad actum fidei ſtricte dictæ datur aliquis actus ſupernaturalis. Unde ita abeſt, ut Concilium declaret oppoſitum, quod potius noſtram doctrinam ſupponit, & confirmat.

Aliqua affectio ſupernaturalis præcedit primum fidei aſſenſum.

83. Tum etiam quia actus fidei ſtricte dictæ ſupponit in voluntate actum piæ affectionis, quo homo vult credere: cum enim objectum prædictæ fidei non appareat evidenter, nec neceſſitet intellectum; opus eſt, quod voluntas ſuppleat indeterminationem libere ſe applicans ad credendum: quem actum eſſe entitativè ſupernaturalem oſtendimus *diſput. 3. dub. 4.* ergo aliquis actus ſupernaturalis antecedit actum fidei. Tum præterea quia prædictus voluntatis actus regulatur, & dirigitur per aliquem actum intellectus proponentem convenientiam credendi, & imperantem affectum credendi: qui actus etiam eſt ſupernaturalis, & diſtinctus ab actu fidei, ut probavimus loco citato, §. 4. ergo idem, quod prius. Tum inſuper, quia Concilia, & Patres communiter ſtatuunt gratiam vocationis, & inſpirationis præviam ad fidem: ſed vocatio, & inſpiratio important neceſſario aliquas operationes ſupernaturales, quibus homo incipiat attendere, & affici ad ſalutem: præcedunt igitur actum fidei aliquæ operationes ſupernaturales. Tum denique, & urgentius, quia in quocumque ordine actus deliberatus neceſſario ſupponit aliquem actum indeliberatum ejuſdem ordinis: eo quod homo non eſt proximè potens ad agendum ex conſilio, & deliberatione, niſi prius conſtituatur à Deo in aliquo actu ſecundo indeliberato: qui licet ſit phyſicè, & elicitivè ab homine, moraliter tamen eſt à ſolo Deo, ut cum D. Thom. *in 1. 2. quæſt. 9. artic. 4.* docent communiter Theologi, & ſatis conſtat ex dictis *diſput. 5. dub. 1. & dub. ultim. §. 1.* ſed actus fidei, ſaltem communiter, & per ſe loquendo eſt actus deliberatus; ſiquidem petit procedere ex libera voluntatis applicatione ad credendum, ut nuper dicebamus: ergo actus fidei ſupernaturalis ſtricte dictæ neceſſario ſupponit aliquem actum ſupernaturalem indeliberatum. Quando ergo Concilia, & Patres determinant, quod actus fidei eſt initium, & radix juſtificationis, minimè excludunt, quod alij actus ſupernaturales ipſam præcedant; ſed hos actus fidei nomine comprehendunt.

Confirmatur præcedens doctrina.

84. Confirmatur primo: quia ſi fides ſtricte dicta ita eſſet initium juſtificationis, quod ante ipſam nulla præcederet illuminatio ſupernaturalis; nullus eſſet infidelis privativè, & contrariè, niſi ille, qui prius habuiſſet actum fidei: conſequens eſt abſurdum; ſiquidem ille, cui ſufficienter proponuntur myſteria fidei noſtræ, & non credit, eo ipſo fit infidelis contrariè, & privativè, ut docent communiter Theologi: ergo fides ſtricte dicta non ita eſt initium, & radix juſtificationis, quod alios actus interiores, atque auxilia ordinis ſupernaturalis excludat. Probatur ſequela: quoniam nullus peccat omittendo adimpletionem præceptorum ſupernaturalium, niſi qui habet, vel in ſe recipit aliquod auxilium ſupernaturale, quo poſſit ſaltem remote dicta præcepta adimplere, ut oſtendimus *in hac diſput. dub. 1.* immo vero niſi prius habeat aliquam cognitionem ſupernaturalem, qua ad præcepta ſupernaturalia, & ad eorum obligationem advertat, ut ſatis liquet ex dictis loco citato: ergo ſi fides ſtricte dicta ita eſt radix, & initium juſtificationis, quod ſit primum auxilium abſolute, & nullum aliud auxilium ſupernaturale ſupponat, liquido convincitur, quod nullus ſit infidelis privativè, & contrariè, niſi qui prius elicuit actum fidei.

Quo ſenſu fides dicatur initium juſtificationis.

85. Confirmatur ſecundo: quia ſicut *fides* dicitur initium juſtificationis: ita primum auxilium ad voluntatem ſpectans communiter appellatur *charitas* cùm ab aliis Patribus, cùm ſpecialiter ab Auguſtino: & nihilominus charitatis vocabulo non intelligunt charitatem ſtricte dictam, ſiquidem certum eſt, quod ad amorem perfectæ charitatis præcedunt alij affectus imperfectiores: ergo pariter nomine fidei non intelligunt fidem ſtricte ſumptam. Unde ſicut charitas dicitur primum auxilium voluntatis, vel quia nomine charitatis intelligitur quilibet ſupernaturalis affectus, vel quia nomine primi auxilij pertinentis ad voluntatem non intelligunt primum abſolute, & ordine generationis, ſed primum reſpectivè, & ordine perfectionis: ita ſimiliter nomine fidei, quæ dicitur primum intellectus auxilium, vel intelligitur fides large dicta, quæ complectitur omnem illuſtrationem, & cognitionem ſupernaturalem diſponentem ad fidem ſtricte dictam; vel nomine primi auxilij intelligunt non primum abſolute, ſed primum per excellentiam ex iis, quæ pertinent ad intellectum. Utraque conſequentia conſtat à paritate. Major autem probatur ex Divo Auguſtino, qui auxilium pertinens ad voluntatem communiter vocat *charitatem*, ut *lib. de gratia Chriſti cap. 10.* loquens de gratia auxiliante ait: *Ut non oſtendat* (nempe Deus) *tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* Et *lib. citat. cap. 35.* illud appellat *Inſpirationem flagrantiſſimæ charitatis.* Quo ſenſu in lib. de gratia, & libero arbitrio aſſeruit: *Quod non fit ex charitate, non bene fit.* Cum tamen certum ſit plura, utpote diſpoſitiones, quibus peccator præparatur ad ſuſcipiendum ipſam charitatem, bene fieri; alias non conducerent ad ſalutem. Et hac interpretatione utuntur communiter Theologi contra Michaëlem Bajum, qui teſtimoniis Auguſtini nitebatur probare nullum opus fieri bene moraliter, vel ad ſalutem conducere, niſi illud, quod ex charitate procedit.

D. Auguſt.

Duplex fidei ſupernaturalis acceptio.

86. Ex quibus fit (& bene nota, ut argumentis infra proponendis occurratur) perſpicuè fidem ſupernaturalem bifariam accipi poſſe: uno modo ſtrictè, & hac ratione importat actum, quo objecto non apparenti aſſentimus propter teſtimonium Dei revelantis: alio modo large, & hoc pacto complectitur omnem illuminationem, & cognitionem ſupernaturalem, per quam diſponitur ad fidem ſtricte dictam, & tendimus in ejus objectum, licet diverſo modo, & ſub diverſo motivo. Ex quibus fides ſtrictè dicta neceſſario

neceſſaria eſt ad conſequendam tam primam juſtificationem per gratiam, quam ſecundam per gloriam: unde nullus juſtificatur abſque prædicta fide: quamvis circa objecta, quæ neceſſario explicite credenda ſunt, non parum diffideant Auctores, ut videri poteſt apud Bañez 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 8. *dub.* 2. Non eſt tamen adeo neceſſaria ad inchoandum negotium juſtificationis, ut omnes actus ſupernaturales antecedat: aliqui enim actus ſupernaturales, & auxilia ſupernaturalia ipſis correſpondentia dantur ante fidem ſtricte dictam, ut nuper oſtendimus. Cæterum fides ſupernaturalis large accepta eſt adeo in adultis requiſita ad inchoandum negotium ſalutis, ut omnes actus ſupernaturales ab ea diſtinctos antecedat: nullus quippe reperitur, qui aliquam illuminationem ſupernaturalem non præſupponat, ſiquidem ſupponit gratiam excitantem, quæ in auxilio ad prædictam illuminationem conſiſtit, ut *num.* 82. oſtendimus ex Concilio Tridentino. Unde quando Concilia, & Patres diffiniunt fidem eſſe initium, & radicem omnis juſtificationis, fidem utroque modo conſideratam ſignificant: ita ut fides large accepta, quatenus importat cognitionem ſupernaturalem, ſit juſtificationis initium abſolute ordine generationis; ſiquidem ſupponitur ad aliquos actus ſalutares: fides vero ſtricte conſiderata, ut importat actum credendi ſit initium reſpective, & ordine perfectionis; ſiquidem præeminet inter cognitiones, quæ ad juſtificationem concurrunt.

Bañez.

Quomodo cohæreat, quod recipiens auxilium ſupernaturale maneat infidelis negativè.

87. Semel vero oſtenſa illa prima parte diſcurſus *num.* 82. propoſiti, nempè fidem ſtricte dictam non ita dici initium, & radicem omnis juſtificationis, quin ad illam aliqui actus ſupernaturales, & auxilia ipſis correſpondentia præſupponantur: facile apparet veritas ſecundæ partis ejuſdem diſcurſus, videlicet optime cohærere, quod aliquis recipiat aliqua auxilia ſupernaturalia, & nihilominus maneat infidelis negativè. Nam cum plures actus ſupernaturales, quos poſſe antecedere fidem ſtricte dictam oſtendimus, non attingant objecta ut à Deo revelata, nec reſpiciant divinam revelationem, queunt relinquere objectum proprium fidei ſtricte dictæ, quatenus tale, invincibiliter incognitum, ſive ignoratum: ſed infidelitas negativa conſiſtit in hac invincibili ignorantia, ut cum Divo Thoma 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. docent communiter Theologi: ergo optime cohæret, quod aliquis recipiat aliquod auxilium ſupernaturale intrinſecum, & quod nihilominus maneat infidelis negative.

Explicatur amplius.

Ad hæc: ut quis excuſetur à peccato infidelitatis, atque ideo maneat infidelis purè negativè, ſufficit, vel quod careat omni principio phyſico, & morali tam proximo, quam remoto ſufficienti ad credendum; vel quod licet illud habeat, ignoret tamen invincibiliter divinam revelationem, & obligationem credendi, ut in non adimpletione inculpabili aliorum præceptorum contingit: ergo fieri poteſt, quod aliquis habeat in ſe aliquod auxilium phyſicum remote ſufficiens ad credendum, & quod nihilominus non credendo, nullam infidelitatem contrariam, vel privativam incurrat, ſi ignorantia invincibili circa objectum fidei ſtricte dictæ laboret: atqui nulla eſt repugnantia in eo, quod aliquis habeat aliqua auxilia remote ſufficientia ad credendum, & quod nihilominus patiatur invincibilem ignorantiam circa objectum proprium fidei ſtricte dictæ: habent quippe prædicta auxilia objectum longè diverſum ab objecto fidei: & conſequenter licet manifeſtent ſuum objectum, relinquunt objectum fidei invincibiliter ignoratum: ergo ex eo, quod omnes barbari habeant in ſe aliquod auxilium remote ſufficiens ad credendum, & non credant, minime evincitur, quod omnes ſint infideles contrariè, vel privativè; ſed optimè intelligitur, quomodo adhuc ſtante prædicto auxilio, non teneantur excuſabiliter credere; & qualiter in non credendo non peccent ſpecialiter contra fidem.

Mens præcedentis doctrinæ expoſita.

88. Quæ doctrina magis perſpicua fieret, ſi poſſemus explicare in particulari propriam conditionem ſingulorum auxiliorum ſupernaturalium, quæ fidem ſtricte dictam antecedent. Sed quia hoc expoſcit longiorem diſcuſſionem (ſunt enim prædicta plurima, & valde diverſa) ſatis erit exponere, in quo conſiſtat auxilium, quod pervenientibus ad uſum rationis communicatur. Hoc quippè ſufficit ad aſſertionis noſtræ intelligentiam; præſertim cum illud auxilium aliquoties tribuatur in via, & per ipſum conſtituantur homines in potentia ſufficienti, ſaltem remote, ad ſalutem. Igitur in declarando naturam prædicti auxilij duo occurrunt modi dicendi ſatis probabiles. Primum propoſuimus *in Tractat. de peccatis diſputatione* 20. *dubio* 1. §. 4. *à num.* 35. ubi diximus prædictum auxilium, quatenus pertinet ad intellectum eſſe quoddam lumen incompletum, & modale corroborans intellectum, non ut prorumpat in cognitionem entitative ſupernaturalem, vel circa objectum formaliter ſupernaturale; ſed ut cognitionem naturalem circa bonum honeſtum majori firmitate, & certitudine eliciat. Frequenter quippè potentia inferior coadjuvatur, & roboratur in propriis actibus ex participatione aliqua potentiæ ſuperioris. Sic enim cogitativa participat ab intellectu perfectionem quandam, non quidem ut actus intellectus eliciat, vel ut objectum proprium intellectus attingat; ſed ut intra ſuum ordinem nobiliori modo cognoſcat, nempè cum quodam judicio, & diſcurſu. Et juxta hunc dicendi modum facile componuntur duo illa, quæ conciliare *in hoc* §. ſtuduimus, & difficultatem ingerunt in hac materia. Explicatur enim qualiter homo antecedenter ad fidem ſtricte dictam habeat aliquod auxilium intrinſecum ſupernaturale, moveaturque non præciſè ex viribus naturæ, ſed ex gratia; poſſitque proinde tendere ſaltem imperfecte, & remote ad ſuam juſtificationem. Deinde exponitur, qualiter non obſtante collatione prædicti auxilij, queat homo perſeverare infidelis negativè: nam prædictum auxilium non deſervit proxime ad cognoſcendum objecta propria fidei ſtricte dictæ, ſed ad eliciendum cognitionem naturalem, & circa objectum naturale, ſupernaturali tamen modo veſtitam. Unde relinquit objectum fidei invincibiliter ignotum. Et quod de auxilio ſupernaturali recepto in intellectu diximus, applicandum proportionabiliter eſt auxilio impreſſo voluntati.

Aliter eadem doctrina declaratur.

89. Secundum dicendi modum, & nobis probabiliſſimum tradit perdoctus M. Joannes à S. Thoma *ubi ſupra* aſſerens auxilium collatum puero pervenienti ad uſum rationis deſervire ad eliciendum cognitionem, & affectus non præciſè naturales

Digitized by Google

naturales entitativè, & ſupernaturales modaliter, ſed entitativè etiam ſupernaturales: attingunt enim actus prædictis auxiliis correſpondentes bonum honeſtum, & legem naturalem ſub motivo præmij excedentis totam naturæ dignitatem, & exigentiam: non quia prædictum motivum cognoſcant in actu ſignato ex motivo divinæ revelationis; ſed ſolum practice cognitione implicita, & imperfecta. *Ex quibus*, inquit prædictus Auctor, *patet nec in dictis D. Thom. eſſe contrarietatem, nec eſſe infallibile illuminare eos infallibiliter, qui ex ſolis viribus naturæ operantur. Non eſt in dictis D. Thom. contrarietas: quia in primo inſtanti uſus rationis omnes accipiunt ſufficiens auxilium ad adimplendum legem, & ad res fidei implicite tunc propoſitas, & per modum præmij ſupernaturalis pro obſervantibus legem: ſed non omnibus proponuntur res fidei in particulari, & determinatè. Et ſic non omnes accipiunt auxilium ſufficiens (ſaltem proxime) ad explicite, & particulariter credendum, nec ſub motivo fidei divinæ. Et hoc ex ſua culpa: quia reſiſtunt priori auxilio, nec volunt acceptare legem, nec converti ad Deum: & ſic reddunt ſe indignos propoſitione rerum fidei ſub motivo explicito fidei. Sed tamen iſti non incurrunt infidelitatem privativam, quæ eſt culpa ſpecialis contra fidem; licet ex culpa non acceptandi, ſeu non obediendi legi, fidei propoſitio negetur: quia ad hanc infidelitatem requiritur reſiſtentia, ſeu non acceptatio fidei divinæ ſufficienter propoſitæ in particulari, & explicite, aut ſaltem ſub motivo Dei dicentis; & teſtificantis: ita quod teſtimonium Dei non acceptetur ab iſto. Si enim nihil ſibi proponitur in particulari ut teſtificatum, & dictum à Deo; non utique reſiſtit iſte Deo teſtificanti: & ſic non incurrit culpam infidelitatis, quæ conſiſtit in hoc, quod aliquis non acquieſcat teſtimonio Dei, ſicut proponitur à Deo.* Et poſt pauca ſubdit: *Et ſic ex non acceptatione talis motivi (nempè magni cujuſdam præmij) & implicita propoſitionis fidei, non ſub motivo teſtificationis divinæ, ſed ſub ratione cujuſdam magni præmij, aut alterius ſimilis rationis, non incurritur infidelitatis, culpa. Similiter, qui illuminatur à Deo, & juſtificatur, non eſt ex eo, quod operatur ex viribus naturæ tantum: ſed quia utitur auxilio ſupernaturali requiſito (ad minus conſequenter) ad acceptationem totius legis, ſaltem implicite: quod ſic acceptetur, proponentur ei explicite myſteria ad ſalutem neceſſaria, & juſtificabitur.* Hæc citatus Auctor omnino conſone ad doctrinam hactenus traditam, & ad mentem Divus Thomas *quæſtione 14. de Veritate articulo 2. ad 10. & articulo 11. ad 1. & 2.*

Ex quibus omnibus ſatis apparet veritas illius minoris *num.* 82. propoſitæ, nempè denegandum non eſſe, quod Deus omnibus, & ſingulis hominibus conferat auxilia ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem, vel ex eo, quod fides ſit initium juſtificationis, vel ex eo, quod omnes infideles eſſent tales contrariè, & privativè. Sed hoc amplius conſtabit occurrendo argumentis opinionis adverſæ.

§. IV.

Refertur ſententia contraria, & ejus motiva eliduntur.

90. CONtrariam nobis opinionem tuentur Ledeſma *quæſt. unica de auxiliis articulo 16. dicto 4.* Godoy *tractatu 8. de prædeſtinatione diſputatione 73. §. 4.* Gonzalez *ibidem diſputatione 77. ſectione 3.* Bañez *prima parte, quæſtione 23. articulo 3. dubio 3.* Gonet *diſputatione 5. de reprobatione articulo 5.* qui pro eadem ſententia referunt Henricum, Adrianum, Gregorium, Abulenſem, Catharinum, Richardum, Roffenſem, & alios. Sed hi facile explicari poſſunt de auxilio proxime ſufficienti ad juſtificationem, vel fidem: atque ideo nobis non adverſantur, qui tantùm docemus omnibus, & ſingulis hominibus communicari aliquod auxilium ſupernaturale remote ſolum ſufficiens ad fidem, & proxime ſufficiens ad alios actus ſupernaturales imperfectiores, ut ſupra *num.* 41. obſervavimus.

Contraria opinio. Ledeſma. Godoy. Gonzalez. Bañez. Gonet. Henric. Adrianus. Gregor. Abulenſ. Catharin. Richardus. Roffenſ.

Probat primo hanc ſententiam Godoy auctoritate Concilij Tridentini *ſeſſione 6. capite* 11. ubi dicitur: *Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Sed hæc deſertio intelligenda non eſt de ſola ſubſtractione gratiæ efficacis: cum multoties hæc abſque præſuppoſita hominis culpa denegetur: nec intelligenda eſt de ſubſtractione habitualis, ut Adverſarij, inquit, admittunt: ergo intelligenda eſt de gratia auxilianti ſufficienti: ergo Deus non confert omnibus, & ſingulis hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, prout conferre eſt relativum ad recipere.

Primum motivum. Conc. Trid.

Sed hoc teſtimonium parum premit: tum quia Tridentinum expreſse loquitur de hominibus juſtificatis, quos habere in ſe auxilium ſufficiens ad ſalutem certius eſt, quam diſputari queat. Tum quia ſubſtractio gratiæ, de qua loquitur, ſupponit culpam perſ[illegible]m ejus, cui talis gratia negatur: unde ap[illegible]cari nequit parvulis pervenientibus ad uſum rationis, antequam culpam committant: nihil enim fecerunt, quo ſe indignos reddiderint ad recipienda auxilia ſupernaturalia, quæ adhuc ſuppoſito Adami peccato, vult Deus omnibus hominibus impertiri. Unde relatum teſtimonium nec apparenter huic opinioni favet. Quod recognoviſſe videtur Gonet *ubi ſupra*: nam cum omnia fere argumenta Godoy tranſcribat, iſtud prætermiſit. Reſpondetur ergo negando ſecundam minoris partem: nam communiter omnes Theologi intelligunt, quod Tridentinum loquatur de ſubſtractione gratiæ habitualis, & ſanctificantis, quam Deus nunquam ſubſtrahit, niſi prius ab homine peccante deſeratur. Nec ſcimus, qui Thomiſtæ Auctores noſtræ ſententiæ oppoſitam interpretationem de gratia auxiliante ſufficienti admittunt: quod autem Vazquez illud ſic exponat, noſtra nihil intereſt.

Enervatur. Gonet.

91. Secundo Probatur ex D. Aug. *lib. de correct. & gratia cap.* 11. ubi ait: *Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, quam primum facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio manere poſſet, ſi vellet; non utique ſua culpa cecidiſſent. Adjutorium quippè defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium,*

Secundum motivum. D. Auguſt.

pare

jam pœna peccati eſt. Ubi ſermonem eſſe de auxilio ſufficienti liquido conſtat ex textu : tum quia loquitur Auguſtinus de auxilio *ſine quo non*, quod juxta ejus phraſim eſt auxilium ſufficiens, ut declaravimus *diſputatione 5. dubio ultimo § ultim.* tum quia loquitur de gratia, qua deficiente, non imputaretur Adamo, vel Angelo defectus operationis : hæc autem non eſt gratia efficax, ſiquidem omnis, qui peccat, illa deſtituitur. Et tamen ſupponit Auguſtinus prædictam gratiam aliquibus denegari. Aliqui ergo dantur, qui nullum ſupernaturale auxilium intrinſecum recipiunt. Quod adhuc expreſſius tradit idem Sanctus Doctor *epiſt. 107. ad Vitalem*, ubi ait : *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari. Scimus eis, quibus datur, miſericordia Dei gratuita dari. Scimus eis, quibus non datur, juſto Dei judicio non dari.*

Idem.

Confirmatur. Confirmatur ex Divo Thoma 2. 2. *quæſtione 2. articulo 5. ad 1.* ubi prædictam Divi Auguſtini doctrinam repetit, & amplectitur. Sic enim habet : *Dicendum, quod ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis, ut dicit Auguſtinus.*

D.Thom.

Occurritur motivo. Reſpondetur ad primum teſtimonium Divi Auguſtini ſermonem in eo eſſe de gratia, non utcumque, ſed proxime ſufficiente perſeverandum, & adimplenda præcepta ſupernaturalia, qualis fuit in Adamo, & Angelis, ut ſatis evidenter conſtat ex ipſo textu, & ex intentione Auguſtini. Hanc autem gratiam minime aſſerimus, in omnibus, & ſingulis hominibus indifferenter recipi ; licet omnibus offeratur : immo potius adſtruimus, quod plures ſunt homines, qui auxilio proxime ſufficienti ad credendum deſtituuntur, ut hac ratione plures manere ſub infidelitate negativa ſalvemus. De illa ergo gratia proxime ſufficienti ad ſalutem merito aſſeruit Auguſtinus, quod non omnibus datur, & quod illis, quibus non tribuitur, negatur in pœnam peccati, ſaltem originalis. Peccando quippè in Adamo gratiam habitualem exuimus, & conſequenter omnia auxilia, quæ præſtant proximam ſufficientiam ad ſalutem, & perſeverantiam. Videantur, quæ diximus *dubio 1. § 5.* ubi plenius hoc teſtimonium expoſuimus.

Ad ſecundum reſpondetur Divum Auguſtinum eo loco agere non de quacumque gratia, ſed de gratia ſufficienti, immo efficaci ad credendum, & perſeverandum. Nam ante præmiſſa verba, quæ nobis objiciuntur, inquit : *Non ergo gratiam dicamus eſſe doctrinam, ſed agnoſcamus gratiam, quæ facit prodeſſe doctrinam : quæ gratia ſi deſit, videmus obeſſe doctrinam. Et ſubdit : Plerumque pro eis oramus, qui cum audiant, vel legant, nolunt credere : ſed oramus, ut voluntas corrigatur, doctrinæ conſentiatur, natura ſanetur.* Hanc ergo gratiam fatemur cum Auguſtino non omnibus, & ſingulis hominibus dari. Sed hinc minime convincitur, quod ſingulis hominibus non communicetur aliqua gratia ſupernaturalis imperfectior, & ſolum remote ſufficiens ad ſalutem, quam Auguſt. ſatis aperte concedit locis pro noſtra ſententia relatis.

Confirmatio diluitur. Teſtimonium Divi Thomæ in confirmatione relatum eodem modo, ac auctoritas Auguſtini exponendum eſt : nam continet eandem ſententiam, & ſolum excludit auxilia proxime ſufficientia ad fidem, & amorem charitatis.

Replica. Gonet. D.Auguſt. D.Thom. 92. Sed inſtat Gonet : quoniam Divus Auguſtinus *ſerm. 11. de verbis Apoſt. cap. 4.* inquit : *Communis eſt omnibus natura, non gratia.* Et Divus Thomas *quæſtione 24. de Veritate articulo 15.* ait : *In nullo videntur omnes homines convenire, niſi in aliquo naturali.* Sed falſum foret, ſi omnes, & ſinguli homines reciperent aliquod auxilium intrinſecum ſupernaturale : tunc quippè in eo conveniret, illudque omnibus eſſet commune : ergo aſſerere, quod omnibus, & ſingulis hominibus conferatur aliqua gratia intrinſeca eſt contra Divum Auguſtinum & Divum Thomam.

Satisfactit. Reſpondetur negando conſequentiam intellectam de hominibus adultis : quam minime evincunt auctoritates relatæ. Immo vero ab ipſo Gonet interpretari debent : tum quia omnes, & ſinguli homines redempti ſunt per Chriſtum : atque ideo conveniunt in aliquo prædicato non naturali, ſed gratuito, & omnibus communi. Tum quia omnes contrahunt peccatum orginale, & eo adhuc ſuppoſito manent elevati ad ſupernaturalem finem, & poſſunt ſalvari per ſacramenta, & auxilia ſibi oblata, ut prædictus Auctor concedit : quæ tamen rationes naturales non ſunt, ut ex ſe liquet. Dicendum ergo eſt *primo* diſcrimen inter gratiam, & naturam quantum ad communitatem ſufficienter ſalvari ; tametſi omnibus adultis conferantur auxilia ſupernaturalia : nam natura, & ea, quæ naturam conſequuntur, ita ſunt omnibus communia, ut ſemper, & in omnibus tam parvulis, quam adultis inveniatur : auxilia vero non in parvulis recipiuntur, ſed ſolum in adultis : nec iis eodem tempore, & eadem uniformitate conveniunt, ſed pro modo, & tempore, quæ divina providentia diſponit. *Secundo* dicendum eſt Auguſtinum loqui vel de gratia fidei, vel de gratia juſtificante, quas libenter fatemur non recipi in ſingulis adultis. Sic enim habet : *Ecce fecit nos populum ſuum, qui nos fecit. Non enim creatò homines jam populus ejus eramus. Hinc dixit, Fecit nos, & non ipſi nos, ut ſimus populus ejus, & oves paſcuæ ejus. Nam & pagani naſcuntur, & omnes impij, omnes Adverſarij Eccleſiæ ejus : & non ſunt populus ejus, nec oves paſcuæ ejus. Communis eſt omnibus natura, non gratia.* Et tamen certum eſt plures paganos, eos videlicet, qui audierunt Evangelium, & tenentur inexcuſabiliter credere, habuiſſe aliquod auxilium ſupernaturale intrinſecum. Eodem modo exponendus eſt Divus Thomas : nam expreſſè loquitur de quadam gratia habituali, quam nonnulli Auctores dicebant neceſſariam eſſe, ut homo ſe præpararet ad ſuam juſtificationem, & omnibus æqualiter, & ſemper communicari : quam merito rejicit Divus Thomas quia prædicta gratia potius eſſet natura, quam gratia : In nullo enim videntur omnes homines convenire, niſi in aliquo naturali. Per quod minime excludit, quod gratia auxilians omnibus hominibus adultis, quamvis non ſemper, nec uniformiter conferatur, ut docent Patres §. 1. & §. 3. relati.

93. Tertio

Digitized by Google

Tertium argumentum. 93. Tertio arguit citatus Auctor: quoniam ubi non eſt jus ad finem, non eſt jus ad media: ſed peccatum mortale excludit jus ad beatitudinem ſupernaturalem, ſiquidem avertit ab illa: ergo excludit jus ad media, quæ pro illius conſecutione requiruntur; inter quæ potiſſimum computantur auxilia: ergo nullum adeſt fundamentum, ut dicamus auxilia ſupernaturalia ſingulis adultis conferri.

Confirmatur: quia peccatum mortale cauſat mortem ſpiritualem animæ, & deſtruit principium vitæ ſupernaturalis, ut tradit Auguſtinus *ſermon. 6. de verbus Domini cap. 1.* ſed homini mortuo non debetur principium motuum vitalium, quibus vitam recuperet, ut liquet ex terminis: ergo nec homini peccatori debentur auxilia gratiæ, per quæ poſſit ad vitam ſpiritualem aſſurgere.

Reſponſio. Reſpondetur, quod ſi hoc argumentum, & ejus confirmatio convincerent, probarent utique auxilia ſupernaturalia nulli peccatori, etiam fideli conferri; immo nec omnibus offerri, nec Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, nec cunctis præparari Sacramenta: quodlibet enim peccatum mortale hæc, quantum eſt de ſe, demeretur; ab omnibuſque his mediis hominem avertit, dum ab ultimo fine avertit. Quod aſſerere eſt adeo abſurdum, ut confutari non indigeat. Concedimus igitur peccatum mortale mereri, quantum ad ſufficientiam denegationem iſtorum beneficiorum, immo & annihilationem ſuppoſiti, ut inquit Divus Thomas *in 4. diſtinctione 46. quæſtione 1. articulo 2.* illam tamen non meretur de facto, & quoad efficaciam: quia Deus non decrevit, nec taxavit ſimilem pœnam pro peccato mortali: ſed hanc pœnam denegationis omnium beneficiorum ſupernaturalium pro altera vita, & ſtatu obſtinationis reſervat. Unde ſicut ſuppoſito Adami peccato, & condignitate ſufficienti, ut Deus omnibus hominibus denegaret omnia prorſus auxilia; adhuc nihilominus Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & pro omnium remedio miſit Chriſtum Dominum, inſtituit Sacramenta, & præcepit, ut cunctis prædicaretur Evangelium, ut arguens negare non poteſt: ſic nos aſſerimus, quod Deus omnibus, & ſingulis adultis, tametſi peccatoribus, auxilia ſupernaturalia impertitur. Fundamuſque hanc aſſertionem non in exigentia peccatoris, ſed in providentia, & miſericordia Dei, quæ nobis innoteſcit tam per Scripturam, quam per Sanctorum Patrum teſtimonia, & congruentia motiva, quæ ſupra expendimus. Et quamvis hæc auxiliorum communicatio, ſi attendimus ad exigentiam, & diſpoſitionem peccatoris, ſit præter, vel contra ordinem rerum, ut ſignificare videtur Divus Thomas *3. contra gentes cap. 161.* nihilominus non eſt miraculoſa: quia ſuppoſita elevatione hominum ad ordinem ſupernaturalem, & quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri; præſens providentia poſtulat, quod prædicta auxilia omnibus, & ſingulis hominibus adultis conferantur, & hujuſmodi communicatio eſt juxta ordinem præſentis providentiæ, ut ſatis aperte tradit idem Sanctus Doctor *infra quæſtione 113. articulo 10.* in corpore. *D. Thom.*

Quartum argumentum. 94. Quarto arguitur: quia plures ſunt parvuli, in quibus nullum auxilium ſupernaturale recipitur: ergo plures ſunt adulti, quibus de facto nullum auxilium ſupernaturale communicatur. Antecedens eſt certum. Conſequentia vero probatur: tum quia Divus Auguſtinus *lib. 4. contra Iulianum cap. 8.* inquit: *Deus non eſt benevolentior ſceleſtiſſimis, & impiiſſimis hominibus propria voluntate repugnantibus, quam innocentiſſimis parvulis, qui propria voluntate non repugnant ſaluti, etſi originali culpa ſint coinquinati:* atqui ſi Deus conferret adultis peccatoribus auxilia ſupernaturalia, quæ parvulis negat, benevolentior eſſet impiiſſimis hominibus, quam innocentiſſimis parvulis, ut ex ſe conſtare videtur: ergo plures ſunt adulti, quibus Deus nulla ſupernaturalia auxilia communicat. Tum etiam quia ſicut Deus voluntate antecedenti vult adultos ſalvos fieri ita etiam vult ſalutem parvulorum: ergo ſicut cum hac voluntate cohæret, quod nolit, ut in ſingulis parvulis recipiantur auxilia ſupernaturalia; ita cum illa componitur, ut nolit prædicta auxilia adultis communicare. Tum etiam quia magis demeritorium eſt peccatum perſonale, quam originale: ergo ſi Deus in pœnam peccati originalis denegat parvulis omne auxilium ſupernaturale; veroſimilius eſt, quod illud etiam deneget pluribus adultis. Quo argumento videtur uti Divus Auguſtinus *loco ſupra citato* dum inquit: *Si dixeris mihi, cur ergo non convertit omnium nolentium voluntates? Reſpondeo cur non omnes morituros adoptat lavacro regenerationis infantes?* *D. Auguſt.* *Idem.*

Confirmatur. Confirmatur: quia non magis peccatum mortale meretur privationem uſus rationis, quam privationem omnium auxiliorum ſufficientium: ſed Deus interdum in pœnam præcedentium peccatorum privat hominem uſu rationis, ut patet in Nabuchodonoſor; in quo ſtatu eſt incapax recipiendi auxilia ſupernaturalia: ergo interdum etiam privat adultum ſui compotem prædictis auxiliis.

Ostenditur à gimrate. Huic argumento relictis variis ſolutionibus, quæ refert, & impugnat Godoy, reſpondetur negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis conſtat ex ſupra dictis: quoniam Deus illa voluntate antecedenti, qua vult omnes homines tam parvulos, quam adultos ſalvos fieri, offert, immo confert eiſdem media ſufficientia ſaltem remote ad ſalutem. Aliter tamen, & aliter pro uniuſcujuſque capacitate, & communi, ac naturalis providentiæ ordine, quem Deus abſolute vult obſervare. Nam cum parvuli nequeant elicere actus ſupernaturales, non eis præparat auxilia prædictis actibus correſpondentia; ſed ſolum offert remedium Baptiſmi. Et quia hoc Sacramentum applicandum eſt miniſterio aliorum hominum, & ſub præſcripta verborum forma, & cum aliis circunſtantiis: quæ omnia nequeunt ſervata communi cauſarum naturalium providentia ſervari: propterea plures parvuli deſtituuntur remedio ſufficienti ad ſalutem, tam ut applicato, quam ut proxime applicabili, ut *dubio præcedenti num. 55.* cum Divo Thoma explicuimus. Cæterum adulti poſſunt diſponi ad juſtificationem per actus à ſe elicitos virtute ſupernaturalium auxiliorum: valentque hujuſmodi auxilia, ſaltem imperfectiora, cunctis adultis à Deo, ſervata communi rerum providentia, communicari, ut §. *præced.* declaravimus. Quamobrem nihil obligat, ut negemus adultis eorum participationem. Præſertim cum reſolutio præſentis difficultatis non in naturam, & conditionem peccatorum revocanda ſit, ut *numero præcedenti*, dicebamus; ſed in voluntatem Dei, quæ *Aliter de parvulis, ac de adultis in hac parte diſcurrere oportet.*

nobis vel per Scripturam, vel per experientiam innoteſcit. Et quidem quod omnes parvuli recipiant auxilium intrinſecum gratiæ ſanctificantis (hoc tantum poſſunt in eo ſtatu recipere) aperte contradicit tam Scripturæ aſſerenti plures eorum damnari, quam experientiæ deprehendenti, quod non omnes baptizantur. At quod adulti recipiant aliqua auxilia ſupernaturalia imperfecta, minime Scriptura negat, nec oppoſitum probari queit evidenti aliqua experientia, vel ratione. Unde hoc ipſum præſtat ſufficiens fundamentum, ut de divina miſericordia valde probabiliter præſumamus, quod omnibus, & ſingulis adultis aliquod ſupernaturale auxilium impertitur.

Diruitur prima probatio in contrarium. 95. Ad primam, autem probationem in contrarium reſpondemus negari non poſſe, quod Deus impuriſſimis, & ſceleratiſſimis hominibus, quos non ſemel facit ſanctos, plura auxilia conferat, quam innocentiſſimis parvulis, quos in peccato originali: atque ideo voluntate abſoluta, efficaci, & conſequenti benevolentior ſolet eſſe Deus quibuſdam maximis peccatoribus, quam parvulis: quin ex hoc poſſit injuſtitiæ argui, oſtendens juſtitiam in his, & in illis miſericordiam. Nec oppoſitum intendit Divus Auguſtinus, ſed confutat Julianum ad hominem, qui ideo dicebat parvulos damnari, quia Deus præviderat peccata, quæ ſi viverent, commiſſuri erant: nec enim admittebat hæreticus electionem, vel reprobationem abſolutam independentem ab operibus bonis, & malis futuris per ſcientiam mediam præviſis. Quod merito rejicit Auguſtinus: nam parvuli innocentiores ſunt peccatoribus ſceleſtis: atque ideo ſecundum aſſerta Juliani Deus benevolentior debet eſſe illis, quam iſtis. Unde Auguſtinus ſuam, & noſtram ſententiam declarans adjecit: *Sed cum ſciamus ab eo, cui miſericordiam, & judicium fideli voce cantamus, iſtum ſecundum judicium damnari, illum ſecundum miſericordiam liberari: cur iſtum potius, quam illum damnet, aut liberet, nos qui ſumus, qui reſpondeamus Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare me ſic feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa originis vitiata, atque damnata facere aliud vas in honorem ſecundum miſericordiam, & aliud in contumeliam ſecundum judicium? Ideo non utrumque in honorem, nec hoc meruiſſe ſe exiſtimet, tanquam inculpata natura. Ideo non utrumque in contumeliam, ut judicio ſuperexultet miſericordia: ac per hoc nec damnatus ex debito, de ſupplicio juſte queritur: nec liberatus gratis, de mente ſuperbe gloriatur.* (D. Auguſt.)

Patet ad ſecundam. Ex quibus facile conſtat ad reliquas probationes: ad ſecundam enim dicendum eſt, quod licet Deus voluntate antecedenti voluerit omnes tam parvulos, quam adultos ſalvos fieri, & pro omnibus remedia ſufficientia præparaverit: nihilominus voluntate conſequenti voluit prædicta auxilia communiter loquendo, non aliter diſpenſare, quam ſervata communi providentia. Et quia ea ſervata fieri non poteſt, quod omnibus parvulis applicetur remedium ſufficiens, nempe Baptiſmus: idcirco plures parvuli de facto deſtituuntur omni remedio tam ut applicato, quam ut proxime applicabili. Cujus oppoſitum accedit in adultis: quibus ſervata communi providentia poſſunt communicari aliqua auxilia ſupernaturalia imperfectiora, & remote ſufficientia ad ſalutem, ut conſtat ex dictis.

Ad tertiam. Ad ultimam, conceſſis præmiſſis, negamus conſequentiam: quia quamvis Deus poſſet [illegible] juſtiſſime in pœnam peccati mortalis per[illegible] denegare omnia auxilia ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem, ſicut & hominem annihilare: id tamen ſupplicium de facto, & pro omni tempore miſericorditer non exequitur, ut aperte conſtat in peccatore fideli, qui, adhuc ſuppoſito peccato mortali, conſervat auxilium fidei, quo cætera valet impetrare. Nec enim hæc auxiliorum collatio menſuranda eſt penes peccatorum gravitatem, ſed penes alias regulas, quas proxime inſinuavimus.

Confirmatio ſolvitur. 96. Unde etiam patet ad confirmationem: nam vel Deus peccatorem, qui aliquando uſum rationis habuit, punit amentia continua uſque ad mortem incluſivè: & tunc ſi eſt incapax recipiendi aliquod Sacramentum ob defectum diſpoſitionum antecedentium; cenſetur moraliter mortuus fuiſſe, quando amentiam incurrit: eadem quippe ratio de illo, ac de aliis damnatis, quos Deus rectiſſime punit, habenda eſt. Nec inde ulla paritatis ratio ad homines adultos, & rationis compotes afferri poteſt ob manifeſtam diſparitatem. Vel illa amentia ſolum eſt temporalis uſque ad diffinitum tempus: & tunc homo, ceſſante amentia, aliqua auxilia recipit, ut in ipſo Nabuchodonoſor, qui nobis objicitur, accidit. Denique omnes amentes, ſi uſum rationis aliquando habuerunt, receperunt aliquod auxilium ſupernaturale in primo inſtanti uſus rationis, quod ſatis eſt ad veritatem noſtræ aſſertionis; quidquid ſit de aliis temporibus: verificatur enim omnes, & ſingulos adultos recipere aliquod auxilium ſupernaturale, quo poſſint, ſaltem remote, diſponi ad juſtificationem. De adultis autem, qui perpetua amentia uſque ad mortem laborarunt, eadem fere ratio habenda eſt, ac de parvulis.

Quintum argumentum. 97. Arguitur quinto: quoniam fides ſupernaturalis eſt neceſſaria ad ſalutem: ſed non omnes adulti recipiunt auxilium ſufficiens ad fidem: cum non omnibus prædicentur ejuſdem fidei myſteria: ergo non omnes habent auxilium ſupernaturale neceſſarium ad ſalutem.

Confirmatur: quia ſi omnes adulti reciperent aliquod auxilium ſufficiens ad credendum, omnes, qui non credunt, eſſent infideles contrarie, & privativè: conſequens eſt contra communem Theologorum ſententiam aſſerentem plures barbaros eſſe infideles purè negativè: ergo non omnes adulti recipiunt auxilium ſufficiens ad credendum, & conſequenter nec ad ſalutem.

Reſponſio. Godoy. Ad hoc argumentum, quod potiſſimum pro hac opinione merito appellat Godoy, conſtat ex dictis §. *præcedenti*. Juxta quæ reſpondemus diſtinguendo minorem: & intellectam de auxilio proxime ſufficienti ad credendum, eam concedimus; intellectam vero de auxilio ſufficienti, ſaltem remote, illam negamus, & ſimul conſequentiam. Et ad incertam minoris probationem dicendum eſt prædicationem fidei computari inter ea auxilia, quæ ſunt proxime ſufficientia ad credendum: unde ex eo, quod non omnibus proponantur myſteria credenda; ſolum evincitur, quod non omnes valeant proxime credere. Cum quo tamen recte cohæret, quod omnes recipiant aliquod auxilium ſupernaturale,

Digitized by Google

turale, quo poſſint ſaltem mediate, & remote tendere tam in fidem, quam in juſtificationem.

Unde ad confirmationem negamus ſequelam: quoniam, ut aliquis non peccet ſpecialiter contra fidem, maneatque infidelis negativè, ſatis eſt, quod myſteria credenda, & divina revelatio, quæ eſt motivum credendi, ipſi non proponantur. Fieri enim optime poteſt, quod quis recipiat auxilium aliquod ſupernaturale quo poſſit remote ad fidem diſponi, & quod nihilominus nullam habeat notitiam myſteriorum credendorum, & revelationis divinæ. Quamobrem ex eo, quod omnes barbari recipiant aliquod auxilium ſupernaturale, & quod non credant, neutiquam colligitur, quod omnes maneant infideles contrariè, ut latius explicuimus *loco citato*, & docuit ipſe Godoy t. 2. *diſp.* 42. *num.* 62.

Prima replica. 98. Sed contra hanc doctrinam plura opponit ſapientiſſimus hic Auctor: *Primo* quoniam habenti potentiam remotam ad aliquem actum ſibi præceptum, licet careat auxilio proxime ſufficienti, imputatur ad culpam omiſſio prædicti actus: qua ratione *ſupra dub.* 1. §. 2. docuimus omiſſionem converſionis, inſtanti præcepto, imputari peccatori ad culpam; licet non habeat auxilium proxime ſufficiens ad illam, quod in noſtra ſententia non differt à gratia ſanctificante: ergo ſi omnes adulti habent auxilium remote ſufficiens ad credendum, licet careant auxilio proximo, omnes, qui non credunt, peccabunt ſpecialiter contra fidem, eruntque proinde infideles contrariè.

Secunda. *Secundo*: quia fides ſupernaturalis ita eſt neceſſaria ad ſalutem, ut primus actus ſupernaturalis, & conducens ad juſtificationem ſit actus fidei, ſive aſſenſus ad myſteria revelata: atqui non omnes recipiunt auxilium ſufficiens ad prædictum actum; ſiquidem plures ſunt infideles negativè: ergo non omnes recipiunt auxilium aliquod ſufficient ad ſalutem. Patet conſequentia: quia jam prædictum auxilium eſſet proxime ſufficiens ad aliquem actum ſupernaturalem, qui proinde præcederet actum fidei. Major autem

Conc. Trid. probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſione* 6. *capite* 8. ubi exponens Paulum *ad Roman.* 3. & 5. aſſerentem hominem juſtificari ex fide, inquit: *Prædicta verba intelligenda eſſe in eo ſenſu, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ ſenſus expreſſit, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis.* Quod etiam expreſsè docuerat Auguſtinus *epiſtola* 105. & *libro de Prædeſtinatione Sanctorum, capite* 3. & 7. & *libro de perfectione juſtitiæ, capite* 19. & alibi ſæpè. Hoc autem verificari non poteſt, ſi aliquis actus ſupernaturalis præcedat actum fidei: ergo fides ita eſt neceſſaria ad juſtificationem, quod primus actus ſupernaturalis conducens ad ſalutem ſit actus fidei, ſive aſſenſus ad myſteria revelata.

Tertia. *Tertio* quia ſi aliquis actus ſupernaturalis, & auxilium ei correſpondens præcederent actum fidei, atque auxilium pro ipſo deſideratum, jam fides poſſet cadere ſub aliquo merito, vel impetratione: quandoquidem homo rectè utens illo priori auxilio fidem mereretur, vel impe-

D. Auguſt. traret: conſequens eſt aperte contra Divum Auguſtinum *epiſtola* 105. ubi ait: *Remiſſio peccatorum eſt ex meritis; fides autem ſine ullis meritis.* Et *libro de prædeſtinatione Sanctorum, capite* 7. ait: *Sicut prima gratia non eſt ex meritis, ita nec fides.* Unde ſubinfert Cornelium, cujus eleemoſynæ, & orationes erant Deo acceptæ, habuiſſe fidem. *Nec tamen, ait, ſine aliqua fide donabat, & orabat: nam quomodo invocabat, in quem non crediderat*: ergo nullum auxilium, & nullus actus ſupernaturalis præcedunt auxilium, & actum fidei.

Reſpondetur ad 1. 99. Hæc tamen non labefactant traditam doctrinam. Ad primam enim objectionem reſpondetur majorem ſolum verificari, quando ſimul cum potentia proxima, vel remota ad actum præceptum adeſt aliqua advertentia præcepti tunc obligantis, ubi enim omnis advertentia deeſt, omiſſio actus nequit eſſe voluntaria ob defectum cognitionis, & conſequenter nec peccaminoſa. Quod etiam verificatur, licet ignorantia conſequatur aliquam omiſſionem culpabilem, dummodo omittens nullo modo præcognoverit futuram ignorantiam, & non adimpletionem præcepti. Plurimi autem ſunt barbari, qui licet habuerint aliqua auxilia remote ſufficientia ad credendum, & eorum uſum culpabiliter omiſerint; nihilominus nullam habuerunt advertentiam ad divinam revelationem, vel ad obligationem credendi: quia hæc non omnibus explicite proponuntur: unde nullo modo peccant ſpecialiter contra fidem, ſed manent ſub infidelitate negativa, & inculpabili, ut cum communi Theologorum ſententia ſtatuimus *tractatu* 13. *diſputatione* 15. *dubio* 1. *numero* 16. contra aliquos antiquos, qui hoc Godoy motivo utebantur. Nec oppoſitum ſuadetur exemplo illo peccatoris fidelis: hic enim quamvis non habeat auxilium proxime ſufficiens ad converſionem, habet ſimul cum auxilio remoto cognitionem, qua advertit, & inſtantiam præcepti, & poſſibilitatem auxilij proximi: unde omiſſio prædictæ converſionis eſt ei voluntaria, ut *dub.* 1. explicuimus.

Ad ſecundam. Ad ſecundam negamus majorem intellectam de actu fidei ſtrictè dictæ: nam ut ſupra *numero* 82. oſtendimus ex Concilio Tridentino, & communi Theologorum ſententia, antecedenter ad prædictum actum dantur actus ſupernaturales, quibus excitatur, & vocatur ad fidem, & ſimiliter actus piæ affectionis, & judicij practici regulantis. Inter quos actus merito computamus illos, quibus infideles vocantur, ſaltem mediate, & remote ad ſuam converſionem, & ſalutem, ut *loco citato* explicuimus. Ad probationem autem in contrarium deſumptam ex Concilio Tridentino dicendum eſt, quod ibi nomine fidei intelligitur tam illa, quæ eſt formaliter fides, quam illa, quæ eſt fides diſpoſitivè: atque ideo fidei nomine ſignificatur non ſolum illud auxilium, quo proxime credimus, ſed illud etiam, quo diſponimur ad credendum. Idque declarari poteſt exemplo, quod eademmet auctoritas inſinuat: etenim ratio propria, & formalis formæ juſtificantis ſoli gratiæ habituali convenit, ut *tractatu ſequenti*, dicemus: & nihilominus fides dicitur juſtificare, quia, ut inquit Concilium, eſt juſtificationis initium, diſponendo ſcilicet, & trahendo hominem ad juſtitiam Sic ergo ratio formalis, & propria fidei ſolum convenit fidei ſtrictè dictæ, quæ præſtat aſſenſum credendis: quia tamen alia auxilia hanc fidem antecedentia ad illam diſponunt, merito etiam appellantur fides, non quidem formaliter, ſed diſpoſitivè: atque ideo ſub

Digitized by Google

fidei vocabulo comprehenduntur. Fides ergo prout ambit ſeipſam tam ſtricte, quam large dictam, merito appellatur initium, radix, & fundamentum omnis juſtificationis: quia ante illam nihil reperitur, quod ad ſalutem conducat; cum hæc incipiat ab aliqua ſupernaturali illuſtratione, ut *diſp. præced. dub. 1. & 2.* declaravimus. Si autem fides ſumatur ſtricte, & ut condiſtincta ab auxiliis antecedentibus, dicitur juſtificationis initium, & fundamentum ob excellentiam, qua cæteris auxiliis præeminet, & quia ad juſtificationem propius accedit, & intimius hominem aptat, ut ſignificavit Concilium verbis immediate ſequentibus: *Sine qua*, inquit, *impoſſibile eſt placere Deo, & ad conſortium eſſe pervenire.* De qua etiam fide loquitur Apoſtol. ad Hebræos 11. dum ait: *Credere autem oportet accedentem ad Deum:* accedere enim non quemlibet motum ſignificat, ſed eum, quo proxime ad juſtitiam appropinquamus: & hic eſt effectus fidei non large, ſed ſtricte ſumptæ. Unde etiam liquet ad teſtimonium D. Auguſtini: loquitur enim in eodem ſenſu, ac Tridentinum. (*Ad Hebr. 11.*)

Inſtantia. 100. Nec refert, ſi cum prædicto Auctore inſtes: nam quando Concilia determinant initium juſtificationis ſumendum eſſe ex gratia, non poſſumus illa interpretari de gratia large dicta, cujuſmodi eſt natura, & quod naturales vires conſequitur: ergo quando determinant initium juſtificationis ſumendum eſſe ex fide, neceſſario intelligenda ſunt de fide ſtricte dicta, nec interpretari valent de fide large conſiderata.

Diluitur. Hoc, inquam, nihil refert: nam conceſſo antecedenti negamus conſequentiam ob evidentem diſparitatem. Juſtificationis enim initium debet eſſe ejuſdem ordinis cum illa, ut ſtatuimus *diſput. 4. dub...* natura autem, & quod naturam conſequitur, non eſt ejuſdem ordinis cum juſtificatione: hæc quippe ſupernaturalis eſt. Fides vero de qua loquimur, licet large ſumatur, eſt tamen ſupernaturalis, & ejuſdem ordinis cum gratia ſanctificante, & cum fide ſtricte dicta. Unde licet nomine gratiæ, quæ dicitur initium juſtificationis, nequeat deſignari natura; at nomine fidei, quæ dicitur juſtificationis initium, merito comprehenditur fides large accepta, nempe auxilium ſupernaturale illuminans intellectum. Præſertim quia Concilia ſtatuentia gratiam eſſe initium juſtificationis, ſolent expreſsè excludere naturam: unde nullam admittunt in hac parte interpretationem. At Concilium Trident. aſſerens fidem eſſe initium ſalutis ſimul docet homines indigere gratia excitante, & vocante, ut eliciant actum fidei: & conſequenter aperte ſupponit alia auxilia, & alios actus ſupernaturales, ſaltem indeliberatos, præcedere auxilium, & actum fidei, ut ſupra *num. 82.* ponderavimus. Quamobrem hic nulla fere interpretatione indigemus, cum ſatis evidenter ſtet pro nobis Concilium.

Ad tertiam. 101. Ex quibus etiam conſtat ad ultimam objectionem: nam ſi fidei nomine intelligatur fides, prout ambit tam large, quam ſtricte dictam, atque ideo complectitur primum auxilium illuminans intellectum; nullo modo cadit ſub merito, vel impetratione: quia ante primum auxilium ſupernaturale ſolum dantur naturalia, quæ inepta ſunt, ut ſupernaturalia dona impetrent, vel promereantur ob extraneitatem ordinis. Et de fide ſic accepta loquitur Auguſtinus, cum aſſerit, & quidem veriſſime, quod ſicut prima gratia non cadit ſub merito, ita nec fides; cum ipſa prima gratia illuminans intellectum ſit fides large dicta. (*An fides cadat ſub merito.*) At ſi loquamur de fide ſtricte accepta, quæ importat revelationem myſteriorum, & aſſenſum ad credenda; nullum eſt inconveniens, quod cadat ſub aliquo merito, vel impetratione imperfectiſſimis, fundatis in prioribus auxiliis ſupernaturalibus, & in miſericordia divina, quæ facienti, quod eſt in ſe ex prioribus auxiliis, confert ulteriorem gratiam, ut ex Divo Thoma fuſe oſtendimus § 3. Quod amplius illuſtrari poteſt ex eodem Sanct. Doctore 2. 2. *quæſt. 83. art. 5.* ubi ad 3. argumentum, quod ſic ſe habebat: *Oratio præcipue fidei innititur, ſecundum illud Iacob. 1. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: fides autem non ſufficit ad merendum, ut patet in his, qui habent fidem informem: ergo oratio non eſt actus meritorius:* reſpondet in hunc modum: *Dicendum, quod oratio innititur principaliter fidei, non quantum ad efficaciam merendi: quia ſic innititur principaliter charitati: ſed quantum ad efficaciam impetrandi: quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ, & miſericordiæ, ex quibus oratio impetrat, quod petit.* (*D. Thom.*) Ubi, ut vides, attribuit fidei, et condiſtincta à charitate, vim impetrandi, in quam fides confert notitiam ſupernaturalem divinæ miſericordiæ, & omnipotentiæ. Hanc autem notitiam præſtat etiam ſuo modo fides large dicta, ſive auxilium illuminans imperfecte intellectum circa Deum finem ſupernaturalem: ad hoc quippe confertur, ut homo ſaltem imperfecte, & remote convertatur ad dictum finem, ut conſtat ex hactenus dictis. Unde nullum eſt inconveniens, quod prædictæ fidei attribuamus vim aliquam imperfectam ad conſequendum cætera auxilia. Nunquam autem nec per iſtam fidem, nec per fidem ſtricte acceptam meretur homo merito rigoroſo ſuam juſtificationem: nam ut inquit Concilium Tridentinum ubi ſupra: *Gratis autem juſtificari ideo dicimur: quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur: ſi enim gratia eſt, jam non ex operibus: alioquin ut idem Apoſtolus*, inquit, *gratia jam non eſt gratia.* (*Conc. Trid.*)

102. Ultimo arguitur: quia obdurati, & excæcati nullum recipiunt auxilium intrinſecum ſufficiens, quo poſſint converti: ergo falſum eſt, quod Deus omnibus, & ſingulis hominibus conferat auxilia ſufficientia ad ſalutem. (*Ultimum argumentum.*) Probatur antecedens: tum ex Sacra Scriptura, nam *Ioſue 11.* dicitur, *Sententia Domini fuerat, ut indurarentur corda eorum, nec mererentur ullam clementiam.* (*Ioſue 11.*) Et Hierem. 6. *Ecce incircumciſæ aures eorum, & audire non poſſunt.* (*Jerem. 6.*) Et Joannis 12. *Propterea non poterant credere.* (*Joann. 12.*) Tum etiam ex Sanctis Patribus: nam Divus Iſidorus *libro 2. de ſummo bono cap. 15.* ait: *Nonnulli ita deſpiciuntur à Deo, ut deplorare mala non poſſint, etiam ſi velint.* (*D. Iſidor.*) Et Divus Gregorius *libro undecimo Moral., capite decimo quinto*, inquit: *Hinc eſt enim, quod Cain & divina voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpa malitiæ jam intus Deus cor reliquerat, foris ad teſtimonium verba faciebat.* (*D. Gregor.*) Tum denique ratione: quoniam ex oppoſito fieret nullum reperiri diſcrimen inter peccatores obduratos, & non obduratos: conſequens eſt contra relata teſtimonia, quæ ſpecialiter de obduratis loquuntur: ergo, &c. Sequela probatur: quia differentia inter

obduratos,

obduratos, & non obduratos non conſiſtit in eo, quod obduratis denegentur auxilia efficacia; cum hæc etiam non obduratis, & multoties abſque præſuppoſita culpa negentur: ergo ſolum conſiſtit in eo, quod obduratis non conferantur auxilia ſufficientia, & ſi ipſis communicentur, nullum diſcrimen inter obduratos, & non obduratos relinquetur.

Diluitur. Hoc argumentum, quod quidam pluribus auctoritatibus latiſſime proſequuntur, non impugnat noſtram aſſertionem, quæ tantum determinat omnes, & ſingulos homines adultos recipere aliquod auxilium ſupernaturale; minime vero, quod ea in omnibus momentis, aut etiam temporibus conſequatur, ut infra magis declarabimus. Homines autem obdurati in malo receperunt prædictum auxilium ſaltem in primo inſtanti uſus rationis, immo & pluries in vita, ſaltem antequam obdurationem, & excæcationem incurriſſent; cum ipſa obduratio ortum duxerit ex frequentia peccandi, & refutandi, ac fruſtrandi divina auxilia. Et hoc non impugnatur argumento nuper facto, quod ſolum reſpicit tempus, & ſtatum obdurationis; & aliunde

D. Auguſt. ſalvat veritatem noſtræ aſſertionis. Unde D. Auguſtinus *ſerm. de verbis Domini*, loquens de peccatore obdurato, inquit: *Cum vult non poteſt: quia quando potuit, non voluit: ideo per malum velle perdidit bonum poſſe.* Quibus verbis aperte ſignificat peccatorem, qui modo obduratus eſt, habuiſſe prius auxilium ſufficiens ad ſuam ſalutem. Quod auxilium collatum ei fuerat non ſolum reſpective ad illud tempus, in quo ſtetit; ſed etiam ad tempus ſubſequens futurum: nam ſi homo recte uteretur prædicto auxilio, alia deinceps conſequeretur, vitaretque obdurationis ſtatum, in quo refutans continuo divina auxilia ſe miſere conſtituit. Vnde impotentia peccatoris obdurati, ut conſervetur, eſt conſequens, & volita in cauſa. Quod, ut diximus, ſalvat ſufficienter veritatem noſtræ aſſertionis.

Addimus tamen ipſos obduratos recipere aliquando (licet rarius, quam alij peccatores) auxilia ſupernaturalia, quibus ſtimulantur, & ſecreto conſcientiæ morſu punguntur. Nec oppoſitum probant teſtimonia Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quæ in argumento referuntur: quia cum videantur attribuere obduratis impotentiam ad converſionem, non loquuntur de impotentia phyſica, ſed ſolum de impotentia morali, quæ importat maximam difficultatem ob vehementem adhæſionem ad malum. Nec etiam convincit ratio inducta: quoniam differentia inter obduratos, & non obduratos ſufficienter ſalvatur per hoc, quod illi pauciora, & rarius auxilia recipiunt, eaque ob pravum, & obfirmatum animum ſemper refutant: iſti vero plura, & frequentius conſequuntur, nec omnia fruſtrant, ſed aliquibus cedunt, vel ſaltem facilius cedere poſ-

D. Thom. ſunt. Quæ doctrina deſumitur ex D. Thom. 3. p. qu. 86. art. 1. ad 2. ubi prædicto modo Auguſtinum interpretatur his verbis: Dicendum, quod illud verbum Auguſtini ſic intelligendum eſt: *Tanta eſt labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, ſcilicet de facili: ſecundum quod dicitur illum non poſſe ſanari, qui non poteſt de facili ſanari.* Videantur, quæ diximus *dub.* 1. §. 4. ubi idem argumentum diluimus.

§. VII.

Corollaria præcedentis Doctrinæ.

103. EX dictis infertur primo omnes fideles tam juſtos, quam peccatores recipere, & habere auxilium ſupernaturale intrinſecum ſufficiens ad ſalutem. Hoc corollarium colligitur à fortiori ex dictis: nam ſi Deus omnibus infidelibus, & barbaris impertitur auxilia ſupernaturalia intrinſeca, quibus poſſint ſaltem remote, ad ſalutem tendere; multo magis illa communicabit eis, quibus fidem, aut gratiam ſanctificantem contulit: præſertim cum ipſa diſpoſitio hominis fidelis, vel juſti poſtulet connaturaliter auxilia Dei actualia, ut actus fidei, & cæterarum virtutum eliciat. Deinde probatur veritas hujus corollarij quantum ad homines juſtos Omnes adul. tus tatiu recipit auxilium ſupernaturale ſufficiens.

tum ex Conc. Arauſic. *cap.* 25. ubi hæc habentur: Conc. Arauſ.

Hoc autem ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, omnia, quæ ad ſalutem pertinent, poſſunt, & debent, ſi fideliter laborare velint, adimplere. Et ſimilia tradit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. *& can.* 18. *&* 21. Tum etiam quia ipſa gratia juſtificans cum aliis donis infuſis, & ſibi annexis eſt principium de ſe ſufficiens ad obſervanda præcepta: per hæc autem tendimus in æternam ſalutem, juxta illud *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata:* omnes ergo juſti habent auxilium intrinſecum ſufficiens ad ſalutem. Præterea ſuadetur eadem veritas quantum ad fideles peccatores: nam ipſa fides eſt principium ſufficiens ad impetrandum alia dona ſupernaturalia, *ut ſupra numero* 101. vidimus ex Divo Thoma, & colligitur ex illo Joan. 14. *Si* Joan. 14.

quid petieritis Patrem in nomine meo, &c. ergo omnes fideles quamquam peccatores ſint, habent auxilium ſufficiens, ſaltem mediate, & remote ad ſalutem. In quo oſtendendo ſupervacaneum eſt immorari: nam ſi ex voluntate generali, qua vult Deus omnes homines ſalvos fieri, ſi ex occurrentia tentationum, ſi ex Angelorum cuſtodia convincitur, quod vel infideles homines auxilium aliquod ſupernaturale recipiant: id à fortiori verificabitur in hominibus fidelibus.

104. Infertur ſecundo, quod auxilia divina non ita ſingulis hominibus offeruntur, quod ſemper, id eſt in omnibus momentis, aut temporibus in eiſdem recipiantur. Hoc conſectarium liquet ex rationibus à nobis factis, quæ ſi recte perpendantur, ſolum probant infuſionem gratiæ auxiliantis pro determinatis temporibus. Et aliunde habet fundamentum in ſacra Scriptura: nam Qualiter Deus diſtribuat auxilia.

Pſal. 49. dicitur: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra:* illo enim loquendi modo ſub conditione inſinuatur vocem Domini media gratia auxiliante non ſemper inſonare, ſed quibuſdam temporibus. Probatur deinde ratione: quoniam prima gratia auxilians eſt gratia excitans, quæ ſecum ſemper affert aliquam mentis illuſtrationem, cognitionem, ſive attentionem circa ea, quæ pertinent ad ſalutem, ut conſtat ex dictis *diſp. præced. dub.* 1. *& ult.* atqui non ſemper homines cognoſcunt, vel attendunt ad ea, quæ ad illorum ſalutem conducunt, ut experientia liquet: ergo gratia auxilians non communicatur in ſingulis momentis, Pſalm. 49.

Digitized by Google

Ad 4. converti. Ad *ultimam* negamus ſequelam: nam ut homo non ſit extra ſtatum ſalutis, ſatis eſt, quod poſſit ad ſalutem tendere tam per auxilia ſibi oblata, quam per auxilia aliquando recepta: hæc enim nec præparantur, nec conferuntur damnatis: ac proinde ſufficienter diſtingunt hominem viatorem, ſive exiſtentem in ſtatu ſalutis à damnatis, qui extra prædictum ſtatum exiſtunt. Ad ſequelæ vero probationem, admiſſo caſu illo, dicendum eſt hominem in prædicta hypotheſi adhuc eſſe in ſtatu ſalutis: quoniam & ſalvari poteſt per auxilia à Deo omni viatori oblata, & ſalvari valet per auxilia interna, non quæ tunc habeat, ſed quæ prius recepit in ordine ad prædictum tempus; non vero ad tempus poſt mortem, ex quo incipit damnationis ſtatus. Quod ſi prædicta auxilia refutavit, ipſe ſe reddit impotentem in ſenſu compoſito, & per impotentiam volitam in cauſa, quam prænovit, & vitare valuit.

Omnis adultus recipit aliquid, quo poſſit conſequi ſalutem.

107. Ex quibus tandem colligitur omnem hominem adultum peccatorem ſive fidelem, ſive infidelem, ſive obduratum, ſive non obduratum, poſſe de peccatis pœnitere, & ſalutem conſequi. Quod ſatis liquet ex dictis: nam poſſe pœnitere, vel converti eſt habere auxilium ſufficiens, ſaltem remote, ad pœnitentiam, & converſionem: atqui omnes adulti, quicumque ſint, recipiunt prædictum auxilium, ut hactenus oſtendimus: ergo omnes quanquam maximi peccatores ſint, pœnitere, & converti valent. Unde D.Thom. 3. *p. quæſt.* 86. *art.* 1. *in corp.* ait: *Dicendum, quod hoc, quod aliquod peccatum per pœnitentiam tolli non poſſit, poteſt contingere dupliciter. Uno modo, quia aliquis de peccato pœnitere non poſſet: alio modo quia pœnitentia non poſſet delere peccatum. Primo quidem modo non poſſunt per pœnitentiam deleri peccata dæmonum, & etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum ſunt confirmati in malo: ita quod non poteſt eis diſplicere peccatum, in quantum eſt culpa; ſed ſolum diſplicet eis pœna, quam patiuntur. Ratione cujus aliquam pœnitentiam, ſed falſam habent, ſecundum illud* Sap. 5. *Pœnitentiam agentes, & præ angoſtia Spiritus gementes. Unde talis pœnitentia non eſt cum ſpe veniæ, ſed cum deſperatione. Tale autem non poteſt eſſe aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium flexibile eſt ad bonum, & ad malum. Unde dicere, quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt. Primo quidem quia per hoc tolletur libertas arbitrij. Secundo quia per hoc derogatur virtuti gratiæ, per quam moveri poteſt cor cujuſcumque peccatoris ad pœnitendum*, &c. Videatur Medina *ſupra quæſt.* 109. *art.* 10. *quæſt.* 2. *concl.* 1. ubi hanc doctrinam erudite confirmat, & objectiones, quæ poſſent hic occurrere, diluit.

D.Thom.

Medina.

Finis Tomi Quinti.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5- 2

Digitized by Google